RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMI TERTII PARS ALTERA.



RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,

ALIARUMQUE INSIGNIUM

BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMI TERTII PARS ALTERA.



Antonius Gregolini inv. et del. — *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXXIV.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

PHILIPPUS ARGELATUS
BONONIENSIS
LECTORI HUMANISSIMO
S. P. D.

DEderat Clariss. Ludovicus Antonius *Muratorius* in Tomo III. suæ collectionis Rerum Italicarum Pontif. Romanorum vitas à S. Petro usque ad Johannem XXII. ibique manum cohibuerat, quod nimiam in molem liber excrevisset si ad tempora sibi designata Summorum Pontificum seriem deducere voluisset; quamobrem ad alium Tomum posteriorum Pontificum vitas amandavit, qui nunc in lucem prodit.

Novisti jam ante, Lector eruditissime, cum dictum tertium Tomum evolveres, quale fuerit doctissimi viri consilium in attexendis enarratis vitis, nempe ut à vetustioribus Scriptoribus, & quantum per Scriptorum raritatem liceat, à Synchronis Auctoribus puriorem historiæ veritatem, expunctis malignorum & vulgi fabulis, acciperes; quamobrem ex pluribus variorum monumentis continuam vitarum seriem composuit. Eâdem diligentiâ novum hunc qui tertium subsequitur Tomum nuper absolutum concinnavit; itaut vix altera uberior collectio, melioribusque historicorum scriptis probanda inveniri unquam possit, & ad veritatem investigandam accommodata.

Usus est Muratorius vel ad unius Pontificis vitam cognoscendam variorum Scriptorum libris, ut unus alteri lucem, vel supplementum præstaret, ac per congruas temporum sedes collocavit:

AMALRICO primum Augerii de Biterris Ord. S. Augustini, isque chorum ducit ab ipso Joanne XXII. usque ad Pontifices eos, quorum gesta in commentarios redegit, & licet Auctor iste lucem viderit opera Joannis Georgii Eccardi in Tomo II. Corp. Hist. Med. Ævi, secundas castigatiores curas nactus est ex præstantissimo Codice Bibliothecæ Christianissimi Regis, unde nostrum allatum est exemplum.

Sequuntur deinde ceteri, quos elenchi soliti loco appellasse fuerit satis, cum eorum pretium eruditione tua facile cognoscas. Ii vero sunt:

ANONYMI vita Symmachi ex Cod. Capituli Veronensis à Clariss. Viro Canonico Blanchino edita.

FRODOARDI Fragmenta de Romm. Pontif. à P. Mabillonio jamdiu vulgata.

EPISTOLÆ Codicis Carolini ex MS. Cod. Bibliothecæ Cæsareæ à Clariss. Lambecio iterum editæ.

NICOLAI I. vita ex MS. Cod. Vaticano, Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

CATALOGUS Paparum editus ab eodem Eccardo in eodem Tomo II.

VITÆ ex libro V. Papirii Massoni de Episcopis Urbis Romæ.

ALIÆ Paparum Avenionensium ex Balutio.

ADDITAMENTUM ad Ptolomæum Lucensem ex MS. Cod. Patavino.

VITÆ ex MS. Codice Vaticano.

EXPOSITIO Fr. Michaëlis de Cæsena in Psalmum Miserere, quâ Johannis XXII. gesta elucidantur.

THOMÆ de Acerno Episcopi Luceriensis de creatione Urbani VI. & creatione Domini Gebennensis in Antipapam ex Bibliotheca Vaticana.

GESTA Benedicti XIII. Papæ, sive Antipapæ, dum peragraret anno 1406. & seqq. littora Genuæ & Massiliæ, Auctore Anonymo Synchrono ex MS. Bibliothecæ Estensis.

VITA Nicolai V. à Jannotio Manetto scripta nunc primum edita ex MS. Codice Equitis Antonii Francisci Marmii Florentini.

BARTHOLOMÆI SACHI à vico Platina vita Calisti Papæ III.

VITA Pii II. per Jo: Antonium Campanum Episcopum Aprutinum.

VITA Pauli II. per Michaëlem Cannesium de Viterbio Decretor. Doct. Canonicum S. Laurentii & Damasi compilata.

GASPARIS Veronensis de gestis tempore Pontificis Maximi Pauli II. ex MS. Cod. Vaticano.

VITA Sixti IV. Auctore Anonymo ex Bibliotheca Vaticana.

DIARIUM Rom. Urbis ab anno 1381. ad 1492. Auctore Anonymo Synchrono Notario de Antiportu: nunc primum editum.

DIARIUM Rom. Urbis scriptum à Stephano Infessura Scriba S. P. Q. R.

Is Tomum claudit quòd ad sæculum 1500. propius accedat, & historiam Pontificalem absolvit. Interim vale, studiisque nostris, si quid commodi ab eis acceperis, fave, ac plaude.

ELENCHUS
SECUNDÆ PARTIS TOMI TERTII.
Vitæ Summorum Pontificum Romanorum.

Ex

Ex

VITÆ
ROMANORUM PONTIFICUM
A SANCTO PETRO
Usque ad INNOCENTIUM VIII.

AUCTORIBUS

AMALRICO AUGERII, FRODOARDO REMENSI, PANDULPHO PISANO, ALIISQUE SCRIPTORIBUS.

ACCEDUNT

EPISTOLÆ ALIQUOT PONTIFICUM
IN CODICE CAROLINO COMPREHENSÆ,

Per PETRUM LAMBECIUM ad fidem antiquissimi Cæsarei Vindobonensis Codicis exactæ,

Et Diaria quædam Romanarum rerum numquam antea edita.

IN VITAS
PONTIFICUM ROMANORUM
HEIC EDITAS
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

IN praecedenti Tomo III. jam Lector accepit Romanorum Pontificum Vitas à Sancto Petro usque ad Johannem XXII. cujus Vita chorum clausit. Quum in molem non mediocrem jam Tomus ille excrevisset, reliquas subinde in altero Tomo proferre usque ad Annum 1500. erat mihi animus. Id etiam exigebat instituti mei ratio, quum ad Historiae Italicae complementum pertineant res gestae Praesulum Apostolicae Sedis, qui utpote a Christo Domino electi ad universalis Ecclesiae regimen, insignium quoque Urbium & Provinciarum a tot Seculis temporales Domini, in universis paene Europae, atque Italicorum praesertim, rebus immixti reperiuntur. Praeterea mihi erat in votis posse Vitis jam evulgatis aliquid aliud superaddere, ne quidquam subsidii atque ornamenti ad illustre hoc argumentum, quantum pro virili ego possem, desideraretur. Quid praestiterim, infra intuebitur Lector; sed ante mihi quaedam nunc sunt praemittenda. Itaque primo opportunum existimavi, Scriptorem quempiam deligere, qui eorumdem Romanorum Pontificum Vitas continuato ordine ante Annum 1500. literis consignasset, ut illorum seriem rursus haberemus sub uno conspectu. Atque heic mihi e vestigio occurrebant *Martinus Polonus*, *Bartholomaeus Platina*, & *Jacobus Philippus Bergomas*, qui prae ceteris spartam hanc rite adornarant. Sed quando vulgatissimi sunt eorum Libri, tam familiare ferculum erudito Lectori nequaquam exhibendum censui. Opportune interea ad me delatae sunt ipsorum Pontificum Vitae, ab *Amalrico Augerii*, Seculo Christi Quartodecimo contextae, quas e MSto Codice Bibliothecae Christianissimi Regis descripserat votorum meorum conscius Dominicus Vandellius, nunc publicus in Mutinensi Gymnasio Matheseos Professor, & solers eruditionis antiquae cultor. Itaque has adhibere statueram veluti novi aedificii fundamentum, ea praecipue spe ductus, me simul daturum Reipublicae Literariae opus numquam antea editum. Verum dum de die in diem, immo & de anno in annum Auctarii hujus editionem protraho, consilium meum antevertit Johannes Georgius Eccardus, inter Eruditos Germanos vir spectatissimus, cujus nempe opera Anno 1723. Lipsiae in Tomo II. Corpor. Historic. medii aevi praelaudatus *Amalrici* Liber in lucem prodiit. Nihilo tamen secius in priore sententia steti, idque duplici de caussa. Prima est, quamvis jam tenebris ereptum fuerit per Eccardum ejusmodi opusculum, ita tamen plerisque Italis ignotum esse pergit, quum rara apud nos sint exemplaria Corporis illius Historici, ut Scriptorem paene novum, ac veluti numquam antea publici juris factum, nostrates sint ipsum a me accepturi. Altera est, Eccardum ad haec edenda non satis purgato Codice usum fuisse. Longe castigatior est Bibliothecae Regiae Codex, qui praesto heic mihi fuit. Quare de ipso *Amalrico*, ejusque Lectoribus me bene meriturum spero, si vulneribus in prima editione contractis medicinam altera editione parabo. Quot in locis Eccardi textus aut corruptus, aut a Regio discors esset, adnotare decreveram, sed tanta seges succrevit, ut satius duxerim huic labori omnino parcere, & una Regii textus lectione Lectorem ad alia properantem pascere.

Fuit autem *Amalricus Augerii* Biterrensis patria, Prior Monasterii Sanctae Mariae de Aspirano Ordinis Sancti Augustini, Decretorum Doctor in Academia Montispessulanae Civitatis (nunc *Mompelieri*) & Capellanus Urbani V. Papae, cui hoc ipsum opus dicavit. Quare statim agnoscis, eumdem floruisse Anno Christi 1365. quamquam Pontificia illius Historia perducta usque ad Johannem XXII. Summum Pontificem non excedat ultra Annum 1321. Neque nunc tantummodo Amalrici

Augerii nomen apud Eruditos sonat. Jamdiu *Chronicon Pontificale*, hoc est hoc ipsum opus, laudatum fuit non semel ab Henrico Spondano Apamiarum Episcopo in continuatione Annalium Ecclesiasticorum. De hoc Scriptore inter alia haec ille habet ad Annum 1310. num. 4. *quo neminem fideliorem, aut accuratiorem Chronographum eo tempore reperimus*. Multa quoque de Amalrico subinde commentatus est Johannes Gerardus Vossius Part. II. Lib. III. Cap. I. de Historic. Latinis, laudans MStum Codicem Historiae hujus a Petro Scriverio possessum. Inter cetera vero ait, *nova ratione* concinnatum fuisse Chronicon ab eodem Amalrico. *Nec enim*, inquit, *temporis rationem habet, sed Pontifices secundum literarum seriem disponit. Itaque primum de iis agit, quibus nomen fuit Anacletus, Alexander, Anicetus, &c. Postea de his, qui vocati Bonifacius, Benedictus, Clemens, Calixtus, &c. Atque ita omnes ejusdem nominis conjungit*. Cum Vossio concors est praelaudatus Eccardus, & ipse in Praefatione scribens: *Opus ipsum, quo commodius inveniri quorumlibet Pontificum acta possent, secundum literas Alphabeti, atque in MXLVIII. Capitula digessit: hocque modo dispositum nos in Codice papyraceo Bibliothecae Regiae invenimus. Praetulimus tamen ordinem temporum, & successionem Paparum, ac secundum eam idem digessimus, quo ipso non necesse fuit alios Indices addere*. Nisi ordinis hujus, seu potius dicam inordinatae structurae fidem mihi facerent tanti Viri, suosque oculos testes advocassent, utique difficilem ad ista credenda me haberem. Nam qui Regiae Bibliothecae Parisiensis Codex Vandellio supra laudato oblatus fuit, Pontificum Vitas per successionem, non vero per Alphabetum, digestas exhibebat. Immo auctor est idem Amalricus in Praefatione, quam ipsissimam Eccardus etiam habet, se operi addidisse *tabulas duas necessarias, quarum prima apponitur in principio, alia in fine ipsius Libri, pro inveniendo de facili omnia nomina dictorum vestrorum Praedecessorum per Alphabetum & folia, & etiam omnia Capitula per me designata &c.* Quibus verbis, si quid video, is sane indicat, se in *tabulis* operi præpositis, non vero in opere ipso, recensuisse nomina Pontificum *per Alphabetum*. Nihil autem opus fuisset tabulis, si in Libro ipso per Alphabetum Vitae Pontificum dispositae fuissent. Quare qui haec tradidere, dubitare quisquam possit, an satis diligentiae heic adhibuerint. Praeterea Henricus Warthon in Appendice ad Caveum de Scriptoribus Ecclesiasticis honorificam Amalrici nostri mentionem fecit, inter alia haec addens: *Scripsisse etiam Historiam belli contra Albigenses testatur Sandaeus, Not. & animadvers. in Vossii Historic. Latin.* Atqui in isto Pontificali Chronico multis Amalricus narrationem Albigensis belli persequitur, ita ut veri mihi videatur similius, nullum quempiam singularem Librum de argumento illo conscriptum fuisse ab Amalrico. Ad haec Sandius animadvertit, Cardinalem Baronium Scriptoris hujus meminisse, atque ab Ughellio commemorari *Vitam Innocentii VI. Papae*, ab eodem Amalrico literis consignatam. Apud Ughellium hujus rei sit fides. Mihi nullum ejusmodi Vitae vestigium occurrit in Annalibus Ecclesiasticis Odorici Raynaldi, cujus tamen diligentiae difficile se se subtraxisset Opusculum adeo utile illius instituto.

Sed hisce jam tamdem dimissis, unum superest, de quo sine ulla dissimulatione monitum Lectorem volo. Quaecumque Amalricus de Romanis Pontificibus congessit fere usque ad tempora Innocentii III. Papae, nullius momenti sunt, atque in nullum eruditae gentis commodum cedere possunt. Nimirum nihil non nobis antea notum, & a praestantioribus certe Scriptoribus petendum, ille per tot Secula exhibet. Quae vero is addit, aut inepta sunt, aut ex infelici fabularum regno in opus suum derivata, qualia continuo agnoscas inter alia *Cyriacum Papam*, *Johannam Papissam*, *Sylvestrum II.* Magiae addictum, ut complura alia praeteream. Quod si sciscitaris, cur Scriptori adeo infanti locum fecerim in Collectione ista, responsum accipe. Ut seriem Pontificum ab aliquo concinnatam darem, in quam facile per me identidem addenda innecterem. Ut Eruditis ad manus integer esset in posterum Liber, quem pauci hactenus in MStis Codicibus legebant. Sed quod mihi in primis ejusmodi consilium injecit, Amalricus a temporibus Innocentii III. Papae usque ad finem sui operis egregium se, fidumque Historicum praebet, multaque exerit, e quibus Ecclesiastica Historia illustrari possit. Quare quam laudem in priori parte laboris sui frustra is speret, in posteriori, ut puto, consequetur. Ceterum Vitas Clementis V. & Johannis XXII. ab ipso Amalrico scriptas jam Literaria Respublica acceperat a Clariss. Viro Stephano Baluzio editas inter Vitas Paparum Avenionensium. Easdem & ego recusas heic volui in omnium commodum. Atque haec pauca nunc sufficiant. Quae mihi in progressu adnotanda erunt, brevibus expediam, ac de iis suo loco, ubi opus erit, Lectorem monebo. Quae etiam praesidia mihi suppeditarit ad opus istud amplissima Vaticana Bibliotheca, & praelaudatus Baluzius, grati animi caussa subinde significabo.

EX

Ex Amalrico Augerio de Biterris, Priore Sanctæ Mariæ de Aspirano in Diœcesi Helenensi.

SAnctissimo Patri in Christo, & suo Vicario glorioso, ac Domino meo præcipuo, Domino Urbano digna Dei providentia Papæ V. vester devotus Capellanus Amalricus Augerii de Biterris, Prior vestri Monasterii Sanctæ Mariæ de Aspirano, Ordinis Sancti Augustini, Helenensis Diœcesis, quod per Priorem solitum est gubernari, inter alios antiquos Decretorum Doctores vestri studii Villæ Montispessulani, ac etiam vestræ Curiæ Romanæ, se ipsum prostratum ad vestrorum devotissima pedum osculamina beatorum, Sanctissime Pater & Domine, quia sensualitas humana propter suam fragilitatem non valet ad plura attendere, neque insimul retinere diversa juxta dictum Philosophi dicentis, quod contraria simul & semel non possunt esse in eodem. *Cujus quidem testimonium quidam Romani Pontifices vestri prædecessores in quibusdam sacris suis Canonibus approbant, & dicunt, quod qui ad utrumque festinat, neutrum bene peragit; ideo mihi non videtur fore reprehensibile existimandum, si propter hujusmodi defectum humanum, & varietatem temporum atque personarum documenta diversificentur actioni antiquorum, in quibus præsertim verborum diversitas & superfluitas, ac diversorum gestorum interpositiones, & plurium personarum atque dignitatum ipsarum diversitates insimul inseruntur. Unde cùm retroactis temporibus plures Historiographi, seu gestorum Compilatores tractaverint, & scripserint in suis compilationibus in ducentis & novem Chronicis Pontificum Romanorum vestrorum Prædecessorum plura inferiorum, & extraneorum videt gesta Imperatorum, Regum, Principum, & multorum aliorum ipsis inferiorum cum actibus seu gestis dictorum prædecessorum vestrorum, in tantum quod actus eorum propter hujusmodi interpositiones, & diversitates commodè discerni, neque effectus ipsorum reportari non possunt; ideo propter complacentiam, & recreationem, atque prudentiam Vestræ Sanctitatis, omnes & singulos actus, seu gesta tantùm, & principaliter omnium vestrorum Prædecessorum (ipsos tantùm computando à primo Papa usque ad Johannem XXII.) de Libris prædictorum Compilatorum sub brevibus, quibus potui, extraxi pro majori parte, & recollegi. Quos quidem actus in dictis compilationibus, quasi excurrentes & dispersos, & sub dictis ducentis & novem Chronicis prædictorum vestrorum Prædecessorum designatis in mille & XLVIII. Capitula per ordinem, & numerum distinxi, & ordinavi. Et in ipsis Capitulis omnes & singulos actus supradictos perfectè collocavi, & deinde de omnibus istis unum Librum feci, & compilavi, ut faciliùs, & meliùs dictæ Vestræ Sanctitati hujusmodi actus valeant commendari, & ab ipsa denotari, rejectis tamen ab ipso primitus omnibus verborum superfluitatibus, interpositionibus, & diversitatibus supradictis.*

Ceterum cùm ipse Liber, ut mihi videtur, sit plus necessarius cuilibet Pontifici Romano, quàm alieni de hoc Mundo, ut propter contenta in eodem Libro ipse in actibus suis præcautus existat juxta juris consilium, in quo dicitur, quòd exacti temporis consideratio quemlibet in agendis reddere consuevit certiorem, *quod quidem consilium approbat Beatus Gregorius Papa primus Prædecessor vester, qui ait, quòd* jacula minus feriunt quæ prævidentur; *eapropter ipsum Librum præsentem per me sic compilatum cum duabus tabulis sibi necessariis, quarum prima apponitur in principio, alia in fine ipsius Libri, pro inveniendo de facili omnia nomina dictorum vestrorum Prædecessorum per Alphabetum & folia, & etiam omnia & singula Capitula supradicta per me designata, nec non etiam omnia alia omnium Prædecessorum vestrorum, qui Martyres inclyti, Cardinales, & religiosi exstiterunt, & sub quibus omnia Passagia ultramarina & citra, incæpta & facta fuerunt, continentur, cum correctione tamen Vestræ Sanctitatis præmissa sibi offero & præsento; quam Altissimus per longa tempora dirigat, & Ecclesiæ suæ sanctæ, ut opto, conservet, qui est benedictus, & summè urbanus in actibus suis per infinita seculorum secula. Amen.*

EXPLICIT PROOEMIUM.



Fran.^s Zugno i. Fran.^s Zucchi S.

AMALRICI AUGERII DE BITERRIS

ORDINIS S. AUGUSTINI &c.

ACTUS ROMANORUM PONTIFICUM.

Ad honorem & æternam memoriam Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Domini Urbani Divinâ Providentiâ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summi Pontificis incipit Liber, qui intitulatur Actus Romanorum Pontificum, computando à primo Papa usque ad Johannem Papam XXII. prout sequitur.



DEI Filius secundùm suam Divinitatem à Deo Patre est genitus, & à Sancto Spiritu in Provincia Galilææ, & in Civitate Nazaret fuit incarnatus, & secundùm suam Humanitatē ex Virgine Maria in Civitate Bethlehem, ut Lucas Evangelista attestatur, exstitit natus, & deinde in Papam fuit assumtus anno primo sextæ ætatis A hujus Mundi, & in principio ipsius, vel ab anno ab hujus Mundi Creatione quinque millibus & centum ac novem, Octaviano Imperatore tunc regnante, anno sui Imperii XLII. & anno Herodis Regis unde tricesimo secundùm Hieronymum, & alios Chronicarum auctores.

Item quòd ipse Dei Filius meritò fuit in Papam electus, nam cùm Deus Pater audiret cotidie clamorem Sanctorum Patrum, qui propter culpam nostrorum Protopatrum infra claustrum Inferi captivi detinebantur, & per consequens ipse videret perditionem sui Populi, propter boni pastoris *, qui ab hoste antiquo etiam quotidie decipiebatur, B & ab ipso occupabatur, & quòd lex sua per manum Moysi sibi data ab ipso Populo non observabatur: idcirco idem Deus Pater sua solita miseratione sic disposuit, & ordinavit, ut

ut pro dictorum Sanctorum Patrum captivorum redemtione, & nostræ salutis reparatione, Filius suus Unigenitus ex Beata Virgine Maria carnem assumeret, ut Populum suum, qui ambulabat in tenebris, de sua captivitate liberaret, & omnes alios, qui erant in isto Mundo, regeret & gubernaret. *Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël*.

Item quòd cùm de ipso Filio Dei hujus Mundi electio facta fuisset, apertè Deus Pater statim misit Angelum suum Gabrielem ad ipsam Virginem Mariam, ut istam electionem & promotionem Filii sui ex parte ipsius sibi denuntiare deberet. Unde cùm ipse Angelus Gabriel prædictam electionem & promotionem eidem Beatæ Mariæ denuntiasset, ideo confestim ipse Dei Filius in alvo ipsius Virginis à Spiritu Sancto exstitit incarnatus, prout prædictus Evangelista hoc attestatur sic dicens: *Missus est Angelus Gabriel &c.*

Item quòd cùm deinde ipse Dei Filius ex Maria Virgine gloriosa natus fuisset, statim in die suæ Nativitatis suam promotionem, & coronationem à Deo Patre sibi factas, universo Mundo, & maximè in partibus Orientalibus per suos Sanctos Angelos denuntiare fecit, & publicari juxta testimonium dicti Evangelistæ Lucæ, qui sic ait: *Annuntio vobis gaudium magnum &c.* Et rursum: *& facta est multitudo Angelorum canentium*; & etiam per stellam novam, & multa alia intersigna miraculosa, cujus auctoritate pariter & exemplo in cujuslibet Romani Pontificis assumtione Prior Diaconorum Cardinalium promotionem cujuslibet Romani Pontificis, & ejusdem nomen Populo ex officio suo denuntiare debet. Et postea ipse novus Romanus Pontifex omnibus Regibus Catholicis per speciales nuntios cum literis suis etiam hoc significare consuevit. Unde evidenter patet ex præmissis, quòd ipse Dei Filius verus Romanus Pontifex fuit & Papa primus. Quod quidem Paulus Apostolus attestatur, quando ait: *Christus assistens Pontifex &c.* Et postea ipse etiam alibi dixit ipsum esse *Episcopum animarum nostrarum*. Et ideo ipse propter suam promotionem multas gratias, & novitates miraculosas nobis fecit in hoc Mundo.

Item quòd in primo anno Nativitatis suæ secundùm Lucam Angelus in somnis Joseph apparuit, qui sibi denuntiavit, & dixit: *Surge & tolle puerum & Matrem ejus &c.* Cùm ipse Dei Filius tunc in Ægyptum intrasset, statim Idoli, qui tunc erant in Ægypto, prout Isaias Propheta prædixerat, cum templis suis, & Idolis omnes ex toto corruerunt, & judicio Divino in terram ceciderunt; & ipse postea Anno septimo suæ Nativitatis de Ægypto in Judæam rediit secundùm Historiographos auctores.

Item quòd ipse Jesus Christus, qui est Summus Pontifex, pro nobis mortem fuit passus Anno à Nativitate ipsius triginta & duobus annis integris secundùm Hieronymum, vel secundùm Chrysostomum dicitur XXXIII. annis completis & amplius, in quantum est à Nativitate Domini usque ad passionem ejus. Quod quidem tempus secundùm utramque opinionem dicitur de tribus, vel circa, & postea in Jerusalem ipse fuit sepultus, Tiberio Imperatore tunc regnante, & pro ipso in Jerusalem Pontio Pilato Locumtenente.

A

De Beato Petro.

PETRUS Jesu Christi Apostolus gloriosus, Andreæ Apostoli germanus, natione Galilæus & cujusdam Johannis nomine, de quodam vico, qui de Provincia Galilææ & Betsaida erat, secundùm carnem fuit filius, & primò in Apostolum fuit electus, & postea ante mortem suam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post suam assumtionem exstitit in Cathedra ab Apostolis exaltatus, & coronatus anno à Nativitate Domini Tricesimo secundo, vel tertio secundùm Hieronymum & Chrysostomum; nam ipsi præ aliis Apostolis major quàm alii erga Filium Dei

B

exstitit fidei fervor, quia, ut ait Augustinus, si ipse Christus in cœna sua proditorem suum nominasset, statim ipse Petrus eum trucidasset.

Item quòd ipse Beatus Petrus super mare ex fiducia propter Dominum ambulavit, & in Domini Transfiguratione, & puellæ suscitatione à Deo electus fuit. Staterem in ore piscis invenit. Claves Regni Cœlorum à Domino recepit. Pascendas oves à Christo suscepit. Tria millia hominum in festo Pentecostes sua prædicatione convertit. Ananiæ & Saphiræ mortem prædixit. Æneam paraliticum curavit. Cornelium baptizavit. Thebitum suscitavit. Umbrâ sui corporis multos

C

infirmos sanavit. Ab Herode Rege exstitit incarceratus, & ab Angelo liberatus. Qualis autem ejus fuerit cibus, vel indumentum fuerit, hæc in libro Clementis continentur, nam panem tantùm cum alliis & aceto cum oleribus continuò ipse comedebat, & indumenta ejus videlicet tunica & pallium tantùm erant de quodam vili panno.

Item fertur quòd ipse semper in sinu suo sudarium portabat, cum quo lacrymas de suis oculis fluentes abstergebat; nam quando de dulcedine allocutionis Domini nostri Jesu Christi, & de præsentia ipsius memor ipse erat, statim ipse præ nimia amoris dulcedine à lacrymis se continere non poterat, & sem-

D

per de nocte audito galli cantu ad orationem surgere consueverat, prout in libro Clementis Papæ pleniùs continetur.

Item quòd ipse fuit magnæ perfectionis secundùm quod dicit ipse Clemens, & etiam legitur in Ecclesiasticis Historiis, dum Antria uxor ejusdem Beati ad passionem seu ad mortem duceretur, tunc ingenti gaudio ipse exultavit, ac etiam proprio nomine eam clamavit & dixit: *o bona conjux & Deo devota de me memento, quando eris coram Christo.*

Item quòd Anno à Nativitate Domini XXXIV. & anno primo sui Pontificatus ipse Beatus Petrus ad partes Orientales venit, & postea per IV. annos continuos ibi Cathedram suam tenuit, & ibi Missam suam cele-

E

bravit secundùm Hieronymum & Chrysostomum.

Item quòd Anno à Nativitate Domini XLV. & anno undecimo sui Pontificatus idem Beatus Petrus apud Urbem Romanam suam Cathedram mutavit, & ibi eam tenuit per XXV. annos VII. menses & VIII. dies, Christi Evangelium prædicando. In qua Urbe duas Epistolas fecit, quæ Canonicæ appellantur. Et etiam ibi Evangelia Marci omnibus Ecclesiis transmisit, & ipsa publicavit, & postea in mense Septembri sex Episcopos, & decem Presbyteros ibi etiam ordinavit.

Item

Item quòd postea ibi ordinavit duos Episcopos speciales, videlicet Linum & Cletum, ut ipsi præsentialiter ad omne ministerium Sacerdotale in Urbe Romana populo superveniente se exhiberent, & ut etiam ipse Beatus Petrus Apostolus orationi, & prædicationi melius vacare posset.

Item quòd ipse Beatus Petrus imminente obitu suo Beatum Clementem Episcopum consecravit, & suum successorem sibi constituit, & eum Papam fecit, atque Cathedram, & Ecclesiam disponendam commisit, sibi dicens: *Sicut ipsa gubernanda, & tradita est mihi à Domino Jesu Christo potestas ligandi, & solvendi, ita Ego ipsam tibi committo.*

Item quòd ipse Beatus Petrus Apostolus statuit & ordinavit, quòd singulis annis ante Pascha Domini Quadragesimale Jejunium, & ante ipsius Natalem per tres hebdomadas, & quartam Feriam celebrarentur, & ab omni populo Christiano venerarentur, in commemorationem primi & secundi adventus Domini nostri Jesu Christi.

Item quòd ipse Beatus Petrus Apostolus post Ascensionem Domini diviserat, ordinaverat, & statuerat, ut omnes Apostoli, & Discipuli Jesu Christi irent per universum Mundum ad prædicandum ipsius Evangelium, juxta ejus mandatum, prout dicit Evangelista: *euntes docete omnes &c.* Et ideo ipsi Apostoli & Discipuli per diversas partes Mundi postea pro prædicando Dei Evangelio iverunt, & idem Beatus Petrus cum Paulo Apostolo in Urbe Romana remansit.

Item quòd Anno à Nativitate Domini Sexagesimo sexto, & anno sui Pontificatus vicesimo septimo, & septem mensibus, ipse Beatus Petrus ad Urbem Romanam in via Aureliana, III. Kal Julii pro Fide Christi fuit crucifixus, ac martyrio interfectus, & in gloria Dei Patris fuit coronatus juxta Palatium Neronis tunc Imperatoris, & in Vaticano sepultus fuit. In quo loco postea pro tempore à Fidelibus in honorem Beatæ Petronillæ virginis & filiæ ejus, quædam Ecclesia fuit ædificata, quæ usque ad præsentem diem sic est denominata.

De Beato Lino.

LINUS natione Italicus de Regione Tusciæ ex patre Esculano fuit natus, & post mortem Beati Petri Apostoli in Romanum Pontificem assumtus Anno à Nativitate Domini septuagesimo primo, secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur de sepruagesimo secundo.

Item dicitur, quòd iste Linus, & Cletus, qui sequitur, non fuerunt Romani Pontifices, sed ut Summi Pontificis Coadjutores fuerunt constituti, (*) quibus B. Petrus Apostolus, & cuilibet ipsorum tractatum rerum Ecclesiasticarum ad dispensationem tantùm commisit, ut ipse orationi, & prædicationi meliùs vacare posset, prout dictum est supra in Chronica sua. Et sic Papa Johannes primus sentire videtur in quadam Epistola Decretali, in qua inter cetera dicitur: *Clementem verò ipse Beatus Petrus Apostolus sibi constituit successorem.* Et hoc etiam approbat Damasius in quadam Chronica sua, quæ ad Beatum dirigitur Hieronymum.

Item legitur aliter in quadam Epistola Beati Jacobi Hierosolymitani Episcopi; quòd ideo Linus & Cletus ante Beatum Clementem supradictum in numero Romanorum Pontificum conscribuntur pro eo quod ab ipso Beato Petro ad ministerium Sacerdotale exhibendum tantùm Episcopi fuerunt ordinati. Veruntamen in pluribus aliis Chronicis legitur, quòd ideo Beatus Clemens prædictos Linum & Cletum coëgit ad regendam Ecclesiam Romanam, ne hujusmodi Beati Petri ordinatio posteris transiret in vitium, atque contemtum. Ideo sic iste Clemens fuit primus Papa post Beatum Petrum Apostolum per electionem, sed tertius ipse Papa fuit per modum, seu gradum supradictum.

Item quòd ipse Beatus Linus Papa ex præcepto Beati Petri Apostoli, dum ipse vivebat, constituit & ordinavit, ut mulier in Ecclesiam intrare volens, caput suum cum velo coopertum habens dumtaxat ipsa intraret, aliàs ipsa ingredi permitti non deberet, ne status mulierum in capite ab hominibus videretur propter ipsarum concupiscentiam, & hominis ardorem.

Item quòd ipse Beatus Linus Actus Apostolorum Petri & Pauli in Græco & Latino sermone fideliter conscripsit, seu conscribi fecit, & postea per universas Ecclesias Orientales hujusmodi Actus Apostolorum transmisit, & in omnibus Ecclesiis ipsos Actus publicari fecit, & ideo propter merita ipsius Beati Lini in secunda Epistola Pauli ad Timotheum, & in Ecclesiastica Historia quinto libro & sexto Capitulo de ipso fit mentio expressa.

Item cùm ipse Beatus Linus propter merita sua dæmones cotidie effugasset, & plures & diversos mortuos suscitasset, & innumerabilia miracula aliàs fecisset, multosque errantes ab erroribus revocasset, & infinitos baptizasset, ac filiam Saturnini Consulis Urbis Romæ à dæmone liberasset, ideo ipse Saturninus ipsum Linum instinctu diaboli captivavit, & incarceravit, credens quòd omnia præmissa artibus magicis fecisset. Quare ipsum Beatum Linum diversis pœnis affligi, & finaliter decollari fecit, & sic ipse martyrio fuit coronatus.

Item quòd ipse Linus hujusmodi martyrio coram Deo coronatus juxta sepulcrum Beati Petri Apostoli sepultus fuit in Vaticano Urbis Romæ Anno à Nativitate Domini Octuagesimo primo secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur de Octuagesimo secundo. Et postmodum à Gregorio Ostiensi Episcopo cum multa Cleri, & Populi solemnitate corpus ejus in Civitatem Ostiensem fuit deportatum, & deinde in Ecclesia Majori Sancti Laurentii reconditum fuit atque commendatum.

Item quòd ipse Linus secundùm unam Chronicam in Apostolatus officio solicitè & devotè cum magna diligentia & tribulatione pro regimine universalis Ecclesiæ ipsum rexit undecim annis, & mensibus tribus, & XIII. diebus, sed secundùm Chronicam Damasii Papæ non regnavit, nisi duodecim annis, & undecim mensibus, Galba Imperatore tunc regnante.

De

(*) Quod hìc & col. 31. innuitur, repugnat Ecclesiæ testimonio, quæ Sanctos Linum & Cletum, ut veros legitimosque Pontifices semper coluit, idemque ex Cathalogis antiquissimis comprobatur.

De Beato Cleto.

CLETUS natione Romanus de regione Vico Patricio, ex patre Æmiliano fuit natus, & in Romanum Pontificem assumtus extitit, & post B. Petrum Apostolum fuit Papa secundus, Anno à Nativitate Domini Octuagesimo secundo secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur de Octuagesimo tantùm. A

Item quòd ipse Cletus ex præcepto Beati Petri Apostoli dum vivebat, in mense Septembris pro salute Fidelium, & ipsius adjutorio in Urbe Romana quindecim Presbyteros statuit, & ordinavit.

Item quòd ipse Cletus statuit & ordinavit, quòd in principio Literarum suarum scriptores B sui ante facti narrationem ponere deberent istam clausulam quæ sequitur: *Salutem & Apostolicam benedictionem &c.*

Item quòd ipse Beatus Cletus scripsit, commendavit, & approbavit omnes peregrinationes, quæ cotidie fiunt apud Sanctuaria Sanctorum, Templa Urbis Romæ, & maximè Ecclesiarum Sanctorum Petri & Pauli, qui sunt magni meriti apud Deum in tantum, prout ipse asserit & dicit, quòd validior est ad Fidelium salutem S. Petri Apostoli de Urbe Romana visitatio, quàm duorum annorum cujuslibet fidelis jejunatio. Et ideo omnes & singulas tales peregrinationes prædictorum Sanctuariorum, & præsertim Ecclesias Apostolo- C rum Petri & Pauli visitantes, impedientes, ex parte Dei omnipotentis ipsos solempniter excommunicavit & anathematizavit.

Item quòd Anno à Nativitate Domini Nonagesimo secundo secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur de Nonagesimo tertio, VI. Kal. Maji ipse B. Cletus martyrio pro Fide Christi fuit coronatus, & in Cœmeterio juxta Sepulcrum B. Petri Apostoli fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam annis undecim, & diebus undecim secundùm Chronicam Martini, & secundùm aliam dicitur de novem annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica triginta diebus, aliàs dicitur de viginti.

De Beato Clemente Primo. D

CLEMENS Primus natione Romanus, & de regione Cœlii Montis, ex patre Faustino progenitus fuit, & pro Romano Pontifice exstitit habitus, & receptus immediatè post mortem Lini supradicti, & sic computatur Papa post Beatum Petrum Apostolum tertius Anno à Nativitate Domini Nonagesimo.

Item quòd iste Beatus Clemens fuit ille, cui Beatus Petrus Apostolus, imminente obitu suo, claves Ecclesiæ, quas Jesus Christus Filius Dei sibi tradiderat, commisit in præsentia Fratrum suorum, & ipsum Episcopum Urbis Romæ fecit, & consecravit, sive immediatum constituit successorem suum, prout legitur, & dictum fuit in Chronica E sua.

Item quòd ipse Beatus Clemens per diversas regiones, multos, & solemnes Ecclesiæ Doctores ad plures & diversas regiones pro Fide Christi exaltanda transmisit, videlicet Beatum Photinum apud Lugdunum, & Beatum Paulum apud Narbonam, & Beatum Gratianum apud Turonensem Civitatem, & deinde magnum Areopagitam Dionysium Pauli Apostoli Discipulum & comitem apud Parisius destinavit, qui pro Christi amore unà cum Rustico suo Presbytero, & Eleutherio Diacono ibi interfecti fuerunt.

Item quòd ipse Beatus Clemens statuit, & ordinavit septem Notarios Fidei orthodoxos Deo fideles, & omnes Urbis Regiones in septem partes eis divisit, & quamlibet Regionem de ipsis cuilibet ipsorum in solidum assignavit. Qui gesta omnium Martyrum fideliter, & curiosè unusquisque diligenter perquirere, & scribere deberent, & quòd de omnibus ipsorum Martyrum gestis, & aliorum Sanctorum per ordinem copiam in scriptis sibi fideliter reportarent.

Item quòd ante promotionem ipsius Beati Clementis nullus Canon in Missa dicebatur; ideo ipse ad honorem & gloriam Dei, & ejus Matris, Apostolorum, Martyrum, & aliorum Sanctorum statuit ipse, & ordinavit exordium, seu Canonem Missæ, qui incipit: *Te igitur clementissime Pater &c.* ut quilibet Presbyter Missam celebrans, post canticum Angelorum, videlicet *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* submissa voce legere, & proferre deberet.

Item quòd cùm omnes Episcopi locum Apostolorum in Dei Ecclesia tenere censeantur, ideo ipse Clemens statuit & ordinavit, quòd in qualibet Ecclesia Cathedrali una Cathedra in altiori & eminentiori loco statui, & poni debeat, in qua Episcopus stans vel sedens, omnes in ipsa Ecclesia existentes ipse circumspicere valeat, & ab omnibus ipse videri possit.

Item quòd ipse Beatus Clemens statuit & ordinavit, quòd quilibet puer baptizatus citius quod poterit, à suo Episcopo in forma Ecclesiæ confirmari se faciat. Nam talis puer aliter perfectus Christianus censeri non deberet, nisi ipse puer legitimè esset excusatus. Et postea plures Ordinationes, & multos Libros pro salute Fidelium ipse scripsit atque compilavit.

Item quòd Anno à Nativitate Domini Centesimo secundo, prout in quadam Chronica invenitur, idem Beatus Clemens Papa à Trajano Imperatore pro Christi amore in mare fuit projectus, & tandem ibi martyrio fuit coronatus, & postea apud Romam tempore Nicolai Papæ Primi, per ipsum, & Clerum, & Populum Romanum Corpus ejus honorificè fuit reconditum, atque recommendatum.

Item quòd ipse Beatus Clemens rexit Ecclesiam novem annis, & duobus mensibus, & decem diebus secundùm Chronicam Damasii Papæ, Martini, & Eusebii Cæsariensis Episcopi; sed secundùm Chronicam Beati Hieronymi Presbyteri dicitur de octo annis, & tunc vacavit Sedes Apostolica per triginta dies, Domitiano Imperatore tunc regnante.

De Beato Anacleto.

ANACLETUS natione Græcus, & de Athenis ex patre Antiocho fuit natus, & in Romanum Pontificem post Clementem Papam Primum exstitit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa Quartus Anno à Nativitate Domini Centesimo primo.

Item quòd iste Beatus Anacletus Papa in memoriam, & reverentiam Beati Petri Apostoli, suum Sepulcrum honorificè construi fecit, & postea alia certa loca honorificè ædificari fecit, in quibus Episcopi defuncti ob reverentiam Episcopalis dignitatis apud Urbem Romanam tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, & recondi deberent.

Item quòd iste Anacletus statuit & ordinavit,

vit, quòd nullus Clericus de cetero nullam comam longam, neque barbam nisi rasam in capite suo præsumeret deportare, & per consequens omnibus Christifidelibus mandavit, ut Presbyteri ob reverentiam Dei, & eorum Ordinis, præ ceteris ab ipsis honorarentur, dicens, quòd Presbyteri Deo sacrificantes ab aliquo non vexari, sed ipsi comportari, atque ab omnibus ubique venerari deberent, & quòd ipsi Presbyteri quando sacrificare voluerint testes idoneos secum habeant, maximè Episcopi, ut Deo perfectè sacrificare probentur.

Item quòd ipse post multos agones & persecutiones, tempore Trajani Imperatoris pro Fide Christi martyrio fuit interfectus, & in Paradiso Cœlesti à Deo fuit coronatus, & rexit Ecclesiam annis novem & mensibus duobus, & decem diebus.

Item quòd ipse Beatus Anacletus fuit apud Romam sepultus juxta corpus Beati Petri Apostoli III. Idus mensis Julii, aliàs XVI. Kal. Maji, Anno à Nativitate Domini CX. secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur de Undecimo, & tunc vacavit Sedes Apostolica XIII. diebus Trajano Imperatore tunc regnante.

De Beato Evaristo.

EVARISTUS natione Græcus, ex patre Judæo, nomine Juda de Civitate Bethlehem oriundus, & post dictum Anacletum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa quintus Anno à Nativitate Domini CXI.

Item quòd iste Evaristus in Urbe Romana titulos Presbyteris divisit, & septem Diaconos ibi constituit, qui Episcopum prædicantem custodirent propter titulum erroris, qui falsò posset imponi Episcopo prædicanti ab æmulis suis, & alios Episcopos sic diffamari ab insidiatoribus suis, & verbis divinis detrahi posset.

Item quòd iste Evaristus statuit, & ordinavit, ut conjuges de novo à suis parentibus publicè spondeantur, & postea à Sacerdote ipsi solemniter benedicantur & conjungantur.

Item quòd iste Evaristus pro Christi Fide post multas tribulationes & persecutiones martyrio fuit interfectus, & à Deo in sua gloria fuit coronatus, & in Vaticano Urbis Romæ juxta corpus Beati Petri Apostoli exstitit sepultus, septimo Kal. Novembris anno sui Pontificatus XI. & Anno à Nativitate Domini CXXI.

Item quòd iste Evaristus rexit Ecclesiam annis decem, & septem mensibus, & duobus diebus secundùm unam Chronicam, & secundùm illam Damasii dicitur, quòd sedit annis novem, sex mensibus, & duobus diebus, & secundùm Hieronymum decem annis dumtaxat. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per decem & octo dies, Trajano Imperatore tunc regnante.

De Beato Alexandro.

ALEXANDER primus, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput-Tauri fuit, & ætate quidem juvenis, sed mente decorus, post dictum Evaristum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa sextus Anno à Nativitate Domini CXXI.

Item, quòd iste Alexander statuit & ordinavit, Aquam aspersionis à Sacerdotibus in Ecclesia cum sale benedici, & in habitaculis hominum propter effugandos Dæmones ipsam Aquam Benedictam aspergi.

Item quòd ipse etiam statuit & ordinavit, & in Canone Missæ addidit: *qui pridie quàm pateretur*, usque ibi quando dicitur: *Hoc est Corpus meum*, in memoriam Christi passionis.

Item quòd idem Alexander statuit & ordinavit, ut Aqua Vino misceretur ad Missam, ad figurandum & ostendendum unionem, quæ est inter Christum & Ecclesiam, & quòd oblatio Hostiæ fieret de azymo, & in modica quantitate, dicens, quòd hæc oblatio quanto est rarior, tanto est minor.

Item quòd iste Alexander post multas persecutiones, & tribulationes à Præfecto Urbis Romæ sub Adriano Imperatore in carcere fuit positus, & tandem martyrio fuit interfectus, & in gloria cœlesti exstitit à Deo coronatus V. Nonas Maji Anno à Nativitate Domini CXXIX.

Item quòd ipse Alexander postea in Via Nomentana fuit sepultus, & deinde in Ecclesiam Sanctæ Sabinæ Urbis Romæ fuit translatus. Qui quidem rexit Ecclesiam octo annis, quinque mensibus, & duobus diebus, secundùm aliquos Chronicarum Auctores, & secundùm Chronicam Damasii Papæ dicitur, quod rexit Ecclesiam decem annis dumtaxat. Et vacavit tunc Sedes Apostolica triginta & quinque diebus, prædicto Adriano Imperatore tunc regnante.

De Beato Sixto primo.

SIXTUS primus natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Via-lata, filius fuit, & post dictum Alexandrum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa VII. Anno à Nativitate Domini CXXIX.

Item quòd iste Sixtus Papa statuit & ordinavit, ut post Præfationem Missæ diceretur illud Canticum Angelorum, quod incipit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, & quod sacra mysteria ab aliquo non tangerentur nisi à Ministris, & ut Corporale, supra quod ponitur Hostia, & Calix, non fieret de cetero de serico, sed tantùm de purissimo lino contexto, & non tincto; & ut mulier vasa sacra Altaris, nec etiam pallas, de cetero tangere non præsumeret.

Item quòd iste Sixtus statuit, & ordinavit, ut quicumque Episcoporum ad Sedem Apostolicam fuisset vocatus, quòd ad suam Ecclesiam non præsumeret redire, nec ibi à suis subditis recipi deberet nisi Literas Apostolicas testimoniales super hoc ipse haberet, seu reportaret.

Item quòd ipse Beatus Sixtus post multas, & diversas tribulationes & persecutiones pro Christi Fide extra Portam Appiam, ubi Dominus Petro apparuit, in loco qui vocatur: *Domine quò vadis*, fuit decollatus, & in Vaticano Urbis Romæ juxta Corpus Beati Petri Apostoli, tertio Nonas Aprilis exstitit sepultus. Qui quidem Sixtus rexit Ecclesiam decem annis, & tribus mensibus, & viginti uno diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per duos dies, prædicto Adriano Imperatore tunc regnante.

De Beato Telesphoro.

TELESPHORUS natione Græcus natus, filius Anachoretæ, post dictum Sixtum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum exstitit Papa VIII. Anno à Nativitate Domini CXXXIX.

Item quòd iste Telesphorus Papa statuit, & ordinavit, ut per VII. hebdomadas ante Pascha Domini jejunium ab omnibus, & maximè Clericis, singulis annis celebretur, quibus hoc fieri præcepit, & dixit quia sicut discreta debet esse conversatio inter Clericos & Laicos, ita & jejunium ipsorum debet esse discretum inter eos.

Item quòd ipse Telesphorus etiam statuit, & ordinavit quòd nullus ante Tertiam, Missam cantare præsumeret, & hymnum Angelicum in certis diebus, & in festivitate in principio Missæ decantare deberet, videlicet: *Gloria in Excelsis Deo &c.*

Item quòd ipse statuit, & ordinavit, quòd semper in nocte Nativitatis Domini tres Missæ per ordinem cum dicto hymno Angelico: *Gloria in Excelsis Deo*, debeant decantari, videlicet prima Missa in Galli cantu, idest in medio ipsius noctis, in cujus hora Christus in Bethleem dignatus est nasci, & secunda Missa aurorâ illucente, quia tunc Christus Dei Filius in cunabulis à Pastoribus fuit adoratus, & tertia Missa in ipso die Nativitatis horâ tertiâ, quia illuxit nobis Redemtio nostra.

Item quòd iste Telesphorus post multos agones, & persecutiones pro nomine Christi apud Urbem Romanam martyrio fuit interfectus, & in Cœlo à Dei Filio coronatus tertio Nonas mensis Januarii secundùm Chronicam Beati Damasii Papæ, & in Vaticano juxta corpus Beati Petri Apostoli exstitit sepultus.

Item quòd ipse sedit in suo Episcopatu XI. annis, mensibus tribus, & XXII. diebus secundùm Chronicam Martini, sed in Chronica Damasii Papæ scribitur decem annis, mensibus tribus, & XXII. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica IIII. diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam septem diebus, Adriano Imperatore tunc regnante.

De Beato Hygino.

HYGINUS, qui in aliquibus libris nominatur .... natione Græcus à quodam Philosopho de Athenis fuit procreatus, cujus genealogia non invenitur, post dictum Telesphorum Papam in Romanum Pontificem assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa IX. Anno à Nativitate Domini CL.

Item quòd iste Hyginus in Ecclesia Dei statutum Clericorum per ordinem composuit, & gradus ipsius Cleri etiam distribuit, atque distinxit, & quòd in Baptismo, nec in frontis Confirmatione, catechizatione, nisi unus Patrinus, vel Patrina existere de cetero non præsumat.

Item quòd ipse scripsit, dictavit, publicavit quamdam pulcram Epistolam de Trinitate, & de Incarnatione Filii Dei, plenam Fidem Catholicam continentem.

Item quòd idem Hyginus etiam statuit, &

A ordinavit, quòd excepto Romano Pontifice nullus Metropolitanus de cetero audeat causam Episcoporum criminalem suæ Provinciæ, nec aliquem ipsorum super hoc condemnare, nisi in conspectu Episcoporum comprovincialium suorum præsumat, & hoc, quando fuerit ventilata, & discussa hujusmodi causa.

Item quòd ipse Hyginus post multas persecutiones sui corporis, & tribulationes pro Dei amore martyrio fuit interfectus, & à Deo in sua gloria fuit coronatus tertio Idus mensis Januarii, & in Ecclesia Beati Petri Apostoli Urbis Romæ fuit sepultus, qui quidem rexit Ecclesiam quatuor annis, tribus mensibus, & sex diebus, & vacavit tunc Sedes Apostolica tribus diebus, Antonino Pio
B tunc Imperatore regnante.

De Beato Pio.

PIUS natione Italicus ex patre Rufino filius, fratre Pastoris, de Civitate Aquileja fuit naturalis, seu oriundus, post dictum Hyginum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa X. Anno à Nativitate Domini CLV.

Item quòd iste Pius fecit quinque ordinationes. Quòd Judæos de novo ad Fidem Catholicam conversos, recipi præcepit. Et ordinavit etiam, ut quòd de cetero in die Dominico Festum Paschæ Domini ab omnibus
C celebrari deberet.

Item quòd ipse Pius Papa post multos agones, & persecutiones fuit pro Christi nomine interfectus, & in cœlesti gloria exstitit coronatus tertio Idus Januarii secundùm quosdam Auctores, sed secundùm alios pridie Idus Julii, & apud Urbem Romanam in Vaticano ibi juxta Corpus Beati Petri Apostoli fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam undecim annis, & quatuor mensibus, & viginti duobus diebus secundùm Chronicam Damasii Papæ, & Martini, sed in quadam alia Chronica dicitur tantùm de novem annis. Et vacavit Sedes Apostolica viginti quatuor diebus.
D

De Beato Aniceto.

ANICETUS natione Syrus ex patre Johanne de Vico Muranel Umisa, alibi ascribitur de Vico Avisa filius, post dictum Pium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa undecimus Anno à Nativitate Domini CLXV.

Item quòd ipse Anicetus statuit, & ordinavit, ut nullus Clericus de cetero mutaret comam, nec barbam, sed secundùm præceptum Beati Petri Apostoli omnes Clerici in modum Spiræ desuper caput coronam deportare
E tenerentur.

Item quòd ipse Anicetus statuit, & ordinavit, ut si aliquis contra suum Archiepiscopum causam haberet, quod sibi super hoc non deferret, sed ab eo ad primum Archiepiscopum, vel ad Papam recursum habeat.

Item quòd ipse Anicetus statuit, & ordinavit, ut quilibet Episcoporum à tribus Episcopis ad minus de cetero consecretur. Si autem Archiepiscopus fuerit consecrandus, quòd tunc omnes sui provinciales Episcopi adesse teneantur. Nam pro ut Episcopi tenentur sibi obedire, sic etiam in sua consecratione ipsi debent interesse.

Item

Item quòd ipse Anicetus post multas tribulationes, & persecutiones pro Fide Christi fuit interfectus martyrio XII. Kal. Maji, & apud Urbem Romanam in Via Appia in Cœmeterio Calixti exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam XI. annis, mensibus tribus, & quatuor diebus. In Historia autem Scholastica scribitur XI. annis, & secundùm unam Chronicam vacavit Sedes Apostolica per XV. dies, & per quamdam aliam Chronicam dicitur de XXIV. diebus.

De Sotero.

SOTER natione Campanus, ex patre Concordio natus, & de Civitate Fundana exstitit oriundus, & post Beatum Anicetum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum exstitit Papa XII. Anno à Nativitate Domini CLXXV. aliàs dicitur de quarto.

Item quòd iste Soter statuit, & ordinavit ut de cetero nulla Monacha pallas tangere sacras præsumat, nec incensum ponere, seu dare in Ecclesia audeat, & quòd quælibet Monialis in capite suo velum gestare teneatur.

Item quòd ipse Soter statuit, & ordinavit, ut uxor desponsata pro legitima uxore non habeatur, neque ab Ecclesia reputetur, nisi ipsa primo à paranymphis Ecclesiæ fuerit tradita, & à parentibus solemniter exstiterit viro suo tradita & concessa, & per Sacerdotem benedicta, propter multa pericula, quæ super talibus frequenter fieri contingebat.

Item quòd ipse Soter Papa post multas tribulationes, & persecutiones martyrio pro Christi Fide interfectus exstitit, & in cœlesti gloria à Deo fuit coronatus X Kal. Martii, & in Vaticano secundùm Martini Chronicam, sed secundùm Chronicam Damasii Papæ in Via Appia in cœmeterio Calixti in Ecclesia Sancti Petri Apostoli Urbis Romæ exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam annis novem, & VII. mensibus, & viginti & uno diebus secundùm unam Chronicam; & secundùm Chronicam Hieronymi dicitur de octo annis dumtaxat. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per viginti & duos dies, Marco Antonino Imperatore tunc regnante.

De Beato Eleutherio.

ELEUTHERIUS natione Græcus, & ex Patre Abundio de Oppido Nicopolis fuit natus, & post dictum Soterum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XIII. Anno à Nativitate Domini CLXXXV.

Item quòd ipse Eleutherius fecit baptizari Lucium Regem Angliæ, qui tunc regnabat cum omnibus gentibus suis, & postmodum ibi Sedes Metropolitanas & Episcopales statuit & ordinavit.

Item quòd ipse Eleutherius Papa statuit, & ordinavit, ut nullus Clericus de cetero à suo gradu privaretur, seu dejiceretur, nisi ipse primò fuisset accusatus, & legitimè convictus, prout Dei Filius suum tunc Apostolum, quem latronem, & proditorem bene sciebat, à suo gradu non privavit, quia non fuit accusatus, immo quidquid ipse fecit antea inter alios Apostolos, ratum fuit & remansit.

Item quòd ipse Eleutherius Papa statuit, & ordinavit, quòd pendente causâ in judicio contra aliquem accusatum, contra ipsum non vocatum in ipsius absentia nulla difinitiva sententia depositionis proferatur.

Item quòd ipse Eleutherius Papa post multas tribulationes, & persecutiones, martyrio fuit interfectus, & in Cœlo à Deo fuit coronatus, & in Vaticano Urbis Romæ apud Sanctum Petrum VII Kal. Junii exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam XV. annis, & sex mensibus ac quinque diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica sex diebus, Commodo Imperatore tunc regnante.

De Beato Victore primo.

VICTOR Primus fuit natione Græcus secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Martini, & Damasii, exstitit natione Afer, & ex Patre Felice fuit natus, & post dictum Eleutherium in Romanum Pontificem fuit assumptus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XIV.

Item quòd ipse Victor statuit, & ordinavit, Sanctum Pascha Domini in die Dominica celebrari, & pro certo termino paschali ordinando ad requisitionem, & supplicationem Sacerdotum apud Alexandriam Palæstinæ Concilium Generale celebravit, & ibi statuit, & ordinavit.

Item quòd ipse Victor statuit, & ordinavit, ut imminente periculo, vel necessitate, quilibet baptizandus seu in flumine, seu in fontibus, sive in mari, secundùm formam Ecclesiæ ipse baptizare debeat, atque possit.

Item quòd ipse Victor Papa post multos Agones, & persecutiones martyrio fuit interfectus, & à Deo in sua gloria feliciter coronatus, & in Vaticano Urbis Romæ apud Sanctum Petrum fuit sepultus XII. Kal. Maji. Qui quidem rexit Ecclesiam decem annis, & duobus mensibus, & decem diebus, & tunc vacavit Sedes Apostolica per duodecim dies, Severo Imperatore tunc regnante.

De Zephyrino.

ZEPHYRINUS natione Romanus, & ex patre Abundio fuit natus, & post Beatum Victorem Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XV. Anno à Nativitate Domini CCIX.

Item quòd iste Papa Zephyrinus in præsentia Clericorum, & Laycorum fidelium statuit, & ordinavit, ut omnes Christiani ætatis duodecim annorum, Eucharistiam Domini in die sancto Paschæ devotè recipere tenerentur; & quòd de cetero omnia vasa Altaris essent vitrea, vel de puro vitro facti, vel de stanno, non tamen de fusta, prout antea erat fieri consuetum.

Item quòd ipse Zephyrinus Papa statuit, & ordinavit, ut de cetero nullus Patriarcha, vel Primas, vel Metropolitanus contra aliquem Episcopum sibi subjectum accusatum, seu delatum, absque licentia Sedis Apostolicæ specialiter procedere, neque aliquam sententiam contra ipsum de cetero proferre præsumat.

Item quòd ipse Beatus Zephyrinus statuit, & ordinavit, ut ordinationes seu promotiones Presbyterorum, Levitarum, & aliorum ordinum, de cetero ab aliquo Episcopo non fiant

fiant, nisi in diebus à Sede Apostolica deputatis, & designatis; & quòd hujusmodi ordinationes, seu promotiones fiant solemniter multis adstantibus, & de viris doctis & bene probatis.

Item quòd ipse Zephyrinus post multas tribulationes, & persecutiones, & labores migravit ad Christum, & in Cœmeterio suo juxta Cœmeterium Callixti in via Appia fuit sepultus VII. Kal. Septembris. Qui quidem rexit Ecclesiam novem annis, & decem mensibus, & decem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica VI. diebus, Severo Imperatore tunc regnante.

De Beato Callisto.

CALLISTUS Primus natione Romanus, ex patre Demetrio de Regione Ravenna fuit natus, & in Romanum Pontificem exstitit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XVI. Anno à Nativitate Domini CCXVIII.

Item quòd ipse Callistus constituit, & ordinavit Jejunia Quatuor Temporum singulis annis ab omnibus Christi fidelibus celebrari; & Basilicam Sanctæ Mariæ Transtiberim fecit ædificare; & in Via Appia Cœmeterium statuit, ubi multi Sacerdotes, & Martyres in Christo requiescunt: Quod quidem Cœmeterium Callisti communiter nuncupatur.

Item quòd iste Callistus post multas tribulationes, & persecutiones martyrio fuit interfectus, & à Deo in sua gloria coronatus, & in proprio Cœmeterio suo supradicto fuit sepultus pridie Idus Octobris. Qui quidem rexit Ecclesiam Romanam quinque annis, mensibus duobus, & decem diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam Chronicam Beati Hieronymi non sedit nisi quinque annis; & secundùm Chronicam Damasii dicitur ibi quòd sex annis. Et vacavit tunc Sedes Apostolica sex diebus, Macrino Imperatore tunc regnante.

De Beato Urbano.

URBANUS Primus, natione Romanus, ex patre Pontiano, de Regione Vialata fuit natus, & in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa decimus septimus, Anno à Nativitate Domini Ducentesimo & Vicesimo Tertio.

Item quòd tempore ipsius Beati Urbani incœpit Romana Ecclesia prædia, & possessiones recipere, & habere, de quibus ipse Urbanus Clericis, & Notariis, qui Martyrum gesta conscribebant, providebat; nam antea Romani Pontifices ad instar Apostolorum pecuniam dumtaxat pro egenorum provisione recipiebant.

Item quòd iste Urbanus statuit, & ordinavit, quòd omnia vasa pro servitio divino reputata, de cetero benedici, & consecrari deberent. Qui quidem Urbanus fuit ille, qui doctrinis, & exemplis tempore suo multos ad Christum convertit, & baptizavit, & deinde per sua merita multi amore Dei fuerunt coronati: inter quos unus ex eis fuit nobilissimus Valerianus sponsus Beatæ Cæciliæ Virginis, & Tiburtius frater suus.

A Item quòd ipse Urbanus fuit de genere valde nobili, & ab infantia sua fideliter Christianus, & virtute abstinentiæ, & castitatis summæ fuit ornatus, qui persecutione tunc contra Ecclesiam, & Ecclesiasticas personas valde sæviente iste Urbanus Beato Callixto in dignitate Papatus successit, & officium suæ dignitatis accepit.

Item quòd iste Urbanus, dum prædicationi, & baptizationi continuè insisteret pro Dei amore, quadam die ab Alexandro Imperatore fuit captus, detentus, & incarceratus, & post multos agones, & persecutiones capite fuit truncatus, & postea cum Valeriano sponso Cæciliæ Virginis, & Tiburtio fratre

B suo, & maximè in uno loco sepulti fuerunt VIII. Kal. Junii, Anno à Nativitate Domini CCXXX. Qui quidem rexit Ecclesiam octo annis, XI. mensibus, & XVI. diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Hieronymi scribitur de annis novem, & in Chronica Damasii de annis IV. Et vacavit tunc Sedes Apostolica per XXX. dies, dicto Alexandro tunc Imperatore regnante.

De Pontiano.

PONTIANUS natione Romanus, & ex Patre Calphurnio in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XVIII. Anno à Nativi-

C tate Domini CCXXXI.

Item quòd ipse Pontianus Papa statuit, & ordinavit, ut de cetero in omnibus Horis Canonicis tam diurnis, quàm nocturnis per omnes Ecclesias Psalmi Psalterii cum hymno Trinitatis videlicet: *Gloria Patri, & Filio &c.* ad Dei gloriam à Clericis legi, & decantari deberent.

Item quòd ipse Pontianus statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Presbyter Missam præsumeret decantare, seu celebrare, nisi prius suam confessionem publicè, & ante Altare in præsentia omnium assistentium ipse faceret humiliter, & devotè.

D Item quòd ipse Pontianus post multas tribulationes, & persecutiones ab Alexandro Imperatore pro Fidei defensione in Insulam Sardiniæ perpetuò fuit relegatus, & ibi martyrio fuit coram Deo coronatus, tertio Kal. Novembris secundùm Chronicam Damasii Papæ. Sed postmodum à Beato Fabiano cum quodam navigio per mare apud Romam fuit adductus, & per eum in Cœmeterio Callixti in Via Appia exstitit sepultus, cujus quidem translationis memoria tertio decimo Kal. Decembris ibi celebratur.

Item quòd iste Pontianus rexit Ecclesiam quinque annis, duobus mensibus, & duobus diebus; sed in Chronica Damasii Papæ dici-

E tur de novem annis, quinque mensibus, & duobus diebus, & in Chronica Hieronymi dicitur de quinque annis dumtaxat. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus, Alexandro Imperatore tunc regnante.

De Ciriaco.

CIRIACUS Papa natione Britannicus in Romanorum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa decimus nonus secundùm multas opiniones, Anno à Nativitate Domini CCXXXV. (*)

Item sciendum est, quòd de Beato Ciriaco Papa

(*) *Somnium est quidquid de Ciriaco Papa heic legitur.*

A Papa legitur, & hic ponitur in numero Romanorum Pontificum, secundùm Chronicam Martini, sed secundùm Chronicam Damasii, Hieronymi, Isidori, & plurimorum aliorum nulla ejus mentio fit. Immo legitur de isto Beato Ciriaco, quòd ipse renunciavit contra Cleri voluntatem, & sibi substituit Antherum, & ideo ipse Ciriacus non ponitur in Catalogo aliorum Romanorum Pontificum per Chronicarum Auctores.

Item quòd ipse Beatus Ciriacus post multas tribulationes, & persecutiones finaliter migravit ad Christum, & ab eo in sua gloria coronatus exstitit. Qui quidem rexit Ecclesiam per unum annum & tres menses.

B

De Anthero.

ANTHERUS, natione Græcus ex patre Romulo in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa vicesimus, Anno à Nativitate Domini CCXXXVII.

Item quòd iste Antherus Papa statuit & ordinavit, quòd omnia gesta, & passiones Martyrum à certis & fidelibus Notariis scriberentur, & in Ecclesiis legerentur. Et quòd Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati, nisi necessitatis vel utilitatis causâ de Ecclesia ad aliam Ecclesiam transferri non possent, neque mutari, sinè licentia speciali Sedis Apostolicæ.

C

Item quòd ipse Antherus secundùm Chronicam Martini rexit Ecclesiam tribus annis & uno mense, & quindecim diebus. In quadam alia Chronica dicitur de uno anno tantùm; in Chronica autem Damasii Papæ scribitur de duódecim annis & uno mense, & duodecim diebus; in Chronica verò Hieronymi scribitur de uno mense tantùm, & in Martyrologio Usuardi dicitur de duobus annis dumtaxat.

Item quòd iste Beatus Antherus post multos agones, & persecutiones sub Maximiano Imperatore martyrio fuit interfectus, & in cœlesti gloria à Deo coronatus, & in Cœmeterio Callixti in Via Appia fuit sepultus tertio Nonas Januarii. Et tunc vacavit Sedes Apostolica septem diebus.

D

De Fabiano.

FABIANUS, natione Romanus ex patre Fabio de regione Cœlii Montis natus fuit, & post dictum Antherum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXI. Anno à Nativitate Domini CCXL., secundùm Chronicam Martini, sed secundùm aliam Chronicam dicitur de triginta octo annis.

E

Item quòd quum iste Fabianus quadam die de quodam loco cum quibusdam amicis suis, Papa Romano defuncto, ad Urbem Romanam reverteretur, & postea ipse pro audiendo nova de electione novi Romani Pontificis accessisset ad locum, ubi Populus erat. qui Papæ electionem, & hujusmodi rei exitum exspectabat, tunc subitò omnibus de ipso Populo videntibus, quædam columba candida de Cœlo descendit, & super caput ipsius se posuit, dicens: *Tu Romæ Episcopus ordinaberis*. Et sic iste Beatus Fabianus statim divinitus in Papam à Cardinalibus fuit electus.

Item quòd iste Fabianus statuit & ordinavit septem Diaconos probatæ vitæ & conversationis, qui cum septem Notariis fidelibus per septem Regiones ire deberent; quas dictus Fabianus ipsis Diaconibus dimisit & assignavit, ut omnia gesta Martyrum integrè & fideliter intelligerent, & à dictis Notariis conscribi facerent, & sibi ipsa gesta reportare deberent.

Item quòd iste Fabianus statuit & ordinavit, ut singulis annis Sanctum Chrisma renovetur, & in die Jovis Sancta secundùm formam Ecclesiæ consecretur, & vetus Chrisma comburatur, & in loco secreto, & honesto cineres ipsius Sancti Chrismatis veteris devotè reconderentur.

Item quòd iste Fabianus statuit & ordinavit, ut de cetero per Cardinales non procedatur ad electionem Romani Pontificis, nisi post diem tertiam depositionis Papæ defuncti, propter ipsius Sedis Apostolicæ honorem, & subditorum perniciosum exemplum.

Item quòd ipse Fabianus post multas tribulationes & persecutiones apud Urbem Romanam sub Decio Imperatore cum magno martyrio fuit interfectus, & in gloria Dei Patris exstitit feliciter coronatus, & in Cœmeterio Callixti fuit sepultus IV. Kal. Februarii. Qui quidem rexit Ecclesiam secundùm Chronicam Martini tresdecim annis, undecim mensibus, & undecim diebus, sed in alia Chronica dicitur de XIV. annis, sed secundùm Chronicam Hieronymi & Prosperi, scribitur tantùm de tresdecim annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per octo dies, Decio Imperatore tunc regnante.

De Beato Cornelio.

CORNELIUS, natione Romanus, ex patre Justino, aliàs Castino, & secundùm aliam Chronicam, ex patre Constantino fuit natus, & post dictum Fabianum Papam in Romanum Pontificem assumtus fuit, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXII. Anno à Nativitate Domini CCLII.

Item quòd iste Beatus Cornelius Papa statuit & ordinavit, ut quilibet Sacerdos in judicio vel extra in testem inductus, seu vocatus, ipse coram Judice, vel alio de licentia ipsius pro communi utilitate, justitia, vel necessitate super hoc imminente, testimonium posset perhibere veritati.

Item quòd ipse Cornelius Corpora Sanctorum Petri & Pauli devotè propter persecutionem, & tyranniam Decii Imperatoris tunc regnantis, de locis, in quibus sepulti erant, levari & extrahi fecit. Corpus verò Beati Petri Apostoli deposuit juxta locum, ubi ipse fuerat crucifixus, videlicet in Monte-Aureo in Vaticano Palatio Romani Imperatoris; Corpus autem Beati Pauli Apostoli in prædio Sanctæ Lucinæ Via Ostiensi, ubi fuit decollatus cum magna devotione & honore ipsum deponi fecit.

Item quòd ipse Cornelius sentiens suæ mortis passionem propter persecutionem Decii Imperatoris, ideo tradidit Stephano suo Diacono Cardinali omnia bona Ecclesiæ, quæ ipse habebat tunc, ut suo successori ipse tradere & restituere deberet.

Item quòd tempore ipsius Beati Cornelii contigit, ut Corpora Beatorum Petri & Pauli pro affectione & devotione ipsorum Fidelium Christianorum, qui istos habebant speciales

ciales Patronos, ab ipsis de nocte furata fuerint; qui de Urbe Romana ad terram ipsorum deportare affectabant, & credebant; propter quod tunc fuit, & apparuit apud Urbem Romanam magnus terræmotus, propter quod ipsi latrones effectum suum obtinere non potuerunt.

Item quòd ipse Beatus Cornelius post multas tribulationes & persecutiones, jubente Decio Imperatore cum summo martyrio fuit interfectus, & à Deo in sua gloria coronatus, & in prædio Beatæ Lucinæ Viâ Appiâ exstitit sepultus VII. Kal. Septembris. Qui quidem Beatus Cornelius rexit Ecclesiam tribus annis, duobus mensibus & X. diebus, & tunc vacavit Sedes Apostolica per XXXV. dies, Decio Imperatore tunc regnante.

De Lucio.

LUCIUS Primus, natione Romanus, ex patre Porphyrio fuit natus, secundùm Chronicam Martini, sed secundùm Chronicam Hieronymi exstitit natione Tuscanus, & ex patre Lucino fuit progenitus; & post dictum Cornelium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XXIII. Anno à Nativitate Domini CCLIV.

Item quòd iste Lucius statuit & ordinavit, quòd quilibet Episcopus duos Presbyteros & tres Diaconos in testimonium suæ vitæ, & conversationis, & propter populi malas contentiones, & murmurationes iniquas repellendas, semper secum ipsi Episcopi habere teneantur.

Item quòd ipse Lucius post multas tribulationes & persecutiones sub Gallo Imperatore & Volusiano filio suo cum summo martyrio fuit interfectus, & à Deo in cœlesti gloria feliciter coronatus, & in Cœmeterio Callixti Papæ secundùm Martini Chronicam, tertio Nonas Martii, sed secundùm Chronicam Damasii Papæ VIII. Kal. mensis Septembris exstitit sepultus.

Item quòd ipse Lucius dum pergeret ad martyrium, & mortem sibi imminere videbat, omnia bona Ecclesiæ, quæ ipse habebat, cuidam Stephano nomine Diacono Cardinali, & conversationis approbatæ tradidit, & commisit, ut post mortem suam ipsa successori suo restituere deberet.

Item quòd ipse Lucius rexit Ecclesiam quatuor annis, mensibus duobus, & XV. diebus; in Chronica autem Beati Hieronymi scribitur annis duobus; sed in Chronica Prosperi IV. annis; & in Speculo Historiali, & in Chronica Damasii dicitur de VII. annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per XXX. dies, & secundùm alios per XXI. dies, regnante Gallo Imperatore cum filio suo Volusiano.

De Stephano.

STEPHANUS Primus, natione Romanus ex patre Juliano secundùm Chronicam Martini, sed secundùm Chronicam Damasii Papæ ex patre Jobio fuit natus, & post prædictum Lucium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumptus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXIV. Anno à Nativitate Domini CCLVIII.

Item quòd ipse Beatus Stephanus statuit & ordinavit, ut vestimenta Ecclesiastica, cum quibus in Ecclesia ministratur pro servitio divino, honesta sint, benedicta, & consecrata, quæ ab aliquo nisi ab ipsis servitoribus non tangantur, nec ab aliis Officium Ecclesiasticum celebretur.

Item quòd ipse Beatus Stephanus post multas tribulationes & persecutiones, dum Missam suam celebrabat, ab Imperatore Valeriano cum quibusdam Presbyteris & Clericis pro Christo fuit decollatus, & à Deo in sua gloria feliciter coronatus.

Item quòd ipse Stephanus rexit Ecclesiam secundùm Chronicam Martini IV. annis & mensibus duobus, & quindecim diebus; sed secundùm Chronicam Beati Hieronymi scribitur de duobus annis, & in Chronica Prosperi dicitur de tribus annis, & in Chronica Damasii scribitur de VII. annis dumtaxat. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per XXI. dies.

De Beato Sixto Secundo.

SIXTUS Secundus, natione Græcus Atheniensis, ex Philosopho quodam patre suo, nomine Sephon, fuit filius, & post dictum Stephanum Papam primum in Romanum Pontificem exstitit assumptus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXV.

Item quòd iste Sixtus Papa statuit & ordinavit, ut in omnibus Ecclesiis Altaria ædificarentur, & in ipsis sacra mysteria publicè, & in præsentia totius populi cum summa devotione celebrarentur, quod tamen antea non fiebat, nec erat fieri consuetum.

Item quòd iste Sixtus præsentiens obitum suum, omnes thesauros Ecclesiæ, quos tunc ipse habebat sub custodia & dispensatione, pauperibus erogandos, sic Diacono Laurentio Cardinali commisit, & assignavit, donec Ecclesiæ Dei de alio post eum Papa canonicè fuisset provisum.

Item quòd iste Beatus Sixtus post multas tribulationes & persecutiones sub Decio Imperatore cum magno martyrio fuit interfectus, & in cœlo à Christo feliciter fuit coronatus. Qui rexit Ecclesiam duobus annis, XI. mensibus & VI. diebus, aliàs autem octo annis secundùm Hieronymum, & secundùm Prosperum VII. annis dumtaxat. Et tunc vacavit Sedes Apostolica secundùm Chronicam Damasii XXV. diebus, secundùm autem Martinum XXII. diebus.

De Beato Dionysio.

DIONYSIUS, natione Romanus, ex Monacho, cujus genus ipsius non invenitur, post dictum Sixtum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXVI. anno à Nativitate Domini CCLXIV.

Item quòd iste Dionysius statuit & ordinavit in Urbe Romana Parochias & Presbyteros, & cuilibet ipsorum titulos dedit & assignavit, ut ipse Baptismum Christi Fidelibus ministrare deberent.

Item quòd ipse Dionysius post multas tribulationes & angustias pro Fide Christi martyrio fuit interfectus, & à Deo in gloria sua feliciter exstitit coronatus, & Cœmeterio Callixti cum aliis Romanis Pontificibus exstitit sepultus septimo Kal. Januarii; sed in Martyrologio dicitur, quòd in Via Appia fuit sepultus, & tunc vacavit Sedes Apostolica

lica

lica octo diebus, Gallieno Imperatore tunc A regnante.

De Beato Felice.

FELIX Primus, natione Romanus de regione Capitis-Tauri, ex patre Constantino fuit natus, & post Dionysium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXVII. anno à Nativitate Domini CCLXVI.

Item quòd iste Felix statuit & ordinavit, ut de cetero in omnibus Ecclesiis super memorias Martyrum devotè à Clero Missæ celebrarentur. Et ipse etiam ædificari fecit in honore Dei, & ejus Matris, ac omnium Sanctorum quamdam Basilicam, seu Ecclesiam B in Via Aurelia, quæ distat per unum milliare ab Urbe Romana.

Item quòd iste Beatus Felix post multas tribulationes & persecutiones pro Fide Christi cum summo martyrio fuit interfectus, & ab ipso in sua gloria feliciter coronatus, & in dicta Ecclesia sua fuit sepultus, sub Claudio Principe III. Kal. Junii.

Item quòd ipse Beatus Felix rexit Ecclesiam duobus annis, & decem mensibus, & XXV. diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Hieronymi & Prosperi dumtaxat quinque annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tribus diebus. In quadam C alia Chronica dicitur de diebus V. prædicto Claudio Imperatore tunc regnante.

De Beato Marco.

MARCUS successit in Papatu dicto Felici Papæ Primo, qui martyrium evasit. Ideo ipse scribitur Confessor in hoc loco, sed in Chronicis Damasii Papæ, Hieronymi, & Prosperi, & aliorum multorum in ipso loco idem Beatus Marcus non ponitur, nec designatur. Sed secundùm unam Chronicam iste Marcus fuit Papa & Confessor, qui rexit Ecclesiam octo annis, & in quadam Ecclesia Urbis Romæ, in qua ipse Presbyter fuerat D ordinatus, exstitit sepultus, quæ vocatur Ecclesia Sancti Marci, & est in medio Urbis Romæ, ubi dicitur Pinus, & secundùm istam Chronicam ipse fuit Papa XXVIII.

De Beato Eutychiano.

EUTYCHIANUS, natione Tuscus, de Luna civitate oriundus, & ex patre Marino fuit natus, & post Marcum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum Papa XXIX. anno à Nativitate Domini CCLXX. secundùm Chronicam Martini, sed secundùm aliam dicitur CCLXVIII. E

Item quòd iste Eutychianus statuit & ordinavit, ut de cetero ad reverentiam Dei novi fructus terræ super Altare à Sacerdotibus devotè benedici deberent.

Item quòd ipse Eutychianus manu propria trecentos & quinquaginta duos Martyres per diversa loca sepelivit, & postea ipse statuit, & ordinavit, quòd nullus de cetero sinè Dalmatica, Colobiove purpureo aliquem Martyrem præsumeret sepelire.

Item quòd ipse Eutychianus post multas tribulationes & persecutiones pro Christi nomine martyrio fuit interfectus, & ab ipso in sua gloria feliciter exstitit coronatus, & in Via Appia in Cœmeterio Callixti exstitit sepultus VIII. Kal. Augusti.

Item quòd iste Eutychianus rexit Ecclesiam secundùm Chronicam Martini octo annis X. mensibus & IV. diebus, & secundùm Chronicam Hieronymi & Prosperi dicitur de octo mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per XIII., aliàs novem, diebus, Gallieno Imperatore tunc regnante.

De Beato Gajo.

GAJUS natione Dalmatiæ seu Dalmaticus, de genere Diocletiani, ex patre Gajo, aliàs Gallo, exstitit natus, & post dictum Eutychianum in Romanum Pontificem exstitit assumptus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XXX. Anno à Nativitate Domini CCLXXVIII.

Item quòd ipse Gajus statuit & ordinavit, ut si aliquis dignus esset ad recipiendum Ordines, quòd gradatim ad eos promoveatur, ita quòd primò fiat Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, postmodum Acolythus, & deinde Subdiaconus, postea Diaconus, postmodum Presbyter, & deinde Episcopus ultimò ordinetur.

Item quòd iste Gajus statuit & ordinavit, ut Pagani Hæretici, & alii infideles Christianos accusare non valeant, nec accusationes ipsorum, & diffamationes infidelium contra ipsos Christianos ab aliquo judice de cetero non admittantur, & quòd nullus convenire, seu accusare de cetero præsumat aliquem Episcopum vel Clericum coram judicibus Secularibus, nec ipsi judices Seculares conventiones, seu accusationes etiam recipere, & audire præsumant. Maximè sub isto tempore Gaji Papæ, hæresis Manichæorum fuit exorta.

Item quòd ipse Gajus omnes Regiones Mundi divisit, & cuilibet Regioni unum Diaconum dignum, & fidelem constituit, ut omnia gesta Sanctorum Martyrum diligenter perquireret, & post ipsam informationem in scriptis fideliter redigere deberet, & quòd etiam alia negotia ipsi pertractare possent Urbibus populosis, dum tamen hujusmodi quæstiones non essent tales, quòd ipsæ ad Sedem Apostolicam devolvi & referri deberent. Et deinde ipse ordinavit quamdam Epistolam contra Hæreticos de Filii Dei Incarnatione, & de Fide Catholica ad plenum, quam postea ipse publicavit.

Item quòd iste Gajus post multas tribulationes, & persecutiones cum summo martyrio pro Christi Fide fuit interfectus, & à Deo in sua gloria coronatus, & in Via Appia in Cœmeterio Callixti exstitit sepultus X. Kal. Maji. Qui quidem rexit Ecclesiam undecim annis, & quatuor mensibus. Et in Chronica Hieronymi & Prosperi quindecim annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duodecim diebus, Diocletiano Imperatore tunc regnante.

De Marcellino.

MARCELLINUS natione Romanus de regione Caput-Tauri, ex patre Protecto fuit natus, & post Beatum Gajum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXXI. Anno à Nativitate Dom. CCLXXXIX.

Item quòd de isto Marcellino legitur, quòd ipse à Diocletiano Imperatore valde compulsus, Idolis suis sacrificavit, credens, quòd propter hujusmodi compulsionem, & mortis periculum posset neque Deum neque Ecclesiam ejus sponsam offendere, neque ab aliquo reprehendi, nec legitimè super hoc accusari.

Item legitur de ipso Marcellino, quòd ab ipso postea in Campania Synodus super hoc magna fuit celebrata, in qua ipse Marcellinus cum centum & octuaginta Episcopis Catholicis interfuit. Et tunc ipse cum cinere capite aspersus, & cilicio indutus, & cum magno dolore, & cordis tristitia, atque contritione coram eis multipliciter se excusavit, & se per consequens judicandum dictis Episcopis supposuit. Ipsi Episcopi hujusmodi judicium recipere recusaverunt dicentes, quòd summus Pontifex à nullo, nisi à solo Deo, est judicandus. Qui tunc statim à congregatione dictorum Episcoporum foras recessit, & ut Beatus Petrus Apostolus post negationem factam Christi amarè flere cœpit.

Item legitur de isto Marcellino, quòd ipse attendens, quòd dicti Episcopi in Synodo supradicta ipsum propter prædictum suum excessum seu delictum condemnare recusaverunt, & propter hujusmodi enorme peccatum à Papali dignitate ipse meritò erat repellendus seu privandus; ideo pro sui criminis reconciliatione statim ad Diocletianum Imperatorem ivit, & se Christianum fuit confessus, quare jussu istius Imperatoris confestim fuit capite decollatus.

Item legitur de isto Marcellino, quòd cùm corpus ejus per triginta dies in platea jacuisset inhumatum, in sequenti nocte Beatus Petrus in visione apparuit Beato Marcello Presbytero, qui postmodum in Papatu immediatè sibi successit. Eique præcepit, ut corpus Marcellini Papæ, quod in Platea jacebat inhumatum, recipere deberet; quia omnis qui se humiliat coram Deo exaltabitur; *& juxta mecum debeas eum sepelire, nam ego nolo, ut ipsorum Corpora, quos Dei gratia justificavit, separentur à mea sepultura.* Qui quidem Beatus Marcellinus statim de nocte cum multis Presbyteris, & Diaconis, & cum hymnis atque canticis Ecclesiasticis in Cœmeterio Beatæ Priscillæ virginis Viâ Salariâ VII. Kalen. Maji fuit sepultus.

Item quòd ipse Beatus Marcellinus rexit Ecclesiam VII. annis duobus mensibus & XXV. diebus secundùm Chronicam Damasii Papæ & Martini; sed in Martyrologio Usuardi, & in Chronica Prosperi scribitur novem annis, & IV. mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica VII. annis, VI. mensibus, & XXV. diebus, Diocletiano & Maximiano tunc Imperatoribus regnantibus.

De Beato Marcello.

MARCELLUS natione Romanus, & ex patre Benedicto, de Regione Viâ-latâ fuit natus, & post Marcellinum Papam in Romanum Pontificem exstitit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XXXII. Anno à Nativitate Domini CCCIII. vel CCCIV.

Item quòd iste Beatus Marcellus statuit & odinavit XV. Cardinales propter Baptismum & Pœnitentiam multorum, qui ex Paganis cotidie convertebantur ad Christum, & propter sepulturas Martyrum, qui tunc pro Christi nomine interficiebantur.

A

Item quòd iste Beatus Marcellus jussu Maximiani Imperatoris in quodam stabulo pro custodiendo ibi animalia & jumenta fuit inclusus, quia Idolis suis nolebat sacrificare. Qui tandem post multas tribulationes, & ærumnas martyrio fuit interfectus, & à Deo in sua gloria feliciter coronatus, & in Cœmeterio Beatæ Priscillæ Viâ Salariâ exstitit sepultus, XVII. Kal. Februarii.

Item quòd iste Beatus Marcellus rexit Ecclesiam quinque annis, & XXII. diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam Chronicam dicitur VI. annis. In Chronica verò Beati Hieronymi scribitur annis tribus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XXV. diebus, Diocletiano & Maximiano tunc Imperatoribus regnantibus.

B

De Beato Eusebio.

EUSEBIUS, natione Græcus, ex patre Medico post dictum Marcellum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXXIII. anno à Nativitate Domini CCCX. in Chronica verò alia dicitur de CCCXI.

Item quòd iste Eusebius Constantinum Imperatorem catechizavit, à quo Crux Domini nostri Jesu Christi Hierosolymis postea fuit inventa. Et tunc quidam Judæus, nomine Judas, qui inventor fuit Sanctæ Crucis, postea exstitit baptizatus, & Ciriacus vocatus, & deinde martyr Christi fuit effectus, prout legitur in Canone de Consecratione, Distinctione tertia, Capitulo *Crucis Domini nostri.*

C

Item quòd iste Beatus Eusebius, dum in die Sancto Paschæ cum suo Clero, & Populo Christiano Missam solemniter & devotè celebraret, tunc ab infidelibus Paganis pro Christi nomine fuit interfectus, & in Cœmeterio Priscillæ exstitit sepultus, VI. Nonas Octobris.

Item quòd iste Beatus Eusebius rexit Ecclesiam duobus annis, & duobus mensibus, & XXV. diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Damasii Papæ, VI. annis, uno mense, & tribus diebus. In Chronica autem Beati Hieronymi, & Prosperi dicitur tantùm de septem annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica septem diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

D

De Beato Melchiade.

MELCHIADES natione Afer post dictum Eusebium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XXXIV. Anno à Nativitate Domini CCCXII. secundùm Chronicam Martini, sed secundùm aliam dicitur de CCCXIII.

E

Item quòd iste Beatus Melchiades statuit & ordinavit, ut de cetero nullum jejunium à Christifidelibus in die Dominico, & in die Jovis celebraretur, quia in istis duobus diebus Pagani suum sacrum jejunium celebrare consueverunt. Et postea dum ipse quadam die celebraret, tunc in secreto Missæ nomina Sanctorum Quatuor Coronatorum, in quo loco ipsi fuerunt sepulti, Angelo nuntiante immediatè fuerunt revelata.

Item quòd ipse post multas tribulationes &

& persecutiones martyrio fuit interfectus, & in gloria Dei Patris feliciter coronatus, & in Cœmeterio Callixti exstitit sepultus IV. Idus Decembris. Qui quidem rexit Ecclesiam tribus annis, VI. mensibus, & octo diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Hieronymi & Prosperi dicitur de quatuor annis dumtaxat. Et tunc vacavit Sedes Apostolica VII. diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

Item quòd in Chronica Beati Melchiadis notandum est, quòd omnes Romani Pontifices supradicti, computando à Beato Petro Apostolo usque ad Beatum Melchiadem omnes martyrio pro Fide Christi fuerunt interfecti, excepto Beato Marco Papa primo, qui sinè martyrio migravit ad Christum. Et computatis omnibus Romanis Pontificibus supradictis superiùs per ordinem designatis, fuit, & fuerunt in numero usque ad Beatum Silvestrum, qui statim sequitur, triginta & sex Pontifices Romani. Sed secundùm aliquas Chronicas nón esse nisi triginta & quatuor, quia Linus, & Cletus veri Romani Pontifices non fuerunt.

De Beato Silvestro.

SILVESTER Primus, natione Romanus, ex patre Rufino fuit natus, & post dictum Melchiadem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa tricesimus quintus, Anno à Nativitate Domini Trecentesimo & Decimo Quinto, secundùm unam Chronicam; in quadam alia dicitur de Trecentesimo & Sexto Decimo.

Item quòd iste Beatus Silvester longo tempore fuit in exilio in Monte Sirapti per Constantinum Imperatorem, qui ab ipso Silvestro postea fuit baptizatus. Et postea ipse Beatus Silvester XII. Judæos magnos magistros & sapientes, secundùm ritum ipsorum Judæorum cum suis disputationibus & prædicationibus, & plures alios ad Fidem Catholicam convertit, & quòd suo tempore Christianitas summè dilatari incœpit atque exaltari.

Item quòd ipse Beatus Silvester suis meritis, & precibus à quadam summa tempestate Urbem Romanam liberavit, nam in dicta Urbe Romana tunc erat quidam magnus draco, qui flatu, vel halitu suo sex millia hominum interficiebat, unde ipse Beatus Silvester cum multis suis Presbyteris per centum & quinquaginta gradus descendens ad locum, vel puteum, ubi ipse draco morabatur, & facta prius oratione, & signo Sanctæ Crucis se insignito, ipsum draconem ligavit, & cum catenis æreis, & fortissimis ferris eum ibi inclusit, & firmavit usque ad diem Judicii universalis, pro cujus miraculo maxima pars hominum Urbis Romæ fuit conversa ad ipsum.

Item quòd ipse Beatus Silvester statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Romanum Pontificem accusare præsumat, & quòd nullus Cardinalium Romanæ Ecclesiæ accusatus, seu delatus, convinci possit, nisi testimonio XL. testium solemnium superatus fuerit, atque convictus. Et quòd major à minori non accusetur, nec Clericus à Laico judicetur.

Item quòd ipse Beatus Silvester statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Laicus alicui Clerico crimen præsumeret inferre, vel criminaliter accusare; & quòd de cetero Dia-

A coni officiando in Ecclesia, Dalmatica utatenantur. Et quòd Corpus Christi, & Sanguis in Missa nisi in aliquo panno lineo, ex terra naturaliter procreato non conficiantur, atque celebrentur. Nam sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea alba fuit positum, & in sepulcro cum ipsa fuit involutum, sic etiam Corpus & Sanguis in altari in panno lineo debent consecrari.

Item quòd ipse Beatus Silvester quoddam Concilium Generale in Urbe Romana celebravit, in quo ducenti septuaginta & VII. Episcopi, veri Catholici, interfuerunt. Et in isto Concilio Arium, & Photinum, atque Sabellium hæreticos, & documenta ipsorum

B sententialiter condemnavit. In quo quidem Concilio Beatus Nicolaus Episcopus Mirensis, ut legitur, interfuit, qui quidem patronus pauperum Clericorum denominatur.

Item quòd iste Beatus Silvester prædictum Constantinum Imperatorem & Helenam matrem suam cum infinitis aliis primo anno sui Pontificatus ad Fidem Catholicam convertit, & ipsos cum magna solemnitate baptizavit. Qui quidem postea totum imperium Urbis Romæ, quod antea ipse Constantinus habebat, & possidebat dicto Beato Silvestro in manibus suis renuntiavit, & suis successoribus tradidit possidendum cum omnibus insigniis Imperialibus, & privilegiis pluribus,

C & diversis. Et quòd ipse postea prædicationibus, doctrinis, & meritis suis Ecclesiam Dei summè exaltavit, & Christianitatem valde dilatavit, & infinita bona temporalia Ecclesiæ acquisivit, & multa alia bona statuit & ordinavit. Et hæresim Donati, quæ tunc incœpit esse, ipse damnavit, & suos sequaces valde fuit persequutus.

Item quòd ipse Beatus Silvester tempore suo meruit habere magnas quatuor columnas in Ecclesia Dei, videlicet Beatum Hieronymum, qui postea fuit Doctor solemnis, & Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & Beatum Nicolaum Ecclesiæ Myrensis Episcopum, ac

D etiam Beatum Antonium Abbatem, & Confessorem, patrem, & institutorem regulæ Monachorum Anachoretarum, & Beatum Athanasium, qui fecit & compilavit: *Quicumque vult salvus esse.*

Item quòd ipse Beatus Silvester post multos labores & tribulationes ad Christum migravit, & ab ipso in sua gloria fuit coronatus, & apud Romam juxta Palatium Octaviani Imperatoris in loco, qui dicitur ad Caput, honorificè fuit sepultus.

Item quòd ipse Beatus Silvester rexit Ecclesiam XXIII. annis, decem mensibus, & duodecim diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Beati Hieronymi dicitur de XXII. annis. In Chronica autem

E Prosperi dicitur de XXIII. annis. Et vacavit tunc Sedes Apostolica XV. diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

De Beato Marco.

MARCUS Secundus, natione Romanus, ex patre Prisco natus, & post dictum Silvestrum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa tricesimus sextus, Anno à Nativitate Domini CCCXL. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam de CCCXXXIX.

Item quòd ipse Beatus Marcus statuit & ordinavit, ut de cetero Episcopus Ostiensis Cardinalis tempore suæ promotionis novum Papam debeat consecrare, & quòd etiam suum officium faciendo uti Pallio possit, & quod Symbolum Ecclesiæ, seu *Credo in Deum* semper in Missa post Evangelium alta voce dici debeat, atque decantari.

Item quòd iste Marcus post multas tribulationes cum summa devotione ad Christum migravit, & apud Romam in Ecclesia Sancti Petri exstitit sepultus Nonis Octobris. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, mense uno, & viginti diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Hieronymi & Prosperi scribitur de octo annis & uno mense tantùm. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XX. diebus, Constantino Imperatore filio magni Constantini tunc regnante.

De Beato Julio.

JULIUS Primus, natione Romanus, ex patre Rustico natus, post dictum Marcum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa tricesimus septimus, Anno à Nativitate Domini Trecentesimo Quadragesimo Tertio.

Item quòd ipse Beatus Julius multa Concilia fieri fecit, pluribus & diversis Episcopis unitis & Catholicis contra Arii hæretici nequitiam, propter quæ plures de ipsis Episcopis, tractante dicto Ario, & ordinante, à suis sequacibus pro Catholica Fide defendenda interfecti fuerunt.

Item quòd de mandato ipsius Beati Julii fuit celebratum Concilium apud Antiochiam, in quo quidem Concilio septuaginta interfuerunt Episcopi, ubi per hujusmodi Concilium Nicæna Fides ibi consecrata exstitit & confirmata. Et postea in quadam alia Civitate vel loco, qui Sirmus denominatur, fuit factum aliud Concilium, in quo Photini, Sabellii, & Pauli Samosateni hæreticorum dogmata damnata exstiterunt, & inde ibi recta Fides Catholica exposita fuit & recitata.

Idem quòd ipse Beatus Julius suis meritis habere meruit tempore suo plures sanctos Ecclesiæ Doctores, videlicet Beatum Hilarium Ecclesiæ Pictaviensis Episcopum, & Beatum Eusebium Ecclesiæ Vercellensis Episcopum, & Beatum Athanasium Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum, qui Simbolum Ecclesiæ pro Fide Catholica composuit, quod incipit *quicumque vult salvus esse &c.* & Beatum Chrysostomum, & plures alios summos Ecclesiæ Doctores.

Item quòd iste Beatus Julius statuit & ordinavit, ut nullus Clericus de cetero causam suam diceret in publico; & quòd omnia monumenta rariora Ecclesiarum per Primicerium Romanæ Ecclesiæ scriberentur. Qui quidem post exilium longum, & multas tribulationes migravit ad Christum, & ab ipso in sua gloria feliciter fuit coronatus, & in Cœmeterio Calepodii milliario tertio ab Urbe Romana fuit sepultus pridie Idus Aprilis, Constantino filio Magni Constantini Imperatoris tunc regnante.

Item quòd ipse Beatus Julius rexit Ecclesiam XI. annis, duobus mensibus & octo diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Beati Hieronymi, & Prosperi dicitur de sexdecim annis, & quatuor mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica quinque diebus, Constantino & Constante fratribus tunc Imperatoribus regnantibus.

A

De Beato Liberio.

LIBERIUS, natione Romanus, ex patre Ligusto, de regione Vialata fuit natus, & post dictum Julium Papam in Romanum Pontificem exstitit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa XXXVIII. Anno à Nativitate Domini CCCLV. secundùm aliam Chronicam dicitur de LIV.

Item quòd iste Liberius à Constantino Imperatore pro Fide Catholica in exilio fuit deportatus, & detrusus Anno Octavo Pontificatus, pro eo quia hæresi Arianæ nolebat consentire, & ipse Liberius fuit in exilio tribus annis. Cùmque ipse Clerus Romanus ab Imperatore fuisset inductus, ut quemdam alium nomine Felicem Presbyterum in Papam eligerent, dictus Clerus tunc juravit, ut nullum alium in Papam susciperent, neque haberent, nisi ipsum Liberium supradictum. Sed cùm ipse postea deviaverit, ipsum Felicem in Papam elegerunt.

B

Item cùm ipse Beatus Liberius in exilium fuisset deportatus, statim Clerici quemdam Presbyterum nomine Felicem in Papam elegerunt, & cum favore, & adjutorio Constantii Imperatoris, Sedem Apostolicam aliquo tempore tenuit, & possedit, donec dictus Liberius exstitit ad Sedem Apostolicam restitutus, & de suo exilio revocatus, quia hæreticæ pravitati Arianæ consensit, & subscripsit.

C

De Beato Felice.

FELIX II. in proxima Chronica Liberii nominatus, natione Romanus, & ex patre Anastasio, tempore quo dictus Liberius in exilium fuit deportatus, à Clero procurantibus Arianis in Romanum Pontificem fuit assumtus. Et post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XXXIX. Anno à Nativitate Domini Trecentesimo Sexagesimo Sexto secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de CCCLXIX.

D

Item quòd iste Felix Nicænam Synodum inconcusse servavit, & apud Urbem Romanam Concilium Generale celebravit, & duos Presbyteros Ursacium, & Valentem Ariana peste infectos à dicto Concilio expulit, & ab Ecclesiæ communione eos præcidit. Unde propter hoc Constantius tunc Imperator contra ipsum Felicem valde fuit indignatus; unde à dicta Sede Apostolica eum deposuit, & prædictum Liberium ad ipsam restituit & revocavit.

E

Item quòd ipse Felix dictum Constantium Imperatorem filium Magni Constantini hæreticum esse in dicto Concilio declaravit, & eum tamquam virum hæreticum condemnavit, propter quod ab eodem Constantio Imperatore fuit depositus, & ab Urbe Romana expulsus.

Item quòd ipse Felix statuit & ordinavit, quòd de cetero Episcopi vocati ad Concilium statim venire teneantur, legitimo tamen impedimento cessante, cùm antea super hoc quæstionem, seu contradictionem veniendi ad dictum Concilium quandoque aliqui referebant. Et deinde ipse Felix post multas tribula-

bulationes & persecutiones pro Christi Fide martyrio fuit interfectus, & ab ipso in sua gloria fuit coronatus IV. Kal. Augusti, qui quidem rexit Ecclesiam uno anno quatuor mensibus, & duobus diebus, dicto Constantio Imperatore tunc regnante.

Liberius Papa supradictus post depositionem Felicis Papæ ad Sedem Apostolicam fuit restitutus Anno à Nativitate Domini Trecentesimo Septuagesimo Septimo, prout dictum est supra in Chronica sua, pro eo quia perfidiæ hæresis Arianæ ipse consenserit, propter cujus consensum fuit in Urbe Romana magna persecutio contra Ecclesiam & Clerum, atque Populum Christianum, inter quos fuerunt exilio deputati, & per Imperatorem condemnati, videlicet Eusebius Episcopus Ecclesiæ Vercellensis, & Hilarius Pictaviensis, & Dionysius Mediolanensis, & plures alii Doctores summi, atque Catholici viri.

Item quòd ipse Liberius post mortem suam à Damaso Papa suo successore tamquam hæreticus Synodali sententia canonicè fuit condemnatus, & omnia, quæ fecerat, statuerat, ordinaverat, postquam Arianæ perfidiæ consensit, adnihilavit, & penitus revocavit.

Item quòd iste Liberius de facto rexit Ecclesiam post mortem dicti Beati Felicis quinque annis vel circa, dicto Constantio Imperatore tunc regnante, & magni Constantini filio, qui omne consilium, & favorem sibi, & contra Ecclesiam Romanam pro Arianis hæreticis, in quantum potuit ipse, dedit, & consensit secundùm omnes Chronicarum auctores.

De Beato Damaso.

DAMASIUS Primus, natione Hispanus, ex patre Antonio fuit natus, & post Liberium, & Felicem, supradictos in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XL. Anno à Nativitate Domini Trecentesimo Septuagesimo Septimo.

Item quòd iste Damasius fuit tanti ingenii & subtilitatis, quòd ipse multa & brevia metra metrificata ad honorem Dei, & ejus Matris, atque omnium Civium supernorum, & pro doctrina fidelium edidit, & compilavit. Et cum magna diligentia requiri fecit omnia corpora Sanctorum, quæ tempore suo inveniri potuerunt, & postmodum ad tumbas vel sepulcra eorum ad ipsorum honorem, & exaltationem quosdam versus sepulcrales scripsit, & decoravit secundùm Hieronymum, qui usque ad istum diem gesta Romanorum Pontificum per ordinem scripsit, & ordinavit. Sed post ipsum Hieronymum à Prospero, & Beda, & Gilberto Monacho Monasterii Gemblacensis ordinata fuerunt, & descripta, prout sequitur.

Item quòd ipse Damasius tempore suo in Dei Ecclesia meruit obtinere Beatissimos Patres, & Monachorum auctores, videlicet Ambrosium, Isidorum, Paullum, Martinum Turonensem Episcopum, & plures alios Sanctos Episcopos, & egregios Monachos, quorum doctrinis, prædicationibus, & exemplis multa Monasteria ultra Mare & citra ad honorem Dei, & ejus Matris, & omnium Civium supernorum dedicata exstiterunt.

Item quòd ipse Damasius statuit & ordinavit, ut de cetero in Ecclesia Dei nocte dieque in Choro Psalmi David cantari deberent, & quòd Chorus Clericorum psallentium tunc inter se dividi deberent, & ipsos Psalmos alternatim per ordinem decantarent. Et ad instantiam Beati Hieronymi Presbyteri & Cardinalis in fine cujuslibet Psalmi hymnum Sanctæ Trinitatis *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* ipsi decantare deberent.

Item quòd tempore hujus Damasii Papæ fuit facta secunda Sancta Synodus, videlicet centum & quinquaginta Patrum apud Civitatem Constantinopolitanensem, & solemniter celebrata; in qua Macedonius cum suis sequacibus tamquam hæreticus sententialiter exstitit condemnatus, qui contra Fidem Catholicam Spiritum Sanctum Deum esse denegabat.

Item quòd tempore ipsius Damasii apud Burdegalensem Civitatem à Beato Martino Episcopo Turonensi cum multis aliis viris Catholicis Sancta Synodus fuit celebrata, in qua dictus Macedonius cum suis sequacibus tamquam verus hæreticus fuit condemnatus.

Item cùm ipse Damasius fuisset octogenarius vel circa, post multas tribulationes & persecutiones ad Christum migravit, & ab ipso in sua gloria fuit coronatus, & apud Urbem Romanam à Clero & Populo honorificè exstitit sepultus, tertio Idus Decembris. Qui quidem rexit Ecclesiam post dictum Liberium & Felicem, decem & octo annis, duobus mensibus & decem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica triginta diebus, tunc Gratiano, & Valentiniano Imperatoribus regnantibus.

De Beato Siricio.

SIRICIUS natione Romanus, ex patre Tiburtio, post dictum Damasium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa quadragesimus primus, Anno à Nativitate Domini Trecentesimo LXXXVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de Trecentesimo Septuagesimo Nono.

Item quòd ipse Beatus Siricius invênit sectam Manichæorum, & ipsos Manichæos in quodam Concilio Constantinopolitano cum trecentis & quinquaginta Episcopis viris Catholicis synodaliter condemnavit, & ipsos tamquam veros hæreticos ibi esse pronuntiavit.

Item quòd iste Siricius statuit & ordinavit, ut de cetero aliqui de secta Manichæorum ad Fidem Catholicam reverti volentes ab aliquo Christiano nullatenus reciperentur, nec cum ipsis communicaretur, nisi quòd in arcto Monasterio detrudantur, & si ibi jejuniis & orationibus macerati, & Catholici inventi fuerint, nisi in fine mortis suæ Eucharistia sibi concedatur dumtaxat.

Item quòd ipse Siricius suis meritis tempore suo in Dei Ecclesia obtinere meruit duas summas Ecclesiæ columnas, videlicet beatissimos & universales Ecclesiæ Doctores Ambrosium Mediolanensem Episcopum, & Augustinum Hipponensem Episcopum, & omnium Regularium Canonicorum auctorem & patronum, & Johannem Chrysostomum Archiepiscopum Constantinopolitanum.

Item quòd iste Siricius statuit & ordinavit, Conversos Religiosos fieri in Monasteriis propter regimen temporalium ipsorum, ut alii Re-

Religiosi Clerici circa Divina Officia melius vacare valeant, & interesse. Et quòd de cetero quilibet Clericus continentiam servare teneatur. Et quòd Monachi, qui antea communiter erant Laici, fiant Clerici pro servitio divino, & Monasteriorum utilitate.

Item quòd ipse statuit & ordinavit, ut jejunium Quadragesimæ ab omnibus Christifidelibus observari, & Festum Paschæ certis diebus celebrari debeat. Et quòd quilibet Christianus suo Sacerdoti Curato semel in anno ad minus peccata sua confiteri teneatur, aliàs contrarium faciens tamquam infidelis Ecclesiasticâ careat sepulturâ, impedimento tamen legitimo ipsum excusante.

Item quòd post multas tribulationes & persecutiones ipse migravit ad Christum, & à Deo in sua gloria fuit coronatus, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri honorificè exstitit sepultus, tertio Idus Decembris.

Item quòd iste Beatus Siricius rexit Ecclesiam XV. annis XI. mensibus & XV. diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam ipse regnavit XVI. annis dumtaxat, & tunc vacavit Sedes Apostolica XX. diebus, Valentiniano Imperatore tunc regnante.

De Beato Anastasio.

ANASTASIUS Primus, natione Romanus, ex patre Maximo fuit natus, & post dictum Siricium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa quadragesimus secundus, Anno à Nativitate Domini CCCCIV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quinto.

Item quòd ipse Anastasius statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Clericus corpore vitiatus ad Ordines Ecclesiasticos non promoveatur, nec ab Episcopis ad hujusmodi Ordines tales non reciperetur. Et quòd in isto tempore suo ipse meruit habere tres summos Dei Doctores, & viros Catholicos, & Historiographos, videlicet Joannem Chrysostomum, & Orosium discipulum Beati Augustini Episcopi, & Hieronymum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, qui tunc quemdam Librum de illustribus Viris Catholicis compilavit.

Item quòd ipse Anastasius statuit & ordinavit, ut de cetero dum in Ecclesia Evangelium legitur, vel decantatur, nullus Presbyterorum vel Clericorum sedere præsumat. Et quòd propter hæreticos Manichæos, qui tunc erant inventi de novo in Urbe Romana, nullus Episcopus citramarinus, vel transmarinus ad Clericatus officium vel honorem promovere, vel suscipere de cetero non præsumat, nisi iste promovendus habeat, & primò ostendat literas testimoniales sigillis quinque Episcoporum illius Terræ corroboratas. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, & XXVI. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica viginti duobus diebus, Arcadio, & Honorio tunc Imperatoribus regnantibus.

De Beato Innocentio.

INNOCENTIUS Primus, natione Albanensis, ex patre Innocentio natus fuit, & post dictum Anastasium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XLIII. Anno à Nativitate Domini CCCCVII. secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam de octavo.

Item quòd iste Innocentius statuit & ordinavit, quòd in diebus Sabbatinis jejunium celebretur, quia tali die Dominus noster jacuit in sepulcro, & quia sui discipuli in illa die jejunaverunt. Et deinde fecit multa statuta in & super regimine Ecclesiarum, Monasteriorum, Judæorum, & Paganorum, & multos hæreticos condemnavit, & in exilio relegavit.

Item quòd ipse Innocentius statuit & ordinavit, ut de cetero in Missa ante receptionem Corporis Christi à Presbytero ipsam Missam celebrante osculum ab eodem Corpore Christi recipi debeat, & postea ipsum osculum ab eodem omnibus Presbyteris, Clericis, & Christifidelibus dari, & communicari teneatur. Et quòd Oleum ad usum infirmorum ab Episcopo consecratum non solùm Presbyteris & Clericis, sed etiam omnibus aliis Christianis hujusmodi Oleum Sanctum detur & communicetur.

Item quòd ipse Innocentius cum beatissimis Augustino Episcopo Hipponensi, Hieronymo Cardinali, & pluribus aliis magnis Doctoribus, & Catholicis, Pelagium hæreticum de Britannia cum sua exsecrabili doctrina fuit persecutus, & ipsum Pelagium cum Cœlestio, & Juliano complicibus suis condemnavit. Nam illo tempore dictus Beatus Augustinus, pater & institutor regulæ Canonicorum Regularium, & Beatus Hieronymus in Dei Ecclesia florebant. Qui quidem Hieronymus ætatis nonaginta & octo annorum apud Bethleem decessit Anno à Nativitate Domini Quadringentesimo Vicesimo.

Item quòd ipse Innocentius post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & apud Romam ad Ursum Pileatum à Clero, & populo honorificè exstitit sepultus V. Kal. Augusti, Arcadio & Theodosio Imperatoribus tunc regnantibus. Qui quidem rexit Ecclesiam XV. annis, duobus mensibus & XXII. diebus.

De Beato Zosimo.

ZOSIMUS, natione Græcus, ex patre Abraamio natus, & post dictum Innocentium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa quadragesimus quartus, Anno à Nativitate Domini CCCCXXII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de tertio.

Item quòd statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Servus ad Ordines recipiatur, nec ab Episcopo ipse promoveatur, & nullus Clericus vinum in publico vendere præsumat. Et quòd singulis annis in die Sabbatho Sancto Cereus Paschalis à Diacono in Ecclesia publicè & solemniter benedici debeat juxta formam per ipsum tunc ordinatam.

Item quòd iste Zosimus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum. Cujus Corpus in via Tiburtina juxta Corpus Beati Laurentii honorificè fuit sepultum VII. Kal. Januarii. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, & octo mensibus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de duobus annis, & quindecim diebus, & in alia legitur de XXV. diebus tantùm.

sum. Et tunc vacavit Sedes Apostolica undecim, vel viginti quinque diebus, Honorio & Theodosio Imperatoribus tunc regnantibus.

De Beato Bonifacio.

BONIFACIUS Primus, natione Romanus, ex patre Jocundo Presbytero natus, post dictum Zosimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XLV. Anno à Nativitate Domini CCCCXXV.

Item quòd iste Bonifacius statuit & ordinavit, ut de cetero nulla mulier, nec Monacha, aut vidua, pallam sacratam Altaris contingere aut lavare præsumat. Et quòd nullus servus, vel Curiæ obnoxius ad Clericatus ordinem de cetero promoveatur, neque ab aliquo Episcopo recipiatur.

Item quòd ipse Bonifacius post multas tribulationes & labores migravit ad Dominum, & postea Viâ Salariâ in Cœmeterio Sanctæ Felicitatis honorificè fuit sepultus. Qui rexit Ecclesiam tribus annis octo mensibus & XI. diebus. Et vacavit tunc Sedes Apostolica IX. diebus, Theodosio Imperatore tunc regnante.

De Beato Cœlestino.

COELESTINUS Primus, natione Romanus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam natione Campanus, ex patre Pisto, qui post dictum Bonifacium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XLVI. Anno à Nativitate Domini CCCCXXVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de CCCCXXIX.

Item quòd ipse statuit & ordinavit, ut de cetero quilibet Presbyter ante introitum Missæ dicere teneatur illum Psalmum, qui incipit *Judica me Deus, & discerne causam meam &c.* Et quòd Psalmi David ante Sacrificium canendo cum antiphonis psallerentur, quod ante non fiebat, sed Epistola, & Evangelium tantùm tunc legebantur; unde propter hoc introitus Missæ, & Gradualia, similiter & Offertoria postea fuerunt statuta.

Item quòd iste Cœlestinus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & in Via Salaria in Cœmeterio Priscillæ à Clero & Populo fuit sepultus VII. Idus Aprilis. Qui rexit Ecclesiam octo annis & uno mense & novem diebus, & tunc vacavit Sedes Apostolica XXI. diebus, Theodosio Imperatore tunc regnante.

De Sixto.

SIXTUS Tertius, natione Romanus, ex patre Prisco de Regione Cœlii Montis natus, & post Cœlestinum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XLVII. Anno à Nativitate Domini CCCCXXXVI.

Item quòd ipse Sixtus statuit & ordinavit, ut nullus Clericus de cetero in alia Diœcesi sinè licentia Diœcesani ordinari præsumat, neque ab aliquo Episcopo alieno sinè licentia sui Diœcesani ad aliquem Ordinem Ecclesiasticum aliquo modo promoveatur, neque ab eo recipiatur.

A Item quòd iste Sixtus secundo anno sui Pontificatus à quodam nomine Basso de adulterio coram Valentiniano tunc Imperatore; licèt falsò, exstitit accusatus. Qui quidem Imperator Synodum celebrari fecit, in qua quinquaginta sex Episcopi interfuerunt; coram quibus ipse Sixtus à dicto crimine sibi imposito canonicè se expurgavit, & dictus Bassus in isto Concilio fuit condemnatus.

Item quòd iste Sixtus ædificavit Ecclesiam Beatæ Mariæ, aliàs dicitur, vel vocatur ad Præsepe Domini; & etiam multas alias Ecclesias auro & argento ipse multipliciter decoravit, & pauperibus multa bona, & eleemosynas amore Dei erogavit, orphanos, viduas, & pupillos fovit, atque eos in juribus B suis defendit.

Item quòd ipse Sixtus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & in Via Tiburtina juxta corpus Beati Laurentii honorificè fuit sepultus. Qui rexit Ecclesiam octo annis, & novem diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de decem, & in alia de XX. novem diebus, & tunc vacavit Sedes Apostolica XXII. diebus, Theodosio Imperatore tunc regnante.

De Beato Leone.

C LEO Primus, natione Tuscus, ex patre Quintiano fuit natus, & post dictum Sixtum Papam Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XLVIII. Anno à Nativitate Domini CCCCXLIV.

Item quòd iste Leo multos Libros composuit, in quibus Evangelia declaravit, & plures pulcros sermones ad honorem Dei, & augumentum Fidei Christianæ, & salutem omnium Fidelium edidit, & compilavit. Qui quidem fuit mirabili Sanctitate præcipuus, & incomparabili eloquentiæ venustate præclarus; unde ipse statuit & ordinavit, quòd in Canone Missæ adderetur, quod sequitur videlicet: D *Sanctum Sacrificium, & immaculatam Hostiam*, quæ verba in dicto Canone fuerunt inserta.

Item quòd ipse Leo quamdam magnam gratiam à Deo meruit obtinere; nam cùm semel in die Sancto Paschæ quandam mulierem communicavit, & ipsa tunc fuisset manum suam osculata, statim super hoc peccato carnalitatis summè fuit à Diabolo tentatus, cùmque ipse videret, quòd hujusmodi tentationem corde suo non poterat expellere, manum suam, quam dicta mulier osculata fuerat, clandestinè sibi amputavit. Propter quod apud Urbem Romanam magnus tumultus contra ipsum invaluit, quia illa die Paschæ Missam suam non E celebrabat, ut consueverat; propter quod in maxima angustia ipse tunc positus fuit. Quare seipsum Beatæ Mariæ Virgini summè commendavit, & cum vigiliis & orationibus ipsam devotè supplicans, fuit valde maceratus. Quæ tandem visibiliter sibi apparuit, & ei manum suam restituit integram, pro ut antea habuerat ipsam. Et sic hujusmodi miraculum ipse Beatus Pontifex in suis prædicationibus omnibus postea frequenter publicavit.

Item quòd iste Leo post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum, & apud Romam in Ecclesia Sancti Petri in vigilia Apostolorum Petri & Pauli fuit sepultus. Sed in

in Martyrologio Usuardi dicitur III. Idus Aprilis. Qui rexit Ecclesiam viginti duobus annis, uno mense, & quindecim diebus, aliis viginti quinque. Et tunc vacavit Sedes Apostolica octo diebus, Theodosio Imperatore tunc regnante.

De Beato Hilario.

HILARIUS natione Sardus, & ex patre Crispino fuit natus, & post Beatum Leonem Papam primum in Romanum Ponti ficem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XLIX. Anno à Nativitate Domini CCCCLXV.

Item quòd tempore ipsius Hilarii regnavit Rex Artus in Britannia, qui quamvis ipse fuisset illegitimè natus, tamen ipse fuit strenuissimus & formatus in bellis, in tantum quod multa regna acquisivit. Sed quia semel in quodam bello fuit vulneratus, ideo ad quamdam Insulam pro se medicando accessit, & deinde non fuit visus.

Item quòd ipse Hilarius statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Episcoporum, alicui renuntiaret suum Episcopatum, nec sibi in suo Episcopatu constitueret aliquem in successorem. Et tunc tempore ipsius Hilarii fuit in Britania Merlinus vaticinator, qui ex quadam filia Regis de Mettre Sanctimoniali & ab incubo dæmone fuit genitus, & dæmon in specie cujusdam pulcherrimi hominis cotidie sibi apparebat, & disponebat, qui etiam osculabatur, & amplexabatur, sæpe & eam carnaliter cognoscebat, in tantum quod finaliter de ipso Merlino eam imprægnavit, & postea ipsam reliquit. Qui Hilarius post multos labores & persecutiones ad Christum migravit, & in quodam suo Monasterio, quod priùs fecerat, juxta Corpus Beati Laurentii Martyris honorificè fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam VI. annis III. mensibus, decem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus, Leone Imperatore tunc regnante.

De Beato Simplicio.

SIMPLICIUS, natione Tiburtinus, ex patre Castino fuit natus, & post dictum Hilarium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa L. Anno à Nativitate Domini CCCCLXXV. aliàs LXXII.

Item quòd ipse Simplicius dedicavit, & ædificari fecit Ecclesiam S. Stephani in Cœlio Monte apud Urbem Romanam ad honorem Dei, & ipsius Sancti Stephani Protomartyris, in cujus Ecclesia hodie est titulus cujusdam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Et quòd etiam statuit & ordinavit in Ecclesia Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Urbis Romæ VII. Presbyteros hebdomadarios, qui ibi residere deberent; & totam Urbem Romanam in quinque partes certis, & designatis Presbyteris ipse divisit, videlicet primam apud Sanctum Petrum, secundam apud Sanctum Paulum, tertiam apud Sanctum Laurentium, quartam àd Sanctum Johannem Lateranensem, quintam ad Sanctam Mariam Majorem. Et quòd nullus Clericus investituram à Laico de cetero recipere præsumat.

Item quòd iste Simplicius post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Christum, & in Ecclesia Sanctæ Bibianæ Martyris, quam in vita sua ædificari fecerat, honorificè exstitit sepultus cum quatuor millibus ducentis & quinquaginta septem Sanctorum Corporibus, exceptis parvulis & mulieribus, qui ibi antea fuerant sepulti. Qui rexit Ecclesiam XV. annis, uno mense, & VI. diebus, vel VII. diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm Chronicam Vincentii dicitur de decem & octo annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica VI. diebus, tunc Leone Imperatore regnante.

De Felice.

FELIX Tertius, natione Romanus, ex patre Felice Presbytero, de Regione Fasciolæ natus, & post dictum Simplicium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa LI. Anno à Nativitate Domini CCCCLXXXVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quinque.

Item quòd ipse Felix statuit & ordinavit, & ædificari fecit Ecclesiam Sancti Agapiti Martyris juxta Basilicam Beati Laurentii Martyris ad honorem Dei, & ipsius gloriosi Martyris Agapiti, cujus quidem Ecclesia est hodie, ut dicitur, titulus cujusdam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyteri.

Item quòd ipse Felix statuit & ordinavit, quòd cuilibet accusato de cetero à suo Episcopo induciæ concedantur, ut ipsi accusati se defendere valeant secundùm juris statuta, & quòd judices sint tales, quòd sibi caveant ab omni vitio & mala suspicione.

Item quòd ipse Felix post multos labores & persecutiones ad Christum migravit, & in Ecclesia Sancti Petri honorificè exstitit sepultus. Et rexit Ecclesiam octo annis, sex mensibus, & decem & septem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per quindecim dies, Zenone Imperatore tunc regnante.

De Gelasio.

GELASIUS Primus, natione Afer, ex patre Valerio fuit natus, & post dictum Felicem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LII. Anno à Nativitate Domini CCCCXCIV.

Item quòd iste Gelasius fecit & compilavit orationes, tractus, & hymnos, qui in Ecclesia Dei decantantur, sicut etiam Ambrosius alio modo compilavit, & etiam Præfationem Missæ, quæ incipit *verè dignum & justum est &c.* etiam composuit & ordinavit.

Item quòd iste Gelasius vidit, & audivit, ac obtinere meruit visionem, qua tempore suo sibi denuntiatum fuit, ubi esset Corpus Beati Barnabæ Apostoli. In cujus manibus textus Evangeliorum Matthæi Hebraicè scriptus fuit inventus. Et postea Inventio Mysterii Beati Michaëlis in Monte Gargano Christifidelibus exstitit revelata.

Item quòd iste Gelasius post multos labores & tribulationes ad Christum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Beati Petri honorificè exstitit sepultus. Et rexit Ecclesiam quatuor annis, octo mensibus, & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica septem diebus, Zenone tunc Imperatore regnante.

De

De Anastasio II.

ANASTASIUS Secundus, natione Romanus, ex patre Fortunato de Regione Caput-Tauri fuit natus, & post prædictum Gelasium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus. Et post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LIII. Anno à Nativitate Domini CCCCXCVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de CCCCXCIX. in quadam alia Chronica dicitur de octavo.

Item quòd iste Anastasius statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Clericus officium suum ira, vel rancore, præter Missam, omittere præsumat. Et quod ipse Anastasius Papa postea Imperatorem Anastasium excommunicavit.

Item quòd tempore ipsius Anastasii multi Presbyteri & Clerici contra ipsum Papam se erexerunt, & separaverunt se à communione ejus, eo quòd communicasset Photino Diacono Thessalonicensi, qui fuerat familiaris Acacii per Ecclesiam damnati. Et quia ipsum Acacium restituere voluit, licèt non potuit, divino judicio exstitit percussus, quia dum ad secreta naturæ accessisset, egerendo intestina, miserabiliter vitam finivit, (*) & in Ecclesia Sancti Petri fuit sepultus, Anastasio Imperatore tunc regnante.

Item quòd iste Anastasius rexit Ecclesiam duobus annis vel circa secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de uno anno, undecim mensibus, & viginti quatuor diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per quatuor dies, Anastasio Imperatore tunc regnante.

De Symmacho.

SYMMACHUS, natione Sardus ex patre Fortunato fuit natus, & post dictum Anastasium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LIV. Anno à Nativitate Domini D. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam Chronicam dicitur de DI.

Item quòd iste Symmachus statuit & ordi-

A navit, ut de cetero in diebus Dominicis, & Sanctorum festivitatibus hymnum Angelicum post *Kyrie Eleison* in Missa Clerus in choro caneret, & dicere teneatur de capite usque in finem, quia ipse post dictum hymnum Angelicum addidit & ordinavit *Laudamus te &c.*

Item quòd quum ipse Symmachus in Ecclesia Constantiniana, & quidam alter nomine Laurentius in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris una die in discordia in Papam electi fuissent, ideo Clerus, & Populus Romanus inter se fuit divisus. Qui tandem ex divina gratia, & Theoderici tunc Imperatoris potentia, iste Symmachus tamquam verus Papa communiter fuit approbatus, & dictus Laurentius à Pa-

B patu repulsus.

Item quòd iste Symmachus post paucos dies cum falsis testibus per dictum Laurentium criminaliter fuit accusatus, propter quod dictus Clerus, & Populus Romanus iterum inter se fuit divisus; quia quidam ipsi Symmacho, & quidam alii dicto Laurentio adhærebant. Quare dictus Symmachus super hoc Concilium celebravit, in quo ducenti & quindecim Episcopi viri Catholici interfuerunt. Qui coram ipsis Episcopis dictum Laurentium de crimine convictum cum suis sequacibus, tamquam invasorem & perturbatorem Ecclesiæ Dei & Sedis Apostolicæ synodaliter condemnaverunt.

C Item quòd iste Symmachus statuit & ordinavit, ut de cetero quarta pars omnium bonorum Ecclesiarum Cathedralium pro eleemosyna pauperum eroganda assignaretur. Et quod Episcopi de bonis suis necessitatibus pauperum subvenire tenerentur. Et quod statuta super rebus Ecclesiæ à Laicis facta non valeant, quantumcumque in favorem Ecclesiæ fuissent facta & ordinata.

Item quòd iste Symmachus post multos labores & tribulationes ad Christum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam quindecim annis, sex mensibus, & viginti

D quatuor diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica septem diebus, Anastasio Imperatore tunc regnante.

(*) Fabula hæc est compacta à Schismaticis Laurentianis, quam Baronius egregiè refellit ad annum 497.

VITA SYMMACHI PAPAE

E Vetustissimo Codice Capituli Canonicorum Veronensium.

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Hujus Vitae fragmenta jam evulgarat in Notis ad Anastasium Bibliothecarium Tomo III. pag. 209. *celeberrimus vir Franciscus Blanchinus, grande cum Romanae Aulae, tum Veronae patriae suae ornamentum, quem nobis ante duos annos mors invida eripuit. Ea vero ille desumserat e Bibliotheca Capituli Canonicorum Veronensium. Nimirum in rarae ac venerandae antiquitatis Codice MSto, ad idem insigne Capitulum spectante, vetustissimum hocce monumentum legitur. Verum Anno* 1732. *rem plenius exsequutus est Clarissimus Vir Joseph Blanchinus, ejusdem Francisci e fratre Nepos, atque in studiis Literarum felix aemulator, antea Canonicus Veronensis, nunc Romae piissimis & doctissimis Oratorii Patribus additus. Is enim anno* 1732. *evulgatâ* Pseudo-Athanasii Expositione in Symbolum Apostolorum, *subjunxit in calce eandem Vitam, & quidem auctiorem, una cum patrui sui Praefatione. Quamobrem, quando institutum mihi fuit, quidquid ejusmodi Vitarum occurreret, in unum Corpus inferre, ex uberiori istius editione proficiam & ego. En ergo Vitam ipsam, eamque ab aemulo quopiam Symmachi Pontificis compositam, qui videlicet partes Laurentii Antipapae sequutus videtur. Norunt eruditi, quot turbas, quot caedes concertatio ista inter Symmachum legitimum Papam, eique oppositum Laurentium in Urbe pepererit. Neque defuere virulentae accusationes & calumniae in Symmachum. At haec omnia dissipavit Romana Synodus, & auctoritas Theoderici Regis. Videnda heic praecipue Acta Synodi illius, & Sancti Ennodii Ticinensis Praesulis Opera; sed in primis magnus Annalium Ecclesiasticorum Parens, qui Symmachum, ejusque electionem & famam egregie purgavit, atque tutatus est. Cum iis componenda & emendanda sunt ista. Codicis autem Veronensis scriptura mille saltem annos excedit. Ad haec numerus LII. praefixus huic Vitae, & subsequentium Pontificum Catalogus usque ad Vigilium Papam, satis produnt, Auctorem hunc Vitas praecedentium quoque Romanorum Pontificum contexuisse. Quod si revera is in Vigilio constitit, pertinerent ista ad Scriptorem, qui circiter Annum Christi DLX. floruisset. Denique ex his habes, recte a Pagio consignatam fuisse Vigilii Papae mortem ad Annum DLV. mendose ab aliis. Ad diem vero emortualem ejusdem Vigilii quod attinet, Pagii ipsius calculi, si ad hanc Vitam exigantur, corrigendi sunt.*

LII. Symmachus sedit annos quindecim, menses septem, dies viginti & septem. Cum hoc autem fuerat Laurentius Romanæ Ecclesiæ Presbyter ordinatus Episcopus; tantaque Clerum ac Populum Romanum discordia feralis invaserat, ut nec Divina consideratio, nec metus Regius partes à propria conlisione cohiberet. Tunc coguntur utrique; Symmachus scilicet & Laurentius. Regium subituri judicium, petere comitatum. Ibi Symmachus multis pecuniis obtinet. Laurentius ad gubernandam Ecclesiam Nucerinam, Campaniæ Civitatem, plurimis coactus minis promissionibusque dirigitur. Post aliquot annos pro multis criminibus apud Regem Symmachus accusatur, quem Rex sub occasione Paschali, quod non cum universitate celebraverat, ad comitatum convo . . . . rationem . . . . . festivitatis dissonantia redditurum; fecitque apud Ariminum residere. Cumque ibidem cum suis Clericis aliquantisper moratur, (a) promeridianis horis super litus maris ambulans, vidit mulieres inde transire, cum quibus accusabatur in scelere, quæ comitatum petebant, Regiâ jussione. Dissimulans ergo se scire, quod viderat, nocte media, dormientibus cunctis, cum uno tantum conscio fugiens, regreditur Romam, seque intra Beati Petri Apostoli septa concludit. Tunc Presbyteri & Diaconi, necnon reliqui Clericorum, quos secum deduxerat, adeunt Regem, & sine sua conscientia Symmachum fugisse testantur; per quos Rex tam ad Senatum, quàm ad Clerum, præcepta super ejus quodammodo damnatione transmittit. Accusatur etiam ab universo Clero Romano, quod contra decretum à suis Decessoribus observatum Ecclesiastica dilapidasset prædia, & per hoc anathematis se vinculis irretisset. Pro diebus autem Paschalibus ab omnibus pæne vir venerabilis Petrus Altinatis Episcopus à Rege Visitator Ecclesiæ Romanæ deposcitur, & post sanctam festivitatem Synodus in Urbem Romam pro voluntate Senatus & Cleri, jubente Rege, de ejus excessibus judicatura convenit. Atque id agitur à nonnullis Episcopis & Senatoribus ne . . . . l . . , m . . . Symmac . . . . audientiæ subderetur. Hoc palam pro ejus defensione clamantibus, quod à nullo possit Romanus Pontifex, etiamsi talis sit, qualis accusatur, audiri. Sed electiores Antistites, tam pro religionis intuitu, quàm pro Regia jussione, censebant tantæ rei negotium pæne ubique vulgatum sine examine nullatenus deferendum. Cumque Synodus sub hac dissonantia plus inter partes ministraret fomenta discordiæ, tamdem constituit, ut libellus, quem offerebant Accusatores Symmachi, susceptus inter gesta solemniter panderetur. Quo facto mox per Episcopos idem Symmachus, ut occurrat ad judicium, convenitur. Sed cum per Clericos, qui ei observabant, fuisset ejus negata præsentia, iterum & tertio secundùm regulas, ut ad Synodalem conveniat audientiam per Antistites admonetur; nullumque dignatus est dare responsum. Tunc aliquanti Episcopi videntes, nihil se in causa proficere, Clerum, qui discesserat à consortio Symmachi, semel & iterum commonent,

a) *fort.* postmeridianis. *Blanchinus*. Sive pomeridianis. *Muratorius*.

monent, ut ad eum prætermisso revertatur examine. Qui se nequaquam hoc facere posse respondit, priusquam tantis criminibus impetitus, discussione regulari vel absolvatur, si innocens fuerit, vel si reus extiterit, à Sacerdotio deponatur. Sed moras Episcopi (*b*) n.....ntes cum viderent magis ac magis studia divisionis augeri, quæ sibi utilia visa sunt, pro Symmachi persona constituunt: & sic Urbem in summa confusione derelinquunt. Clerus ergo & Senatus electior, qui consortium vitaverat Symmachi, petitionem Regi pro persona Laurentii dirigit, qui eo tempore Ravennæ morabatur, Symmachi violentiam, persecutionemque declinans, ut ipse Romanæ præsederet Ecclesiæ, ubi dudum fuerat Summus Pontifex ordinatus. Quia hoc & Canonibus esset adfixum, ut unusquisque illic permaneat, ubi primitus est consecratus Antistes; vel si quibusdam commentis exinde remotus fuerit, eum modis omnibus esse revocandum. Sic Laurentius ad Urbem veniens, per annos circiter quatuor Romanam tenuit Ecclesiam: per quæ tempora, quæ bella civilia gesta sunt, vel quanta homicidia perpetrata, non est præsenti relatione pandendum. Dumque partes mutua se dissensione conlidunt, ac pro suis studiis Regale præsidium sæpe deposcunt, ad ultimum petitionem Symmachus Regi per Dioscorum Alexandrinum Diaconum destinavit, adserens magnum sibi præjudicium fieri, & maxime de Titulis Ecclesiarum, quos intra Urbem Laurentius obtinebat. Ad hanc insinuationem Regis animus delinitus Patricio Festo præcepta dirigit, admonens, ut omnes Ecclesiæ Tituli Symmacho reformentur, & unum Romæ pateretur esse Pontificem. Quod ubi Laurentius comperit, Urbem noluit diuturna conluctatione vexari, ac sua sponte in prædiis memorati Patricii Festi sine (*c*) dilatione concessit, ibique sub ingenti abstinentia terminum vitæ sortitus est. Symmachum verò postmodum, quamvis victorem, de multis rebus fama decoloravit; obscenior & maxime de illa, quam vulgo conditariam vocitabant. Necnon & de ordinibus Ecclesiasticis, quos acceptis palam pecuniis distrahebat: pro quibus rebus usque ad finem vitæ ejus Ecclesia Romana in Schismate perduravit. Hic Beati Martini Ecclesiam juxta Sanctum Silvestrum Palatini illustris Viri pecuniis fabricans & exornans, eo ipso instante dedicavit: nonnulla etiam (*d*) Cœmeteria, & maxime Sancti Pancratii renovans, plura illic nova quoque construxit.

LIII. Hormisda sedit annos novem, dies decem & septem.

LIV. Joannes sedit annos duo, menses novem, dies sexdecim.

LV. Felix sedit annos quatuor, menses duo, dies duodecim.

LVI. Bonifatius sedit annos duo, dies viginti & sex.

LVII. Joannes sedit annos duo, menses quatuor, dies sex.

LVIII. Agapitus sedit menses undecim, dies octo.

LIX. Silverius sedit menses novem.

LX. Vigilius sedit annos decem & octo, menses duo, dies novem. Moritur in Syracusis secundâ Feriâ, nocte, septimo Idus Junias, Indictione III.

EX AMALRICO AUGERIO.

HORMISDA natione Campanus de Civitate Frisilone, ex patre Justo fuit natus, & post dictum Symmachum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum extitit Papa LV. Anno à Nativitate Domini DXVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de XVII.

Item quòd ipse Hormisda Papa ad Clerum ordinavit & composuit Psalmos. Et Græcos propter Petrum Episcopum Alexandrinum excommunicatos, & anathematizatos reconciliavit. Et Imperatorem Anastasium apud Constantinopolitanam Civitatem existentem per quosdam suos Legatos canonicè monuit & requisivit, ut ab hæresi Ariana, cui favebat, discedere deberet. Et quia ipse Imperator hujusmodi Legatos audire, nec videre voluit, ideo divino judicio per ictum fulminis seu ignis de Cœlo fuit interfectus.

Item quòd cùm ipse Hormisda multas eleemosynas pauperibus erogasset, nec non etiam pluribus Ecclesiis diversa & quamplurima ornamenta contulisset, & apud Ecclesiam Sancti Petri quamdam Crucem argenti cum pluribus lapidibus pretiosis contextam & ornatam, quæ ponderabat mille & quadraginta libras, cum magna devotione dedisset, postea ad Christum migravit, & in dicta Ecclesia Sancti Petri honorificè fuit sepultus VIII. Idus Augusti. Qui quidem rexit Ecclesiam novem annis, & decem & septem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per sex dies, Anastasio Imperatore tunc regnante.

De Johanne I.

JOHANNES Primus natione Tuscus secundùm unam Chronicam, sed in alia dicitur Romanus, ex patre Constantino natus fuit, & post dictum Hormisdam Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum extitit Papa LVI. anno à Nativitate Domini DXXV.

Item quòd cùm ipse Johannes à Theoderico Rege Gothorum per Italiam regnante, & Ariana hæresi polluto apud Constantinopolim ad Justinum tunc Imperatorem coactus destinatus fuisset, mandans per ipsum dicto Imperatori, quòd nisi ipse Arianis suas Ecclesias restitueret, Christianos per Italiam constitutos gladio perimeret: Qui cùm ipse Johannes Papa apud Constantinopolim super hoc venisset, tunc à Justino Imperatore honorificè fuit receptus. Sed mandatum dicti Theoderici Regis, seu ipsius requisitionem exaudire noluit. Unde cùm ipse Johannes Papa ad dictum Theodericum Regem rediisset, & responsionem dicti Justini narrasset, statim apud Ravennam Civitatem, in qua ipse tunc erat, ipsum ligari & incarcerari crudeliter fecit. In quo quidem carcere post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum. Cujus corpus postea de Ravenna apud Urbem Romanam fuit translatum, & in Ecclesia Sancti Petri honorificè fuit sepultum, cujus quidem festum colitur V. Kal. Junii.

Item quòd propter persecutionem istius Johanis

(*b*) *fort.* nectentes. *Muratorius.*

(*c*) *Codex mendosè habet*: delatione. *Joseph Blanchinus.*

(*d*) *Cod.* Cymeteria. *Blanchin.*

hannis Papæ prædictus tyrannus Rex Gothorum XC. die post captionem ipsius Johannis divina dispositione morte subitanea fuit extinctus. Cujus animam vir quidam Eremita vidit per dictum Johannem Papam in quamdam ollam igneam projici, prout in tertio libro Dialogorum legitur & fertur. Qui quidem Johannes Ecclesiam duobus annis, & octo mensibus rexit, & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica octo diebus, Justino Imperatore tunc regnante.

De Felice IV.

FELIX Quartus, natione Samnius, ex patre Constantino natus, post dictum Johannem Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LVII. Anno à Nativitate Domini DXXVII.

B Item quòd ipse Felix statuit & ordinavit, quòd quilibet Christianus in mortis articulo existens cum Oleo Sancto juxta formam Ecclesiæ super hoc traditam inungatur, & pro salute ipsius apud Deum tunc preces fundantur speciales. Et quòd postea Patriarcham Constantinopolitanum etiam ipse Felix excommunicavit, quia perfidiæ Arianæ adhærebat.

Item quòd ipse Felix post multas tribulationes migravit ad Christum, & rexit Ecclesiam quatuor annis, duobus vel tribus mensibus, & XVIII. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense, & XV. diebus, Justino Imperatore tunc regnante.

C

De Bonifacio II.

BONIFACIUS Secundus, natione Romanus, ex patre Sigismundo, seu Sigibuldo, fuit natus, & post dictum Felicem Papam Quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LVIII. Anno à Nativitate Domini DXXXIII, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de XXXI. anno.

D Item quòd ipse Bonifacius statuit & ordinavit, quòd inter Clerum, & Populum fiat divisio in Ecclesia, seu quòd inter ipsos cancelli apponantur, dum Missa & Horæ Canonicæ in Ecclesia celebrantur. Et quòd de cetero Romanus Pontifex post mortem suam nisi post tres dies Ecclesiasticæ sepulturæ non tradatur; & quòd tunc de electione futuri Romani Pontificis tractari possit, & non ante, cessante tamen legitimo impedimento.

Item quòd de ipso Bonifacio in quadam Chronica legitur, quòd semel congregavit Concilium suum apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli. Qui quidem Papatui voluit renuntiare, & sibi quemdam Vigilium nomine ordinare successorem, sed

E ipsius oblatio à dicto Concilio tamquam sacris Canonibus contraria non fuit recepta, sed penitus refutata.

Item quòd ipse Bonifacius post multos labores & tribulationes ad Christum migravit, & in Ecclesia Sancti Petri Apostoli fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, & viginti sex diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per sex dies, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Johanne II.

JOHANNES Secundus, natione Romanus, ex patre Projecto, de Cœlio Monte fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam Secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa quinquagesimus nonus, Anno à Nativitate Domini DXXXIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de XXXIV.

Item quòd ipse Johannes Papa statuit & ordinavit, quòd festum Paschæ Domini, & alia festa ipsius per annum mobilia à Clero & Populo Christiano juxta certam formam per ipsum traditam celebrari debeant de cetero & observari. Qui quidem post multas tribulationes & persecutiones ac labores migravit ad Christum. Ecclesiam rexit duobus annis, IV. mensibus, & VI. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per septem dies, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Agapito.

AGAPITUS, natione Romanus, ex patre Gordiano, Clericus Sanctorum Johannis & Pauli, post dictum Johannem Papam Secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LX. Anno à Nativitate Domini DXXXV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de XXXVI.

Item quòd ipse Agapitus post suam promotionem audiens, quod Episcopus Constantinopolitanus nomine Anthemius hæresi Ariana erat infectus, ideo ad Urbem Constantinopolitanam statim perrexit, & tunc ipse ibi contra voluntatem Justiniani Imperatoris ibi præsentis Anthemium Episcopum canonice excommunicavit, & in exilium ipsum condemnavit, & loco ipsius in dicta Ecclesia Constantinopolitana quemdam virum Monachum nomine Mennam virum Catholicum substituit, & eum subrogavit, & nihilominus gratia divina suffragante postea à dicto Imperatore Justiniano gratiam obtinuit & honorem.

Item quòd ipse Agapitus post multas tribulationes & dolores apud dictam Urbem Constantinopolitanam ad Christum migravit, cujus corpus postea apud Urbem Romanam fuit delatum, & in Ecclesia Sancti Petri fuit sepultum.

Item quòd ipse Agapitus tempore mortis suæ meritis suis meruit obtinere, ut beatus & gloriosus Benedictus Abbas, Christi Confessor, ac omnium Monachorum pater eximius, & ipsorum Patronus præcipuus, ipsum tunc Agapitum Papam in gloria Dei Patris associaret, & cum eo ipse Agapitus gloriam æternam possideret.

De Silverio.

SILVERIUS natione Campanus, ex patre Hormisda Episcopo Romano fuit natus, & post dictum Agapitum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa LXI. Anno à Nativitate Domini DXXXVII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de tricesimo octavo.

Item quod iste Silverius multas tribulatio-

tnes

A nes & dolores passus fuit, in tantum quod fuit tanta fames tunc in partibus Italiæ, quòd homines & mulieres comedebant filios suos, propter quam pestilentiam infiniti utriusque sexus mortui fuerunt, & multæ desolationes in partibus illis supervenerunt.

Item quòd cum ipse Silverius Anthemium ab Agapito Papa depositum, & ejus reconciliationem recipere noluisset, ideo se Monachum fieri simulavit, & deinde cum Imperatore & ejus uxore quidam nomine Vigilius Archidiaconus, qui tunc Papatum Ecclesiæ Romanæ habere affectabat, in Romanum Pontificem fuit assumtus. Et ideo ipse Silverius à dicto Imperatore in Pontiam Insulam pro Christi nomine fuit relegatus, & ibi mortuus B fuit. Cui dictus Vigilius in dicto Papatu successit. Qui quidem rexit Ecclesiam Romanam uno anno, quinque mensibus, & undecim diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Vigilio.

VIGILIUS, natione Romanus, ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Silverium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa LXII. Anno à Nativitate Domini quingentesimo quadragesimo, & secundùm C aliam Chronicam dicitur de DXLI.

Item quòd ipse statuit & ordinavit, quod de cetero Missa in Ecclesia celebrari debeat in partibus Orientalibus, cum antea ibi ipsa Missa non celebraretur, prout referunt aliqui Chronicarum auctores. Et quod postea iste Vigilius à Theodora Imperatrice valde fuit persecutus propter Anthemium Episcopum Constantinopolitanum de hæresi condemnatum, quem ipse persequebatur, prout persecutus fuerat Silverius suus prædecessor, in tantum quod una die dum ipse Vigilius Papa Missam suam celebrabat apud Urbem Romanam in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ, de mandato dicti Imperatoris fuit captus & detentus, & apud Constantinopolim Civitatem cum ma- D gno vituperio exstitit perductus.

Item quòd cum ipse Vigilius postea ad requisitionem Imperatoris dicto Anthemio suo ex Episcopatu deposito, & de hæresi Ariana condemnato ipsum Episcopatum restituere nollet, ideo ipse Vigilius de mandato dictæ Imperatricis ab Ecclesia Sanctæ Sophiæ, ad quam ipse fugerat cum complicibus suis, violenter fuit extractus, & summe colaphizatus, & deinde cum una chorda in collo suo ligatus à mane usque ad vesperum per totam civitatem exstitit tractus, & deinde in exilium fuit transmissus.

Item quòd cum ipsum Vigilium PP. postea valde pœnituit, quia Papatum injuste obti- E nuerat, & cum auxilio dictæ Imperatricis Silverium suum prædecessorem contra Deum, & justitiam fuerat persecutus, & in exilio relegatus, & pro Christi Fide in exilium ipse fuit deportatus. Cumque postmodum à suo exilio per dictum Imperatorem Constantinopolitanum fuisset revocatus, & ad Urbem Romanam redire vellet per Insulam Cæciliæ veniendo ibi in Civitate Syracusana migravit ad Dominum, & deinde apud Romam fuit corpus translatum, atque sepultum. Qui quidem rexit Ecclesiam XVII. annis, VI. mensibus, & viginti sex diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tribus mensibus & quinque diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Pelagio I.

PELAGIUS Primus natione Romanus, ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Vigilium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa LXIII. Anno à Nativitate Domini DLVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DLVII.

Item quòd ipse Pelagius composuit & ordinavit omnes Præfationes, quæ in Missa dicuntur, & decrevit ipsas ibi de cetero legendas, & decantandas, prout in Libris Ecclesiasticis continetur. Et quod hæretici, & schismatici per seculares puniantur, remissione tamen de ipsis primo eis facta secundùm canonicas sanctiones.

Item quòd quum ipse Pelagius de morte Vigilii Papæ fuisset accusatus, & diffamatus, ideo in præsentia totius Populi apud Romanam Urbem Crucem Dei & Evangelia in manibus suis tenendo se à tali crimine canonice purgavit.

Item quòd ipse Pelagius post multas tribulationes & dolores & persecutiones feliciter migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam IV. annis, & decem mensibus, & decem & octo diebus secundùm unam Chronicam, sed in quadam alia Chronica dicitur de undecim annis & decem mensibus, & decem & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tribus mensibus, & viginti quinque diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Johanne III.

JOHANNES Tertius, natione Romanus, ex patre Anastasio viro illustrissimo fuit natus, & post dictum Pelagium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXIV. Anno à Nativitate Domini quingentesimo sexagesimo tertio; sed in alia Chronica dictus de DLXII.

Item ipse Johannes reparavit & restauravit omnia Cœmeteria Sanctorum Martyrum Urbis Romæ, & Ecclesiam Apostolorum Philippi & Jacobi in Urbe Romana antea inceptam ex toto perfecit & complevit, & postea ipsam solemniter dedicavit, sive consecravit.

Item quòd ipse Johannes post multas tribulationes & labores migravit ad Christum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri ipse honorificè fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam XIII. annis, novem mensibus & viginti septem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem mensibus & tribus diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Benedicto I.

BENEDICTUS Primus natione Romanus, ex patre Bonifacio natus, post dictum Johannem tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa LXV. Anno à Nativitate Domini DLXXV. secundùm unam Chronicam, sed in quadam alia dicitur de DLXXVII.

&

& secundùm aliam legitur de DLXXIX.

Item quòd ipse Benedictus multos labores & afflictiones & tribulationes pro Fide Christi sustinuit, quia tempore suo Longobardi Italiam intraverant, & ipsam totam invaserunt; propter quod fames & mortalitates summæ & infinitæ ibi fuerunt.

Item ipse Benedictus post hujusmodi labores & tribulationes migravit ad Dominum, & apud Romam in Ecclesia Sancti Petri fuit honorifice sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam tribus annis, uno mense, & XVIII. diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de IV. mensibus, & decem diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Pelagio II.

PELAGIUS Secundus, natione Romanus, ex patre Vinigildo fuit natus, & post dictum Benedictum Papam Primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa sexagesimus sextus Anno à Nativitate Domini DLXXX. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam DLXXXI.

Item quòd ipse Pelagius multos labores & afflictiones pro Christi nomine sustinuit, quia tempore suo Langobardi Urbem Romanam obsederunt, & multa mala ibi perpetraverunt, & quasi totam Italiam devastaverunt, & exinde multa mala, atque scandala, quæ referri bene non possunt, perpetrata fuerunt.

Item quòd iste Pelagius audiens & attendens, quòd Monasterium Beati & gloriosi Benedicti Abbatis & Confessoris in Monte Casino situatum, à perfidis Longobardis fuerat destructum, & omnibus bonis suis spoliatum, & quòd Monachi ipsius Monasterii viri religiosi cum Codice, seu Libro Sanctæ Regulæ ejusdem Beati Benedicti, nec non etiam cum pondere panis, & vini mensura, quæ ipsis per Benedictum gloriosum fuerant ordinata, & ad ipsum venerant apud Urbem Romanam, videns etiam & audiens tantas persecutiones, & Ecclesiarum destructiones, ideo ex ipsius cordis dolore migravit ad Christum, & in Basilica Beati Petri Apostoli Urbis Romæ VI. Nonas Martii fuit honorificè sepultus.

Item quòd ipse Pelagius rexit Ecclesiam decem annis, duobus mensibus, & decem diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quinque diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica sex mensibus, & vigintiquinque diebus, Tiberio secundo Imperatore tunc regnante.

De Beato Gregorio.

GREGORIUS Primus & Magnus, sic meritò appellatus, quia summus & Doctor fuit egregius, natione Romanus, ex patre Gordiano viro clarissimo, & matre Silva fuit natus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXVII. & post dictum Pelagium Papam Secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus Anno à Nativitate Domini DLXXXX. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DLXXXXI. anno, & in quadam alia dicitur de DLXXXXIII.

Item quòd ipse Beatus Gregorius sic primus & Magnus meritò est vocatus, quia à

A Deo fuit electus, & sub regula Beati Benedicti Patris Monachorum verus cultor exstitit, ac etiam Monachus devotus, atque religiosus, in tantum quod mortalis lingua explicare non possit illa & tanta dona, quæ in Dei Ecclesia per ejus doctrinam, & merita, & exempla pro salute fidelium sunt subsequuta. Nam tempore suo in artibus liberalibus, videlicet Grammatica, Rhetorica, & Dialectica sibi similis non exstitit inventus in Urbe Romana. Et nihilominus ipse fuit tanta compunctione ac Dei timore plenus, & humiliter summus, ac tantâ gratiâ Spiritus Sancti exstitit ornatus, quod exinde Summus Pontifex meritò Urbis & Orbis fuit factus.

B Item quòd ipse Beatus Gregorius ante suam promotionem, omnem secularem pompam ex suo palatio penitus exclusit, & ibi multos Clericos, & Monachos prudentissimos, & viros catholicos atque perfectos sibi associavit; cum quibus ipse persistens nihil aliud audire volebat, nisi illa, quæ erant Monasticæ perfectionis, & Pontificalis instructionis.

Item quòd ipse Beatus Gregorius statuit & ordinavit Antiphonarium, & ipsum sub certis regulis cantus intonavit, seu super hoc intonandi modum certas regulas dedit, & utiliter ipsum compilavit. Et quòd de cetero propter Dei honorem, & Cleri imitationem,

C ac Populi devotionem unum Canticum à Clero diceretur, seu decantaretur, quod quidem in libris Ecclesiasticis Introitus Missæ vocatur, & quòd exinde *Kyrie & Christe eleyson* ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis dici & decantari deberet, & per totum annum nisi in certis diebus cum *Alleluja* in Missa, & in Horis canonicis, diurnis, & nocturnis decantari deberet.

Item quòd iste Beatus Gregorius statuit & ordinavit, quòd post Epistolam in Missa etiam Canticum, quod Graduale vocatur, & post ipsum *Alleluja*, & post Evangelium aliud Canticum etiam decantaretur, quod Offertorium nuncupatur, & post Communionem Sa-

D cerdotis aliud Canticum etiam decantaretur seu diceretur.

Item quòd ipse Gregorius Britannos Sacerdotes & * rusticos Campaniæ tam suis prædicationibus, & inductionibus, quàm exemplis à paganitate, vanitate, & cœcitate salubri viæ revocavit. Et postea hæresim apud Africam regnantem, & Manichæorum apud Siciliam, & Arianorum apud Hispaniam, unà cum sequacibus eorum, suffragante Domino à corpore Sanctæ Matris Ecclesiæ penitus prostravit.

Item quòd iste Beatus Gregorius ad Dei honorem, & ejus Ecclesiæ decorem, & pro salute omnium Fidelium, multa & infinita

E volumina expositionum Evangeliorum, & Sermonum elegantissimorum, atque eruditionum moralium compilavit, in quibus quidem Sacramentorum mysteria aperiuntur, & amor vitæ æternæ, atque morum præcepta sufficienter explicantur. Et in Canone Missæ addidit ista verba quæ sequuntur videlicet: *diesque nostros in tua pace disponas*.

Item quòd ipse Gregorius fuit tantæ caritatis, & perfectionis, quod apud Romam in domo sua propria ad Dei honorem, ejus Matris, & Beati Benedicti Abbatis gloriosi, & Confessoris, quoddam Monasterium Monachorum Ordinis ejusdem solemniter ædificari fecit,

Item

Item quòd ipse Gregorius statuit & ordinavit in remissionem peccatorum totius humani generis, ut de cetero singulis diebus Quadragesimæ fieri deberent Stationes in Urbe Romana, & etiam pro devotione Fidelium ibi celebrandæ; ne de cetero erroris antiqui semen pullularet. Quæ quidem Letaniæ, seu Processiones communiter ibi appellantur.

Item quòd ipse statuit & ordinavit, ut omnes imagines dæmonum, & capita & membra ipsorum, quæ tam in Urbe Romana, quàm extra inveniri possent, amputari, & dilaniari deberent, ut propter hoc exstirpatâ hæreticæ pravitatis radice Ecclesiasticæ veritatis palma plenius exaltaretur.

A Item quòd ipse Beatus Gregorius statuit & ordinavit, ut de cetero ad honorem Dei, & Apostolorum Petri & Pauli, & propter Cleri, & Populi devotionem supra Corpora Apostolorum à Papa vel à Cardinalibus suis Missæ dici debeant atque celebrari.

B Item quòd ipse Gregorius propter quamdam pestem, seu infirmitatem inguinariam, quæ tunc in partibus Italiæ terribiliter regnabat, & homines subitò interficiebat, statuit & ordinavit, quòd tunc septiformis Processio, seu Letania, in Urbe Romana per ordinem celebraretur, prout sequitur. Et primò Papa procedebat, & in secunda Processione Abbates cum Monachis suis, & in tertia Abbatissæ cum Monialibus suis, & in quarta omnes Infantes, & in quinta omnes Laici, & in sexta omnes Viduæ, in septima & ultima omnes Conjugati.

C Item quòd ipse Gregorius fuit tantæ humilitatis & gratiæ, ut in Literis suis noluerit se prænominari tamquam Papa, vel Romanus Pontifex, sed tantum adinstar & exemplum Jesu Christi solum Pontifex, & nihilominus *Servus Servorum Dei* in suis Literis addi voluit. Et inde omnes Romani Pontifices sui successores formam assumserunt, & ipsam formam usque ad præsentem diem observare ipsi consueverunt.

D Item quòd iste Beatus Gregorius statuit & ordinavit, ut de cetero Oratio Dominica quæ incipit *Pater noster* &c. alta voce de cetero dici debeat & decantari in Missa, quum antea submissa voce à Presbytero tantum diceretur seu legeretur, ut Populus eam addiscere deberet.

Item quòd ipse Gregorius post multos labores cum summo honore totius Cleri, & gratia Populi Altissimo reddidit & commendavit animam suam, in tantum quod non solùm apud Urbem Romanam, sed etiam per universum Orbem sua multa opera & exempla sunt notoriè divulgata, & à Christo in suo Palatio coram eo existunt descripta.

E Item quòd ipse postea in Urbe Romana in Ecclesia Sancti Petri apud Sacrarium cum summa Populi devotione fuit sepultus IV. Idus Martii. Qui rexit Ecclesiam Romanam tresdecim annis, sex mensibus, & sexdecim diebus, Mauricio Imperatore tunc regnante.

De Saviniano.

SAVINIANUS natione Tuscus, de Civitate Blera, & ex patre Bono fuit natus, & post Beatum Gregorium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa sexagesimus octavus Anno à Nativitate Domini DCV. in alia dicitur de DCVI.

Item quòd ipse Savinianus statuit & ordinavit, ut de cetero in omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus quàm Parochialibus horæ diei & noctis cum cymbalis, vel campanis celebrentur, ut Clerus ad psallendum horas Canonicas, & Populus ad audiendum ipsas incitetur.

Item cùm iste Savinianus liberalitati Beati Gregorii, quam exercuerat, derogaret, & super hoc eum vilipenderet pro eo quia nimia sua liberalitate thesaurum Ecclesiæ pauperibus & egenis amore Dei dederat, ideo ipse Savinianus suas eleemosynas egenis & pauperibus subtrahebat. Unde Beatus Gregorius semel, secundo, & tertio in visione sibi apparuit, & ipsum Savinianum valde increpavit. Et quia ipse ab hujusmodi detractione seu derisione emendare se nolebat, ideo præfatus Gregorius iterum sibi apparuit, & summè de præmissis eum increpavit, & eum nihilominus super caput percussit, cujus dolore, & corporis vexatione paulo post expiravit, & in Ecclesia Sancti Petri Urbis Romæ sepultus fuit.

Item quòd iste Savinianus rexit Ecclesiam uno anno, XV. mensibus & novem diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de uno anno, quinque mensibus & novem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense, & XXV. diebus, Phocâ Imperatore tunc regnante.

De Bonifacio III.

BONIFACIUS Tertius natione Romanus ex Patre Johanne Cataudioce fuit natus, & post dictum Savinianum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXIX. Anno à Nativitate Domini DCVI.

Item quòd iste Bonifacius statuit & ordinavit, ut de cetero omnes panni, qui desuper altare ponuntur, pulchri & nitidi existant propter Dei honorem, & Populi devotionem. Et post multos labores, & tribulationes migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, octo mensibus, & XXVI. diebus, sed in quadam Chronica dicitur de octo, quod tamen non videtur fore verum, Phoca Imperatore tunc regnante.

De Bonifacio IV.

BONIFACIUS IV. natione Marsensis de Civitate Valeria, ex patre Johanne medico fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXX. Anno à nativitate Domini DCVII.

Item quòd ipse Bonifacius obtinuit à Phoca tunc Imperatore, ut Ecclesia Beati Petri Apostoli Urbis Romæ esset caput omnium Ecclesiarum, quia Constantinopolitana Ecclesia antea primam se scribebat omnium Ecclesiarum. Et ulterius obtinuit ab eodem Imperatore sibi dari quoddam Templum, quod Romæ antea Pantheon vocabatur, in quo ibi esse Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum cum summo honore instituit atque ordinavit. Et quod de cetero singulis annis prima die mensis Novembris magna solemnitas ibidem perpetuò celebraretur.

Item quòd iste Bonifacius post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum. Qui rexit Ecclesiam sex annis, octo mensibus, & duodecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica quinque mensibus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de septem mensibus, & XXV. diebus, Phoca Imperatore tunc regnante.

De Deusdedit.

DEUSDEDIT natione Romanus, ex patre Stephano Subdiacono fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXI. Anno à Nativitate Domini DCXIII. & in alia Chronica dicitur de DCXVI.

Item cùm ipse Deusdedit quemdam Leprosum vel lepra infectum quadam die invenisset, & ille ob Dei reverentiam, & Cleri ac populi exemplum & doctrinam ipsum osculatus fuisset, statim gratiâ Dei interveniente à lepra ipse Leprosus fuit sanatus. Qui quidem postea statuit & ordinavit, ut de cetero nulla mulier filium suum de sacro Fonte suscipere præsumat, cùm antea contrarium communiter observaretur.

Item quòd ipse Deusdedit post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli honorificè à Clero & Populo fuit sepultus. Qui rexit Ecclesiam tribus annis & XX. diebus secundùm unam Chronicam, sed in alia dicitur sex annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense & XVI. diebus, Eraclio Imperatore tunc regnante.

De Bonifacio V.

BONIFACIUS V. natione Campanus, de Civitate Neapoli ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Deusdedit Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXII. Anno à Nativitate Domini DCXVI. secundùm unam Chronicam, sed in alia dicitur de decimo nono.

Item quòd ipse statuit & ordinavit ut de cetero fures Ecclesiarum, qui sacrilegi sunt censendi, in omnibus Ecclesiis diebus Dominicis & festivis excommunicarentur & anathematizarentur. Et quod testamentum, Principis, vel secularis potestatis jussione factum, de cetero valeret, & quod nullus Acolythus Reliquias Sanctorum de cetero levare præsumat de aliquo loco sine licentia ipsius vel proprii Diœcesani.

Item quòd ipse statuit & ordinavit, & dedit certam & deputatam Immunitatem, seu libertatem omnibus Ecclesiis propter Dei reverentiam & honorem, ut de cetero qui pro culpa sua ad aliquam Ecclesiam confugerit, ibi tutè recipiatur & defendatur, & quòd à nemine ab ipsa Ecclesia violenter extrahatur, prout in Decretis Sanctorum Patrum continetur.

Item quòd ipse Bonifacius post multos dolores & afflictiones ad Christum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam quinque annis, & sexdecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica sex mensibus & tresdecim diebus, Eraclio Imperatore tunc regnante.

A

De Honorio I.

HONORIUS Primus, natione Campanus, ex patre Petronio Consule fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam V. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa LXXIII. Anno à Nativitate Domini DCXXI. secundùm unam Chronicam, sed in quibusdam aliis Chronicis dicitur de DCXXV.

Item quòd ipse Honorius statuit & ordinavit, ut de cetero singulis septem annis in die Sabbati ad honorem Dei, & Beati Petri Apostoli, & aliorum Sanctorum, qui ibi requiescunt, ad Ecclesiam ipsius Beati Petri Letaniæ, seu Processiones solemnes à Clero & Populo celebrari debeant. Et ipse Clerum & Populum suis prædicationibus & exemplis cotidie erudiebat seu informabat, ac de thesauris Ecclesiæ egenis & Christi pauperibus etiam subveniebat. Et multas Ecclesias auro & argento tempore suo mirificè decoravit.

B

Item quòd ipse Honorius Ecclesiam Beati Petri Apostoli auro & argento ac lapidibus pretiosis splendidè, & inenarrabiliter perornavit, & eam tabulis æreis per totum mire cooperuit, & deinde Ecclesiam Beatæ Agnetis Sanctorum Pancratii, & Quatuor Coronatorum mirificè ad ipsorum gloriam & honorem ædificari fecit.

C

Item ipse Honorius post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & in Urbe Romana apud Ecclesiam Sancti Petri Apostoli honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam duodecim annis, undecim mensibus & viginti diebus, aliàs viginti octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica septem mensibus, & decem & octo diebus, Eraclio Imperatore tunc regnante.

De Severino.

SEVERINUS natione Romanus, ex patre Abieno fuit natus, & post dictum Honorium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXIV. Anno à Nativitate Domini sexcentesimo tricesimo tertio secundùm unam Chronicam, & in quadam alia dicitur de DCXXXVIII.

D

Item quòd ipse Severinus exstitit vir sanctus, benignus & amator Dei & pauperum Christi summus, & nihilominus res Ecclesiarum, & possessiones ipsarum summè ampliavit & dilatavit. Qui quidem post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero, & Populo honorificè fuit sepultus, & rexit Ecclesiam duobus annis & IV. mensibus, & tresdecim, vel viginti tribus diebus, Eraclio Imperatore tunc regnante.

E

De Johanne IV.

JOHANNES Quartus, natione Dalmatiæ, seu Dalmaticus, ex patre Venantio Scholastico fuit natus, & post dictum Severinum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXV. Anno à Nativitate Domini DCXXXVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCXLI.

Item quòd ipse Johannes cum thesauris Ecclesiæ

clesiæ multa millia hominum per Istriam, & Dalmatiam à captivitate & servitute Paganorum redemit, & ad Ecclesiæ unitatem eos reduxit, & cum suo ingenio subtili, & cautelâ maximâ Corpora Sanctorum Anastasii & Vincentii Martyrum, & quamplurimorum aliorum Sanctorum de Dalmatia & Istria regionibus supradictis perduci atque deportari fecit, & exinde apud Urbem Romanam juxta Fontem Lateranensem in Oratorio Sancti Johannis Evangelistæ cum summa devotione, & honore, præsente Cleri & populi multitudine copiosa, solemniter hujusmodi Sanctorum corpora recondi fecit atque sepeliri.

Item quòd ipse Johannes post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno & octo mensibus, aliàs novem, & decem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense & XIII. diebus, Eraclio Imperatore tunc regnante.

De Theodoro I.

THEODORUS Primus, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de Civitate Hierusalem fuit natus, & post dictum Johannem Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa Septuagesimus sextus, Anno à Nativitate Domini DCXLI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCXLII.

Item quòd ipse Theodorus statuit & ordinavit benedictionem Cerei Paschalis, & ipsius formam, quæ in omnibus Ecclesiis Sabbato Sancto dicitur & celebratur, & quemdam Librum Pœnitentialem pro instructione fidelium Episcoporum edidit & compilavit. Et Paulum Episcopum Constantinopolitanum tamquam hæreticum, & hæreticorum fautorem deposuit canonicè & coudemnavit.

Item quòd ipse Theodorus post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri à Clero & Populo honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam VI. annis, quinque mensibus, & octo diebus secundùm unam Chronicam sed secundùm aliam dicitur de uno anno, & novem mensibus, & decem & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense & tresdecim diebus, Eraclio Imperatore tunc regnante.

De Martino I.

MARTINUS Primus, de Civitate Tudertina provinciæ Tusciæ fuit natus, & post dictum Theodorum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXVII. Anno à Nativitate Domini DCXLIX. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCXLVI.

Item quòd cum quidam nobilis nomine Olympius à Constantino tunc Imperatore Constantinopolitano ad Italiam pro ipsa regenda fuisset missus, & ad instigationem Pauli hæretici, & Patriarchæ Constantinopolitani ab ipso Imperatore mandatum habuisset, ut istum Martinum Papam occidere deberet, & ipsum mandatum Imperatoris ipse commodè adimplere non posset, ideo ipse Olympius tractavit, ut inter Missarum solemnia, dum idem Martinus Papa Communionem sibi daret, quòd quidam familiaris ipsius Olympii prædictum Papam interficere deberet. Cumque manum suam contra istum Papam cum gladio ipse familiaris tunc elevasset, statim nutu divino ille cœcus fuit factus, & sic intentionem suam & promissionem adimplere nequivit.

Item quòd iste Martinus postea apud Urbem Romanam Concilium celebravit, in quo quidem Concilio centum & quinque Episcopi interfuerunt. Et tunc prædictum Paulum Patriarcham Constantinopolitanum falso nomine sic appellatum, tamquam verum hæreticum & patrem hæreticorum, ac Ecclesiæ & Ecclesiasticarum personarum persecutorem, synodaliter condemnavit cum suis sequacibus, & anathematizavit.

Item quòd cùm postmodum ipse Martinus prædictum Paulum & sequaces suos viriliter persequeretur pro sustinenda Fide Catholica, & ipsa exaltanda summè laboraret, tunc de mandato dicti Constantini Imperatoris à quodam suo Locumtenente dictus Martinus Papa fuit captus, & ad prædictam Civitatem Constantinopolitanam fuit perductus, & tandem ab Imperatore pro Christi nomine in exilium fuit deportatus.

Item quòd ipse Martinus post multas tribulationes in dicto exilio migravit ad Dominum. Cujus festum crastina die Sancti Martini Episcopi, scilicet pridie Idus Novembris in Ecclesia Dei celebratur. Qui quidem rexit Ecclesiam sex annis & uno mense, & XXVI. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XXVIII. diebus, prædicto Constantino Imperatore tunc regnante.

De Eugenio I.

EUGENIUS Primus natione Romanus, de regione Aventina, Clericus fuit, ex patre Ruffiniano fuit natus, & post dictum Martinum Papam Primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum extitit Papa LXXVIII. Anno à Nativitate Domini DCLIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCLVI.

Item quòd ipse Eugenius fuit vir summè benignus, & omnibus valde amabilis, & multùm perfectus, ac morum honestate præclarus, ac refugium pauperum, atque orphanorum, & viduarum verus in omnibus Patronus, & omni sanctitate & gratia repletus, & Ecclesiarum, ac personarum Ecclesiasticarum Protector & defensator exstitit summus.

Item quòd ipse Eugenius post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli ipse honorificè fuit sepultus, qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, octo mensibus, & XXII. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense, & XXVIII. diebus, prædicto Imperatore tunc regnante.

De Vitaliano.

VITALIANUS natione Signensis, aliter Sienensis de provincia Campaniæ, ex patre Anastasio fuit natus; & post dictum Eugenium Papam Primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Pe-

trum Apostolum exstitit Papa LXXIX. Anno à Nativitate Domini DCLVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur DCLVIII.

A

Item quòd iste Vitalianus composuit Cantum Romanorum, & ipsum cum Organo & melodia concordavit, & super his certas, & claras regulas dedit & assignavit, & modum cantandi, & discantandi, & organizandi in Ecclesia ad honorem Dei, & omnium Civium supernorum ipse invenit & ordinavit. Et sub isto tempore quidam de Britannia gratiâ divinâ resurgens à morte, multa, quæ ipse vidit de locis pœnarum & Purgatorii enarravit.

Item quòd cùm secundùm consuetudinem Romani Pontificis pro sua promotione denuntianda Nuntios speciales apud Civitatem Constantinopolitanam ad Imperatorem ipse misisset, ipsos cum gaudio & reverentia recepisset, & eos pertractasset, postea idem Imperator omnia Privilegia ab ipso & suis Prædecessoribus Ecclesiæ Romanæ concessa renovavit, & approbavit. Quæ quidem Privilegia sic renovata & approbata coram Sacrosancto Evangelio cum literis de auro conscripsit, & desuper lapidibus pretiosis miro modo tunc contexta per ipsos Nuntios speciales apud Urbem Romanam Beato Petro Apostolo transmisit, obtulit, & præsentavit.

B

Item quòd ipse Vitalianus post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Christum, & in dicta Ecclesia Sancti Petri à Clero, & Populo honorificè exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam XIV. annis & tredecim diebus, & sex mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus mensibus & tredecim diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

C

De Adeodato.

ADEODATUS, natione Romanus, ex Monacho, patre Joviniano fuit natus, & post dictum Vitalianum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXX. Anno à Nativitate Domini DCLXXI secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur DCLXXII.

D

Item quòd ipse Adeodatus fuit gratiæ & benignitatis tantæ, ut omnem hominem à minori ad majorem ad se venientem cum facie jocunda, & verbis summè gratiosis recipiebat, & postmodum ipsos gavisos, & summè consolatos remittebat. Et quod majus Monasterium Civitatis Turonensis ob reverentiam Dei, & Beati Martini Episcopi & Confessoris privilegiavit, & sub jure Romani Pontificis speciali immediatè constituit, & sibi submisit.

Item quòd tempore hujus Adeodati Papæ gloriosum Corpus Sancti Benedicti Abbatis & Confessoris, & omnium Monachorum Patris præcipui de Monte Casino apud Monasterium Floriacense, quod est Aureliacensis Diœcesis, & etiam Sanctæ Scholasticæ Sororis ejus, apud Civitatem Senonianensem cum magno gaudio & honore deportata fuerunt, atque translata.

E

Item quòd ipse Adeodatus post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli honorificè exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam IV. annis, duobus mensibus, & una die, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quinque diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica IV. mensibus, & quindecim diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

De Dono.

DONUS, aliàs Domnus, natione Romanus, ex patre Mauricio fuit natus, & post dictum Adeodatum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXXI. Anno à Nativitate Domini DCLXXV.

Item quòd ipse Domnus Papa locum, Paradisum vocatum, qui est apud Urbem Romanam ante Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, summè decoravit. Qui quidem post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo exstitit honorificè sepultus. Et rexit Ecclesiam uno anno, & quinque mensibus, & decem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus mensibus, & quinque diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

De Agathone.

AGATHON, natione Siculus post dictum Donum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa LXXXII. Anno à Nativitate Domini DCLXXVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCLXXIX.

Item quòd ipse Agathon fuit vir perfectus, & à Deo & omnibus gentibus amabilis, & summè perfectus, & omni sanctitate repletus in tantum quòd una die inveniens unum leprosum, eum osculatus fuit, & statim à lepra sua, gratia Dei suffragante exstitit curatus atque mundatus. Qui quidem Agathon Theodorum Archiepiscopum Ecclesiæ Ravennensis, qui diu ante Romanæ rebellaverat, ad unitatem, & obedientiam Sedis Apostolicæ reduxit.

Item quòd ipse Agathon Papa post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo exstitit sepultus. Qui rexit Ecclesiam duobus annis, sex mensibus, & tribus diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno anno, VII. mensibus, & quindecim diebus secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur de duobus annis, Constantino IV. Imperatore tunc regnante.

De Leone II.

LEO Secundus, natione Siculus, ex patre Paulo fuit natus, & post dictum Agathon Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXXIII. Anno à Nativitate Domini DCLXXXII.

Item quòd ipse Leo ante suam promotionem Linguâ Græcâ & Latinâ sufficienter erat eruditus, propterea Sanctam Sextam Synodum studiosissimè de Græco transtulit in Latinum. Et postea ipse statuit, & ordinavit, ut de cetero defuncto Archiepiscopo Ravennatensi

natensi electus, qui pro tempore fuerit, Sedi Apostolicæ suam Electionem de cetero præsentare teneatur propter rebellionem, quam antea quidam Archiepiscopus, & Ecclesia Ravennatensis dictæ Sedi Apostolicæ habere præsumpserunt.

Item quòd iste Leo post multos labores & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, & undecim mensibus; sed secundùm aliam Chronicam dicitur decem & octo mensibus, & decem & septem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica novem mensibus, & duodecim diebus, Constantino IV. Imperatore tunc regnante.

De Benedicto II.

BENEDICTUS Secundus, natione Romanus, & ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Leonem Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXXIV. Anno à Nativitate Domini DCLXXXIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam scribitur DCLXXXIV.

Item quòd ipse Benedictus, quamvis cum potentia Imperatoris Papa factus fuisset, tamen ipse meritis, doctrinis, & exemplis nomen suum benedictum finaliter amplificavit in tantum quòd ipse tempore suo multa bona fecit, seu procuravit.

Item quòd ipse Benedictus post multos labores & corporis sui afflictiones ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè fuit sepultus VIII. Idus Martii. Qui quidem rexit Ecclesiam decem mensibus, & duodecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus mensibus, & quindecim diebus, Constantino IV. Imperatore tunc regnante.

De Johanne V.

JOHANNES V. natione Syrus de Civitate Antiochia, ex patre Cyriaco fuit natus & post dictum Benedictum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXXV. Anno à Nativitate Domini DCLXXXV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCLXXXVI.

Item quòd ipse Johannes composuit quemdam Librum de Pallii dignitate, & postea multos alios libros fecit, & ordinavit, atque compilavit ad Dei honorem & Ecclesiæ universalis decorem, atque Clericorum utilitatem & Laicorum instructionem.

Item quòd ipse Johannes post multos labores & corporis sui afflictiones ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam à Clero & Populo honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, & decem mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus diebus, Constantino IV. Imperatore tunc regnante.

De Zenone.

ZENON, aliàs scribitur Conon, natione Romanus, ex regione Cœlii Montis, ex patre Benedicto fuit natus, & post dictum Johannem Papam V. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXXVI. Anno à Nativitate Domini DCLXXXVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur DCLXXXVII.

Item quòd ipse Zenon fuit vir perfectus, Deo & omnibus amabilis, vitæ perfectæ, & laudabilis conversationis, orphanorum magnus protector, & viduarum defensator eleemosynarum pauperum largus, & magnus fuit administrator, seu defensator communiter omnium.

Item quòd ipse Zenon Papa post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè fuit sepultus XI. Kalen. Octobris.

Item quòd ipse Zenon Papa rexit Ecclesiam XI. mensibus & novem diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de uno anno & undecim mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense, & decem & octo diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

De Sergio I.

SERGIUS Primus, natione Syrus, de regione Antiochena, ex patre Tiberio fuit natus, & post dictum Zenonem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa LXXXVII. Anno à Nativitate Domini DCLXXXVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm alia dicitur de DCLXXXIX.

Item quòd ipse Sergius statuit & ordinavit, ut post Orationem Dominicam *Agnus Dei* tribus vicibus ad honorem Sanctæ Trinitatis à Clero diceretur & decantaretur in Missa ante Corporis Christi sumtionem seu fractionem.

Item quòd iste Sergius, ex divina revelatione in Sacrario Sancti Petri Apostoli apud Urbem Romanam in quodam loco obscurissimo invenit quamdam capsam argenteam cum quodam sigillo valde corroboratam, in qua erat quædam Crux auro & argento cum lapidibus pretiosis summe perornata, & infra hujusmodi Crucem quædam particula quantitatis seu pecia venerabilis Sanctæ Crucis, in qua Dei Filius fuit crucifixus, mirificè erat collocata. Quam Crucem postea cum magno gaudio & honore & summa processione, præsente multitudine Fidelium copiosa ipse ad Ecclesiam deportavit. Quæ quidem in diebus festivis Sanctæ Crucis singulis annis à Christifidelibus cum summa devotione veneratur atque colitur.

Item cùm esset magna affectio Romanorum Pontificum etiam Cleri & Populi, ut Corpus Beati Leonis Papæ primi propter sua merita inveniri posset, tamdem ad revelationem divinam Corpus ipsius gloriosi Leonis Papæ ab ipso fuit inventum, & deinde cum magna devotione in Ecclesia fuit translatum.

Item quòd ipse Sergius post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & postea apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli sexto Idus Septembris exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam tresdecim annis, octo mensibus & viginti-

vigintitribus diebus fecundùm unam Chronicam, fed in alia dicitur de novem annis, octo menfibus, & XXIII. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apoftolica uno menfe, & viginti diebus, Juftiniano Imperatore tunc regnante.

De Leone III.

LEO Tertius, natione Romanus, ex patre Nicolao Diacono fuit natus, & poft dictum Sergium Papam in Romanum Pontificem fuit affumtus, & poft Beatum Petrum Apoftolum exftitit Papa LXXXVIII. Anno à Nativitate Domini DCLXXXXVIII.

Item quòd ipfe Leo Papa per Patricium Urbis Romæ fuerat factus ideo plures Chronicarum auctores in fuis libris ipfum verum Papam fcribere noluerunt, unde apud Romanos, & in decretis Sanctorum Patrum dicitur fequens Leo Papa Tertius; fed ipfe non denominatur, nec intitulatur.

Item quòd ipfe Leo rexit Ecclefiam duobus annis, & undecim menfibus, alias novem, dicitur in quadam alia Chronica, Leone Imperatore tunc regnante fecundùm Bedam, & Sigelbertum Monachum Monafterii Gemblacenfis, qui omnes prædictas Chronicas computando à Beato Hieronymo Presbytero ufque hic amplificaverunt.

De Johanne VI.

JOHANNES Sextus, natione Græcus, & poft dictum Leonem in Romanum Pontificem fuit affumtus, & poft Beatum Petrum Apoftolum exftitit Papa LXXXIX. Anno à Nativitate Domini DCCI.

Item quòd ipfe Johannes poft multas tribulationes & perfecutiones pro Chrifti fide Martyrio fuit interfectus, & in fua gloria exftitit coronatus, & apud Urbem Romanam in Ecclefia Sancti Sebaftiani ad Catacumbas à Clero & Populo honorifi è exftitit fepultus.

Item quòd ipfe Johannes rexit Ecclefiam tribus annis, duobus menfibus & XXIV diebus fecundùm unam Chronicam, fed fecundùm aliam dicitur de XX. diebus, Tiberio III. Imperatore tunc regnante. Et tum vacavit Sedes Apoftolica uno menfe & viginti diebus.

De Johanne VII.

JOHANNES VII. natione Romanus, fecundùm unam Chronicam, & fecundùm aliam dicitur Græcus, ex patre Gregorio, alias Platone, fuit natus, & poft dictum Papam Johannem Sextum in Romanum Pontificem fuit affumtus, & poft Beatum Petrum Apoftolum exftitit Papa nonagefimus primus, Anno à Nativitate Domini DCCIV.

Item quòd ifte Johannes fuit in Ecclefia magnus Clericus, & in eloquentia valde facundus, & fecit Oratorium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ infra Ecclefiam Sancti Petri Apoftoli, cujus parietes opere moyfiaco depingi fecit. Et deinde poft multos labores, & fui corporis afflictiones ad Chriftum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclefia Sancti Petri in Oratorio fuo, quod fieri fecerat & depingi, à Clero & populo honorificè exftitit fepultus.

Item quòd ipfe rexit Ecclefiam duobus annis & feptem diebus fecundùm unam Chronicam, & fecundùm aliam dicitur decem & feptem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apoftolica tribus menfibus, fed fecundùm aliam Chronicam dicitur de IV. & in quadam alia legitur de novem menfibus, Tiberio Tertio Imperatore tunc regnante.

De Sifinio.

SISINIUS, natione Romanus, ex Patre Transimundo, fecundùm unam Chronicam, fed fecundùm aliam dicitur natione Syrus, ex Patre Johanne fuit natus, & poft dictum Johannem. Papam Septimum in Romanum Pontificem fuit affumtus, & poft Beatum Petrum Apoftolum exftitit Papa XCII. Anno à Nativitate Domini DCCVII.

Item quòd ifte Sifinius poft multos labores & fui corporis afflictiones, quia tempore ipfius fuit magna Scifma in Ecclefia Dei, & quia podagrico feu chiragrofo humore continuè vexabatur, ideo morte repentina vitam fuam finivit.

Item quòd ipfe rexit Ecclefiam viginti diebus, & apud Romam in Ecclefia Sancti Petri Apoftoli à Clero & Populo honorificè fuit fepultus. Et tunc vacavit Sedes Apoftolica VI. menfibus fecundùm unam Chronicam, fed fecundùm aliam dicitur de duobus menfibus, Juftiniano Imperatore tunc regnante.

De Conftantino I.

CONSTANTINUS Primus, natione Syrus, ex Patre Johanne fuit natus, & poft dictum Sifinium in Romanum Pontificem fuit affumtus, & poft Beatum Petrum Apoftolum exftitit Papa XCIII. Anno à Nativitate Domini DCCVIII. fecundùm unam Chronicam, fed fecundùm aliam dicitur de DCCIX.

Item quòd ipfe Conftantinus poft fuam promotionem à Juftiniano Imperatore multipliciter fuit rogatus, & invitatus, ut apud Conftantinopolim ipfe venire deberet. Ubi quam ipfe Conftantinus fuiffet, à Juftiniano Imperatore unà cum Populo fuo cum fummo gaudio & honore fuit receptus. Deinde in fequenti die Dominica in Ecclefia Sanctæ Sophiæ Miffam folemnem ipfi Conftantino celebrari fecit, & tunc cum fumma humilitate & devotione Euchariftiam de manibus fuis ipfe recepit; & poftea omnia privilegia Ecclefiæ Romanæ per ipfum & fuos prædeceffores conceffa, ipfe Imperator renovavit, ratificavit, & confirmavit.

Item quòd cum quidam nomine Philippus, qui alias Bardanus nominabatur, prædictum Juftinianum Imperatorem proditionaliter interfeciffet, & Imperium fibi ufurpaffet, & confequenter Ecclefiam Dei & Chrifti fideles, tamquam verus & fummus hæreticus perfecutus fuiffet, & omnes picturas, & Imagines Dei, & ejus Matris & Sanctorum, quæ erant in Ecclefiis Urbis Conftantinopolitanæ, deleri ex toto, & removeri feciffet, ideo Conftantinus Papa prædictus ipfum Philippum tamquam verum hæreticum fynodaliter condemnavit, & eum anathematizavit, & deinde divino judicio ab Anaftafio Imperatore Secundo ifte Philippus captus, & oculis fuis, & imperio exftitit privatus.

Item quòd ifte Conftantinus Papa omnia gefta, quæ in fex Synodis à Sanctis Patribus fue-

fuerant facta, apud Urbem Romanam, in Porticu Sancti etri mirificè per ordinem depingi fecit.

Item quòd iste Constantinus post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud Romanam Urbem in Vaticano in Ecclesia Sancti Petri Apostoli VI. Idus Januarii à Cl ro & Populo honorificè exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam septem annis & quindecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica quadraginta diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

De Gregorio II.

GREGORIUS Secundus natione Syrus, & ex patre Johanne secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur Romanus, ex patre Marcello natus, & post dictum Constantinum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XCIV. Anno à Nativitate Domini DCCXVI.

Item quòd ipse Gregorius quemdam Bonifacium nomine de Britannia ad se venientem

A in Episcopum consecravit, & postea ipsum tamquam catholicum pro prædicando verbum Dei in Germaniam, sive Theotoniam transmisit. Et tamdem gratiâ divinâ suffragante, gentes illius patriæ ad Fidem Catholicam convertit, & ibi postea Episcopus Maguntinus factus fuit.

Item quòd cùm Leo Imperator Imagines Christi, & Beatæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum, quas in Civitate Constantinopolitana invenire potuit, ipse igne cremari jussisset, & ob hoc monitus se emendare noluisset, ideo ipse Gregorius, tamquam verum hæreticum condemnavit & anathematizavit.

B Item quòd ipse Gregorius Ecclesiis, Monasteriis, & Clero dedit & dimisit omnia bona sua; & postea ipse devotè ad Christum migravit, & apud Romanam Urbem in Ecclesia Sancti Petri à Clero & Populo, III. Idus Februarii exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam XVI. annis & octo mensibus, aliàs XVII. & XX., aliàs XXII. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XXXII. diebus, Anastasio Imperatore tunc regnante.

FRODOARDI
FRAGMENTA
DE ROMANIS PONTIFICIBUS.

MONITUM
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

Johannes Mabillonius, Vir Clarissimus, ac tot nominibus de Republica Literaria bene meritus, in Parte II. Seculi Tertii Actorum Sanctor. Ordinis Sancti Benedicti, primus edidit Vitas aliquot Romanorum Pontificum à Frodoardo scriptas, & ad sua usque tempora digestas. Floruit Frodoardus Canonicus Remensis circiter Annum Christi DCCCCLX. Quare utilem, immo necessarium ejus laborem ad tempora illa, quibus Historia Pontificalis omnino manca est & elinguis, lubentissimè huc derivavi. Reliqua Frodoardi Opera nihil est, quod ego commemorem: satis quippe nota sunt ex Historia Literaria.

De Gregorio Papa II., & de Sancto Bonefacio Doctore & Martyre.

GRegorius *post hec sumit sacra jura* Secundus,
Vir cælebs, doctus, sensu facundus & ore:
Jampridem imperio notus, jam dogmate clarus,
Corde pio prudens, virtutis robore constans,
Hostis aberrantum, defensor recta sequentum;
Interiora studens, sed non externa relinquens.
Mœnia qui aggrediens Urbis reparare, coquendis
Calcibus insistit, trabibusque labore petitis (a)
Basilicam Pauli renovat, restaurat & aram,
Et colit ornatu; relevat, probibetque ruinas
Templorum plures, lapsumque reducit honorem.
Sanctorum (b) turmas revocat, cœli agmina cogit.
Germanas vocat tenebris ad lumina gentes:
Quis Præsul verbique Sator Bonefacius almi
C *Dirigitur, mortisque novo Sole effugat umbram.*
Gallorum Ecclesias pietatis luce venustat,
Rhemensem & dignas (c), quas censet, fascibus ornat.
Martyrioque auctus, virtutis agone coruscat.
Primitiæ gentis Germana ab origine Princeps (d)
Culmen Apostolicum petit, & sacra Limina Petri.
Pontificis monitis summi exhortante Tyrannum (e)
Præstita firmantur primæ patrimonia Sedi.
Civiles strepitus, urgentiaque extera bella
Cynthia terrifico præmonstrat tincta cruore.
Scinditur Imperium (f), rectus præfertur iniquo;
Belligeræque manus fuso agmine sanior exit
Pars victrix: pacis veneranda insignia (g) surgunt,
Priscorumque fides celebri decoratur honore.
Tibridis horrificis ripas superantibus undis,
D *Frugiferas circum glebas ferus occupat imber,*
Pervaditque vias, hortos, munimina, Villas,
Ever-

NOTÆ MABILLONII.

(a) è Calabria.
(b) Religiosorum Congregationes.
(c) Treverensem & Rotomagensem.
(d) Teuto Dux Bajoariorum.
(e) Regem Langobardorum.
(f) Per Anastasium & Theodorum.
(g) Imagines.

A Evertitque casas, terretque, abigitque colonos,
Arbusta ac segetes: rapit altæ mœnia Romæ.
Inde subit vallum, & muros transcendit, & ipsas
Lymphans lympha tenet fluctu bacchante plateas.
Non illis agros licitum exercere diebus
Agricolis; infausta terunt mœsta agmina festa. (b)
Papa gravi motus querularum murmure vocum
Insistit precibus, legatque ad sidera vota.
Nec cœptis animum removet certamine victum:
Dum cogit propriis Tiberim se reddere metis.
Increpitat bardos, fera pectora munere & ore
Demulcens, mites consultibus & prece servans
Imbuit, ædificat: hujusque opera apta (i) receptant.
Surreptorum aufert (k) opus. Fraus fraude labascit.
Externos etiam benedictio lata (l) triumphos
B Concelebrat Papæ, victores spongia (m) Francos
Dum reddens Agarenorum tutatur ab armis,
Participes ferri neque læsos vulnere tantùm,
Prostratis tali vacuis pro tegmine paucis.
Constantinopolim longa obsidione gravatam
Hæc fera barbaries, belloque ac fame repressa,
Incœptis, obstante Deo, confusa reliquit.
Concilium crudele calet, dolus in nece Patris (n)
Cuditur: Imperii mox hostibus Oppida cedunt.
Proditur impietas. Plectuntur Numine summo
Participes, laqueisque suis foveâque paratâ
Captantur, feritasque in vertice versa furorum est.
Ecclesiam spoliari opibus protectio Papæ
Impedit. Unde iterum Primatum fraude petitus
Eripitur, Christique immunem dextra tuetur.
C Nec toties fraus victa silet. Sumuntur in ipsum
Arma Deum, decorisque jubetur iconia prisci
Vastari, quacumque notat (o) pictura triumphos.
Augusto faveat Præsul, vel gratus amore
Decidat, aut gradibus, celsoque recedat honore.
Rejicit, expugnat, temnitque profana Sacerdos;
Intrepidusque manet, ferventibus undique telis.
Hæret Pastori grex, impia jussa refutans,
Fortiter, & vitâ pro Præsulis atque salute
Decertans. Error damnatur: ponere Regem
Papa vetat, bonitate ratus scelera improba verti.
Sternuntur seductores, abiguntur iniqui.
Consilium ferale, Dei moderamine cassum
Destruitur, sed fraude ferum (p) clementia Patris
Protegit, atque Sacerdoti suffragia crescunt;
D Barbaricamque manum (q) jungit sibi Roma sodalem,
Auxilioque Patris vitæ discrimina prodit.
Præsul at egregius potiora levamina quærens
Prodiga pauperibus largitur dona patronis,
Incumbens precibus, votis & sedulus instans.
Nec durus Populo, grates dependit amori:
Hortaturque piis fidos persistere cœptis.
Sic sibi, sic Domino servabat corda suorum.
Tum Sutriense doli captum per retia Castrum
Assiduis Papæ monitis, scriptisque benignis,
Redditur, atque Petri Paulique offertur honori.
Primatum dirum feritatis fœdere fraudem
Luciferum (r) cupimus flammis signasse cometam.
Consultum crudele subit, Romamque Ducesque
Barbaricæ subici manui: tradatur iniquis
E Justus, in insontem sontes grassentur honorem.
Consilii pars impletur, capiendaque restat
Roma: sacer dum se solum pro Civibus offert;
Præsidioque hærens supero, Regem petit hostem,
Quærentisque neci dare se conspectibus infert.
Quem Christo moderante piis affatibus urgens,
Emollit fera corda, vigens pietate benigna
Sternit, & exsultat vestigia sacra (s) Tyrannum
Austeræ posito mentis petiisse tumore.
Promisisse gregi, nil se latum ire sinistri,
Regalesque Petri cultus cessisse decori,
Dimisso supplicasse humilem diademate Regem.
Obtinet inde petens recipi Rex Præsulis hostem.
Accipit Exarchum Pater, infensumque tuetur,
Eripit adversis, fulcris solatur amicis;
Servat consiliis, regit, exornatque triumphis.
Cæsaris ingrati fraudes sub funere Papæ
In patulum veniunt; qui stemmata (t) ducta figuris
Palmarum (u) Christi fuscare, vel ignibus atris
Obruere insistens, punit defendere nisos:
Pontificemque pium Germanum assensa jugare (x)
Vitantem, sacris abicit, sociumque furoris
Aris adsciscit. Quem scriptis arguit urgens
Præsul Apostolicus, nec deterrere procacem
Absistit (y): sit, ni redeat, pellendus honore.
Nec silet Augusto, facinusque remittere suadet.
Inclyta præterea Patris hujus tradita gesta
Templa Dei circa, cultumque, operamq; sacrorum.
Ille Monasteriis cœtus; legesque relictas
Restituit, ponens proprio nova castra (z) paratu,
Maternamque domum divinis ritibus aptat,
Et facit heredes cæli in patrimonia Cives.
Ornatus adhibet, gemmis sacra vasa decorat:
Pauperibus largitur opes. Subit æthera dives.
Tristitiam terris, migrans, dat gaudia cœlis.

EX AMALRICO AUGERIO.

De Gregorio III.

GREGORIUS Tertius natione Romanus, ex Patre Marcello fuit natus, & post dictum Gregorium Papam Secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XCV. Anno à Nativitate Domini DCCXXXI.

Item quòd ipse Gregorius ordinavit, & addidit in Canone Missæ: *quorum hodie solemnitas in conspectu majestatis tuæ celebratur Dominus Deus noster in toto Orbe terrarum* &c. Qui quidem postea apud Urbem Romanam magnum Concilium celebravit, in quo quidem Concilio mille Episcopi interfuerunt. Et ibi Leonem tunc Imperatorem hæreticum synodaliter condemnavit & eum anathematizavit, ac Italiam, in qua dictus Leo dominabatur, à sua dominatione absolvit, & removeri fecit. Et nihilominus venerationem & reverentiam Sanctarum Imaginum Dei, & ejus Matris, ac Sanctorum fieri ipse de cetero decrevit. Quas tamen dictus Leo in Ecclesiis Civitatis Constantinopolitanæ antea deleri fecerat, & destrui.

Item quòd cum Romana Civitas ab Aldebrando Rege Langobardorum obsessa fuisset, ideo

(b) otia.
(i) Castellum à Longobardis pervasum Romani recipiunt.
(k) *id est* dolosorum frustratur fructum.
(l) collata.
(m) Spongia, quâ mensa Pontificis tergebatur, missa Duci Francorum pro benedictione distributa exercitui, qui victor factus est.
(n) Papæ.
(o) ubicumque signat victorias Christi, Martyrumque.
(p) Eutycium Patricium.
(q) Langobardorum.
(r) quia Lucifer versus est in Cometam. Non est proprium alicui Stellæ esse Cometam; sed diversæ Stellæ solent in Cometas converti. *Sic MStus.*
(s) ad pedes corruisse.
(t) Imagines.
(u) victoriarum.
(x) jungere.
(y) cessat.
(z) Monasterium Sanctæ Agathæ.

ideo ipse Gregorius misit ad Carolum Martelli patrem Pippini Regis Franciæ Claves Confessionis Sancti Petri, ut Romanam Ecclesiam à Langobardis obsessam liberare deberet. Cum idem Carolus hoc audisset, statim congregato suo exercitu, ad Urbem Romanam perrexit, & ab ipsa obsidione cum triumpho & honore ipsam liberavit.

Item quòd ipse Gregorius post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Vaticano in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè exstitit sepultus V. Kalendas Decembris. Qui quidem rexit Ecclesiam decem annis, octo mensibus, & viginti diebus, aliàs XXIV. Et tunc vacavit Sedes Apostolica octo diebus, Leone Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO DE PONT. ROMAN.

De Gregorio Papa III.

Culminis hunc sequitur virtutum & nominis heres,
Mansuetus, sapiens, divinâ lege renidens;
Laudibus expertus, sensusque nitore politus:
Hortator cultorque boni, tutorque Fidei;
Prodigus indiguis, & paupertatis amicus:
Captivorum emtor, pupillorum bonus altor;
A *Relligionis amore vigens, pia pectora solans.*
Insistens Patris exsequiis de funere raptus
Eximitur, lectusque ad regimina summa vocatur.
Admonet increpitans Reges, in Signa (a) salutis
Crudeles, pavidum monitusque efferre verentem
Legatum censens, opus integrat, improba damnat
Imperia, Ecclesiæque monilia ritè tuetur,
Quæ scriptis, monitisque jubet veneranda reponi.
Arguit hinc Proceres, iterum crebroque monendo.
Nec legatorum pedicis quit mens sacra Patris
Averti, penetrant dum scripta palatia, Reges
Juraque captantem (b) fervore monentia fontem.
Imperat Augustis, dat Christi insignia signis.
B *Erigit Ecclesiæ specimen, cultumque decoris*
Augens, admittit Justorum pignera (c) toto
Orbe petita soli, meritos decernit honores,
Continuasque preces, grata & præconia fundi.
Aggregat implentum cœlestia munia turmas:
Instaurans rutilis ditat sacraria donis,
Ornat culturâ, quamplurima lapsa reformat.
Dilatans fabricas, largo locupletat honore.
Civibus auxilium Domini, ac suffragia Regis
Providet humani, Francorumque advocat aulam.
Mœnia restaurat, tutamina præparat Urbi.
Bella premit, sedans animos: prece, munere mulcet;
Ecclesiæ compage ligat titubantia membra.
C *Sic bene dispositis directo tramite rebus,*
Internis atque externis moderamine comtis,
Instructisque poli castris (d) ac lumine cultis
Emeritus petit æternam post bella quietem.

(a) Imagines.
(b) usurpantem.
(c) Reliquias.
(d) Monasteriis.

IN

IN EPISTOLAS CODICIS CAROLINI

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Caesarea Vindobonensis Bibliotheca inter alios insignes venerandae antiquitatis Codices unum complectitur, cujus pretium vix alius superet. Codicem, inquam, membranaceum, ipsissimum, ut creditur, in quo Carolus Magnus, Francorum Rex, Romanorum postea Imperator, describendas curavit Epistolas complures, quas ad Carolum Avum & Pippinum patrem, atque ad se ipsum, dederant varii Romani Pontifices ad Annum usque DCCXCI. Profectò ad gesta eorumdem Pontificum, atque ad publica illius temporis negotia, mirum quantum lucis ex hujusmodi Epistolarum Sylloge accedere possit. Itaque pretiosam gazam conspicatus Jacobus Gretserus, eximius Scriptor e Societate Jesu, illam publici juris, & meritò quidem faciendam censuit Ingolstadii Anno 1613. Hasce easdem Epistolas deinde Du-Chesnius intulit in Tomum III. Scriptor. Rer. Francic. uti & Philippus Labbeus, vir egregius ex eadem Soc. Jesu, in Tomum VI. Concilior. quos etiam aemulatus est Johannes Harduinus celeberrimus Vir ejusdem Societatis in novissima Collectione Conciliorum. Nihil sane opus videbatur, novam ejusmodi Epistolarum editionem instruere, quando jam satis vulgatae in omnium fere manibus a longo tempore versabantur. Attamen easdem rursus proferre placuit, ipsasque conjungere cum hisce Vitis, spe etiam mihi facta, consilium meum ab Eruditis probatum iri, lubentique animo fore excipiendum. Jamdudum palam testatus fuerat Petrus Lambecius Vir Clariss. Bibliothecae olim Caesareae Praefectus, in Commentar. ejusd. Bibliothecae Lib. II. pag. 322. molestum sibi accidisse, quod praelaudatus Gretserus in iis Epistolis edendis aut licentia non mediocri, aut non ea, qua par erat, diligentia, usus fuerit in corrigendis, immutandisve compluribus earum locis. Quare is tamdem novam illarum editionem suscepit, diligentissime exactam ad fidem Caesarei Codicis. In folio impressum fuit Opus cum hocce titulo: Codex Epistolaris Carolinus continens Romanorum Pontificum *Gregorii III. Zachariae, Stephani III.* vel secundùm alios II. *Pauli I. Stephani IV.* vel secundum alios III. *Hadriani I. & Pseudo-Papae Constantini, Epistolas* nonaginta novem ad Principes & Reges Francorum *Carolum Martellum, Pippinum,* & *Carolum Magnum*, Anno Christi Septingentesimo Nonagesimo Primo, cura & auspicio ipsius *Caroli Magni*, ne vetustate & per incuriam perirent, studiose collectas, & in unum redactas Volumen membranaceum, quod olim, primo quidem ad ipsius *Caroli Magni* Bibliothecam Cubicularem, deinde autem ad *Wilibertum Archiepiscopum Rotomagensem* pertinuit; nunc vero authenticum asservatur in Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi. Petrus Lambecius Hamburgensis totum hoc Opus summa fide & diligentia recognovit ac contulit, & Chronologia accurata atque necessariis annotationibus in fine adjunctis illustravit. *Laborem Lambecii, hominis utique diligentissimi, avide exspectabat Literaria Respublica. Verum quae caussa intercesserit, ne in publicum diem prodierit haec ipsa illius editio, incompertum fateor mihi. Fortasse mors illius consilium importune intercipiens, Literarum amatores spe concepta fraudavit. Certior quoque factus sum, exemplaria nulla dimissa fuisse in lucem, si paucula excipias feliciter e carcere elapsa, & nunc thesauri loco a possessoribus habita. Et ex his quidem unum tamdem in manus venit Viri Clarissimi Apostoli Zeni, solertissimi Antiquitatum & Librorum quoque rariorum venatoris. Ipse vero pro suo studio erga Literarum augmentum illud contulit Dominico Vandellio, nunc publico Matheseos Professori in Gymnasio Mutinensi, a me non semel laudato; qui collata editione Lambeciana cum praecedentibus, variantes omnes lectiones collegit, atque ad me humanissime detulit. Heic ergo habebit Lector, Gretserianum Codicis Carolini textum, simulque suppositas emendationes à Lambecio congestas: qua ratione utramque quodammodo editionem a me exhiberi unusquisque intelliget. Subnecto Inscriptionem vetustissimo earumdem Epistolarum Codici praefixam, qualem Gretserus in sua editione evulgavit.*

Inscriptio Codicis Membranacei venerandæ vetustatis.

„ Regnante in perpetuum Domino & Salvatore nostro Jesu Christo. Anno Incarnationis „ ejusdem Domini nostri DCCXCI. Carolus excellentissimus, & à Deo electus Rex „ Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, Anno felicissimo regni ipsius „ XXIII. divinò nutu inspiratus; sicut ante omnes, qui ante eum fuerunt, sapientiâ & pru„ dentiâ eminet, ita in hoc opere utilissimum sui operis instruxit ingenium, ut universas Epistolas, „ quæ tempore bonæ memoriæ Domni Caroli, Avi sui, nec non & gloriosi genitoris sui Pipi„ ni, suisque temporibus, de summa Sede Apostolica Beati Petri Apostolorum Principis, seu „ etiam de Imperio, ad eos directæ esse noscuntur, eo quòd nimia vetustate, & per incuriam „ jam ex parte dirutas atque deletas conspexerat, denuo membranis summo „ cum certamine renovare ac rescribere decrevit. Incipiens igitur, ut supra diximus, à prin„ cipatu præfati Principis Caroli, Avi sui, usque præsens tempus, ita omnia exarans, ut nul„ lum penitus testimonium Sanctæ Ecclesiæ profuturum suis deesse successoribus videatur, ut „ scriptum est: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens.*

EPI-

EPISTOLÆ CODICIS CAROLINI.

(a) *Epistola Gregorii (b) Pontificis ad Carolum Martellum.* (*)

(*Epistola ordine prima.*)

D*Omno excellentissimo filio Carolo Subregulo, Gregorius Papa.* Nimiâ fluctuamur tribulatione, & lacrymæ die noctuque ab oculis nostris non deficiunt, quando conspicimus (c) cotidie, & undique Ecclesiam sanctam Dei à suis, in quibus spes erat vindicandi, destitui filiis. Propterea coartati dolore in gemitu & luctu consistimus, dum cernimus id, quod modicum remiserat præterito anno pro subsidio & alimento pauperum Christi, seu luminariorum concinnatione, in partibus Ravennatium, nunc gladio & igni cuncta consumi à Luithprando (d), & Hilprando Regibus Langobardorum: sed in istis partibus Romanis mittentes (e) plura exercita, similia nobis fecerunt & faciunt, & omnes (f) salas Sancti Petri destruxerunt, & peculia, quæ remanserant, abstulerunt, & nulla nobis apud te, excellentissime fili, refugium facientibus pervenit hactenus consolatio. Sed ut conspicimus, dum indultum à vobis eisdem Regibus est motiones faciendi, quod eorum falsa suggestio plusquam nostra veritas apud vos recepta est: & timemus, ne tibi respiciat ad peccatum, quando nunc, ubi resident ipsi Reges, ad exprobrationem nostram ita proferunt verba, dicentes: *Adveniat Carolus, apud quem refugium fecistis, & exercita (g) Francorum; & si valent, adjuvent vos, & eruant de manu nostra.*

O quam insanabilis dolor pro his exprobrationibus in nostro retinetur pectore, dum tales ac tanti filii, suam spiritualem matrem, Sanctam Dei Ecclesiam, ejusque Populum peculiarem, non conantur defendere. Potens est, carissime fili, ipse Princeps Apostolorum, (h) ob à Domino sibi concessam potestatem, defendere domum, & Populum peculiarem, atque de inimicis dare vindictam, sed fide lium filiorum mentes probat. Non credas, fili, falsidicis suggestionibus, ac suasionibus eorumdem Regum. (i) Omnia enim falsò tibi suggerunt, scribentes circumventiones, (k) quòd quasi aliquam culpam commissam habeant eorum Duces, idest, Spoletinus, & Beneventanus. Sed omnia mendacia sunt. Non enim pro alio (satisfaciat tibi veritas, fili) eosdem Duces persequuntur capitulo, nisi pro eo, quòd noluerunt præterito anno A de suis partibus super nos irruere; &, sicut illi fecerunt, res Sanctorum Apostolorum destruere, & peculiarem Populum deprædare: ita dicentes ipsi Duces: *quia contra Ecclesiam Sanctam Dei, ejusque Populum peculiarem non exercitamus; quoniam & pactum cum eis habemus, & ex ipsa Ecclesia fidem accepimus*: ideoque mucro eorum desævit contra eos. Nam ipsi prædicti Duces parati fuerunt, & sunt, secundùm antiquam consuetudinem eis obedire, sed illi retinentes iram pro eo quod superius diximus, per exquisitam occasionem volentes illos & nos destruere & invadere: ideo utrosque persequentes, vestræ bonitati suggerunt falsa, ut & Duces illos nobilissi- B mos degradent, & suos ibidem pravos ordinent Duces, & multo amplius cotidie, & ex omni parte, Dei Ecclesiam expugnent, & res Beati Petri Principis Apostolorum dissipent, atque Populum peculiarem captivent.

Tamen ut rei veritas vobis (l) declaretur, Christianissime fili, jubeas, post ipsorum Regum ad propria reversionem, tuum fidelissimum Missum, qui non à præmiis corrumpatur, dirigere, ut propriis oculis persecutionem nostram, & Dei Ecclesiæ humiliationem, & ejus rerum desolationem, & (m) peregrinorum lacrymas (n) conspiciat, & tuæ bonitati omnia pandat. Sed hortamur bonitatem tuam coram Domino, & ejus ter- C ribili judicio, Christianissime fili, ut (o) propter Dominum, & animæ tuæ salutem, subvenias Ecclesiæ Sancti Petri, & ejus peculiari Populo, eosdemque Reges sub nimia celeritate refutes, & à nobis repellas, & jubeas eos ad propria reverti. Non despicias deprecationem meam, neque claudas aures tuas à postulatione mea. Sic non tibi ipse Princeps Apostolorum claudat cœlestia Regna.

(p) Conjuro te (q) in Dominum vivum & verum, & ipsas sacratissimas claves Confessionis Beati Petri, quas (r) vobis ad Regnum dimisimus, ut non præponas amicitiam Regum Langobardorum amori Principis D Apostolorum, sed velociùs, & sub nimia festinatione sentiamus, post Deum, tuam consolationem, ad nostram defensionem, ut in omnibus gentibus declaretur vestra fides, & bonum nomen: quatenus & nos cum Propheta mereamur dicere: (s) *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, & protegat te nomen Dei Jacob.* Harum autem literarum portitor (t) Anchard (u) vester fidelis, quod oculis suis vidit, & nos ei injunximus, omnia tua benignitati...

(a) *Ex Editione Epistolar. Summor. Pontific. à Francisco Duchesnio facta jam Anno 1641. Tomo tertio Scriptorum Historiæ Francorum, Jacobus Gretserus hæc in margine adnotat.* Exstat apud Baronium Tom. IX. Anno 740. num. 20. & Cent. 8. Magdeb cap. 10.

(b) *Idem Gretserus*: Iniit Pontificatum Anno Christi 731. mortuus 741.

(*) *Ex variantibus Lectionibus Editionis Petri Lambecii, titulus Epistolæ ita se habet*: Epistola Gregorii I. Papæ ad Carolum Majorem Domus, missa pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ.

(c) *Variant. Lection. Lambecian.* conspicimus, quotidie.

(d) *Lambecius*: Liudprando.

(e) *Gretserus*: plures exercitus.

(f) *Idem Gretser.* Baronius; scalar.

(g) *Gretser.* exercitus.

(h) *Lambecius*: per à Domino sibi concessam potestatem suam, defendere.

(i) *Lambec.* omnia enim tibi falso.

(k) *Idem*: quod quasi aliquam culpam commissam habeant eis eorum Duces.

E (l) *Gretser.* Baronius; penitus declaretur.

(m) *Lambec.* peregrinorum lacrymas conspicetur, & tuæ bonitati omnia pandat.

(n) *Gretser.* Baronius; conspicietur, & tuæ devotioni omnia pandantur.

(o) *Lambec.* ut propter Deum.

(p) *Idem*: conjuro te in Deum vivum.

(q) *Gretser.* Baronius; per Deum.

(r) *Lambec.* quas vobis ad rogam direximus, ut non præponas amicitiam.

(s) *Gretser.* Psalm. 19.

(t) *Idem*: Baronius; Anthardus. Et in margine; Authardus.

(u) *Lambec.* Anchart.

F

benignæ excellentiæ viva voce (x) enarrabit. Et petimus bonitatem tuam coram Deo teste & judice, ut nimis festinanter nostros lenias dolores, & lætabunda nobis celeriter mittas nuncia, ut læti effecti animo, die noctuque pro te tuisque fidelibus, coram sacris Sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli Confessionibus Domino fundamus preces.

Item Epistola Gregorii secunda ad Carolum missa similiter pro defensione Sanctæ Ecclesiæ.

(Epistola ordine II.)

(y) *Domno excellentissimo filio Carolo Subregulo*, *Gregorius Papa*. Ob nimium dolorem cordis, & lacrymas, iterata vice tuæ Excellentiæ necessarium duximus scribendum, confidentes, te esse amatorem filium Beati Petri Principis Apostolorum, & nostrum; & quòd pro ejus reverentia nostris obedias mandatis, ad defendendam Ecclesiam Dei, & peculiarem Populum, qui jam persecutionem & (z) oppressionem Gentis Langobardorum sufferre non possumus. Omnia enim luminaria ad ipsius Principis Apostolorum, & quæ à vestris parentibus, (a) & à vobis (b) offerta sunt, ipsi abstulerunt: & quoniam ad te, (c) post Dominum, confugium fecimus, propterea nos ipsi Langobardi in opprobrium habent, & opprimunt. Unde & Ecclesia Sancti Petri denudata est, & in nimiam desolationem redacta: tamen omnes nostros dolores subtiliùs in ore posuimus præsenti portitori, tuo fideli, (d) quæ in auribus tuæ Excellentiæ suggerere debeat. Tu autem, fili, habeas cum ipso Principe Apostolorum heic, & in futura Vita, coram omnipotenti Deo nostro; sicut pro ejus Ecclesia, & nostra defensione dispofueris, & decertaveris, sub omni velocitate, ut cognoscant omnes Gentes tuam fidem & puritatem atque amorem, quæ habes erga Principem Apostolorum Beatum Petrum, & nos, ejusque peculiarem Populum, zelando, & defendendo. (e) Ex hoc enim tibi poteris immortalem & æternam acquirere vitam.

EX AMALRICO AUGERIO.

De Zacharia.

ZACHARIAS natione Græcus, ex patre Polichronio fuit natus, & post dictum Gregorium Papam Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa XCVI. Anno à Nativitate Domini DCCXLII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quadragesimo tertio.

Item quòd ipse Zacharias ante suam promotionem tam Græcæ, quàm Latinæ Linguæ valde fuit peritus, & omni virtute perornatus in tantum, quod Libros Dialogorum Beati Gregorii Papæ de Latino transtulit in Græcum. Et pacem atque concordiam cum Lon-

(x) *Idem*: enarret.
(y) *Gretser*. exstat Centur. 8. Magdeburg. cap. 10.
(z) *Lambec*. & oppressionem Langobardorum.
(a) *Idem*: vel à vobis.
(b) *Gretser*. oblata.
(c) *Lambec*. post Deum.
(d) *Gretser*. Centuriatores; quos?

A gobardis ipse fecit; & tunc tempore suo Ægidius de Græcia in Provinciam venit.

Item quòd cùm tempore ipsius Gregorii Childericus Rex Francorum regnaret, & pro regimine sui Regni valde inutilis esset, ideo quidam Pippinus nomine, Princeps Francorum, qui totum Regnum Franciæ tunc gubernabat, & Major-Domus Regiæ dicebatur, misit Legatos solemnes ad ipsum Zachariam Papam, de consilio & consensu Gallicorum, consulens, quis potiùs Rex dici deberet; an ille, qui pro Regni pace sustinuit labores, an ille, qui otio erat deditus, & solo nomine regio erat contentus. Qui quidem Zacharias sibi remandavit, & rescripsit, illum revera B appellari Regem debere, & esse, qui utilius Regni gubernacula, & rem publicam perageret & exerceret. Cùmque hujusmodi responsionem iste Pippinus & Gallici habuissent, & audivissent, statim dictum Childericum Regem Franciæ in quodam Monasterio incluserunt, & dictum Pippinum sibi in Regem constituerunt. Quem Bonifacius Moguntinensis Archiepiscopus de mandato ipsius Zachariæ apud Civitatem Svessionensem in Regem inunxit. Qui tamquam Rex Franciæ decem & octo annis regnavit. Et exinde omnes Majores-Domus Franciæ Principatum incœperunt super Francorum Regno. Et sic propter istum Childericum heic defecit progenies Clodovei, C qui fuit primus Regum Franciæ Christianus, dicto Pippino sic succedente.

Item quòd iste Zacharias post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud Romanam Urbem in Ecclesia Sancti Petri à Clero & Populo honorificè exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam decem annis tribus mensibus & quindecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XII. aliàs XIII. diebus, Constantino V. Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO DE PONTIF. ROMAN.

De Zacharia Papa.

D ZAcharias *sanctus sanctum, mitisque benignum*
Clementem sequitur clemens, & parcere promtus:
Irasci tardus, sævis pia reddere fuetus.
Ut ge. i os pater amplectens vulgusque, sacrosque.
Ponere non trepidant animam se se hostibus offert.
Mirificat turbas, premit enses, rapta receptat:
Victos eripiens inimicos (f) pace serenat.
A quibus obsequium sumens, victorque regressus
Lætificat plebem, Christoque rependit honorem.
Motibus hinc iterum crudis, diroque furore,
Barbaricis animis in tristia bella relapsis,
Præsul item petitur, servandis currere gnatos. (g)
Nec remoratur iners. Legatis munere pacem
E *Procurat, non obtenta, Christo Urbe relicta,*
Pacis abit patriæ fidens orator & altor.
Præmittit socios, propero quos calle secutus,
Excipitur pompis regali culmine latis.
Turgida divino charismate pectora sedans,
Quæsitis gaudet, religiones luce venustat,
Perceptæque refert Christo præconia palmæ.
De-

(e) *Lambec*. ex hoc enim tibi poteris memorialem, & æternam acquirere vitam.

NOTÆ MABILLONII.

(f) Langobardos.
(g) *lege* gnarus.

Delatum decus excelsi sub honore triumphi
Attollens Dominus, versutum subtrahit hostem: (h)
Admovet heredem, cumulat per longa quietem
Tempora pace Pater florens, sacra dogmata sar-
Atria dilatans, opibus sacraria replet. (cit:
Instaurat fabricas, venerandis Templa figuris
Ornat, lapsabunda novat, priscum auget honorem.
Auleis dat apostolicas vernare columnas:
Codicibus divis armaria sancta refercit;
Ditat sacra; colit partis penetralia lychnis.
Veste Petri gemmis, auroque gravi induit aram,
Auratis operit velis, varioque decore.
Argento ditem appendit rutilante coronam.
Regalem solito Legatis visitat Urbem, (i)
Illustrans Fidei (k) titulis, dans vincula (l) pacis.
Adventu quorum turbatio cedit, abacta
Fraus: scelus, insidiæ, fallacia victa facessunt.
Redditur & Domino palmis Urbs subdita prisco.
Discussisque dolis directi (m) pacis honore
Comuntur meritò, referuntque petita Patrono.
Francorum Regis regali stemmate temto,
Addicit genitus (n) se se & sua munera Petro,
Atque jugum Christi prona cervice capessit;
Ut vacet assiduus cœli sub munia servus:
E Domino famulus, supplex de Rege minister,
Sectari ut summi valeat vestigia Regis.
Hic Pater ablegandorum sub Regna profana (o)
Nexorum, motus mentem pietate paterna,
Impensâ recipit cunctos mercede redemtos;
Et rapiens manicis, dat libertate potiri,
Atque frui votis, soli servire Tonanti.
Barbaricos (p) iterum motus & temperat iras,
Emollitque animos, auroque & munere linguæ,
Urbes & redimit patriam, removetque furorem.
Immutat Regem, parit e prædone datorem,
De rapido mitem, de partu tygridis agnum;
Captantemque capit, supplicemque ad limina Petri
Perducit; fastus fugienti ac regna, superna
Christi addit juga cervici, mundique furentis
Eruit insano junctis affectibus (q) æstu,
Informatque Deo cultu servire quieto.
Repperit hic magnum pretio fulgente talentū (r)
Claustris (s) sacrorum: testis caput inclytus olim,
Quo cœli posito Georgius alta paravit
Regna, & perpetua splendentem luce coronam.
Aurea thesaurum sustollunt vela repertum,
Et Populo partæ gaudente reconditur aulæ:
Qua pius innumeras Rector (t) præstare salutes
Dignatur meritis pretiosi Martyris altis,
Allegata sacris locupletia prædia cedunt:
Quæ Pater amplificans donis & fœdere mercis
Instruit, exornans fabricis, cultuque decoris;
Sanctorum subicit Templis, & dedicat aris;
Innectit vinclis, (u) firmatque perennia scitis.
Immemor haud inopum, divas dum percolit aulas,
Dirigit, accumulatque rogas, (x) ac persovet ægros,
Instituens census cœli mercede ferendos.
Justorum loca sancta novat, priscamq; reformat
In speciem, tegit excultis altaria cælis.
Presbyteros, Clerumque fovens, tutatur alumnos,
Tranquillâque suos præstat gaudere quiete.

(h) Hilprandum nepotem Liutprandi Regis.
(i) Constantinopolim.
(k) Synodicis Epistolis.
(l) conditiones.
(m) Legati.
(n) Carlomannus.
(o) pagana.
(p) Langobardos.
(q) uxore ac filiis.
(r) thesaurum.
(s) in Monasterio.
(t) Deus.
(u) excommunicationibus.
(x) stipendia. erogationes.

A *Ausoniæ solers transmittit lumina (y) Græcis,*
Gregorii divo dudum quæ prompta lepore.
Dignaque dans imis, capitur monimenta supernis.

Epistola Zachariæ (z) Papæ ad Domnum Pippinum missa, quæ prætitulata est sub Majorum-Domus nomine, eo quòd nondum in Regis dignitatem esset elevatus, unà cum Capitulis suis consultis, etiam dicto Domno Pippino, vel Sacerdotibus in partibus Franciæ, qualiter respondendum, scripsit jam dictus Pontifex.

(*Epistola ordine V.*)

(a) D*omno excellentissimo atque Christianissimo Pippino Majori-Domus, seu di-*
B *lectissimis nobis universis Episcopis Ecclesiarum, & religiosis Abbatibus, atque cunctis Dominum (b) timentibus Principibus, in regione Francorum constitutis, Zacharias Episcopus Sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ in Domino salutem.* Gratia vobis & pax à Deo Patre Omnipotente, & Domino Jesu Christo, unico Filio ejus, & ab Spiritu Sancto ministretur. Gaudio magno gaudemus in Domino, addiscentes per relationem sublimissimi, & à Deo servati prædicti filii nostri Pippini, vestram omnium bonam conversationem, & quod in bonis, & Deo placitis dispositionibus, unanimes atque cooperatores estis. Ita
C (c) & Ecclesiæ Dei, & venerabilia loca per universam vestram Provinciam sita, atque earum Præsules, Sacerdotes, & religiosi Abbates, ut condecet, in Sancto Habitu, & conversatione Sacerdotali conservetis, vacantes orationibus, insistentes precibus ad implorandum divinam potentiam, & cœlitus victoriam tribuendam adversùs Paganos, & Infideles gentes pro pugnatoribus vestris. Etenim vobis in vera confessione & simplici corde ad (d) Dominum accedentibus, sicut Moyses, ille amicus Dei, orando pugnabat (e), & Jesu (f) Nave cum Populo Israël bella Domini prœliando vincebat, ita & vos agere oportet, charissimi mihi, ut sitis adjutores Populo ve-
D stro orando & bonis actibus inhærendo, declinantes à curis & negotiis secularibus. Scriptum est enim: (g) *Vacate & videte quoniam suavis est Dominus.* Et iterum: (h) *Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent.*

Principes, & seculares homines, atque bellatores convenit curam habere & solicitudinem, contra inimicorum astutiam, & Provinciæ defensionem. Præsulibus verò, Sacerdotibus, atque Dei servis pertinet, salutaribus consiliis, & orationibus vacare, ut vobis orantibus, & illis bellantibus, Deo præstante, Provincia salva persistat, fiatque vobis in salutem, laudem & mercedem perpetuam.
E Ex hoc quippe Præsulatus vester apparebit in

(y) Libros Dialogorum à se Græce versos.
(z) *Gretserus*: Pontifex creatus Anno Salutis 741. Obiit 752.
(a) *Idem*: extat Tom. 9. Baronii, Anno 744. & Centur. 8. cap. 10.
(b) *Lambec.* Deum timentibus.
(c) *Idem*: Ita ut & Ecclesiæ Dei.
(d) *Idem*: ad Deum accedentibus.
(e) *Gretser.* Exod. 17.
(f) *Idem*: Baronius; & Jonathas. Ita etiam Centuriatores.
(g) *Idem*: Psalm. 45.
(h) *Idem*: Psalm. 33.

in sanctitate, & Principatus dilecti filii nostri Pippini approbabitur per subjectorum potestatem & bene dispositum. Itaque, ut flagitavit à nobis, cum vestro consensu, superius effatus filius noster Pippinus, ut de omnibus Capitulis, quibus innotuit, responsum demus, in quantum Domino dante valemus, de unoquoque Capitulo inferius conscriptum, juxta quod à Sanctis Patribus traditum habemus, & Sacrorum Canonum sanxit auctoritas, etiam & nos, quod, Deo inspirante, Apostolica auctoritate decernere potuimus, mandavimus in responsis.

Primum Capitulum: *Quomodo honorari debeat Metropolitanus Episcopus à Chorepiscopis, & Parochialibus Presbyteris.* In Canone Sanctorum Apostolorum, Capitulo tricesimo quinto scriptum est: *Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius, præter ejus conscientiam, gerant,* (*i*) *quum illi soli singula, quæ Parochiæ propriæ & villis, quæ sub ea, competant, sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid. Sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu Sancto.*

Item in Canone Antiocheni Concilii, Capitulo nono continetur ita: *Per singulas Regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum totius Provinciæ solicitudinem gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere,* (*k*) *concurrent. Unde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius, præter eum, ceteros Episcopos agere, secundùm antiquam à Patribus nostris Regulam constitutam, nisi ea tantum, quæ ad suam Diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Unusquisque enim Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, ut regat, juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis,* (*l*) *quæ sub omni est potestate. Item, ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula suo judicio comprehendat. Amplius autem nil agere tentet* (*m*) *præter Antistitem Metropolitanum. Nec Metropolitanus aliquid gerat, sine ceterorum Sacerdotum consilio.*

Item (*n*) ex Libro Decretorum Beati Leonis Papæ, Capitulo 32. continetur: *Igitur secundùm Sanctorum Patrum Canones, spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut Regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumtione discedant, aut in habitu, aut in incessu sanctitatis.* Nam & nos ab Apostolica auctoritate subjungimus, ut Episcopus juxta dignitatem suam indumentis utatur. Simili modo & Presbyteri Cardinales (*o*), & qui Monachicâ vitâ velle habeant vivendi, plebi quidem sibi subjectæ, præclariori veste induti, debitum prædicationis persolvant, & in secreto propositum (*p*) servent sui cordis, ut qui videt in abscondito Deus, reddat illis in palmam. Scriptum quippe est: (*q*) *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Non enim nos honor commendat vestium, sed splendor animarum.

Monachi verò lanea indumenta, juxta normam & Regulam (*r*) Monachicæ disciplinæ, atque traditionem Sanctorum probabilium Patrum, sine intermissione utantur. Si enim abrenuntiantes ea, quæ Seculi sunt, tota se Deo intentione contulerunt, (*s*) de omnibus licitis debent abstinere, ut quantum corpori suo sustinuerint laborem, tantum remunerationis præmium à Deo percipere mereantur. Apostolis quippe divinum datum est mandatum, duas (*t*) tunicas non habendi. Tunicas dixit Christus, utique laneas, non lineas. Qui ergo obedierit Dominico præcepto, bonis actibus inhærens, habebit vitam æternam.

Item ex Canone Antiocheni Concilii, Capitulo decimo de his, qui vocantur Chorepiscopi, decretum est: *Qui in vicis, vel possessionibus, Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine, curaque contenti sint: ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus Promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est. Si quis autem transgredi Statuta tentaverit, depositus, quo utebatur, honore privetur. Chorepiscopum verò Civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.*

(*u*) Secundo Capitulo de Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus damnatis, quòd pristinum officium usurpare non debeant: ex Libro Canonum Sanctorum Apostolorum, Capitulo vicesimo nono dictum est: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depositus justè super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium, dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus abscindatur.*

Tertium Capitulum de Presbyteris supervenientibus ex Concilio Carthaginense, Capite undecimo: *Si quis Presbyter contra Episcopum suum inflatus, schisma fecerit, anathema sit.* (*x*) *Ab universis Episcopis dictum est: Si quis Presbyter à Præposito suo correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus caussa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus secernendo se ab Episcopi sui communione subduxerit* (*y*) *ac separatim cum aliquibus faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Si querimoniam justam adversùs Episcopum non habuerit inquirendum erit.*

Quartum Capitulum de Presbyteris agrorum, quam obedientiam debent exhibere Episcopis, & Presbyteris Cardinalibus ex Concilio Neocæsariensi cap. 13. ita continetur:

(*i*) *Lambec.* quam illa sola singuli, qui Parochiæ propriæ, & Villis, quæ sub ea sunt, competunt.
(*k*) *Idem*: habere, concurrere debent.
(*l*) *Idem*: quæ sub ejus potestate.
(*m*) *Gretser.* Baronius; præter Antistitem Metropolitanum tentet.
(*n*) *Lambec.* Item in Libro.
(*o*) *Idem*: & si monachicam vitam velle habeant vivendi.
(*p*) *Idem*: sui servent cordis.
(*q*) *Gretser.* Psalm. 4.
(*r*) *Idem*: Monasticæ.
(*s*) *Lambec.* de omnibus inlicitis debent abstinere.
(*t*) *Gretser.* Matthæi 10.
(*u*) *Lambec.* Secundum Capitulum.
(*x*) *Idem*: Ab universis Episcopis dictum est, anathema sit. Si quis.
(*y*) *Lambec.* ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit.

tur: (z) *Presbyteri ruri, & in Ecclesia Civitatis, Episcopo præsente, vel Presbyteris urbis ipsius offerre non possunt, nec Panem sanctificatum dare, Calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt. Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem, & formam-septuaginta videntur esse, (a) ut quod ministraverunt propter studium, quòd erga pauperes exhibent, honorentur.*

Quintum Capitulum de Monachis, ideſt, ancillis Dei, de quibus flagitatum eſt, ſi liceat eas ad Miſſarum ſolemnia, aut Sabbato Sancto publicè Lectiones legere, & ad Miſſas pſallere, aut Alleluja, vel Reſponſorium. De his in Libro Decretorum Beati Gelaſii Papæ cap. 23. deſtinatum eſt: *quòd nefas ſit feminas ſacris Altaribus miniſtrare, vel aliquid ex his, quæ virorum ſunt officiis deputata, præſumere.* Nihilominus impatienter audivimus, tantum divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut feminæ ſacris Altaribus miniſtrare firmentur, (b) cunctaque, quæ nonniſi virorum famulatui deputata, ſexum, cui non competit, exhibere, niſi quòd omnium delictorum, quæ ſingulatim perſtrinximus, (c) noxiorum reatus eos reſpicit Sacerdotes, qui vel iſta committunt, vel committentes minime publicando pravis exceſſibus ſe favere ſignificant.

Sextum Capitulum de Viduis, ſi poſſint in propriis habitaculis ſuis ſalvare animas, item ex eodem Libro, cap. 21. ita continetur, (d) ut Viduæ non violentur à Pontificibus, & ſi profeſſam continentiam, propoſito mutato, calcaverint, ipſæ per ſe rationem Deo pro ſuis ſint actibus redditturæ. Nam de Viduis ſine ulla benedictione velandis (e) ſuperius latius duximus differendum: quæ ſi propria voluntate profeſſam (f) primi conjugii caſtitatem, mutabili mente, calcaverit, periculi ejus intererit, quali Deum debeat ſatisfactione placare. Sicut enim ſi ſe forſitan continere non poterat, ſecundùm Apoſtolum, nullatenus nubere vetabatur. Sic (g) habitam (h) ſecundùm deliberationem, promiſſam Deo pudicitiæ fidem debuit cuſtodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere: ſed ſolùm adhortationes præmii ſempiterni, pœnaſque proponere divini Judicii, ut noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio.

Septimum Capitulum de Laico pellente ſuam conjugem, ex Canone Sanctorum Apoſtolorum, cap. 48. *Si quis Laicus uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.*

Octavum Capitulum de Presbyteris & Diaconibus, qui ſe à miniſterio Eccleſiaſtico ſubtrahunt, & ſeorſum collectas faciunt, ex Canone Antiocheni Concilii, cap. 5. promulgatum eſt: *Si quis Presbyter aut Diaconus Episcopum proprium contemnens, ſe ab Eccleſia ſe-*

A *queſtraverit, & ſeorſum colligens, (i) Altare conſtituat, & commonenti Epiſcopo non adquieverit, nec conſentire vel obedire voluerit, ſemel & iterum convocanti, hic damnetur omnimodo, nec ultra remedium conſequatur, (k) quia recipere non poteſt dignitatem. Quòd ſi Eccleſiam turbare & ſolicitare perſiſtit, tamquam ſeditioſus, per Poteſtates exteras opprimatur.*

Nonum Capitulum de Clericis & Monachis non manentibus in ſuo propoſito, quod interrogatum eſt, in Canone Chalcedonenſi, cap. 7. decretum eſt: *Qui ſemel in Clero deputati ſunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, ſtatuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentan-*
B *tes, & non agentes pœnitentiam, (l) quominus (m) redire debeant ad id, quod propter Deum primitus (n) elegerant, anathematizari.*

Decimum Capitulum de Clericis, qui ſunt in (o) Ptochiis, Monaſteriis, atque Martyriis, ex Canone Chalcedonenſis Concilii, (p) cap. 9. ita decretum eſt: *Clerici, qui præficiuntur Ptochiis, vel ordinantur in Monaſteriis, & Baſilicis Martyrum, (q) in Epiſcoporum, qui in unaquaque Civitate ſunt, ſecundùm Sanctorum Patrum traditiones, poteſtate permaneant. Nec per contumaciam ab Epiſcopo ſuo deſiliant. Qui verò audent evertere hujuſmodi formam quocumque modo, nec proprio ſubjiciuntur Epiſcopo, ſi quidem Clerici ſunt, Canonum correptionibus*
C *ſubjacebunt; ſi verò Laici, vel Monachi fuerint, communione priventur.*

Undecimum Capitulum, qui Clerici etiam ab uxoribus abſtinere debeant, ex Concilio Africano, cap. 37. ita continetur: *Præterea quum de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit, Epiſcopos & Presbyteros, ſeu Diaconos, ſecundùm propria ſtatuta, etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Ceteros autem Clericos (r) ad id non cogi, ſed ſecundùm uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.*

Duodecimum Capitulum, de his, qui uxores, aut viros dimittunt, ut ſic maneant, ex
D Concilio ſupraſcripto Africano, cap. 69. ita continetur: *Placuit, ut ſecundùm Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito, alteri conjungantur, ſed ita maneant, aut ſibi invicem reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.*

Decimum tertium Capitulum. Inquiſitum eſt, quòd Monachus, ſi Clericus factus fuerit, quid (s) agi debeat. Ex Decreto Beati Innocentii Papæ, cap. 17. continetur: *De Monachis, qui diu morantur in Monaſteriis, & poſtea ad Clericatus ordinem (t) pervenerint, non debere eos à proprio propoſito deviare. Aut enim, ſicut in Monaſterio fuit, & quod diu ſer-*
E *vavit, in meliori gradu poſitus, amittere non debet:*

(z) *Idem:* Presbyteri ruris in Eccleſia.
(a) *Idem:* ut comminiſtri autem, propter ſtudium.
(b) *Idem:* & cuncta.
(c) *Idem:* noxiorum reatus omnis, & crimen eos reſpicit Sacerdotes.
(d) *Idem:* ut Viduæ non violentur, & ſi profeſſam.
(e) *Idem:* ſuperius late.
(f) *Idem:* priſtini conjugii caſtitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum debeant ſatisfactione placare. Sicut enim ſi ſe forſitan continere non poterant, ſecundùm Apoſtolum, nullatenus nubere vetabantur.
(g) *Gretſer.* Baronius; habita.
(h) *Lambec.* Sic habitâ ſecum deliberatione, promiſſam Deo pudicitiæ fidem debent cuſtodire.
(i) *Lambec.* Altaria conſtituerit.
(k) *Idem:* quia ſuam recipere non poteſt dignitatem.
(l) *Idem:* cum manere debeant, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.
(m) *Gretſer.* Baronius; redirent.
(n) *Idem:* Baronius; elegerint.
(o) *Idem:* Hoſpitalibus.
(p) *Lambecius:* Cap. VIII. ita decretum eſt.
(q) *Idem:* ſub Epiſcoporum.
(r) *Idem:* ad hoc non cogi.
(s) *Gretſerus:* Baronius; agere.
(t) *Lambecius:* pervenerint, ſtatuimus, non debere eos a proprio.

debet: aut, si corruptus postea baptizatus, & in Monasterio sedens, ad Clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit, quia nec benedici cum sponsa potest, jam antea corruptus. Quæ forma servatur in Clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat, (u) *ut quisque corruptus baptizatus, Clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.*

(x) Decimum quartum Capitulum. Quòd Presbyteri, aut Diaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint (y) per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi. In Decreto Beati Leonis Papæ, cap. 16. decretum est ita: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconii gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundùm quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo? Unde hujusmodi lapsis ad promerendum misericordiam Dei, secreta est expetenda secessio,* (z) *ubi illis satisfactio fuerit digna, sed etiam fructuosa.*

(a) Decimum quintum Capitulum pro eo, quod interrogatum est de Laicis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, (b) quis ipsos debeat regere, aut gubernare: *A Sanctis Patribus ita statutum est, & in præceptis Apostolicis continetur: Juxta petitoris imploratum, ut si in quolibet fundo cujuscumque juris, Oratorium, sive Basilica fuerit constructa, pro ejus devotione in honorem cujuscumque Sancti, in cujus Episcopi parochia fuerit fundatum Oratorium aut Basilica, perceptâ primitus donatione legitimâ, idest,* (c) *præstantem* (d) *tot gestisque municipalibus allegatis, prædictum Oratorium per Missas publicas,* (e) *solemniter consecrabis,* ita ut in eodem loco nec futuris temporibus Baptisteria construantur, nec Presbyter constituatur Cardinalis, (f) sed & si Missas ibi facere maluerit, ab Episcopo noverit Presbyterum postulandum: quatenus nihil tale à quolibet alio Sacerdote nullatenus resistatur, nisi ab Episcopo fuerit ordinatum.

Sextum decimum Capitulum de Clericis, qui proprias Ecclesias relinquunt, quid de eis agi debeat, ex Canone Sanctorum Apostolorum, cap. 15. ita continetur: *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam Parochiam, pergat ad alienam,* (g) *& omnino Presbyter declinans Episcopi sui conscientiam, in aliena Parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contemserit, in sua inquietudine perseverans.* (h) *Tamen tamquam Laicus ibi communicet.*

(i) Decimum septimum Capitulum. Item pro Episcopis, qui alterius Clericos susceperint, ut excommunicentur, (k) in eodem Concilio cap. 16. continetur: *Episcopus verò, apud quem memoratus esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans tamquam Clericos fortè susceperit, velut magister inquietudinis communione privetur.*

(l) Decimum octavum Capitulum, qui Clerici uxores sortiri debeant, (m) in 27. cap. Canonum Sanctorum Apostolorum decretum est: *Innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores, Cantoresque tantummodo.*

Nonum decimum Capitulum, ut nullus Presbyter aut Diaconus, (n) sine commendatitiis Epistolis suscipiatur, in eodem Canone Sanctorum Apostolorum continetur: *Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, seu Diaconorum, sine commendaticiis suscipiatur Epistolis, & cum scripta detulerint, discutiantur attentius; & ita suscipiantur, si prædicatores pietatis exstiterint.* (o) *Sin minus, neque necessaria subministrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur,* (p) *quia à surreptione multa proveniunt.*

Vicesimum Capitulum de Virginibus velatis, si deviaverint, quid de illis agendum sit, in Libro Decretorum Beati Innocentii Papæ, (q) cap. 14. adsertum est: *Quæ Christo spiritaliter nubunt, & à Sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint,* non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, *nisi is, cui se conjunxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, quæcumque, vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendi pœnitentiam licentia concedatur, nisi unus ex his fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat, & postea humanas ad nuptias migravit.*

Vicesimum primum Capitulum, idem de non velatis Virginibus, si deviaverint, in eodem Libro, 20. cap. continetur: *Hæ verò, quæ nondum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licèt velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est,* (r) *quia sponsio* (s) *ejus Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit. Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, qui primam fidem irritam fecerunt, quanto potius Virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ?* Hæc itaque, fratres carissimi, si plena vigilantia fuerint ab omnibus Sacerdotibus observata, cessabit ambitio, iniquitas superata calcabitur, veritas spiritali fervore flagrabit, pax prædicata labiis, cum voluntate animi concordabit:

(u) *Idem*: ut quisque correptus baptizatus.
(x) *Idem*: Quartum decimum.
(y) *Idem*: per manus impositiones.
(z) *Idem*: ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.
(a) *Idem*: Quintum decimum.
(b) *Idem*: quis ipsas debeat regere.
(c) *Gretserus*: Baronius; præstante.
(d) *Lambecius*: præstante tot.
(e) *Idem*: solenniter consecrat is ita.
(f) *Idem*: sed, & si Missus sibi fortè maluerit.
(g) *Idem*: & omnino declinans, præter Episcopi sui.
(h) *Gretserus*: Baronius; Sed tamquam, Centuriatores; Caussam tamquam.

(i) *Lambecius*: Septimum decimum.
(k) *Idem*: in eodem Canone Sanctorum Apostolorum, Cap. XVI. continetur.
(l) *Idem*: Octavum decimum.
(m) *Gretserus*: In 2. & 7. Sic & Centuriat.
(n) *Lambecius*: sine commendatitiis suscipiatur epistolis in eodem Canone Sanctorum Apostolorum, Cap. XXXIV. continetur.
(o) *Idem*: Sin minus, nec, quæ sunt necessaria, subministrentur eis.
(p) *Idem*: quia per subreptionem multa proveniunt.
(q) *Idem*: Cap. XVIIII.
(r) *Gretserus*: Baronius, & Centuriatores; quia sponsione ejusmodi tenebatur.
(s) *Lambecius*: quia sponsio earum.

A
bit. Implebitur edictum Apostoli, (t) ut unanimes unum sentientes, permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes, non hominibus, sed Deo nostro Salvatori placentes.

Vicesimum secundum Capitulum de his, quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint, in Concilio Neocæsariense, cap. 2. continetur: *Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem: verumtamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit, quòd facta incolumis, hujus conjunctionis (u) vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ in vita (x) permanenti.* Nos autem gratia divina suffragante, juxta prædecessorum & antecessorum Pontificum decreta, multo
B
amplius confirmantes dicimus, ut dum usque se se generatio cognoverit, juxta ritum & normam Christianitatis, & religionem Romanorum, non copulentur conjugiis. Sed nec spiritalem, idest, commatrem, aut filiam, quod absit, quis ducat temerario ausu uxorem. Est namque nefas & perniciosum peccatum coram Deo & Angelis ejus. In tantum enim grave est, ut nullus Sanctorum Patrum, neque Sacrarum (y) Synodorum assertiones, vel etiam in Imperialibus legibus quispiam judicatus sit, sed terribile Dei judicium metuentes siluerunt, sententiam dare.

Vicesimumtertium Capitulum de his, qui homicidium sponte perpetraverunt, in vice-
C
simo primo Capitulo Ancyrani Concilii continetur: *Qui voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ jugiter se submittant, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.*

Vicesimum quartum Capitulum, item de his, qui homicidium non sponte perpetraverunt, in eodem Canone, cap. (z) 22. continetur: *De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septem annorum pœnitentiam, perfectionem consequi præcepit, secunda verò, quinquennii tempus explere.*

Vicesimum quintum Capitulum de his, qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri comprobantur. In Concilio Ancyrano cap.
D
19. continetur: *Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem consequi secundùm pristinos gradus.*

Vicesimum sextum Capitulum de Monachis, & Virginibus, propositum non servantibus, in Libro Decretorum Beati Siricii Papæ, cap. 6. continetur: *Præterea Monachorum quosdam, atque Monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, vel sub Monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint; postea verò in abruptam conscientiæ desperationem perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearent: quod & publicæ leges, & Ec-*
E
clesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas, detestabilesque personas à Monasteriorum (a) cœtu, electorumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificato possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem, saltem solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam, possit indulgentia subvenire.

Vicesimum septimum Capitulum de his, quæ non coacte, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, quod delinquant, quum nupserint, etsi nondum fuerint consecratæ, in Libro Decretorum Beati Leonis Papæ, (b) cap. 28. continetur: *Puellæ, quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt: si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit, cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.*

Hæc itaque, carissimi nobis & dilectissimi, quæ superius annexa sunt, in quantum miserante Deo valuimus, inter cetera Capitula deflorantes, tam Sanctorum Apostolorum, quàm (c) etiam Beatorum Patrum sanctiones, seu etiam & probabilium Beatissimorum Pontificum decreta, ut uniuscujusque Capituli sententia continet, in brevi elogio perstringentes, ad vestri Præsulatus notitiam & prædicationem, atque Populi vobis à Deo crediti ædificationem, mandavimus ministranda atque perficienda; hortantes vestram omnium prudentissimam sanctitatem, & Procerum (d) dilectionem, (e) omni moderatione non declinantes à dextris, aut sinistris, sed viam regiam incedentes, (f) constantissimè observetis Apostolica mandata. Etenim hæc, amantissimi nobis, vobis dedimus in mandatis, ut nec nos coram Deo de taciturnitate judicemur, nec vos de neglectu coram eo cogamini reddere rationem, sicut scriptum est in Dominico præcepto: (g) *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Itaque nihil excusationis adhibentes, omnium rationabilium animarum salutem procuretis, ita currentes in agone, ut non vituperetur ministerium vestrum; sed magis de palma victoriæ bravium accipiatis juxta egregii Apostoli dictum, habentes bonis actibus inhærendo (h) *repositam coronam justitiæ* in siderea mansione; quam vobis reddat in illum diem justus Judex Dominus Deus & Salvator noster Jesus Christus, qui vivit in unitate cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu Sancto per omnia secula seculorum. Amen.

EX AMALRICO AUGERIO.

De Stephano II.

STEPHANUS Secundus, natione Romanus, ex patre Constantino fuit natus, & post dictum Zachariam Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum extitit Papa XCVII. Anno à Nativitate Domini DCCLII.

Item quòd cùm Aistulfus Langobardorum Rex

(t) *Gretserus*: Ad Philippens. 2.

(u) *Lambecius*: vincula dissolvat; fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier, aut vir, in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

(x) *Gretserus*: Sic etiam Baronius, & Centuriatores. In ipso Concilio est; fructum pœnitentiæ consequatur.

(y) *Lambecius*: Synodorum assertionibus.

(z) *Gretserus*: Baronius; XXV.

(a) *Lambecius*: cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis.

(b) *Lambecius*: Cap. XXVII.

(c) *Idem*: quamque etiam & Beatorum Patrum sanctiones, seu etiam &.

(d) *Idem*: dilectionem, ut omnimoda ratione non declinantes.

(e) *Gretserus*: Baronius; ut omnimoda ratione.

(f) *Idem*: Baronius; fortissimè.

(g) *Idem*: Johannis XV.

(h) *Idem*: II. ad Timotheum. 4.

Rex tempore ipsius Stephani Papæ valde opprimeret Urbem & Populum Romanum, pro eo, quia ab unoquolibet capite certum tributum sibi fieri & dari exigebat, ideo ipse Stephanus Papa adjutorium contra dictum Aistulphum literatoriè à Pippino Rege Francorum sibi fieri postulavit. Cùm ipse Pippinus hæc audivisset, eidem Stephano Papæ affectuosè supplicavit, ut in Franciam veniret. Qui quidem postea in Franciam venit. Cui venienti Pippinus cum magna militia occurrit, & ipse statim de suo equo descendit in terram, & postea per spatium trium milliariorum vice ac modo Stratoris cum magna humilitate & devotione exstitit in terra prostratus. Et postea unà cum conjuge, & prole sua, cum magno gaudio & honore ad suum Palatium eum deduxit; ubi prædictum Pippinum in Regem Franciæ inunxit, & Carolum Magnum, & Carolum filios suos in hereditatem successionis dedit, & omnes alienigenas ab ejus invasione anathematizavit.

Item quòd ipse Stephanus Papa ultimo Anno sui Pontificatus, Romanum Imperium transtulit à Græcis in Germanos, in personam Magnifici Caroli Regis Franciæ. De qua translatione tangit Decretalis *de Electione*, Capitulo *Venerabilem*. Et ibi etiam per Doctores de hoc plenè notatur.

Item quòd iste Stephanus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli honorificè à Clero & Populo, V. Kalend. Martii exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam quinque annis & viginti octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense, & quinque diebus, Constantino V. Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO DE PONTIFICIBUS ROMANIS.

De Secundo Stephano Papa.

D*Ura subit* Stephanus *Petro sacrata* Secundus,
Prælecto (a) taciti subita vi funeris acto.
Almos à puero suetus tolerare parentes
Creverat iste, datus gradibus per singula Cleri
Munia. Levitico dum claret jure minister,
Ecclesiæ vigilans curis, sancita tuetur.
Subventor, tutorque inopum, defensor ovilis,
Constans præco Dei, veteris reparator & auctor
Tutelæ indiguis latæ: quorum struit ædes,
Innovat eversas, & xenia destinat, aptat:
Divinoque ministerium sibi Numine partum,
Interno (b) externoque colens disponit honore.
Consiliis gentes (c) pravis in bella feruntur:
Germanum (d) quibus arcendis ad fœdera pacis
Legat, danda simul socios & munera (e) jungens.
Pacta velut plures statuunt servanda per annos,
Astu revera properi frangenda reatus.
Quæ mox exacto Phæbes (f) quater Orbe Tyrannus (g)
Irrumpens, Patri atque gregi furiosa minatur.
Mittuntur mites (h) rabido spe fœderis urso:
Pacificosque agnos Christi fera bellua temnens,
A *Dimittit vacuos. Domino sed vota resignans*
Dirigit Antistes, lacrymas super æthera legans.
Cæsareus mox Missus adest, mandata furenti
Deportans Regi, resipiscere, rapta referre.
Admonitus blandis grassator inania reddit,
Vafra refert, nisuque truci direpta retentat.
Dumque humana tepent, suffragia quærere dignum
Diva Pater ducit; sociorumque agmina jungens
Aggregat Ecclesiam: monet exorare supernum
Clementemque Patrem: votis ac fletibus instat
Ipse simul: cineres addit, vestigia nudat:
Celsa petunt, importuna prece sidera pulsant.
Utque preces cœlum dignè impetrare penetrent,
Actibus in sanctis comites persistere mandat.
Cedere cuncta piis decernit Sabbata votis.
B *Deditus ipse sacris Altaria cultibus ornat,*
Muneribus ditat, fabricis atque ædibus auget,
Culmina restaurat. Sed nec suplicamine cessat.
Consilium capit interea, deponere causam
Francorum Regi, Christoque, Petroque fideli.
Accipit hanc miserando pius Pippinus, opemque
Ferre parans, promtus Legatos dirigit Urbi,
Dignari tantum poscens se visere Patrem.
Pastor amore gregis fervens, egressus ovile
Quærit pacem ovium per turbida lustra ferarum.
Gratia (i) cœlestis, cari solatia Cleri,
Cæsarei mandata, Proceresque Quiritum,
Francorumque Duces Papam comitantur euntem.
Æthereus cœlo præfulgurat hostibus ignis
Climate Francorum, stragemque minatur iniquis,
C *Prævia prætendens ductamina luminis almo*
Callidus absterrere lupus (k) conamina justa
Nititur: invictus persistit pro grege ductor.
Munera fert hosti atque preces. Obduruit ille
Corde Pharaonis, nec oves dimittere captas
Consentit monitus, queruli nec vota patroni
Admittit. Præsul nequaquam ferrea cernens
Pectora molliri, sævæ se abjungit Hyenæ,
Qua vocat egregii pietas mitissima Regis;
Intendens iter, almifico stipante Senatu;
Præteriensque dolos, ductori munera Christo
Laudibus ingeminat: glaciales transmigrat Alpes.
Francigenæ properant Primates, obvia Papæ
Millia festinant, genitis Rex atque jugali
Accelerat junctis, terræque adstratus adorat
D *Angelicum Patrem, cœlestia jura ferentem.*
Fungitur officiis pronus, pedes ipse beatum
Ductat equo vectum, laudesque & carmina dantem
Rectori Regum regali suscipit aulâ.
Adsidet, observat, devota precamina sumit,
Atque libens votis favet, ac parêre paratum
Se perhibens, gaudet Petri servire clienti.
Dumque hyemis prohibente gelu repedare (l) ...
Sancte tui Martyr Dionysi limina servat.
Vexatus languore gravi, pereunte medelâ
Auxilii artificis, trahere extima fata putatur.
Is meliora sequens medicinæ robora certæ,
Supremum poscit Medicum, sacrata frequentat
Templa, requirit opem Patrum sibi adesse piorum.
Deditus & precibus præmissi Martyris æde,
E *Visitur à propriis Petro, Pauloque Patronis.*
Cum quibus & præsens testis Dionysius adstans,
Suadetur (m) Patribus languenti ferte levamen.
Ille piis parens monitis, comitantibus ægrum
Accedit sociis, pacem denuntiat, aufert
Corde metum, spondet reditum in sua mœnia lætum.
Præ-

NOTÆ MABILLONII.

(a) Eo, qui ante fuerat electus, mortuo.
(b) spiritali ac seculari.
(c) Langobardi
(d) Paullum Diaconum.
(e) eidem Paullo.
(f) Lunæ.
(g) Aistulfus.
(h) Abbates.
(i) magna cœli serenitas.
(k) Aistulfus.
(l) supple *negatur*. Subsequens miraculum, ab Anastasio omissum, commemorat Stephanus ipse in Epistola, Tomo Secundo Concilior. Galliæ.
(m) à Patribus.

A *Præcipit incolumis surgat, Domino dicet altar*
Nomine apostolico, referat præconia Christo.
Luce salutiferâ, divo quoque nectare fotus,
Exsilit ereptus, præceptaque munia nitens
Faxere, non sanâ censetur hebescere mente:
Donec visa refert, sicque edita Martyris implet.
Inque apicem Regni patremque (n) & pignora sacrans,
Unguine mirifico ditat, stirpemque futuram
Culmine sublimat, regali jure decorat.
Ornat honore locum, locupletat cultibus aram.
Tum Rex cum Regni Satrapis, claroque Senatu
Rebus consultans trepidis succurrere Papæ,
Unanimes Christi, Petrique ad munia reddit.
Haud ullis valet averti serpentis iniqui
Fraudibus, haud fratris vafro molimine missi
B *Consiliis: quin germano discrimina præfert*
Ecclesiæ; fixoque studens certamine niti,
Præsulis in votis legat mandata tyranno,
Fœdere sub pacis Cephæ sublecta rependat.
Terque eadem repetit. Neque cor mollire gelatum
Muneribus, suasisque valet, nec proficit ullo
Ad pacem rigidum moderamine flectere pectus.
Unde gregans turmas Francorum agit agmina, causam
Ipse acturus Apostolicam, mediamque terebat
Recto calle viam cum Papa; procacia nitens
Pectora mitificare, petit fera corda moveri
Regis item Missis, cum quis mandata, precesque
C *Dirigit, obtestans, fundendo à sanguine parcat.*
Ille minas contra Patri, Regique relegat.
Ast hi spem Domino totam committere certi,
Se Christo tutore tegi, cui bella geruntur.
Cujus opem Princeps poscens, promissa protervo
Munera fert tribuenda humili Patrique, gregique.
Sicque duci se se allegans fidoque patrono,
Cœptum carpit iter, mittens præcedere quosdam,
Ac servare aditus, artoque adstare meatu.
Comperiens hostis Regem præcurrere, paucos
Junctis hos cuneis subito insperatus adorsus
Stratum se ire putat: stragis sed damna reportat.
Victus & à paucis, cum pluribus ipse peremtis
It, solâque fugæ positis spe nititur armis,
D *Atque tremens Urbis se se vallamine claudit.*
At justi perversorum munimine verso
Diripiunt prædas. Post cædem vindicis ensis
Rex Patre prosequitur, fultus celantibus hostem
Incumbit muris, pacem dum Papa precando
Fœdera pellacis (o) compellit inire fidelem, (p)
Reddere jurantis quæ rapta retentat inique.
Sic sua Rex repetens Francorum regna, beato
Dat socios Patri, Romana ad mœnia fidos.
Jamque revertenti Populorum examina currunt
Obvia Pastori, grates laudesque ferentes
Eximias Christo. Cleri, Populique catervæ
Excipiunt Patrem, præclara trophæa vehentem.
Ille studens recreare gregem, neglecta referre
E *Munia, nocturnis reparat psallentia sacris,*
Carmina digna choris auget, solatia præbet
Commoda, devotis certent ut degere psalmis.
Hostis ut adsuetas volvens sub pectore fraudes,
Ingeminat facinus, perjuria nota frequentat.
Crescere temnit onus (q), nihili feralia pendit:
Invadensque relicta, nefas cumulare laborat,

Atque trahit Regni (r) secum sub tartara vires.
Arma capit, cuneos cogit misera agmina ....
Ecclesiæ contra columen, fert prœlia Petro,
Et sacra sacrilego circumdat mœnia ferro.
Præsul amatori Christi notat improba Regi
Pippino, acta trucis contra pia castra (s) draconis.
Expedit ille manus, ultriciaque exserit arma,
Jure calens in perjuros certaminis æqui.
Cæsareique & Legatis & jussibus obstans,
Nec precibus cedit ve minis, aut munere victus:
Terribilem se se pravis acri impete præbens.
Insistit trepidis, dum (t) clauso extorquet ab hoste
Jura reformari, recipit, redditque beato
Oppida rapta Petro, reprimitque tumentia colla.
Hesperiæ moderans, regiones pace serenat.
Gaudentes sub Apostolicis se reddere frenis.
Papa Deo grates referens, Turrim erigit aulæ, (u)
Argentique colens radiis investit & auri.
Ære tubas (x) fuso attollit, quibus agmina plebis
Admoneat, laudes & vota referre Tonanti.
Prospera Cunctipotens auget, removetur & hostis:
Præsulis ad nutum Reges & Regna reguntur.
Bella soporantur, surgunt sacro ordine fastus.
Publica res crescit, dilatat Pastor ovile.
Fallaces cavet insidias, ablata receptat.
Educensque novas Cephæ splendore columnas,
Fabricat Ecclesias, Petro, fratri (y) genitæque:
Quas fabricis ornat, donisque nitentibus auget;
Atque Petronillæ, Regis monitu, ossa venustat.
Actibus his clarus, palmarum & lumine mactus,
Præmia celsa petit Petro ductore beatus.

Item Epistola Tertia, quam transmisit Stephanus Papa (z) ad Domnum Regem Pippinum, (a) & Carolum, vel Carolomannum, seu omni Generalitati Francorum. In nomine Sancti Petri comprehensa, postquam per semetipsum jam dictus Papa in Francia fuit, & secunda vice voluit adjutorium obtinere contra Longobardos.

(Epistola ordine III.)

(b) PEtrus vocatus Apostolus à Jesu Christo Dei vivi Filio, qui ante omnia secula cum Patre regnans in unitate Spiritus Sancti, in ultimis temporibus pro nostra omnium salute incarnatus & homo factus, nos suo redemit pretioso Sanguine per voluntatem paternæ gloriæ, quemadmodum per Sanctos suos destinavit Prophetas in Scripturis Sanctis, & per me, omnis Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, ipsius Redemtoris nostri sanguine super firmam fundata Petram; atque ejusdem almæ Ecclesiæ Stephanus Præsul, gratia, pax, & virtus ad eruendam eamdem Sanctam Dei Ecclesiam, & ejus Romanum Populum mihi commissum de manibus persequentium, plenius ministretur à Domino Deo nostro, vobis viris

(n) Pippinum & filios.
(o) dolosi Aistulphi.
(p) Pippinum.
(q) peccata.
(r) sui ad mortem.
(s) Romanos.
(t) donec.
(u) Sancti Petri.

(x) Campanas.
(y) Andreæ, & Petronillæ.
(z) *Gretserus*: Stephanus III. electus Anno Christi 752., mortuus 757.
(a) *Lambecius*: & Carolo vel Carolomanno.
(b) *Gretserus*: Extat apud Baronium An. 755., & Centuriator. 8. cap. 10.

viris excellentissimis Pippino, Carolo, & Carlomanno tribus Regibus, atque Sanctissimis Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, vel cunctis religiosis Monachis, verum etiam Ducibus, Comitibus, & cunctis generalibus exercitibus, & Populo Franciæ commorantibus.

Ego Petrus Apostolus, dum à Christo, Dei vivi Filio, vocatus sum supernæ clementiæ arbitrio, illuminator ab ejus potentiâ totius Mundi sum præordinatus, ipso Domino Deo nostro confirmante: (c) *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et iterum: (d) *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis*: & mihi suo exiguo servo, & vocato Apostolo, (e) singillatim suas commendavit oves, cùm ait: (f) *Pasce oves meas: pasce agnos meos*. Et rursum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni Cœlorum. Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cœlis*. Quamobrem omnes, qui meam audientes impleverunt prædicationem, profectò credant, sua in hoc Mundo, Dei præceptione, relaxari peccata; & mundi atque sine macula in illam progredientur vitam. Etenim (g) quia illuminatio Spiritus Sancti in vestris refulsit præfulgidis cordibus, vosque amatores effecti estis Sanctæ & unicæ Trinitatis per susceptum Evangelicæ prædicationis verbum, profectò in hac Apostolica Dei Romana Ecclesia nobis commissa, vestra futuræ retributionis spes tenetur adnexa: ideoque ego Apostolus Dei Petrus, qui vos adoptivos habeo filios, ad defendendum de manibus adversariorum hanc Romanam Civitatem, & Populum mihi à Deo commissum, seu & domum, ubi secundùm carnem requiesco, de contaminatione Gentium eruendam, (h) vestram omnium dilectionem provocans adhortor, & ad liberandam Ecclesiam Dei, mihi à divina potentia commendatam, omnino protestans admoneo, pro eo quòd maximas afflictiones & oppressiones à pessima Langobardorum gente patiuntur.

Nequaquam aliter teneatis, amantissimi, sed pro certo confidite, per memetipsum, (i) tamquam in carne, coram vobis, vivus adsisterem, per hanc adhortationem validis constringimus atque obligamus adjurationibus: quia secundùm promissionem, quam ab eodem Domino Deo & Redemtore nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes vos omnes Francorum Populos habemus. Itaque protestor & admoneo, tamquam in ænigmate, & firma obligatione conjuro vos Christianissimos Reges Pippinum, Carolum, & Carlomannum, atque omnes Sacerdotes, Episcopos, Abbates, Presbyteros, vel universos religiosos Monachos, vel cunctos Judices; item Duces, Comites, & cunctum Francorum Regni Populum, (k) & tamquam præsentaliter, in

A carne vivus adsistens coram vobis, ego Apostolus Dei Petrus: ita firmiter credite, vobis (l) adhortationis alloqui verba, (m) quia etsi carnaliter desum, spiritualiter autem non desim, quoniam scriptum est: (n) *Qui suscipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem suscipit Prophetæ*.

Sed & Domina nostra, Dei genitrix semper Virgo Maria, nobiscum vos magnis obligationibus adjurans protestatur atque admonet & jubet, simul etiam Throni, atque Dominationes, (o) & cunctus cœlestis militiæ exercitus; nec non & Martyres, atque Confessores Christi, & omnes omnino Deo placentes, & hi nobiscum adhortantes & conjurantes pro-

B testantur: quatenus doleat vobis pro Civitate ista Romana, nobis à Domino Deo commissa, & ovibus Dominicis in ea commorantibus: nec non & pro Sancta Dei Ecclesia mihi à Domino commendata; & defendite atque liberate eam sub nimia festinatione de manibus persequentium Langobardorum. Ne quod absit, Corpus meum, quod pro Domino Jesu Christo tormenta perpessum est, & domus mea, ubi per Dei præceptionem requiescit, ab eis contaminentur, & Populus meus peculiaris lanietur amplius, nec trucidentur ab ipsa Langobardorum gente, qui tanto flagitio perjurii rei existunt, & transgressores divinarum Scripturarum probantur. Præstate ergo Po-

C pulo meo Romano, mihi à Deo commisso in hac vita, fratribus vestris, Domino cooperante, præsidia totis vestris viribus, ut ego Petrus vocatus Dei Apostolus, in hac vita, & in die futuri examinis, vobis alterna impendens patrocinia, in regno Dei lucidissima ac præclara vobis (p) præparentur tabernacula; atque præmia æternæ retributionis, & infinita Paradisi gaudia vobis pollicens (q) advicem tribuam; dummodo meam Romanam Civitatem, & Populum meum peculiarem, fratres vestros, Romanos, de manibus iniquorum Langobardorum nimis velociter defenderitis.

Currite, currite, per Deum vivum & ve-

D rum vos adhortor & protestor, currite, & subvenite, antequam fons vivus, unde satiati & renati estis, arescat; (r) antequam ipsa modica favilla de flagrantissima flamma remanens, ex qua vestram lucem cognovistis, extinguatur; antequam (s) mater vestra spiritalis, sancta Dei Ecclesia, in qua vitam speratis percipere æternam, humilietur, invadatur, & ab impiis involetur atque contaminetur. Protestor vos, dilectissimi filii mei adoptivi, per gratiam Spiritus Sancti protestor, & nimis coram Deo terribili, creatore omnium, adhortor atque admoneo, ego Apostolus Dei Petrus, & unà mecum sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, quam mihi Dominus

E commisit, ne patiamini perire hanc Civitatem Romanam, in qua corpus meum constituit Dominus, quam & mihi commendavit, & fundamentum Fidei constituit. Liberate eam,

(c) *Idem*: Matthæi 28.
(d) *Idem*: Johannis 21.
(e) *Lambecius*: singillatim suas commendans oves,
(f) *Gretserus*: Matthæi 16.
(g) *Idem*: Centuriatores; quibus.
(h) *Lambecius*: vestrûm tamen omnium dilectionem provocans.
(i) *Gretserus*: Baronius; tamquam in carne coram vobis vivum assistere, & per hanc adhortationem validis constringere atque obligare adjurationibus.

(k) *Lambecius*: & tamquam præsentialiter.
(l) *Gretserus*: Baronius; per adhortationis alloqui verbum.
(m) *Lambecius*: quomodo etsi carnaliter desum.
(n) *Muratorius*: Matthæi Cap. 10. vers. 41.
(o) *Lambecius*: vel cunctus.
(p) *Lambecius*: præparem tabernacula.
(q) *Idem*: ad vicem tribuam.
(r) *Idem*: antequam ipsa modica stilla.
(s) *Idem*: mater vestra spiritualis.

A ſuam, & ejus Romanum Populum, fratres veſtros, & nequaquam invadi permittatis à gente Langobardorum. Sic non ſint invaſæ provinciæ, & poſſeſſiones veſtræ à gentibus, quas ignoratis, non ſeparemini à Populo meo Romano (*t*) Sic non ſitis alieni, aut ſeparati à Regno Dei, & vita æterna. Quidquid enim poſcetis à me, ſubveniam vobis videlicet, & patrocinium impendam. Subvenite Populo meo Romano, fratribus veſtris, & perfectius decertate, atque finem imponite ad liberandum eos. Nullus enim accipit coronam, (*u*) qui non legitimè decertaverit. Et vos decertate fortiter pro liberatione ſanctæ Dei Eccleſiæ, ne in æternum pereatis.

B Conjuro vos, conjuro, (*x*) ut præfatum eſt, dilectiſſimi, per Deum vivum, & omnino proteſtor, minime permittatis, hanc Civitatem meam Romanam, & in ea habitantem Populum amplius à gente Langobardorum laniari, ne lanientur & crucientur corpora & animæ veſtræ in æterno atque inextinguibili tartareo igne cum Diabolo, & ejus peſtiferis Angelis, & ne diſpergantur amplius oves Dominici gregis mihi à Deo commiſſi, videlicet Populus Romanus. Sic non vos diſpergat & projiciat Dominus, ſicut Iſraëliticus Populus diſperſus eſt. Declaratum quippe eſt, quòd ſuper omnes Gentes, quæ ſub cœlo ſunt, veſtra Francorum gens, prona mihi Apoſtolo Dei Petro exſtitit, & ideo

C Eccleſiam, quam mihi Dominus tradidit, vobis per manus Vicarii mei commendavi ad liberandum de manibus inimicorum. Firmiſſimè enim tenete, quòd ego ſervus Dei, vocatus Apoſtolus, in omnibus veſtris neceſſitatibus, dummodo precati eſtis, auxiliatus ſum, & victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis tribui, & in ante attribuam nihilominus, credite, ſi ad liberandum hanc meam Civitatem Romanam nimis velociter occurreritis. Mementote & hoc, quomodo & inimicos ſanctæ Dei Eccleſiæ, dum contra vos prœlium (*y*) ingruerunt, à vobis, qui parvo numero contra eos fuiſtis (*z*) proſternere feci. Pro quo decertate hanc meam velociter

D adimplere admonitionem, ut perfectius meum adipiſci mereamini auxilium per gratiam, quæ data eſt mihi à Chriſto Domino Deo noſtro.

Ecce, filii cariſſimi, prædicans admonui vos, ſi obedieritis velociter, erit vobis pertingens ad magnam mercedem, & meis ſuffragiis (*a*) adjuvati, & in præſenti vita omnes veſtros inimicos ſuperantes, & longævi perſiſtentes, bona terræ comedetis, & æternâ procul dubio (*b*) fruemini vitâ. Sin autem, quod non credimus, & aliquam poſueritis moram aut adinventionem, minime velociter (*c*) hanc noſtram implendam adhortationem, ad liberandam hanc meam Civitatem Roma-

E nam, & Populum in ea commorantem, & ſanctam Dei Apoſtolicam Eccleſiam mihi à Domino commiſſam, ſimul & ejus Præſulem, ſciatis vos ex auctoritate Sanctæ & unicæ Trinitatis, per gratiam Apoſtolatus, quæ data eſt mihi à Chriſto Domino, vos alienari pro tranſgreſſione noſtræ adhortationis à Regno Dei, & vita æterna. Sed Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui nos ſuo pretioſo redimens Sanguine, ad lucem perduxit veritatis, nos quoque prædicatores, & inluminatores totius Mundi conſtituit, det vobis ea ſapere, ea intelligere, eaque diſponere nimis velociter, ut celerius hanc Civitatem Romanam, & (*d*) omnem Populum, ſeu ſanctam Dei Eccleſiam, mihi à Domino commiſſam, ad eruendum occurratis, quatenus miſericorditer, ſicut fidelibus ſuæ potentiæ, meis pro vobis intervenientibus ſuffragiis, & in præſenti vita longævos, ſoſpites, & victores conſervare jubeat, & venturo in ſeculo dona ſuæ remunerationis faciat multiplicius promereri, cum Sanctis & electis ſuis. Bene valete.

Item Epiſtola ejuſdem Papæ ad Domnum Regem Pippinum, & Carolum, vel Carlomannum, ſeu omni Generalitati, in nomine ipſius Papæ comprehenſa, pro deſolatione, & devaſtatione ſanctæ Dei Eccleſiæ, & Urbis Romanæ: per Georgium Epiſcopum, (e) & Warncharium Abbatem, & Thomaricum Comitem, Miſſos ipſius Apoſtolici directa, poſtulando nimiis cum adjurationibus adjutorium contra Langobardos.

(*Epiſtola ordine IV.*)

(*f*) D*Omnis excellentiſſimis Pippino, Carolo, & Carlomanno tribus Regibus, & noſtris* (*g*) *Romanorum Patriciis; ſeu omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Presbyteris, & Monachis, ſeu glorioſis Ducibus, Comitibus, vel cuncto exercitui Regni & Provinciæ Francorum, Stephanus Papa, & omnes Epiſcopi, Presbyteri, Diacones, ſeu Duces, Carthularii, Comites, Tribuni, & univerſus Populus, & exercitus Romanorum, omnes in afflictione poſiti.* Quantâ luctuosâ, & amariſſimâ triſtitiâ circumvallati, quantaque anxietate atque anguſtia coartati ſimus, & quantas, crebreſcentibus continuis malis, oculi noſtri deſtillantes profundant lacrymas, credimus, quod & ipſa omnium elementorum (*h*) figmenta enarrent. Quis enim harum tribulationum conſpector non lugeat? Quis auditor harum nobis inhærentium calamitatum non ululet? Quamobrem cujuſdam bonæ mulieris, Suſannæ pudicæ, verba loquimur: (*i*) *Anguſtiæ nobis undique, & quid agamus, ignoramus*. O Chriſtianiſſimi, ecce venerunt nobis dies anguſtiæ, præſto ſunt dies fletus & amaritudinis: quoniam quod timebamus, à Langobardis evenit. Pro quo anguſtiati, afflicti, & ex omni circumquaque parte circumdati, ab eorum nequiſſimo Haiſtulfo Rege, & gente, cum Propheta Dominum deprecantes dicimus: (k) *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui libera nos &c.* Et rurſum: (*l*) *Apprehende arma & ſcutum, & exſurge in adjutorium noſtrum.*

(*t*) *Idem*: Si non ſitis alieni aut ſeparati.
(*u*) *Idem*: niſi qui legitimè decertaverit.
(*x*) *Idem*: ut prælatum eſt.
(*y*) *Gretſerus*; Baronius; incœperunt.
(*z*) *Idem*: Baronius; proſterni.
(*a*) *Idem*: adjuti. Baronius; adjuvati.
(*b*) *Lambecius*: fruemini vitam.
(*c*) *Idem*: hanc noſtram implendo adhortationem.
(*d*) *Gretſerus*: Baronius; ejus.
(*e*) *Lambecius*: & VVarneharium Abbatem, ſeu Thomaricum, & Comitam Miſſos.
(*f*) *Gretſerus*: Exſtat apud Baronium Tom. 9. Anno 755., & Centur. 8. Cap. 10.
(*g*) *Idem*: Baronius; Romanis.
(*h*) *Gretſerus*: Baronius, & Centuriatores; ſegmenta.
(*i*) *Idem*: Danielis 13.
(*k*) *Idem*: Pſalm. 78.
(*l*) *Idem*: Pſalm. 34.

strum. Ecce enim cognitum habetis, quomodo pacis fœdera à præfato impio Haistulfo Rege, & omni gente dissipata sunt, & qualiter nihil juxta, ut constituit, & per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus impetrare, & jam in ipsis Januarii Kalendis cunctus ejusdem Langobardorum exercitus Tusciæ partibus, in hanc Civitatem Romanam conjunxerunt, & resederunt juxta Portam Beati Petri, atque Beati Pancratii, & Portuensem. Ipse verò Haistulfus cum aliis exercitibus conjunxit ex alia parte, & suam fixit tentoria juxta Portam Salariam, & ceteras portas, & sæpius nobis (m) direxit: *Aperite mihi Portam Salariam, & ingrediar Civitatem: & tradite mihi Pontificem vestrum, (n) & patientiam ago in vobis. Si minus, nemuros evertens, uno vos gladio interficiam, & videam quis vos eruere possit de manibus meis.*

Sed & Beneventani omnes generaliter in hanc Romanam Urbem conjungentes, resederunt juxta Portam Beati Johannis & Beati Paulli Apostoli, & ceteras istius Romanæ Urbis portas, & omnia extra Urbem prædia longe lateque ferro & igne consumserunt, domos omnes comburentes pæne ad fundamenta destruxerunt, Ecclesias Dei incenderunt, & sacratissimas Sanctorum Imagines in ignem projicientes, suis gladiis consumserunt; & munera sancta, idest, Corpus Domini nostri Jesu Christi, in suis contaminatis vasibus, quos folles vocant, miserunt. Et cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera. Velamina altarium Ecclesiarum Dei, vel omnia ornamenta, quod nimis crudele etiam dici est, auferentes in propriis utilitatibus usi sunt. Servos Dei Monachos, qui pro officio divino in Monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniaverunt, & Sanctimoniales fœminas, atque Reclusas, quæ ab infantia & pubertatis tempore pro Dei amore sese clausuræ tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt. Qui etiam & in ipsa contaminatione alias interficere visi sunt, & omnes domos cultas Beati Petri igni combusserunt; vel omnium Romanorum, ut dictum est, domos comburentes extra Urbem funditus destruxerunt, & omnia peculia abstulerunt, & vineas fere ad radices absciderunt, & messes conterentes, omnino devorarunt. Et neque domui Sanctæ nostræ Ecclesiæ, neque cuiquam in hac Romana Urbe commoranti spes remansit vivendi: quia ut dictum est, omnia ferro & igne consumserunt, & multos homines interfecerunt. Sed & copiosam familiam Beati Petri, & omnium Romanorum, tam viros quamque mulieres jugulaverunt, & alios plures captivos duxerunt. Nam & innocentes infantulos à mammillis matrum suarum separantes, ipsasque vi polluentes, interemerunt ipsi Langobardi. Et tanta mala in hac Romana provincia fecerunt, quanta certe nec paganæ gentes aliquando perpetratæ sunt. Quia etiam (si dici potest) & ipsi lapides nostras desolationes videntes, ululant nobiscum. Quinquaginta & quinque dies hanc afflictam Romanam Civitatem obsidentes, & ex omni parte circumdantes, prœlia fortissima die noctuque cum pessimo furore incessanter cum diversis machinis & adinventionibus

(m) *Idem*: Baronius; dixerit.
(n) *Lambecius*; & patientiam ago in vobis; minus, ne muros devertens.

A plurimis contra nos ad muros istius Romanæ Urbis commiserunt; ut suæ potestati, quod avertat Divinitas, subjiciens, omnes uno gladio idem inimicus Haistulfus interimeret. Ita enim cum magno furore exprobrantes nos, asserebant: *Ecce circumdati estis à nobis. Veniant nunc Franci, & eruant vos de manibus nostris*. Nam & Civitatem Narniensem, quam Beato Petro concessistis, abstulerunt, & aliquas Civitates nostras comprehenderunt. Quamobrem constricti vix potuimus, marino itinere, præsentes Literas, & Missum ad vestram Christianitatem dirigere; quas & cum magnis lacrymis scripsimus.

Unde, dilectissimi nobis, peto vos, & tam-
B quam præsentialiter adsistens cum divinis mysteriis, conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apostolorum Beato Petro, ut sub nimia festinatione nobis subveniatis, ne pereamus. Non nos derelinquatis; sic non vos derelinquat Dominus in omnibus vestris actibus. Non nos spernatis: sic non vos spernat Dominus, ejus invocantes potentiam. Ne elongetis à nobis auxilium vestrum, Christianissimi: sic non elonget Dominus auxilium suum à vobis, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adjuvante nos sub magna velocitate, dilectissimi nobis; occurrite, occurrite, & subvenite nobis, antequam gladius inimicorum ad cor
C nostrum pertingat. Peto vos ne pereamus. Ne quando dicant gentes, quæ in cuncto orbe terrarum sunt: *ubi est fiducia Romanorum, quam post Dominum in Regibus & in gente Francorum habebant?* Nos non permittatis perire, & ne differatis nobis ad solatia dandum, nec à vestro separetis auxilio: sic non sitis alieni à regno Dei, & ne obduret Dominus aurem suam vestras ad exaudiendas preces, & ne avertat faciem suam à vobis in illo futuro examinis die, quando cum Beato Petro, & ceteris suis Apostolis ad judicandum sederit omnem ordinem, omnemque potestatem humanam, & seculum per ignem, dicaturque, quod avertat Divinitas: (o) *Nescio vos*, quia
D non auxiliati estis Dei Ecclesiæ, & defendere minime procurastis ejus periclitantem peculiarem Populum.

Audite nos, dilectissimi, audite nos, & subvenite nobis. Ecce adest tempus salvandi nos. Salvate nos, antequam pereamus, Christianissimi. Omnes etenim gentes, quæ circumquaque sunt positæ, & ad vestram, per Dei potentiam, Francorum fortissimam Gentem refugium fecerunt, salvæ factæ sunt, & si omnibus auxilium impertire non differetis, multo amplius Sanctam Dei Ecclesiam, & ejus Populum de inimicorum impugnatione debueratis liberare. Considerate, dilectissimi, & omnino percogitate, per Deum vivum vos
E conjuro, quoniam post Deum, & ejus Principem Apostolorum, nostræ omnium Romanorum animæ in vobis pendent, & si perire, quod absit, contigerit, pensate, in cujus animam respiciat ad peccatum. Certe enim omnino credite, Christianissimi, si nobis aliqua evenerit calamitas, quod absit, periclitandi, vos de omnibus ante Tribunal Dei eritis redditurі rationem. Sed magis, dilectissimi nobis, agite & liberate, post Deum, in vobis confugientes, ut fructum bonum afferentes in

(o) *Gretserus*; Matthæi 25.

A in futuri examinis die mereamini dicere : *Domne noster, Princeps Apostolorum Beate Petre, ecce nos clientuli tui, cursum consummantes, fidem servantes tibi, Ecclesiam Dei à superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendentes liberavimus, & adsistentes immaculati coram te, offerimus tibi pueros, quos nobis commisisti, de manibus inimicorum eruendos,* (p) *hospites atque incolumes existentes.* Tunc & in præsenti vita, & in futuro Seculo cœlestium præmiorum gaudia adipisci mereamini, audientes paternam desiderabilem vocem illam inquientis: (q) *Venite benedicti patris mei; percipite regnum, quod vobis præparatum est ab origine Mundi.*

B Quare direximus præsentem nostrum Missum Georgium reverendissimum ac sanctissimum fratrem & Coëpiscopum nostrum, atque Vvarneharium religiosum Abbatem Missum vestrum, (r) & Thomaricum Comitem, magnificos eosdem nostros Missos, qui vobis omnes nostros dolores, & cunctas desolationes, quas à Langobardorum gente, & eorum protervo Rege passi sumus, & assiduè patimur, vobis subtili enarratione, quæ propriis oculis viderunt, viva voce edicere debeant. Quibus & in omnibus, tamquam nobismetipsis credere jubeatis, & nostram liberationem nimis festinanter procurare. Et conjuro vos per Deum vivum & verum, ut nequaquam amplius discredatis nostras afflictiones, &
C neglectum ponatis ad liberandum nos. Ne, quod absit, si amplius credere distuleritis, & neglexeritis nos eruendum, nobis, quod avertat Divinitas, irruat calamitas pereundi, & vobis pertineat ad magnum detrimentum & peccatum, atque condemnationem in præsenti & æterna vita, quia vobis animas omnium nostrorum Romanorum tradidimus; sed magis, magisque vos, ut præfatum est, conjuramus per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem indivisam, ut nostras tribulationes & angustias, atque dolores & desolationes, credere sine qualibet (ſ) ambiguitate jubeatis, & nobis propter Deum subvenire, & ad liberandum nos de manibus
D Langobardorum inimicorum nostrorum nimis festinanter (t) occurrere jubeatis; ut fructum afferentes copiosum, vitam æternam, intercedente Beato Petro, perfrui mereamini. Præfatus verò Vvarneharius pro amore Beati Petri loricam se induens, per muros istius afflictæ Romanæ Civitatis vigilabat die noctuque, & pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione, ut bonus athleta Christi, decertavit totis suis cum viribus. Bene valete.

Item Epistola Stephani Papæ ad Domnum Pippinum Regem, specialiter & singillatim pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ directa, ut in superiore ejusdem continetur Epistola, adjutorium volens obtinere contra Langobardos, per Georgium & Vvarneharium similiter directa.

(*Epistola ordine VI.*)

Domno excellentissimo filio, & nostro spirituali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa. Quantâ luctuosâ, & amarissimâ tristitiâ circumvallati, quantâque &c. (u) O filii excellentissimi & Christianissimi, utinam omnipotens rerum Creator Dominus, quemadmodum priscis temporibus Abacuc illum Prophetam ad refocillandum & consolandum Danielem præcipuum Prophetam, abstrusum in (x) leonum lacu, repentino volatu adportatum ab Angelo miserat; ita & nunc si dici potest, ejus misericordissima longanimitas à Deo servatam Excellentiam tuam vel unius horæ momento præsentem fecisset ad contemplandas ærumnosas & lugubres angustias, & tribulationes, (y) quas immaniter à Langobardorum gente, & eorum nefando Rege patimur. Ecce venerunt nobis dies angustiæ. Præsto sunt dies fletus & amaritudinis, dies anxietatis, & gemitus doloris, quoniam quod timebamus evenit, & quod verebamur accidit. Pro quo angustiati, afflicti, atque oppressi, & ex omni circumquaque parte circumdati ab eorum nequissimo (z) Haistulfo Rege, & eorum Langobardorum gente, profusis lacrymis, percussoque pectore cum Propheta Dominum deprecantes dicimus: (a) *Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui libera nos.* Et rursum: (b) *Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium nostrum. Domine judica nocentes nos, & expugna impugnantes nos.* Etenim sæpius bonitati tuæ (c) innotescere videmur licèt nostras tribulationes, tamen & nunc luctu & gemitu referendum malorum pericula, quæ ab eodem protervo Rege passi sumus, & ejus gente Langobardorum, magno cogente periculo, significandum statuimus.

Jam credimus, Christianissime & excellentissime fili, & spiritalis compater, omnia nobilitati tuæ esse cognita, quomodo pacis fœdera ab impio (d) Haistulfo Rege, & ejus gente dissipata sunt, & qualiter nihil juxta ut constituit, & per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus impetrare, etiam quia nullum augmentum nobis factum est, potius autem post desolationem totius nostræ Provinciæ, & plura homicidia ab eadem Gente perpetrata, etiam quod cum magnis lacrymis & dolore cordis dicimus, cognoscas, excellentissime fili, & spiritalis compater, in ipsis Januariarum Kalend. cunctus ejusdem (e) Haistulfi Langobardorum Regis exercitus è Tusciæ partibus in hanc Civitatem Romanam

(p) *Lambecius*: sospites atque incolumes.
(q) *Muratorius*: Matthæi Cap. 25. v. 34.
(r) *Lambecius*: seu Thomaricum Comitam.
(ſ) *Idem*: ambiguitate lubeatis.
(t) *Idem*: occurrere lubeatis.
(u) *Muratorius*: Reliqua usque ad verba Susannæ, eadem sunt ac illa, quæ in præcedenti Epistola superius leguntur.
(x) *Lambecius*: in leonum lacum.
(y) *Idem*: quas inaniter.
(z) *Idem*: Haistulfo
(a) *Gretserus*: Psalm. 78.
(b) *Idem*: Psalm. 34.
(c) *Lambecius*: innotescere videamur.
(d) *Idem*: Haistulffo.
(e) *Idem*: Haistulfi.

nam conjunxerunt, & resederunt (*f*) juxta Portam Sancti Pancratii & Portuensem. Ipse verò Haistulfus cum aliis exercitibus conjunxit ex alia parte, & sua fixit tentoria juxta Portam Salariam (*g*) & ceteras portas, & nobis dixit, dicens: *Aperite mihi Portam Salariam, & ingrediar Civitatem; & tradite mihi Pontificem vestrum, & habebo in vobis compassionem. Alioquin muros subvertens, uno vos gladio interficiam, & videam quis vos eruere possit è manibus meis.*

Sed & Beneventani omnes &c. (*h*) Et tanta mala in hac Romana provincia fecerunt, quanta certè nec Paganæ Gentes (*i*) aliquando perpetrarunt: quia etiam si dici potest, & ipsi lapides, nostras desolationes videntes, ululant nobiscum. Quinquaginta & quinque dies hanc afflictam Civitatem Romanam obsidentes, & ex omni parte circumdantes, prœlia fortissima cum pessimo furore incessanter contra nos ad muros istius Romanæ Urbis commiserunt, & non deficiebant impugnantes nos, ut suæ potestati, quod avertat Divinitas, subjiciens omnes uno gladio idem iniquus Haistulphus interimeret. (*k*) Ita enim exprobrantes nobis asserebant: *Ecce circumdati estis à nobis, & non effugietis manus nostras. Veniant nunc Franci, & eruant vos de manibus nostris.* Nam & Civitatem Narniensem, quam Beato Petro tua Christianitas concessit, abstulerunt; (*l*) & aliquas Civitates nostras comprehenderunt. Quamobrem afflicti vix potuimus per maximum ingenium marino itinere præsentes nostras Literas & Missos ad tuam excellentissimam Christianitatem dirigere, quas & cum magnis lacrymis scripsimus. Qui etiam probante veritate dicimus, per unamquamque Literam lacrymas sanguine mixtas exprimeremus. Et utinam præstaret nobis Dominus, ut quâ horâ nostram luctuosam exhortationem legeris, in præsentia tua per omnem Literam (*m*) sanguine plenæ lacrymæ fluerent!

Unde, fili excellentissime, & spiritalis compater, peto te, & tamquam præsentialiter adsistens, provolutus terræ, & tuis vestigiis me prosternens, cum divinis mysteriis conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apostolorum Beato Petro, ut sub nimia festinatione, & maxima celeritate nobis subvenias; ne pereamus: quoniam (*n*) post Dominum, in tuis manibus nostrûm omnium Romanorum commisimus animas. Non nos derelinquas, sic non te derelinquat Dominus in omnibus tuis actibus & operibus. Non nos spernas, sic non te spernat Dominus invocantem ejus potentiam. Ne elonges à nobis auxilium tuum, Christianissime fili, & spiritalis compater, sic non elonget Dominus auxilium suum, & protectionem à te, tuaque Gente, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adjuva nos, & auxiliare nostri sub magna velocitate, Christianissime, sic adjutorium sumas à Deo Omnipo-

A tente, qui te unxit super turbas Populorum per institutionem Beati Petri in Regem. Occurre, occure fili, occurre, & subveni nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat. Peto te, ne pereamus; ne quando dicant Gentes, quæ in cuncto Orbe terrarum sunt: *Ubi est fiducia Romanorum,* (*o*) *quam post Dominum in Regibus Francorum habebant?* Non nos patiaris perire, & ne moreris aut differas nobis (*p*) solatiandum. Nec à tuo nos separes auxilio, sic non sis alienus à Regno Dei, & inseparatus à tua dulcissima conjuge, excellentissima Regina, & spiritali nostra commatre. Non nos amplius anxiari

B & periclitari, atque in luctu & fletu perseverare permittas, bone excellentissime fili, & spiritalis compater, sic non superveniat tibi luctus de tuis, meisque dulcissimis filiis, Domno Carolo, & Carolomanno excellentissimis Regibus & Patriciis. Ne obdures aurem tuam ad audiendum nos, & ne avertas faciem tuam à nobis. Ne confundamur in nostris petitionibus, & ne periclitemur usque in finem. Sic non obduret Dominus aures suas &c. (*q*)

Audi me, fili, audi me, & subveni nobis. Ecce adest tempus salvandi nos. Salva nos, antequam pereamus, Christianissime Rex. Quid enim melius, quidve elegantius, aut egregius, quàm periclitantes, & in angustia positos salvare? Scriptum quippe est: *Qui salvat, tam-*

C *quam qui ædificat.* Hinc enim præcipuus Isaïas Propheta ait: (*r*) *Subvenite oppresso.* Omnes enim Gentes, quæ circumquaque sunt positæ, & ad vestram per Dei potentiam Francorum fortissimam gentem refugium fecerunt, salvæ factæ sunt. Et si omnibus gentibus auxilium impertire non differtis, & per vos salvæ efficiuntur, multò amplius Sanctam Dei Ecclesiam, & ejus Populum de inimicorum impugnatione debueratis liberare. O quanta fiducia in nostro inerat corde, quando vestrum mellifluum conspicere meruimus vultum, & in caritatis vinculo sumus alligati atque connexi, in magna quiete & securi-

D tate nos permanere! Sed dum à vobis sperabamus lucem videre, eruperunt tenebræ, & facta sunt novissima nostra pejora prioribus. Considera fili, considera, & omnino percogita, per Deum vivum te conjuro, quoniam & nostra, & omnes Romanorum Populi animæ, post Deum, & ejus Principem Apostolorum in tua, à Deo protecta, Excellentia, & gente Francorum à Deo tibi commissa pendent. Quia, ut prælatum est, in gremio tuo nostras commisimus animas: & si perire, quod absit, & avertat Divina Clementia, nos contigerit, perpende, obsecro, & omni modo perpensa, in cujus animam respiciat ad peccatum. Certè enim omnino crede, Christia-

E nissime, si nobis aliqua evenerit calamitas, quod absit, periclitandi, tu de omnibus, à Deo protecte, dilectissime nobis, ante Tribunal Dei eris redditurus rationem cum omnibus

(*f*) *Idem*: juxta Portam Beati Petri Apostoli, atque Portam Sancti Pancratii, & Portuensem.
(*g*) *Idem*: vel ceteras.
(*h*) *Muratorius*: Quæ heic omisi, habes descripta in paragrapho superioris Epistolæ ejusdem Papæ.
(*i*) *Lambecius*: aliquando perpetratæ sunt.
(*k*) *Idem*: ita enim cum magno furore exprobrantes nobis, asserebant.
(*l*) *Idem*: seu & aliquas Civitates nostras.
(*m*) *Idem*: sanguine plena lacryma flueret.
(*n*) *Idem*: post Deum.
(*o*) *Idem*: quam post Deum.
(*p*) *Gretserus*: ad solatia dandum.
(*q*) *Muratorius*: Quæ sequuntur usque ad finem, conformia sunt iis, quæ in præcedenti Epistola leguntur.
(*r*) *Idem*: Isaïæ Cap. 1. vers. 17.

A bus tuis Judicibus. Quoniam (*s*), ut prælatum est, nulli alio, nisi tantummodo tuæ amantissimæ Excellentiæ, vel dulcissimis Filiis, & cunctæ genti Francorum; per Dei præceptionem, & Beati Petri, Sanctam Dei Ecclesiam, & nostrorum Romanorum Reipublicæ Populum commisimus protegendum.

Ecce omnes nostros dolores & anxietates, atque angustias tuæ, à Deo protectæ, bonitati innotuimus. Tu verò, excellentissime fili, & spiritalis compater, age & libera post Dominum, in te confugientes, ut fructum bonum afferens &c. (*t*) sospites atque incolumes existentes. Tunc & in præsenti vita Regni gubernacula tenens, etiam & in futuro

B Seculo cum Christo regnans, cœlestium præmiorum gaudia adipisci merearis, audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam inquientis: (*u*) *Venite benedicti Patris mei. Percipite Regnum, quod vobis præparatum est ab origine Mundi.* Incolumem Excellentiam tuam superna gratia custodiat.

(*x*) EMBOLUM.

(*y*) OPere namque direximus ad vestram Christianissimam Excellentiam præsentem nostrum Missum Georgium reverentissimum ac sanctissimum fratrem & Coëpiscopum nostrum, atque Warneharium religiosum Abbatem, Missum vestrum, (*z*) seu

C Thomaricum & Comitem, magnificos item Missos nostros, qui vobis nostros omnes dolores, & cunctas desolationes, quas à Langobardorum gente, & eorum protervo Rege passi sumus, & assiduè patimur, vobis subtili enarratione, sicut oculis propriis viderunt, viva voce dicere debeant: quibus & in omnibus tamquam nobismetipsis credere lubeat Christianissima Excellentia Vestra, & nostram liberationem nimis (*a*) festinanter procurare. Et conjuro te per Deum vivum & verum, à Deo protecte fili, & spiritalis compater, ut nequaquam amplius discredas nostras afflictiones, & nullo modo neglectum ponatis ad

D liberandum nos, ne, quod absit, si amplius credere distuleris, & neglexeris nos eruendum, nobis, quod avertat divinitas, (*b*) inruat calamitas pereundi, & vobis pertineat ad magnum detrimentum & peccatum atque condemnationem in præsenti & æterna vita: quia vobis animas omnium nostrûm Romanorum tradimus, sed magis magisque, ut prælatum est, conjuramus te, à Deo servate excellentissime fili, & spiritalis compater, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem indivisam, ut nostras tribulationes atque dolores & desolationes credere lubeatis sine qualibet ambiguitate, & nobis propter Deum subvenire, & ad liberandum nos de

E manibus Langobardorum inimicorum nostrorum nimis festinanter occurrere digneris, ut fructum afferens copiosum, victor, intercedente Beato Petro, super omnes barbaras nationes efficiaris, & vitam æternam possideas. Præfatus verò Vvarneharius Abbas pro amore Beati Petri loricam se induens, per muros istius afflictæ Romanæ Civitatis die noctuque vigilavit, & pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione, ut bonus athleta Christi, totis suis viribus decertavit.

Item Epistola ejusdem Stephani Papæ ad Domnum Pippinum Regem, & Carolum, & Carlomannum, pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, quia Haistulfus irritum fecerat pactum, quod cum eis fecerat, & suum sacramentum non conservarat, sicut pollicitus eisdem Regibus fuerat, &c.

(*Epistola ordine VII.*)

DOmnis excellentissimis filiis Pippino Regi, & nostro spiritali (*c*) compatri, Carolo & Carolomanno item Regibus, & utrisque Patriciis Romanorum, Stephanus Papa. Dum Regni vestri nomen inter ceteras Gentes erga sinceram fidem Beati Petri Principis Apostolorum lucidissime fulserit, valde studendum est, ut unde gloriosiores ceteris Gentibus in servitio Beati Petri vos omnes Christiani asserunt, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, pro defensione Sanctæ suæ Ecclesiæ perfectius placeatis, ut fidem, quam erga eumdem Principem Apostolorum colitis, adjutricem in omnibus habeatis. Optaveramus quidem, præexcellentissimi filii, ampliùs protelando nostram locutionem dilatare. Sed quia pro multis ab iniquo Haistulfo Rege Langobardorum nobis ingestis tribulationibus (*d*) cor nostrum omnino atteritur dolore, & tædet spiritus noster, ideo à multorum sermonum prolixitate declinavimus, & unum, quod est necessarium, excellentissimæ Christianitati vestræ innotescere studuimus, (*e*) à Deo protecte, nosterque spiritalis compater, & vos dulcissimi filii, pro mercede animarum vestrarum, quemadmodum misericors Deus noster cœlitus victorias (*f*) vobis largiri dignatus: justitiam Beati Petri, in quantum potuistis, exigere studuistis, & per donationis paginam restituendum confirmavit bonitas vestra.

Nunc autem, sicuti primitus Christianitati vestræ de malitia ipsius impii Regis diximus: ecce jam mendacium, & iniqua perversitas, atque ejus perjurium declaratum est. Antiquus quippe humani generis hostis diabolus ejus perfidum invasit cor; & quæ sub vinculo sacramenti adfirmata sunt, irrita facere (*g*) visus est. Nec unius enim palmi terræ spatium Beato Petro, sanctæque Dei Ecclesiæ, vel Reipublicæ Romanorum reddere passus est. Tantò quippe à die illo, à quo ab invicem separati sumus, nos affligere, & in magna ignominia Sanctam Dei Ecclesiam habere conatus est, quantò non possunt hominum linguæ enarrare; quia etiam & ipsi lapides, si dici potest, tribulationem nostram magno ululatu flerent; & ità nos visus est affligere, ut denuo in nobis innovata fuisset infirmitas. Nimis namque lugeo, excellentissimi filii,

(*s*) *Lambecius*: Quonam, ut prælatum est, nulli alio, nisi.
(*t*) *Muratorius*: Heic repetuntur ea, quæ superius in præmissa Epistola habentur.
(*u*) *Gretserus*: Matthæi 25.
(*x*) *Idem*: Vulgò, Post-scriptum.
(*y*) *Idem*: Opportuneque.
(*z*) *Lambecius*: seu Thomaricum & Comitam.

(*a*) *Lambecius*: festinanter provocare.
(*b*) *Muratorius*: Ità & Lambecius legit *inruat*.
(*c*) *Lambecius*: compatri, seu Carolo & Carolomanno.
(*d*) *Idem*: cor nostrum nimio atteritur dolore.
(*e*) *Idem*: à Deo protector.
(*f*) *Idem*: vobis largiri dignatus est.
(*g*) *Gretserus*: forte, ausus est.

filii, cur verba nostræ infelicitatis non audientes, mendacium plus quàm veritatem credere voluistis, illudentes vos & irridentes. Unde & fine (h) justitiæ Beati Petri, ad proprium ovile, & Populum nobis commissum sumus reversi. Omnes denique Christiani ita firmiter credebant, quòd Beatus Petrus, Princeps Apostolorum, nunc per vestrum fortissimum brachium, suam percepisset justitiam, dum tam maximum ac præfulgidum miraculum vestris felicissimis temporibus demonstravit, (i) talemque vobis immensam victoriam Dominus Deus, & Salvator Jesus Christus, per intercessiones sui Principis Apostolorum pro defensione Sanctæ suæ Ecclesiæ largiri dignatus est. Sed tamen boni filii credentes eidem iniquo Regi, quod per vinculum sacramenti pollicitus est, propria vestra voluntate per donationis paginam Beato Petro, sanctæque Dei Ecclesiæ, & Reipublicæ, Civitates & Loca restituenda confirmastis. Sed ille oblitus Fidem Christianam & Deum, qui eum nasci præcepit, irrita, quæ per sacramentum firmata sunt, facere (k) visus est. (l) Quapropter (m) *iniquitas in verticem illius descendit*: patefactus quippe est laqueus, quem effodit, & in eo, pro suo mandato & perjurio incidit.

Conjuro vos, filii excellentissimi, & à Deo protecti, per Dominum Deum nostrum, & sanctam ejus gloriosam semperque Virginem genitricem Mariam, Dominam nostram, omnesque Virtutes cœlorum, (n) & per Beatum Petrum Principem Apostolorum, qui vos in Reges unxit, ut doleat vobis pro Sancta Dei Ecclesia, & juxta donationem, quam eidem protectori vestro Domino nostro Beato Petro (o) offerre jussistis, omnia reddere, & contradere Sanctæ Dei Ecclesiæ studeatis; & nequaquam jam ipsius nequissimi Regis, vel ejus judicium, (p) seductuosa verba, (q) & illusionis mandata credatis. Ecce enim patefactum est ejus mendacium, ut nequaquam ulterius vires credendi habere possit; sed magis cognito ejus iniquo ingenio, & iniqua voluntate, (r) ejus fraudantur insidiæ. Et quod semel Beato Petro polliciti estis, & per donationem (s) vestram manu firmatam, pro mercede animæ vestræ, Beato Petro reddere & contradere festinate.

Beatus denique Paulus Apostolus ait: (t) *Melius est non vovere, quàm post votum non reddere*. Etenim nos omnes causas Sanctæ Dei Ecclesiæ in vestro gremio commendavimus. Et vos reddetis Deo & Beato Petro rationem in die tremendi Judicii quomodo decertaveritis pro causa ejusdem Principis Apostolorum, & restituendis ejus Civitatibus & Locis. Vobis denique, multis jam devolutis temporibus, hoc bonum opus reservatum est; ut per vos exaltetur Ecclesia, & suam Princeps Apostolorum percipiat justitiam. Nullus meruit de vestris parentibus tale præfulgidum munus, sed vos prælegit & præscivit Deus ante tempora æterna, sicuti scriptum est: (u) *Quos præscivit & prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, illos & justificavit*. Vocati estis; justitiam ipsi Principi Apostolorum sub nimia festinatione facere studete, quia scriptum est: (x) *Fides ex operibus justificatur*. De omnibus verò tribulationibus nostris, quas passi sumus, vel denuo patimur, Deo auxiliante, Foldradus filius, vester Consiliarius, & ejus (y) socii enarrabunt vobis. Et ita agite de causa Beati Petri, ut in hac vita victores favente Domino existatis, & in futuro, intercedente ipso Principe Apostolorum Beato Petro, gaudia possideatis æterna. Bene valete excellentissimi filii.

Item Epistola ejusdem ad Domnum Pippinum Regem, per Folradum Capellanum, & Georgium Episcopum, atque Johannem Sacellarium post mortem (z) Haistulfi directa. In qua continentur gratiarum actiones, & benedictiones uberrimæ pro victoria, & restitutione sanctæ Dei Ecclesiæ, poscens in futurum ea, quæ deerant, restituenda.

(*Epistola ordine VIII.*)

(a) D*omno excellentissimo filio* (b) *& nostro spiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa*. Explere linguâ, excellentissime fili, non valemus, quantum tuo opere, tua vita delectamur. (c) Facta quippe diebus nostris virtute divina miracula vidimus, quòd per Excellentiam tuam sancta omnium Ecclesiarum Dei mater & caput fundamentum Fidei Christianæ, Romana Ecclesia: quæ valde ab hostium impugnatione (d) periculorum impugnationibus lamentabatur, magna nunc gaudii soliditate, nimirum est translata atque confirmata, & mœrentes Christianorum animæ tuo fortissimo præsidio maximè sunt relevatæ lætitiâ. Pro quo in vestro opere & nostra exultatione libet cum Angelis exclamare: (e) *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* Et quia elapso Anno, isto in tempore, valde ab hostium depopulosa impugnatione sauciati, & ultra citraque circumdati affligebamur, nunc autem tuo potentissimo auxilio erepti ab imminentibus periculis, immenso exultamus gaudio, & benedi-

(h) *Idem*: effectu.
(i) *Idem*: Vide Baronium Anno 755. num. 24. & sequenti.
(k) *Idem*: ausus est.
(l) *Lambecius*: Quapropter iniquitas ejus in verticem illius descendit: patefactus quippe est laqueus, quem effodit, & in eo pro suo mendacio & perjurio incidit.
(m) *Gretserus*: Psalmo. 7.
(n) *Lambecius*: seu per Beatum Petrum.
(o) *Gretserus*: Vide hanc Donationem apud Baronium loco citato n. 26. & 27.
(p) *Idem*: seductoria.
(q) *Lambecius*: & illusionis mendacia credatis.
(r) *Idem*: ejus fraudentur insidiæ.
(s) *Gretserus*: vestrâ.
(t) *Idem*: Hæc sententia est Ecclesiastæ Cap. 5. Cur ergo adscribitur Sancto Paulo? Quia Pontifex sensum spectavit. Exstat autem sensus Primâ ad Timotheum Cap. 5., ubi viduæ, quæ primam fidem irritam fecerant, damnationem habere affirmantur. Jacobi 2., ubi *fides sine operibus mortua* dicitur: & multa de justificatione ex operibus recensentur.
(u) *Muratorius*: Epistolâ ad Roman. Cap. 8. vers. 29.
(x) *Idem*: Epistolâ Jacobi Cap 2. vers. 24.
(y) *Lambecius*: socii enarrent vobis.
(z) *Gretserus*: Mortuus est Anno Christi 756.
(a) *Lambecius*: Domino.
(b) *Gretserus*: Exstat *hæc Epistola* apud Baronium Tom. 9. Anno 756., & Centur. 8. Cap. 10.
(c) *Lambecius*: Facta quippe diebus nostris virtute miraculi vidimus.
(d) *Gretserus*: Ita quoque Centuriatores; sed Baronius: Quæ valde ab hostium impugnationibus lamentabatur.
(e) *Idem*: Lucæ Cap. 2.

dicentes nomen Domini (*f*) cum Psalmographo consona dicimus voce: (*g*) *Hæc est immutatio dexteræ Altissimi*. Et rursum: (*h*) *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Cujus enim vel saxeum pectus tam benigno opere à tua præclara bonitate peracto cognitoque, non statim in Omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ Excellentiæ amorem mollescat? Hæc me, fateor, excellentissime fili, & spiritalis compater, quæ per te mirabiliter facta sunt, sæpe convenientibus ex universo Orbe terrarum nationibus, dicere; sæpe cum eis pariter admirari delectat, & extensâ voce mellifluæ tuæ Excellentiæ laudes persolvere indeficienter. Hæc me plerumque etiam in momento horarum excitant indeflexibili oculo pro immensâ bonitatis tuæ, & universæ Gentis Francorum sospitate omnipotenti Deo fundere preces. Denique amantissime & à Deo inspirate victor, felix, & divinâ providentiâ fortissime Rex, qualiter Beatus Petrus Apostolorum Princeps tuæ devotionis affectum, quem pro ejus causâ decertans adhibuisti, susceperit, ipsa cunctis liquidò vita vestra testatur. (*i*) Scriptum quippe, (*k*) *vota justorum placabilia*. Libet quippe omnino, excellentissime fili, tuæ bonitati magnas gratiarum persolvere laudes, & nomen Domini pro tam maxima benignitate glorificantes exhilarata voce canere: (*l*) *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitans plebem suam, & redemtionem facere* cupiens Populo suo, suscitavit te nobis, (*m*) Christianissime victor, nostris diebus fortissimum liberatorem. Quid enim aliud, quàm novum te dixerim Moysen, & præfulgidum asseram David Regem? Quoniam quemadmodum illi ab oppressionibus allophylorum Populum Dei liberaverunt; ita quoque tu, benedicte à Deo victor, fortissime Rex, Ecclesiam Dei, & ejus afflictum Populum, ab hostium impugnatione eruere studuisti.

Benedictus es, eximie fili, à Deo excelso, qui fecit Cœlum & Terram. Et benedictus Deus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Benedicat tibi Dominus pulcritudo justitiæ, & tuos amantissimos natos, meosque spiritales filios, Domnum Carolum, & Carolomannum, à Deo institutos Reges Francorum, & Patricios Romanorum, cum Christianissima eorum matre, excellentissima Regina, dulcissimaque conjuge, fidele Dei, spiritali nostra commatre, tueatur, & in omnibus protegat. Dilatet Deus semen vestrum, & benedicat in æternum, atque solium Regni fruendum perenniter concedat, & universam Gentem Francorum sub vestra ditione permanentem illæsam custodiat.

Vale in Domino, Rex benignissime, quia per te Sanctæ Dei Ecclesiæ inimici humiliati sunt, & magnâ lætitiâ ipsa Sancta Dei Ecclesia (*n*) est relevata; & ejus peculiaris Populus jocundatur, & per te benedictus dicitur, pro quo & ejus benedictio super te plenius est effusa. Gaudium enim uberrimum in universum Orbem terrarum intulisti. Magna sunt hæc, & omnipotentis Dei laudibus tribuenda; sed inter hæc misericordissimi Dei nostri clementiam indesinenter petimus, (*o*) ut cœlestis sui regni (*p*) gaudia vobis tribuat vicissitudine.

Quapropter cum magna fiducia, tamquam præsentialiter, coram tuo mellifluo consistens aspectu, flexis genibus petens peto te, & omnino coram Deo vivo deprecor, (*q*) ut jubeas firmiter in hoc bono opere, sicut certe confidimus, usque in finem permanere pro Sanctæ Dei Ecclesiæ perfecta exultatione, & ejus (*r*) Populi deliberatione, & integra securitate; & plenariam justitiam eidem Dei Ecclesiæ tribuere digneris, atque optimum & velocem finem, in causa fautoris tui Beati Petri, (*ſ*) adhibere jubeas, ut Civitates reliquas, quæ sub unius dominii ditione erant (*t*) connexæ, atque constitutos fines, territoria, etiam loca, & saltora, in integro matri tuæ spiritali Sanctæ Ecclesiæ restituere præcipiatis: ut Populus Dei, quem à manibus inimicorum redemisti, in magna securitate & delectatione, tuo auxilio adjutus, vivere valeat, quoniam & filius noster Deo amabilis Folradus, fidelis vester, omnia conspiciens, (*u*) satisfactus est, quòd nequaquam ipse Populus vivere possit extra eorum fines, & territoria atque possessiones, absque Civitatibus illis, quæ semper cum eis sub unius dominii ditione erant connexæ. Peto te, fili, peto te coram Deo vivo, & fortiter conjuro, spiritalis compater, ut in hoc bono opere perfectiùs maneas, & non hominum blandimentis, aut suasionibus, vel promissionibus, quod absit, faveas, & in aliam declines partem: sed magis verè timens Deum, omnia, quæ Beato Petro sub jurejurando promisisti, adimplere jubeas, &, sicut cœpisti, plenariam justitiam illi impertire.

Etenim tyrannus ille, sequax Diaboli, Haistulfus, devorator sanguinum Christianorum, Ecclesiarum Dei destructor, divino ictu percussus est, & in inferni voraginem demersus. In ipsis quippe diebus, quibus hanc Romanam Urbem devastandam profectus est, post annui spatii circulum, ita divino mucrone percussus est, ut profectò in eo tempore, (*x*) quo fidem suam tentans, diversa piaculi scelera perpetratus est, in eo & suam impiam finiret vitam. Nunc autem, Dei providentiâ, per manus sui Principis Apostolorum Beati Petri, simul & per tuum fortissimum brachium, præcurrente industriâ Deo (*y*) amabilis viri Folradi, tui fidelis, nostri dilecti filii, ordinatus est Rex super Gentem Langobardorum Desiderius, vir mitissimus; & in præsentia ipsius Folradi sub jurejurando pollicitus est, restituendum Beato Petro Civitates reliquas, Faventiam, (*z*) Imolam, & Ferrariam, cum eorum finibus; simul etiam & saltora & omnia territoria: nec non & Ausimum, Anconam,

(*f*) *Lambecius*: cum Psalmigrapho.
(*g*) *Gretserus*: Psalmo 76.
(*h*) *Idem*: Psalm. 29.
(*i*) *Lambecius*: Scriptum quippe est.
(*k*) *Gretserus*: Proverbiorum XV.
(*l*) *Idem*: Lucæ I
(*m*) *Lambecius*: Christianissime victor Rex, nostris.
(*n*) *Idem*: est revelata.
(*o*) *Idem*: ut Cœlestis sui Regni gaudio vobis tribuat vicissitudinem.
(*p*) *Gretserus*: Baronius, & Centuriatores, gaudio vobis tribuat vicissitudinem.
(*q*) *Lambecius*: ut Iubeas firmiter.
(*r*) *Idem*: Populi liberatione.
(*ſ*) *Lambecius*: adhibere Iubeas.
(*t*) *Idem*: conexæ atque constitutæ, fines.
(*u*) *Gretserus*: Baronius & Centuriatores; satis testatus est.
(*x*) *Lambecius*: quo fidem suam temerans.
(*y*) *Gretser*. Vide Baronium Anno 756. n. 3. & seq.
(*z*) *Lambec*. Imulas

nam, & Humanam Civitates, cum eorum territoriis. Et poſtmodum per Garinodum Ducem, & Grimoaldum, nobis reddendum ſpopondit (*a*) Bonam (*b*) finibus ejus. Et in pacis quiete cum eadem Dei Eccleſia, & noſtro Populo ſemper manſurum profeſſus eſt, atque fidelem erga à Deo protectum Regnum veſtrum eſſe teſtatus eſt. Et petiit nos, quatenus bonitatem tuam deprecaremur, ut cum eo & cuncta Gente Langobardorum magnam pacis concordiam confirmare jubeas.

Nam & Spoletini Ducatus generalitas per manus Beati Petri, & tuum fortiſſimum brachium, conſtituerunt ſibi Ducem; & tam ipſi Spoletani, quàmque etiam Beneventani, omnes ſe commendare per nos à Deo ſervatæ Excellentiæ tuæ cupiunt, & imminent anhelantius in hoc deprecando bonitatem tuam. Unde petimus te, excellentiſſime fili, & ſpiritalis compater, ut ſi prædictus Deſiderius, quemadmodum ſpopondit, juſtitiam (*c*) Sanctæ Dei Eccleſiæ ſuæ, Reipublicæ Romanorum, Beato Petro protectori tuo plenius reſtituere, & in pacis quiete cum Eccleſia Dei & noſtro Populo, ſicut (*d*) in pactibus à tua bonitate confirmatis continetur, permanſerit cum univerſa ſua Gente, (*e*) jubeas in id, quod petiit, tuas à Deo inſpiratas aures inclinare. Hoc interea anhelantius, ut nimis velociter, eidem Deſiderio Regi, obteſtando, admonendo, etiam & præcipiendo, (*f*) dirigere jubeas, ut reliquas Civitates, loca, fines, & territoria, atque patrimonia & ſaltora, (*g*) in integro ſuæ Eccleſiæ reddere debeat, & tale fundamentum, optimum finem in cauſa ejus (*h*) imponere jubeas, ut auxiliante Domino ipſa Sancta Dei Eccleſia ſecura maneat uſque in finem ſeculi, ut plenaria juſtitia à juſto Judice, Domino Deo noſtro, & memoriale nomen tibi in ſecula maneat, vel etiam cunctæ Chriſto protectæ Genti veſtræ Francorum.

Inſpiratus autem à Deo nimis feſtinanter cauſam Sanctæ Eccleſiæ perficies; quia ſunt aliæ canonicæ cauſæ, quas perficere debeamus, pertinentes ad magnam Regni tui laudem, & magnam animæ tuæ, vel cunctæ Gentis Francorum immenſam mercedem. Et hoc obnixe poſtulamus præceſſam bonitatem tuam, ut inſpiratus à Deo, & ejus Principe Apoſtolorum Beato Petro, ita diſponere jubeas de parte Græcorum, ut Fides Sancta Catholica & Apoſtolica per te integra & inconcuſſa permaneat in æternum; & Sancta Dei Eccleſia, ſicut ab aliis, & ab eorum peſtifera malitia liberetur, & ſecura reddatur, atque omnia proprietatis ſuæ percipiat. Unde pro animæ veſtræ ſalute indefeſſa luminariorum concinnatio Dei Eccleſiis permaneat, & eſuries pauperum egenorum vel peregrinorum (*i*) nihilominus (*k*) refecetur, & ad veram ſaturitatem perveniant.

Qualiter autem cum Silentiario locuti fue-

A ritis, vel quomodo eum tua bonitas abſolverit, unà cum exemplari Literarum, quas ei dederitis, nos certiores reddite: ut ſciamus, qualiter in communi concordia agamus, ſicut inter nos & Folradum, Deo amabilem, conſtitit. Ipſe verò dilectus filius noſter Folradus in omnibus cauſis juxta tuam præceptionem peregit, & maximas gratias illi egimus pro ſuo certamine. Qui videlicet ad vos revertens, omnia, qualiter acta ſunt, bonitati veſtræ intimabit. Præſentes verò fideliſſimos noſtros, Georgium reverentiſſimum ac ſanctiſſimum Fratrem & Coëpiſcopum noſtrum, atque Johannem Regionarium, noſtrumque Sacellarium, petimus, ut hilariori ſuſcipiens

B vultu, in omnibus (*l*) acceptare jubeas; & quidquid noſtra vice bonitati tuæ locuti fuerint, eis in omnibus credere digneris, atque cum effectu cauſæ, & lætabundis nuntiis ad nos remeandos (*m*) abſolvere jubeas. Nam & hoc obſecramus bonitatem tuam, ut nimis celeriter ad nos (*n*) conjungendum abſolvere præcipias reverendiſſimum fratrem Coëpiſcopum noſtrum Wilharium.

Omnipotens autem Deus in cunctis actibus tuis, excellentiſſime victor Rex, ſuæ dextræ extenſione te protegat, tibique & præſentis vitæ proſpera, & poſt multorum annorum curricula gaudia æterna concedat, faciatque cum tua dulciſſima conjuge, excellentiſſima

C Regina, ſpiritali noſtra commatre, & veſtris, meiſque dulciſſimis filiis maximo gaudio jocundari, & Regni veſtri gubernacula à Deo vobis conceſſa perfrui, & qui in præſenti vita Regni poteſtatem tenetis, etiam futuro in ſeculo cum Chriſto in æternum regnetis, promerentes illam Dominicam promiſſionem audire: (*o*) *Venite benedicti patris mei*, pro eo quod certamen bonum certati eſtis, curſum conſummaſtis, fidem ſervaſtis. Sumite poſitas vobis coronas, & accipite regnum vobis ab origine Mundi præparatum. Nam & hoc præcelſæ, & à Deo cuſtoditæ Excellentiæ veſtræ innoteſcimus, (*p*) quia petiit nobis Optatus religioſus Abbas (*q*) veſtri Monaſterii Sancti

D Benedicti pro Monachis ſuis, qui cum tuo germano profecti ſunt, ut eos abſolvere jubeas; ſed qualiter tua fuerit voluntas, ita de eis exponere jubeas. Incolumem Excellentiam tuam Gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Dominum Pippinum, Carolum, (r) & Carolomannum dilectum, in quo continetur, quòd (ſ) Haiſtolfus irritum fecerat pactum & juramentum, quod iiſdem Regibus de juſtitia Sancti Petri pollicitus fuerat, cum nimiis adjurationibus, iterum poſtulans adjutorium obtinere contra eumdem.

E (*Epiſtola ordine IX.*)

(*t*) DOmnis (*u*) *excellentiſſimis filiis Pippino Regi & noſtro ſpiritali compatri,* ſeu

(*a*) *Gretſer.* Bononiam.
(*b*) *Lambec.* Bononiam cum finibus ſuis.
(*c*) *Idem*: Sanctæ Dei Eccleſiæ, Reipublicæ.
(*d*) *Gretſer.* pactis. Baronius; partibus.
(*e*) *Lambec.* Iubeas in id.
(*f*) *Lambec.* dirigere Iubeas.
(*g*) *Idem*: in integro Sanctæ Eccleſiæ.
(*h*) *Idem*: imponere Iubeas.
(*i*) *Idem*: nihilominus refectetur, & ad veram ſaturitatem perveniat.
(*k*) *Gretſer.* fortè, relevetur.
(*l*) *Lambec.* acceptare Iubeas.
(*m*) *Idem*: abſolvere Iubeas.
(*n*) *Gretſer.* Baronius, & Centuriatores; commigrandum.
(*o*) *Idem*: Matthæi Cap. XXV.
(*p*) *Lambec.* quia petiit à nobis.
(*q*) *Idem*: Abbas Monaſterii.
(*r*) *Idem*: & Carlomannum directum.
(*ſ*) *Idem*: Haiſtulfus.
(*t*) *Gretſerus*: Exſtat apud Baronium Anno 755., & Centur. 8. Cap. 10.
(*u*) *Lambecius*: Dominis excellentiſſimis.

seu Carolo & Carolomanno item Regibus, & utrisque Patriciis Romanorum, Stephanus Papa.

Providi & sapientissimi Salomonis prophetica ita fertur assertio: *Nomen bonum super misericordiam.* Nomen quippe bonum est, fidem quam quis pollicitus fuerit, immaculato corde, & purâ conscientiâ custodire, & operibus implere. Nomen enim bonum est, totis viribus ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, per quam & salus Christianorum existit, decertare. Bonum enim inter omnes Gentes de vobis exiit nomen; si operibus fuisset impletum; Redemtor namque noster misericors, & multum miserator Dominus, illis propitiator existit, quos omnino tota mentis integritate fideles & defensores Sanctæ suæ Ecclesiæ cognoverit. Qualis remuneratio aut merces sub cœlo existimanda & coæquanda est ad eam, quæ pro defensione Dei Ecclesiæ, & domus Beati Petri est rependenda? Ideo namque excellentissimam & à Deo protectam bonitatem vestram super turbas Populorum & multarum gentium (x) idem Rex Regum & Dominus dominantium salvos vos instituit, ut per vos Sancta Dei Ecclesia exaltetur. Potuerat namque alio modo, ut illi placitum fuisset, Sanctam suam vindicare Ecclesiam, & justitiam sui Principis Apostolorum exigere. Sed quia mentem & conscientiam vestram, à Deo profecte spiritalis compater, & dulcissimi filii, probare voluit, ideo nostram infelicitatem ad vos venire præcepit. Tradidimus enim corpus & animam nostram in magnis laboribus (y) viam spatiosam & longinquam provinciam. Valde fisi in vestra fide, per Dei nutum, illuc profecti sumus, afflicti in nive & frigore, æstu & aquarum inundatione, atque validis fluminibus, & atrocissimis montibus, seu diversis periculis.

Etenim dum vestris mellifluis obtutibus præsentati sumus, omnes causas Principis Apostolorum in vestris manibus commendavimus, quoniam quidem inspirati à Deo, aurem petitionibus nostris accommodare dignati estis; & vos Beato Petro polliciti estis justitiam exigere, & defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ procurare, & ut verè fideles Deo, pura mente, pro defensione Dei Ecclesiæ dimicandum properastis. Sed omnipotens Dominus, qui conterit bella ab initio, qui superbos humiliat, & humiles exaltat, illicò justitiam Beati Petri vestræ bonitati, & omnibus Christianis demonstravit, & tale præfulgidum miraculum ostendit, quale omnino gloriosum est referendum: illi enim inimici Dei, & Sanctæ Ecclesiæ, qui in sua ferocitate confidebant, veloces pedes habentes ad effundendum sanguinem, super brevem numerum Populi vestri irruerunt. & ita per manum Beati Petri omnipotens Dominus victoriam vobis largiri dignatus est, ut illi, qui innumerabiles existebant, à paucis hominibus fuissent interemti, & humiliati sunt ipsi inimici Beati Petri usque ad terram. Et ita timorem & tremorem in illis Dominus immisit per intercessiones Beati Petri, ut ad nihilum devenirent. Non enim gladius hominis, sed gladius Dei est, qui pugnat. Videns namque suam deceptionem iniquus Haistolfus Rex cum suis Deo destructis Judicibus, per blandos sermones & suasiones atque sacramenta illuserunt prudentiam vestram, & plus illis falsa dicentibus, quàm nobis veritatem asserentibus, credidistis.

Magno namque dolore & tristitia, excellentissimi filii, cor nostrum repletum est. Cur minimè bonitas vestra (z) nos audire voluit? Omnia denique, quæ per Dei jussionem vobis locuti sumus, veraciter ediximus; & jam patefacta sunt, ut ipsa facta demonstrant. Etenim sicut primitus Christianitati vestræ ediximus, iniquus Haistolfus Rex, ingresso in ejus perfido corde Diabolo, omnia, quæ per sacramentum Beato Petro, (a) per nostros Missos, restituenda promisit, irrita fecit, & nec unius palmi terræ spatium Beato Petro reddere voluit. A die enim illo, quo à melliflua bonitate vestra separati sumus, tantum nos affligere, & (b) tribulare visus est, quantum non potest os hominis enarrare. In magna namque despectione Sanctam Dei Ecclesiam, & nostram humilitatem, & vestros Missos habere visus est, quia etiam & ad nostram propriam animam auferendam mala ejus imperatio & summissio facta est. Quid multa dicimus? Tantum nos tribulavit, quia etiam, si dici potest, & ipsi lapides pro nobis flerent. Tamen omnia vester Consiliarius Fulradus Presbyter & Abbas, unà cum suis sociis, si Deum præ oculis habent, omnia vobis enarrare possunt. Non enim, quia jam reddere, ut constituit, propria Beati Petri voluit, sed etiam (c) scameras (d) atque deprædationes seu devastationes in Civitatibus & locis Beati Petri facere sua imperatione non cessavit, nec cessat. Oblitus quippe est Deum, qui fecit eum, & Fidem Christianam transgressus est, quomodo ulteriùs credendus est sive ipse, sive ejus consentanei, (e) qui tanta Dei mysterii sacramenta præbuerunt, & noluerunt conservare? Verè enim omnia vobis prædiximus de ejusdem impii Regis mendacio & falsitate, & quemadmodum diximus, manifesta sunt vobis, & perjurium ejus declaratum est.

Pro quo peto vos, excellentissimi, & à Deo protecti filii, & nimis obsecro, doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, & B. Petri causa, & quæ per donationem B. Petro offerendum promisistis, ei possidendum contradere debeatis. Mementote, & semper in vestris præcordiis firmiter tenete, quod promisistis eidem Janitori regni cœlorum. Nulla jam vos seducat suasio aut acceptilatio. Considerate, quàm (f) fortis existit exactor idem Princeps Apostolorum Beatus Petrus. Videte omnia, quæ ei promisistis, & per donationem offerendum polliciti estis, contradere festinate, ut non lugeatis in æternum, & condemnati maneatis in futura vita. Vita enim hujus Mundi brevis est, & sicut umbra declinatur, & sicut vestimentum inveterascit. Illam vitam æternam, quam vobis Beatus Petrus pro sua causa & justitia promisit, tota mente & integro corde quærite. Decertate bonum opus, quod cœpistis, implere, & quæ per donationem manu vestra confirmastis, protectori vestro Beato Petro reddere festinate, quoniam scriptum

(x) *Idem*: isdem Rex.
(y) *Idem*: in tam spatiosam.
(z) *Lambecius*: nos audire renuit?
(a) *Idem*: per vestros Missos.
(b) *Idem*: & tribulare nisus est.

(c) *Gretserus*: Baronius; scamaras.
(d) *Lambecius*: scamaras.
(e) *Idem*: quia in tanta Dei mysteria sacramenta præbuerunt.
(f) *Idem*: qualis fortis.

tum eſt: (*g*) ***Melius eſt non vovere, quàm vovere, & votum non reddere.*** Sciatis enim, quia ſicut chirographum, veſtram donationem Princeps Apoſtolorum firmiter tenet, & neceſſe eſt, ut ipſum chirographum expleatis, ne dum juſtus Judex ad judicandum vivos & mortuos, & ſeculum per ignem, advenerit, in futuro judicio, (*h*) idem Princeps Apoſtolorum idem chirographum demonſtrans nullam habere firmitatem, deſtrictas cum eo faciatis rationes. Sed magis explete, quod promiſiſtis, velociter, ut iterum vitam æternam, quam ab ipſo Principe Apoſtolorum promiſſam habetis, poſſideatis.

Conjuro vos, excellentiſſimi & à Deo protecti filii, per Deum omnipotentem, qui continet omnia ſuâ potentiâ, & per ſanctam ejus Matrem glorioſam ſemper Virginem Mariam, atque per Virtutes Cœlorum, & per Beatos Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum, atque per tremendum judicii diem, ubi omnes conſtrictè, ad reddendum de noſtris factis rationem, adſiſtere habemus, ubi nulla eſt ingenioſa excuſatio, velociter, & ſine ullo impedimento, quod Beato Petro promiſiſtis per donationem veſtram, civitates & loca, atque omnes obſides & captivos Beato Petro reddite, vel omnia, quæ ipſa donatio continet; quia ideo vos Dominus per humilitatem meam, mediante Beato Petro, unxit in Reges, ut per vos ſancta ſua exaltetur Eccleſia, & Princeps Apoſtolorum ſuam juſtitiam ſuſcipiat.

Magnum deſiderium in noſtro corde habebamus, veſtros mellifluos vultus aſpicere, & de veſtræ jocunditatis lætitia gaudere, juxta quod ſapientiſſimus ait Salomon: (*i*) *Per vicos & plateas quæſivi, quem dilexit anima mea.* Et certè, quos dileximus, per Dei juſſionem invenimus, & quos deſideravimus, amplexi ſumus; pro quo diffuſa eſt ſuper vos benedictio & gratia Beati Petri, ut Domini fuit proviſio, quod nullus de veſtris parentibus meruit ſuſcipere, vos ſuſcepiſtis; & Princeps Apoſtolorum præ ceteris Regibus & Gentibus vos ſuos peculiares faciens, omnes ſuas cauſas vobis commiſit. Et vos reddetis rationem Deo, quomodo pro juſtitia ipſius Janitoris (*k*) regni regnorum decertaveritis. Cunctus namque noſter Populus Reipublicæ Romanorum, magno dolore & amariſſimis lacrymis unà nobiſcum tribulantur, pro eo, dum ad tam longam & ſpatioſam provinciam properavimus, & præ fatigio validi itineris caro noſtra minuata eſt. (*l*) Sic vacui & infructuoſi, ſine effectu juſtitiæ reverſi ſumus. Attamen nos infelices, juxta Dominicum Præceptum egimus, & omnes cauſas Beati Petri vobis commendavimus, & vobis pertinet hoc ſive ad peccatum, ſive ad mercedem. Nam & omnes gentes ita firmiter tenebant, quòd Beatus Petrus nunc per veſtrum fortiſſimum brachium (*m*) ſuam percepiſſet juſtitiam; & factum non eſt, & in magno cordis ſtupore de hoc omnes evenerunt.

A Sed peto excellentiſſimam bonitatem veſtram, ut vituperium hoc (*n*) à Gentibus auferatis; & omnibus fidem veſtram operibus oſtendite, eo quod (*o*) fides, ut ſcriptum eſt, ſine operibus otioſa eſt. Cum qua enim fiducia, aut fortitudine ad expugnandos inimicos veſtros pergere poteſtis, ſi juſtitiam Beati Petri, ut promiſiſtis, & initiaſtis, non perfeceritis? Si enim, ut cœpiſtis, operibus adimpleveritis, eritis ſemper victores & fortiſſimi ſuper veſtros inimicos, & præſens Regnum per multorum annorum ſpatia cum bona poſſidebitis fama, & vitam percipietis æternam. (*p*) Tanto operi direximus ad vos Vvilharium reverentiſſimum & ſanctiſſimum

B fratrem & Coëpiſcopum & fidelem, qui vobis omnia de noſtra tribulatione, & cauſa Beati Petri proprio ore enarret, cui in omnibus (*q*) credere jubeatis, & exitum bonum in cauſa Beati Petri ponere. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat. Bene valete.

Item Epiſtola ejuſdem Papæ per Droctegangum Abbatem directa, in qua continentur gratiarum actiones, & uberrimæ benedictiones.

(Epiſtola ordine X.)

C ***Domno excellentiſſimo filio Pippino Regi, Stephanus Papa.*** Præſens Droctegangus Abbas ſacris liminibus protectoris tui Beati Apoſtolorum Principis Petri, & noſtris obtutibus præſentatus, impoſita ſibi verba ſalutationis ac ſoſpitatis, à Deo ſervatæ atque amantiſſimæ Excellentiæ tuæ, (*r*) innumeras omnipotenti Deo læti effecti gratias referentes egimus, petentes ejus divinam miſericordiam, licèt peccatores & indigni, ut pro ſua te protegat pietate, excellentiſſime fili, & multo amplius atque perfectius ſuo timore tuum Regnum confirmet, & amore Apoſtolico quatenus & præſenti vita (*ſ*) longe (*t*) feliciter fruaris, & æternæ beatitudinis conſors, fructu Apoſtolici amoris, effici merearis. Ete-

D nim præſens Droctegangus, fidelis tuus Miſſus, juxta quod nobis locutus fuit, congruum per eum tuæ ſublimiſſimæ bonitati in ore ponentes remiſimus reſponſum, cui & in omnibus (*u*) credere jubeas, fili, quia in omnibus, quæ mandaſti, Chriſto cooperante, ſalutaria tibi mandavimus. Sed imple Dominicum dictum, ſicut ſcriptum eſt: (*x*) *Quoniam qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit.* Ex hoc enim centuplum accipies, & vitam poſſidebis æternam. Hoc autem petimus, fili, ut dum Miſſos tuos ad nos remittere juſſeris, cum reſponſis hunc Johannem, virum religioſum, cum eis mittere jubeas. Fidelis

E enim tuus eſt, & prudenter reportat reſponſa. Bene vale.

Item

(*g*) *Gretſerus*: Eccleſiaſt. Cap. V.
(*h*) *Lambecius*: iſdem Princeps Apoſtolorum eumdem Chirographum.
(*i*) *Gretſerus*: Canticor. Cap. III.
(*k*) *Lambecius*: Regni Cœlorum.
(*l*) *Idem*: ſi vacui.
(*m*) *Idem*: ſuam accepiſſet.
(*n*) *Idem*: à Gentibus abſtollatis.
(*o*) *Idem*: fides veſtra, ut ſcriptum eſt.
(*p*) *Lambecius*: Tamen opere direximus.

(*q*) *Idem*: credere lubeatis.
(*r*) *Gretſerus*: exponens, *vel ſimile quid*.
(*ſ*) *Idem*: longæva.
(*t*) *Lambecius*: & præſentem vitam longævus feliciter fruaris, & æternæ Beatitudinis Paradiſi conſors.
(*u*) *Idem*: credere lubeas.
(*x*) *Muratorius*. Matthæi Cap. 10. verſ. 22., & Cap. 24. verſ. 13.

Item Epistola ejusdem Papæ generalis, in qua continentur gratiarum actiones, & uberrimæ benedictiones.

(Epistola ordine XI.)

STephanus *Episcopus, servus servorum Dei, viris gloriosis, nostrisque filiis, omnibus Ducibus Gentis Francorum*. Læta gaudet sancta mater Ecclesia in provectu fidelium filiorum. Propterea etsi corpore absentes, spiritu verò præsentes, gloriosam prudentiam atque dilectionem vestram, sublimissimi filii, ac si præsentialiter amplectentes, in osculo pacis salutamus in Domino dicentes: (*y*) *Benefac Domine bonis, & rectis corde*. Quoniam fiduciam habemus, quòd Deum timetis, & protectorem vestrum Beatum Petrum Principem Apostolorum diligitis, & cum tota mentis devotione pro ejus perficienda utilitate in nostra obsecratione cooperatores & adjutores estis: pro certo tenentes, quòd per certamen, quod in ejus sanctam Ecclesiam vestram spiritalem matrem feceritis, ab ipso Principe Apostolorum vestra dimittantur peccata, (z) & pro capti cursu laboris centuplum accipiatis de manu Dei, & vitam possideatis æternam.

Idcirco obsecramus atque conjuramus vestram sapientissimam caritatem per Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, & diem futurum examinis, in quo omnes pro nostris facinoribus erimus reddituri rationem ante tribunal æterni Judicis, ut nulla interponatur occasio, & vos sitis adjutores, ad obtinendum filium nostrum à Deo servatum Pippinum, excellentissimum Regem, pro perficienda utilitate Beati Apostolorum Principis Petri, sicut per præsentem Droctegangum religiosum Abbatem, ejusque concomites direximus; quatenus vobis concurrentibus, dum nostra deprecatio fuerit impleta, ipso Principe Apostolorum, cujus causa est, largiente, vestra deleantur peccata; & ut habet potestatem à Deo concessam, sicut claviger regni cœlorum, vobis aperiat januam, & ad vitam introducat æternam. Sed attendite filii, & ad participandum hoc, quod optavimus, studiosius elaborate, scientes, quòd si quis declinaverit in aliam partem, ab æternæ beatitudinis hæreditate erit alienus. Scriptum quippe est: (*a*) *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. (*b*) *Diligentibus namque Deum, omnia cooperantur in bonum*. Bene valete.

EX AMALRICO AUGERIO.

De Paulo.

PAULUS Papa unicus, natione Romanus, de Regione Viâ Latâ, ex patre Constantino fuit natus: qui fuit frater germanus præfati Stephani Papæ Secundi, & post ipsum Stephanum in Romanum Pontificem fuit assum-

(*y*) *Gretserus*: Psalmo 124.
(*z*) *Lambecius*: & pro cœpti cursu laboris.
(*a*) *Gretserus*: Matthæi Cap. 10.
(*b*) *Idem*: Ad Roman. Cap. 8.

NOTÆ MABILLONII.

(*c*) Imagines.

A tus, & post Beatum Petrum Apostolum extitit Papa XCVIII. Anno à Nativitate Domini DCCLVII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCLX.

Item quòd iste fuit vir summè virtuosissimus & misericors atque pius in tantùm, quod nulli malum pro malo reddebat. Et de nocte cum paucis familiaribus suis cellas infirmorum pauperum, & incarceratorum visitabat & circuibat, & ipsis necessaria ministrabat. Viduis, orphanis, & pupillis opem ferebat; & alia bona quamplurima ipse fecit. Qui quidem statuit & ordinavit, ut de cetero omnia divina Officia in Quadragesima ante horam sextam celebrari deberent, quod an-
B tea non erat fieri consuetum.

Item quòd iste Paulus post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo cum magno honore exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam decem annis, & uno mense secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de uno anno tantùm, Constantino V. Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO DE PONT. ROMAN.

De Paulo Papa.

C GErmanus *Stephano succedit in ordine* Paulus,
Cum quo devotus pietate & luce sophiæ
Claruerat rutilans, individuusque sodalis.
Hæserat in finem: cui mox moderamina cedunt,
Dispersa renuente manu, ceu sole tenebris.
Hic pius ac mitis tribulatis ferre levamen
Certabat, languore graves inopumque grabatta
Visere consuetus, tacitæ sub tegmine noctis;
Carceribus nexos adimens, redimensque subjectos
Fenoribus, pupillorum pater ac viduarum;
Catholicæ tutor Fidei. Quo tramite Reges
Admonet, hortatur, petit, insistitque reponi
Schemata (*c*) *Sanctorum Dominique polita nitore.*
Mausolea colens justorum provehit urnis;
Atque Urbi reddens, cineres sublimat in aulis.
D *Is proprios sacrare lares sub culmine Christi*
Pigneribus studuit, comens & nomine Patrum
Silvestri ac Stephani, multorum luce (*d*) *piorum*
Insuper illustrans, opulento & munere supplens,
Hymnidicisque dicans laudis sine fine choreis.
Basilicam primis hic Patribus (*e*) *edidit Urbis,*
Quâ (*f*) *genibus saxo applicitis signata tropæa,*
Martyrii jam libandi dum vota profundunt.
Struxit & orandi catus ac sua membra locandi
Servandique locum, variis Templi ora metallis
Ornans, atque Dei Genetricis imagine ditans.
Quâ tandem emeritus tumulum post funera sumit.

Exemplar Præcepti, quod fuit factum (*g*) *à Paulo sanctæ recordationis Pontifice, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & univer-*
E *sali Papa.*

(Epistola ordine XII.)

(*h*) PAulus *Episcopus, servus servorum Dei, præcellentissimo filio Pippino Regi Franco-*

(*d*) honore Sanctorum.
(*e*) Petro & Paulo.
(*f*) Ubi oraverunt, jam martyrizandi, pro dejectione Simonis.
(*g*) *Gretserus*: Iniit Pontificatum Anno Christi 757. Obiit Anno 767.
(*h*) *Idem*: Summar. 2. apud Baronium, & Centuriatores.

torum, & Patricio Romanorum, & per eum venerabili Monasterio Beati Sylverii Confessoris Christi atque Pontificis, & cunctæ Monachorum Congregationi, (*i*) nam (*k*) & *in posterum illic consistentium in perpetuum*. Salubri providentia, quicquid venerabilium locorum requirit utilitas, illis nimirum committendum credimus esse (*l*) personis, quibus divinæ illustrationis gratia diffusa, ea, quæ pertinent ad laudem Redemtoris nostri, & ad maximum redintegrationis statum sanctorum locorum (*m*) pertinere monstratur, totis conatibus perficere nituntur. Et quoniam constat præcelsa eximietas vestra à nobis petiisse Monasterium, scilicet Beati Sylvestri Pontificis atque Confessoris, situm (*n*) in Monte (*o*) Serapt, nec non & alia illi tria subjacentia Monasteria, Sancti scilicet primi Martyris Stephani, & Beati Andreæ Aposto li, atque Victoris, cum universis rebus & possessionibus, locis etiam & diversis præsidiis, vel omnibus eis generaliter pertinentibus, in integrum, ecce præcelsæ Excellentiæ vestræ, & voluntati annuentes, per hujus Præcepti seriem, nostrum Monasterium Beati Sylvestri, cum prædictis aliis tribus ei subjacentibus Monasteriis, idest Beati Stephani, atque Beatorum Andreæ & Victoris, cum omnibus ei generaliter & in integro pertinentibus, à præsenti quintadecima Indictione, & in perpetuum, pro sustentatione peregrinorum, & alimoniis fratrum nostrorum, Christi pauperum atque Monachorum, illic nunc & in posterum spiritalem vitam degentium, firma stabilitate vobis concedimus, & per vos in præfato Venerabili Monasterio hanc nostram Apostolicam exarationis præceptionem perenniter permanendam, concedimus atque largimur. Quatenus vestro studio ea, quæ ad laudem Redemtoris nostri, & meliorem statum prædictorum Venerabilium Monasteriorum, pertinere noscuntur, in omnibus Deo auspice, pro æterna Excellentiæ vestræ memoria, & maxima remunerationis mercede, nihilominus proficiat decernentes.

Itaque si quo tempore Præceptum illud, quod à sanctæ recordationis Prædecessore nostro, Beatissimo Domino Zacharia Papa, quod (*p*) Carlomanno Germano nostro de eodem Monasterio emissum est, vel aliud quodlibet de ipsis (*q*) præfatis Monasteriis munimen, ubi repertum fuerit, causam inanem atque vacuam esse, nullam in se habentem firmitatem statuentes: interea & hac Apostolica censura divini judicii obtestatione, & anathematis interdictione, hæc, quæ ad laudem Dei dinoscimur constituisse pro sustentatione peregrinorum, ut dictum est, & cunctæ Monachorum illic consistentis Congregationis, stabilitate, in perpetuo permanere illibata.

Exemplar Epistolæ, ubi Paulus Diaconus, & Electus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, (r) significans de transitu Stephani Papæ, per Immonem missæ, Missum Domni Pippini Regis.

(*Epistola ordine XIII.*)

(*s*) DOmno (*t*) *excellentissimo filio Pippino Regi Francorum & Patricio Romanorum, Paulus Diaconus, & in Dei nomine Electus Sanctæ Sedis Apostolicæ, cum gravi gemitu, & immenso mœrore cordis*. Innotescimus à Deo protectæ Excellentiæ tuæ, potentissime victor Rex, Dei vocatione de hac luce ad æternam requiem esse subtractum sanctæ recordationis Dominum, & Germanum meum Stephanum Papam. (*u*) In cujus etiam transitu & ipsi lapides, si dici potest, nobis consientes lacrymaverunt. In cujus Apostolatus ordinem à cuncta Populorum caterva mea infelicitas electa est. Et dum hæc agerentur, (*x*) convenit Romam Immo Christianissimæ Excellentiæ tuæ Missus, & cum eo loquentes unà cum nostris Optimatibus, aptum perspeximus (*y*) eum hìc detineri, donec Dei providentiâ, sacra Apostolica benedictione (*z*) illustrati fuissemus. Et tunc plenius satisfactus de nostra, (*a*) vel cuncti (*b*) puritate & dilectione, quam erga tuam benignissimam Excellentiam, & cunctam Gentem Francorum gerimus, eum ad vos repedandum (*c*) cum nostris Missis Apostolicis absolveremus. Quoniam nos pro certo agnoscas, excellentissime, & à Deo protecte noster, post Deum, auxiliator & defensor Rex, quod firmi & robusti usque ad animam, & sanguinis nostri effusionem in ea fide & dilectione & caritatis concordia, atque pacis fœdere, quæ præfatus beatissimæ memoriæ Dominus, & Germanus meus Sanctissimus Pontifex vobiscum confirmavit, (*d*) permanentes, & cum nostro Populo permanebimus usque in finem. Unde & indesinenter extensis palmis ad cœlum pro vitæ incolumitate Excellentiæ tuæ atque dulcissimorum filiorum, & excellentissimæ Reginæ sospitate, Domini (*e*) Dei nostri exoramus clementiam tuam, ut semper tuum auxilium, & firmissima protectio extendatur super nos. Incolumem Excellentiam tuam gratia superna custodiat.

Item

(*i*) *Idem*: quin.
(*k*) *Lambecius*: nunc & imposterum.
(*l*) *Idem*: personis, quæ, divinæ illustrationis gratiâ diffusâ, ea.
(*m*) *Idem*: pertinere monstrantur.
(*n*) *Idem*: in Monte Serapte.
(*o*) *Gretserus*: Socrate. Vide Baronium A. 747. n. 9.
(*p*) *Lambecius*: Carlomanno, Germano vestro.
(*q*) *Idem*: de ipsis prælatis Monasteriis.
(*r*) *Idem*: significat de transitu.
(*s*) *Gretserus*: Summ. I. apud Baronium & Centuriatores.

(*t*) *Lambecius*: Domno excellentissimo.
(*u*) *Idem*: in cujus etiam transitu, etiam & ipsi lapides.
(*x*) *Idem*: conjunxit Romam Immo.
(*y*) *Idem*: eum hìc detinere.
(*z*) *Idem*: illustrati fuerimus.
(*a*) *Gretserus*: fortè; vel Populi cuncti.
(*b*) *Lambecius*: vel cuncti Populi puritate.
(*c*) *Idem*: cum nostris Missis Apostolicis absolvimus.
(*d*) *Lambecius*: permanentes unà cum nostro Populo permanemus.
(*e*) *Idem*: Dei nostri exoramus clementiam, ut.

Item exemplar Epistolæ Pauli, sanctæ recordationis Romani Antistitis per Andream & Gundricum missa, in qua continentur gratiarum actiones & postulationes, volendo adjutorium obtinere contra Langobardos.

(*Epistola ordine XIV.*)

(f) DOmno *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa, cum maximo honorificentiæ conatu, & dilectionis affectu.* Quas præclara Excellentia vestra misit Literas, adferentibus Andrea & Gunderico, sollertissimis viris, Christianitatis vestræ Missis, (g) acceptantes suscepimus (h) Literas, quibus solita gratulatione, lætitia relegentes & mente, & corde oppido sumus lætati, dum per eas optata nobis desideria, affectio & lætitia multum de (i) vestra prosperitate nobis compertum est, Deo omnipotenti immensas referentes grates, qui nos juxta, ut crebro optamus de vestra immensa sospitate, lætos reddere annuit. Nihil enim nobis dulcius, nihil suavius in hac vita exstitit, quàm vestræ incolumitatis gaudia assiduè prosperis relationibus addiscere, dum nimirum prosperitatis vestræ lætitia, Sanctæ Dei Ecclesiæ (k) exultatio, & omnium orthodoxorum exstitit uberrima defensio, & eis denique à vobis directis syllabis, nos certos in omnibus reddidistis, vos paratos adesse in adjutorium & defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ, in quibus necessitas ingruerit, atque in ea vos fide & dilectione firmiter esse permansuros cum Beato Petro Apostolorum Principe, atque beatissimæ recordationis Domno & Germano meo Stephano Sanctissimo Papa, solliciti estis, omnia adimpleri, & inviolabiliter conservari adfirmantes, quæ eidem Dei Apostolo polliciti, & ob veniam delictorum vestrorum confessi estis. Quod quidem nos, dum cor Excellentiæ vestræ in manu Dei est, & divina benedictione sanctæ unctionis gratia, per Apostolum ejus, & Regni cœlorum clavigerum, Beatum Petrum in Regem, excellentissime atque præcellentissime Rex, esse dinoscitur unctus, magna nobis id est confidendi spes, quòd in ea ipsa caritate & dilectione atque promissione, quam cœlestis Regni Janitori spondère studuistis, vos firmiter esse permansurum, dum & proculdubio & per Literas, & vestros sedulò destinatos Missos nobis confidendi materia (l) conferetis.

Unde & nos firmiter in vestra caritate & dilectione, cunctis diebus vitæ nostræ erimus permansuri, & nullus nos poterit, per quamlibet temporum interruptionem, à vestro amore & caritate atque dilectione, (m) quem (n) medio nostrûm adnexa est, separare. Pro quo obnixis deprecationibus quæso, & coram ter-

A ribili futuro judicio Excellentiam vestram conjurans deprecor, ut juxta quod ex vestro mellifluo ore prolata, & Beato Petro promissa sunt, firmâ constantiâ permanere (o) jubeatis, respuentes inimicorum Sanctæ Dei Ecclesiæ & Fidei orthodoxæ impugnationum impias suasiones, & inanes promissiones, & Deo magis, & Beato Petro semper placere procurate, qui vobis præsentis Regni gubernacula tribuit: (p) quatenus & temporalis regiæ potestatis, vel culmen largiri dignatus est, cœlestia quoque vobis Regna perenniter tribuat possidenda, & in immensas de hostibus Apostolorum Principis suffragiis, largiri dignetur victorias.

B De eo verò, quod innotuit Excellentia vestra, vobis à Desiderio Langobardorum Rege esse insinuatum, nullam malitiam vel invasionem à Langobardis in nostris partibus fuisse (q) illatas, omnino credat nobis benivola Excellentia vestra, non veridicè in hoc (r) vobis direxistis. Etenim, benignissime fili, & spiritalis noster compater, Christianissime Rex, (s) dum tantæ ab eisdem Langobardis devastationes in nostris finibus ac Civitatibus factæ fuissent, & à nobis ex hoc ammonitus fuisset, comminationis suæ ad nos direxit Literas, quas necessitate coacti, infra nostras Apostolicas Literas hoc præterito Anno vestræ Eccellentiæ direximus intuendas. Hostiliter quippe (t) in Civitate nostra (u) Synogaliensi per Gentes, ferro & igne, quæ extra eamdem Civitatem consistebant, devastaverunt, & plurimam (x) exinde auferentes prædam, aliquantos ibidem interfecerunt homines. Similiter & in partes Campaniæ, idest Castro nostro, quod vocatur Valentis, hostiliter inruentes, talia, sicut Paganæ gentes, egerunt, de quibus usque hactenus nequaquam justitiam ab eis recipere valuimus. Et ideo Excellentiæ vestræ direximus, ut vestrum annuissetis dirigere Missum, quatenus ejus præsentiâ inter partes justitiæ pervenissent, ut non ex hoc aliqua à nostra, vel Langobardorum parte ad easdem pervenien-

D dum justitias dilatio perveniret.

Unde pro vestra amplissima satisfactione adprobationem fecimus, in præsentia prædictorum vestrorum fidelium Missorum, cum jam dictis Langobardorum regiis Missis, & satisfacti sunt vestri Missi de tantis iniquitatibus, & cognoverunt (y) vestram (z) veritatem, & eorum mendacium. Et ob hoc non possumus tantas ab eis (a) nobis illatas malitias tacere, sed necesse nobis vestro regali culmini, utpote post Deum hujus Provinciæ Liberatori, cuncta innotescere, quo per eos omnis istius Provinciæ à vobis redemtæ Populus ad suam pertingere valeat justitiam.

E Interea, præcellentissime ac benignissime Rex, Christianissime fili, & spiritalis compater, suscepimus & mensam illam, quam olim sanctæ recordationis Domino, & Germano no-

(f) *Idem*: Domino excellentissimo.
(g) *Idem*: acceptantes accepimus, quibus.
(h) *Gretserus*: videtur redundare τὸ *Literas*.
(i) *Lambecius*: de vestra amplissima prosperitate nobis confertum est, Deo Omnipotenti immensas deferentes grates.
(k) *Gretserus*: exaltatio.
(l) *Muratorius*: legendum, materiam.
(m) *Gretserus*: quæ in medio.
(n) *Lambecius*: quæ medio nostrum adnexa est.
(o) *Idem*: permanere iubeatis.

(p) *Lambecius*: quatenus, ut temporalis regiæ potestatis fastigium, vel culmen.
(q) *Idem*: fuisse infertas.
(r) *Idem*: vobis direxit.
(s) *Idem*: dum tantæ sedulæ ab eisdem.
(t) *Idem*: in Civitate nostra Senogaliense.
(u) *Gretserus*: Senogaliensi.
(x) *Lambecius*: exinde abstollens prædam.
(y) *Gretserus*: nostram.
(z) *Lambecius*: nostram veritatem.
(a) *Idem*: nobis sedulè infertas malitias.

noſtro Beatiſſimo Stephano Papæ, & per eum Beato Petro Apoſtolo obtuliſtis: quam & cum Hymnis & Canticis ſpiritalibus Letaniæ laudes ſolenniter Deo referentes, infra Aulam ipſius Principis Apoſtolorum introduximus; quamque veſtri Miſſi in ſacram Confeſſionem, ſuper Corpus ſcilicet ejuſdem Cœlorum Regni Janitoris ex veſtri perſona obtulerunt: quam & chriſmate unctionis ſanctificantes, & ſacram oblationem ſuper eam imponentes, ſacrificium laudis Deo omnipotenti (b) paterna (c) animæ veſtræ remuneratione, & Regni veſtri ſtabilitate (d) offeruimus, decernentes Apoſtolicâ cenſurâ ſub anathematis interpoſitione, nulli umquam licere, eam ab Eccleſia Beati Petri alienare. Et ecce memoriale veſtrum in eadem Apoſtolica aula fulgens permanet in æternum, cujus remunerationem vos credite à juſto retributore Domino Deo, & Beato Apoſtolorum Principe Petro, in cœleſtibus Regnis adepturum.

De Regio itaque & Petro, quod innotuiſtis, omnino agnovimus, ſed hoc in veſtræ voluntatis arbitrio relaxamus, ut qualiter vobis placuerit, ita ex eis agatis (e) ſive illis apud vos eos detinendo, ſive etiam ad nos abſolvendo, quoniam omnino, quæ vobis placita ſunt, & nobis omnino congrua & proſpera eſſe videntur. Præfati denique Miſſi veſtri omnia, quæ à vobis injuncta exſtiterunt, liquidius nobis retulerunt. De quibus ad ſingula reſponſum reddimus, eoſque de cunctis informatos, ad vos enarrandum abſolvimus, perficientes & cauſam prædicti Andreæ, ut ejus fuit voluntas, & veſtra exſtitit præceptio.

Omnipotens autem Dominus, qui dives eſt in miſericordiis, ſuæ extenſionis brachio vos continua defenſione protegat, & omnes adverſarios ac rebelles veſtris regalibus ſubjiciat veſtigiis, tribuens longæviter ac ſalubriter, unà cum excellentiſſima filia & ſpiritali noſtra commatre, benigniſſima Regina, & amantiſſimis natis Carolo & Carolomanno, excellentiſſimis Regibus, & Patriciis Romanorum, atque Giſla nobiliſſima, Regni gubernacula poſſidenda, & æterna præmiorum gaudia cùm Sanctis & electis perfruenda. Incolumen Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Dominum Regem Pippinum miſſæ pro defenſione Sanctæ Dei Eccleſiæ, ſignificans quòd Deſiderius Pentapolim deprædavit, & omnia alimenta Populi ferro & igne conſumſit: & quia (f) Albinum Ducem Spoletinum in vinculis detruſit, & quia Dux Beneventanus in Oſorētana Civitate retruſus, alium Ducem Argiſem in Benevento conſtituit; & quia locutus eſt cum Miſſo Imperiali Georgio; & invitavit exercitum Imperatoris in Italia contra Ravennam, & exercitum de Sicilia contra Otorantanam Civitatem: & profeſſus eſt eam tradere partibus Imperialibus, vel aliis pluribus Capitulis.

(*Epiſtola ordine XV.*)

(g) Domno excellentiſſimo filio & noſtro ſpiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.

Quotiens perſpicua (h) eximietatis veſtræ merita, myſtica conſideratione cernens, cordis oculis confero, oppido me admirari convenit, intemeratam, ſuperfluamque Excellentiæ tuæ mentis conſtantiam, & ferventiſſimum affectum, (i) quod (k) circa Dei amorem, & ejus Principis Apoſtolorum inceſſanter geſtas, quoniam Deo magis quàm hominibus favere niteris. Unde perſpicuum eſt, vos præ omnibus Regibus & potentibus, piis pollere operationibus, (l) quia abſumto cœleſti triumpho ultro te, excellentiſſime fili, & ſpiritalis compater, ad liberandam Dei Eccleſiam adhibuiſti. Et ideo, ut ipſum piæ operationis veſtræ certamen effectui mancipetur, crebro nos congruit, ſicut liberatori ipſius Sanctæ Dei Eccleſiæ, & ejus peculiaris Populi, Apoſtolicos dirigere apices.

Primum (m) omnium nobis ſuper omnia nectarea dulcia exiſtunt, & deſiderabilia proſperitatis veſtræ gaudia addiſcere. Deinde verò, quæ Sanctæ Eccleſiæ Dei, & nobis conſiſtunt neceſſaria, quantocius intimare. (n) Ut verò, excellentiſſime fili, & noſter ſpiritalis compater, agnoſcas non pridem per Apoſtolicas Literas eximietati tuæ innotuiſſe, (o) quia in his partibus à Deſiderio Langobardorum Rege impie peracta ſunt, atque crudeliter perpetrata. Igitur dum tam perniciosam ejus operationem cerneremus, aptum proſpeximus, præſentem fideliſſimum veſtrum Miſſum Robertum hîc apud nos detinere, quatenus quid cœpta jam fati Deſiderii (p) Regis, vel Langobardorum Populi malitia pareret, præſentialiter agnoſcens atq; conſpiciens veſtram certiorem reddidiſſet eximiam præcellentiam. Etenim ſicut pridem, ecce & nunc innoteſcimus à Deo ſervatæ Excellentiæ veſtræ, quòd præfatus Langobardorum Rex Pentapolenſium per Civitates tranſiens, quas Beato Petro pro magna animæ veſtræ mercede contuliſtis, ferro & igne omnia ſata, & univerſa, quæ ad ſumtus hominum pertinent, conſumſit, ſicque Spoletinum & Beneventanum, qui ſe ſub veſtra à Deo ſervata poteſtate contulerunt, ad magnum (q) ſpretum Regni veſtri deſolavit, atque ferro & igne eorumdem Ducatum, loca & Civitates devaſtavit, & comprehenſum (r) Albinum Ducem Spoletinum, (ſ) cum eo Satrapibus, qui in fide Beati Petri & veſtra ſacramentum præbuerunt, infixis in eis peſſimis vulneribus in vinculis detinet.

Appropinquante autem eo Benevento, illico Dux Beneventanus fugam arripuit in Otorantinam Civitatem. Et dum diu immineret, ut ex ipſa ſua Civitate exire eumdem Ducem ſuaderet, & nequaquam in eo ſuam adimplens vo-

(b) *Gretſerus*: pro paternæ animæ veſtræ remuneratione.
(c) *Lambecius*: pro æterna animæ veſtræ.
(d) *Gretſerus*: obtulimus.
(e) *Lambecius*: ſive illic apud vos.
(f) *Idem*: Alboinum Ducem Spoletinum in vinculis detruſit, & quia Duce Beneventano in Otorontana Civitate retruſo.
(g) *Gretſerus*: Summ. 26. apud Centuriatores & Baronium.
(h) *Lambecius*: eximietatis tuæ.

(i) *Gretſerus*: quem.
(k) *Lambecius*: quem circa Dei.
(l) *Lambecius*: quia aſſumpto cœleſti triumpho.
(m) *Idem*: Primum omnium ut nobis.
(n) *Idem*: At verò.
(o) *Idem*: quæ in his partibus.
(p) *Idem*: Regis, vel ejus Langobardorum.
(q) *Gretſerus*: deſpectum.
(r) *Lambecius*: Alboinum Ducem Spoletinum cum ejus Satrapis.
(ſ) *Gretſerus*: & cum eo Satrapas.

voluntatem, constituit Ducem alium in eodem
Beneventano Ducatu, (t) nomine Argis. Et
confestim dirigens Neapolim idem Desiderius
Rex, accersivit Georgium Imperialem Missum,
qui ad vos Franciam directus fuerat; cum
quo nefarie clam locutus est, iniens cum eo
consilium, atque suas Imperatori dirigens Li
teras, adhortans eum, ut suos Imperiales di-
rigat exercitus in hanc Italiam provinciam.
Et ipse Desiderius cum universo Langobardo-
rum Populo professus est, Deo sibi contrario,
auxilium præfatis Imperialibus exercitibus im-
pertire: quatenus ex una parte (u), ipsius ex
ercitus, & ex alia isdem Desiderius cum uni-
verso Langobardorum Populo utrique dimi
cantes, Ravennatium Civitatem comprehen-
dere queant, suamque Imperator, quod Do
minus non permittat, adimplere valeat in
quocumque voluerit voluntatem. (x) Nam &
cor cum eodem Georgio Imperiali Misso con-
stituit, ut (y) dromonorum Siciliæ istorum
in Otorantina Civitate dirigatur, ut tam Græ
ci quàm Langobardi ipsam obsidentes com
prehendere valeant Civitatem, eamque con
cedat Imperatori cum hominibus & facultati-
bus, quæ in ea consistunt, & tantummodo
Ducem illum, atque ejus nutritorem Johan
nem prædicto Regi restituat.

Post verò dissolutionem eorumdem Duca
tuum conjunxit hîc (z) ad nos Romę itidem Lan-
gobardorum Rex. Et cum eo loquentes, ni-
mis eum adhortati sumus, & per sacratissimum
Corpus Beati Petri, atque etiam per tuam à
Deo protectam Excellentiam fortiter illum
conjuravimus, ut Civitates illas, idest (a)
Immulas, Bononiam, Ausimum, & Anconam,
quas nobis præsentialiter, simul per vestros
Missos, idest, Folradum Deo amabilem, Ab
batem & Presbyterum, atque Rodbertum ex
cellentissimæ Christianitati tuæ, & per te
etiam Beato Petro Apostolorum Principi pol
licitus est redditurum, restituere deberet.
Quod minime adquiescere inclinatus est, sed
simulans, ut certe Strofarius varias occasio
nes adhibuit, inquiens, ut si suos, quos illic
Francia habere videtur obsides, reciperet,
tunc in pacis concordia nobiscum conversare
tur.

Unde petimus te, excellentissime fili, &
spiritalis compater, & obnixe deprecamur à
Deo inspiratam eximietatem tuam, ut jubeas
perfectam liberationem Sanctæ Dei Ecclesiæ,
& ejus peculiaris Populi exercere, & ita id,
quod magna animæ tuæ mercede Beato Petro
pollicitus es firmiter permanere; ipsumque
Desiderium Langobardorum Regem fortiter
constringere digneris, ut (b) prolatam à Deo
promissionem Beato Petro protectori vestro
restituere debeat, atque in omnibus adimple
re, ( ) tuique studii sit bene, potentissime
Rex, sicut cœpisti, perficias hanc Sanctam
Dei Ecclesiam, & ejus peculiarem Populum
de hostium incursione eruere, ut, annuente
Deo, certamen benignæ operationis tuæ uber-
rimè fœcundetur: quatenus in die adventus

A Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi
luceas, sicut radiantissimus Sol inter univer-
sos Reges & Potentes, atque merearis ipsam
Sanctam Dei Ecclesiam, & ejus Populum
tuo adminiculo ereptum, divinæ majestati,
absque ulla læsionis sævitia offerre; & tunc
centuplum remunerationis ab eodem Domino
Deo nostro, justo judice, percipere, & vi-
tam æternam possidere merearis.

Conjuro te, fili excellentissime, per omni-
potentem Deum, & ejus Principem Apostolorum
Beatum Petrum, ut benigno intuitu &
libentissimo animo nostras preces (d) audire
jubeas; ut Deus tibi omnipotens in his, quæ
ejus potentiam deprecatus fueris, suæ divini-
B tatis aures inclinet, & victorem te super om-
nes barbaras nationes faciat. Omnes enim
omnino gentes, quæ super faciem universæ
terræ consistunt, compertum habent tuum
certamen, quod ad defensionem Sanctæ Dei
Ecclesiæ adhibuisti, & magnum te, ac præ-
cipuum Regem laudabiliter asserunt. Sed &
nos bonam tuam famam longe lateque prote-
lare atque dilatare non desistimus in eo, quod
certe, post Deum, sicut murum inexpugna-
bilem, tuam firmissimam fidem in nostro pecto-
re conferimus: magnam in te, post Dei præ-
sidium, possidentes spei fiduciam. Quod &
plerumque ob tam tuæ immaculatæ promis-
sionis, fideique meritum consecuti sumus.
C Etenim magnopere præsentes nostros Missos,
idest reverendissimum, & sanctissimum fra-
trem Coëpiscopum nostrum Georgium, atque
dilectum filium nostrum Stephanum Presbyte-
rum, ad vestram à Deo custoditam Excellen-
tiam misimus: dumque vestris Deo amicabi-
libus vestigiis fuerint unà cum (e) Rodberto
fidelissimo vestro Misso præsentati, cuncta
viva voce Christianissimæ (f) Excellentiæ tuæ
quæ acta sunt, & rei exigit meritum, nobis-
que necessaria, intimabunt. Maximo namque
desiderio nostro anhelabat animus, Apostoli-
cas Excellentiæ vestræ dirigere Literas saluta-
tionis ac visitationis, (g) ob causam rerum
eventus significandum, & minime valuimus,
D imminentibus circumquaque Langobardorum
Regis insidiis.

Attamen ecce jam duas Apostolicarum Li-
terarum adsertiones Excellentiæ vestræ clam,
per maximam industriam, misimus. Et igno-
rimus, si ad vos ipsæ pervenerint Literæ.
Unde ambigimus, ne à Langobardis compre-
hendantur. Pro quo & nunc per prænomina-
tos nostros Missos alias vobis Literas misimus,
quasi obtemperantes præfati Desiderii Regis
voluntati (h) suos (i) hospites absolvendum,
& pacem confirmandum. Sed, bone excellen-
tissime fili, & spiritalis compater, ideo istas
Literas (k) tali modo exaravimus, ut ipsi
nostri Missi ad vos Franciam valerent transire;
E quoniam si hoc non egissemus, nulla penitus
ratione per Langobardorum fines transire va-
luissent. Sed susceptis ipsis Literis, earum
seriem nullo modo perficiatis, neque (l) præ-
fatos (m) hospites permittatis parti Lango-
bar-

(t) *Lambecius*: nomine Argisem.
(u) *Idem*: Imperatoris exercitus.
(x) *Idem*: Nam & hoc cum eodem.
(y) *Gretserus*: dromonum.
(z) *Lambecius*: ad nos Romam isdem Langobardorum.
(a) *Gretserus*: Immolam.
(b) *Lambecius*: ut prælatam à Deo.
(c) *Idem*: studii sit, bone potentissime Rex.
(d) *Idem*: audire jubeas.

(e) *Gretserus*: Radberto.
(f) *Lambecius*: Excellentiæ vestræ.
(g) *Idem*: ob causam & rerum eventus.
(h) *Gretserus*: ad suos obsides.
(i) *Lambecius*: suos obsides.
(k) *Muratorius*: Editio Gretseriana habet vocabulum *Litteras* heic & alibi cum duplici *t* scriptum.
(l) *Lambecius*: neque prælatos obsides.
(m) *Gretserus*; obsides.

bardorum restituere. Potius autem conjuramus te, excellentissime fili, & spiritalis compater, per Deum vivum, & Corpus Beati Petri, ut fortiter ipsum Desiderium, vel ejus Langobardorum gentem constringere jubeas, (n) quatenus præfatas, quas pollicitus est, Civitates tuæ mellifluæ Excellentiæ, & per te Beato Petro fautori tuo restituat: quoniam nullam, ut præfatum est, de his, quæ primitus pollicitus est, cum eo firmam valuimus stabilire convenientiam.

Oramus autem omnipotentem Deum, ut pio intuitu de throno majestatis suæ super vos, vestrumque Regnum respiciat, & suâ dexterâ Excellentiam vestram circumtegat, atque in omnibus muniat, & præsentis vitæ cursum salubriter exsequi, & Regni potentiam gubernare permittat per plures annorum metas, unà cum excellentissima, & à Deo servata filia, & spiritali nostra commatre, atque amantissimis vestris, meisque filiis; & gaudeatis de eorum florifero germine, (o) & mittat omnipotens Deus, ut semen vestrum splendidissimum usque in finem Mundi (p) eundum (q) Regni fruatur culmen. Etiam venturo in seculo infinita gaudia cum Sanctis & electis suis vobis concedat, quatenus sicut in præsenti vita, & in futura beatitudine adepti promissam vobis mercedis coronam, cum Christo regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

(r) PRo veræ benedictionis causa direximus vobis Apallateam unam spatam ligatam in gemmis cum balteo suo, annulum unum, habentem (s) isacinthum, storacinum pallium unum habentem Paones. Quam parvam benedictionem petimus, ut, exceptâ injuriâ, suscipere jubeatis. Domino Carolo, & Carlomanno pro magna Apostolica benedictione annulos singulos habentes (t) yacinthos.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Dominum Pippinum Regem directa, pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro Monasterio, quod ei concessit prope Montem Sraptem situm, gratias magnas referendo.

(*Epistola ordine XVI.*)

(u) D*Omno (x) excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Dum divinas Scripturarum historias in nostro memoriali revolvimus, & diversorum Dei electorum merita perpendimus, (y) & vestræ divinæ inspirationis studia in nostræ mentis intuitu conferentes: novum te (z) Gentes Moysen in his diebus refulsisse, præcellentissime fili, & spiritalis compater, com-

A perimus. Ille quidem, ut Israëliticum Populum ex affligentium erueret oppressionibus, à divina Majestate præcepta suscepit. Tu quoque præcellentissime atque eximie Rex, ad liberandam Sanctam universalem Catholicam & Apostolicam Dei Ecclesiam, divinitus es inspiratus. Per illum denique Dominus in Monte Sina, Legis mandata eidem Hebraico Populo observanda tradidit, & lumine eum claritatis suæ illustravit. Per te quoque (a) Redemtor noster, Dei hominumque Mediator, Ecclesiæ suæ, & universo Populo Christiano, ejus pretioso (b) redemto sanguine, pacem tribuit, & ejus Fidei orthodoxæ perfectam contulit defensionem. Et sicut (c)

B idem Moyses legislator abominationes gentium, & culturam dæmonum exterminavit, ita & tu, Christianissime Regum, hæreticorum Schisma, & auctores impii dogmatis respuisti. Pro quo meritò divinæ lumine gratiæ & oleo sanctificationis inter fideles Reges, qui olim Deo placuerunt, unctus, connumeratusque comprobaris. Unde libet certe (d) Psalmigraphi vocem & laudem Excellentiæ vestræ canere: Invenit te Dominus, benignissime Rex, fidelem sibi, & præcepta ejus servantem, & ideo oleo sancto unxit te; & ecce manus ejus auxiliabitur tui, & brachium ipsius confortabit te.

Nec mirum, tam benignissimum Regem

C tanto divino munere esse præornatum, quoniam (e) *Spiritus ubi vult, & in quibus vult, inspirat*. Et profectò in eis inspirat, qui piis fulgent operibus, sicut vestra fulgere dinoscitur Excellentia. Nam qualiter dilectionis vestræ amor erga Beatum Petrum Apostolorum Principem, & circa nostram caritatem fervesceret, licèt solite vestris apicibus atque Responsalibus discurrentibus, excellentissima Christianitas vestra pronunciaverit, nunc tamen per eas, quas in præsenti per harum latorem misistis, Syllabas, amplissime nobis paternitatis vestræ affectum protulistis, significans, bone excellentissime fili, & spiritalis compater, & noster post Deum defensor &

D liberator, firmâ perseverantiâ in amore ipsius Principis Apostolorum, & nostra caritate permansurum. Quod quidem nos securi de vestra immutabilis verbi (f) pollicitatione (g) existerimus. Scimus enim cui credidimus, & certi sumus, omnia, verbis juxta ut asseris, perfici. Quid itaque ex hoc vestræ valebimus rependere Excellentiæ? aut quam vicissitudinem reddere poterimus pro tantis beneficiorum suffragiis, quæ Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Christianorum Fidei inferre præcelsa eximietas vestra dignata est, dum ad referendas gratiarum laudes mens nostra die noctuque provocatur?

Admirandum mihi potius est, & valde stu-

E pendum, quomodo oris mei loquacitas tantorum præsidia beneficiorum proferre queat. Ve-

(n) *Lambecius*: quatenus prælatas.
(o) *Gretserus*: permittat.
(p) *Idem*: idem Regni.
(q) *Lambecius*: idem Regni fruatur culmen.
(r) *Lambecius*: Pro verò benedictionis causa direximus vobis apallaream unam spatham ligatam in gemmis cum balteo suo, annulum unum habentem hyacintum storacinum.
(s) *Gretserus*: hyacinthum.
(t) *Idem*: hyacinthos.
(u) *Idem*: Summ. 25. apud Baronium & Centuriatores.
(x) *Lambecius*: Domino excellentissimo.
(y) *Idem*: & vestra divinæ inspirationis studia.
(z) *Gretserus*: Gentibus.
(a) *Muratorius*: Editio Gretseriana scribit heic & ubique *Redemptor*.
(b) *Idem*: Sic & *redempto* habet textus Gretserianus.
(c) *Lambecius*: isdem Moyses.
(d) *Gretserus*: Psalmo 88.
(e) *Idem*: Johannis cap. 3.
(f) *Lambecius*: pollicitatione existimus, scimus enim cui credimus.
(g) *Gretserus*: extiterimus.

A Veruntamen (*h*) *calicem salutaris accipiam*, *& nomen Domini invocabo*: & crebrò elevatis oculis, & palmis extensis ad æthera, divinam pro vobis indesinenter exposcam clementiam, ut ipse super vos de throno majestatis suæ respiciat, & Regni vestri fastigium foveat, atque immensas vobis de Cœlo tribuat victorias, & omnes barbaras Gentes vestris prosternere dignetur vestigiis, & terminos regalis vestræ potentiæ dilatet. Etenim nos, fili excellentissime, & spiritalis compater, testem proferimus veritatis Deum, in cujus manu (*i*) cor Excellentiæ vestræ (*k*) corrigatur, quod sicut sæpius (*l*) nostri recordationis Dominum & germanum nostrum, Sanctissimum Stephanum Papam, & per eum, cum Sancta Dei Ecclesia confirmatum est, permanentes permanebimus, vestris obtemperantes voluntatibus. Et absit à nobis, quòd (*m*) à vestro quoquomodo separemur amore. Nulla quippe præmiorum datio, nulla promissionis qualitas, nullaque blandimentorum suasio, nos, sicut sæpius diximus, à vestra caritate poterit avellere. Sed peto, & tamquam præsentialiter obsecro mellifluam Excellentiam vestram, ut amplissimam jam fatæ spiritalis vestræ matris Ecclesiæ exaltationem perficere, & firmissimus Christianorum Fidei defensor (*n*) existere jubeas benignissime Regum: quatenus ex hoc memoria nominis vestri usque in finem Mundi, in domo Domini celebretur, & suffragiis Apostolorum & præsentis vitæ prospera, & æternæ beatitudinis vobis tribuantur gaudia.

Interea, excellentissime fili, & spiritalis compater, quia inspiratus à Deo nobis Monasterium illud secus Montem (*o*) Seraptem situm, concedere dignatus es, magnas atque innumerabiles gratiarum actiones eximiæ præcellentiæ vestræ referimus. Sit vobis ex hoc Dominus retributor, & dignam cœlestium præmiorum remunerationem in æterna beatitudine concedat. Nos quidem Monasterium illud ad laudem Dei & vestri memoriam, atque æternam mercedem, nostro Monasterio dinoscimur subdidisse, ut quia Beatus Silvester, Christianorum illuminator Fidei, cujus Sanctum Corpus in nostro Monasterio à nobis reconditum requiescit, (*p*) ibidem persecutionem Paganorum fugiens, conversatus est, justum prospeximus, ut sub ejus fuisset ditione, ubi ipsum reverendum requiescit Corpus. Verumtamen nos penitus neque de hoc Monasterio, neque de aliis quibuslibet causis, extra vestram voluntatem, nequaquam quippiam agere volumus: sed ut vestra fuerit voluntas, de omnibus agere studemus. Itaque noster animus lætus effectus est, & Deo omnipotenti, & vestræ præcellentiæ, immensas retulimus grates, in id, quòd nostram deprecationem à Deo inspiratus exaudire dignatus es, benignissime Rex, & Præceptum regalis vestri culminis nostro Monasterio dirigendum pronuntiastis, firmam ejusdem sanctæ mansionis procurantes, nunc & retro cunctis temporibus. Unde petimus divinam clementiam, ut sicut vos nostrum Monasterium, quod ad laudem Dei constitutum est, confirmare studetis, ita vestrum Regnum confirmare super omnes Gentes dignetur. (*q*) Et pro certo sciat excellentissima Christianitas vestra, quòd omnes illos Martyres, qui pro Christi nominis confessione suum fuderunt sanguinem, & in eodem sancto requiescunt Monasterio, firmissimos apud divinam clementiam habebitis intercessores.

De eo verò, quod innotuistis de nostra vos certos effici sospitate, nos, bone & Christianissime Rex, in eo sospes fatemur esse, dum vestri corporis sospitas, & salus animæ opitulante Deo adcrescit, quia vestra salus, nostra

B est prosperitas. His prælibatis, omnipotens rerum Opifex & arbiter Deus suâ vos gratiâ foveat, & longævo ac prospero senio regalis culminis sceptra, cum magna victoria vobis, cum dulcissima vestra conjuge, præcelsa filia, & spiritali nostra commatre, Domina Bertrada eximia Regina, & amantissimis vestris, nostrisque filiis, eximiis Regibus & Patriciis Romanorum Domnis Carolo & Carlomanno, nec non & Domna Gisla nobilissima, perfrui concedat, & cœlestis Regni gaudia cum Sanctis & electis possidenda per infinita tribuat secula. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

C *Item exemplar Epistolæ ad Domnum Pippinum Regem, per Witmarum, & Gerbertum Abbates, atque Hugbaldum directa, in qua continentur gratiarum laudes pro exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & postulans, ut semper in id decertare debeat.*

(*Epistola ordine XVII.*)

(*r*) DOmno excellentissimo filio, *& nostro spiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Dum tam maxima nobis dilectionis affectio (*s*) erga vestram à Deo inspiratam Excellentiam insistit, ob hoc, sicut terra sitiens imbriferam desiderat inundationem, ita quoque

D vestræ prosperitatis cupimus addiscere nuntia, & de vestris profectibus gratulari. In hoc quippe nostri cordis est devotio exultandi, dum nimirum salus vestra nostra existit securitas. Interea duarum Epistolarum series, quas vestra direxit Excellentia, cum magno suscepimus amore: unam quidem primitus per Petrum primum Defensorem Missum vestrum, & aliam per præsentes fidelissimos vestros Missos Widmarum scilicet & Gerbertum Abbates, atque Hugbaldum virum illustrem. Quarum paginam indagantes, mox liquidò cuncta in eis exarata didicimus, immensas protinus Deo nostro referentes laudes, qui nos de

E vestra annuit sospitate gratulari.

In ipsis denique vestris relationibus (*t*) solitam nobis à Deo illustratæ mentis vestræ constantia protulit spei fiduciam, in id, quod impensius innotuistis, atque sedulo ex operibus

(*h*) *Muratorius*: Psalmo CXV. vers. 13.
(*i*) *Lambecius*: cor Excellentiæ vestræ corrigitur, quod sicut sæpius nostri cordis puritatem propalavimus, in vestro amore & caritate, quemadmodum inter vos, & sanctæ recordationis dominum & Germanum meum.
(*k*) *Gretserus*: regitur.
(*l*) *Idem*. nostræ.
(*m*) *Lambecius*: à vestro quomodo separemur amore.
(*n*) *Idem*: existere Iubeas.
(*o*) *Gretserus*: Soracten.
(*p*) *Lambecius*: pridem persecutionem.
(*q*) *Lambecius*: Et pro certo credat.
(*r*) *Gretserus*: Summarium 24. *apud* Baronium & Centuriatores.
(*s*) *Lambecius*: erga vestram à Deo institutam Excellentiam.
(*t*) *Idem*: solita nobis.

bus demonstratis, vos totis viribus pro exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Fidei orthodoxæ defensione esse decertaturos; & in ea vos fidei pollicitatione permansuros, quam Beato Petro Principi Apostolorum, nostroque prædecessori, Domino & germano beatissimo Stephano Papæ spopondistis. Unde & in nostra fixi caritatis connexione, ideo juxta id quod petendo direximus, (u) præfatos ad nos vestros videmini direxisse Missos, qui apud Langobardorum imminerent Regem pro diversis Sanctæ Dei Ecclesiæ causis ac justitiis, & in nostro assisterent solatio. Pro quo innumerabiles vobis referimus gratiarum actiones, quia verè, sicut benignus Rex, & amator spiritalis matris vestræ Sanctæ Dei Ecclesiæ agere, Christianissime fili & spiritalis compater, semper studes, & profectò erit tibi Dominus & in præsenti & futuro dignus retributor.

Nos itaque, excellentissime & à Deo protecte fili, & spiritalis compater, firmi in vestræ caritatis dilectione permaneamus. Nec est ulla rerum aut temporum qualitas, quæ nos à vestra caritate possit separare: quia tu verè noster, post Deum, constas esse defensor & auxiliator. (x) Præfati denique Missi vestri, in nostri præsentia, cum Langobardorum Missis, nec non & Pentapolensium, ac singularum nostrarum Civitatum hominibus adsistentes, comprobatio coram eis facta est de habitis inter utrasque partes aliquibus justitiis, videlicet de peculiis inter partes restitutis. Nam de finibus Civitatum nostrarum, & patrimoniis Beati Petri, ab eisdem Langobardis retentis atque invasis, nihil usque hactenus; etiam ea, quæ primitus reddiderant, denuo invaserunt. Unde constitit, ut nostri, ac singularum nostrarum Civitatum Missi, ad Desiderium Langobardorum Regem, cum vestris progredi debeant Missis, ut in eorum, atque prædicti Regis præsentiâ, pro eisdem finibus ac patrimoniis comprobatio fiat, nobisque omnia (y) juxta pactionem restituantur. Et nescimus, quid ex hoc proveniendum sit: (z) attamen per præfatos vestros Missos rei agnoscere potestis meritum.

Quapropter quæsumus à Deo protectam Excellentiam vestram, ut ita disponere jubeat, ut plenarias de omnibus recipere valeamus justitias, quatenus idem Beatus Petrus Princeps Apostolorum, pro cujus restituendis luminariis decertatis, firmissimus vobis sit auxiliator, ac optimus remunerator. Nam pro certo agnoscat excellentissima Christianitas vestra, quia si nobis præfati Civitatum nostrarum ab eisdem Langobardis invasi fines, atque patrimonia reddita non fuerint, etiam ea, quæ primitus reddiderunt, invadere insidiabuntur. (a) Quapropter obnixe petimus Christianitatem vestram, ut vestra solita dispositione exaltatio Sanctæ Dei Ecclesiæ, & istius à vobis redemtæ cum Dei virtute provinciæ salus (b) proficiat, & ea omnia, quæ vestri Missi sibimet à vestra præcellentia injuncta habuerunt, nobis liquidius referentes,

A ad singula eis responsum reddidimus, & de omnibus eos informavimus, quæ vestræ Excellentiæ referre debeant, nostrasque petitiones vestris studeant intimare auribus.

His itaque præmissis, Dei nostri omnipotentis exoramus clementiam, ut suâ vos fovere annuat gratiâ, (c) & præsenti temporali Regno in longo senio cum prosperitate corporis, & salute animæ perfrui concedat, unà cum dulcissima conjuge vestra excellentissima Regina, filia & spiritali nostra commatre, atque præcellentissimis vestris natis; & cœlestia quoque vobis per infinita tribuat præmiorum gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custo- B diat.

Item exemplar Epistolæ ad Domnum Pippinum Regem, per Haribertum Abbatem & Dodonem Comitem directa, in qua continentur uberrimæ benedictiones, & gratiarum laudes, de firmo atque incommutabili pollicitationis verbo, & magnâ perseverantiâ in perficiendis causis Apostolicis.

(*Epistola ordine XVIII.*)

(d) DOmno (e) *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus* C *Papa*. Explere verbis nequeo, & penitus sermonum copiâ nequaquam complecti valeo, excellentissime, & revera præ cunctis Regibus Christianissime atque orthodoxe Regum, quantum vestris meritis, atque piis operationum studiis intima cordis nostri affectio congratulatur: dum profectò vestro certaminis præsidio, & laborioso conamine Sancta Catholica & Apostolica universalis mater vestra spiritalis Dei Ecclesia, atque orthodoxa Christianorum Fides, ab æmulorum impugnationibus ereptæ consistunt, & ex hoc indesinenter ab omni Populo Christiano Redemtori nostro Domino Deo, ob tantum vestrum adhibitum beneficii adminiculum, referuntur D laudes. Unde meritò, Christianissime fili, & spiritalis compater, cum egregio illo ac præcipuo David Rege, & eximio Prophetarum, in cœlestibus Regnis participem te esse, omnium fidelium mentes opinantur; quia sicut honorum infulis, ita quoque & operibus eum coæquare Christianitas tua, ut ipsa rei operatio demonstrat, dinoscitur. Ille enim, ereptâ ab Allophylis Arcâ Domini, cum hymnis & canticis spiritalibus, ac Psalterii modulatione exultans, jocundabatur. Tu quoque, fundamentum & caput omnium Christianorum, Sanctam Romanam redimens Ecclesiam, & universum ei subjacentem Populum, gaudens atque lætus omnipotenti Domino Deo nostro E offerre satagis; cujus tam pii operis perfectionem adhibere benignitas tua anhelat, de quo jam repositam sibi in cœlestibus arcibus præmiorum credat consequi remunerationem.

Properantes siquidem ad vos præsentes solertissimi viri, Haribertus scilicet Abbas, & Dodo

(u) *Lambecius*: prælatos ad nos.
(x) *Idem*: Prælati denique Missi.
(y) *Idem*: juxta pacti seriem restituantur.
(z) *Idem*: attamen per prælatos vestros Missos.
(a) *Idem*: Quapropter obnixe petimus Christianitatem vestram, ut solite nostris petitionibus ea ipsa nobis restitui disponendum adcommodare jubeatis, ut vestra solita dispositione exaltatio Sanctæ Dei Ecclesiæ.
(b) *Idem*: proficiat. Etenim ea, quæ vestri Missi sibimet.
(c) *Idem*: & præsens temporale regnum in longo senio.
(d) *Gretserus*: Summarium 23. Baronio & Centuriatoribus.
(e) *Lambecius*: Domino excellentissimo.

A Dodo Comes, excellentiæ vestræ fidelissimi Missi, detulerunt nobis mellifluas, & nimis desiderabiles syllabas à vestra præclara Christianitate directas. In quibus solicite nos de vestro firmo atque incommutabili pollicitationis verbo, & magnæ perseverantiæ constantia, quam in Apostolicis perficiendis causis gerere videmini, certos reddere studuistis. Quod quidem nos firmi & omnino freti in vestro benigno proposito existimamus, finetenus vos permansuros, atque perfectius operaturos, id quoque Beato Petro Apostolorum Principi, & prædecessori domino & germano nostro Beatissimo Stephano Papæ, polliciti estis.

B Interea ferebatur & hoc in eisdem vestris apicibus, quia id, quod & præsentes de parte vestra velle habuistis nos debere cognosci, scriptis nequaquam propalare maluistis, sed informatis de singulis causarum meritis (f) præfatis vestris Missis, quæ nostris deberent innotescere auribus, & ita, juxta, ut à vobis præcepta sunt, egerunt, quod quidem nos de singulis, quæ nobis affati sunt, liquidius eos informavimus, qualiter nostram vitam à Deo institutæ regali vestræ potentiæ enarrare debeant. Sed & præsentes nostros Missos, idest Johannem Subdiaconum & Abbatem, atque Petrum primum Defensorem cum eis pariter ad vestra regalia direximus (g) vestigia, quos C petimus benigne solite à vobis suscipi, & quicquid vobis ex nostra informatione enarraverint, eis in omnibus (h) credere jubeatis; ut perfecta liberatio atque exaltatio Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Fidei orthodoxæ proficiat, & meritò repositam vobis in Cœlo consequamini mercedis coronam.

Deus autem omnipotens, qui in excelsis habitat, & humilia respicit, qui palmo universum Mundum concludit, in cujus manu omnia Regnorum jura consistunt, suâ vos protegat gratiâ, & è cœlo vobis tribuat victorias, subjiciens vestro regali culmini omnes adversantes Nationes, ævisque ac prosperis temporibus Regni gubernacula faciat possidere, D cum excellentissima filia & nostra spiritali commatre, benignissima Regina, dulcissima vestra conjuge, atque amantissimis natis Carolo & Carlomanno, excellentissimis Regibus, & nobilissima atque excellentissima Gisla, nostra spiritali filia; & vitam æternam per infinita vobis tribuat secula possidendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem, per Wilharium Episcopum, atque Dodonem, & Wichardum directa, in qua continentur gratiarum actiones, ejusdem Papæ fidei constantia, ut nullus favor, aut terror ab ejus amore aut caritate ullo modo possit separare.

(*Epistola ordine XIX.*)

(i) DOmno (k) *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Ad referendas gratiarum actiones præclaræ ac benignissimæ Excellentiæ vestræ ob tanta beneficii præsidia Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Populo Romano à vobis irrogata, nullus, ut opinor, humanus sermo sufficere valebit. Neque præmia hujus Mundi ad horum remunerationem digna vobis possunt rependi. Verumtamen est Unus Solus & Verus in tribus (l) substantiis consistens Deus, (m) qui justa regni gaudia, & victoriæ triumphum impertire ac retribuere Excellentiæ vestræ potest. Interea properantibus ad nos, Wilchario scilicet, Reverendissimo fratre, & Coepiscopo nostro, atque Dodone, & (n) Wichardo, fidelissimis vestris Missis, obtulerunt nobis mellifluos ac desiderantissimos apices, à vestra destinatos Christianissima Excellentia. Quos intuentes, protinus agnita prosperitate vestræ lætitiæ, solito exultationis gaudio interna pectoris nostri viscera redundaverunt, Creatorem nostrum, ac Redemtorem Dominum Deum continuis precibus implorantes, ut diu nos ac sedulo de vestra ampliori jocunditate, & cœlitus de hostibus concessis vobis victoriis annuat gratulari. At verò, excellentissime fili, & spiritalis compater, per easdem honorabiles vestras syllabas certissimam nobis solitæ pollicitationis fiduciam contulistis; vos firmâ perseverantiâ decertaturos fore, ad defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & universi Populi Romani atque totius Provinciæ, juxta id, quod polliciti estis Beato Petro & ejus Vicario, Prædecessori nostro, Domno & Germano meo, sanctæ recordationis Stephano Papæ, & in ea vos sponsionis fide permansuros. Et profectò, bone Christianissime, atque à Deo institute Rex, magna nobis in hoc credendi materia (o) conferitur. Nec enim aliter fidelium mentes æstimare possunt, quàm id, quòd crebrò à vobis pio intuitu operatum cernimus, & rei experimento didicimus.

Sed bene potentissime Regum, ecce nunc opportunitas, ecce necessitatis dies cogunt, & tempus ingruentis meriti exigit, ut Sanctæ Dei Ecclesiæ, & huic à vobis liberatæ Pro- E vinciæ solitè subvenire atque succurrere quantocyus Christianitas vestra satagat. Nos quippe post Deum, & ejus Sanctam Gloriosam Genitricem atque sacratissimos ipsius Apostolos, fiduciam nostram alibi non habemus, nisi in

(f) *Idem*: prælatis vestris Missis, quæ nostris debent innotesci auribus,
(g) *Gretserus*: fastigia.
(h) *Lambecius*: credere jubeatis, & ita de causis Sanctæ Dei Ecclesiæ, sicut magnam post Deum in vobis habemus fiduciam, disponere jubeatis, ut perfecta liberatio & exaltatio Sanctæ Dei Ecclesiæ.

(i) *Gretserus*: Summarium 21. Baronio & Centuriatoribus.
(k) *Lambecius*: Domino excellentissimo.
(l) *Gretserus*: personis.
(m) *Lambecius*: qui justa cælestis regni gaudia.
(n) *Gretserus*: Vulchardo.
(o) *Idem*: confertur.

in vestram præclaram Excellentiam. Tu enim post Deum, nobis refugium, Christianissime Rex, tu cum Dei brachio firma existis opitulatio, & vestri à Deo confortati Regni securitas, nostra est immensa lætitia: (p) quo tam nos, quàmque universus noster Populus istius Provinciæ (divina vos satisfaciat Majestas) firmi atque immobiles in vestra caritate ac dilectione, & Regni vestri à Deo protecti Francorum, amoris constantia permanentes permanebimus, & nullus nos poterit humanus (q) favor aut terror à vestri amoris dulcedine, caritatisque affectu separare, (r) sed una nobis erit in vestro amore vita ac mors.

Quia verò innotuistis, ob hoc vos præsentes direxisse Missos, ut agnoscere per eos valuissetis, utrum nobis à parte Langobardorum plenariæ factæ fuissent justitiæ, an non; ipsi omnino causæ meritum comperti sunt, & callidam ve sutiam, atque solitè falsiloquam propositionem eorumdem vestrorum, nostrorumque æmulorum agnoverunt, eisque ad vos revertentibus, Deo propitio, vestris propalabunt in auribus. Eis denique de singulis, quæ à vobis injuncta habuerunt, nobis referentibus, singillatim de omnibus responsum reddentes, in eorum posuimus ore, quæ vestræ Excellentiæ suggerere debeant, effectum ex hoc à vestra adipisci optantes Excellentia.

Deus autem omnipotens de throno suæ Majestatis super vos, Regnumque vestrum, atque amantissimam conjugem, præcelsam Reginam, spiritalem verò commatrem nostram, atque dulcissimos, vestros quidem carnales natos, nostros autem spiritales filios, necnon & super universum Francorum Populum, respicere dignetur, & sui brachii dexteram super vos extendat, atque victorias vobis de cœlo concedat, omnesque adversarios ante faciem vestram prosternat, & præsentem vitam longo senio, & futuram Beatitudinem vobis tribuat perenniter possidendam. Deus te incolumem custodiat excellentissime fili.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Dominum Regem Pippinum, per Flavinum Capellanum, & Johannem Subdiaconum & Abbatem, atque Pamphilum Defensorem Regionarium Sanctæ (s) Ecclesiæ directa: in qua continentur gratiarum actiones, de ipsis Missis, qualiter unà cum Missis Imperialibus honorificè suscepti sunt &c.

(*Epistola ordine XX.*)

(t) D*omno (u) excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Cum regalis potentiæ culmen plus fidei virtute, quàm bellatorum armis videatur præsidio, & fortitudine circumtegi, quid mirum, excellentissime & verè orthodoxe Regum, si studiorum vestrorum (x) conatus, ad protegendum Dei institutionem, ac Fidei Christianorum censuram, impensius imminere non desistat, & ob hoc & cœlestis vobis victoria

A datur, & prospera à Redemtore nostro credite præcellentiæ vestræ fore largitura. Remeantibus siquidem ad nos Missis nostris, quos ad vestram præclaram Excellentiam directos habuimus, Johanne videlicet Subdiacono & Abbate, atque Pamphilo Defensore Regionario spiritalis Matris vestræ, Sanctæ nostræ Ecclesiæ, unà cum vestro Misso, Flavino Capellano, attulerunt nobis honorabiles & nimis desiderabiles Christianitatis tuæ Literas. Quas cum nimio jocunditatis gaudio suscipientes ac relegentes, protinus earum adsertio, tamquam suavitatis fragrantia, nos adficiens, ac salutaris providentiæ fomento medens, lætos effecit.

B Porrò Christianissime Rex, amantissime fili, & spiritalis compater, innotuit benignitas vestra, qualiter nostri ac Imperatoris Missi à vobis suscepti sunt, & quemadmodum illis de singulis, quæ præclaro culmini vestro affati sunt, respondere studuistis, eos pro amore Fautoris vestri Beati Petri nequaquam suscipi, aut illis responderi adquiescentes absque nostrorum Missorum præsentia. Sed & ipsi nostri Legati ea ipsa nobis retulerunt. Unde licèt nos ob tantam cordis vestri sinceram affluentiam, quam erga spiritalem Matrem vestram, Dei Ecclesiam, & nostram fragilitatem habere videmini, digna rependere non valemus. Est tamen Protector vester Dominus

C Deus noster, qui vos regnare jussit, & Sanctam suam Ecclesiam ad defendendum vobis commisit, qui dignam præmiorum in præsenti ac futura vita præcellentiæ vestræ rependere potest remunerationem.

Itaque & Literas, quas vobis, simulationis ac illusionis causâ, ipsi Imperiales Missi attulerunt, nobisque à vobis directas suscipientes, earum agnovimus seriem, & omnino in hoc benignitatis vestræ pia consideratio exultationis lætitiam nobis intulit, quia verè constat, non pro humano favore, sed pro Dei timore, ita vos peregisse. Sed & ea, quæ præfati nostri Missi cum Imperialibus Missis de observatione Fidei orthodoxæ, & pia Pa-

D trum traditione, in vestri præsentia disputantes altercati sunt, nobis liquidius per eadem vestra scripta innotuistis, simulque & exemplar Literarum, quas præfato Imperatori direxistis, (y) responsionis quippe modum, & solutionem petitionum, de his, quæ ab eo vobis intimata sunt, nobis dirigere à Deo illustrata Excellentia vestra annuit: verum etiam & quemadmodum eisdem Imperialibus Missis responsum reddidistis, (z) & unum ex eis (a) Anthi nempe Spatarium cum vestris Missis regiam direxistis Urbem, & alium, videlicet Synesium Eunuchum, apud vos detinuistis: simili modo nobis minutius intima-

E stis. Agnitisque omnibus à vobis pro exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Fidei orthodoxæ defensione, peractis, lætati sumus gaudio magno, & ita nobis placabilia existunt, sicut certè, non hoc humano consilio, sed Dei providentiæ intuitu, vos talia egisse ac respondisse ambiguum non est. Verè enim, Domine Rex, fili Christianissime, & spiritalis

(p) *Lambecius*: quoniam tam nos, quamque universus noster Populus.
(q) *Idem*: favor atque terror.
(r) *Idem*: sed una nobis in vestro.
(s) *Idem* Ecclesiæ directæ.
(t) *Gretserus*: Summarium 22. Baronio & Centuriatoribus.

(u) *Lambecius*: Domino excellentissimo.
(x) *Idem*: conatus, ad profligandum, Dei institutionem.
(y) *Lambecius*: responsionis quippe modo &.
(z) *Idem*: & unum ex eis Anthinum nempe.
(a) *Gretserus*: fortè, Antimum, seu Anthymum.

A lis compater, spiritus Dei intimi cordis tui illustrat piam considerationem, & qui Spiritus Sancti gratiâ redundat, non aliis, nisi quæ spiritalia sunt, exuberat, quoniam cor potentiæ vestræ in manu Dei consistens, in suo procul dubio illud inclinat beneplacito.

Direxistis siquidem nobis per eadem vestra scripta significantes, quòd nulla suasionum blandimenta, vel promissionum copia vos posset avellere ab amore & fidei promissione, quam Beato Petro, Principi Apostolorum, & ejus Vicario Prædecessori & Germano nostro sanctæ recordationis Domno Stephano Papæ solliciti estis: sed in ea ipsa vos caritate & sponsionis fide tenus fore permansu- B ros. Et quidem nos, præcellentissime Regum, experimento comperimus, & operibus comprobavimus, vos firmâ atque robustissimâ constantiâ in ea ipsa sponsione in finem permanere; & in vobis confidimus, quòd si universi mundi thesaurorum copia (b) in conspectu vestro offeratur ac tribuatur, nullo modo in aliam partem vestram firmam, & à Deo impulsam mentem (c) declinare, inflectereque valebit, quoniam vos omnipotens Dominus præ cunctis Regibus seculi elegit, & in vobis complacuit, ut vestro certamine C Sancta universalis Dei Romana Ecclesia, & caput omnium Ecclesiarum, ac firmamentum Fidei Christianæ, ab impugnatorum insidiis liberata exstitisset, & illud, quod à constitutione seculi Dominus per vos perfici decrevit, ecce mirabiliter operatum est.

Unde magnam post Deum in vestro regali culmine spei fiduciam habemus, quod perfectius ipsa Sancta Dei Ecclesia, atque hæc miserrima & afflicta Provinciola, à perfidia inimicorum liberetur, quia antiquus Humani Generis hostis non desinit inimicorum corda pulsare, ut suas jaculentur solitè insidias. Sed bone orthodoxe Rex, tuo solito certaminis D præsidio, eorum cum Dei virtute (d) stude confringere malitiam, ut Sancta Dei Ecclesia & Populus ejus peculiaris perfectius ab inimicorum sævitia liberetur, & meritò suffragiis Apostolorum circumsepti, mercedis vobis in cœlo repositam coronam consequi mereamini. Direximus itaque Excellentiæ vestræ juxta, ut intimastis, signum nostrum per præsentem Missum vestrum.

Interea & hoc innotescimus Christianitati vestræ, quod jam sæpius nos petisse dinoscitur (e) Tassilo Bavariorum Dux, ut nostros Missos ad vestram præclaram Excellentiam dirigi annuissemus, ut ea inter vos provenirent, quæ pacis sunt. Unde nos data occasione libentissimè nostros Missos, ideft Philippum dilectum filium nostrum Presbyterum, (f) atque Ursum nostrum etiam fidelem ad vestri præsentiam visi sumus direxisse, transa- E cto Majo mense; eo videlicet modo, ut qualiter vestra fuisset voluntas, ita peragere debuissetis. Et properantibus ipsis nostris Missis usque Ticinum, adversa suspicione arreptus Desiderius Langobardorum Rex, minimè eos permisit ad vestram à Deo conservatam Excellentiam (g) pertransire; tamen & easdem Literas, quas vobis dirigebamus, infra hæc nostra scripta Christianitati vestræ transmisimus. Itaque & hoc à Deo protectæ Christianitati vestræ aptum duximus intimandum. Quod relectis Imperialibus Literis, vobisque (h) defertis (i) per præfatos Anthi Spatarium & Synesium Eunuchum, quas nobis ob earum seriem intuendam, pro amore Beati Petri, Fautoris vestri, dirigere dignati estis, repetimus ei adnexum, quod vestri ac nostri homines, qui ipsas Imperiales syllabas, quæ vobis nobisque directæ sunt, vel diriguntur, interpretantur non juxta, ut ibidem exaratum est, sed aliud pro alio falsè interpretari (k) audent: & Missi, qui inter partes properant, non sicut illis injungitur, sed acceptilationis præmio corrupti, alia pro aliis deferunt. Et in hoc perpendat vestra Excellentia, quanta est inimicorum malitia, dum contra animas eorum, non quæ veritatis sunt, sed per hanc occasionis versutiam iniqua proferunt mendacia in id, quod nec suis nec vestris, ac nostris credant Missis. Dum & vos satisfacti estis de vestris hominibus, simili modo & nos de nostris, quòd nullo modo hoc agere penitus præsumant.

Satisfaciat omnipotens Deus, qui cordis ac renum scrutator est, mellifluum cor Excellentiæ vestræ, quod nequaquam nostrum quispiam, ut ipsi adserunt, talia agere perpetravit. Sed in hoc vehementer (l) idem Imperator irascitur, & occasionis versutias adhibet, pro eo quod nequaquam siluimus ei prædicandum ob constitutionem Sanctarum Imaginum, & Fidei orthodoxæ integritatem. Nam illud in ipsis suis (m) apicibus adserunt, quòd dilectus filius noster Christophorus Primicerius & Consiliarius, sine nostra auctoritate nobis quasi ignorantibus, suggestiones illas, quas sæpius ei direximus, fecisset, & alias pro aliis ejus ac vestris Missis relegisset. Et in hoc testem & judicem proferimus Deum, quòd ita nequaquam est. Nihil enim ipse noster Consiliarius extra nostram voluntatem aliquando egit, vel agere præsumsit: quoniam nostri Prædecessoris ac Germani, Domni Stephani Papæ, simul & noster sincerus atque probatissimus fidelis exstitit, & in omnibus existit. Et satisfacti sumus de ejus immaculata fide, & firma cordis constantia: & ob hoc credimus, illud, quod nobis falsè profertur, non improperium, sed bravii corona nobis à Deo computatur: & idcirco utrisque nobis Dominus adjutor est, & non timebimus, quid nobis faciat homo. Habebimus enim, post Deum, & clypeum protectionis, & arma virtutis, vestram à Deo illustratam præclaram Excellentiam. At verò Christianitas vestra suos jubeat inquirere Missos, & in omnibus vos satisfaciatis, quoniam mendacium contra nos idem adseruit Imperator, eo quòd eam direximus suggestionem, eis relegentes pariter cum ipsis, (n) quæ direximus & confirmavimus, tamen & ejus exemplar à nobis vobis directum apud vos habere videmini. His

(b) *Lambecius*: in conspectu vestro afferatur.
(c) *Idem*: declinare, conflectereque valebit.
(d) *Idem*: stude confringendum malitiam.
(e) *Idem*: Tassilo Bajuariorum Dux.
(f) *Idem*: atque Ursum, Consiliarium nostrum, & fidelem.
(g) *Idem*: pertransire gradiendum;tamen & easdem Litteras.
(h) *Gretserus*: delatis.
(i) *Lambecius*: per prælatos Anthinum Spatharium.
(k) *Idem*: audent; sed Missi, qui inter.
(l) *Lambecius*: iidem Imperator.
(m) *Idem*: apicibus adseruit.
(n) *Idem*; quæ direximus confirmavimus.

His præmiſſis, flexis poplitibus, unà cum universa plebe Dei, (o) polorum cœlorum opificem Dominum Deum verum exoramus, ut nobis præſentis vitæ longævitatem cum magna de hoſtibus victoria concedat, & æterna gaudia tam Excellentiæ veſtræ, quàmque Chriſtianiſſimæ Reginæ, filiæ & ſpiritali noſtræ commatri, amantiſſimæ veſtræ conjugi, atque dulciſſimis natis excellentiſſimis Carolo & Carlomanno Regibus Francorum & Patriciis Romanorum largiri dignetur. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem, per Petrum Presbyterum directa: in qua continetur (p) Abbaſciatum Remedii Epiſcopi, (q) & Audecarii (r) Comitis, qualiter juſtitias Beati Petri Apoſtolorum Principis apud Deſiderium, quondam Regem (ſ) ex parte receperit, & reliquas juſtitias faciendum pollicitus eſt.

(*Epiſtola ordine XXI.*)

(t) D*Omno excellentiſſimo filio, & noſtro ſpiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Qui Excellentia veſtra merito bonorum operum, ſuperno examine, fuerit comprobata, ipſis jam in manifeſto rerum exhibitarum effectu demonſtratum eſt: dum nimirum, adepta deſuper Divinæ Sapientiæ participatione, regalis faſtigii ſceptra cœleſti benedictione conſtet (u) effectius promeruiſſe. Unde cùm ſibi hanc ab omnipotente Deo gratiam miſſam eximietas veſtra non ambigit, profectò ei placere, qui eam contulit, totis intendit niſibus, & pro ejus, quam ſuo eruit, divino nutu, certamine, ſcilicet Sanctæ univerſalis Eccleſiæ, & exaltationis vigore, decertare non deſiſtit cordis ſui oculis à Deo protegenda eximietas veſtra, adhibens illa, quæ ſibi, pro hujuſcemodi laboris fructu, à Beato Apoſtolorum Principe Petro, cœlorumque Regni clavigero, ætherea promiſſa ſunt præmia. Ubi jam non humana inter homines gloria, ſed inter Angelos, divina numquam amittenda felicitate gaudetur. Exſultaque & lætare feliciſſime Rex, quia tuo, annuente Deo, certamine, Sancta ſpiritalis Mater veſtra, univerſalis Dei Eccleſia, ab æmulorum inſidiis erepta atque exaltata triumphat. Fideſque orthodoxa tuo zelo, & fortitudinis brachio illibata ab hæreticorum jaculis conſiſtit.

Pro quo beatus & juſtus effectus es in omnibus operibus tuis, fili dulciſſime & ſpiritalis compater victorioſiſſime, eximieque Rex. (x) Innoteſcimus ſiquidem præcelſæ Chriſtianitati veſtræ, quòd nuper dum ad nos (y) conjunxiſſent fideliſſimi veſtri, ſcilicet à Deo amabilis Remedius veſter, atque (z)

A Autharius glorioſiſſimus Dux, conſtitit inter eos, & Deſiderium Langobardorum Regem, ut per totum inſtantem Aprilem (a) menſis iſtius XIII. Indictionis, omnes juſtitias Fautoris veſtri, Beati Petri, Apoſtolorum Principis, omnia videlicet patrimonia, jura etiam & loca, atque fines, & territoria diverſarum Civitatum noſtrarum Reipublicæ Romanorum, nobis pleniſſimè reſtituiſſet. (b) Unde ex parte quidem eaſdem juſtitias nobis idem Langobardorum Rex feciſſe dinoſcitur, & reliquas omnes juſtitias ſe profitetur, atque omnino ſpondet nobis eſſe facturum. Quapropter impenſius nos (c) præfatus Deſiderius Langobardorum Rex obſecratus eſt, ut B veſtræ à Deo protectæ Excellentiæ noſtris Apoſtolicis relationibus intimare debuiſſemus. Et ecce ſicut noſtro, poſt Deum, Liberatori, hoc ipſum eximiæ atque ſublimiſſimæ, à Deo protectæ, Chriſtianitati veſtræ per has Apoſtolicas noſtras innotuimus ſyllabas. Dirigentes magnopere ad veſtram à Deo inſpiratam præcelſam ſublimitatem præſentem dilectum filium noſtrum Petrum Presbyterum, quem petimus, benigno ſolitè aſpectu à vobis ſuſcipi, & cum effectu atque proſpero nuntio, de perfecta, plenariaque juſtitia diverſarum cauſarum Fautoris veſtri B. Petri Apoſtolorum Principis, ad nos remeandum abſolvere dignemini. Si verò in ea, (d) quæ præfa- C tus Deſiderius Rex, vel ejus Langobardorum gens, profitentes pollicentur, permanſerint ſponſione, nobiſque omnia, ſecundùm ut conſtitit, & (e) pactorum fœdera continent, reſtituta ab eis nobis fuerint, tunc à Deo conſervandæ Excellentiæ veſtræ meritum intimantes (f) innoteſcemus ei.

Unde obſecrantes petimus, & obnixe deprecamur, immo & conjuramus te, excellentiſſime atque Chriſtianiſſime Rex, amantiſſime fili, & ſpiritalis compater, per omnipotentem Deum, & Beatum Petrum, qui te in Regem unxit, ut perfectius ea, quæ pertinent ad exaltationem, & ad (g) ampliatam liberationem Sanctæ Dei Eccleſiæ, & iſtius D à vobis redemtæ Provinciæ, ſicut Beato Petro, & noſtro prædeceſſori Pontifici Sanctæ recordationis Domno & germano noſtro Beatiſſimo Stephano Papæ polliciti eſtis, cuncta perficere, & adimplere jubeatis: quatenus promiſſam & expoſitam vobis mercedis coronam de manu omnipotentis Dei noſtri miſericordis, ut ſua vos circumtegat gratia, unà cum dulciſſima conjuge, excellentiſſima Regina, filia & ſpiritali noſtra commatre, atque amantiſſimis natis, (h) ideſt, præcelſis Regibus, & præſentis Regni culmen, & triumphum victoriæ poſſidere, & æterna gaudia in cœleſtibus regnis cum Sanctis perfrui concedat. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſu- E perna cuſtodiat.

Item

(o) *Idem*: polorum ac tellurum opificem Dominum Deum noſtrum.
(p) *Gretſerus*: Legatio.
(q) *Idem*: & Andegarii.
(r) *Lambecius*: & Audegarii Comitis.
(ſ) *Idem*: ex parte receperunt.
(t) *Gretſerus*: Summarium 20. Baronio & Centuriatoribus.
(u) *Gretſerus*: efficacius.
(x) *Lambecius*: Indicamus ſiquidem.
(y) *Gretſerus*: perveniſſent.

(z) *Idem*: Andegarius.
(a) *Lambecius*: Menſis iſtius XIImæ Indictionis.
(b) *Idem*: Unde ecce & ex parte quidem eaſdem juſtitias nobis iſdem Langobardorum Rex.
(c) *Idem*: prælatus Deſiderius. *Muratorius*; ſic & infra.
(d) *Gretſerus*: quam.
(e) *Lambecius*: pactuum fœdera continentur.
(f) *Lambecius*: innoteſcemus rei.
(g) *Gretſerus*: ampliorem.
(h) *Lambecius*; item præcelſis Regibus.

(*i*) *Item* (*k*) *Epiſtola ejuſdem Papæ ad Dominum Pippinum Regem directa, in qua continentur lamentationes*, (*l*) *eo quod Deſiderius Rex conſilium iniit cum Georgio Imperiali Miſſo, qui hic Franciæ adfuit, ut Imperator ſuum exercitum in Italia contra Ravennam, vel Pentapolim, ad Romanam Urbem ad comprehendendum mittat, & ipſe Deſiderius cum univerſo Regno Langobardorum in ejus adjutorium vel ſolatium ea mala ad perpetrandum decertet, & quia cotidie ſcamaras, & deprædationes in eorum finibus faciebant. Cum nimiis adjurationibus poſtulans adjutorium obtinere contra ipſos Langobardos. Et ideo minime in hoc Volumine eſt ſcripta, quia præ nimia vetuſtate jam ex parte erat diruta. Tamen alia Capitula in eadem non continentur inſerta, ſed ſicut in ſuperiore Epiſtola legitur, ſic & in iſta ſcriptum reperitur.*

Item exemplar generale ejuſdem Papæ ad cunctum exercitum à Deo protectum Regni Francorum, in quo continentur gratiarum actiones, & uberrimæ benedictiones pro certamine eorum, ut magis in ſervitio Dei omnipotentis, & Sanctæ Dei Eccleſiæ, certando perſeverent, animum Domini Pippini Regis ad hoc peragendum excitent.

(*Epiſtola ordine XXII.*)

(*m*) *Paulus ſervus ſervorum Dei, omnibus dilectis nobis Epiſcopis, & venerabilibus Presbyteris & Abbatibus, atque religioſis Monachis, glorioſis etiam Ducibus & Comitibus, ſeu univerſæ Chriſto dilectæ Generalitati exercitus à Deo protecti Regni Francorum conſtitutis.* Conſiderantibus nobis, & velut ignitam coram noſtris aſpectibus ſplendifluam, Chriſto amabilis fortitudinis veſtræ fidem, & laborioſum certamen adhibentibus, quod liberationi Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, quæ vos verbo prædicationis, peculiaritatis modo ſinceros genuit filios, exhibere totis niſibus (*n*) ſtudemini, magna nobis admirandi inhæret qualitas, & hæc laudis præconia veſtro nomini, & benedictæ generationi proferre in univerſo non deſiſtimus Orbe terrarum. O dulciſſimi atque amantiſſimi nobis, quam viciſſitudinis repenſationem veſtro exercitui conferemus? Aut quæ theſaurorum copiæ dignæ ſint ad tot beneficiorum præſidia, quæ Sanctæ Eccleſiæ contuliſtis? Et licèt in hoc mentis conſideratio, & poſſibilitas coartetur vobis digna rependere, verumtamen eſt judex juſtus in cœlis, Dominus Deus noſter, qui digna veſtrorum retribuet operum merita. Verè enim elevatum eſt nomen Gentis veſtræ ſuper multas generationum Nationes, & Regnum Francorum vibrans emicat in conſpectu Domini: quod talibus benigniſſimis Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Sanctæ Eccleſiæ liberatoribus præor-

A natur Regibus. Novus quippe Moyſes, novuſque David in omnibus operibus ſuis effectus eſt Chriſtianiſſimus & à Deo protectus filius, & ſpiritalis compater Dominus Pippinus, Dei nutu victorioriſiſſimus Rex: per quem exaltata Dei Eccleſia triumphat, & Fides Catholica ab hæreticorum telo illibata conſiſtit.

Et vos quidem, cariſſimi, Gens Sancta, regale Sacerdotium, Populus adquiſitionis, cui benedixit Dominus Deus Iſraël, gaudete & exultate, quia nomina veſtra, Regumque veſtrorum exarata ſunt in cœlis, & merces veſtra magna eſt coram Deo & Angelis ejus. Firmum quippe Beatiſſimum Petrum Apoſtolorum Principem, cui à Redemtore noſtro
B ligandi, ſolvendique peccata in cœlo (*o*) ac in terra conceſſa eſt poteſtas, adepti eſtis protectorem. Sed omnipotens Dominus ejuſdem ſui Apoſtoli interceſſionibus benedicat, protegat, atque confortet, & corroboret Deo amabilem communitatem veſtram, actuſque veſtros in beneplacito ſuo diſponat, tribuens vobis à cœlo victoriam, (*p*) fines veſtros dilatet, ſubjiciens excellentiſſimis Regibus veſtris omnes barbaras Nationes ad perfectam liberationem & exaltationem Sanctæ univerſalis Dei Eccleſiæ, & Fidei orthodoxæ integritatem; detque vobis ea ſapere, quæ illis ſunt placita, & multò amplius corda veſtra in amore Beati Petri, & ejus Apoſtolicæ Sedis
C illuſtret, fidelique ſtudio ejus præceptis Apoſtolicis obtemperantes, veſtrorumque Regum mandata obſervantes, & præſentis vitæ curſum cum victoria & bona fama exſequi, & æterna gaudia cum cœli civibus perfrui mereamini.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Dominum Pippinum glorioſum Regem, per Georgium Epiſcopum (*q*) *directa, in qua continentur gratiarum actiones pro liberatione Sanctæ Dei Eccleſiæ: & in Embolo poſtulat, ut filium ejus, qui tunc natus fuit, ex ſacro Baptiſmatis fonte excipere mereretur.*

D
(*Epiſtola ordine XXIII.*)

(*r*) *Domno excellentiſſimo filio noſtro ſpiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Solet epiſtolaris (*ſ*) latio mentem (*t*) ſemper vi ſua reficere, & materia quodammodo caritatis exiſtere. Quia ergo ſpiritalium dilectio ſincera filiorum paternos ſuſtinet deſideranter affectus, ſumma nos cum alacritate implere convenit, quod puræ conſcientiæ depoſcit affectus; & licèt ad reddenda paternæ caritatis officia, prolixitate itineris imminente, raritas portitorum impediat. Quotiens autem neceſſitas inciderit occaſionis, excel-
E lentiſſimam Chriſtianitatem veſtram non deſiſtimus ſcriptis diſcurrentibus viſitare, & honore ſolito (*u*) amplectentes (*x*) utilitate: qua-

(*i*) *Gretſerus*: Deeſt ergo hæc Epiſtola. Nec ejus meminerunt in Summariis Baronius, & Centuriatores. Facilior tamen jactura eſt, ſi nihil aliud continebat, quàm ſuperior Epiſtola.
(*k*) *Lambecius*: Epiſtola hæc caret numero, quia argumentum quidem ejus heic exſtat, ſed ipſe contextus deeſt.
(*l*) *Idem*: lamentationes, & tribulationes, eo quòd.
(*m*) *Gretſerus*: Baronio Summarium Vigeſimum nonum. Centuriatores extra reliquarum ordinem hujus Epiſtolæ Summarium collocant.
(*n*) *Gretſerus*: ſtuderis.

(*o*) *Lambecius*: ac terrâ.
(*p*) *Idem*: & terminos veſtros dilatet.
(*q*) *Idem*: directæ.
(*r*) *Gretſerus*: Summarium 19. apud Baronium & Centuriatores.
(*ſ*) *Idem*: relatio.
(*t*) *Lambecius*: ſemper viſitatione reficere.
(*u*) *Lambecius*: amplectentes ſalutare, quatenus hos, quos oculis carnalibus præſentes videre non poſſumus.
(*x*) *Gretſerus*: Videtur heic etiam reponendum viſitare.

quatenus hoc (y) quod oculis carnalibus (z) præsentium videre non possumus, eos aliquatenus scriptis valeamus alternantibus intueri. Itaque ita ubique, (a) Deo illustrante, Excellentiæ vestræ merita diffusa divulgavit opinio, ut ex rebus ab ea gestis, omnibus laudabiliter demonstretur. Unde in quantum valet nostri oris assertio, protensæ laudationis attestatione, vestræ eximietati gratiarum reddentes actiones, aptum prospeximus, præsentem sanctissimum atque reverentissimum fratrem Georgium, & Coëpiscopum nostrum, illuc usque ad vestra præclara Deo (b) invitabilia transmittendum vestigia, cui singillatim omnium spiritalis matris vestræ, Sanctæ Dei Ecclesiæ, & istius à vobis redemtæ Provinciæ utilitatum necessitates, à Deo protegendæ sublimitati vestræ Excellentiæ referendas commisimus.

Sed petimus, à Deo servate fili & spiritalis compater, benignissime Rex, nosterque post Deum liberator, & obnixe deprecamur, ut jubeas eumdem nostrum Missum benigno, solitoque gratulationis aspectu commendatum suscipere, nostrisque postulationibus, quæ ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & maxime ad tuæ animæ mercedem, & æternam memoriam respiciunt, à Deo impulsas benignitatis tuæ aures, & congruum atque velociorem de cunctis adhibere digneris effectum: quoniam, sublimissime Regum, amantissime fili, & spiritalis compater, ad hoc te omnipotens Deus Sanctæ suæ Ecclesiæ voluit, per manus Beati Petri, liberatorem adesse, ut tuo solito præsidio plenissima salus & redemtio Sanctæ suæ Dei Ecclesiæ, & istius Provinciæ proficiat. Orantes Dominum Deum nostrum, quia actus vestros ita sua pietate disponat, quatenus Excellentiæ vestræ præsentis vitæ spatia cum prosperitate disponat (c) victoria (d) Regni gubernacula perfruens longæviter exsequatur, & ad promissionis æternæ præmia cum dulcissima conjuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, & eximiis natis, idest Regibus, cum securitate pertingat, & in cœlestibus regnis cum Sanctis & electis suis, utrosque vestrûm idem omnipotens Deus faciat perenniter gratulari. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

INterea, sublimissime Regum, nostræ perlatum est notioni, quòd Dei nutu, novum Regem ex vestris visceribus, ad exaltationem Sanctæ suæ Ecclesiæ omnipotens (e) Deus contulit. De cujus nativitate maximo gaudio sumus relevati. Unde te obnixe petimus, ut à Sacratissimo Baptismatis lavacro (f) eumdem maximum vestrum filium suscipere mereamur. Quatenus duplex Spiritus Sancti (g) gratia in medio nostrûm, & geminæ festivitatis nobis oriatur lætitia.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Dominum Pippinum Regem (h) directa, in qua continetur, quòd sex Patricii cum trecentis navibus, & stolo de Sicilia (i) in partibus Romæ, vel Franciæ properant: & de justitiis Sanctæ Dei Ecclesiæ, quas Desiderius coram Missis suis facere promisit, quia nihil exinde, sicut pollicitus fuit, adimplevit.

(*Epistola ordine XXIV.*)

(k) DOmno (l) *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Francorum, Regi, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* A Deo institutæ præcellentiæ vestræ his nostris Apostolicis syllabis, bone potentissime Rex, fili excellentissime, & spiritalis compater, sicut nostro, post Deum, liberatori, ea quæ ad agnitionem nostram de diversis adveniunt partibus, summopere innotescere studemus. Agnoscat siquidem Eximietas vestra, intimasse nobis quosdam sincerissimos fideles spiritalis matris vestræ, Sanctæ nostræ Ecclesiæ; quòd sex Patricii deferentes secum trecenta navigia, simulque & Siciliensem (m) stolum, in hanc Romanam Urbem absoluti à (n) Regia Urbe, ad (o) nos properant. Quid ii velint agere, aut pro qua diriguntur causa, rei veritatem ignoramus. Hoc tantùm nobis nuntiatum est, quòd ad nos progredi, & ad vestram summe laudabilem præcellentiam (p) in Franciam ingredi sunt dispositi, easdemque nobis destinatas Literas infra hæc nostra scripta vestræ Excellentiæ direximus intuendas.

Itaque & hoc conservandæ Eximietati vestræ innotescimus, quod quemadmodum (q) in præsentia Missuum vestrorum constitit cum Desiderio Langobardorum Rege, ut nostras Romanorum justitias ex omnibus Langobardorum Civitatibus plenius (r) primitus acciperemus, & ita postmodum ad vicem ex omnibus nostris Civitatibus integras Langobardis faceremus justitias, freti in hujusmodi ejus pollicitatione, quam in præsentia dictorum (s) Missuum vestrorum exhibuit, nostros Missos dreximus ad easdem recipiendas, faciendasque justitias. Ipse verò varias adhibens occasionum versutias, nequaquam nobis primitus, ut constitit, plenarias de omnibus suis Civitatibus facere voluit, quas exquirimus, justitias, & ita demum suas in integro ex omnibus nostris Civitatibus recipere, sed singillatim tantummodo de una Civitate facere, & de alia recipere maluit, volens per hoc dilationem inferre, ne pars nostra Romanorum propriam consequatur justitiam. Et ecce nostri Missi nihil impetrantes, ad nos sine effectu reversi sunt, & plures deprædationes ex tunc, atque multa & inaudita mala in nostris immittit finibus. Unde ecce suas confestim direxit Literas, per quas, confidens in sua ferocitate, Deum præ oculis non habens, nec Beatum Principem Apostolorum Petrum me-

(y) *Idem*: hos, quos.
(z) *Idem*: præsentes.
(a) *Lambecius*: à Deo illustratæ Excellentiæ.
(b) *Idem*: imitabilia.
(c) *Idem*: ut cum victoria Regni.
(d) *Gretserus*: victoriam.
(e) *Lambecius*: Dominus.
(f) *Idem*: eumdem vestrum filium.
(g) *Idem*: gratia fiat in medio nostrum.
(h) *Lambecius*: directæ.
(i) *Idem*: partibus Romæ.

(k) *Gretserus*: Summarium 17. apud Baronium & Centuriatores.
(l) *Lambecius*: Domino excellentissimo.
(m) *Gretserus*: classem.
(n) *Idem*: Constantinopoli.
(o) *Lambecius*: ad nos properantur.
(p) *Idem*: in Franciam gradiendi.
(q) *Idem*: in præsentia Missorum.
(r) *Idem*: primitus recepissemus.
(s) *Idem*: Missorum.

metuens, comminationes nobis direxit, & inania detractionum verba pertulit, quas & de præsenti infra hanc nostram exarationis seriem vestro præfulgido, & à Deo instituto culmini direximus, ut earum præcelsa Eximietas vestra agnoscens textum consideret, quanta sit ejus malitia, & elationis cordis superbia, in id, quod contra Beatum Petrum, & vestram regalem potentiam, se erigens, malitias nobis comminatur inferre.

Sed nos spem nostram, post Deum, sicut inexpugnabilem murum, firmissimam, in vestram à Deo corroboratam Excellentiam habemus. Pro quo flexo poplite te petimus, & per nos etiam Beatus Petrus Apostolorum Princeps vestram adgreditur Præcellentiam, quatenus inspiratus ab omnipotente Deo, qui vos Sanctæ suæ Ecclesiæ Defensorem ac Liberatorem constituit, salutem nostram amplissimè procurare, & contra omnium nostrorum inimicorum ferocitatem & arrogantiam solitus auxiliator & protector noster (t) existere jubeas, Christianissime & spiritalis compater: quatenus lucratissimum præmium à Redemtore nostro Domino Deo, intercedente Beato Petro Apostolorum Principe, consequi mereamini: & sicut terrenum, ita & cœleste Regnum cum Sanctis & electis Dei per infinita secula consequi mereamini.

De omnibus verò subtili enarratione, præsenti Coniberto, vestro fidelissimo Vasso in junximus; cuncta liquidius vestræ (u) Regali Potentiæ suggerere. Sed & hoc obnixè postulamus benignam vestram Excellentiam, ut Missos vestros aptos, quales vobis placuerint, ad nos dirigere debeatis, qui in nostro inveniantur esse auxilio. Unus tamen ex eis usque Ticinum properare debeat, ut dum cum Desiderio Rege loquutus fuerit, quicquid ei in responsis reddiderit, vestræ Excellentiæ renunciet. Reliqui verò duo cum vestro disposito & ordinatione apud nos conjungere festinent, ut in nostro, ut dictum est, consistant auxilio. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem, per Langbard (x) directa, in qua continentur gratiarum actiones, & uberrimæ benedictionis pro vita & incolumitate ipsius, vel Domini Caroli & Carlomanni, nobilissimis liberis ejus, volens adjutorium obtinere, cum multis adjurationibus contra Langobardos, & in (y) Embolum (z) continetur Præceptum, quod Marino Presbytero direxit, de titulo Chrysogoni, & de Libris, quos ei transmisit.

(*Epistola ordine XXV.*)

(a) DOmno (b) *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa*. Properans ad nos Literarum transvector, Langbard scilicet, illustris vir, fidelis Eximietatis vestræ Missus, detulit nobis nectaream atque florigeram à Deo protectæ Excellentiæ vestræ syllabarum relationem. Cujus adnexam paginam enucleatius perscrutantes, quæ textus ejus loquebatur, ad singula comperimus. In ipsis quippe Sublimitatis vestræ affatibus, desiderabilem nobis, & super omnia hujusmodi delectamenta (c) amplexabilem sospitatis vestræ lætitiam agnoscentes, uberiore nostri animi ovantes gaudio, maximè sumus relaxati, in id, quod optata nostri promeruimus comperire cordis. Et postmodum nostris à vestris Deo imitabilibus vestigiis revertentibus Missis, & ea ipsa vestræ prosperitatis gaudia deferentes (d) à nobis in responsis gemina exultationis jocunditas nostro inserta est cordi. Nam & dum in auribus omnis Sacerdotum, Cleri, etiam Optimatum, & reliqui Populi, ampliata vestra insonuisset prosperitatis lætitia, & ex hoc nimio repleti gaudio gratulantes, exultarunt unà nobiscum in Domino, agnita nimirum proprii post Deum Defensoris sospitate.

Porrò, excellentissime & à Deo servate fili, & spiritalis compater, vehementi dilectione vos erga amorem Apostolorum Principis Beati Petri, atque circa nostram (e) caritatem vos flagrare experimento didicimus, præsertim dum ipsa Excellentiæ vestræ Epistola caritatis calamo cernitur esse conscripta. Etenim ex corde lingua tinxerat, quod in chartæ refundebat paginam. Quamobrem magnas gratiarum actiones à Deo protectæ Excellentiæ vestræ referimus, quoniam dum nimirum divina te clementia, per interventum sui Principis Apostolorum, Defensorem atque Opitulatorem, benignissime Rex, Sanctæ suæ constituit Ecclesiæ, cura vestræ Eximietati (f) insistat perfectam redemtionem istius Provinciæ, atque exaltationem hujus sacrosanctæ Ecclesiæ procurare. Unde Domini Dei nostri, unà cum universo Populo nobis commisso, imploramus clementiam, ut sua vos protegat gratia; & victoriam vobis de cœlo ministrans, cunctis barbaras nationes vestris subjiciat vestigiis, & longæviter Regni gubernacula faciat promereri, unà cum dulcissima conjuge vestra, excellentissima Regina, spiritale nostra commatre, & vestris, nostrisque amantissimis natis, Domno Carolo & Carlomanno potentissimis Regibus, & Domna Gisila excellentissima, & vitæ æternæ cum electis Dei concedat gaudia.

Peto itaque & deprecor te, excellentissime fili, spiritalis compater, atque per omnipotentem Deum & Corpus Beati Petri, cujus & optimus fidelis existis, conjuro, & maximis supplicationibus deposco, quatenus jubeas sedulè in tuo sancto, & à Deo inspirato mellifluo corde (g) confertum retinere. Illud, quod vos sanctæ recordationis Domnus & Germanus noster Beatissimus Stephanus Papa Dei nutu admonuit, atque deprecatus est peragendum, & in ea caritate atque amicitia permanere, cunctaque qualiter vos terribili (h) adhortatione petiit ad id implere, & effectui

(t) *Lambecius*: existere lubeas, Christianissime fili, & spiritalis.
(u) *Idem*: Regali Potentiæ suggerendum.
(x) *Idem*: directæ.
(y) *Gretserus*: Embolo.
(z) *Lambecius*: & in Embolo continetur de Præcepto, quod.
(a) *Gretserus*: Summarium 18. apud Baronium & Centuriatores.

(b) *Lambecius*: Domino excellentissimo.
(c) *Idem*: amplectabilem.
(d) *Idem*: à vobis in responsis.
(e) *Lambecius*: caritatem flagrare.
(f) *Idem*: insistit.
(g) *Gretserus*: compertum.
(h) *Lambecius*: adhortatione adjuravit, implere, & effectui mancipare lubentis, ut.

fectui mancipare jubeatis, ut perfectam mercedem, & repositam pleniffimæ redemtionis nostræ coronam à justo Judice omnium Conditore, Domino Deo nostro, qui vos in Regem unxit, consequi mereamini, (i) & gaudia æternæ Beatitudinis cum Sanctis & electis Dei, dum plebem Dominicam perfectius liberans, atque Sanctam Dei Ecclesiam defendens, Divinæ Majestati (k) illæsum à sævientium malitia præservaveris. Pro quo & magnam, post Deum, benigniffime Rex, in tuæ pollicitationis sponsione, quam Beato Petro contulisti, spei gerimus fiduciam, unà cum omni Populo istius Provinciæ à vobis redemto.

B Salutant itaque communem Excellentiæ vestræ Christianitatem cuncti Sacerdotes, & Clerus istius Sacrosanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Salutant vos & cunctus Procerum Senatus, atque diversi Populi congregatio, optantes unà nobiscum, de vestra ampliffima prosperitate, & uberrima lætitia diu gaudere, & in Domino Deo salutari nostro exultare. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

PEr aliam quippe Epistolam suam, à Deo protecta Eximietas vestra sicut certè suo bene cupienti patri direxit, quatenus Titulum Protectoris vestri Beati Christi Martyris Chrysogoni cum omnibus sibi pertinentibus dilectiffimo atque fideliffimo vobis Marino Presbytero concedere deberemus. De quo (l) & C præceptum nobis dirigi petistis, quod nempe ob vestram dilectionem, & in eo, quod fidelis vester, nosterque idem sanctiffimus atque dilectiffimus Marinus Presbyter existit, præfati Tituli præceptum, cum omnibus locis, & possessionibus sibi pertinentibus, urbanis vel rusticis, vobis exaratum, atque manu nostra roboratum, per harum latorem direximus Eximietati vestræ deportandum. Direximus etiam excellentiffimæ Præcellentiæ vestræ & Libros, quantos reperire potuimus, D idest Antiphonale & Responsale, insimul Artem (m) Grammaticam Aristotelis, Dionysii Ariopagitæ Libros, Geometricam, Ortographiam, Grammaticam, omnes Græco eloquio Scriptores, nec non & horologium nocturnum.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem (n) per Wulfardum, & socios ejus directæ; in qua continentur uberrimæ laudes, & de Missis Apostolicis, vel Græcorum (o) in Francia morantibus, seu de (p) Georgio, & Petro.

(*Epistola ordine XXVI.*)

E (q) D*Omno excellentiffimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Francorum Regi, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* (r) Votiva cordis nostri desideria, & intimi pectoris affectum, ut vestræ Excellentiæ beneficiorum (s) suffragia, Sanctæ Dei Ecclesiæ vota proferentes, optabilem nimisque amabilem salutem præcelsæ Christianitati vestræ, atque excellentiffimæ, & nostræ benigniffimæ filiæ & commatri, optimæ Reginæ, simulque amantiffimis ac præclaris vestris, nostrisque in Christo amabilibus filiis, Carolo & Carlomanno, excellentiffimis Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, necnon & omnibus Reverentiffimis Fratribus nostris, ac dilectiffimis nobis Episcopis, Presbyteris, etiam Religiosis Abbatibus, simulque & cunctis Optimatibus, Judicibus, Ducibus videlicet & Comitibus, necnon & universo à Christo protecti Francorum Regni Populo, vobis subjacentibus, destinamus perennem salutem. Persistentes etiam unà nobiscum, & in osculo caritatis vos amplectentes, universi sanctiffimi Fratres nostri Episcopi, Presbyteri etiam, & cunctus Sanctæ & spiritalis Matris vestræ Romanæ Ecclesiæ Clericorum ordo, & Procerum, (t) Optimatum, & universi Romani magni vel minoris congregatio, sedulis interventionibus pro vita, & incolumitatis vestræ lætitia, cœlitusque vobis concedendis victoriis, divinam nobiscum deprecantes clementiam. Et verè debitum vobis est, excellentiffime fili, nosterque post Deum Defensor ac Liberator, solitæ honorificentiæ affectum persolvere, & impensius salutationis verba promere, & ea, quæ ad Regni vestri immensam (u) exultationis laudem, & animæ vestræ salutem respiciunt, (x) ampliffimè prolatari.

Igitur regressis nostris Missis, quos ad vestræ Regalis clementiæ vestigia destinatos habuimus, Petro scilicet Notario Regionario Sanctæ nostræ Ecclesiæ, & Johanne Mansionario Confessionis Basilicæ Fautoris vestri Beati Petri, conjungentibus etiam & vestris Missis, (y) Wulhardo nempe, ejusque sociis, protulerunt nobis honorandas, nimisque desiderandas syllabas Præcellentiæ vestræ. Quas cum in conventu Fratrum, Consacerdotumque meorum, & Cleri atque cuncti laicorum ordinis cœtu legissemus, nostri ac vestri Missi, ea sibique à vobis injuncta, de vestra immutabilis mentis constantia, & puritatis integritate, quam pro spe Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Fidei orthodoxæ habere videmini, retulissent, illico nimio gaudio repleti, elevatis ad æthera oculis, extensisque palmis, immensas omnipotenti Deo nostro, & vestræ Excellentiæ (z) tulimus grates, Angelicam illam pro vestris meritis Divinæ ejus Potentiæ canentes laudem: (a) *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Neque enim, bone Rex, aliter mentes Fidelium credere poterant, (b) quam quòd in earum ex operibus cernentes comperimus à vobis peractum, qui pro intuitu humanas suasiones,

(i) *Idem:* & gaudia in æterna Beatitudine.
(k) *Idem:* illæsam à sævientium malitia præsentaveris.
(l) *Lambecius:* & præceptum vobis dirigi.
(m) *Gretserus:* forte, Dialecticam.
(n) *Lambecius:* per VVlfhardum.
(o) *Idem:* hic Franciâ.
(p) *Gretserus:* Centuriatores; Gregorio Episcopo.
(q) *Idem:* Summarium 16. apud Baronium & Centuriatores.
(r) *Lambecius:* Votivo cordis nostri desiderio, & intimi pectoris affectu, ut.
(s) *Idem:* suffragio.
(t) *Idem:* ac Optimatum, & universi Populi Romani magni & minoris.
(u) *Gretserus* & *Lambecius*: exaltationis.
(x) *Lambecius:* ampliffimè profligari.
(y) *Lambecius:* VVlfhardo.
(z) *Idem:* referuimus grates.
(a) *Gretserus:* Lucæ Cap. 2.
(b) *Lambecius:* quam quòd ex operibus.

nes, & inanes promiſſiones reſpuentes, nihil amori & certamini, (c) quod erga Beatum Petrum geritis, præponere maluiſtis. Sed omnia terrena lucra, velut lutum, quod pedibus conculcatur, reputantes, ei vos placere, ejuſque mandatis totis niſibus obtemperare veſtræ imminet curæ. Et idcirco, ecce bone Rex, præcelſe fili, & ſpiritalis compater, theſaurizaſti tibi theſauros infinitos in ſidereis arcibus, ubi ærugo non prævalet, nec tineâ ea, quæ juſtis tribuenda ſunt, conſumi poſſunt, dum ita mirabiliter præcelſæ Excellentiæ veſtræ opera rutilant, quis de vobis quoquo modo ambigere poſſit, dum ea, quæ Beato Petro polliciti, & ob veniam veſtrorum concedere ſtuduiſtis delictorum, illibato ejus jure perenniter permanenda conſervare ſatagitis, & veſtris à vobis & à Deo conſervandis magnis exhortationibus committitis. Et ideo nobis nimis, vel cuncto Populo noſtro confidendum eſt, in hujuſmodi pio propoſito immutabilis conſtantiâ mentis, vos veſtraſque ſoboles, & univerſum Regnum Francorum firmiter eſſe permanſuros: quoniam juxta, ut nobis Excellentia veſtra innotuit, ſcimus, cui credimus, & certi ſumus.

De noſtra itaque puritate & dilectione, quam erga vos, & cunctum à Deo protectum Regnum Francorum habere dinoſcimur, credimus jam vos pleniſſimè eſſe ſatisfactos. Pro quo & ampliori certificatione Deum cœli teſtem proferentes, in ea nos caritatis dilectione, quam cum ſanctæ recordationis Domno & Germano noſtro Beatiſſimo Stephano Papa, & per eum cum omnibus ſucceſſoribus Pontificibus, vos veſtræque ſoboles, & cuncta veſtra proles, atque univerſum Regnum Francorum uſque in finem ſeculi conſervare ſpopondiſtis, & nos etiam, atque noſtros ſucceſſores Pontifices, confitemur eſſe permanſuros pro exaltatione Sanctæ Dei Eccleſiæ, & Fidei orthodoxæ defenſione. (d) Nulla nos rerum qualitas ab eadem caritatis confirmatione potens poterit ſeparare.

Direxit itaque nobis Excellentiæ veſtræ Chriſtianitas, ſignificans de Miſſis noſtris, veſtriſque, atque Græcorum, qui à Regia Urbe reverſi ſunt, eos apud vos eſſe detentos, interim quòd aggregatis veſtris Sacerdotibus atque Optimatibus, conjicere, ſeu perpetrare valeatis quid de his, quæ vobis directa ſunt, reſpondendum ſit. Et quidem hac de re aliter confidendum non eſt à vobis reſpondēri, niſi quæ ad exaltationem Sacroſanctæ ſpiritalis Matris veſtræ Romanæ Eccleſiæ, (e) Caput omnium Eccleſiarum Dei, atque orthodoxæ Fidei, pertinere noſcuntur; & quia quod ſemel Beato Petro, & pro æternæ vitæ retributione obtuliſtis, (f) nulla vos deberet ratione ab ejus jure & poteſtate ſeparare. Scimus enim, quòd nulla apud vos ſuaſionis fabulatio prævalet, dum Divina verba, & Apoſtolica documenta firmiter in veſtro corde retinetis adnexa. Et ecce ſicut nobis per veſtras Literas, & noſtros, veſtroſ-

A que Miſſos maximam confidendi materiam intuliſtis, præſtolamur lætabunda hac de re nuntia à vobis ſuſcipi, & ſolitè de veſtro benigno mentis propoſito gratulari. Et hoc præcelſa Chriſtianitas veſtra per eaſdem ſuas à nobis petiit ſyllabas, Georgium Epiſcopum, & Petrum Presbyterum (g) in veſtro permanere ſervitio, nos debere concedere. Et quidem præcellentiſſima veſtra benignitas agnoſcat, nos jamdudum de hoc veſtræ obtemperaſſe voluntati. Per Andream quippe religioſiſſimum Miſſum veſtrum, ſicuti popoſciſtis, in exaratis deſtinatis Apoſtolicis ſyllabis, eos vobis dignoſcimur conceſſiſſe. Intimantes, (h) ut ſive retinendos, ſive etiam B abſolvendos eſſe veſtra fuiſſet voluntas, ita de eis peragere deberetis. Unde etiam & nunc in veſtro voluntatis arbitrio relaxamus, aut qualiter vobis de eis placuerit (i) tam retinendos, quàm abſolvendos faciatis, dum ſemel à nobis vobis conceſſi ſunt. Sed utinam ipſi placabiles in veſtro poſſint eſſe ſervitio! Pro quo dirigite nobis, quid de Epiſcopatu prædicti Georgii, & de Eccleſia, quæ prænominato Petro commiſſa eſt, peragere debeamus, ne amplius illis admonitis in nimiam neglectus incuriam deveniant.

Interea duos veſtros Miſſos, ideſt Wulfardum & ejus ſocium, ſecundùm veſtram præceptionem pro utilitatibus Sanctæ noſtræ C Eccleſiæ, ſpiritalis matris veſtræ, in his partibus retinuimus. Illud præterea Excellentia veſtra innotuit, Deſiderio vos Langobardorum Regi direxiſſe, ut Saxulum puerum noſtrum, qui à nobis fugam arripuerat, reddere deberet. Sed agnoſcat Chriſtianitas veſtra, quod etiam vos creditum habere puto (k) conjunxiſſe (l) hoc præterito auttum in tempore eumdem Deſiderium Langobardorum Regem ad Apoſtolorum Limina, cauſa orationis, eumdemque noſtrum puerum ſecum deferens, nobis contradidit. Cum eodem quippe Rege, pro juſtitiis inter partes perficiendis, loquente, conſtitit, (m) ut veſtris, ejuſque Miſſis per diverſas Civitates progredientibus, D ipſæ præparatæ fuiſſent juſtitiæ. Et ecce, Deo propitio, de partibus Beneventanis atque Tuſcanenſibus & fecimus & adinvicem noſtras recepimus. Nam de Ducatu Spoletino, noſtris vel Langobardorum Miſſis illic adhuc exiſtentibus, ex parte juſtitias fecimus ac recepimus. Sed & reliquas, quæ remanſerunt, modis omnibus pleniſſime inter partes facere ſtudent. (n) In Embolim verò direxit nobis à Deo protecta Excellentia veſtra, præfatum vos Deſiderium admonuiſſe Reges Neapolitanos ac (o) Cajetanos conſtringere, ob reſtituenda patrimonia protectori veſtro Beato Petro, illic Neapoli ſita, (p) & largiri (q) electis ſolite ad ſuſcipiendum Epiſcopalem conſecrationem, E ad hanc Apoſtolicam properandi Sedem. Quapropter maximas de hoc, & de omnibus, Excellentiæ veſtræ referimus grates.

His præmiſſis, omnipotens Dominus Deus noſter ſua vos continua protectione circumte-

(c) *Idem*: quæ erga Beatum.
(d) *Idem*: & nulla nos.
(e) *Lambecius*: capitis omnium.
(f) *Idem*: nulla per vos deberet ratione ab ejus jure & poteſtate ſeparari.
(g) *Idem*: in veſtro permanendum ſervitio.
(h) *Idem*: ut ſive retinendum, ſive etiam abſolvendum veſtra fuiſſet.
(i) *Idem*: tam retinendum, quàm abſolvendum

(k) *Gretſerus*: perveniſſe.
(l) *Lambecius*: hoc præterito Autumni tempore.
(m) *Idem*: ut noſtris.
(n) *Gretſerus*: In Embolo, *vel* Embolio.
(o) *Lambecius*: Cajetanos conſtringendum, ob reſtituendum.
(p) *Idem*: & largiendum.
(q) *Gretſerus*: licentiam.

A regat, & ab omnibus adversitatibus eripiat, & vestris vestigiis omnes barbaras subjiciat Nationes: concedens vobis & præsens Regnum feliciter per multorum annorum curricula una cum amantissima conjuge & præcelsis filiis perfrui, & vitam æternam cum Sanctis tribuat possidendam. Deus te incolumem custodiat, excellentissime fili.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem, per Wulfardum directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & uberrimæ laudes, pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ; poscens adjutorium contra Langobardos, eo quòd ipsi Langobardi in magna arrogantia permanentes, & justitias Sanctæ Dei Ecclesiæ minime reddentes.

(*Epistola ordine XXVII.*)

D*omno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Lator præsentium Literarum sollertissimus Wulfardus, Eximietatis vestræ fidelissimus, plenas jocunditatis nobis attulit Literas, quas & cum ingenti lætitia mancipantes, atque lectioni referantes, magna exsultatione ovantes relevati sumus: agnito scilicet per eas præfulgidæ Excellentiæ vestræ dilectionis affectu erga Apostolicam Sanctam Romanam Ecclesiam, atque fautorem vestrum, cœlorum regni Janitorem, Principem Apostolorum, Beatum Petrum, à vobis exhibito. Qua de re juges omnipotenti Deo efficacius persolvimus grates profectò, dum tam præcipuum, fortissimumque virorum his in diebus Sanctæ suæ contulit Ecclesiæ tutorem.

Interea, Christianissime Dei providentiâ victor Rex, gemina festivitatis peregimus gaudia, in eo quòd optata cordis adepti desideria, in vinculo spiritalis fœderis pariter sumus adnexi. Præfatus nempe sodalitatis vestræ illustris Missus pretiosissimum nobis supernæ gratiæ munus attulit (*r*) Sabanum videlicet, D in quo nostra dulcissima atque amantissima spiritalis filia, sacratissimo lavacro abluta, suscepta est, quem & cum magna jocunditate, aggregata Populi cohorte, infra (*s*) auram (*t*) sacrati Corporis auxiliatricis vestræ Beatæ Petronillæ, quæ pro laude æterna memoriæ nominis vestri nunc dedicata dinoscitur, celebrantes Missarum solemnia, cum magno gaudio suscepimus, & per allatum eum lenm Sabanum, eam tamquam præsentialiter nos suscepisse gaudemus. Unde quia amor fidei vestrum benignum ignivit cor, nobis per vinculum spiritalis fœderis adhærendum: juxta quod Domno & germano meo beatæ recordationis Sanctissimo Stephano Papæ spopondistis, magnas gratiarum actiones à Deo protectæ Excellentiæ vestræ persolvimus, implorantes crebro divinam misericordiam, (*u*) ut ævis (*x*) vos ac prosperis in solio Regni conservans tueatur temporibus, & magno gaudio de ipsius spiritalis nostræ filiæ perfecta ætate vos jocundari permittat, ad exaltationem Sanctæ suæ Ecclesiæ.

Et quia copiosa nobis, ipsa Spiritus Sancti scilicet compaternitatis gratia, quæ opitulante Deo inter nos rata consistit, auctoritas, fiduciam contulit, peto, & deprecor, benignissime spiritalis compater, optime Rex, ut cœptum redemtionis Dei Ecclesiæ, & plenariæ justitiæ Beati Petri perficere jubeas bonum opus. Direxit quippe nobis insignis bonitas vestra, per suos affatos sibi innotescere adversantium causarum eventus. Unde certam à Deo protectam Eximietatem vestram reddimus, nihil nos usque hactenus recepisse de his, quæ per nostros Legatos Excellentiæ B vestræ petendo mandavimus. Solitè namque perfidi & maligni illi in magna arrogantia cordis permanentes, nequaquam inclinantur, justitiam Beati Petri restituere. Tamen omnia qualiter acta sunt, referentibus vestris Missis, agnoscere potestis: & subsequentem nostrum Missum ad vos dirigimus, dignas vobis gratias de omnibus referentes, & cuncta per eum Eximietati vestræ dirigimus in responsis de his, quæ in antea provenerint. Sergio verò Archiepiscopo, juxta id, quod vestræ innotuit Excellentiæ, indesinenter imminemus, ut suæ restituatur Ecclesiæ. Petimus autem excellentem bonitatem vestram, ut reverendissimum & sanctissimum fratrem C & Coëpiscopum nostrum Wulcharium, sicut præfatus beatæ recordationis Domnus, & germanus meus Sanctissimus Stephanus Papa, eum benignæ Eximietati vestræ commendavit, in omnibus commendatum habere jubeatis. His prælibatis, trinus & unus Deus noster sua vos extensionis dextera protegat, cum dulcissima conjuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, atque amantissimis vestris meisque filiis in solio Regni sospites permanentes, & in præsenti vita, & in æterna beatitudine uberrime concedat valere. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Regem Pippinum, pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ directæ, in qua continentur uberrimæ laudes. (*y*) *Et Embolo continetur, ut præfatus Domnus Rex Pippinus Desiderio Regi Langobardorum suam præceptionem dirigeret, ut si necesse exigeret, auxilium præstare deberet tam Ravennæ, quàmque aliis maritimis Civitatibus, ad dimicandum contra inimicorum impugnationem.*

(*Epistola ordine XXVIII.*)

(*z*) D*omno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum,* E *& Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Præcelsæ, & a Deo servatæ Christianitati vestræ eximie fili, & spiritalis compater, sicut nostro, post Deum liberatori, ea quæ superveniunt, vel aguntur in his partibus, quantocius (*a*) significare vobis procuramus, & ideo his Apo-

(*r*) *Gretserus*: Extat eadem vox apud Sanctum Bonifacium Epistolâ 10. & 145. Heic linteum illud significat, quod filiolæ Pippini jamjam baptizatæ tegumentum præbuit.
(*s*) *Idem*: aram.
(*t*) *Lambecius*: infra aulam sacrati Corporis.
(*u*) *Gretserus*: ut longævis.
(*x*) *Lambecius*: ut & ævis vos ac prosperis in solio Regni conservans tueri temporibus.

(*y*) *Lambecius*: Et in Embolo.
(*z*) *Gretserus*: Summarium 14. Centuriatoribus: *Literas proditorias Sergii Ravennatis Episcopi mittit, & petit auxilium.* Ambiguè admodum. Suspicari enim quis posset, ipsum Sergium proditorias Literas scripsisse. Quod non est ita, ut docet hæc Epistola.
(*a*) *Lambecius*: significare nostri est procurandum.

Apostolicarum relationum syllabis mellifluæ, & à Deo institutæ regalis vestræ potentiæ culmini innotescimus, suscepisse nos, post absolutionem nostrarum Literarum, syllabas à sanctissimo fratre nostro Sergio Archiepiscopo Ravennate, quas Leo Imperialis ejus sanctitati, (b) Ravennatum provinciæ, visus est direxisse; & ecce infra has nostras Apostolicas Literas præclaræ Excellentiæ vestræ, ea rum instar, direxisse, ut suasionis versutiam in eis annexam præfulgida Excellentia vestra agnoscens, merito Sanctæ Dei Ecclesiæ, Fideique orthodoxæ defensionem perfectius (c) studeat procurare, quatenus repositam sibi in cœlestibus regnis coronam mercedis à Domino Deo nostro percipere mereatur: optantes vos de reliquo ævis & prosperis semper in Domino valere temporibus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

EXemplar denique Epistolæ secretò directæ à quibusdam fidelibus Veneticis sanctissimo fratri nostro Sergio Archiepiscopo, simul & ex Literis, quas idem sanctissimus vir nobis direxit, infra hæc nostra scripta vobis misimus, & peto & tamquam præsentialiter deprecor, atque per omnipotentem Deum conjuro excellentissimam Christianitatem vestram, ut nimis velociter dirigere jubeatis vestram præceptionem Desiderio Regi Langobardorum, ut si necesse exegerit, auxilium præstare debeat tam Ravennæ (d) quàm Pentapoleos maritimis Civitatibus ad dimicandum contra inimicorum impugnationem.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem, per Georgium Episcopum, & Stephanum Presbyterum, seu Radbertum, Missos directæ. In qua continentur gratiarum actiones pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & præfatus Papa poscens, ut Dominus Rex Pippinus Desiderio Regi suo obsides restitueret, & pacis fœdera cum eo confirmaret.

(*Epistola ordine XXIX.*)

(e) DOmno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa. Dum tam copiosam omnipotens Deus suæ benignitatis humano generi crebrò irrogat misericordiam, valde administrandum est, quid retribui ejus potentiæ divinæ, aut quas carminum laudes longanimitati ipsius humana fragilitas referre valeat. Quod quidem nos tanto ejus relevati beneficio, licèt meritis nequaquam suffragantibus, (f) nos ejus potentiæ melodicas persolvemus grates: tamen juxta Psalmographi monita, (g) *calicem salutaris accipias, & nomen Domini* incessanter *invocabo*, inquirens. (h) *Magnus es Domine, &*

A *magna opera tua*. (i) *Magnificat namque anima mea Dominum*, caro & lingua benedicit. Quoniam respiciens respexit super humilitatem nostram, & ad tam præcipuum Pontificale culmen, non nostris prosequentibus meritis, provexit. Quamobrem dum, eo dignante, mediator Dei & hominum, speculator animarum institutus sum, (k) commissa sic Apostolaris cura provocat atque hortatur omnino, & indesinenter compellit, salutem Populi Dei pio studio procurare, & pacem in cunctis gentibus cum magna cordis constantia prædicare: quoniam profectò beatitudinis gratiam promerentur, qui intrepide illam prædicare maluerint. Scriptum quippe est: (l) *Beati*

B *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Et rursum: (m) *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*. Etenim, excellentissime fili, & spiritalis compater, quoniam Deus omnipotens ex utero matris suæ te prædestinatum habens, ideo te benedicens, & in Regem ungens, defensorem te, & liberatorem Sanctæ suæ Ecclesiæ constituit. Pro quo ea, quæ ad utilitatem ipsius Sanctæ Dei Ecclesiæ respiciunt, per hos nostros Apostolicos apices benignæ Excellentiæ tuæ deprecandum maturavimus. Agnoscat siquidem excellentissima bonitas tua, quia (n) conjungens ad Limina Apostolorum excellentissimus filius noster Desiderius Rex, pacifice atque cum magna

C humilitate, cum quo salutaria utrarumque partium locuti sumus, & pollicitus est nobis restituere (o) Civitatem Immolas, ea videlicet ratione, ut nostros ad tuam Excellentiam dirigere debeamus Missos, & suos obsides, quos ibidem ad vos habere videtur, recipere debeat, & pacem cum eo confirmare studeatis.

Unde petimus te, excellentissime fili, & spiritalis compater, ut jubeas ipsos obsides prædicto filio nostro Desiderio Regi restituere, & pacis fœdera cum eo confirmare, & in magna amicitia cum eo conversari; (p) ut, annuente Deo, tuis lætabundis temporibus Populus Dei utrarumque partium in magna

D securitate & pacis quiete degere valeat, quatenus longævum te omnipotens Deus in solio Regni conservare dignetur (q). Ideo enim direximus præsentes nostros fidelissimos Missos, idest reverendissimum & sanctissimum fratrem & Coëpiscopum nostrum Georgium, atque dilectum filium nostrum Stephanum Presbyterum, unà cum Rodberto vestro Misso, ad vestram à Deo servatam excellentissimam prudentiam, ut ea ipsa eximietati vestræ enarrare debeant. His præmissis, petimus divinam misericordiam, ut (r) ævis ac lætabundis temporibus in solio Regni (s) piis inhærens operibus, conservare dignetur, & vi-

E tam æternam concedat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item

(b) *Idem*: Ravennarum Provinciæ.
(c) *Idem*: studeat procurandum.
(d) *Lambecius*: quamque Pentapoleos maritimis Civitatibus.
(e) *Gretserus*: Summarium 13. apud Baronium & Centuriatores.
(f) *Lambecius*: nostras ejus Potentiæ melodicas persolvemus grates: tamen juxta Psalmigraphi.
(g) *Gretserus*: Psalmo CXV.
(h) *Idem*: Tobiæ cap. 13.
(i) *Idem*: Lucæ cap. 2.
(k) *Lambecius*: commissa me Apostolaris cura.
(l) *Gretserus*: Matthæi cap. 5.
(m) *Idem*: Ad Romanos cap. 10.
(n) *Idem*: perveniens.
(o) *Lambecius*: Civitatem Imulas.
(p) *Lambecius*: ut, favente Deo.
(q) *Idem*: Opere enim direximus.
(r) *Gretserus*: ut longævis ac lætabundis.
(s) *Lambecius*: piis inhærentem operibus.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Regem Pippinum, pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, in qua continentur gratiarum actiones & uberrimæ benedictiones, pro integritatis Orthodoxæ Fidei observatione.

(Epistola ordine XXX.)

D*Omno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Dum tanto vestræ sublimissimæ Excellentiæ beneficio, & impenso opitulationis adminiculo, sancta spiritalis mater, & peculiaris vestra universalis Dei Ecclesia dinoscitur relevata, quæ humana lingua sufficere valeat, ad hujus benignæ vestræ operationis merita gratiarum referre actiones? Et licèt in hoc humanæ considerationis capacitas rependere nequeat, verumtamen ille, qui potens est, omnipotens & invisibilis Dominus Deus noster, cujus ordinatione vestra Regalis potentia confirmata consistit, interventionibus sacri Principis Apostolorum, Beati Petri, dignam vobis remunerationem in præsenti vita, & in futura beatitudine retribuet: præsertim dum & fortissimus sanctæ orthodoxæ fidei & venerabilium Patrum piæ traditionis defensor esse videris, excellentissime fili, & spiritalis compater, & ob hæc ipsa, quam venerantur, colis & defendere studes, orthodoxam fidem semper habebis adjutricem, & profectò cœlestis tibi, contra adversantium cuneos, administrabitur victoria.

Interea quoniam magno affectu circa vestram à Deo protectam eximiam Excellentiam fervescimus, debitum visitationis, & salutationis naviter procuravimus sublimitati vestræ persolvere, eximie fili, & spiritalis compater. Hoc interea vestram meminisse volumus Excellentiam, nuper nobis direxisse, quatenus in pacis dilectione cum Desiderio Langobardorum Rege conversare studeamus. Quod quidem si ipse excellentissimus in vera dilectione & fide, quam vestræ Excellentiæ, & Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ spopondit, permanserit, utique & nos in caritate firma & stabili pace cum eo permansuri erimus, observantes illud Dominicæ præceptionis documentum: (t) *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.*

Hoc itaque innotescimus Christianissimæ Eximietati vestræ, eo quòd convenit inter nos & eumdem Langobardorum Regem, ut pariter nos in Ravennatium Urbe præsentare studeamus ad perficiendas quasdam utilitates spiritalis Matris vestræ, Sanctæ nostræ Ecclesiæ, & pertractandum pro Græcorum malitia, qui cotidie imminent in ipsam Ravennatem ingredi Civitatem. Dumque pariter præsentati, quidquid locuti fuerimus, vel rei exegerit meritum, excellentissimæ & à Deo protectæ, Eximietati vestræ innotescemus. Orantes de reliquo Divinam Clementiam, ut ad perfectam exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ & orthodoxæ Fidei defensionem, (u) de ævis (x) & prosperis temporibus excellentissimam Christianitatem vestram, in solio Regalis potentiæ, cum dulcissima conjuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, atque amantissimis natis conservare & protegere dignetur, tribuens vobis æterna cœlestis Patriæ gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Regem Pippinum, in qua continentur benedictiones, & præfatus Papa poscens, ut Dominus Rex Pippinus suos Missos partibus Romæ dirigeret, (y) & sibi de salute, vel sospitate sua innotesceret, & qualiter in itinere egisset, & quomodo Dominus inimicos ejus in manus ipsius tradidisset, & sub pedibus ejus humiliasset.

(Epistola ordine XXXI.)

(z) D*Omno excellentissimo, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Quoties Fidelium Dei spiritualia referuntur studia, protinus audientium mentes ignitæ in Dei amore, & mandatis divinis efficiuntur, (a) atque ad supernæ considerationis merita amplissimè ad laudem Dei proferre, & perennibus temporibus permanenda Scripturæ testimoniis tradere, (b) dum vestro concursu & auxilio Ecclesiæ Dei exaltatio, & Fidei orthodoxæ (c) profligatur defensio; pro quo benedictus & laudabilis in omnibus Regibus coram Deo, & hominibus esse dinosceris, Christianissime Rex, & nomen benignitatis tuæ exaratum fulget in conspectu Divinitatis. Etenim dum hujus evoluto temporis spatio, quo nos, nec vestræ sospitatis relationem meruimus suscipere, nec penitus agnoscere, quid (d) circa vos ageretur, vel qualiter in itinere, quo profecti estis, peregistis, nimis anxietatis fervore desiderii nostri affectio in hoc ipsum ad discendum sedulò provocatur, præsertim dum & à nostris vestrisque inimicis adversa nobis de ipsis partibus adnuntiantur. Unde desiderium magnum nobis inhæret vestræ sospitatis gaudia addiscere, & vestris salutaribus profectibus gratulari, & contra inimicorum contritionem agnoscere. Pro quo, quæsumus, ut certos nos, sicut desideramus, per vestros Nuntios, de vestra prosperitate & lætitia reddere jubeatis, quoniam vestra salus nostra est prosperitas, & vestra exaltatio nostrum procul dubio est gaudium, & immensa securitas: (e) dignamque ex hoc Dei deprecamur potentiam, ut ipse Protector noster, & cum ejus Angelis dignetur præcellentissimam Christianitatem vestram tueri, & gubernare, ut in cœlestibus Regnis, & cum Sanctis & electis, qui ab initio Mundi placuerunt Deo, mul-

(t) *Gretserus*: Matthæi cap. 5.
(u) *Idem*: longævis.
(x) *Lambecius*: defensionem, ævis & prosperis.
(y) *Idem*: & ei de salute.
(z) *Gretserus*: Summarium XI. apud Baron. & Centuriatores.
(a) *Lambecius*: atque ad supernæ considerationis intuitum excitantur, & ideo libet profectò, Potentissime Regum, vestræ pietatis considerationum merita amplissimè ad laudem Dei proferre, & perennibus temporibus.
(b) *Gretserus*: accenduntur, *vel aliquid simile.*
(c) *Idem*: procuratur.
(d) *Lambecius*: quid erga vos ageretur.
(e) *Gretserus* & *Lambecius*: divinamque ex hoc Dei.

multipliciter consequaris mercedem. (*f*) Optantes quidem, ut nos certiores vestra faciat à Deo protecta Excellentia, quid erga vos, aut Christianam gentem vestram agere videmini, & quomodo Deus noster vestros ac nostros humiliavit inimicos, & ut fati sumus, certos nos, sicut desideramus, de vestra prosperitate & lætitia reddere jubeatis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem, in qua continentur gratiarum actiones, & de sanitate ipsius, (g) seu Caroli, & de Marino Presbytero, atque de Ravenna, qualiter contra eamdem mala machinantur consilia.

(Epistola ordine XXXII.)

(*h*) DOmno excellentissimo filio nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa. Eximiæ & à Deo protectæ Excellentiæ vestræ, harum deferente portitore, destinatos apices omni plenos dulcedine ac amore, quos cum magno venerationis affectu acceptantes, liquidius cuncta in eis inserta agnovimus. Inter hæc quippe (*i*) excellentissime fili, vestra nobis præcelsa innotuit benignitas, qualiter divina Dei nostri favente misericordia, sani atque sospites, & illæsi existentes sitis, simul cum excellentissimis natis vestris, spiritalibus filiis nostris Carolo & Carlomanno magnis Regibus, atque Domna Bertrada Regina dulcissima (*k*) spiritali commatre nostra, nec non & Gisila nobilissima nostra filia. Quibus agnitis, magnas ac innumerabiles polorum arbitro ac Regi Regum Domino Deo nostro (*l*) retulimus laudes, quoniam juxta illud, quod anhelantius optantes desideramus, vestram addiscere meruimus sospitatem. Pro quo Dominum Deum nostrum sedulis deprecationibus imploramus, qui nos per multorum curricula annorum de vestra integra sospitate faciat exsultare, eo quòd vestra salus nostra est exsultatio, & vestra prosperitas nostrum procul dubio existit gaudium.

Et hoc in vestris Regalibus apicibus continebatur adscriptum, quatenus vobis innotescentes significaremus, si circa Sanctam Dei Ecclesiam, atque nostram mediocritatem, (*m*) vel Populi nobis commissi salus aut integritas profligaretur. Nam & de hoc magnas & innumerabiles gratias Deo omnipotenti, & vestræ Excellentiæ referimus, quia sicut revera Christianissime & vere Dei cultor, Ecclesiam Dei & Populum vestra Excellentia visitare non piget, sed hoc non nostris meritis, sed divina proveniente misericordia, agitur, dum omnia prospera (*n*) circa Sanctam Dei Ecclesiam, atque nostram mediocritatem, vel nobis commissum Populum existunt. Pro quo Deum cœli, penitus omnium bonorum

A largitorem (*o*) rogabimus, vobis pro hoc præcipuo ac pio opere sit retributor, ob tantam benignitatem & solicitudinem, quam circa Sanctam Dei Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, vel ejus (*p*) familiarem Populum habere dinoscimini.

Sed & hoc in ipsis vestris relationum apicibus continebatur, per vestros vobis fuisse nuntiatum Legatos, quòd à quibusdam malignis, & mendacium proferentibus, in istis partibus divulgatum esset, quia si aliqua nobis necessitas eveniret, nullum nobis auxilium (*q*) præbere volueritis. De quo nefario dicto nequaquam nobis fuit, aut est hæsitatio, quia, divina faciente misericordia,
B magnam in vobis, post Deum, spem & fiduciam habemus; agnoscentes, quòd Deo propitio nullum de quacumque parte (*r*) erit impedimentum, vobis defensionem atque auxilium Sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ejus peculiaris Populi impertiendi juxta id, quod Beato Petro Apostolo per beatæ memoriæ prædecessorem Domnum & germanum nostrum, ob remedium animæ vestræ, & veniam delictorum vestrorum, pollicentes spopondistis. Quod in perpetuis temporibus, Domino annuente, firmum ac robustum credimus permanere.

At verò unde nobis Christianissima vestra direxit Excellentia, (*ſ*) quòd si quis è vestris adversariis, aut contemtoribus ad nos venerit, nullo modo cum eis nos, aut in eorum
C societate misceri, absit à nobis, ut hanc rem faciamus, dum profectò vestri inimici, Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri existunt. Quapropter testatur veritas, quia ubi vestros amicos agnoverimus, tamquam amicos & fideles Sanctæ Dei Ecclesiæ oblectare & amplecti cupimus; & ubi vestros inimicos invenerimus, veraciter tamquam inimicos Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostros proprios, ita eos respuimus atque persequimur: quia vestri amici, Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostri existunt, & qui inimicitias contra vos machinantur, profecto inimici Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri esse comprobantur.

D De Missis verò vestris ac nostris, (*t*) quia ad Regiam Urbem simul properaverunt, de quibus petiit nos vestra præclara Excellentia, sibimet à nobis significari, si quid ex eis addiscere potuimus, cognoscat vestra à Deo protecta eximietas, quod in his diebus nihil ab ipsis cognoscere potuimus, dum profectò vobis incognitum non est, quòd pro tam sæva hujus hyemalis temporis asperitate nullus de illis partibus adveniens nobis adnunciavit, qualiter circa eos agatur. Et ideo ad præsens ignoramus, quid vobis de eis veraciter significemus,

At verò de Marino Presbytero scripsit nobis Christianissima Excellentia vestra, quòd
E demum in pristino esset constitutus honore, secundùm qualiter vobis postulantes direximus, nos quidem testem Deum proferimus, quòd pro nulla alia re pro eo vobis direximus,

(*f*) *Lambecius*: mercedem; destinantes quidem, nos certiores esse, vestra scire jubeat à Deo protecta Excellentia.
(*g*) *Idem*: seu Caroli & Carlomanni, & de Marino.
(*h*) *Gretserus*: Summarium X. apud Baronium & Centuriatores.
(*i*) *Lambecius*: excellentissime bone fili.
(*k*) *Gretserus*, & *Lambecius*: dulcissima vestra Conjuge, & spiritali.
(*l*) *Lambecius*: referuimus laudes.
(*m*) *Lambecius*: vel Populum nobis commissum.
(*n*) *Idem*: erga Sanctam Dei Ecclesiam.
(*o*) *Idem*: rogabimus, qui vobis pro hoc.
(*p*) *Gretserus*: peculiarem Populum.
(*q*) *Lambecius*: præbere valuissetis.
(*r*) *Idem*: parte sit impedimentum.
(*ſ*) *Idem*: quod si quisquam è vestris.
(*t*) *Idem*: qui ad Regiam Urbem.

mus, nisi propter lacrymas, & cotidianas lamentationes, quas ejus genitrix effundere non cessat, quæ & orbata lumine existit, & ideo vobis direximus, ut apud vos eum absolvere debuissetis, quia nihil de eo vobis fuit aut est, sed nec nobis, nisi tantummodo de ejus iniqua malitia, quam contra Sanctam Dei Ecclesiam maligna atque perversa motus audacia agere præsumit. Sed de hoc, sicut per anteriores nostras Literas Excellentiæ vestræ direximus, in vestro sit arbitrio, vel potestate, quid de eodem disponere volueritis. Nulla nobis de eo cura est, nisi, ut prædiximus, qualiter vestra fuerit voluntas ita de eo disponere debeatis. At verò nobis direxit Excellentia vestra, ut vobis intimare debeamus, si nobis idem Marinus suas direxit Literas, de quo, teste veritate, dicimus: numquam nobis suas direxit Literas, (u) ex eo quando illuc apud vestram Excellentiam properatus est. Nam nullo modo (x) vobis vetare habuimus, si factum fuisset.

Interea nempe ea, quæ à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, id est, de partibus Ravennæ ad nos pervenerunt, aptum prospeximus vestræ Excellentiæ intimanda, eo quod æmuli Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri, atque vestræ Excellentiæ, die noctuque (y) non desinant pertractare, qualiter nos sibi Deo contrario prævalere ac superare possint. Tamen & ea ipsa scripta, quæ exinde suscepimus, infra has nostras Literas Excellentiæ vestræ direximus, quatenus rei meritum addiscentes agnoscatis, quòd illi à suo maligno proposito, & solitâ nequitiâ nequaquam desistunt. Pro quo, Christianissime bone fili, & spiritalis compater, enixius elaborare atque decertare jubeas, quatenus bonum opus quod cœpisti per te compleatur, & ut Sancta Dei Ecclesia, & ejus peculiaris Populus perfectam habeat liberationem, & securi ab inimicorum insidiis permaneant.

De reliquo verò petimus divinam Dei nostri misericordiam, ut vos per multorum annorum curricula in solio Regni vestri conservare dignetur, unà cum excellentissimis vestris natis, nostrisque spiritalibus filiis Carolo, & Carlomanno, Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, nec non Domna Bertrada excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, vestra conjuge, simulque & Gisila nobilissima puella, nostra spiritali filia, ad exaltationem & defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ, simulque & ejus peculiaris Populi, optantes diu vestræ prosperitatis gaudia addiscere, atque immensam pro vobis divinam implorare clementiam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Domnum Regem directa pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & de conlocutione cum Desiderio Rege in Urbe Ravenna.

(*Epistola ordine XXXIII.*)

(z) D*omno excellentissimo filio & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.*

A Dum tanto vestræ sublimissimæ Excellentiæ beneficio, & impenso opitulationis amminiculo, sancta spiritalis mater, & peculiaris vestra universalis Dei Ecclesia dinoscitur relevata, quæ humana lingua sufficere valeat ad hujus bona vestræ operationis merita gratiarum referre actiones? Et licèt in hoc humanæ considerationis capacitas rependere nequeat, verumtamen ille, qui potens est, omnipotens & invisibilis Dominus Deus noster, cujus ordinatione vestra regalis potentia confirmata consistit, interventionibus sacris Principis Apostolorum Beati Petri, dignam vobis remunerationem in præsenti vita (a) beatitudine retribuet:

B præsertim dum & fortissimus suæ orthodoxæ Fidei, & venerabilium Patrum piæ traditionis defensor esse videris, excellentissime fili, & spiritalis compater, & ob hoc ipsam, quam veneranter colis, & defendere studes, orthodoxam Fidem, semper habebis adjutricem, & profectò cœlestis tibi contra adversantium cuneos administrabitur victoria.

Interea quia magno amoris affectu circa vestram à Deo protectam eximiam Excellentiam fervescimus, debitum visitationis & salutationis gnaviter procuravimus sublimitati vestræ persolvere, eximie fili & spiritalis compater. Hoc interea vestram (b) meminisse volumus Excellentiam, nuper nobis direxisse, quatenus in pacis dilectione cum

C Desiderio Langobardorum Rege conversari studeamus. Quod quidem si ipse excellentissimus vir in vera dilectione & fide, quam vestræ Excellentiæ, & Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ spopondit, permanserit, utique & nos in caritate firma & stabili pace cum eo permansuri erimus, observantes illud Dominicæ præceptionis documentum (c) *Beati Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Hoc itaque innotescimus Christianissimæ eximietati vestræ, eo quòd convênit inter nos & eumdem Langobardorum Regem, ut pariter nos in Ravennatium Urbe præsentare studeamus ad perficiendas quasdam utilitates spiritalis matris

D vestræ Sanctæ nostræ Ecclesiæ, & pertractandum pro Græcorum malitia, qui cotidie imminent in ipsam Ravennam ingredi Civitatem. Dumque pariter præsentati, quicquid collocuti fuerimus, vel rei exegerit meritum, excellentissimæ & à Deo protectæ eximietati vestræ innotescemus. Orantes de reliquo divinam clementiam, ut ad perfectam exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ & orthodoxæ Fidei defensionem, ævis & prosperis temporibus excellentissimam Christianitatem vestram in solio regalis potentiæ, cum dulcissima conjuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, atque amantissimis natis, conservare & protegere dignetur, tribuens vobis &

E æterna cœlestis patriæ gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item

(u) *Lambecius*: ex quando.
(x) *Idem*: vobis velare habuimus.
(y) *Idem*: non desinant pertractandum.
(z) *Gretserus*: Summarium IX. Baronio, & Centuriatoribus.

(a) *Idem, & Lambecius*: vita & futura beatitudine.
(b) *Lambecius*: meminere volumus Excellentiam, nuper nos vobis direxisse.
(c) *Gretserus*: Matthæi cap. 5.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Domnum Pippinum Regem directæ, in qua postulat adjutorium contra Græcos.

(*Epistola ordine XXXIV.*)

(*d*) DOmno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa. Præcellsæ, & à Deo servatæ Christianitati vestræ his nostris Apostolicis innotescimus apicibus, quod jam, absolutis vestris Missis, qui nuper ad nos conjunxerunt, (*e*) Wlchario videlicet sanctissimo Fratre & Coëpiscopo nostro, & Felice Religioso, & Ratberto viro illustri, conjunxit ad nos nuntium missum à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, spiritalis matris vestræ, qui vera nobis semper adsolent indicare: significans nobis, quòd nefandissimi Græci, inimici Sanctæ Ecclesiæ Dei & orthodoxæ Fidei expugnatores, Deo sibi contrario, super nos & Ravennatium partes irruere cupiunt, atque motionem facere. Unde quia alibi, post Deum & Beatum Petrum nostra spes non est, nisi apud vestram nobilissimam Excellentiam, ideo obnixis deprecationibus petimus te, excellentissime fili, & spiritalis compater, ut jubeas propter Deum & reverentiam Beati Petri, salutem istius provinciæ à vobis redemtæ procurare, & confestim vestrum dignemini dirigere Desiderio Langobardorum Regi Missum, ut si necessitas fuerit, significatum auxilium nobis pro incursione eorumdem inimicorum impertire debeat, præcipiens Beneventanis atque Spoletinis, seu Tuscanis, nobis è vicino consistentibus, ut ipsi nostro occurrant solatio. Deprecantes & hoc à Deo institutam Excellentiam vestram, ut ad nos, hoc adveniente Martio mense, vestrum dirigere jubeatis Missum, qui hìc Romæ nobiscum demorari debeat, & ipse, si necessitas exigeret, apud Desiderium imminere debeat Regem, pro eodem nobis transmittendo solatio: quia, ut plenissime satisfacta est vestra Excellentia, non ob aliud ipsi nefandissimi nos persequuntur Græci, nisi propter Sanctam & orthodoxam Fidem & venerandorum Patrum piam traditionem, quam cupiunt destruere atque conculcare.

Pro quo jubeat solite vestra benigna disponere Excellentia, ut eorumdem inimicorum ad nihilum redigatur vesania, & perfectius hæc provincia, vestro certamine redemta, & à vobis Beato Petro pro remedio animæ vestræ concessa, ab æmulorum insidiis vestra consueta permaneat protectione, vobisque copiosa in cœlis adscribatur merces, & nominis vestri laus, & universæ gentis exaltatio, sicut etiam factum est, & nunc multo amplius, in universo Orbe terrarum divulgetur, atque intercedente Beato Petro, victoriæ triumphum è cœlo vobis Dominus super omnes tribuat gentes, dum vestro auxilio confusis expugnatoribus Sanctæ orthodoxæ Fidei, pax & lætitia, & observatio Christianorum Fidei in omnibus prædicata fuerit Ecclesiis, meritoque ex hoc cœlestia vobis à Deo conferantur gaudia.

A Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem (f) directa, de Monacho quodam Acosma ab Alexandrino Patriarcha directo.

(*Epistola ordine XXXV.*)

(*g*) DOmno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa. Quia Spiritus Sancti gratia præveniente, cor benignæ eximietatis vestræ amor Dei inflammavit, profectò constat, à Deo servate B præcellentissime Rex, piis te profectibus adhærere, & dum tantam in vobis cumulatam gratiam conspicimus, omnino nobis & omnibus Christianis fiduciæ materia de vobis admissa est, quòd ea, quæ ad cultum Dei, & veræ Fidei orthodoxæ observantiam respiciunt, toto mentis conatu vos esse operaturos conspicimus.

Inter hæc verò, sublimissime fili, & spiritalis compater, si quid ad nos pervenerit, libentissime sicut orthodoxo Regi, & defensori Fidei Christianæ significamus. Innotescimus quippe, jam absolutis vestris Missis, conjunxisse ad nos navigium à partibus Africæ, in quo C quidam (*h*) Monachus Acosma ab Alexandrino Patriarcha cum Literis directus advenit, quarum instar præfulgidæ Excellentiæ vestræ misimus intuendam, ut ea, quæ nobis pro integritate Fidei ab Orientalibus Præsulibus, & ceteris Nationibus diriguntur, agnoscatis, & lætetur cor vestrum in hujuscemodi eorum affectu, quem in mandatis Dei habere videntur: quia dum piæ considerationis studio mens vestra intenta existit, nimirum oppidò gaudere vos credimus, si ea vobis, quæ pro integritate Fidei pertinent, innotescimus, sed ipsa Sancta orthodoxa, quam venerando colitis, Fides, vos & in præsenti vita longæviter cum victoria foveat, & æterna cum Sanctis D tribuat gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ generalis Populi, Senatusque Romani ad Domnum Pippinum Regem (i) directa, in qua continentur gratiarum actiones, & de Literis, quas Domnus Pippinus Rex eidem Populo direxit pro Fide servanda erga Sanctam Dei, Romanamque Ecclesiam, & Dominum Paulum Apostolicum.

(*Epistola ordine XXXVI.*)

DOmno excellentissimo atque præcellentissimo, & à Deo instituto, magno, victori, Pip- E pino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, omnis Senatus atque universa Populi Generalitas à Deo servatæ Romanæ Urbis. Si interius mente operum vestrorum studia humanus voluerit sensus pensare, nihil, ut opinamur, ad horum vicissitudinem dignum potest existimari, aut in hac temporali vita rependi, sed tan-

(*d*) *Idem*: Summarium VIII. Baronio & Centuriatoribus.

(*e*) *Lambecius*: VVilchario videlicet.

(*f*) *Idem*: directæ.

(*g*) *Gretserus*: Summarium VII. Baronio & Centuriatoribus.

(*h*) *Lambecius*: Monachus Cosmas.

(*i*) *Idem*: directæ. *Sic alibi perpetuò.*

tantummodo illa ſunt conſideranda vobis retribui à juſto judice Domino Deo noſtro, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit diligentibus ſe. Hæc nempe vobis digna eſt retributio, dum nimirum veſtro certamine Sancta Dei Eccleſia atque Chriſtianorum orthodoxa Fides dinoſcitur eſſe defenſa, omniumque noſtrum conſtant procurata ſalutis remedia. Et quia, præcellentiſſime Domine Rex, dignatus eſt Deus noſter redemtionem ſuæ Sanctæ Eccleſiæ, noſtrorumque omnium operari, meritò nos convenit operum ejus mirabilia decantare, conſona cum Propheta canentes voce (k) *quoniam magnificata ſunt opera tua, Deus. Omnia in ſapientia feciſti, repleta eſt terra mirabilibus tuis.* (l) *Quis enim loquatur potentias Domini, auditas faciat omnes laudes ejus?* Lætantur enim cœli, & exultat terra in eo, quòd talem Dominus noſter ſuæ Sanctæ Eccleſiæ contulit defenſorem, per quem cum fiducia nomen Domini in ſancta aula ejus glorificatur.

Directas itaque præcellentiſſimæ ac Chriſtianiſſimæ benignitatis veſtræ Literas magno honoris affectu acceptantes ſuſcepimus, & ita in earum ſuſceptione lætati ſumus, tamquam ſi veſtram Excellentiam præſentialiter conſpiceremus, gemina feſtivitatis gaudia nobis inferentes, dum veſtram lætitiam ampliſſime comperimus, quoniam nihil nobis dulcius, Domine Rex, in hac vita exiſtit, quàm de veſtris proſperitatibus gratulari, dum veſtra ſalus noſtra poſt Deum eſt ſecuritas. At verò in ipſis veſtris mellifluis apicibus (m) nos ſalutari providentia veſtra, & ammonere Præcellentia veſtra ſtuduit, firmos nos ac fideles debere permanere erga Beatum Petrum Principem Apoſtolorum, & Sanctam Dei Eccleſiam, & circa beatiſſimum, & coangelicum ſpiritalem Patrem veſtrum, à Deo decretum Dominum noſtrum Paulum ſummum Pontificem, & univerſalem Papam. Pro quo omnino lætati ſumus in tam veſtra prudentiſſima admonitione. O quanta divinæ adſpirationis interna viſcerum noſtrorum præcordia in nobis, veſtris fidelibus redundant. Verè enim, Domine Rex, profectò Spiritus Dei in veſtro mellifluo inhabitat corde, & ideo tam ſalutari conſilio veſtros bene cupientes admonere ſtuduiſtis. Nos quidem, præcellentiſſime Regum, firmi ac fideles ſervi Sanctæ Dei Eccleſiæ, & præfati ter beatiſſimi & coangelici ſpiritalis Patris veſtri, Domini noſtri, Pauli Summi Pontificis, & univerſalis Papæ conſiſtimus, quia ipſe noſter eſt Pater, & optimus Paſtor, & pro noſtra ſalute decertare cotidie non ceſſat, ſicut & ejus germanus, ſanctæ recordationis, Beatiſſimus Domnus Stephanus Papa, fovens nos, & ſalubriter gubernans, ſicut revera rationales ſibi à Deo commiſſas oves, dum nimirum & mitiſſimus & verè in omnibus miſericors exiſtit, imitator effectus Beati Petri, cujus vices gerit, & dum ejus Vicarius conſiſtit. Nos quidem, excellentiſſime ac Chriſtianiſſime Domine Rex, firmam fiduciam in hujuſcemodi veſtra habemus pollicitatione; ſed obnixe depreca-

A mur, & tamquam præſentialiter veſtris regalibus provoluti veſtigiis, petimus, etiam & per nos Beatus Petrus veſtram aggreditur Excellentiam, ut jubeas, benigniſſime Regum, noſterque poſt Deum defenſor, ita ſolite decertare ac diſponere, ut perfecta Sanctæ Dei Eccleſiæ exaltatio, & Fidei noſtræ orthodoxæ, omniumque noſtrum (n) profligetur defenſio. Petentes & hoc coram Deo vivo, qui vos in Regem per ſuum Apoſtolum Beatum Petrum ungui præcepit, ut dilatationem hujus Provinciæ, à vobis de manu Gentium ereptæ perficere jubeatis, & in eo, quod cœpiſtis, bono permaneatis opere, quatenus in magna ſecuritatis quiete degere valeamus, & ex hoc
B æternam vobis in cœlo exoratam retributionis mercedem recipiatis; quoniam maximam poſt Deum, & Beatum Petrum, in veſtri fortiſſimi Regni brachio poſſidemus ſpem. Credimus in omnipotentis Dei noſtri miſericordiam, quòd ampliſſime nobis ea noſtra ipſa ſpes operum veſtrorum inferat fructum.

Exaudi, Domine Rex, ſupplicationem noſtram omnium bene cupientium vobis, & libentiſſime aures tuas accommoda in hoc ipſum, quod poſtulamus. Sic te exaudiat Dominus in omnibus tuis petitionibus. Tu enim poſt Deum noſter es defenſor & auxiliator, & ſi omnes capitis noſtri capilli linguæ effecti fuerint, non valebunt ob tanta veſtra
C beneficia dignas referre gratiarum actiones. Verumtamen in quantum mens noſtra valet, laudis veſtræ præconia in omnibus gentibus divulgamus. Unde elevatis oculis, extenſiſque palmis ad æthera, Dominum Deum noſtrum immenſis exoramus precibus, ſuâ vos foveri gratiâ, mittens Angelum potentiæ ſuæ propugnatorem ante faciem veſtram, qui omnes adverſarios veſtros expugnans, veſtris ſubjiciat veſtigiis, Regnique veſtri dilatet terminos, & victoriam vobis è cœlo concedat, ad perpetuam atque perennem Sanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtram immenſam ſecuritatem, ævíſque ac feliciſſimis temporibus regale culmen vobis, ac excellentiſſimæ Dominæ Reginæ, atque præclaris veſtris na-
D tis, excellentiſſimis Regibus, concedat poſſidendum, & æterna præmiorum cum Sanctis & electis multipliciter tribuat gaudia. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione Sanctæ Dei Eccleſiæ, & ut Miſſum ſuum Romam dirigeret.

(*Epiſtola ordine XXXVII.*)

E (o) DOmno excellentiſſimo filio, & noſtro ſpiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa. (p) Dum illa, quæ noſtris ſtipendiis aguntur, nulla poſſunt oblivione deleri, quanto magis illa, quæ ad laudem Redemtoris Domini Dei noſtri, ejuſque ſacratiſſimæ Eccleſiæ, & Beati Petri Apoſtolorum Principis, gerun-

(k) *Gretſerus*: Pſalmo 103.
(l) *Idem*: Pſalmo 105.
(m) *Lambecius*: nos ſalutari providentia ammonere Præcellentia veſtra ſtuduit,
(n) *Gretſerus*: procuretur.

(o) *Gretſerus*: Summarium VI. Baronio & Centuriatoribus.
(p) *Lambecius*: Dum illa, quæ ad noſtra ſtipendia aguntur,

geruntur, nec temporum prolixitate, nec diversitate qualitatum, oblivioni mandantur: sed semper ad gloriam supernæ potentiæ, & fidelium ejus pio exemplo permanent (q) declarata? Scias, excellentissime fili, & spiritalis compater, bone orthodoxe Rex, præcelsa vestra & pia operatio, & in Cœlo coram Angelis Dei illustrata fulget, & in universo Orbe terrarum laudabiliter in cunctis gentibus permanet vulgata; quoniam vestro, post Deum, auxilio, & optimo certamine Sancta spiritalis mater vestra, Dei Ecclesia, constat ab inimicorum insidiis erepta, & orthodoxa Christianorum fides ab impugnatoribus defensa. Pro quo exsulta in Domino, & lætare, benignissime Rex, quia nomen Excellentiæ tuæ in libro vitæ exaratum rutilat in conspectu Dei. Interea dum tanta nostro cordi desiderii capacitas imminet, de vestra prosperitate lætos certosque effici, aptum prospeximus, Missis Sanctæ Dei Ecclesiæ nostris relationibus, Excellentiæ vestræ (r) persolvere (s), dum nihil nobis dulcius, nilque suavius in hac vita existit, quàm de vestra prosperitate in Domino jocundari, in eo quod vestra salus, Sanctæ Dei Ecclesiæ & Fidei exaltatio, & vera defensio, (t) ut semper scripsimus, existit. Unde & à te, quia corporali visione procul ab invicem consistimus, per nostras tamen relationes amore mutuo spiritaliter adnecti desideramus.

Itaque nimis deprecamur Excellentiam vestram, sicut per anteriores nostras Literas postulandum direximus, ut jubeatis vestrum fidelissimum Missum hìc ad nos Romam dirigere, qui nobiscum pro insidiis inimicorum demorari debeat, per quem & meritum rei, ut causæ eventus exegerit, Excellentiæ vestræ debeamus significare. (u) Unde nunc direximus ad vestram à Deo servatam Excellentiam præsentem Petrum, primum Defensorem Sanctæ nostræ Ecclesiæ, fidelissimum Missum, cui de omnibus Apostolicis causis injunximus benignitati vestræ exarandum. Quem petimus hilari à vobis suscipi animo, eumque pro amore fautoris vestri Beati Petri Apostolorum Principis in omnibus acceptare, atque nostris precibus aurem benignitatis vestræ accommodare dignemini, & ad nos cum effectu atque lætabundis nuntiis absolvere jubeatis. Supplici deprecatione te bone orthodoxe Rex, quæsumus postulantes, ut sis nobis post Deum firmus protector atque defensor: constanter in eo, quod cœpisti, bono ac pio redemptionis Sanctæ Dei Ecclesiæ permanens opere. (x) Optimè enim præcellenti vestræ Christianitati compertum existit, quanta qualisque sit impia hæreticorum Græcorum malitia, (y) inhianter meditantes atque insidiantes, qualiter Deo illis contrario Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam humiliare atque conculcare, & Fidem sanctam orthodoxam, atque Sanctorum Patrum Traditionem destruere possint.

Sed tu, bone potentissime Rex, viriliter, sicut verè orthodoxus, eisdem impiis resistere hæreticis, atque solitè Sanctam Dei Ecclesiam, & Christianorum orthodoxam Fidem, tuo à Deo protecto solito auxilio atque congruo disposito defendere digneris, (z) quoniam magna, post Deum, in vestra Excellentia, & fortissimi Regni vestri brachio existit fiducia, & credimus quod, Deo cooperante, eadem nostra spes firma permanens ad optatum perducatur desiderium, ut merito ex hoc à justo Domino Deo nostro, vobis in præsenti & futura vita tribuatur remuneratio, Beato Principe Apostolorum interveniente, pro cujus amore in ejus decertatis causis, lætique solitè (a) de vestro proposito effecti, cum Propheta consona canere valeamus voce: *Salvum fac, Domine, Christianissimum Pippinum Regem, quem Oleo Sancto per manus Apostoli tui ungui præcepisti, & exaudi eum in quacumque die invocaverit te.* Cum his verò deprecationibus, & hoc ejus pietatem quæsumus, ut longo senio Regni potentiam Excellentiæ vestræ, (b) commatri à Deo protectæ Reginæ, atque amantissimis natis vestris Domnis Carolo & Carlomanno, præcelsis Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, atque Nobilissimæ Dominæ Gisilæ, salubriter concedat possidendam, tribuens vobis & æternam in cœlestibus Regnis Beatitudinem perfruendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Domnum Pippinum Regem directæ, de sanitate, vel incolumitate ejus percunctandum, simulque & de Missis suis, qui ad Regiam fuerunt directi Urbem.

(*Epistola ordine XXXVIII.*)

(c) D*omno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri Pippino, Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Præmissis nostris apicibus & affatibus, per Droctegandum, (d) & Wlkardum, Deo amabiles, fidelissimos vestros (e) Missos, sumus impensius deprecati eximiam Excellentiam vestram, ut nos certiores atque lætiores reddere annueretis de vestra amplissima sospitate, & de eo, quo profecti estis, itinere, qualiter erga vos Dominus esset operatus. Et dum tanto evoluto tempore nullam à vobis responsionis seriem de hujuscemodi re agnovimus, vehementer noster attritus est animus. At verò per diversos ex ipsis regionibus liminibus Apostolorum advenientes peregrinos didicimus, sospitem te ad propria, præcellentissime fili, & spiritalis compater, esse, annuente Deo, reversum. Unde magno gaudio noster animus relevatus est.

Quapropter destinatis præsentibus nostris Apostolicis Syllabis, visitationis causa, obnixè petimus, ut dignetur sublimis vestra Excellentia, quantocius nos de amplissima incolumitatis vestræ sospitate lætos reddere, signi-

(q) *Idem*: declarata; sicut, excellentissime fili,
(r) *Idem*: persolvere debitum, dum nihil nobis.
(s) *Gretserus*: debitum, *vel* vinculum, *ut infra Epistola* 41.
(t) *Lambecius*: ut sæpe scripsimus, existit; unde &, quia.
(u) *Idem*: Unde opere direximus.
(x) *Lambecius*: Optimè enim Præcellentiæ vestræ Christianitas comperta existit,
(y) *Idem*: inhianter meditantium atque insidiantium.
(z) *Idem*: quoniam magna.
(a) *Idem*: de vestro pio proposito.
(b) *Idem*: vestræ, & spiritali nostræ Commatri.
(c) *Gretserus*: Summarium V. Baronio & Centuriatoribus.
(d) *Lambecius*: & VVulfhardum.
(e) *Idem*: Missos, visi sumus impensius deprecati.

significans, Christianissime fili, & spiritalis compater, qualiter erga vos, & excellentissimam filiam, & spiritalem nostram commatrem, (*f*) & eximios filios agatur, ut noster animus maxima jocunditatis exultet lætitia, quoniam nimio desiderio fervescimus, vestram sedulè addiscere sospitatem, & de vestro gaudio exultare. Quoniam vestra salus exaltatio est Sanctæ Matris vestræ Ecclesiæ, & prosperitas vestra nostra esse probatur lætitia. Itaque, præcellentissime fili, & spiritalis compater, bone & optime Rex, ecce hactenus nullam rei veritatem de nostris Missis, qui à regia profecti sunt Urbe, addiscere valuimus. Dum verò rei agnoscere potuerimus veritatem, confestim eximiæ Excellentiæ vestræ dirigemus in responsis.

His præmissis, Deum cœli petimus, ut vobis & præsentis vitæ longævitatem, & Regni gubernacula cum excellentissima Regina filia & spiritali nostra commatre, Christianissima Regina, vestraque dulcissima conjuge, atque amantissimis vestris natis, nostrisque filiis, iisdem eximiis Regibus & Patriciis Romanorum, perfruendum concedat, & cœlestis Regni participes faciat, nosque permittat de vestra amplissima sospitate semper gratulari. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem directæ, de Marino Presbytero, & ejus iniquò consilio, & de consecratione ipsius.

(*Epistola ordine XXXIX.*)

(*g*) D*Omno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Omnino compertum habet vestra Christianissima Excellentia, qualiter Marinus Presbyter (*h*) noster ibidem ad vos moratur, iniqua operatione contra Sanctam Dei Ecclesiam, Fidemque orthodoxam, Deo sibi contrario, cum Georgio quodam Imperiali à secretis, consilia Sedi nostræ contraria, & vestræ (*i*) simili modo ingerere cupiens. Quod quidem (*k*) & idem Imperator vestræ à Deo protectæ Excellentiæ per suas innotuit Literas. (*l*) Unde quia defensorem Fidei orthodoxæ, atque propugnatorem Gregis sui, vel Populi Christiani liberatorem Christianissimam bonitatem vestram Beatus Apostolus & Princeps Apostolorum Petrus eligere & confirmare dignatus est, idcirco adoptamus atque deprecamur eximiam bonitatem vestram, optime Rex & spiritalis compater, ut jubeas Sanctissimo Fratri nostro (*m*) Wulchario Episcopo præcipere, quatenus ipse eumdem Marinum Presbyterum, nostra vice, Episcopum consecrare debeat, & in una Civitatum vestrarum illis in partibus constituta, in qua prævideriť vestra sapientissima Eximietas, eum ordinare disponite, quatenus perpetrati sceleris sui recordans, se iniquè egisse pœniteat: ne in eo, quod absit, antiquus humani generis hostis mentem illius vagantem inveniens quasi in sublime extollat, sævissimeque quoquomodo valeat funditus disperdere. Sed magis, ut confidimus in vestram benignissimam Excellentiam, atque à Deo præclaram cordis vestri dilatationem, huic nostræ postulationi vestra præclara Excellentia aurem accommodare dignetur, quatenus & ille securus de hujuscemodi re persistat, & nos pro vestra immensa lætitia, atque sospitatis gaudio indesinenter Dominum Deum Cœli exorare jubeamus. Bene valete.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum & Carolomannum Reges directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & de Literis ab eis directis, & ut (n) cum Domino genitore eorum semper pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ decertare debeant.

(*Epistola ordine XL.*)

(*o*) D*Omnis excellentissimis filiis Carolo & Carolomanno Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, Paulus Papa.* Quanto decoris nitore regalis gloriæ fastigium ornetis, ex hoc utique omnibus patenter datur intelligi, dum nimirum, sicut præclaro genere orti, piis operibus ac dignis videmini illustrari moribus. Unde unam quidem hujus divini muneris gratiam possidetis ex genere, & alia fruimini ex opere. Et nec mirum, si tantis infulis gloriæ Nobilitas vestra pollet, dum profectò scriptum est: (*p*) *Generatio rectorum benedicetur.* Glorificamus enim atque conlaudamus Dei nostri clementiam, qui tantam vobis Spiritus Sancti gratiam contulit, jam nempe prædestinatos vos habuit, antequam de materno prodiretis utero; quoniam (*q*) *quos præscivit, & prædestinavit: quos prædestinavit, hos & vocavit, illos & magnificavit.* Verè enim magnificavit Dominus misericordiam suam super vos, & in Reges per suum Apostolum Beatum Petrum vos unguens, defensores Sanctæ suæ Ecclesiæ, atque Fidei orthodoxæ constituit, ut participes, in hoc bono opere, vestri Christianissimi efficiamini genitoris, pro quo digna vobis erit in cœlestibus Regnis cum eo concessa remuneratio, & cum omni eritis Sanctorum computati collegio.

Interea reversus ad nos Petrus primus Defensorum, Missus noster, detulit nobis, quas direxistis, Literas; quibus relectis magnâ cor nostrum repletum est lætitiâ. Per has quippe innotuistis, excellentissimi atque præcellentissimi filii, vos semper in amore Beati Petri, & spiritalis Matris vestræ, Sanctæ Dei Ecclesiæ, atque nostro esse permansuros, & viriliter decertaturos pro ipsius Sanctæ Dei Ecclesiæ, atque Fidei orthodoxæ defensione. Et quidem nobis, boni præcellentissimi Reges, de vestra firma hujuscemodi constantia omnino confidendum est, magnam post Deum in vobis habentes spem. Sed omnipotens Dominus, qui dives est in misericordiis, ad perfectam vos perducat ætatem, tribuens vobis lon-

(*f*) *Lambecius*: & eximios vestros filios.
(*g*) *Gretserus*: Summarium IV. Baronio & Centuriatoribus
(*h*) *Lambecius*: noster, qui ibidem ad vos moratur.
(*i*) *Idem*: simili modo jungere cupiens.
(*k*) *Idem*: & idem Imperator, *sic alibi*.
(*l*) *Idem*: Unde qua defensorem.
(*m*) *Lambecius*: VVilchario.
(*n*) *Idem*: & ut cum Domno & Genitore.
(*o*) *Gretserus*: Summarium XVIII. Baronius. Cent. extra ordinem mentionem faciunt trium Epistolarum ad Carolum & Carlomannum.
(*p*) *Idem*: Psalmo III.
(*q*) *Idem*: Epistol. Paul. ad Roman. Cap. VIII.

longæva ac felicia tempora, corroboretque in vobis fortitudinem brachii sui, atque victores vos super omnes Barbaras efficiat nationes, dilatans Regni vestri terminos, atque de vestro præclaro semine super Regale Solium potentiæ vestræ usque in finem seculi sedere permittat, pro æterna Sanctæ suæ Ecclesiæ universali exaltatione, & Fidei orthodoxæ defensione.

Sed peto, excellentissimi filii, ut imitatores vestri Christianissimi genitoris efficiamini, ejusque Deo placita sequentes vestigia, ut sicut ipse operibus omnibus Gentibus demonstravit, ita quoque & vos bonum quod cœpistis opus perficere studeatis, & viriliter cum eo decertare: quatenus amplissima Sanctæ Dei Ecclesiæ procuretur exaltatio, dum vestro auxilio Beatus Petrus receperit justitias suas, dignamque ex hoc coram Deo, & Angelis ejus, eodem Principe Apostolorum Beato Petro interveniente, cœlestium præmiorum recipiatis remunerationem, (r) & vestri nominis memoria laudabilis maneat in seculum seculi divulgata. Deus autem omnipotens, qui cuncta ex nihilo suæ potentiæ verbo firmavit, suis vos divinis adhærere faciens mandatis, vestra in beneplacito suo dirigat studia, tribuatque vobis prudentiæ industriam, qualiter Regni culmen gubernare valeatis, atque advertantium Gentium nationes vestris subjiciat pedibus, & sicut in præsenti vita Regalem vobis concessit dignitatem, ita quoque & cœlestia vobis conferat præmiorum gaudia.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Dominum Carolum & Carlomannum Reges directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & uberrimæ benedictiones.

(*Epistola ordine XLI.*)

D*omnis excellentissimis filiis Carolo & Carlomanno Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, Paulus Papa*. Missam relationem Excellentiæ vestræ, deferentibus harum gerulis, Droctegango scilicet & Wulfardo, religiosis Abbatibus, suscipientes votivo sumus incolumitatis vestræ nuntio relevati, optantes ut vitam actusque vestros suâ misericordiâ Dominus & protegat, & disponat, atque ad perfectam perducat ætatem. Per easdem siquidem Syllabas innotuistis, maximam vos tenere verecundiam in id, quod interim munerum commoda per harum latores nobis dirigere non valuistis. Sed quid est, dulcissimi atque amantissimi filii, victoriosissimi Reges, quòd nos muneribus vestris lætificare inhiatis? Nulla enim alia munera desideramus, quàm vestræ incolumitatis prosperitatem sedule addiscere, & de vestris profectibus gratulari. (ſ) Hæc est locupletatio nostra, vestram, quam inhianter amplectamur, exultationibus jocunditatem. Hæc est exaltatio Sanctæ Dei Ecclesiæ, & defensio Fidei orthodoxæ, vestræ protectionis integritas.

Vos quippe Dominus elegit præ omnibus Regibus, & liberatores Sanctæ suæ Catholicæ & Apostolicæ constituit Ecclesiæ, & in Reges per manus B. Petri ungui dignatus est.

Sed omnipotens Dominus, per quem Reges regnant, ad perfectam vos perducat ætatem, & Solium Regni vobis, vestroque præclaro semini, (t) ævis prosperisque temporibus ad exaltationem Sanctæ suæ Ecclesiæ, & amplissimam Christianorum orthodoxæ Fidei defensionem concedat possidendum, tribuens vobis è Cœlo victorias, omnesque barbaras nationes vestris Deo imitabilibus subjiciens vestigiis, & æternæ vitæ gaudia largiri dignetur: quatenus, sicut in præsenti vita regnatis, & venturo in seculo cum Christo regnare mereamini; dicatque omnis Populus; (u) *Amen, fiat, fiat*. Bene valete.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Dominum Carolum & Carlomannum Reges directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ.

(*Epistola ordine XLII.*)

D*omnis nobilissimis atque excellentissimis filiis Carolo & Carlomanno Regibus Francorum & Patriciis Romanorum, Paulus Papa*. Olim omnipotens Deus cernens Populi sui Israëlitici lamentationem, & impiam ab Ægyptiis (x) illatam oppressionem, misertus est eis, mittens famulum suum Moysen, per quem signa & prodigia exercens, eundem suum eripuit Populum, & per eum (y) legem illis instruens, ad optatam eos illis perduxit requiem. Cui etiam Josve, (z) ut prælietur bella Domini, adnectitur, atque alios sui divini nominis cultores, eis concessit auxiliatores. Sed in omnibus illis non ita complacuit ejus divina Majestas, (a) sicut in David Rege, servum meum secundùm cor meum, in oleo sancto unxi eum, cui & Regnum & semini ejus in æternum gloriose tribuit possidendum. Sic enim, præcellentissimi atque nobilissimi filii, à Deo instituti Reges, idem Dominus Deus noster in vestra Christianissima complacuit Excellentia, atque in utero matris vos sanctificans, ad tam magnum regale pervexit culmen, mittens Apostolum suum Beatum Petrum per ejus nempe Vicarium; & oleo sancto vos, vestrumque præcellentissimum genitorem unguens, cœlestibus replevit benedictionibus, & Sanctam suam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam atque orthodoxam Christianorum Fidem vobis commisit exaltandam, atque viriliter defendendam. Quod profectò excellentissimi filii, Spiritus Sancti gratia repleti, & cœlesti protectione adjuti, agere totis nisibus (b) statuistis, & vestro auxilio atque certamine ipsa Sancta Dei Ecclesia, spiritalis mater vestra, ab inimicorum insidiis liberata exultat. In Domino Jesu Christo, & in conspectu Divinitatis, vestra effulgent pia opera, & cum David atque Salo-

(r) *Lambecius*: & vestri nominis memoria laudabili famâ maneat.
(ſ) *Gretserus*, & *Lambecius*; Hæc est locupletatio nostra, vestra, quam inhianter amplectimur, exultationis jucunditas. Hæc est.
(t) *Gretserus*: *fortè* longævis.
(u) *Gretserus*: Psalmo CV.
(x) *Lambecius*: infertam oppressionem.
(y) *Idem*: legem illis instituens.
(z) *Idem*: ut præliaretur bella Domini adnectit, atque.
(a) *Idem*: sicut in David Rege & Propheta, testante eodem misericordissimo Deo nostro, in id quod ait: *Inveni David servum meum*.
(b) *Gretserus*; studuistis.

lomone Regibus, & ceteris Dei cultoribus vestra in cœlestibus regnis adscripta sunt nomina.

Interea, dum tanto vestro beneficio dinoscimur esse relevati, amor nos hortatur, Christianissimi ac dulcissimi filii, de vestra prosperitate sedule addiscere & in Domino gratulari. Et ideo visitationis atque salutationis paterno affectu, his nostris Apostolicis apicibus persolvimus vinculum, magnopere præsentem Petrum primum Defensorem Sanctæ nostræ Ecclesiæ, nostrumque fidelem Missum, ad vestram dirigentes Excellentiam, quatenus desiderabilem nostra vice referat salutem. Quem petimus benigne à vobis suscipi, & de vestra per eum sospitate nos certos lætosq; reddi. Obnixe petentes, dulcissimi filii, Excellentiam vestram, ut pia vestigia sequentes, imitatores efficiamini Christianorum parentum vestrorum, nempe & proavi, atque excellentissimi, & à Deo instituti magni Regis genitoris vestri, & præcellentissimæ genitricis vestræ à Deo conservandæ Reginæ, qui verè præ omnibus Regibus fideles Deo & Beato Petro esse comprobantur, quorum merita in cœlestibus regnis fulgent. Unde & petimus misericordiosissimam Dei nostri longanimitatem, ut suâ vos gratiâ protegens (c) ævis & prosperis temporibus regalia sceptra concedat perfruenda, dilatans terminos Regni vestri, & victorias vobis de cœlo tribuat, omnesque adversarios vestris prosternat vestigiis, & sicut terrenum ita & cœleste regnum vobis per infinita secula tribuat possidendum. Bene valete.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Pippinum Regem directæ, (d) de Simeone vel Monacho Remedii Episcopi.

(*Epistola ordine XLIII.*)

D*Omno excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa.* Cum caritatis amor, quem erga vestram à Deo (e) illustratam insignem gerimus Excellentiam, nostro enucleatius vigeat cordi, curæ idcirco nostræ existit, excellentissime Regum, vestræ gnaviter & præclaræ totis obtemperare nisibus voluntati, præsertim dum & amplissimo vestræ Excellentiæ præsidio relevati, & post Deum, ab insidiatorum videamur sævitia erepti. Et ideo quotiens nobis relationum vestrarum apices perferuntur, gratuito acceptantes animo, confestimque quod eorum textus eloquitur, effectui satagimus mancipandum. Unde susceptis in præsenti à Deo protectæ Excellentiæ vestræ Syllabis, nempe relectis protinus, cuncta, quæ ferebantur, in illis libenter adimplevimus. In eis siquidem comperimus exaratum, quòd præsentes Deo amabilis Remedii germani vestri Monachos (f) Simeoni Scholæ Cantorum Priori contradere deberemus, ad instruendum (g) eos in psalmodiæ modulatione, quam ab eo adprehendere tem-

(c) *Idem*: longævis &.
(d) *Lambecius*: de Symeone vel Monachis.
(e) *Idem*: illustram insignem.
(f) *Idem*: Symeoni.
(g) *Idem*: eos psalmodii modulationem.
(h) *Idem*: satisfacimus Christianitatem tuam.
(i) *Idem*: abstollere.

A pore, quo illic in vestris regiminibus extitit, nequiverant. Pro quo valde ipsum vestrum asseritis germanum tristem effectum in eo, quòd non ejus perfectè instruxisset Monachos.

Et quidem, benignissime Rex, (h) satisfacimus Christianitati tuæ, quòd nisi Georgius, qui eidem Scholæ præfuit, de hac migrasset luce, nequaquam eumdem Simeonem à vestri germani servitio (i) abstrahere niteremur. Sed defuncto præfato Georgio, & in ejus idem Simon, utpote sequens illius, accedens locum, ideo pro doctrina Scholæ, eum ad nos accersivimus. Nam absit à nobis, ut quippiam, quod vobis, vestrisque fidelibus onero-

B sum existit, peragamus quoquo modo. Potius autem, (k) ut præfatum est, in vestræ caritatis dilectione permanentes, libentissime, in quantum virtus suppetit, voluntati vestræ obtemperandum decertamus.

Propter quod & præfatos vestri germani Monachos sæpe dicto (l) contradimus Simeoni, eosque optimè collocantes, sollerti industria eamdem (m) psalmodiæ modulationem instrui præcepimus, & crebro in eadem, donec perfectè eruditi efficiantur pro amplissima vestræ Excellentiæ, atque (n) nobilissima germani vestri dilectione, Ecclesiasticæ doctrinæ cantilenas disposuimus efficaci cura permanere. Optantes de reliquo, Excellen-

C tiam vestram (o) ævis ac prosperis temporibus in Domino valere, & Regni perfrui Sceptro, atque triumphales de hostibus, intercedente Beato Petro, consequi victorias. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EX AMALRICO AUGERIO.

CONSTANTINUS Secundus, natione Romanus, post dictum Paulum Sedem Apostolicam tyrannicè occupavit, & post Beatum Petrum Apostolum de facto exstitit Papa XCIX. Anno à Nativitate Domini DCCLXVII. aliter DCCLXVIII. Verumtamen in multis

D Libris inter alios Romanos Pontifices non ponitur, quia ipse non fuit verus Papa.

Item quòd iste Constantinus antea erat Laicus, sed statim ad Sacerdotium fecit se ordinari, ut deinde Papatum obtinere posset, intantum quòd ipse promotus postea cum tyrannica ambitione, & malitia, ipsum obtinuit, favente sibi una parte Cleri & Populi Romani. Sed contra istum Constantinum ab alia parte Cleri & Populi alter electus fuit Stephanus. Propter quod fuit magnum schisma in Ecclesia Dei. Ac tamen ipse Constantinus à Clero & Populo finaliter ab Ecclesia fuit dejectus, & suis oculis propriis ex toto ab eis exstitit privatus, & postea Stephanus,

E qui sequitur, in Romanum Pontificem canonicè fuit electus. Verumtamen ipse Constantinus rexit Ecclesiam de facto uno anno, & uno mense, Constantino Imperatore tunc regnante.

Item

(k) *Idem*: ut prælatum est.
(l) *Lambecius*: contradidimus Symeoni.
(m) *Idem*: Psalmodii modulationem.
(n) *Idem*: nobilissimi Germani vestri dilectione, Ecclesiasticæ doctrinæ Cantilena disposuimus efficaci cura permanendum.
(o) *Gretserus*: longævis ac prosperis.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Constantini Papæ Neophyti ad Domnum Pippinum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones. Et de obitu Domni Pauli Papæ; & postulat, ut in gratia Domni Pippini Regis permanere possit, sicuti Antecessores sui fuerunt.

(*Epistola ordine XCVIII.*)

D*omno excellentissimo filio, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum* (*p*) *Constantinus Papa*. Omnino credimus, jam, præcurrentibus nuntiis, ad vestram excellentissimam, atque à Deo institutam regalem Potentiam pervenisse, (*q*) quòd beatæ recordationis prædecessor noster Domnus Paulus Papa de hac luce, Dei vocatione, subtracto, Urbis vel subjacentium ei Civitatum Populus meam infelicitatem sibimet Pastorem elegerunt. Et ecce cum nimio stupore mentis dico illud, quod nequaquam penitus optabam, nec mea exigeban merita, tam sacrum Apostolatus culmen, magnique oneris Pastoralis adeptus sum curam. Propterea, quia omnipotens Deus per manus ipsius (*r*) Principis Petri atque ejus Vicarii, ad exaltandam suam Sanctam Ecclesiam, & redimendam hanc provinciam, præ omnibus Regibus ac Mundi potentibus, utpote novum Moysen, qui Israëliticum, Dei nutu, redemit Populum, vestram Excellentiam in his diebus eligere ac suscitare jussit. (*s*) Quod profectò, Deo annuente, vestro auxilio ac certamine perpetratum est. Idcirco obnoxiis deprecationibus, tamquam præsentialiter coram vestro mellifluo regali adsistens conspectu, flexo poplite deprecor Præcellentiam vestram, ut illud, quod Beato Petro polliciti estis, simulque & caritatem atque amicitiam, quam cum beatæ recordationis Domno Stephano, Summo Pontifice, vel ejus germano, prædecessoribus nobis, habuistis, omnimodo recordare ac conservare jubeatis, & multo amplius exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & spiritalis matris vestræ, atque orthodoxæ Fidei defensionem, ac hujus vobis commissæ provinciæ perfectam liberationem procurare dignemini, quatenus repositam jam vobis in sidereis mansionibus mercedis coronam, interveniente Beato Petro Apostolorum Principe, ab omnipotente Deo consequi mereamini. Nos enim nequaquam alibi, post Deum, nostram habemus spem, nisi in vestro à Deo corroborato brachio, pro quo & eumdem Dominum Deum nostrum, cui occulta cordis manifestata sunt, proferimus testem, quòd amplius, sicut ipsi prædecessores nostri Pontifices in vestra caritate, ac fida dilectione, atque sincera amicitia firmi atque immutabiles satagimus fine tenus permanere, & per nullam temporum interruptionem à vestra nos caritate, atque à Deo protecti Regni vestri Francorum sincera amicitia (*t*) quo modo (*u*) separabimus. Itaque Christianissime, & à Deo institute, magne victoriosissime, bone Rex, & nostri Dei nutu defensor, interim, diversis nobis imminentibus causis, nulla exstitit possibilitas, donec Missi vestri, qui illuc ad vos directi sunt, revertantur, (*x*) alios duos dirigere Missos. Dum verò illi remeaverint, confestim nostros Missos ad vestri præsentiam dirigemus. Tamen & huic vestro Misso hoc ipsum in ore posuimus, vestræ benignæ Excellentiæ suggerendum. Gesta quippe Sanctorum, de quibus misistis vobis dirigi, in quantum reperire valuimus, vobis transmisimus. Deus autem omnipotens, in cujus manu cor Excellentiæ vestræ regitur, felicia vobis tribuens tempora, omnes adversas Nationes vestris regalibus subjiciat vestigiis, & permultorum annorum metas Regni gubernacula vos cum excellentissima & à Deo illustrata filia nostra, Domna Regina, atque præcellentissimis Regibus, vestris natis, faciat possidere, & æternæ beatitudinis cum Sanctis & omnibus electis ejus per infinita (*y*) annuat effici participes. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ Constantini Papæ Neophyti ad Domnum Pippinum Regem directæ, in qua continetur, quòd à Populo Romano per violentiam electus, & in Sede Apostolica intromissus fuit, postulans, ut in gratia Domni Regis Pippini permanere possit, sicut antecessores sui fuerunt. Et inde de Epistola Theodori Patriarchæ Hierosolymitani, & de aliis Epistolis Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum. Et in Embolo de Georgio, Marino, & Petro.

(*Epistola ordine XCX.*)

D*omno excellentissimo filio, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Constantinus Papa*. Dum internæ mentis intuitu infra memetipsum vehementer considero, quanta mihi incœpti Pastoralis officii debet insistere cura ad pascendas Dominicas rationales oves, valde fateor intolerabilem mœstitiam cordis mei arcano adhæsisse, quia proculdubio non meriti, sed oneris hujuscemodi provectio omnibus curam animarum assumentibus videtur esse (*z*) conferta sollicitudo, (*a*) & qui nimis comprimor, & nullis operum meritis, neque virtutum profectibus (*b*) me præstiturum perpendo, quia divina misericordia inspirante cordis affectu operari jusserit, & illico velut ex gravi somno experrectus, nimio stupore & exstasi invenio, à Deo in me rogatum, quod numquam optavi, quod numquam penitus cogitavi, nec in cor pusillitatis meæ quoquo modo ascendit. (*c*) Ex improvisa enim violentia, manu à Populorum innumerabili concordantium multitu-

(*p*) *Gretserus*: *Mortuo Paulo I. Pontifice in Sedem Apostolicam à factiosis intrusus fuit iste Pseudo-Papa Constantinus, qui mox ad Pippinum duas Epistolas dedit, quarum meminerunt quoque Baronius Anno 767. num. 7. & Magdeburgenses Centur. 8. cap. 10.*

(*q*) *Lambecius*: beatæ recordationis Prædecessore nostro Domno Paulo Papa de hac luce

(*r*) *Idem*: Principis Apostolorum Petri.

(*s*) *Gretserus*: *Lege Baronium Anno 767. num. 5. & seq. & fumi isti statim dissipabuntur.*

(*t*) *Lambecius*: quoquo modo separabimus

(*u*) *Gretserus*: quomodocumque.

(*x*) *Lambecius*: alios ad vos dirigere Missos.

(*y*) *Idem & Gretserus*: annuat secula effici participes.

(*z*) *Gretserus*: collata.

(*a*) *Lambecius*: & quia nimis comprimor.

(*b*) *Idem*: me præstiturum cerno.

(*c*) *Idem*: Ex improviso enim violenti manu à Populorum innumerabili.

titudine, velut validâ aurâ venti raptus, ad tam magnum & terribile Pontificatus culmen provectus sum. Unde sicut navis æquoreis procellis fluctuatur, (*d*) ita ego infelix & inutilis curarum tumultibus, & Populorum proclamationibus, atque lacrymosis ululatibus concutior. Etenim omnes omnino à magno usque ad parvum, proprios dolores ac violentias vociferantes, (*e*) non cessant circumvallare me undique cogitationum certamina, ob consolationem & justitias impertiendas huic à vobis liberato Populo.

O quàm magna & metuenda existit Pastorum solicitudo! Et quomodo infelix possim onerum animarum exsequi curam! Verumtamen, dum protinus jactavi cogitatum meum in Domino, & spei meæ fiduciam (*f*) ad ejus contuli misericordiam, meque, excellentissime, & à Deo protecte, victoriosissime Rex, in vestro solito auxilio, & protectione commisi, paratum jam remedium inveni, & afflictus animus meus paulisper respiravit. Valde enim, post Deum, consortor in vestra regali potentia, & à Deo protecto Regni vestri Francorum robustissimo brachio. Inter hæc itaque considero, quanta sit Dei nostri omnipotentis misericordia, & confestim opima consolationis opportunitas mihi confertur. Ipse enim pro humani generis salute de sinu Patris descendens, Verbum caro factum, de Virgine Maria Domna nostra nasci dignatus est, non amittens Deitatem, *sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens; qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit*. Unde non est dedignatus cum peccatoribus & publicanis loqui ac conversi. Suscepit enim Publicanum, & Evangelistam effecit, Matthæum dico, qui Evangelica verba mundo propagavit: *O multitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Verè *magnus Dominus & laudabilis nimis, & sapientiæ ejus non est numerus*. Qui ponit humiles in sublimi, & mœrentes erigit sospitate. Pro quo, tamquam unum ex Publicanis me existimans, cum gemitu cordis, percusso pectore (*g*) deprecor ineffabilem misericordiam, ut tantum Pastorale officium, quod mihi immerito contulit, me salubriter exsequi, & lucra animarum ejus divinæ Majestati offerre me annuat. Crebrò enim laudem ipsius Redemtoris nostri loquitur os meum, caro, & lingua benedicit Sanctum nomen ejus, qui non merita existimat, sed miseretur, quibus misereri vult.

Præmissis quidem jam vicibus nostris Apostolicis (*h*) apicibus (*i*) jussi sumus intimasse à Deo instituto regali vestro culmini, de recessu prædecessoris nostri Domni Pauli Papæ, & quomodo me indignum & inutilem divina dignatio in Apostolatus ordinem provehere jussit. Unde ecce & nunc iteratis nostris Apostolicis affatibus, debitum honoris ac salutationis affectum & visitationis conatum excellentissimæ Christianitati vestræ aptum (*k*) duximus persolvere. Et quoniam omnipotens
A & longanimis Deus noster, verbum salutis per suum Apostolum Beatum Petrum Excellentiæ vestræ mittens, fortissimum Sanctæ suæ Ecclesiæ, & Fidei orthodoxæ liberatorem ac defensorem te suscitavit atque constituit, præcellentissime fili, & magne orthodoxe Rex: ideo licèt mutatis Pastoribus, cura tamen hujusmodi certaminis ac defensionis (*l*) vobis incumbit. Et ob hoc, tamquam præsentialiter, coram mellifluo vestro regali aspectu consistens deprecor, & per Deum omnipotentem, qui est Judex vivorum & mortuorum, ante cujus conspectum omnia elementa contremiscunt, & abyssi moventur, qui omnia regna Mundi suæ providentiæ nutu
B disponit, qui etiam te, excellentissime fili, ac benignissime Rex, tuosque amantissimos natos, ac meos spiritales filios, in Reges per manus Beati Petri Apostolorum Principis ungui præcepit, firmiter Excellentiam vestram conjuro, ut ea, quæ pro stabilitate Regni vestri, & æternæ vitæ remuneratione Beato Petro polliciti estis, pro exaltatione ac defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, spiritalis matris vestræ, & Sanctæ orthodoxæ Fidei observare, & in omnibus adimplere jubeatis, & in ea caritate ac dilectione, in qua cum nostris Prædecessoribus, Domno Stephano ac Paulo Beatissimis Pontificibus, permansistis, nobiscum permanere jubeatis, & in eadem amicitiæ connexio-
C ne cum mea fragilitate persistere, non nostra, quæ mala sunt merita, existimans, sed adimplens illud divini oraculi præceptum: (*m*) *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ,* (*n*) *mercedem recipiet Prophetæ. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem suscipiet justi.* Et illud quod ipsa veritas Deus noster ait: (*o*) *Qui me recipit, vos recipit. Qui me spernit, vos spernit.*

Considera, bone Rex, quia potuerat Deus noster per Angelum virtutis suæ, aut alio modo liberationem Ecclesiæ suæ, & Fidei orthodoxæ operari. Sed non in alio nisi in tua Excellentia complacuit, quia tibi hoc bonum servatum erat opus. Unde aperte cunctis
D datur intelligi, quia omnia jam ante Mundi constitutionem à Deo prædestinata sunt. An non erat prædestinatus David? De quo (*p*) secundùm carnem Christus in Mundo editus est. Pusillus inter fratres existens, ab ovibus patris ablatus, in Regem unctus est. Et quia à Deo prædestinatus es defensor Sanctæ Dei Ecclesiæ (*q*) ac noster, adesto, exaudi preces nostras, mitissime Rex. Sic te exaudiat Dominus in quacumque die eum invocaveris. Nos quidem (*r*) ita testis nobis Deus noster, cui occulta cordis manifesta sunt, ut plus etiam, quàm præfati nostri prædecessores Pontifices, in vestra à Deo protecti Regni vestri Francorum caritate & dilectione, atque sincera
E fidelitate, cum omni nostro Populo firmâ constantiâ erimus permansuri, & peto coram Deo vivo, ut si forsitan quispiam, spiritu nequitiæ irreptus, contraria de nobis vestro regali culmini garrire attentaverit, nulla ei credulitas admittatur, quia, ut confidimus in

Dei

(*d*) *Idem*: ita & ego.
(*e*) *Idem*: non cessant, & circumvallant.
(*f*) *Idem*: apud ejus contuli misericordiam.
(*g*) *Idem*: deprecor ejus ineffabilem.
(*h*) *Idem*: apicibus visi sumus.
(*i*) *Gretserus*: nisi sumus.
(*k*) *Lambecius*: duximus persolvendum.

(*l*) *Idem*: vobis succumbit.
(*m*) *Gretserus*: Matthæi Cap. 10.
(*n*) *Lambecius*: mercedem accipiet.
(*o*) *Gretserus*: Lucæ Cap. 10.
(*p*) *Lambecius*: de cujus semine secundùm carnem.
(*q*) *Idem*: ac noster adesse.
(*r*) *Idem*: testatur nobis Deus noster.

Dei omnipotentis misericordia, plenius eritis de nostra puritate satisfacti. A

Unde ecce magnopere ad vestra à Deo directa vestigia direximus præsentes fidelissimos nostros Missos, scilicet Christophorum dilectum filium nostrum Presbyterum, atque Anastasium Notarium Regionarium spiritalis matris vestræ, Sanctæ nostræ Ecclesiæ, qui vos de nostra fidelitate, quam erga vestram regalem potentiam gerimus, satisfacere debeant, quibus in ore posuimus hoc ipsum Christianitati vestræ nostra vice enarrandum. Quos petimus, ob reverentiam (*s*) vestri Beati Petri, benigne à vobis & solite suscipi, eisque in omnibus credere, & cum lætabundis nuntiis de vestro benigno proposito & immensa prosperitate absolvere jubeatis. B

Itaque innotescimus Excellentiæ vestræ (*t*) quòd duodecima die præteriti Augusti mensis, quintæ Indictionis, conjuncti ad nos à sancta Civitate quidam religiosus Presbyter Constantinus nomine, deferens Synodicam Fidei missam à Theodoro Hierosolymitano Patriarcha, ad nomen prædecessoris nostri Domni Pauli Papæ, in quo & reliqui Patriarchæ, idest, Alexandrinus & Antiochenus, & plurimi Metropolitani Episcopi Orientalium partium, visi sunt concordasse, eamque cum magna lætitia suscipientes, atque amplectentes, in Populo ambone relegi fecimus. Cujus exemplar in Latino & Græco C eloquio vestræ Excellentiæ direximus, ut agnoscatis, qualis fervor Sanctarum Imaginum (*u*) Orientalibus in partibus cunctis Christianis imminet.

His prælibatis, extensis palmis ad æthera, cum omnibus Dei cultoribus, & cuncto nostro Populo Redemtoris nostri divinam exoramus clementiam, ut suæ extensionis dextera vos protegat, & Regni vestri à Deo confortati Francorum terminos dilatet, atque immensas de hostibus victorias vobis tribuat, cunctosque adversarios regalibus prosternat vestigiis, Regnique gubernacula longo ac prospero senio vobis, unà cum excellentissima filia nostra à Deo protecta Regina, & amantis- D simis natis perfrui concedat possidenda, & sicut temporale ac terrenum Regnum, & cœlestia vobis regna cum omnibus Sanctis, qui ab initio Mundi divinæ placuerunt Majestati, tribuat possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

ITaque hoc Excellentiam vestram petimus, ut jubeas, Christianissime ac mitissime Rex, inspiratus à Deo, ad nos absolvere revertendum sanctissimum fratrem nostrum Georgium Episcopum, atque dilectos filios nostros Marinum & Petrum Presbyteros, qui ad E vestram Præcellentiam à nostro prædecessore Domno Paulo Papa directi sunt. Cotidie enim cum magno ploratu eorum parentes nos adeunt, ut vestram à Deo institutam Excellentiam deprecari debeamus pro eorum absolutione: etiam non possumus eorum lacrymas sufferre. Per te enim, bone misericordissime Rex, salvi effecti sunt, & à manibus persequentis liberati consistunt. Unde magna in Cœlo vobis reposita est mercedis corona, quoniam scriptum est: *Qui salvat, tamquam qui ædificat*. Propterea coram Deo vivo deprecamur, ut in hoc preces nostras exaudias, & ipsos absolvere jubeatis. Ipsis enim revertentibus, cum magna lætitia eos suscipiemus, & caros in nostris visceribus amplecti studebimus. (*x*) Episcopatum enim & Ecclesias, quas tenere videbantur, inordinatæ usque hactenus consistunt. Pro quo jubeat Excellentia vestra disponere, (*y*) quatenus præfati viri ad terram nativitatis eorum revertantur, quia adest tempus, ut pariter cum suis parentibus, & unà nobiscum in Domino exsultent, nosque meritò pro vita & incolumitate vestra fundere valeamus preces.

De Stephano Tertio Papa.

STEPHANUS Tertius, natione Siculus, ex patre Olivo, post dictum Constantinum ab Ecclesia dejectum, in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa C. Anno à Nativitate Domini DCCLXVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCLXIX.

Item quòd iste Stephanus omnes Episcopos Galliæ & Italiæ post suam promotionem apud Urbem Romanam convocavit, & cum eis ibi Synodum celebravit; in qua omnia, quæ à dicto Constantino ad Papatum intruso fuerunt ordinata, præter Baptismum & Chrisma, penitus revocavit. Et postea ipse statuit & ordinavit, ut omni die Dominico & festivo Hymnus Angelicus *Gloria in excelsis Deo &c.* de cetero decantari deberet.

Item quòd iste Stephanus pro Christi Fide longo tempore à Constantino Imperatore exstitit captus & inclusus, in tantum quòd post multas persecutiones & tribulationes migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Vaticano in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè exstitit sepultus.

Item quòd ipse rexit Ecclesiam tribus annis, quinque mensibus, & vigintiocto diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quatuor annis, quinque mensibus, & vigintiocto diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica octo diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO DE PONTIFICIBUS ROMANIS.

TErtius *hinc* Stephanus, *sacris feritate remota*
Culminis invasi, Pauli sortitur honorem:
Strenuus & doctus, decessorum almus alumnus.
Qui presso latrone, Deique examine plexis
Furibus, & tanti sceleris ductoribus actis,
Concordi voto, parilique favore Senatus,
Primatum Cleri bellique Urbisque aurorum (*a*)
Deligitur, digno Præsulque sacratur amore.
Errorum nebulis quo discutiente, cientur
Undi-

(*s*) *Idem*: fautoris vestri Beati Petri.
(*t*) *Idem*: quod duodecimo die præteriti Augusti mensis nunc transacti, quintæ Indictionis, conjunctus ad nos.
(*u*) *Idem*: Orientalibus partibus.

(*x*) *Idem*: Episcopatus enim & Ecclesiæ.
(*y*) *Idem*: quatenus prælati viri.

NOTÆ MABILLONII.

(*a*) favore.

Undique Pontifices, ipsoque vocante gregatur
Concilium Romæ, Patrum sacra jura tuentum.
Opprimitur scitis error, multatur & auctor.
Pœnitet inlicite junctos in sacra ministros.
Perverso censetur onus (*b*), *resecatur iniquum*
Criminis exemplum, divinaque jura dicantur.
Depulso Româ, Ravennam proximus horror
Invadit, premiturque pio fervente rigore
Præsulis, à justo nulla improbitate reflexi.
Usus ab obsequiis Teucrorum (*c*) *numine summo*
Ravennate lupum missorum exturbat ovili,
Pastorique pii moderaminis ostia pandit.
Hancque sibique datam cauta bonitate regendam
Instruit Ecclesiam, Clerique reformat honorem.
Præsulibusque Petri Missas disponit in ara
Rite die (*d*) *fieri lucis, Dominoque quotannis*
Gloria cœlorum Angelico pangatur ab Hymno.
Ornat Apostolicas argenti cultibus aulas,
Utque valet servans proprios tutatur alumnos,
Deceptos patriâ defendere mente laborat,
Sævorumque dolos studiis sedare benignis.

Exemplar Epistolæ (*e*) *Stephani Papæ, ad Domnum Carolum Regem, & ejus præcelsam genitricem directa, in qua continentur gratiarum actiones, & collaudans Itherium Abbatem, & postulans, ut ei digna retributio pro suo certamine fieret.*

(*Epistola ordine XLIV.*)

(*) DOmnæ *religiosæ filiæ Bertradæ Deo sacratæ, seu Domno filio Carolo Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa.* (**) Dum tantos beneficiorum in diversis Apostolicis causis, atque utilitatibus à vobis, cumulatis suffragiis, nimiâ jocunditatis lætitiâ Sancta spiritalis Mater vestra, universalis Dei Ecclesia relevata exultat, nulla, ut opinor, oris assertio ad referendas Sanctissimæ Religiositati vestræ, atque Christianissimæ Præcellentiæ tuæ, gratiarum laudes sufficere valebit. Sed tamen licèt digna vobis ab hominibus pro tanto vestro pio opere rependi non possit vicissitudo, verumtamen misericors Deus noster, qui potens est, & scit bonis bona reddere, ipse copiosam laborum vestrorum vobis cœlestium retribuet præmiorum recompensationem. Sed & nostra sincera cordis habita erga vos affectio sedulò pro vobis divinæ non desistit Majestati orationum (***) persolvere vota.

Itaque præsens Itherius, religiosus ac prudentissimus vir, & revera noster, & vester sincerus fidelis, quem cum suis concomitibus, & reliquis vestris Missis pro exequendis faciendisque justitiis Fautoris vestri Beati Petri, direxistis, ad nos conjungens, illico in partes Beneventani profectus est Ducatus, pro recolligendo illis in partibus (****) sito patrimonio ejusdem Protectoris vestri, Apostolorum Principis. Qui videlicet sollertissimus vir in omnibus secundùm vestram, no-
A stramque decertavit voluntatem, suique laboris constantiam, juxta ut à vobis illi præceptum est, in ipsis Apostolicis exhibuit utilitatibus. Unde nimis cor nostrum in ejus defensionis certamine, & firmâ operationis perseverantiâ, lætatum est, quia profectò secundum quod, cœlestis muneris gratiâ, magnæ scientiæ illustratur prudentia, piis quoque meritis, atque immutilatæ fidei decoratur integritate, tantam in eo reperimus fidelitatem in vestro, nostroque servitio, quantam diutissime nostra ardentiùs de eo optabat agnoscere mens.

Unde maximas atque innumerabiles gratiarum actiones religiosissimæ sobrietati vestræ,
B (*a*) atque (*b*) præsentialiter Christianissimæ Excellentiæ tuæ referimus, & ideo obnixè tamquam præsentialiter, benignitatem vestram petimus, ut amplissimam favoris vestri gratiam atque largitatis munificentiam, & dignam consolationem eidem religioso viro, pro ejus laborioso certamine, quod in vestro atque nostro, ut dictum est, Apostolico servitio exhibuit, impertire jubeatis: quatenus sicut ab Omnipotenti Deo, intercedente Beato Petro, digna operis ejus in cœlestibus Regnis exarata fuerit remuneratio, ita & à vobis consolationis consequatur opem.

Omnipotens autem Deus noster, sacris Apostolorum Principum interventionibus, suâ vos
C circumtegat gratiâ, & præsentis vitæ prospera, & æterna felicitatis vobis multipliciter tribuat gaudia. Incolumem Religiositatem vestram, atque Excellentiam tuam, gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum & Carlomannum Reges directæ, prohibendo, atque cum nimiis adjurationibus obligando, ut de gente Langobardorum uxores minimè acciperent.

(*Epistola ordine XLV.*)

(*c*) DOmnis *excellentissimis filiis Carolo &*
D *Carlomanno Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, Stephanus Papa.* Dum omnium electorum Dei præcipuam vitam, & digna operum merita, in nostram memoriam revolvimus, invenimus profectò nulla eos potuisse qualitatis diversitate ab eorum cordis statu, & pristinâ sponsionis constantiâ amoveri. Unde & variis antiqui hostis suasionibus ac blandimentis circumvallati, immutabiles in suæ mentis firmitate constat permansisse, & ob hoc cum triumpho victoriæ ad optata pertingere meruerunt gaudia. Et nimirum considerandum est, quia si quis quibusdam suasionibus demulcitus, victus fuerit, à recto confestim tramite, qui ducit ad
E vitam æternam, per abrupta declinans devia (*d*) recontendat, ut ex hoc in proclivem delabatur noxam. Nam plerumque certum est,

(*b*) adjudicatur onus pœnitentiæ.
(*c*) Francorum.
(*d*) die Dominico.
(*e*) *Gretserus*: Stephanus IV. electus anno 768. mortuus anno 772.
(*) *Idem*: Hujus Epistolæ meminerunt Centuriatores Cent. 8. Cap. 10. ubi de hoc Pontifice agunt, quem ipsi vocant Stephannm Tertium, & Baronius Anno 772. Qui etiam citant Epistolam ejusdem Stephani ad Pipinum initio Pontificatus scriptam, quâ petiit, ut homines doctos Romam mittat ad Synodum: quæ in apographo non comparet.
(**) *Lambecius*: Dum tantis.
(***) *Idem*: persolvendum vota.
(****) *Idem*: situm patrimonium.
(*a*) *Gretserus*: quasi, *vel* tamquam.
(*b*) *Lambecius*: atque Christianissimæ.
(*c*) *Gretserus*: Recitant hanc Epistolam integram Baronius Anno 770. & Centuriatores Centuria 8. Cap. 10.
(*d*) *Idem*: ire contendat.

eſt, quia idem antiquus hoſtis per infirmam naturam fidelium mentes ſubripere nititur. Hinc eſt, quòd olim primo homini in Paradiſo conſtituto, per infirmam mulieris naturam, peſtiferis valuit ſuadere blandimentis, divinum tranſgredi mandatum, & ob hoc diræ mortis humano generi inrepſit incendium. Et ideo, præcellentiſſimi filii magni Reges, tanto ſtudioſius ejuſdem molimini reſiſtendum eſt, ne quemquam ſuis irretire valeat argumentis, quanto cernimus ſuis crebrò inſidiis ad decipiendum fidelium corda inſiſtere.

Itaque noſtræ perlatum eſt notioni, quod certe cum magno cordis dolore didicimus, quòd Deſiderius Langobardorum Rex (*e*) veſtræ perſuadere dinoſcitur Excellentiæ, ſuam filiam uni ex veſtra fraternitate in connubio (*f*) copulare. Quod certè, ſi ita eſt, hæc propria diabolica eſt immiſſio, & non tam matrimonii conjunctio, ſed conſortium nequiſſimæ adinventionis eſſe videtur. Quoniam plures comperimus, ſicut Divinæ Scripturæ hiſtoriâ inſtruimur, per alienationis injuſtam copulam à mandatis Dei deviare, & in magno devolutos facinore. Quæ eſt enim, præcellentiſſimi filii, magni Reges, talis deſipientia, ut penitus, vel dici liceat, quòd veſtra præclara Francorum gens, quæ ſuper omnes gentes enitet, & tam ſplendiflua ac nobiliſſima regalis veſtræ potentiæ proles, perfida, quod abſit, ac fœtentiſſima Langobardorum gente polluatur, quæ in numero gentium nequaquam computatur, de cujus Natione & leproſorum genus oriri certum eſt? Nullus enim, qui mentem ſanam habet, hoc vel ſuſpicari poteſt, ut tales nominatiſſimi Reges tanto deteſtabili atque abominabili contagio implicentur. Quæ enim (*g*) *ſocietas luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli?* Etenim, mitiſſimi, & à Deo inſtituti benigniſſimi Reges, jam Dei voluntate & conſilio, conjugio legitimo ex præceptione genitoris veſtri copulati eſtis, accipientes, ſicut præclari & nobiliſſimi Reges, de eadem veſtra patria, ſcilicet ex ipſa nobiliſſima Francorum gente, pulcherrimas conjuges, & earum vos oportet amori eſſe adnexos.

Et certè non vobis licet, eis dimiſſis, alias ducere, vel extraneæ Nationis conſanguinitate (*h*) immiſceri. Etenim nullus ex veſtris parentibus, ſcilicet neque avus veſter, neque proavus, ſed nec veſter genitor, ex alio Regno, vel extranea natione, conjugem accepit. Et quis de veſtro nobiliſſimo genere ſe contaminare, aut commiſcere cum horrida Langobardorum gente dignatus eſt, ut nunc vos ſuademini, quod avertat Dominus, eadem horribili gente pollui? Itaque nullus, externæ gentis aſſumpta conjuge, innoxius perſeveravit. Advertite, quæſo, quanti qualeſque potentes per alienigena conjugia à præceptis Dei declinantes, & ſuarum ſequentes uxorum alienigenæ gentis voluntatem, (*i*) validis innexi exceſſibus, immenſa pertulere diſcrimina. Impium enim eſt, ut vel penitus veſtris aſcendat cordibus, alias accipere uxores ſuper eas, quas primitus vos certum eſt accepiſſe. Non vobis convenit tale peragere nefas, qui legem Dei tenetis, & alios, ne talia agant, corripitis. Hæc quippe Paganæ gentes faciunt. Nam, abſit hoc à vobis, qui perfectè eſtis Chriſtiani, atque regale eſtis Sacerdotium. Recordamini, & conſiderate, quia Oleo Sancto uncti per manus Vicarii Beati Petri, cœleſti benedictione eſtis ſanctificati, & cavendum vobis eſt, ne tantis reatibus implicemini. Mementote hoc, præcellentiſſimi filii, quòd ſanctæ recordationis prædeceſſor noſter Dominus Stephanus Papa excellentiſſimæ memoriæ genitorem veſtrum (*k*) obteſtatus eſt, ut nequaquam præſumeret dimittere Dominam & genitricem veſtram, & ipſe, ſicut revera Chriſtianiſſimus Rex, ejus ſalutiferis obtemperavit monitis.

Nam & illud Excellentiam veſtram (*l*) oportet meminiſſe, ita vos Beato Petro & præfato Vicario ejus, vel ejus ſucceſſoribus ſpopondiſſe, ſe amicis noſtris amicos eſſe, & ſe inimicis inimicos, ſicut & nos in eadem ſponſione firmiter dinoſcimur permanere. Et quomodo nunc contra animas veſtras agere contenditis, & cum noſtris inimicis conjunctionem facere vultis, dum ipſa perjura Langobardorum gens ſemper Eccleſiam Dei expugnantes, & hanc noſtram Romanorum Provinciam invadentes, noſtri eſſe comprobantur inimici? Itaque & hoc peto ad (*m*) veſtri referre ſtudete memoriam, eo quòd dum (*n*) Conſtantinus Imperator nitebatur perſuadere ſanctæ memoriæ (*o*) mitiſſimo veſtro Genitori, ad accipiendum conjugio filii ſui Germanam veſtram, nobiliſſimam Giſilam, neque vos (*p*) aliæ Nationi licere copulari, ſed nec contra voluntatem Apoſtolicæ Sedis Pontificum quoquo modo vos audere peragere. Et quam ob cauſam nunc contra Apoſtolica mandata, & voluntatem Vicarii Apoſtolorum Principis, agere conamini, quod nunquam veſter Pater perpetravit? An neſcitis, quòd non infelicitatem noſtram, ſed Beatum Petrum, cujus, licèt immeriti, vices gerimus, ſpernitis? Scriptum eſt enim: (*q*) *Qui vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Recordamini peto, excellentiſſimi filii, quomodo (*r*) vos fide dicere viſus eſt præfatus veſter Domnus ac Genitor, promittens in veſtris animabus Deo, & Beato Petro, atque ejus Vicario antefato ſanctæ recordationis prædeceſſori noſtro, Domno Stephano Papæ, firmiter debere vos permanere ergà Sanctæ Eccleſiæ fidelitatem, & omnium Apoſtolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam caritatem: & poſtmodum prædeceſſori noſtro Domno Paulo Papæ eadem vos, unà cum eodem veſtro Genitore, certum eſt plerumque per Miſſos & ſcripta promiſiſſe. Et poſt deceſſum antefati ſanctæ memoriæ Patris veſtri, & vos ipſi ſæpius tam per veſtros Miſſos, quàmque per Literas, ſimulque & per Sergium fideliſſimum noſtrum Nomenclatorem, & per alios noſtros Miſſos nobis ſpopondiſtis, in eadem vos veſtra promiſſione,

(*e*) *Lambecius*: veſtram perſuadere dinoſcitur Excellentiam.
(*f*) *Idem*: copulari.
(*g*) *Gretſerus*: Epiſt. 2. Corinth. cap. 6.
(*h*) *Lambecius*: immiſci.
(*i*) *Idem*: validis inrepti exceſſibus.
(*k*) *Idem*: obteſtavit.
(*l*) *Idem*: oportet meminere.
(*m*) *Gretſerus*: veſtram.
(*n*) *Idem*: Copronymus.
(*o*) *Lambecius*: mitiſſimum veſtrum genitorem.
(*p*) *Gretſerus*: alii.
(*q*) *Idem*: Matthæi cap. 10. & Lucæ eap. 10.
(*r*) *Idem*: vobis fideliter. *Sic corrigit Baronius.*

ne, ficut Genitor vester, circa Sanctam Dei Ecclesiam, & nostram fidelitatem, esse perseveraturos.

Sed & illud quæso, (f) ad vestram referte memoriam, qualiter vos præfatus Dominus Stephanus Papa, in suo transitu, per sua scripta, sub terribili adjuratione adhortari studuit, firma stabilitate vos esse permansuros erga dilectionem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & illibatam caritatem Apostolicæ Sedis Pontificum, & omnia vos adimplere, juxta vestram eidem Dei Apostolo adhibitam sponsionem? (t) Et (u) nunc ita est vestra promissio? O quantum laborem sustinuit isdem præcipuus ac Beatissimus Pontifex, qui ita imbecillis existens, tanto se exhibuit prolixi itineris periculo; & nisi Dominus præsto fuerit, in vacuum ejus labor deducetur. Fuitque nobis iter illud, quod ibidem noster prædecessor in Franciam properavit, in magnam ruinam, dum nostri inimici plus nunquam quàm pridem in superbiæ ferocitatem elevati sunt. Et ecce quod verebamur, evenire cernimus, conversaque sit nostra lætitia in luctum, & facta sunt novissima mala pejora prioribus, & unde exspectabamus nobis lumen oriri, eruperunt tenebræ.

Quapropter & Beatus Petrus, Princeps Apostolorum, cui Regni cœlorum claves à Domino Deo traditæ sunt, & cœlo ac terra (x) ligandi, solvendique concessa est potestas, firmiter Excellentiam vestram per nostram infelicitatem obtestatur, simulque & nos unà cum omnibus Episcopis, Presbyteris, & ceteris Sacerdotibus, atque cunctis Proceribus, & Clero Sanctæ nostræ Ecclesiæ, Abbatibus etiam & universis Religiosis, divino cultui deditis, seu Optimatibus, & Judicibus, vel cuncto nostro Romanorum istius Provinciæ Populo, sub divini judicii obtestatione vos adjuramus per Deum vivum & verum, qui est Judex vivorum & mortuorum, & per ejus ineffabilem divinæ Majestatis potentiam, atque per tremendum futuri Judicii diem, ubi omnes Principes & Potestates, & cunctum humanum Genus, cum tremore assistere habebimus, nec non & per omnia divina mysteria, & sacratissimum Corpus Beati Petri, ut nullo modo quisquam de vestra fraternitate præsumat filiam jam dicti Desiderii Langobardorum Regis in conjugium accipere. Nec iterum vestra nobilissima Germana, Deo amabilis Gisila, tribuatur filio sæpe fati Desiderii. Nec vestras quoquo modo conjuges audeatis dimittere. Sed magis recordantes, quæ Beato Petro Apostolorum Principi polliciti estis, viriliter eisdem nostris inimicis resistite, distringentes eos firmiter, ut propria Sanctæ (y) Dei Ecclesiæ Romanæ Reipublicæ reddere debeant, eo quòd omnia, quæ vobis polliciti sunt, transgredientes, nos cotidie adfligendo, & opprimendo non cessant: etiam quia aliquid nobis reddere minimè sunt inclinati; etiam & nostros invadere fines noscuntur, & tantummodo per argumentum in præsentia de vestris Missis simulant (z) justitiis nequaquam recipere valuimus.

Unde ecce, ut cuncti nostri dolores subtiliter vestris auribus suggerantur, direximus nostros Missos, videlicet Petrum dilectum filium nostrum Presbyterum, & Pamphilum Defensorem Regionarium Sanctæ nostræ Ecclesiæ, quos & de imminente nobis tribulatione, nec non & de singulis causis subtiliter informavimus, vestro regali (a) intimandis culmini. Et petimus, ut solita benignitate eos suscipere, nostræque petitioni vestras à Deo inspiratas aures accommodare dignemini, & amplissimam liberationem, atque exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, spiritalis matris vestræ, & istius à vobis redemtæ Provinciæ defensionem perficere jubeatis, ut perfectam remunerationem à justo Judice Deo nostro, intercedente ejus Principe Apostolorum Beato Petro, suscipiatis.

Præsentem itaque nostram exhortationem atque adjurationem in Confessione Beati Petri ponentes, & sacrificium super eam atque hostias Deo nostro offerentes, vobis cum lacrymis ex eadem sacra Confessione direximus. Et si quis, quod non optamus, contra hujusmodi nostræ adjurationis atque exhortationis seriem agere præsumserit, sciat se auctoritate Domni mei Beati Petri Apostolorum Principis, anathematis vinculo esse innodatum, & à regno Dei alienum, atque cum diabolo, & ejus atrocissimis pompis & ceteris impiis æternis incendiis concremandum, deputatum. At verò qui observator & custos istius nostræ exhortationis exstiterit, cœlestibus benedictionibus à Domino Deo nostro illustratus, æternis præmiorum gaudiis, cum omnibus Sanctis & electis Dei, particeps effici mereatur. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Domnum Carolum Regem, & ejus præcelsam genitricem directæ, de Christophoro, & Sergio filio ejus, qui cum Dodone, & ceteris Francis Stephanum Papam interficere conati sunt.

(*Epistola ordine XLVI.*)

(b) DOmnæ *religiosæ filiæ Bertradæ, Deo consecratæ, seu Domno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa.* Cum magno dolore & gemitu cordis, tribulationis atque mortis periculum, quod nobis per sequaces diaboli jam eveniebat, ecce subtilius per has nostras Apostolicas Syllabas à Deo consecratæ religiositatis vestræ, atque præcellentissimæ Christianitatis tuæ auribus intimare studemus, eo quòd nefandissimus Christophorus, & Sergius nequissimus ejus filius, consilium ineuntes cum Dodone, Misso germani tui Carlomanni Regis, nos interficere insidiabantur. Unde cum eodem Dodone, & ejus Francis, cum aliquibus eorum nequissimis consentaneis aggregantes exercitum super nos, in Lateranensium Sanctum Patriarchatum cum armis ingressi sunt, confringentes & januas, atque omnes cortinas ipsius venerandi Patriarchii lanceis perforantes, atque intus in Basilicam Domni Theodori Papæ, ubi nullus ausus est aliquando

(f) *Lambecius*: ad vestri referte memoriam.
(t) *Idem*: Et ubi nunc ista est vestra promissio?
(u) *Gretserus*: *fortè*, ubi nunc.
(x) *Lambecius*: ligandi, absolvendique.
(y) *Idem*: Dei Ecclesiæ, & Romanæ Reipublicæ.
(z) *Idem*: justitias nobis faciendum.
(a) *Idem*: intimandum Culmini: & petimus, ut solitè benignè eos suscipere.
(b) *Gretserus*: Hujus Epistolæ Summarium recitant Baronius, & Centuriatores.

do vel etiam cum cultro ingredi, cum loricis & lanceis, ubi sedebamus, introierunt. Sicque ipsi maligni viri insidiabantur nos interficere. Sed omnipotens Deus cernens rectitudinem cordis nostri, quòd nulli umquam malum cogitavimus, de eorum nos eripuit manibus, & vix per multum ingenium, dum hic apud nos excellentissimus filius noster Desiderius Langobardorum Rex, pro faciendis nobis diversis justitiis Beati Petri existeret, per eamdem occasionem valuimus, cum nostro Clero, refugium facere ad protectorem vestrum, & continuò direximus nostros Sacerdotes ad eosdem malignos Christophorum atque Sergium, ut ab eadem iniquitate, quam pertractaverant (c) nobis ingerere, resipiscerent, & ad nos ad Beatum Petrum properarent. Illi mox, ut audierunt, de præsenti, cum Dodone & ejus Francis turmas facientes, & portas Civitatis claudentes, fortiter resistebant, & nobis comminabantur, atque in Civitatem nos ingredi minime permittebant. Et dum in eadem perfidia permanerent, & cognovisset universus noster Populus eorum iniquum consilium, de præsenti eos dereliquerunt, qui etiam & plures per murum descendentes ad nos properaverunt. Alii verò portam Civitatis aperientes, ad nostri progressi sunt præsentiam, & ita ipsi maligni viri coacti atque nolentes ad nos in Ecclesia (d) Sancti Petri sunt deducti. Quos interficere universus Populus nitebantur, & vix de eorum manibus eos valuimus eripere. Et dum infra Civitatem nocturno silentio ipsos salvos introducere disponeremus, ne quis eos conspiciens interficeret, subitò hi, qui eis semper insidiabantur, super eos irruentes, eorum eruerunt oculos, Deo teste dicimus, sine nostra voluntate atque consilio.

Unde magno dolore nostrum atteritur cor, & credite nobis à Deo consecrata filia, atque excellentissime fili, nisi Dei protectio, atque Beati Petri Apostoli, & auxilium excellentissimi filii nostri (e) Desiderii Regis fuisset, jam tam nos, quam noster Clerus, & universi fideles Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostri, (f) in mortis decidissemus periculum. Ecce quantas iniquitates & diabolicas immissiones hic seminavit, atque operatus est prædictus Dodo, ut qui debuerat in servitio Beati Petri & nostro fideliter permanere, ipse è contrario animæ nostræ insidiabatur. Non agens juxta id, quod à suo Rege illi præceptum est, in servitio Beati Petri, & nostra obedientia fideliter esse permansurum. (g) Et certò credimus, quòd, dum tanta ejus iniquitas ad aures excellentissimi filii nostri Carlomanni pervenerit, nullo modo ei placebit, in eo quòd in tantam deminorationem, atque devastationem, Sanctam Dei Ecclesiam is Dodo cum præfatis suis nefandissimis sequacibus, cupiebat deducere. Et ideo nostras tribulationes & angustias atque pericula à Deo institutæ religiosissimæ Christianitati tuæ, atque Excellentiæ vestræ innotuimus, quoniam profectò omnipotens Deus credentes in se, & confidentes in ejus misericordia non dereliquit.

Agnoscat autem Deo amabilis Religiositas vestra, atque Christianissima Excellentia tua, eo quòd in nomine Domini bona voluntate nobis convênit cum præfato excellentissimo, & à Deo servato filio nostro Desiderio Rege, & omnes justitias Beati Petri ab eo plenius & in integro suscepimus. Tamen & per vestros Missos de hoc plenissime eritis satisfacti. Deus autem omnipotens sua vos protectionis dextera circumtegat, & præsentis Regni gubernacula (b) ævis atque prosperis temporibus perfrui annuat, & æterna præmiorum gaudia multipliciter faciat adipisci. Incolumem Religiositatem vestram, atque Excellentiam tuam gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Dominum Carolum & Carolomannum Reges directa, in qua continentur uberrimæ benedictiones, & pro eorum fraternitatis concordia, gratiarum actiones, & de justitiis Sancti Petri.

(*Epistola ordine XLVII.*)

(i) **D**Omnis excellentissimis filiis Carolo & Carolomanno Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, Stephanus Papa. Benedictus Dominus Deus noster, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolator & propitiator existit omnium invocantium eum in veritate. Ipse enim Redemptor noster preces clamantium ad se, exaudiens mœrentium tribulationes ad gaudium convertit, quòd certe nunc in nobis, atque universo peculiari Populo Sanctæ Dei Ecclesiæ ejus, divinæ pietatis clementiam, & misericordiæ benignitatem cernimus esse diffusam, in eo quòd nostræ orationis vota exaudiens, & mœroris nostri lamentationem, quam usque hactenus habuimus (k) ex ipsa divisione discordiæ, quam antiquus hostis, inimicus pacis, intra vestram fraternitatem immiserat; nunc Deo propitio, eodem pestifero æmulo confuso, in communem dilectionem & concordiam, ut verè uterinos & germanos fratres, vos connexos esse discentes, in magnam lætitiam convertere dignatus est.

Itaque præcellentissimi filii, magni victoriosissimi Reges, & Dei providentiâ nostri Romanorum Patricii, conjungentes ad nos fidelissimi ac solertissimi vestri Missi, scilicet (l) Gauzibertus reverendissimus & sanctissimus Frater noster Episcopus, atque (m) Fuchbertus religiosus, & Ansfredus seu Helingarius gloriosissimi vestri, detulerunt nobis honorabiles Syllabas à vestra à Deo instituta regali potentia directas. Per quas innotuistis, contentionis rixas ac litigia inter vos versata fuisse: sed, annuente Domino, nunc ad veram dilectionem, & unitatis concordiam, & fraternum amorem conversi exstitisse videmini. Quo audito, magno gaudio atque lætitiâ, unà cum universo Populo nostro istius Provinciæ, à vobis redemtæ, repleti sumus, & gemina festivitatis gaudia peregimus: immensas Deo nostro omnipotenti referentes gratiarum actiones, atque victricem ejus clementiam collaudan-

(c) *Lambecius*: nobis ingerendum, resipiscerent.
(d) *Idem*: Beati Petri.
(e) *Idem*: Desiderii Regis adesset, jam tam nos.
(f) *Idem*: in mortis deciderem us periculum.
(g) *Idem*: Et certè credimus,
(b) *Gretserus*: longævis.

(i) *Idem*: Meminerunt hujus Epistolæ Baronius & Centuriatores.
(k) *Lambecius*: ex ipsa divisione, & discordia illa quam antiquus hostis.
(l) *Idem*: Gausibertus.
(m) *Idem*: Fulbertus.

ſtantes, conſona cum prophetica voce cantantes atque dicentes: (n) *Benedictus es, Domine Deus noſter*, & benedicta omnia opera tua. Ecce enim nunc gaudet Deus noſter in cœlis, gaudet & univerſus chorus Angelorum, & in terra etiam cunctus exſultat Populus Chriſtianus, & ſolus Diabolus inimicus pacis, & diſcordiæ ſeminator luget, dum victum ſe eſſe & ſuperatum conſpicit. Non enim aliter fidelium mentes exiſtimare (o) poterant pervenire, quàm quod nunc factum eſſe gaudemus, ſi Deus omnipotens illam pacem & fraternam dilectionem in vobis multiplicet, & multiplicatam corroboret, quam ſuis donavit Sanctis Apoſtolis. Unde de veſtra unitate etiam Sancta ſpiritalis mater veſtra Dei Eccleſia, & ejus univerſus Populus exſultat. (p) Nam ſi verò & in his ipſis veſtris ferebatur apicibus, tota veſtra virtute vos eſſe decertaturos pro exigendis juſtitiis protectoris veſtri Beati Petri, & Sanctæ Dei Eccleſiæ, atque in ea promiſſione amoris, quæ à veſtro pio genitore ſanctæ recordationis Domno Pippino eidem Principi Apoſtolorum, & ejus Vicariis facta eſt, polliciti eſtis eſſe permanſuros, & plenarias juſtitias Sanctæ Dei Eccleſiæ, atque ejus exaltationem eſſe operaturos. Et quidem nos, excellentiſſimi filii, Chriſtianiſſimi magni Reges, omnino de hoc certi, atque in omnibus ſatisfacti ſumus. Quòd nulla hominum ſuaſio, aut theſaurorum copioſa datio vos poterit declinare, aut ab eadem veſtra promiſſione, quam Beato Petro ſpopondiſtis, quoquo modo immutare: tamen nunc firmitatem veſtram comprobavimus, dum non corruptori & fragili homini, ſed Deo omnipotenti, & ejus Apoſtolorum Principi, placere procuraſtis. Unde obnixe, tamquam præſentialiter, petimus, & coram Deo vivo, qui vos regnare præcepit, conjuramus Excellentiam veſtram, ut plenarias (q) juſtitias Beati Petri, ſub nimia velocitate, ſecundùm capitulare, quod vobis per præſentes veſtros fideliſſimos Miſſos direximus, exigere, & Beato Petro reddere jubeatis; ſicut & veſtra continet promiſſio, & omnia, quæ Beato Petro, & ejus Vicariis, cum veſtro (r) ſanctæ memoriæ progenitore promiſiſtis, adimplere dignemini; quatenus intercedente eodem Principe Apoſtolorum, perfectam ab omnipotenti Deo in præſenti vita, & futura beatitudine (ſ) ſuſcipiatis, poſt Deum in nobis habemus fiduciam, & in veſtro amore atque caritatis dilectione firmiter, uſque ad animam, & ſanguinis effuſionem, unà cum univerſo Populo permanemus atque permanebimus. Tamen & de hoc, & de omnibus juſtitiis Beati Petri prædictis veſtris Miſſis ſubtilius locuti ſumus, veſtro regali culmini (t) cuncta enarranda, & jam, ſicut terra ſitiens imbrem præſtolatur, ita veſtrum auxilium & congruum effectum de noſtris petitionibus poſtulamus.

Et videte, excellentiſſimi filii, quia obteſtamur vos per tremendum diem judicii. Etiam Beatus Petrus per nos vos adhortatur, atque obteſtatur, ut ſub nimia velocitate ipſas juſtitias ejuſdem Principis Apoſtolorum exigere à

A Langobardis jubeatis, fortiter eos cum Dei virtute diſtringentes, ut ſua propria idem Princeps Apoſtolorum, atque Sancta Romana (u) Eccleſia recipiat. Nam ſi, quod non credimus, ipſas juſtitias exigere neglexeritis aut diſtuleritis, ſciatis vos de iſtis rationem fortiter ante tribunal Chriſti eidem Principi Apoſtolorum eſſe facturos. Si quis autem vobis dixerit, quòd juſtitias Beati Petri recepimus, vos ullo modo ei non credatis. Deus autem omnipotens ſuâ vos dexterâ protegat, & victoriam vobis de Cœlo tribuat, ſuumque Angelum ante faciem veſtram mittat, qui vos præcedat, & inimicos veſtros coram veſtris proſternat veſtigiis, atque à Deo inſtituti Regni
B veſtri terminos dilatet, (x) & præſenti Regno longæviter ac proſpere gubernacula perfrui faciat. Etiam & poſt hujus (y) vitæ longævitatem, cœleſtia vobis regna per infinita tribuat ſecula poſſidenda.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolomannum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & poſtulabat, ut Filium ſuum ex fonte ſacri Baptiſmatis ſuſcipere mereretur.

(*Epiſtola ordine XLVIII.*)

(*) DOmno excellentiſſimo filio Carlomanno Regi Francorum, & Patricio Roma-
C norum, Stephanus Papa. Dum tantam piæ conſiderationis gratiam atque efficacem ſolertiam Creator noſter omnipotens Dominus veſtro mellifluo Regali cordi pro defenſione, & exaltatione Sanctæ Suæ Eccleſiæ infundere dignatus eſt, præcellentiſſime fili, ac benigniſſime Rex, idcirco opinatiſſimi nominis tui præclara memoria, & indita cœlitus prudentia in toto Orbe terrarum divulgata permanet, etiam in cœleſtibus Regnis digna operum tuorum refulgent merita. Unde beatus es, bone Chriſtianiſſime Rex, quòd quidem nos conſpectâ fidei tuæ conſtantiâ, quam in Apoſtolicis cauſis, & noſtri amoris fervo-
D re habere dinoſceris, firmi in tua dilectione permanentes, ſedulò eidem noſtro Conditori, pro immenſa veſtra lætitia, & à Deo inſtituti Regni veſtri ſtabilitate, preces fundere nequaquam deſiſtimus.

Interea conjungentes ad nos Beraldus Religioſus Abbas, & Audbertus vir inluſter, detulerunt nobis honorandas, nimiſque deſiderabiles Syllabas à Deo protectæ Excellentiæ veſtræ, quas cum magno honoris affectu ſuſcipientes, atque relegentes, quæ in eis ferebantur, omnino agnovimus. Sed & ipſi veſtri fideliſſimi Miſſi, ea, quæ à veſtra à Deo protecta Excellentia injuncta habuerunt, nobis ſubtilius retulerunt. De quibus, ſicut ve-
E ſtris fidelibus, ad ſingula eis reſponſum reddidimus, veſtro à Deo inſpirato culmini liquidò enarrandum.

At verò quia amoris veſtri fervor in noſtris firmiter viget præcordiis, magna nobis deſiderii ambitio inſiſtit, præcellentiſſime Regum, ut Spiritus Sancti gratia ſcilicet com-

pater-

(n) *Muratorius*: Danielis cap. 3. verſ. 26. & 52.
(o) *Lambecius*: poterunt.
(p) *Gretſerus*: Namque.
(q) *Lambecius*: juſtitias Beato Petro.
(r) *Idem*: ſanctæ memoriæ pio genitore;
(ſ) *Idem*: ſuſcipiatis mercedem, poſt.

(t) *Idem*: cuncta enarrandum, & propterea ſicut.
(u) *Idem*: Eccleſia & Reſpublica recipiat.
(x) *Idem*: & præſentis Regni.
(y) *Idem*: vitæ inævitatem.
(*) *Gretſerus*: Summarium apud Baronium & Centuriatores.

paternitatis affectio inter nos adveniat. Pro quo obnixè quæsumus Christianitatem tuam, à Deo institute bone Rex, excellentissimeque fili, ut de præclaro ac Regali vestro germine, quod vobis Dominus pro exaltatione Sanctæ suæ Ecclesiæ largiri dignatus est, in nostris ulnis ex fonte Sacri Baptismatis, aut etiam per adorandi Chrismatis unctionem spiritalem suscipere valeamus filium: ut eâdem, Deo prosperante, compaternitatis gratiâ in medio nostrûm corroboratâ, magnâ lætitiâ ex hoc tam nos, quàmque universus noster Populus pariter relevati, exsultare valeamus in Domino.

Deus autem omnipotens, per quem Reges regnant, & Principes imperant, suâ vos protegat gratiâ, & victoriam vobis de cœlo pro suæ Sanctæ Ecclesiæ defensione tribuat, atque longævos & sospites in solio Regni pariter cum excellentissima & Christianissima filia nostra Regina, dulcissima vestra conjuge, & amantissimis natis conservare, & cœlestis Regni æterna gaudia concedere dignetur possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EX AMALRICO AUGERIO.

De Adriano Primo.

ADRIANUS Primus, natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione Vialata, fuit natus, & post dictum Stephanum Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CI. Anno à Nativitate Domini DCCLXXI. Sed secundùm aliam Chronicam dicitur de DCCLXXII., & in alia de DCCLXXIII.

Item quòd iste Adrianus multa bona fecit. Nam ipse Sanctum Anastasium apud Aquam Salviam ab incendio liberavit; & turres & muros, qui ceciderant apud Romam, & usque ad fundamentum fuerant destructi, renovavit, & portas majores æreas Ecclesiæ Beati Petri dedit, & ipsas ob reverentiam ipsius poni fecit. Et postea apud Romanam Urbem Synodum celebravit. Tam infra Romanam Urbem, quàm etiam extra, multas Ecclesias destructas restauravit, & de novo eas reparari fecit. Et quòd Hymnus Angelicus *Gloria in excelsis Deo* &c. omni die festivo decantari deberet.

Item quòd ipse instituit, & ædificari fecit unum Monasterium in honorem Sancti Stephani apud Urbem Romanam, juxta Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, ibique Congregationem, seu Conventum Monachorum statuit & ordinavit. Qui quidem Monachi cum aliis, qui erant in tribus Monasteriis, juxta Ecclesiam prædictam Beati Petri olim per Beatum Gregorium instituti, in Ecclesia Beati Petri Laudes & Cantus sedulè persolvere deberent.

Item quòd iste Adrianus cum auxilio Caroli tunc Imperatoris & Regis Franciæ, omnes Civitates, Castra, Villas, & alia bona ad patrimonium Beati Petri Apostoli pertinentia, quæ Desiderius Rex Langobardorum sibi abstulerat & occupaverat, recuperavit, & ad pristinum statum perduxit.

Item quòd ipse Adrianus post multas persecutiones & tribulationes ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & populo exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam XXIV. annis, X. mensibus, & XXVIII. diebus, Constantino V. Imperatore tunc regnante.

E MUSEO ITALICO JOHANNIS MABILLONII.

Vita & textus Epistolarum Adriani I. Papæ.

ADrianus igitur natione Romanus, ex patre Theodoro, & regione . . . . . Via Lata, sedit annos XXIII. menses X. dies XVI. Hic igitur Domno Stephano Papa rebus humanis exemto, ad ordinem Episcopatus communi concordia omnium Clericorum ac Populorum electus est, sicut eorum Decretum monstrat, quod ita habet: (1) *Inter cetera, quæ summæ Divinitatis consilio disponuntur, Pontificalis promotionis sublimitas ipso, à quo procedit omne quod bonum est, prædestinante ac largiente conceditur* &c. *Diu enim nobis in oratione manentibus, ut omnium mentibus cœlestis dignatio demonstraret, quem dignum ad successionem Apostolicæ vicis jubeat eligendum, ejus gratia suffragante, & omnium animis inspirante, in uno convenientibus nobis, ut moris est, idest cuncti Sacerdotes ac Proceres Ecclesiæ, & universus Clerus atque Optimates, & universa militaris præsentia, seu Cives honesti, & cuncta generalitas Populi istius à Deo servatæ Romanæ Urbis, si dici fas est, à parvo usque ad magnum, in personam Adriani, sanctissimi hujus Sanctæ Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Diaconi, Deo cooperante, & Beatorum Apostolorum annisu, concurrit atque consentit electio. Cujus Deo amabilis viri tantum meruit apud omnium conscientias bonæ & pudicæ conversationis professio, ut nullus in ejus electione divideret, nullus abesset, nullusve se ipsum subtraheret. Quem enim ad hoc Apostolicæ vicis officium* &c. *& Salvatore nostro protegente valeat. Hoc verò Decretum à nobis factum subter, ut prælatum est, manibus propriis roborantes, in Archivio dominæ nostræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in sacro Lateranensi scrinio, pro futurorum temporum cautela recondi fecimus, mense* (2) *Februario, Indictione X.* Ipse etiam venerabilis Adrianus in initio ordinationis suæ Indiculum rectæ Fidei hujusmodi composuit: (3) *Ego Adrianus misericordiâ Dei Diaconus & electus, futurusque per Dei gratiam hujus Apostolicæ Sedis Antistes, tibi profiteor, Beate Petre* &c. *pura mente & conscientia devota, corporali jurejurando sinceriter obtuli.* Postmodum verò professionem rectæ & orthodoxæ Fidei conscripsit istiusmodi: (4) *Reverendissimis fratribus & dilectissimis universæ plebis Dei. Ad hoc Apostolicæ Sedis officium, dilectissimi Filii, quod superna gratia providente ac suffragante cum tanto cordis stupore & humanitate nos suscipere debere perpendimus* &c. *dum de Patre Filius æternaliter nascitur, Spiritus Sanctus de Patre procedere confirmatur, idem Dei Filius de suo accipere perhibet, & in nomine suo mitti à Patre Spiritum Sanctum manifestat, & insufflando Discipulis*, Accipite Spiritum

(1) *Mabillonius*: E Libro Diurno Romanorum Pontificum, pag. 10.

(2) *Idem*: Adriani Romani Episcopi ordinatio notatur IV. Nonas Martii in vetustissimo Calendario Gellonensi, quod tempore Caroli Magni scriptum est.

(3) *Idem*: Lib. Diurn. pag. 26.

(4) *Idem*: ibidem pag. 32.

ritum Sanctum, *utpote de se procedentem*, *annuntiat* &c. *Beate Petre Apostole*, *obtuli conservandam* &c. *Adrianus Episcopus Sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Urbis Romæ*, *dilectissimis & dulcissimis filiis in Domino salutem*. *Hodierni diei festiva jucunditas invitat nos dilectissimi* &c. *per omnia secula seculorum*. Hic etiam Sedem Apostolicam strenuissime gubernare, & ad proprium statum reducere studuit. Eo siquidem tempore Desiderius Regnum Longobardorum tenebat, & Romanæ Ecclesiæ Castra & Prædia more antecessorum suorum nimis vastabat. Quapropter Papa prædictus commotus, Carolum Francorum Regem, sicut in gestis ipsius Caroli legitur, contra Desiderium in Italiam invitavit. Qui etiam Carolus non prius destitit, donec Desiderium bellis fatigatum perpetuo exilio damnaret, & filium ejus Italia pelleret, resque direptas Adriano Papæ restitueret, & filium suum Pippinum Italiæ præficeret.

Ante hujus quoque Præsulis Adriani tempora, scilicet Gregorii antecessoris ejus diebus, apud Constantinopolim hæresis quædam exorta Anastasio & Leone Imperatoribus jubentibus, omnium circumquaque Ecclesiarum Dei Imagines depositæ, & publicè igni traditæ sunt. Quumque etiam idipsum circa Italiæ Ecclesias facere jussissent, Gregorius Præsul unà cum Romano Populo iniquissimis edictis Imperatorum constantissime contradixit. Adhuc enim Constantinopolitanus Imperator Urbem Romam, & nonnulla Italiæ Castra sub sua ditione tenebat: quæ post modicum Carolo coronam Romani Imperii suscipiente amiserunt. Sed nunc ad propositum redeamus. Igitur quum hæresis prædicta apud Constantinopolim ebulliret, Adrianus, ut diximus, Sedem Apostolicam regendam suscepit, imperante Constantino & Irene matre. Qui etiam ad eumdem Papam elegantem Epistolam miserunt, rogantes, ut ipse ad illum locum ascenderet, ubi ipsi universale Concilium decreverant fieri, & firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus Imaginibus confirmaret. Initium autem Epistolæ hujusmodi est. *Divalis sacra directa à Constantino & Irene Augustis ad Sanctissimum Adrianum Papam senioris Romæ*. *Qui à Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro suscipiunt sive Imperii dignitatem*, *sive principalis Sacerdotii honorem* &c. *quo veniat paterna vestra Beatitudo ad nos legimus*. *Data IV. Kalendas Septembris*, *Indictione VII.* Perlectis igitur Adrianus Præsul Imperatoris literis, misit & ipse eloquentem valde Epistolam, cujus initium est: *Adrianus Episcopus servus servorum Dei*, *Dominis piissimis*, *& serenissimis victoribus Imperatoribus ac triumphatoribus*, *filiis diligendis in Deo Domino nostro Jesu Christo*, *Constantino & Irenæ Augustis*. *Deus*, *qui dixit de tenebris lumen splendescere* &c. *Romanæ Ecclesiæ ulnis suscipiamini*. (5) *Data VII. Kalendas Novembris*, *Indictione IX.* Misit etiam idem reverendissimus Papa strenuissimos & doctissimos Viros, qui vice ejus Concilio interessent, idest Petrum reverendissimum Archipresbyterum sanctissimæ Romanæ

A Ecclesiæ Sancti Apostoli Petri, & Petrum reverendissimum Presbyterum, Monachum & Abbatem Monasterii Sancti Sabæ Romæ siti. Quumque in regia Urbe Concilium celebrari decrevissent, resistentibus quibusdam Dei inimicis impediti sunt. Sed post annum hinc & inde collecti quamplurimi Episcopi, eorumque Legati, factum est Sanctum Septimum Concilium in Nicæa Bithiniæ, Imperante, ut diximus, Constantino & Irene matre ejus, præsidente quoque Domino Adriano I. Papa per suos Legatos in eodem Concilio. Hic etiam quum ad Regem Carolum pergeret, ut veterum pandit memoria, in locum, qui Spinum Lamberti vocatur, vitam finivit, VIII. Idus
B Julii, & ad Ecclesiam, Monasteriumque Beati Silvestri, quod Nonantula dicitur, perductus, honorifice sepultus est: ubi etiam usque hodie miraculis coruscare dignoscitur. Cujus morte Carolus Francorum Rex audita, nimium condoluit, diuque se in lamentis dedit. Nam ab ipso Romanorum Patricius constitutus fuerat, Regnumque Italiæ ipso favente susceperat. Cantores etiam Doctoresque Ecclesiæ ab eo susceperat, & in Metensium Urbe constituerat: Cujus Ecclesiæ Cantores usque hodie Romanæ Ecclesiæ plus ceteris Gallis in cantu concordant. Sepulto itaque Summo Pontifice & universali Papa Adriano, Apostolicis infulis involuto, uti mos est Romanum sepelire Episcopum, in prædicto Nonantulano Mo-
C nasterio, sicut superius prælibati sumus, septem de jam dicto Cœnobio Diaconi & Monachi stolidissimum consilium repererunt dicentes: *Quid huic Sancto*, *& animæ defuncti prodest*, *quòd tantæ pulcræ vestes marcescunt terreno humore*? *Melius certe esset*, *si hæc Sancta Ecclesia illis honorem haberet*. *Ideo hac veniente nocte omnes simul ad Sepulcrum ejus pergamus*, *& lucidis ac coruscis vestibus eum exuamus*, *& vilioribus vestibus induamus*. Luce igitur discedente, & tenebris terram obumbrantibus, omnes ad monumentum euntes, eum cum silentio desepelierunt, & vestimenta ejus arripuerunt. Et ut lucidiùs & apertiùs hoc ab
D omnibus credatur, adhuc unam pulcram Planetam, quam crassantes ei abstulerunt, (a) in nostro Monasterio habemus. Sed ut animi similium de tali facinore contabescant, hoc in veritate scimus, quia nullus evasit impunitus. Omnis namque ille furiosus tumultus in eodem Anno suæ vitæ finivit cursus, nisi tantummodo unus.

EX FRODOARDO DE PONTIFICIBUS ROMANIS.

De Adriano Papa.

PRæclari generis præstanti sanguine cretus,
E *Hunc sequitur constans* Adrianus *pectore firmo*.
Defensor Fidei, *Patriæ protector & Urbis*;
Solator, *tutorque inopum*, *Canonumque librator*.
Qui prius à puero, *frenans se corpore casto*,
Cyniphioque (*b*) *terens sacra tegmine membra domârat*.

Laude

(5) *Idem*: *Ab hinc usque ad finem hujus Epistolæ Græcus Codex non habetur*, &c. Ita subdit Auctor Anonymus hujus Vitæ. Vide Act. 2. Concilii secundi Niceni, Tom. 7. col. 99. ad 115. Editionis Labbeanæ.

(a) *Muratorius*: Scriptor hujus Vitæ semet unum è Monachis Nonantulani Cœnobii fuisse satis indicat.

NOTÆ MABILLONII.

(b) hircino cilicio.

A *Laude vacans Domini jejunia crebra jugabat,*
Sedulus & curam pro posse gerebat egentum.
Actibus his radians, adscitis Præsule, Clero
Jungitur, ac pollens animis, gradibusque levatus,
Ordineque imbutus sacris Levita sacratur.
Sic magis atque magis gliscente decore coruscans,
Luce operum, verbi Populis alimenta ministrat.
Civibus unde pio nimium dilectus amore,
Præsule mox functo legitur succedere dignus.
Nec mora, depulsos Urbi laribusque reducit,
Carceribus trusos tenebris, vinclisque resolvit,
Et cunctis pariter gaudentibus ad sacra surgit
Culmina, præcipuum meritis indeptus honorem.
Continuò vafri suspensus fraude colubri.
B *Caute vera refert falsis, moderatur & orsa.*
Pacem non renuit, refugit dum crimina pacis.
Nec trepido lapsu verborum mergitur undis: (c)
Immo fidem missis censet rebusque probandam.
Sustinet haud Bardus venerandi oracula Papæ.
At furit anteferens capiendo prœlia pacto,
Invaditque Urbes, famulos, loca, prædia Petri.
Mox querulæ Patri voces, lacrymæque feruntur,
Pastorum crudas agitante dracone rapinas.
Legatos crudo dat scripta sequentia furi,
Desinat insidiis, perverse invasa remittat.
Ille petita negat fieri, nisi Præsule viso,
Fœdera dante sibi, nitens hunc cogere, litis.
Francigenæ esse caput genti, Regnoque fugaces
Ungeret ut pueros (d), *patruus cum sceptra teneret.*
C *Urbis Patricius, Patrisque, & Plebis amicus.*
Iste cavens laqueos, nullo seducitur astu.
Semina ferre odiis, captatoremque capessi
Mandat, ne rapiat mites, quos voverat, agnos.
Quique (e) *homicida, reusque probatur sanguinis atque,*
Dum scelus ulcisci Antistes medicamine levi
Attentat, Patribus, Populoque petente piamen
Papa inhibente perit, pœnasque levare volente
Perpetuis animam, cœloque referre novatam.
Pestifer interea non parcit, sanguine, prædâ,
Ignibus, insidiis, Petri lacerare clientes.
Sæpe quibus super admonitus hortamine blando,
Legatis etiam sacris, celebrique Senatu,
D *Nil tacitis dignum precibus tantoque patrono*
Reddit: quin vacuos Christi depellat alumnos,
Præsentemque (f) *sibi Patrem jubet ire beatum.*
Ille profecturum se fert, ultro rapta rependat.
Quà libitum mandet, remorato missa (g) *revellat.*
Ni faciat, sibi Pontificis non ora videnda.
Hæc Regis, hæc sacricolæ legatio Papæ.
Nec semel aut tantùm bis sæpe monere Tyrannum;
Quin satagit Patribus sacrato ex ordine missis.
Ille minas contra, terrores, bella, rapinas
Fert, Petrique greges furibundo turbine quassat.
Insuper & propriis fugitivo milite turmis
Adjuncto properat Patri vim ferre benigno:
E *Oppositis donec portis ac mœnibus auctis,*
Robore directo reverens anathemate pulsus,
Confususque domum versâ improbitate recedit.
Miserat Antistes Regi mandata Sicambro,
Pressuræ auxilium quærens hunc ferre labori.
Legatis Carolus studiosius omnia discens,
Pacificis monet infestum prece, suasibus hostem,
Muneribus quoque discussâ feritate ferendis.
Sed neque sic mulcere datur cor durius ære.
Unde manum validam cuneorum robore cogens,
Durus abit censor, dum spernitur ipse rogator.
Accedit septis (h), *iterum quoque munera præfert,*
Pastoresque petit pacis bellique sequestros.
At nec sic tumidi ferventia pectora sedat,
Firmis qui fabricis præcludens limina Regni,
Arcebat Francos aditu: claustrisque repulsi
In sua præcipitem meditantur Regna regressum.
Una moram reditûs tantùm nox forte ferebat;
Cum subitò terror superi Rectoris adactus,
Judicio crudi percellit corda rebellis,
Labificans comitum trepidatio pectora vertit.
Mox tacite spretis propere sub nocte tabernis,
Fulcra fugæ rebus contemta in castra relictis,
Agmina cuncta simul nullo sectante capessunt.
Cernentes Antenoridæ (i) *sine agone triumphum,*
Quos divina fugat manus, insectantur iniquos,
Et prædatorum capiunt læto impete prædas.
Clauditur illusor septis tutacula quærens,
Sparguntur trepidi comites diversa petentes:
Cordibus ac tacti quidam meliora sequuntur,
Et sub Apostolica posito ditione capillo, (k)
Dant se, servitiisque ejus sine fine fideles
Se se mansuros, votis testantur anhelis.
At Petro duce Rex victor vestigia pressans,
Palantum campis Procerum, Regisque fugacis
Attonitam turmis cingit ferroque Papiam,
Terribilisque Padum subit, & Ducominunam
Obsidione quatit, plures capit eminus Urbes.
Devotos recipit refugas, & limina Cephæ
Visere maturans, Romam Paschâ expetit esse.
Cujus in occursum Populi Pater obvia mittit
Agmina, gratantesque choros, puerosque canoros
Frondibus ac palmis comtos viridantis olivæ.
Præfert Signa, Cruces. Quas ut pius adspicit, alto,
Quo vectatur, equo, pernix Rex desilit, atque
Cum Satrapis quæsita pedes ad limina pergit:
Exceptusque sacro digne exspectante Patrono,
Scandens supplex gradibus fert oscula singlis, (l)
Amplexusque Patrem Sanctum, dextrâque prehensâ
Almificâ, celebrem Petri conscendit in Aulam.
Laudes dant celsis Clerus, sociique Quirites,
Qui venit, edentes, benedictus nomine Christi.
Sicque pii Proceres adstrati ad pignera Petri,
Supremo læti Domino sua vota profundunt.
Ingrediens Urbem Princeps, suffragia quærit
Poscere Sanctorum, venerandaque visere Templa.
Paschaque conspicuis magno celebratur honore
Principibus (m) *ritu solito stationibus aptis.*
Pacta Petro Præsul renovari fœdera mandat,
Cessaque (n) *jamdudum reparantur culmina juri*
Sedis Apostolicæ, scriptisque manenda feruntur. (o)
His fretus Rex obsessum vincire latronem
Deproperat, promto quatiens data mœnia bello.
Major & interius strages fervente furore
Fit pestis, quàm bellantis manus inferat hostis.
Tamdem æquus capit injustum: subduntur iniqui
Fascibus & stulti; sapiens sceptrisque potitus
Abducit Bardum Francorum in Regna Tyrannum.
Ast Pater Ecclesiæ, Christique nitoris amator,
Luce

(c) superfluitate.
(d) Carolomanni filios.
(e) Legatus.
(f) ad suam præsentiam.
(g) dimissa repetat.
(h) Alpibus.
(i) Franci.
(k) depositâ superbiâ.
(l) *lege* singlis *pro* singulis.
(m) à Papa & Rege.
(n) concessa.
(o) inferuntur.

Luce fruens pacis, culta Salomonius heres,
Ornamenta domus Domini procurat honesto.
Aurea gemmarum varians hic stemmate vela,
Eximit (p) Angelico vinclis ductamine Petrum,
Terga pavimenti sternens argentea reddit:
Aulæsque domum, multoque lumine comit.
Porticibus, gradibusque colens, & marmore secto,
Applicitisque novans trabibus, clarisque figuris
Templa nutritoris decorans, rutiloque metallo
Irrigat ipse Petri, multo sudore novatis
Ductibus undarum, repetitis atria lymphis.
Auro interna tegens opulentis vasibus explet,
Ditiaque eximiis ducuntur stemmata (q) signis.
Erigit ære datas (r) præstanti culmine portas,
Basilicamque solo proprio cui condit & actu,
Pigneribus multis, rutiloque nitore venustans,
Splendorem titulis, aris, adytisque reformat,
Andreæ reparans argento illuminat aulam.
Urnamque exornat Pauli, numerosaque pendit
Vela, & marmoreis fulgoribus atria pingit.
Auroque argentoque datis polit intima formis;
Culmina restituit, fabricisque peribola cingit,
Inclytaque Altari vasorum munera cadit.
Reginæ Cœli gemmis intexit & auro
Egressum, (ſ) superi petiit quo limina regni.
Multiplicat cultus, strophiorum nectit amictus.
Templa colens purgat, renovat, spatiosaque format:
Nobilitans lustrat, donis locupletibus ornat.
Basilicæ Salvatoris segmenta coaptat,
Lapsuram revocat, fontes, vestibulaque auget.
Aurea vasa parat, sacræque monilia mensæ.
Tecta novans Stephani, cumulat decoramina velis.
Clementis reparat jam proxima tigna ruinæ.
Culmina cum pallis Laurentius excipit aulis:
Huicque reformantur nova templa, piæque catervæ.
Levitæ effigies auro ac sacra vasa renident.
Porticus Ecclesiæ portâ fabricatur ab Urbis.
Marci tecta pari vernant felicis & actu,
Silvestrique domum simili restaurat honore.
Arcus argenti, calices Marco struit auri.
Amplificat Adsti (t) locupletans dotibus ædem.
Restruit Ecclesiam Cyriaci, aulamque Susannæ.
Veste Valentinus, Pancratius atque coluntur:
Huicque redintegratur opus venerabile Templi.
Victoris domus æquali pietate resurgit.
Floret Apostolicæ Templo Via lata decoris
Restructo: vario ac multo velamine comta;
Restaurata Petri, Marcellinique Sepulcra.
Argenti radiant Adriani Templa nitore.
Quæque novata micant, vasorum & munere pollent.
Tecta reducuntur Sixti sublata ruinis.
Agapiti, Eusebii, Rufinæ, unàque Secundæ,
Euplique, & Hierusalem, Vatisque Johannis,
Felicisque levata nitent: titulumque Pudentis,
Theodorique refert; Catacumbas, domata Leuci,
Eugeniæ, Sophiæ, Praxedis, Felicitatis.
Epimachus, Zenon, Abdon, Bonefacius, Hermes,
Marcellusque, Saturninus, Jordanicaque (u) ossa,
Hoc rutilant cultu, septemque litaminis Agnæ.
Hocque Secundinus, Pammachius atque refulget,
Cum nutrice Agnes, Nicomedes, Hippolytusque,

(p) exemtum depingit.
(q) Imagines.
(r) ex œre editas.
(ſ) Adsumtionem
(t) nomen Sancti Martyris.
(u) Jordanorum Cœmeterium.
(x) Serum, Populi Asiæ nomen, serico opere clari. *Sic MStum.*

A *Quattuor atque Coronati, Templumque Sabinæ,*
Sergius ac Socius revocato culmine gliscunt.
Ducit Anastasii meliorem ex ignibus aulam.
Vasa ministeriis, vestes, cultusque reformans,
Martinæ argento, Serumque (x) renidet amictu.
Restruitur Priscæ titulus, pallâque refulget.
Cum reliquis Cosmæ & Damiani pluribus aræ
Cultibus ornantur, prisco redduntur honori:
Ditantur sacris obrizi vasibus auri.
Insuper & muris (y) fert aurea dona levandis,
Mœnia restituens impensis ditibus auri.
Disponens reparat, statuitque Monastica jura.
Pauperibus fundos, oleas, vineta, casasque
Delegans Christi æternùm servire fovendis.
Excolit iste domum fabricis Patrumq; (z) suamque,
B *Multiplicat renovans diversa lavacra labore,*
Virgineæque rigat rivis Populi agmine formæ.
Atque ministeriis inopum solamine curat,
Diversis Monachûmque choris psallentia ponens
Restaurat, ditatque greges, ducibusque decorat.
Virgineis etiam reparat pia castra choreis,
Dotibus accumulans, & munia digna rependens.
Sic interna colens, externis addere curam
Ne cesset, monitis Augusta (a) palatia visit,
Legatisque regit, sacra Signa (b) tenenda retexit.
Conciliοque loco Patrum coëunte priorum,
Dogma pium centum ter quinquagintaq; firmant.
Mœsta madens spumis Tiberini Roma furoris
Tutoris petit auxilium, Patrisque juvamen.
Qui precibus pugnans, ubi fervida cœrula sedat.
C *Rebus compositis, cœlo terrestria mutat,*
Et meritis cultam subit excellentibus aulam.

Item exemplar Epistolæ Adriani Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro vita & sanitate Domni Regis, & uxoris, vel filiorum ejus, nec non & pro exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ: & postulans, ut filium suum ex sacro Baptismatis fonte suscipere mereretur.

(*Epistola ordine* **XLIX.**)

(c) D*omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, at-*
D *que Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Dum nimio provocati amore aptum duximus, primitus quidem à Deo protectæ Excellentiæ vestræ, seu spiritalis filiæ nostræ Reginæ proles, etiam Episcopos & Presbyteros, necnon & universos Optimates, cunctumque præclaræ Gentis vestræ Francorum Populum, ad vestrum à Deo confortatum Regnum pertinentem, his nostris Apostolicis visitare (d) apicibus, & certos de vestra salute ac lætos effici; impensius prosperitatis (e) ambientes integritatem. Igitur dum ad vos reversi fuerunt Missi spiritalis Matris vestræ Sanctæ Dei Ecclesiæ, è vestigio à Deo protecti Regni vestri, idest Reverendissimus frater noster Phi-
E lippus Episcopus, & Megistus dilectissimus filius noster Archidiaconus, retulerunt nobis de fidei & caritatis vestræ constantia, quam erga Beatum Petrum Apostolorum Principem, & nostram humilitatem habere dignati estis, pro vestræ animæ mercede. Hoc audito, magno

(y) Civitatis.
(z) antecessorum suorum.
(a) Imperatoris.
(b) Imagines.
(c) *Gretserus*: Summarium **XXXV.** apud Baronium & Centuriatores.
(d) *Lambecius*: apicibus certos.
(e) *Idem*: ambientes integritate.

gno gaudio noster relevatus est animus, & cœpimus Deo laudes referre, & Beato Principi Apostolorum Petro, pro exaltatione Regni vestri, atque filiæ nostræ Reginæ, conjugis vestræ, prolis etiam, & pro cunctis Francis, fidelibus Beati Petri Apostoli, atque vestris.

(f) At verò illud, unde vestræ Eximietati per jam dictos nostros Missos, scilicet Reverendissimum fratrem nostrum Philippum Episcopum, & dilectissimum nostrum Megistum Archidiaconum, dignati estis nobis repromittere, ut in sanctam diem Paschæ ad limina Beati Apostolorum Principis Petri, unà cum spiritali filia nostra Regina, Domino auxiliante, properare debuissetis, ut filium, qui nunc vobis procreatus est, à sacro Baptisma te in ulnis nostris (g) susciperemus, sicut terra sitiens imbrem, ita & nos exspectantes fuimus mellifluam Excellentiam vestram. Et dum appropinquasset ipse dies sanctus Paschæ, & nullum mandatum de adventu vestro suscepissemus, aut de Missis vestris, secundùm Placitum, quod inter nos exstiterat, valde tristes effecti sumus. Sed obnixè te petimus, præcellentissime & magne Rex, (h) ut secundùm quod inter nos constitit, pro ipso sancto Baptismate nostrum adimplere jubeas desiderium, de eodem eximio filio vestro, quatenus duplex Spiritus Sancti gratia in medio nostrûm adcrescat, & gemina festivitatis lætitia nobis celebretur. Et hoc deprecamur vestram Excellentiam, amantissime fili, & præclare Rex, pro Dei amore, & ipsius Clavigeri Regni cœlorum, qui Solium Regni Patris vestri vobis largiri dignatus est, ut secundùm promissionem, quam polliciti estis eidem Dei Apostolo, pro animæ vestræ mercede, & stabilitate Regni vestri, omnia nostris temporibus adimplere jubeatis, ut Ecclesia Dei omnipotentis, idest Beati Petri Apostoli, (i) cui claves Regni cœlorum ab omnium Opifice, facinorum nexus solvendi, simulque ligandi attributa est facultas, in omnibus amplius, atque amplius Sancta Dei Ecclesia exaltata permaneat, & omnia secundùm vestram pollicitationem adimpleantur, & tunc vobis in cœlestibus arcibus adscribatur merces, & bona opinio in universo Mundo.

Et sicut temporibus Beati Silvestri Romani Pontificis, à sanctæ recordationis piissimo Constantino Magno Imperatore, per ejus largitatem sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia elevata, atque exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignatus est: ita & in his vestris felicissimis temporibus, atque nostris, Sancta Dei Ecclesia, idest Beati Petri Apostoli, germinet, atque exultet, & amplius atque amplius exaltata permaneat, ut omnes Gentes, quæ hæc audierint, edicere valeant: (k) *Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te*. Quia ecce novus Christianissimus Dei Constantinus Imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus Sanctæ suæ Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Principis Petri, largiri dignatus est. Sed & cuncta alia, quæ per diversos Imperatores, Patricios, etiam & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede & venia delictorum, in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Benevento, atque Corsica, (l) simul & Savinensi patrimonio, Beato Petro Apostolo, Sanctæque Dei & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ concessa sunt, & per nefandam Gentem Langobardorum per aunorum spatia (m) abstracta, atque ablata sunt, vestris temporibus restituantur. Unde & plures donationes in sacro nostro Scrinio Lateranensi reconditas habemus, tamen & pro satisfactione Christianissimi Regni vestri, per jam fatos viros, ad demonstrandum eas vobis, direximus: & pro hoc petimus eximiam Præcellentiam vestram, ut in integro ipsa patrimonia Beato Petro, & nobis restituere jubeatis. Et dum omnia per vestrum congruum dispositum Sancta Dei Ecclesia effectum susceperit, ipse Princeps Apostolorum Beatus Petrus ante Tribunal Omnipotentis clementiam pro vestra sospitate atque longævitate, & (n) exsultatione à Deo confortati Regni vestri deprecetur: (o) Magnopere enim direximus apud vestram eximiam Præcellentiam, idest Reverendissimum & Sanctissimum fratrem nostrum Philippum, & Andream Episcopos, seu Theodorum Ducem nostrum, quibus & in ore posuimus, ut vestræ à Deo protectæ Excellentiæ minutius enarrare debeant. Quibus & eis in omnibus credere debeatis, (p) & solita benignitate eos suscipere jubeatis, pro amore Fautoris vestri Beati Petri Apostoli: ut dum ad nos reversi fuerint cum effectu causæ, ante Confessionem ipsius Dei Apostoli, cum omnibus Episcopis, & Sacerdotibus, atque cuncto Clero, Senatu, & universo nostro Populo, pro vestra sospitate atque longævitate, & exaltatione Regni vestri Domino fundere valeamus preces, (q) ut ævis temporibusque Eximietatem vestram conservare dignetur, ad exaltationem spiritalis Matris vestræ, Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ: & sicut terrena gaudia largitus est, ita & cœlestia tribuat sempiterna. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directa, in qua continetur de fide & constantia ipsius, & Anastasio Misso ipsius Apostolici, (r) qui in Francia demoratus fuerat.

(Epistola ordine L.)

(s) D*omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Desiderantissimæ vestræ Excellentiæ Scripta suscepimus, in quibus tantum de absenti collocutione gavisi sumus, quantum & ipsum, qui lo-

(f) *Idem*: De vero illud.
(g) *Idem*: suscipere debuissemus.
(h) *Idem*: ut secundùm quomodo inter nos.
(i) *Idem*: cui per claves Regni Cœlorum.
(k) *Gretserus*: Psalmo 19.
(l) *Lambecius*: simul & Sabinensi Patrimonio.
(m) *Idem*: abstulta atque ablata sunt.
(n) *Muratorius*: *legendum fortè* exaltatione, *ut infra*.
(o) *Lambecius*: Opere enim direximus.
(p) *Idem*: & solite benigne.
(q) *Idem*: ut ævis temporibus Eximietatem.
(r) *Idem*: qui hic in Francia.
(s) *Gretserus*: Extat hujus Epistolæ Summarium apud Baronium, Tom. 9. Anno Christi 795. Summarium XXXII. & apud Centuriatores.

locutus eſt, ſemper mihi cupio eſſe præſentem. Quas relegentes, & de veſtra immenſa proſperitate agnoſcentes, nimis ſumus gratulati, quoniam veſtra proſperitas noſtra eſſe comprobatur lætitia, & veſtra exaltatio noſtra exiſtit poſt Deum ſecuritas. Ferebatur enim in ipſis Regalis veſtræ potentiæ apicibus, quòd remeantes ad vos Miſſi veſtri, ſcilicet (t) Wulcharus, ſanctiſſimus frater noſter Archiepiſcopus, (u) & Dodo Religioſus Abbas vobis retuliſſent, (x) quòd ea, quæ à vobis injuncta fuiſſent, benigne atque amabiliter à nobis eſſent ſuſcepta. Sed cognoſcit omnipotens Deus noſter, cui arcana cordis reſerata aſſiſtunt, quia omnem Miſſum à veſtris regalibus obtutibus directum cum nimio amore, & decenti honore ſuſcipere ſtudemus, & omnem veſtram voluntatem ſincera mentis integritate implere ſatagimus, atque cum proſperitate ad vos repedandum abſolvere feſtinamus, (y) neque ullis nos poſſe hujus Mundi tranſitoriis ac labentibus opibus, vel humanæ ſuaſionis blandimentis ab amore & dilectione veſtræ mellitæ Sublimitatis, vel ab eis, quæ vobis polliciti ſumus, declinare, (z) dum hic advixerimus, ſed firmi & ſtabiles in veſtra permaneamus caritate.

Abſit namque à nobis, cariſſime & nimis nobis dulciſſime fili, ut ea, quæ inter nos mutuò coram ſacratiſſimo Corpore fautoris tui Beatorum Apoſtolorum Principis Petri, confirmavimus atque ſtabilivimus, per quemvis modum irrita (a) facere (b) adtemptemus, quoniam & nos ſatisfactus, veſtrum culmen deprecari viſus ſum, ſi quis de nobis nequiſſima dicta veſtris auribus proferre maluerit, cupiens per fallaciam ſe vobis commendare, nullam credulitatis illi admittatis copiam, quia, ut prædiximus, nos firmi in veſtra permanemus dilectione, magis dum & ſalvator (c) deſignanter expreſſit dicens: (d) *In hoc cognovimus, quòd mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis in invicem.*

Interea continebat ſeries Excellentiæ veſtræ, quòd accedente proximo (e) menſe Octobri, dum, Deo favente, in partibus Italiæ adveneritis, omnia, quæ Beato Petro regni cœlorum clavigero, & nobis polliciti eſtis, ad effectum perducere maturabitis: lætitia enim patris eſt profectio filiorum, & de eorum provectu naturalis effectus congaudet. Quapropter ſalutis tuæ agnoſcentes perfectionem, hilares redditi ſumus, & quia pro augmento & exaltatione (f) Matris ſuæ, Sanctæ Dei Eccleſiæ, in Italiam deſtinatis properare, ut perficiatur, magis magiſque optamus. Sed & Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus faciat nobis in propinquo de veſtra præſentia gaudere, & unà vobiſcum in invicem exultare.

De Miſſis nempe noſtris, Andrea videlicet Coëpiſcopo, ſeu Pardo (g) Egumeno, unde nobis intimandum direxiſtis, ut cum Miſſis veſtris Poſſeſſorem, fratrem noſtrum Epiſcopum, atque Dodonem religioſum Abbatem, à veſtris regalibus veſtigiis repedantes, dirigeremus, ita adimplere velocius deſtinavimus. Sed Pardus Egumenus propter imbecillitatem corporis ſui proficiſci minime valuit, & dereximus in vicem illius (h) Valentianum Epiſcopum.

Illud verò, quod de Anaſtaſio Miſſo noſtro nobis indicaſtis, quòd aliqua importabilia verba, quæ non expediebat vobis, locutus fuiſſet, unde valde triſtes effecti fuiſtis, & pro hoc adhuc apud vos eum detinetis, nimis (i) noſter frangitur animus, dum Langobardi, & Ravennates fatentur, inquientes quia nullo modo Rex in Apoſtolica permanet caritate, dum ejus Miſſum apud ſe detinet. Sed neque ab ipſis Mundi exordiis cognoſcitur eveniſſe, ut Miſſus protectoris tui Beati Petri, magnus vel parvus, à quacunque Gente detentus fuiſſet; ſed jubeat nobis eum veſtra ſolicitudo dirigere, & ſeveriſſime (k) eum ſciſcitantes, juxta noxam ei repertam, eum corripiemus. Nam de Langobardo illo, qui cum eodem Anaſtaſio Miſſo noſtro ad vos properavit, nomine Gaidifridus, unde nobis ſignificaſtis, (l) ut dum in noſtro fuiſſet Palatio, fraudem agebat adversùs veſtram Regalitatem, inſuper & (m) veſtro ſuaſiſſet Notario falſas conficere Literas, per quas nos cupiebat in ſcandalum vobiſcum mittere. Quod avertat Divinitas, neque invenietur homo, qui nos poſſit per quemvis modum adversùs vos in iracundiam provocare. Sed teſtis nobis eſt Deus, qui occulta hominum cognoſcit, per nullum argumentum eum (n) infidelem vobis cognovimus. Sed, ut brevius dicamus, ſi ille, qui ab amatore tuo Petro ad vos deſtinatur, talia ſuſcipere meruit, quid conſiderandum eſt de nefandiſſimis (o) & nimis ſtrophariis Paſchali & Saratino, qui talia, ut & vos (p) per honorandos veſtros apices inſinuaſtis, in hac Romana Urbe agere auſi ſunt, quale nunquam ab exordio Mundi auditum eſt? Fortaſſe & dum talia egiſſent, & veſtris obtutibus ſe conjunxiſſent, non ambigentes pro reatu, quem operati ſunt, vos deprecati ſunt, ut eos in noſtram (q) reduceres gratiam. Sed magis coram veſtra præſentia, & noſtris Miſſis, detractionibus vacabant. Et miror valde, quòd illos, qui talia (r) & inaudita de his coram veſtris obtutibus proferebant verba, in

(t) *Lambecius*: Vvilcharius.
(u) *Idem*: ſeu Dodo.
(x) *Idem*: quod ea, quæ eis à vobis retuliſſent injuncta, benigne atque.
(y) *Lambecius*: neque ullis non poſſe.
(z) *Idem*: dum hic adjunxerimus.
(a) *Gretſerus*: facere attentemus.
(b) *Lambecius*: irritum facere adtemptemus, quoniam & nos ſatisfacti ſumus, & vos in noſtra caritate firmiter eſſe permanſuros. Sed peto te, coram Deo, cariſſime fili, ſicut jam olim per noſtros affatus veſtro culmine deprecari viſus ſum; ſi quis de nobis.
(c) *Idem*: deſignandum expreſſit, dicens: *In hoc cognoſcent omnes, quod mei eſtis.*
(d) *Gretſerus*: Johannis cap. 13.
(e) *Lambecius*: menſe Octobrio.

(f) *Idem*: matris veſtræ.
(g) *Gretſerus*: Hegumeno, *ideſt Monachorum Præfecto, ſeu Antiſtite.*
(h) *Lambecius*: Valentinum Epiſcopum.
(i) *Idem*: noſter flagrat animus, dum Langobardi, & Raviniani.
(k) *Lambecius*: eos ſiſcitantes.
(l) *Idem*: ut dum veſtro fuiſſet Palatio.
(m) *Idem*: & veſtrum ſuaſiſſet Notarium, falſaſque feciſſet literas, per quas nos cupiebat in ſcandalum.
(n) *Idem*: infidelem veſtrum cognovimus.
(o) *Idem*: de nefandiſſimis .... & Saratino.
(p) *Idem*: perhonorandis veſtris apicibus.
(q) *Idem*: reducere debuiſſetis gratiam.
(r) *Idem*: & inaudita de nobis coram.

in magnis deliciis habere dinosceris. An nescit vestra Præcellentia, quia si quæcunque persona de qualibet Gente adversa aut inania de vestra eximia Celsitudine (s) retulisset verba, dignam in eum exercentes vindictam, vinctum eum usque ad vestram (t) direxissemus Excellentiam, sicut & de Paulino egimus? Pro quo deprecamur atque conjuramus Præcellentiam vestram, dulcissime fili, per Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, ut viriliter, Deo vobis inspirante, exsurgatis, & miseræ & flagitiosæ præsumtionis, (u) ut pium Regem decet, regalem vindictam vobis de eis exercere jubeatis: ut in hoc cognoscant Gentes, quia ob amorem Beati Petri magnam in nobis habetis dilectionem, ut qui nobis dolentibus condolent, ita & nobis lætantibus congaudeant. Aut nobis eos dirigere digneris, ut omnipotens Deus, respiciens de excelso (x) pro justa vindicta à nobis eis inferenda, concedat tibi unà cum excellentissima filia nostra Regina, & amantissimis natis, longa spatia vitæ per metas annorum. Et ego licèt peccator, dum de eis perfectam suscepero justitiam, magis ac magis, ut ago, ante ipsius Janitoris regni cœlorum sacram confessionem assiduò pro vestra incolumitate fundere valeam preces. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Missis Domini Regis, qui (y) Autumni tempore Romam venire debuerunt.

(*Epistola ordine LI.*)

(z) DOmno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, (a) Adrianus Papa. Dum in tanta securitatis lætitia spiritalis mater vestra Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia consistens exsultat, ob hoc opinatissima nominis vestri memoria in universo Orbe terrarum dilatata, atque laudabiliter permanet divulgata, (b) etiam ab Apostolica aula ob vestrorum veniam delictorum (c) sedulò à nobis, & cunctis Dei Sacerdotibus, orationum vota, & sacrificiorum hostiæ divinæ offeruntur Majestati. Itaque, præcellentissime fili, recordari credimus à Deo protectam Christianitatem vestram, nobis direxisse in responsis per Andream reverendissimum & sanctissimum fratrem nostrum Episcopum, (d) quòd hoc Autumni tempore vestros ad nostri præsentiam studeretis dirigere Missos, qui nobis omnia secundùm vestram promissionem contradere deberent: & exspectantes fuimus usque hactenus (e) per totum Septembrem & Octobrem, & præsentem Novembrem mensem, ipsos vestros suscipere Missos, & de vestra sospitate per eos agnoscere. Et dum minimè ad nos advenissent, direximus nostras Apostolicas Literas usque Papiam ad Judices illos, quos ibidem constituere visi estis, ut nobis significare deberent de adventu eorumdem vestrorum Missorum. Qui ita nobis direxerunt in responsis, nequaquam ad nos vestros nunc esse profecturos Missos. Unde magnum desiderium (f) nostro imminet cordi, & interea mentis nostræ viscera in vestro ardentius fervescunt amore. Idcirco cupientes de vestra prosperitate certos lætosque effici, magnopere studuimus præsentes nostros Missos, scilicet antefatum Andream sanctissimum fratrem nostrum Episcopum, & Pardum Deo amabilem, dilectum filium nostrum (g) Egumenum, ad vestra regalia transmittere vestigia, visitantes & salutantes per eos tam præcellentissimam Christianitatem vestram, quàmque excellentissimam filiam nostram, amantissimam conjugem vestram, à Deo illustratam Reginam, & dulcissimos ac nobilissimos natos vestros. (h) Prædictis quidem nostris Missis cuncta in ore subtilius posuimus, eosque diligenter informavimus, quæ de singulis causis vestræ à Deo protectæ Excellentiæ, nostra vice, enarrare debeant; eosque benignè, atque hilari vultu à vobis suscipi petimus, eorumque sermonibus, quos nostra vice protulerint, credere, & aurem benignitatis vestræ accommodare, cunctaque perficere, atque adimplere dignemini, quæ sanctæ memoriæ genitor vester Domnus Pippinus Rex Beato Petro unà vobiscum pollicitus, & postmodum tu ipse, à Deo institute magne Rex, dum ad limina Apostolorum profectus es, ea ipsa spondens confirmasti, eidemque Dei Apostolo præsentialiter manibus eamdem (i) obtulisti promissionem. Nos enim magnam fiduciam habemus in vestri cordis firma constantia, & certi sumus omnino de benigno mentis vestræ proposito.

Unde & copiosum à vobis suscipere præstolamur fructum, ut, sicut cœpisti, bonum opus perficias, tuisque temporibus sancta Dei Ecclesia multo amplius exaltata permaneat. Quatenus omnipotens Dominus, intercedente Beato Petro Principe Apostolorum, dignam vobis remunerationem tribuat, & in cœlestibus regnis cum Sanctis & electis post hujus vitæ longævitatem perenniter exaltandos vos recipiat. Per te enim, bone victoriosissime Rex, præfata sancta universalis Dei Ecclesia, de inimicorum impugnationibus erepta, magno, ut dictum est, triumphat gaudio, & orthodoxa Christianorum fides vestro præsidio in pristino venerationis statu permanet immutilata. Pro quo obnixe petimus, ut de vestra prosperitate nos quantocius certos reddere jubeatis, quia vestra salus, nostra est securitas, & vestra lætitia nostrum esse

(s) *Idem*: referuisset verba.
(t) *Idem*: direxerimus.
(u) *Idem*: utpote pius Rex.
(x) *Idem*: pro justa vindicta nobis eis lata concedat Tibi.
(y) *Lambecius*: Autumno tempore.
(z) *Gretserus*: Summarium XXXIII. Baronio & Centuriatoribus.
(a) *Lambecius*: Hadrianus: *sic semper*.
(b) *Idem*: etiam & in Apostolica Aula.
(c) *Idem*: sedule à nobis.
(d) *Idem*: quod hoc autumno tempore vestros ad nostri præsentiam studuissetis dirigendum Missos.
(e) *Idem*: per totum Septembrium etiam & Octobrium, & præsentem Novembrium mensem ipsos vestros suscipiendum Missos.
(f) *Idem*: in nostro imminet.
(g) *Idem*: Hegumenum.
(h) *Idem*: Prædictis siquidem.
(i) *Idem*: offeruisti promissionem.

esse comprobatur gaudium. Unde firmi in vestro amore, & dilectionis caritate permanentes, incessanter divinam deprecamur clementiam, ut sua vos gratia multipliciter tueatur, tribuens Præcellentiæ vestræ, atque Excellentissimæ filiæ nostræ Reginæ, & amantissimis natis vestris (k) longævis ac prosperis temporibus Regni gubernacula possidenda, vestrisque vestigiis cunctas barbaras Nationes prosternat, dilatans multipliciter terminos Regni vestri, etiam & cœlestis regni gaudiis vos faciat esse participes. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

(l) EMBOLUM.

De protervia Leonis Archiepiscopi.

Et hoc vestræ à Deo protectæ Excellentiæ innotescimus, eo quòd postquam à vobis reversus est Leo Archiepiscopus, in nimiam superbiam elevatus, nullo modo nostris præceptionibus, sicut antea, obedire voluit, sed brachio forti usque hactenus in sua potestate detinere videtur (m) Imolam atque Bononiam, dicens: quòd easdem Civitates nullo modo Beato Petro, neque nobis concessistis, nisi tantummodo eidem Leoni Archiepiscopo. Unde dirigentes ibidem nostrum Missum, idest Gregorium Sacellarium, qui Judices earumdem Civitatum ad nos deferre deberet, & sacramenta in fide Beati Petri, & nostrâ, atque Excellentiæ vestræ à cuncto earum Populo susciperet. Sed nequaquam idem Archiepiscopus eumdem nostrum Sacellarium illuc ire permisit. Nam & Dominicum, quem nobis in Ecclesia Beati Petri tradidistis atque commendastis, Comitem constituimus in quamdam brevissimam Civitatem Gabellensem, Præceptum ejusdem Civitatis illi tribuentes. Sed minime illum permisit ipsum actum agere, sed dirigens exercitum, vinctum eum Ravennam deduxit, & sub custodia habuit. Nam & de aliis Civitatibus Æmiliæ, idest Faventia (n), Ducatu Ferrariæ, Comiado, & Foro Livii, & Foro-Populi, Cæsnia, & Bobio, seu Tribunatu Decimo, nullum hominem exinde ad nos pro suscipiendis Præceptis actionum, advenire permisit. Nam illi omnes parati erant ad nos conjungere.

De reliquis vero Civitatibus, utrarumque Pentapoleos ab Arimino usque Eugubium omnes, more solito, ad nostri advenerunt præsentiam, & Præcepta actionum de ipsis Civitatibus à nobis susceperunt, & in nostro servitio atque obedientia fideliter cuncti permanent, nisi solummodo ipse Archiepiscopus in sua ferocitatis superbia exiitit. Sed petimus te coram Deo vivo, Præcellentissime fili, ut nullo modo hoc tibi placeat, ut ea, quæ sanctæ memoriæ genitor tuus, & tu ipse Beato Petro concessistis atque obtulistis, quod absit, temporibus vestris auferantur, & Ecclesia Beati Petri per malignos homines, qui iniqua immittunt, humilietur: sed magis semper per vos exaltata permaneat.

(k) *Idem*: longæva ac prospera tempora.
(l) *Gretserus*: Centuriatores *chartam insertam* vocant.
(m) *Lambecius*: Imulas.
(n) *Idem*: Ducatu Ferrariæ, Comiaclo, Foro Livii, Foro Popoli, Cæsinia, & Bobio, seu Tribunatu Decimo.
(o) *Gretserus*: Summarium XXIX. apud Baronium & Centuriatores.

A

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur uberrimæ benedictiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Epistola Johannis Patriarchæ Gradensis.

(*Epistola ordine LII.*)

(o) Domno *Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Dum tanta amoris dilectio, & firma caritatis integritas, inter nos, Deo auspice, corroborata

B

existit, magnum nobis imminet fervoris desiderium, de vestra prosperitatis lætitia certos effici. Quapropter paterno sinceritatis affectu vestram à Deo protectam Excellentiam ter & in Domino plurimum osculantes, quæsumus, ut nos celerius de vestra sospitatis integritate, atque Præcellentissimæ filiæ nostræ, à Deo illustratæ magnæ Reginæ dulcissimæ filiæ nostræ, nec non & Excellentissimorum filiorum vestrorum, nos lætos quantocius (p) efficere studeatis in eo, quod exspectantes usque fuimus vestros suscipere Missos, sed nondum ad nos pervenerunt. Et ob hoc maxima nos dilectionis affectio cogit sinceram cordis nostri puritatem vestro regali

C

culmini enucleanter proferre: dum nimirum vestra salus, nostra est lætitia, & prosperitatis vestræ commoditas, nostra est exsultatio. Itaque innotescimus (q) Excellentiæ tuæ, suscepisse nos Epistolam directam nobis à Johanne Patriarcha Gradense. Vicesima septima enim die (r) Octobris mensis ipsa ad nos pervenit Epistola, & protinus nec potum nec cibum sumsimus, neque nos, neque hujus scriptor nostræ Apostolicæ relationis, sed eâdem horâ, eodemque momento ipsam antefati Patriarchæ Epistolam cum his nostris Apostolicis Syllabis vobis transmissimus. Itaque valde tristes effecti sumus, (s) quoniam asifoniatas bullas ejusdem Epistolæ reperimus,

D

(t) à Leone Archiepiscopo, primitus relecta nobis directa est; & in hoc comprobare potest excellentissima Christianitas vestra, qualis est fraudulenta fides ipsius Leonis Archiepiscopi. Quia non pro alio præsumsit eamdem Epistolam primitus reserare ac relegere, nisi ut omnia, quæ adscripta sunt, ut certe omnibus manifestum est, adnuntiaret tam Arghiso Duci Beneventano, quàm reliquis nostris vestrisque inimicis. Et dubium non est, cuncta jam præfatis æmulis ab eodem Archiepiscopo esse adnuntiata. Nos quidem, veritate testante, coram Deo, dicimus puriter & fideliter, in vestro permanentes amore, juxta quod inter nos præsentialiter in Aula Apostolica confirmatum est, ea quæ ad nos perveniunt de

E

præsenti cum magna cautela vobis (u) studemus denunciare, quia post Deum, & Beatum Petrum, alibi nostra spes & fiducia non est, nisi in vestra à Deo protecta Excellentia. Tu enim, dulcissime magne à Deo illustrate Rex, noster

(p) *Lambecius*: effici studeatis in eo, quod exspectabiles usque fuimus vestros suscipiendum Missos.
(q) *Idem*: Excellentiæ vestræ.
(r) *Idem*: Octobris mensis.
(s) *Idem*: quoniam siphoniatas bullas.
(t) *Idem*: a Leone Archiepiscopo, quæ primitus.
(u) *Idem*: studemus denuntianda.

noster cum Deo defensor & protector existis, quia per te Sancta Dei Ecclesia spiritalis mater tua exaltata, magno exsultat gaudio, confidentes cuncta à vobis Beato Petro promissa velociter effectui mancipanda.

Sed Deus omnipotens, in cujus manu omnia Mundi Regna consistunt, suâ vos multipliciter foveat gratiâ, & Beatorum Apostolorum Principum Petri ac Pauli intercessionibus, longo ac prospero senio Regni gubernacula possidere, & pariter cum excellentissima filia nostra Regina, & amantissimis natis gaudere, & cœlestia præmiorum cum Sanctis perenniter vos faciat adipisci regna. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

De Leone Archiepiscopo.

ETenim innotescimus excellentissimæ Christianitati vestræ, (x) eo quòd quando à vestro regali vestigio reversus est Leo antefatus Archiepiscopus, in magnam superbiam, & tyrannicam elationem pervênit, & nullo modo, sicut antea, nostris Apostolicis obtemperare inclinatus est mandatis, (y) & nullum ex Ravennatibus, vel Æmiliâ pro accipiendis Præceptis de diversis actionibus ad nos venire permisit: ita eis indignatus comminatus est, dicens: Quod si quis ex eis ad nos venire præsumsisset, non potuisset venire. Nam Pentapolenses omnes obedientes existentes in nostro Apostolico servitio, ad nos proni, sicut tempore prædecessoris nostri Domni Stephani Papæ, properaverunt, & Præcepta de singulis eorum Civitatibus more solito acceperunt. De reliquis verò Civitatibus Æmiliæ, simulque (z) & Gabello, qui à nobis ibidem ordinati sunt, ab eo exinde projecti sunt, & alios ex eis in vinculis detinet. At verò de Civitatibus Imulensi, seu Bononiensi, ita profanizat, dicens: Quòd vestra Excellentia ipsas Civitates minime Beato Petro & nobis concessit, sed sibi ipse Archiepiscopus à vobis fuisse concessas ac traditas asserit, sub sua potestate permanendas. Unde nullum hominem ex eisdem Civitatibus ad nos venire permisit, sed ipse ibidem actores, quos voluit, sine nostra auctoritate ordinavit, & in sua eas detinet potestate. Et non tibi placeat, excellentissime fili, ut tanto despectui hanc Apostolicam habeat Sedem, non reputans de sua promissione, quam Beato Petro, & ejus Vicariis jurejurando adhibuit, sed sicut transgressor mandatorum Dei in perjurii reatus incidit. Etenim nos firmiter credimus, & magnam habemus fiduciam, quòd omnia, quæ Beato Petro per vestram donationem offerenda promisistis, adimplere pro magni Regni vestri stabilitate, & æterna vobis conferenda retributione, studeatis.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ per Andream & Anastasium, pro justitia Sanctæ Dei Ecclesiæ: & de Leone Archiepiscopo, qui jam ad præfatum Dominum Regem (a) properavit.

(*Epistola ordine* LIII.)

(b) DOmno *excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Revertentes ad nos Missi nostri, quos ad vestram à Deo illustratam Præcellentiam nuper visi sumus direxisse, scilicet Andreas reverendissimus frater noster Episcopus, & Anastasius Cubicularius, detulerunt nobis honorandos atque mellifluos benignissimæ Christianitatis vestræ apices; quorum series, dum nostris recitaretur auribus, liquidò cuncta in eis adnexa didicimus. Sed & ipsi præfati vestri Missi inde minute nobis omnia, quæ illis à vobis injuncta sunt, detulerunt plenissime, adserentes de vestra benevola puritate, & magna cordis constantia, quam erga Beatum Petrum Principem Apostolorum, & nostram mediocritatem, secundùm vestram promissionem habere videmini. Pro quo nimio repleti gaudio, illico, extensis palmis ad æthera, omnium Creatori Domino Deo nostro immensas (c) tulimus grates: impensius pro vestra prosperitate ejus divinam exorantes clementiam, ut confirmet idem Dominus Deus noster hoc ipsum in vestro florigero pectore, quatenus velociorem atque copiosum fructum Sancta spiritalis mater vestra Romana Nostra Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, de vestra consequatur promissione.

Sed bone dulcissime atque præcellentissime fili, Domine mi, à Deo institute magne Rex, deprecor & obnixe peto, tamquam præsentialiter coram tuis adsistens obtutibus, cum magna fiducia, ut velociter ea, quæ Beato Petro pro magna animæ tuæ mercede, & à Deo protecti Regni vestri stabilitate, Beato Apostolorum Principi Petro, cœlorum regni clavigero, per tuam donationem offerenda spopondisti, adimplere jubeas: quatenus idem Princeps Apostolorum multo amplius tibi protector & auxiliator apud divinæ Majestatis potentiam existat. Plenissime enim satisfactus es, præcellentissime Regum, qualis fortissimus ac validus ipse Janitor regni cœlorum Beatus Petrus tuæ extitit Excellentiæ adjutor, & quomodo ejus sacris interventionibus omnipotens Dominus Deus noster victoriam tibi tribuit, Regnumque Langobardorum tuæ tradere jussit potestatis ditioni, & in antea magnam habeo fiduciam, quia ejus suffragiis circumvallatus, tuis regalibus vestigiis ceteras barbaras Nationes omnipotens Dominus substernet; quia nos omnino satisfacti sumus, & magnam habemus fiduciam in vestri cordis constantia, celeriter vos omnia perficere, quæ eidem Apostolo, Apostolorumque Principi spopondistis. Optime enim cognoscimus, qualis firmitas & integritatis stabilitas inter nos, Deo auspice, in Apostolica aula corrobo-

rata

(x) *Lambecius*: eo quod à quando à vestro.
(y) *Idem*: & nullum ex Ravinianis.
(z) *Idem*: & Gabello, hi qui à nobis ibidem.
(a) *Idem*: properatus est.

(b) *Gretserus*: Summarium XXX. apud Baronium & Centuriatores.
(c) *Lambecius*; referuimus grates.

rata est, & scimus qui credimus & certi sumus.

De eo verò, quod innotuistis, ad vos properasse Leonem Archiepiscopum, nos quippe, ut testatur veritas, libentissime acceptamus eos, qui ad vestra regalia accelerant vestigia: quoniam una dilectio, una caritas, eademque puritatis affectio inter nos consistit. Et si præfatus Archiepiscopus nobis direxisset, ad vestrî se præsentiam velle proficisci, gratuito animo nostrum Missum cum eo direxissemus. Itaque præsens vester Missus aliam nobis obtulit Præcellentiæ vestræ Epistolam, cujus confertam paginam discentes, valde noster lætatus est animus in vestræ mentis benigno proposito, Redemtorem nostrum multipliciter deprecantes, ut longo ac prospero senio, cum magna de hostibus victoria, (*d*) cœlestis regni gubernacula pariter cum excellentissima & à Deo protecta filia nostra benignissima, & verè Christianissima Regina fidelissimaque amatrice Beati Petri, dulcissima verò vestra conjuge, atque amantissimis natis, vos perfrui annuat, tribuens vobis & cœlestis regni cum Sanctis perenniter possidenda gaudia. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de protervia Leonis Archiepiscopi Ravennatium Civitatis.

(Epistola ordine LIV.)

(*e*) D*Omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Pervênit ad nos eo quòd protervus & nimis arrogans Leo Archiepiscopus Ravennatium Civitatis, suos ad vestram excellentissimam benignitatem, ad contrarietatem nostram, falsa suggerendo direxit Missos. Etenim, præcellentissime magne Rex, postquam vestra Excellentia à Civitate Papia in partes Franciæ remeavit, & tunc tyrannico, atque procacissimo intuitu rebellis Beato Petro, & nobis exstitit, & in sua potestate diversas Civitates Æmiliæ detinere videtur, scilicet Faventiam, Forum-Populi, Forum Livii, (*f*) Cesinas, Bobium, Comiadum, Ducatum Ferrariæ, seu Imolas, atque Bononias; asserens, quod à vestra Excellentia ipsæ Civitates, unà cum universa Pentapoli illi fuissent concessæ. Et continuò direxit Theophylactum Missum suum per universam Pentapolim hoc ipsum denuntians, cupiens eosdem Pentapolenses à nostro servitio separare. Sed ipsi nullo modo se illi humiliare inclinati sunt, nec à servitio Beati Petri & nostro recedere maluerunt, magis autem firmi in nostris Apostolicis mandatis, quemadmodum exstiterunt sub nostro prædecessore, Domno Stephano Papa, cui sanctæ recordationis Genitor tuus, simulque & præclara Excellentia tua, ipsum Exarchatum sub jure Beati Petri permanendum tradidit, in omnibus firmiter permanere noscuntur.

Nam prænominatas Civitates, ut dictum est, Æmiliæ, ipse nefarius Archiepiscopus in sua potestate detinens, ibidem Actores, quos voluit, constituit, & nostros, quos ibidem ordinavimus, projicere visus est. Sed & cunctas actiones infra Civitatem Ravennatium ipse ordinavit; & ecce quod numquam speravimus, in magnam humilitatem sancta spiritalis mater tua Romana Ecclesia (*g*) venisse dinoscitur, & nos etiam in nimiam deminorationem, (*h*) atque despecti esse videmur, dum ea, quæ potestative temporibus Langobardorum detinentes ordinare ac disponere videbamur, nunc temporibus vestris à nostra potestate impii atque perversi, qui vestri nostrique existunt æmuli, auferre conantur. Et ecce improperatur nobis à plurimis nostris inimicis, exprobrantes nos & dicentes: *Quid vobis profuit, quòd Langobardorum Gens est abolita, & Regno Francorum subjugata?* Et ecce jam nihil de his, quæ promissa sunt, adimpletum est. Insuper & ea, quæ antea Beato Petro concessa sunt à sanctæ recordationis Domno Pippino Rege, nunc ablata esse noscuntur. Etenim illud, quod antefatus nefandissimus Archiepiscopus asserit, proponens occasionem, in ea potestate sibi Exarchatum Ravennatium, quam Sergius Archiepiscopus habuit, tribui, nos, excellentissime fili, quemadmodum tempore Domni Stephani Papæ, (*i*) qui illuc in Franciam profectus est, cui & ipse Exarchatus traditus est, ita & nostris temporibus eum sub nostra potestate disponere atque ordinare volumus, & omnes in hoc cognoscere possunt, (*k*) qualem potestatem ejus Beatitudo in eamdem Ravennatium Urbem, & cunctum Exarchatum habuit, qui etiam Archiepiscopum Sergium exinde abstulit, dum contra ejus voluntatem agere spiritu superbiæ nitebatur.

Etenim ipse noster prædecessor cunctas actiones ejusdem Exarchatus ad peragendum distribuebat, & omnes actores ab hac Romana Urbe Præcepta earumdem actionum accipiebant. Nam & Judices ad faciendas justitias omnibus vim patientibus in eadem Ravennatium Urbe (*l*) residentes ab hac Romana Urbe direxit, Philippum videlicet illo in tempore Presbyterum, simulque & Eustachium quondam Ducem; & ut plenius de hoc satisfacere (*m*) Christianissima Excellentia vestra potest, dignetur advocare prædictum Philippum Episcopum. Eoque de hujusmodi re inquisito, certissime veritatem agnoscere potestis, quia omnia ita sunt, quemadmodum innotuimus. Et non tibi placeat, bone & excellentissime fili, ut in tantum despectum atque humilitatis deminorationem sancta Dei Ecclesia Romana, spiritalis mater tua, quæ caput est omnium Ecclesiarum Dei, veniat; sed magis peto te coram Deo omnipotente, ut ita disponere jubeas, eumdemque Archiepiscopum sub nostra potestate contradere digneris, ut à nobis cunctus Exarchatus disponatur, sicut sæpe fatus Domnus Stephanus beatissimus Papa temporibus sanctæ memoriæ Genitoris vestri Domni Pippini disponere visus

(*d*) *Idem*: præsentis Regni gubernacula.
(*e*) *Gretserus*: Summarium XXXI. apud Baronium & Centuriatores.
(*f*) *Lambecius*: Cæsinas, Bobium, Comiaclum, Ducatum Ferrariæ, seu Imulas, atque Bononiam.
(*g*) *Idem*: evenisse dinoscitur.
(*h*) *Idem*: atque despectum, esse.
(*i*) *Idem*: qui illuc Franciam profectus.
(*k*) *Idem*: qualem potestatem ejus Terbeatitudo.
(*l*) *Idem*: residendum ab hac.
(*m*) *Idem*: Christianissimam Excellentiam Vestram.

sus est: quatenus vestris felicissimis temporibus ipsa sancta universalis Dei Eccl sia exaltata permaneat, & ex hoc in præsenti vita suffragiis Apostolorum Beati Petri & Pauli, Regni gubernacula longo senio cum immensis victoriis possidere, etiam & in futura beatitudine cœlestia regna adipisci mereamini. Ecce enim magnopere direximus ad vestra regalia vestigia præsentem Anastasium, fidelissimum nostrum Cubicularium, cui & in ore posuimus quæ nostra vice vestræ Excellentiæ enarrare debeat, quem in omnibus vobis commendantes cuncta illi credere, & ad nos cum prospero nuntio, & effectu causæ absolvere jubeatis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ad Domnum Carolum Regem directæ per (n) Gausfridum Abbatem, in qua continetur de victoria ipsius prædicti Regis, & de Episcopis Pisano & Lucano, ut ad proprias sedes atque Ecclesias pro sua pietate remeare concederet.

(*Epistola ordine LV.*)

(o) DOmno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Reversus à vestris à Deo dilectis regalibus vestigiis præsens Gausfridus habitator Civitatis Pisanæ, nostrisque præsentatus obtutibus, retulit nobis de immensis victoriis, quas vobis omnipotens & Redemtor noster Dominus Deus per intercessiones Beati Petri Principis Apostolorum concedere dignatus est, sed & de vestra prosperitate nos certos in omnibus reddidit. Quo audito, vehementi exsultationis lætitia noster in Domino ovans relevatus est animus, & protinus extensis palmis ad æthera, Regi Regum, & Domino dominantium opimas laudes retulimus, enixius deprecantes ineffabilem ejus divinam clementiam, ut & corporis sospitatem, & animæ salutem vobis tribuat, & multipliciter de hostibus victorias tribuat, omnesque barbaras Nationes vestris substernat vestigiis.

Et certè, crede nobis magne Christianissime Rex, bone præcellentissime fili proximam habeto fiduciam, quia dum tu fideli studio in amore ipsius Principis Apostolorum secundùm tuam promissionem permanseris, & cuncta eidem Dei Apostolo adimplere studueris, & salus tibi & immensa victoria ab omnipotenti Deo tribuetur indesinenter. Et quidem nos Deum proferimus testem, cui omnium cordium occulta reserata existunt, ab illo tempore, die, quo ab hac Romana Urbe in illas partes profecti estis, cotidie momentaneis etiam atque singulis horis, omnes nostri Sacerdotes, seu etiam Religiosi Dei famuli Monachi, per universa nostra Monasteria, simulque & reliquus Populus tam per Titulos quàm per Diaconos trecentos, *Kyrie Eleison*, extensis vocibus pro vobis Deo no-
A stro ad clamandum non cessant, flexisque genibus eumdem misericordissimum Dominum Deum nostrum exorantes, ut & veniam delictorum vobis, & maximam prosperitatis lætitiam, etiam & copiosas victorias vobis multipliciter è cœlo concedat.

(p) Ipse retulit nobis siquidem Gausfridus, dum à vobis absolutus reversus est, voluit eum interficere (q) Allo Dux. Unde dum vellet ipse Gausfredus ad vestra denuo reverti vestigia, posuit exploratores, atque insidiatores in itinere, (r) qui eum interficerent. Quo cognito, apud nos refugium fecit: & dum se petisset ad vestra absolvi vestigia, dum jam aderat, tum habuimus Ana-
B stasium nostrum Missum ad vestram Excellentiam dirigendum, eum ad vestram præsentiam cum ipso nostro Misso absolvimus. Quem petimus, ut pro amore Beati Petri & nostra postulatione benigne suscipere, & protectionis atque favoris vestri opem illi impertiri dignemini, deprecantes & hoc ut (s) Massas illas, quas ei concessistis, per vestram auctoritatis largitatem possideat. Sed & hoc nimis quæsumus atque postulamus benignitatem tuam, ut Episcopos illos, idest, civitatis Pisanæ, (t) seu Lucanæ Regii, ad proprias sedes atque Ecclesias, & plebes eis commissas absolvere (u) jubeatis reverti: quia ita, bone Rex, excellentissime fili, ani-
C mæ tuæ expedit, ut ipsi Episcopi propriis sedibus restituantur, omnesque Dei Ecclesiæ suis Præsulibus ornatæ consistant, & cunctus Dei Populus in magna lætitia vestris felicissimis temporibus degere valeat, vobisque hoc respiciat ad æternam mercedem. Nos itaque firmi in vestra caritate permanentes, ideo ea, quæ pertinere cognoscimus ad salutem animæ tuæ fiducialiter (x) vos satagimus deprecari, ut Deus noster omnipotens vestris semper placatus existat piis operibus, & copiosam vobis ex hoc in præsenti & futura vita tribuat remunerationem. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

D *Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de fide, vel constantia ipsius Apostolici erga prædictum Regem.*

(*Epistola ordine LVI.*)

(y) DOmno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Recordari vos credimus, excellentissime, & à Deo protecte fili, & magne Rex, quomodo disposuistis vestros prudentissimos ac fidelissimos Missos, ut cum nostris pariter Missis pergerent ad suscipiendum in integro patri-
E monium nostrum Ravennense, quod pro vestræ animæ mercede, & veniâ delictorum, Beato Petro Protectori vestro (z) concedi jussistis. Dum verò nostri vestrique illuc perge-

(n) *Gretserus*: Baronius & Centuriatores, *Ausfridum*. In margine Baronius, *Ansfridum*.
(o) *Idem*: Summarium XXVI. Baronio & Centuriatoribus.
(p) *Lambecius*: Ipse referuit nobis.
(q) *Gretserus*: Allonis fit etiam mentio infra Epistolâ LXV.
(r) *Lambecius*: qui eum interficeretur.
(s) *Gretserus*: *fortè* Mansos illos. *Lambecius*: ut Masas illas, quas.
(t) *Lambecius*: seu Lucanæ & Regii.
(u) *Idem*: jubeatis revertendum.
(x) *Idem*: vos satagimus deprecandum, ut Deus.
(y) *Gretserus*: Summarium XXV. Baronio & Centuriatoribus.
(z) *Lambecius*: concedere jussistis.

geret Missi, inventi sunt ibidem fidelissimi, atque seniores testes annorum plus minus centum, qui testificantes super Altare, intus Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in loco quidem Forobono, (a) coram Sanctis Evangeliis, & in præsentia fidelissimorum ac nobilissimorum vestrorum Missorum, scilicet Itherii, (b) & Magnarii tantummodo vestri Missi, absque præsentia nostrorum Missorum adfirmantes dixerunt (quod & ipsi vestri Missi vobis suppliciter, sicut testes illi jurati patefecerunt, referre possunt) (c) quomodo antiquitus ipse Beatus Petrus, Sanctaque nostra Romana Ecclesia idem detinuit patrimonium, & minimè ipsum suscepimus in integro patrimonium, vel nostris Missis contraditum est, sicut isti testes adfirmantes, coram Sanctis Christi Evangeliis testificantes dixerunt.

Sed petimus te, excellentissime fili, & magne Rex, atque spiritalis compater, ut vestram adprehendere debeant dexteram, & jurantes dicant ipsi vestri nobilissimi, quid de eodem patrimonio Savinensi Beati Petri præviderunt atque cognoverunt. Testem enim invoco Deum, quia nullorum fines (d) irrationabiliter appeto, sed sicut ex antiquitus fuit, ipsum jam fatum patrimonium, & id in integro Beato Petro Apostolo concessistis, ita suscipere optamus, (e) quatenus petimus vestram præcelsam Regalem potentiam, ut pro amore ejusdem Dei Apostoli, atque nostro, ipsos jam fatos fidelissimos Missos vestros, aut unum ex illis, cum alia persona, quæ vobis placuerit, dirigere jubeatis, ut ipsum patrimonium Savinense, sicut cœpistis, in integro, justitia annuente, nobis contradatur. Quapropter usque in finem perseverare debeat vestra Regalis potentia, sicut idem patrimonium in integro eidem Dei Apostolo, pro vestræ animæ mercede, concessistis atque tradidistis: ut hìc & in futuro, à Domino Deo nostro, & ab ipso Clavigero Regni cœlorum, retributionem boni operis suscipere mereamini, unà cum excellentissima filia nostra, Domna Regina, nostraque spiritali commatre, & vestra nobilissima prole; atque memoriale vestrum in Ecclesia ejusdem Dei Apostoli opinatissimè in æternum permaneat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Mauricio Episcopo, quòd Histrienses ei oculos eruissent.

(*Epistola ordine LVII.*)

DOmno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. (f) Credimus, quod jam ad vestræ à Deo protectæ Excellentiæ aures pervênit de Episcopo Mauricio Histriensi, qualiter dum eum fidelem Beati Petri & nostrum cognovissent nefandissimi Græci, qui in prædicto ibidem Territorio residebant Histriensi, & dum per vestram Excellentiam dispositus fuit prænominatus Mauricius Episcopus, ut pensiones Beati Petri, quæ in superius nominato (g) Territorio jacebant, exigeret, & eas nobis dirigere deberet, zelo ducti tam prædicti Greci, quàmque ipsi Histrienses, ejus oculos eruerint, proponentes ei, ut quasi ipsum Territorium vestræ sublimi Excellentiæ tradere debuisset.

Propterea petimus à Deo protectam Excellentiam vestram, amantissime fili, & magne Rex, ut jubeas dirigere Marcario Duci præcipiendum, ut jam fatum Mauricium Episcopum, qui in visione vestræ Excellentiæ præsentatus est, ut eum in suo Episcopio reverti faciatis pro vestræ animæ mercede, eo quòd ipse jam dictus Episcopus ad nos properavit, & nos eum iterum direximus ad Marcarium Ducem Forojuliensem, ut qualiter à vobis fuerit dispositus, ita peragere debeat. Et hoc petimus Excellentiam vestram, ut per vestrum congruum dispositum (h) ipsa adprehendatur, pro ut salus Populi, qui ibidem commoratur, proveniat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, pro exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Possessore, & (i) Rabigaudo, (k) ipsum Apostolicum despicientes Spoleto ad Hildebrandum Ducem perrexerant, & inde Benevento pervenerant.

(*Epistola ordine LVIII.*)

(l) D*Omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Omnino confidimus, & certi sumus, quòd tua à Domino protecta Excellentia in his, quæ pariter loquentes inter nos convenerunt, firmiter atque immutabiliter permanere studeat, & caritatis vinculum in medio nostrûm corroboratum, toto mentis adnisu, atque sincero affectu, observare procuret, dum nos, Deo propitio, in ea ipsa habita in invicem dilectionis concordia cum magna sinceritate mentis (m) satagimus perseverare, quia Deo teste dicimus, à quo cum vestra melliflua Christianitate in alterno amicitiæ amore colligati sumus, maximam in tua à Deo inspirata benignitate habere videmur fiduciam, quòd omnes causas Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Provinciæ nostræ, salubri mancipentur effectui.

At verò, excellentissime & à Deo servate fili, bone & optime Rex, tuæ per hujus nostræ Apostolicæ relationis seriem deducimus notioni, quòd dum ad nos pervenisset de fidelissimorum vestrorum Missorum adventu, scilicet Possessoris, sanctissimi fratris nostri Episcopi, seu & Rabigaudi Religiosi Abbatis, in magno gaudio noster relevatus est animus, quo-

(a) *Idem*; coram sanctis Christi Evangeliis.
(b) *Gretserus*; Monegarii. *Centuriatores*: Machinarii.
(c) *Lambecius*; quomodo ex antiquitus.
(d) *Idem*: irracionabiliter indigeo.
(e) *Gretserus*: Videtur redundare, aut aliquid deest, cum quo cohæreat.
(f) *Lambecius*: Credimus quod jam vestræ à Deo protectæ Excellentiæ auribus pervenisset.
(g) *Idem*; territorio rejacebant, exigeret, ut eas nobis dirigere debuisset, zelo ducti tam prædicti Greci, quamque de ipsis Histriensibus, ejus oculos.
(h) *Idem*; ipse adprehendatur.
(i) *Gretserus*: Rabigando.
(k) *Lambecius*; Rabigaudo, quòd ipsum Apostolicum.
(l) *Gretserus*; Summarium XXIV. Baronio & Centuriatoribus.
(m) *Lambecius*: satagimus perseverandum.

A (n) quoniam desiderabilissimum est, assiduè Missos Excellentiæ vestræ solitè cum magno gaudio & decenti honore suscipere, & per eos de vestræ Sublimitatis sospitate certos esse. Unde nos illico secundùm quod Missos vestræ Regalis potentiæ decet, omnem præparationem, seu & caballos obviam eis direximus. Illi nempe, dum Perusium conjunxissent, relaxantes recto itinere ad nos conjungendum, secundùm quod à vestro à Deo protecto culmine directi fuerunt, & ut vestros honorandos apices relegentes invenimus, nos despicientes, (o) ad Hildebrandum in (p) Spoletium perrexerunt, dirigentes nobis per nostros Missos, *quod tantummodo cum Hil-* B *dibrando loquimur, & deinde ut directi sumus, unà vobiscum apud Domnum Apostolicum conjungemus*. Postmodum enim, dum cum prædicto Hildebrando locuti fuissent, & apud eum diutius morarentur, nostras Apostolicas eis adjurantes direximus Syllabas, *per Deum omnipotentem, & vitam excellentissimi filii nostri Domini Caroli Magni Regis, ut directi estis, ad nos conjungere satagite, ut unanimiter pertractemus, quod ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ pertinuerit, & (q) ad laudem Regni vestri præcellentissimi filii, agere studeamus, & tunc per dispositum, ut ejus Præcellentiæ decet Missos, apud Beneventum vos proficisci disponemus*. Sed illi, nescimus, quid pertractantes, C statim à Spoleto in Beneventum perrexerunt (r) nos in magna derelinquentes ignominia, & Spoletinos ampliaverunt in protervia. Unde valde hanc nostram perturbaverunt Provinciam, & pro hac re in magna tristitia (s) noster jacet animus, quia quantum per illos exspectabamus suscipere sperata nuncia de exaltatione Sanctæ nostræ Ecclesiæ, sicut & in vestris reperimus honorandis apicibus, & nostri (t) nobis tulerunt Missi, qualiter à vestra Regalitate injunctum habuerunt, in tanta afflictione & deminoratione conati sunt.

Sed recordari te credimus, dulcissime atque amantissime fili, qualiter nos benignissimo vestro ore affari estis, dum ad limina D Beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli properati estis, quia non aurum, neque gemmas, aut argentum, vel literas, & homines conquirentes, (u) tantum fastidium cum universo à Deo protecto vestro Francorum exercitu sustinuissetis, nisi pro justitiis Beati Petri exigendis, & exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ perficienda, & nostram securitatem ampliare certantes, sed tamquam præsentialiter coram vestris mellifluis obtutibus assistentes, obsecrantes petimus vestram à Deo fundatam Regalem potentiam, ut de tanta & tali tribulatione, in qua nos ipsi vestri dereliquerunt Missi, velociter per fidelissimos & benignissimos vestros Missos, nos consolari, E & lætificari jubeatis, quia & ipsum Spoletinum Ducatum (x) vos præsentialiter obtulistis Protectori vestro Beato Petro Principi Apostolorum, per nostram mediocritatem, pro animæ vestræ mercede, & ita obnixè quæsumus, præcellentissime fili, ut nostram deprecationem de prædicta afflictione, & prænominato Spoletino Ducatu, celerius effectui mancipetis, (y) quatenus dignam à misericordissimo Deo nostro, intercedente Beato Petro Apostolorum Principe, pro cujus amore & reverentia aurem nostris petitionibus accommodare inspiratus fueris, suscipias mercedem, quia, Deo teste dicimus, nil nisi vestram cupimus exaltationem & lætitiam; dum, annuente Deo, magna inter nos atque insolubilis caritatis concordia corroborata est, permanentes in his, quæ mutuò inter nos asserentes confirmavimus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ, ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur, quòd (z) Hiltibrandus, (a) & Aragis, atque Rodgaus, nec non & (b) Regimbaldus Duces consilium inierant, qualiter se in unum conglobarent cum Græcis, (c) & Adalgiso terrâ marique ad dimicandum contra Romam & Italiam, & sub nimiis adjurationibus postulans adjutorium contra eos.

(*Epistola ordine LIX.*)

(d) **D***Omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Reminisci consideramus à Deo protectam Excellentiam vestram, (e) quod sæpius vobis innotuimus de Hiltibrando Spoletino Duce, seu Arigiso item Beneventano Duce, atque Rodgauso Forojuliano, de sævissimo consilio, quod erga nos, atque vos gerere non differunt. Nunc verò dum fidelissimi vestri Missi, revera sanctissimus frater noster Possessor Episcopus, atque (f) Rabigaudus Religiosus Abbas, à Benevento repedantes, per prædictum Hildibrandum (g) ad nos properant, nimis nos obsecrantes, propter nominati Hiltibrandi noxam, (h) ut ei veniam tribueremus; asserentes, ut apud eum nostrum indiculum & obsides pro sua dubitatione, (i) & Hildibrandus nostris (k) se præsentaret obtutibus. Nos quippe secundùm fidelissimorum Missorum vestrorum dictum, illuc usque Spoletum direximus Stephanum nostrum fidelissimum dudum Sacellarium, qui quum eum affatus fuisset, & tunc nostros ibidem destinassemus obsides, ipse nempe noster Missus, quum apud eum conjunxisset, in magna eum invênit protervia, eo quòd Missos Arigisi Beneventani Ducis, seu & Rodgausi Forojuliani, nec non (l) & Regnibaldi Clusinæ Civitatis Du-

(n) *Idem*: quoniam desiderabilissimus, assidue Missos
(o) *Idem*: apud Hildebrandum.
(p) *Gretserus*: Spoletum.
(q) *Lambecius*: ad laudem Regni nostri.
(r) *Idem*: nos in magnam derelinquentes ignominiam.
(s) *Idem*: noster rejacet animus.
(t) *Idem*: nobis referuerunt Missi.
(u) *Idem*: tantum fatigium.
(x) *Lambecius*: vos præsentialiter offeruistis.
(y) *Idem*: quatenus dignam ex hoc a misericordissimo.
(z) *Idem*: Hildibrandus, & Arigis, atque Rodagus.
(a) *Gretserus*: Baronius & Centuriatores, *Arogis*.
(b) *Idem*: Raginbaldus, Reginaldus.
(c) *Lambecius*: & Adalgis.
(d) *Gretserus*: Summarium XXII. Baronio & Centuriatoribus.
(e) *Lambecius*: quod sæpius vobis innotuendum direximus de Hildibrando.
(f) *Gretserus*: Rabigandus.
(g) *Lambecius*: apud nos properati sunt.
(h) *Idem*: ut ei veniam tribuissemus.
(i) *Gretserus*: mitteremus, *vel aliquid simile deesse videtur*.
(k) *Lambecius*: se præsentasset obtutibus. Nos quippe secundùm fidelissimi Missi vestri dictum, illuc usque Spoleto direximus.
(l) *Idem*: & Reginbaldi Clusinæ Civitatis.

A Ducum, in Spoletio cum præfato reperit Hiltibrando, adhibentes adversùs nos perniciosum consilium, qualiter, Deo eis contrario, proximo Martio mense adveniente, utrosque se (*m*) in unum conglobarent cum caterva Græcorum, & Athalgiso Desiderii filio, & terrâ marique ad dimicandum super nos irruant, cupientes hanc nostram Romanam invadere Civitatem, & cunctas Dei Ecclesias denudare, atque Ciborium Fautoris vestri Beati Petri (*n*) auferre, vel nosmetipsos, quod avertat Divinitas, captivos deducere, nec non Langobardorum (*o*) Regem integrare, & vestræ Regali potentiæ resistere.

Ob hoc, præcellentissime Rex, & dulcissi- B me fili, peto te, & tamquam præsentialiter adsistens cum divinis mysteriis, conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apostolorum Beato Petro, ut sub nimia festinatione, & maxima celeritate nobis subvenias, ne pereamus, quoniam post Deum in tuis manibus nostras omnium Romanorum commisimus animas, ne nos derelinquas, aut differas (*p*) solatiandum, (*q*) ut dicant Gentes, quæ in cuncto Orbe terrarum sunt: *ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum, in Regem & Regnum Francorum habebant?* Et tu de omnibus, à Deo protecte, dilectissime fili, ante Tribunal Dei eris redditurus rationem, quoniam, ut præfati sumus, tuæ dulcissimæ C Sublimitati, per Dei præceptionem, & Beati Petri, Sanctam Dei Ecclesiam, & nostrum Romanorum Reipublicæ Populum commisimus protegendum: & ita ad limina Protectoris tui Beati Petri Apostolorum Principis properare satagite, (*r*) ut cunctos adversarios Sanctæ Dei Ecclesiæ, atque nostros, seu vestros, Regalis vestri culminis substernantur vestigiis, & ea quæ eidem Dei Apostolo vestris propriis pro animæ vestræ mercede (*s*) obtulistis manibus, ad effectum perducatis, ut fructum bonum offerens in futuri examinis die merearis dicere: *Domine meus, Princeps Apostolorum, Beate Petre, cursum consummavi, fidem tibi servans, Ecclesiam Dei à Superna Clementia tibi commendatam de manibus perse-* D *quentium defendens liberavi, & adsistens immaculatus coram te, offero tibi pueros, quos mihi commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospites atque incolumes existentes.* Tunc & qui in præsenti vita Regni gubernacula tenes, etiam & in futuro seculo cum Christo regnans cœlestia præmiorum gaudia adipisci merearis, audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam inquientis (*t*): *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi.* Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ (*u*) *ad Domnum Regem directæ, in qua continetur de transitu Constantini Imperatoris, & de Raginaldo Duce Clusinæ, præfatus Papa postulans, ut ipsum* (*x*) *actum Domnus Rex ei habere non permitteret, eo quòd multa mala in Castello Felicitatis indesinenter agere non desistebat.*

(*Epistola ordine LX.*)

(*y*) DOmno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum atque Patricio Romanorum, Adriaanus Papa. Excellentissimæ, & à Deo protectæ Christianitati vestræ his nostris Apostolicis innotescimus apicibus, pervenisse ad nos, Nuntiis præcurrentibus, quòd Constantinus Imperator (*z*) divina evocatione, de hac subtractus esset luce. Sed quia certum non didiceramus, hac de re vestræ à Deo protectæ Excellentiæ (*a*) indicare distulimus. Nunc verò suggessit nobis Sanctissimus ac Reverendissimus frater noster Stephanus, Neapolitanæ Urbis Episcopus, per has Syllabas ea ipsa (*b*) nobis intimare, quas & septima die præsentis Februarii mensis suscipientes; easque peragrantes, confestim vestro Regali culmini significare maturavimus, & pro magna Sublimitatis vestræ satisfactione eosdem affatus infra hæc nostra scripta directa posuimus.

Interea & hoc vestræ Præcellentiæ, dulcissime & amantissime fili, (*c*) dirigimus de perfido illo & seminatore zizaniorum, atque instigatore Humani Generis æmulo Raginaldo, dudum in Castello Felicitatis Castaldio, qui nunc in Clusina Civitate Dux esse videtur, eo quòd plurima mala per suas iniquas summissiones spiritali Matri vestræ Sanctæ Dei Ecclesiæ, (*d*) & nobis ingerere non desinit, dum omnino ea, quæ Beato Petro Principi Apostolorum à vestra Excellentia pro animæ vestræ mercede oblata sunt, per suum iniquum argumentum abstollere anhelat, & in suo proprio servitio ea habere desiderat. Unde & per semetipsum cum exercitu in eamdem Civitatem nostram Castelli Felicitatis properans, eosdem Castellanos abstulit; & nequaquam credimus, benignissime fili, & Christianissime Rex, quòd pro prædicti Reginaldi Ducis exaltatione mutationem fecisset vestra à Deo corroborata Regalitas, unà cum excellentissima filia nostra Regina, atque dulcissimis natis vestris, vel cuncto à Deo instituto Francorum exercitu, nisi pro sustentatione amatricis vestræ, Sanctæ Dei Ecclesiæ, ut in vestro benigno certamine perenniter permanens eniteret.

Id-

E

(*m*) *Lambecius*: in unum conglobent.
(*n*) *Idem*: abstollere.
(*o*) *Idem*: Regem redintegrare.
(*p*) *Gretserus*: solatium.
(*q*) *Lambecius*: Ne dicant gentes.
(*r*) *Muratorius*: *lege*: ut cuncti adversarii Sanctæ Dei Ecclesiæ, atque nostri seu vestri; *nisi velis, hunc solœcismum tribuere Pontificio Amanuensi.*
(*s*) *Lambecius*: offeruistis manibus.
(*t*) *Muratorius*: Matthæi cap. 25. vers. 34.
(*u*) *Lambecius*: ad Domnum Carolum Regem.
(*x*) *Gretserus*: Ducatum.
(*y*) *Idem*: Summarium XXI. Baronio & Centuriatoribus.
(*z*) *Muratorius*: Animadvertere non pigeat, nuntiari heic Carolo Regi Constantini Augusti mortem. Atqui Hadrianus I. Pontifex diem suum obiit Anno Christi DCCXCV. octavo Kal. Decembris, uti Baronius, Pagius, ac alii recte statuunt. Constantinus verò postea, hoc est Anno DCCXCVII. *à propria Matre oculis orbatus est*, ac Imperio privatus, uti certa temporis indicia à Theophane data persuadent. Quei ergo Hadrianus heic illius mortem refert? Falsus rumor hic fuerit necesse est, nisi quis aliis documentis, quæ hactenus latent, ostendat, alio tempore consignandam aut Hadriani, aut Constantini mortem.
(*a*) *Lambecius*: indicare differuimus.
(*b*) *Idem*: nobis intimanda.
(*c*) *Idem*: fili, petendum dirigimus.
(*d*) *Idem*: & nobis ingerendum.

Idcirco poscimus, & nimis supplicando insistimus, vestram à Deo illustratam potentiam, ut ob amorem Beati Petri Apostoli, nullo modo prænominatum Reginaldum ibidem in Tusciæ partibus esse permittatis. Sed neque illum ei agere (e) cedatis, (f) & non vobis hoc durum pareat, pro dilectione, qua in invicem compaginati sumus, fiducialiter hoc petere deducimus, & obtinere speramus: eo quòd & sub Desiderii temporibus jurgia & scandala (g) frequenter seminare non omittebat: Sed, excellentissime fili, ut nos, post Deum, (h) in tuo fortissimo brachio unà cum universo nostro Populo speramus, & die noctuque pro vestra sospitate, (i) atque victoriis Divinam exoramus Clementiam, ita cum omnibus causis Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nosmetipsi tuis felicissimis temporibus permaneamus, ut sicut (k) temporalia largitus est, ita & cœlestia tribuat possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Dominum Carolum Regem directæ, in qua continetur de camerado, vel trabibus, seu lignamine, quod necesse erat ad ipsam Ecclesiam Sancti Petri faciendum, & de Corpore Sancto, quod (l) Fulgatus (m) petiit.

(*Epistola ordine LXI.*)

(n) D*omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Directus à vestigio regalis Excellentiæ vestræ (o) Ado, Deo amabilis Diaconus, noster vesterque fidelis, multa nobis consueta, quæ erga nos, & Beatum Petrum Apostolorum Principem (p) geritis, retulit, quatenus omnipotenti Deo, & ejusdem Apostolo gratias egimus, indefinenter orantes pro vestra sospitate, (q) atque ampla victoria. Porro, dilectissime atque excellentissime fili, sicut direxistis nobis nostram petitionem adimpleri pro trabibus ad restaurationem Sanctæ Ecclesiæ, poscimus vestram à Deo promotam Excellentiam, ut Kalendis Augusti, hîc ad limina Beati Petri fautoris vestri, si fieri potest, paratæ inveniantur, ut exinde sempiterna memoria vestra & hîc & in futuro permaneat. De *Camarado* autem, (r) quod est *hypochartosa*, (s) ad renovandum in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris vestri, prius nobis unum dirigite Magistrum, qui considerare debeat ipsum lignamen, quod ibidem necesse fuerit, ut sicut antiquitus fuit, ita valeat renovari. Et tunc per vestræ regalis Præcellentiæ jussionem dirigatur ipse Magister in partibus Spoleti, (t) & demandationem ibidem de ipso faciat lignamine, quod (u) in prædicto *hypochartosis*, hoc est *Camarado*, necesse fuerit, quia in nostris finibus tale lignamen minime reperitur. Et prò hoc sanctissimus frater noster Wulcharius Archiepiscopus, nunc minime fatigetur venire, dum ipsum lignamen per semetipsum siccetur, quia dum viride est, non audemus exinde opera qualiacumque facere.

Præfatus autem (x) Addo Deo amabilis Diaconus, olim dum cum fratre nostro Fulrado, Deo amabili, religioso Abbate & Presbytero, huc venisset, petiit nos, ut ei Corpus Sanctum tribueremus. Sed nos, sicut jàmdudum vobis direximus, per revelationem territi, nullo modo audemus ex ipsis Sanctorum Corporibus (y) amplius quid exagitare. Sed si vestra voluntas fuerit in Corpore Beati Candidi Martyris, quod apud Wulcharium fratrem nostrum Archiepiscopum rejacet, si mutatum non est, sed ipsum est, quod sanctæ recordationis prædecessor noster Dominus Paulus Papa concesserat dudum Aciulso Presbytero, unà vobiscum ipsum illi concedimus Sanctum Corpus, quia per Concilium & fide dignas personas testimonium reddentes, ejus locum atque Ecclesiam reperimus, unde jam à fato Domno Paulo Papa ipsum Sanctum Corpus apud jam dictum Aciulsum Presbyterum concessum est.

De partibus autem Neapolitanis, sicut cum nefandissimis Græcis, seu Beneventanis (z) conciliant, qualiter vobis insinuantes per nostras Apostolicas Syllabas direximus, omnia minutius in ore posuimus (a) fidelissimi vestri Missi, scilicet Addoni Diacono, quod vobis enucleatius, simulque per ordinem enarrare debeat, ut sicut semper, & nunc per vestram à Deo confirmatam regalem potentiam Sancta Ecclesia exaltata (b) triumphet in ampliato honore, unà cum spiritali filia nostra Regina, seu præcellentissima vestra prole, (c) à terreno Regno fulgentes in perpetuum cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Dominum Carolum Regem directæ, pro exaltatione Sanctæ Ecclesiæ, & de orationibus ipsius Apostolici.

(*Epistola ordine LXII.*)

(d) D*omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Pa-*

(e) *Gretserus*: concedatis.
(f) *Lambecius*: ei agendum cedatis, & non vobis hoc durum pareat, sed dilectione, qua invicem compagati sumus, fiducialiter hoc petendum deducimus.
(g) *Idem*: frequenter seminando.
(h) *Idem*: in tuum fortissimum brachium.
(i) *Idem*: atque victoriis concedendi divinam.
(k) *Idem*: temporalia vobis largivit, & cœlestia tribuat.
(l) *Gretserus*: Fulradus.
(m) *Lambecius*: quod Fulradus petiit.
(n) *Gretserus*: Summarium XXVIII. Baronio & Centuriatoribus.
(o) *Gretserus*: Oddo. *Lambecius*: Addo.
(p) *Lambecius*: geritis, referuit.
(q) *Idem*: atque ampliata victoria.
(r) *Idem*: quod est Hypochartosis.
(s) *Muratorius*: De vocabulo *Camaradi* vide Du-Cangium Tom. I. Glossarii Med & Infim. Latinitatis. Apud cumdem in Tom. II. Glossar. Med. & Infim. Græcitatis vocabulum Ὑποχάρτης & Ὑποχαρτῶσις est *opus tectorium*, seu *tectoria*: cujus significationis exempla ex Scriptoribus profert.
(t) *Gretserus*: *fortè* de mandatione.
(u) *Lambecius*: quod in prædicta Hypochartosi.
(x) *Gretserus*: Oddo.
(y) *Lambecius*: amplius exagitare.
(z) *Gretserus, & Lambecius*: consiliant.
(a) *Lambecius*: fidelissimo vestro Misso.
(b) *Idem*: triumphet, & vos in ampliato honore, una cum spiritali filia nostra.
(c) *Idem*: in terreno Regno
(d) *Gretserus*: Summarium XIX. Baronio ibidem.

Patricio Romanorum, *Adrianus Papa*. Mellifluæ & à Deo protectæ tuæ Excellentiæ, benignissime fili, honorabiles suscepimus Syllabas, (e) quibus & cum nimio amore liquidò informati sumus. Sed omnipotens, clemens & misericors Deus, in cujus manu cor Excellentiæ tuæ, bone & Deo imitabilis fili, regitur, corroboret cor & mentem tuam, & brachium suæ potentiæ tibi extendat. Nos quidem die noctuque numquam desistimus cum Sacerdotibus, cunctoque Christiano Populo, in Confessione Beati Petri Principis Apostolorum, suppliciter exorare, ut unà cum excellentissima filia nostra Regina, & præcellentissima vestra nobilissima prole, victorem te super omnes barbaras Nationes faciat, quatenus omnes sub tuo brachio humiliati, vestigia pedum tuorum prorsus osculentur, & Ecclesia Dei à vestra à Deo instituta regali potentia (f) nimirum exaltetur. Numquam enim credimus, quod semel pollicitus es super venerabile Corpus Beati Petri Clavigeri regni cœlorum, ut quælibet falsa potestas, seu principatus poterit tuam firmissimam Excellentiam segregare à caritate & amore, quem à cunabulis tuis Beato Petro Principi Apostolorum habuisti, sed in ea fide & dilectione, simulque & promissione te confidimus permanere, in qua & nos firmi & stabiles, quod facie ad faciem polliciti sumus, Domino præsidiante, & Beato Petro Principe Apostolorum mediante, usque in finem manemus. Unde omnipotens, pius, & misericors Deus longo ac prospero senio, unà cum præcellentissima filia nostra Regina, & nobilissima Sobole regni gubernacula faciat perfrui, & vitam æternam vobis tribuat possidendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua prædictus Papa postulans, ut Domnus Rex revertens à Saxonia, ad limina Sancti Petri (g) properaret, quemadmodum ei pollicitus fuerat.

(*Epistola ordine LXIII.*)

(h) D*Omno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, *Adrianus Papa*. Dum tantâ securitatis lætitiâ spiritalis mater vestra, Sancti Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, dilatata laudabiliter permanet, etiam in Apostolica aula, ob vestrorum delictorum veniam (i) sedulo à nobis & cunctis Dei Sacerdotibus orationum vota, & sacrificiorum hostiæ divinæ (k) proferuntur Majestati. Itaque, præcellentissime fili, conjungentes ad nos fidelissimi vestri Missi, scilicet Possessor sanctissimus frater noster Episcopus, & Rabigandus religiosus Abbas, detulerunt nobis desideratissimas vestræ Sublimitatis syllabas, quas & cum nimia amoris dulcedine acceptantes suscepimus, relegentesque, & de vestra immensa prosperitate agnoscentes, magnas omnipotenti Deo nostro (l) tulimus laudes, qui nobis tam benignissimum ac Christianissimum Regem suæ Ecclesiæ detulit defensorem. Continebatur quippe in ipsis vestris (m) regalibus apicibus, quòd Domino protegente remeantes vos à Saxonia, mox & de præsenti, Italiam vel ad limina protectoris vestri Beati Apostolorum Principis Petri, ad implenda, quæ ei polliciti estis, properare desideratis. De quo audito nimis noster lætatus est (n) animus, unà cum universo nostro Populo, eo quòd nimis desiderabiles sumus prominentissimum vestrum conspicere vultum.

Quoniam (o) satisfaciat tibi veritas, dulcissime & amantissime fili, atque à Deo instiute magne Rex, in eadem sponsione, qua invicem ante sacram ejusdem Dei Apostoli confessionem adnexi sumus, firmi atque incommutabiles, diebus vitæ nostræ, cum universo nostro Populo permanere satagimus. Unde & caritas vestri regalis culminis nos provocat (p) sedulo de vestra sospitate addiscere, & cognoscat vestra conspicua Excellentia, quia si mora de vestro adventu provenerit, magna nobis imminet voluntas, (q) ibidem in vestrum adventum, ubicumque nos valuerimus conjungere, obviam proficisci.

Interea notioni vestræ Excellentiæ deducimus de prædictis vestris fidelissimis Missis, quia sicut ad nos pervenerant, & vestræ regali potentiæ per nostros apices intimandum direximus, dum nobis præsentati fuissent ipsi Missi vestri, fideles in servitio fautoris vestri Beati Petri Apostolorum Principis, & nostro atque vestro reperimus. Pro quo petimus, ut benigne eos suscipere jubeatis.

His prælibatis, divinam exoramus clementiam, ut sua vos gratia multipliciter tueatur, tribuens vobis, atque Excellentissimæ filiæ nostræ Reginæ & amantissimis vestris natis, longæva ac prospera tempora, Regni gubernacula possidenda, vestrisque vestigiis cunctas barbaras Nationes prosternat, dilatans multipliciter terminos Regni vestri, etiam & cœlestis regni gaudiis vos faciat esse per infinita secula participes. Incolumem Excellentiam vestram, Domne fili, superna gratia custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur, quòd Neapolitani cum Græcis Civitatem Terracinensem invasissent.

(*Epistola ordine LXIV.*)

(r) D*Omno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, *Adrianus Papa*. Nullum plus credimus victoriosissimæ regalis Excellentiæ vestræ (s) uti præsidium, quàm quod erga Beatum Petrum Apostolum Principem, & pro ejus Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, sicut cœpi-

(e) *Lambecius*: quas & cum nimio.
(f) *Gretserus*: *fortè* nimiùm.
(g) *Lambecius*: properasset.
(h) *Gretserus*: Summarium XVIII. Baronio & Centuriatoribus.
(i) *Lambecius*: sedule à nobis.
(k) *Gretserus*: offeruntur.
(l) *Lambecius*: referuimus laudes.
(m) *Idem*: Regalis serici apicibus.
(n) *Idem*: animus, cum universo.
(o) *Idem*: satisfaciat te veritas.
(p) *Idem*: sedule de vestra.
(q) *Idem*: ibidem in vestri obviam, ubicumque vos valuerimus conjungere, gradiendum proficisci.
(r) *Gretserus*: Summarium XVII. Baronio & Centuriatoribus. Principium corruptum est.
(s) *Lambecius*: uti præsidium, quam nos, eo quod erga Beatum Petrum.

cœpistis, usque in finem (*t*) decertari, quatenus salutantes triumphatorissimæ erga vos benivolentiæ vestræ per hos nostros affatus enucleatius vobis de partibus istis insinuamus, qualiter nefandissimi (*u*) Neapolitani, & Deo odibiles Græci, præbente malignum consilium Arighis Duce Beneventano, subitò venientes, Terracinensem Civitatem, quam servitio Beati Petri Apostolorum Principis & vestro, atque nostro antea subjugavimus, nunc autem in valido consilio, iterum ipsi jam fati nefandissimi Neapolitani cum perversis Græcis invasi sunt. Nos quidem sine vestro consilio nullatenus ibidem dirigere voluimus. Sed poscimus vestram à Deo promotam Regalem Excellentiam, ut sicut solita est, pro amore Beati Petri, Clavigeri Regni cœlorum, disponere debeat, & celeriter nobis (*x*) Wulfrinum dirigere, ut hic apud nos (*y*) Kalendis Augusti paratus esse festinet, atque talem eidem mandationem facere jubeatis, ut cum omnibus Tuscanis, (*z*) seu Spoletanis, atque cum ipsis nefandissimis Beneventanis in servitio vestro pariterque nostro (*a*) ad recolligendam ipsam Civitatem Terracinensem adveniant, simulque Domino annuente ad expugnandum Cajetam, seu Neapolim, nostrum recolligentes patrimonium, quod ibidem in Territorio Neapolitano ponitur, occurrant, ut eos in omnibus subjugantes, sub vestra atque nostra sint ditione.

Placitum quidem (*b*) cum ipsi fallaces Neapolitani per Missum eorum, nomine Petrum, in festum Sanctum Paschæ habuimus, patrimonium nos Beati Petri Apostoli, quod ibidem in Neapoli ponitur, exquirentes, & in vestro servitio eos subjugare desiderantes: ut quindecim obsides ex nobilissimis eorum filiis nobis dantes, ipsam Civitatem Terracinensem illi colligerent, sub ea videlicet ratione, ut issent ad Patricium eorum in Sicilia, & si nostrum patrimonium reddere voluissent, ipsam Civitatem & obsides reciperent. Sed nos sine vestro consilio neque obsides, neque ipsam Civitatem reddere habuimus, eo quòd pro vestro servitio ipsos obsides apprehendere cupiebamus: quia eorum malignum consilium aliud non est, nisi unà cum infidelissimo (*c*) Arighi Duce Beneventano tractantes, & quotidie Missos nefandissimi Patricii Siciliæ (*d*) ipso Arighi suscipiente, impedimentum jam fatus Arighis solus fecit, ut minimè nos obsides à jam dictis Neapolitanis reciperemus: quia quotidie ad istam perditionem filium nefandissimi Desiderii dudum, nec dicendi Regis Langobardorum, exspectat, ut unà cum ipso pro vobis nos expugnent. Sed hoc petimus vestram à Deo promotam Excellentiam, ut nulla qualisvis persona vobis pro hoc impedere valeat, pro amore Beati Petri, & nostro; quia nullo modo potest eos sinere, ut vobiscum pariter ab illis deridea-mur, quia nostra virtus atque gloria unà cum Beato Petro Apostolorum Principe vos estis. Nos quidem (*e*) pro nihilo deputamus ipsam Civitatem Terracinensem, sed, ut non per illum vitium incurrat, (*f*) ut infideles Beneventani, sicut desiderant, locum invenientes, à vestra subtrahantur fide. Idcirco ista vobis insinuantes dirigimus, ut per vestrum adminiculum, sicut fati sumus, Ecclesiâ Protectoris vestri Beati Petri Apostoli exaltatâ, laus vestra, atque victoria in universo Mundo sonetur, & in perpetuum unà cum excellentissima filia nostra Regina, (*g*) atque præcellentissimis vestris suboles, cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de venumdatione mancipiorum Genti Paganæ Saracenorum factæ, & prædictus Papa excusans, Romanos numquam tale scelus perpetrasse, sed à Langobardis & Græcis eos traditos esse dicit.

(*Epistola ordine LXV.*)

(*h*) DOmno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Insignis præconii vestræ à Deo fundatæ Regalis potentiæ Syllabas suscepimus, & Deo omnipotenti gratias egimus, qui nos certos reddidit de sospitate à Deo protecti Regni vestri, simul & de spiritali filia nostra Regina, dulcissima vestra (*i*) conjuge & prole, (*k*) & pro cunctis Episcopis, diversis Sacerdotibus, Senatu, & universo à Deo conservato Populo Francorum. Cognitor enim & scrutator cordium, & renum, Deus noster, quia & sincere, sine qualibet occasione, in vestra melliflua Regalis potentiæ permanemus caritate, & deprecamur Dei omnipotentis clementiam cum nostris Episcopis, Sacerdotibus, Clero, atque Senatu, & universo nostro Populo, ut vobis indesinenter victorias tribuat, & vestrum dilatet Regnum ad exaltationem spiritalis Matris vestræ Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, & salutem Populi nobis à Deo commissi: quia vestra exaltatio nostra est lætitia, & semper desideramus & cupimus, quæ bona sunt atque prospera, de vestro à Deo protecto Regno, & omnium Francorum, salutaria addiscere, quia nos post Deum, in alio fiduciam non habemus, nisi in vestro fortissimo brachio. Et sicut prædecessor noster, Domnus Stephanus Papa, bonam habuit fiduciam in Genitore vestro sanctæ recordationis Domno Pippino Rege, ita & nos multò amplius in vestro fortissimo Regno confidimus, & certi permanemus.

(*l*) Reperimus etiam in ipsis vestris melli-fluis

(*t*) *Idem*: decertare non cessatis. Quatenus salutantes triumphatorissimam erga nos benevolentiam vestram.

(*u*) *Lambecius*: Neapolitani una cum Deo odibiles Græcis.

(*x*) *Idem*: VVulfinum.

(*y*) *Idem*: Kalendis Augustis.

(*z*) *Idem*: Spoletinis.

(*a*) *Idem*: ad recolligendum.

(*b*) *Gretserus*, & *Lambecius*: cum ipsis fallacibus Neapolitanis.

(*c*) *Gretserus*: Arichi; *Lambecius*: Arighis.

(*d*) *Lambecius*: ipso Arighis.

(*e*) *Idem*: pro nihilo reputamus.

(*f*) *Idem*: & infideles.

(*g*) *Idem*: atque præcellentissima vestra sobole.

(*h*) *Gretserus*: Summarium XVI. Baronio & Centuriatoribus.

(*i*) *Lambecius*: Conjuge, Prole etiam, & pro cunctis.

(*k*) *Gretserus*: Videtur aliquid deesse, pertinens ad fusas preces pro Carolo, & universi Regni statibus.

(*l*) *Lambecius*: Reperimus enim in ipsis vestris mellifluis apicibus pro venalitate mancipiorum, ut quasi per nostros Romanos venumdati fuissent in Gentem nec dicendam Saracenorum.

A his apicibus de venalitate mancipiorum, quasi per nostros Romanos venumdati fuissent Genti nefandæ Saracenorum. Sed numquam, quod absit, in tale declinavimus scelus, aut per nostram voluntatem (*m*) factum fuit, sed in litoraria Langobardorum semper navigaverunt, nec dicendi Græci, & exinde (*n*) emebant ipsam familiam, & amicitiam cum ipsis Langobardis fecerunt, & per eosdem Langobardos ipsa suscipiebant mancipia. In quibus & direximus exinde Alloni Duci, (*o*) ut præpararet plura navigia, & comprehenderet jam dictos Græcos, & naves eorum incendio concremaret. Sed noluit nostris obtemperare mandatis, quia nos nec navigia habemus, nec nautas, qui eos comprehendere B potuissent. Tamen in quantum valuimus, Domino proferimus teste, quia magnum exinde habuimus certamen, cupientes hoc ipsum scelus vetare, qui & naves Græcorum Gentis in Portu Civitatis nostræ Centumcellensium comburi fecimus, & ipsos Græcos in carcere per multa tempora detinuimus. Sed à Langobardis, ut præfati sumus, multa familia (*p*) venumdata fuit, dum famis inopia eos constringebat, quia alii ex eisdem Langobardis, propria virtute, in navigia Græcorum ascendebant, dum nullam habebant spem vivendi.

De Sacerdotibus autem nostris, (*q*) quod vobis falsò & contra Deum, & animam eorum, suggerere ausi sunt, mentita est iniquitas C sibi, & nulla est, Domino annuente, in nostris Sacerdotibus pollutio, nec talia credere debet vestra Sublimitas. Dum verò, Domino cooperante, per intercessiones Sanctæ semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, & Beati Petri Apostolorum Principis, in vinculo caritatis atque dilectionis nos adnectere dignatus est, nunc verò quærunt æmuli nostri, qui semper zizania seminaverunt, aliquam, illis Deo contrario, inter partes malitiam seminare. Sed Domino auxiliante, per intercessiones Beati Petri Apostoli, prævalere minimè habebunt, quia nos cum Domini virtute talem in vestro Regali culmine habemus fiduciam. Dicit enim Psalmista: (*r*) *Disper-* D *dat Dominus universa labia dolosa, & linguam* (*s*) *maliloquam*, qui talia nobis inaudita mala suggerunt, & crimina in nostris Sacerdotibus ponunt. Deus auctor noster suæ protectionis dexterâ vos conservare dignetur ad exaltationem Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

A *Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de trabibus majoribus* (*t*) *ad Ecclesias restaurandas: quas Domnus Rex ei dare præceperat, & ipsos Actores neglegentes nihil exinde, sicut eis à dicto Rege injunctum fuerat, fecisse dicit, & de stanno ad ipsam Ecclesiam Sancti Petri* (*u*) *recooperiendam.*

(*Epistola ordine LXVI.*)

(*x*) D*Omno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Ro-* B *manorum, Adrianus Papa.* Sæpe vestræ à Deo protectæ Regali potentiæ poscentes direximus, ut pro mercede animæ vestræ trabes majores ad Ecclesias Dei restaurandas, per vestrum Regale præsidium emittere juberetis, & nullum ab illis, quibus præceptum est, suscepimus effectum, quatenus & ipsæ Ecclesiæ, in quibus nobis trabes majores necessariæ sunt, ex parte ruerunt, & alias ruere conspicimus, & ipsas trabes præstolantes, (*y*) quid agemus, nescimus; & pro hoc in magna tristitia degentes existimus. Quapropter obnixè vestram triumphatorissimam Excellentiam poscentes quæsumus, ut nulla deinceps eveniat mora, sed per vestrum à Deo protectum Re- C gale dispositum nobis ipsas trabes majores celerius emittere præcipiatis: ut nullo modo quemlibet neglectum ponere audeant, (*z*) quia confidentes prorsus existimus, quantæ Dei Ecclesiæ ex ipsis trabibus restauratæ fuerint, in vestrum sempiternum memoriale, seu Domnæ Reginæ, vestræque nobilissimæ sobolis, restaurantur. Quapropter poscimus, ut vestrum proprium idoneum Missum dirigere jubeatis, qui ipsos Actores, qui pro jam dictis trabibus neglectum ponere ausi sunt, distringere debeat, ut ipse nobis eas tradere per vestrum dispositum studeat, ut exinde magnam, ut fati sumus, recipere valeatis mercedem.

D Porrò & hoc vestræ Regali potentiæ innotescimus, quia (*a*) Arichis Beneventanus Dux justitias de hominibus suis quærens, (*b*) exercitum duxit super Amalfitanos Ducatus Neapolitani, & undique eos circumvallans, incendit omnes possessiones eorum, atque habitacula foris posita. Quo audito, Neapolitani direxerunt in adjutorium ipsorum plures (*c*) homines, qui vincentes eos, interfecerunt plurimam multitudinem Ducatus Beneventani. Unde cum ceteros (*d*) plures, tum Optimates captivos apud se habent. Quod in his verò partibus actum est, vobis enucleatius enunciare festinavimus.

E Simili modo & hoc recordari credimus vestram à Deo promotam Præcellentiam, qualiter pro amore Beati Petri Clavigeri Regni cœlorum, & ejusdem Ecclesiæ restaurationis, pro ipsius Aulæ tecto, vestra Excellentia nobis est pollicita dirigere stanni libras mille. Si-

(*m*) *Idem*: factum fuisset.
(*n*) *Idem*: emebant ipsa familia.
(*o*) *Idem*: ut præparare debuisset plura navigia, & comprehenderet jam dictos.
(*p*) *Idem*: venumdata sunt
(*q*) *Idem*: quod vobis false.
(*r*) *Gretserus*: Psalmo XI.
(*s*) *Idem*: magniloquam.
(*t*) *Lambecius*; ad Ecclesias instaurandum.
(*u*) *Idem*: recooperiendum.
(*x*) *Gretserus*: Baronio ibidem Summarium XV.
(*y*) *Lambecius*: quid agere nescimus.
(*z*) *Idem*: quia freti prorsus existimus.
(*a*) *Idem*: Arighis.
(*b*) *Idem*: exercitavit super Amalfitanos.
(*c*) *Idem*: homines, & exsurgentes super eos interfecerunt.
(*d*) *Idem*: plures exinde Optimates.

Simili modo & Itherius vester fidelissimus per vestrum eximium dispositum, similiter alias mille libras dirigere promisit. Pro quo poscentes petimus vestram Regalem Præcellentiam, ut ipsum stannum nobis per vestrum bonum dispositum dirigere jubeatis, quia ipsa Ecclesia Fautoris vestri Beati Petri (*e*) tempore verno ab aquis nimis invaluit, & unde ejus aulæ tectum restauremus, minimè habemus. Sed obnixè petimus, ut per Comites vestros, qui in Italia sunt Actores, ipsum jam dictum stannum dirigere jubeatis, per unumquemque Comitem libras centum, ut dignam pro hoc ab ipso Dei Apostolo retributionem suscipere mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, (f) in qua continetur de (g) Mosivo atque marmore Palatii Ravennatæ Civitatis. Prædictus Papa Domni Regis ditioni, vel quicquid exinde facere voluisset, libenti animo se tribuere dicit.

(*Epistola ordine LXVII.*)

(*h*) DOmno Excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Præfulgidos atque nectareos regalis Potentiæ vestræ (*i*) per Aruinum Ducem suscepimus apices, in quibus referebatur, quòd Palatii Ravennatis Civitatis (*k*) Musiva atque marmora, ceteraque exempla tam in strato, quamque in parietibus sita (*l*) vobis tribueremus. Nos quippe libenti animo, & puro corde, cum nimio amore vestræ Excellentiæ, tribuimus effectum, & tam marmora, quàmque Mosivum, ceteraque exempla de eodem Palatio vobis (*m*) concedimus auferenda, quia per vestra laboriosa regalia certamina, (*n*) multis bonis fautoris vestri Beati Petri Clavigeri regni cœlorum Ecclesia cotidie fruitur, quatenus merces vestra copiosa adscribatur in cœlis.

Suscepimus etiam per eumdem Aruinum equum utilem unum à vobis directum. Alius autem, qui cum ipso directus est, defectus in ipso itinere, mortuus est. Unde ob vestram memoriam maximas referimus grates. Sed secundùm nostrum amorem, quem ex intimo corde erga vestrum habemus præfulgidum Regnum, tales nobis famosissimos emittite equos, qui ad nostram sessionem facere debeant, in ossibus atque plenitudine carnis decoratos, qui dum in omnibus aspectibus (*o*) laudabiles existunt, vestrum præfulgidum triumphis laudare valeant nomen. Et pro hujusmodi re, sicut soliti estis, dignam ab ipso Dei Apostolo suscipere valeatis retributionem, ut unà cum domina Regina, vestraque nobilissima prole, in hoc Mundo regnantes, in ætheriis arcibus vitam æternam adipisci mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de territorio Savinense, qualiter Itherius & Maginarius Missi Domni Regis ipsum territorium in integro partibus Sancti Petri reddere voluerunt, sed propter iniquos homines minime potuerunt.

(*Epistola ordine LXVIII.*)

(*p*) DOmno Excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Ad referendum præcellentissimæ regalis Potentiæ vestræ beneficiis gratias, mens humana, ut reor, fari non potest, de tantis laboriosis certaminibus, quæ erga fautorem vestrum Beatum Petrum Apostolorum Principem (*q*) & nos geritis (*r*) cotidie bonitas suffragia, quatenus ab ipso Dei Apostolo dignam retributionem & hic & in futuro (*s*) vestra protectissima Excellentia proculdubio credat habere.

Euntes autem apud Savinense Territorium nostri vestrique fidelissimi Missi, videlicet filius noster Itherius venerabilis Abbas, seu Maginarius religiosus Capellanus, sicut per vestrum bonum dispositum, voluerunt nobis contradere in integro jam fatum Savinense Territorium, & minime potuerunt, mittentes varias occasiones perversi & iniqui homines. Tamen & ipsi jam fati fidelissimi Missi omnia vobis subtiliter vice nostra referre possunt. Quapropter vestræ à Deo protectæ regali Potentiæ reverendissimum Missum nostrum Stephanum, dudum Sacellarium, direximus suggerendum, ut pro mercede animæ vestræ, sicut cœpistis, ita in integro (*t*) jam fato Territorio Savinense, regni cœlorum clavigero contradere jubeatis: (*u*) ut ipse Dei Apostolus pro vestra à Deo promota regali Præcellentia præcipue suffragans, cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Quatenus pro ejusdem Dei Apostoli amore, & mercedis animæ vestræ, unum è duobus jam fatis Missis, cum præfato Stephano Misso nostro, nobis dirigere jubeatis; ut sicut ex antiquitus fuit, & in veritate jam fati vestri fideles Missi satisfacti sunt, in integro (*x*) nobis contradere præcipiatis, & signa inter partes constituentes, ut sine qualibet contentione aut controversia maneamus, ut opinatissima vestra memoria pro hoc in cœlestibus regnis maneat

(*e*) *Lambecius*: tempus vernum ab aquis nimis invalescit, & unde ejus Aulæ tectum restaurare.
(*f*) *Idem*: in qua continetur de Mosivo atque marmore Palatii Ravennatis Ecclesiæ.
(*g*) *Gretserus*: Musivo.
(*h*) *Idem*: Summarium XII. Baronio & Centuriatoribus.
(*i*) *Lambecius*: per Aruinum suscepimus.
(*k*) *Idem*: Mosiva.
(*l*) *Idem*: vobis tribuissemus.
(*m*) *Idem*: concedimus abstollendum, quia.
(*n*) *Idem*: multa bona fautoris.
(*o*) *Idem*: laudabiles existere valebunt, vestrum præfulgidũ triumphis laudare niteant nomen.
(*p*) *Gretserus*: Summarium XIII. Baronio & Centuriatoribus.
(*q*) *Lambecius*: & nos geritis cotidie, quatenus per hæc bonitatis suffragia ab ipso Dei Apostolo.
(*r*) *Gretserus*: Hæc depravata sunt.
(*s*) *Lambecius*: vestra prærectissima Excellentia.
(*t*) *Gretserus, & Lambecius*: jam fatum Territorium Savinense.
(*u*) *Lambecius*: ut ipso Dei Apostolo pro vestra à Deo promota Regali Præcellentia præcipue suffragante, cum.
(*x*) *Idem*: nobis eum contradere.

neat ampliata. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Dominum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & de territorio (y) Savinensi, quemadmodum prædictus Rex Sancto Petro pollicitus fuerat, quòd in integro contradere juberet.

(*Epistola ordine LXIX.*)

(z) D*Omno Excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum Adrianus Papa.* Beatus David Rex & Propheta, Spiritu Sancto repletus pro futuri Regni vestri erga Beati Petri Apostolorum Principis Sanctam Ecclesiam benevolentia, dignaque solatia ac splendidissima rutilantia orans, canit & dicit: (a) *Manda, Domine, virtutem tuam. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis à Templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. Tibi offerunt Reges munera.* Ex quibus muneribus ditata spiritalis mater vestra Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, per vestra à Deo protecta laboriosa certamina relevata exsultat, à Templo Beati Petri, fautoris vestri. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis*, crebro orantibus in vobis triumphum, & mandat cotidie virtutem suam per Beatum Petrum Apostolorum Principem, vobis subjiciens omnes barbaras Nationes, dilatans atque amplius exaltans in toto Orbe terrarum vestrum splendidissimum Regnum. Et quoniam non valet linguæ nostræ ferculum, ut dignum est, de vestro præcelso, mihique dulcissimo amore explicare, Apostolica voce proclamamus, dicentes: (b) *Multifarie, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis*, per Unigeniti sui magnificæ operationis virtutem ostendit magnalia in Orbe terrarum, donans vobis per Beatum Petrum Clavigerum regni cœlorum victorias, (c) quas dextera Dei cooperante & protegente, multis documentis de vestris allatis muneribus, Ecclesia Beati Petri enituit, tam de Civitatibus, quàm de diversis territoriis sub integritate eidem Dei Apostolo à vobis (d) offertis. Et ideo poscentes vestram à Deo promotam regalem clementiam petimus, ut sicut à vestra prærectissima Excellentia Beato Petro nutritori vestro, pro Luminariorum concinnationibus, atque alimoniis pauperum, Savinense territorium sub integritate concessum est, ita id tradere integrum eidem Dei Apostolo, præsidiante vestro præcellentissimo annisu, dignemini. Quicquid enim regni cœlorum Janitori Beato Petro Apostolo adfertis, in sempiterna memoria pro vobis, simulque & præcellentissima filia nostra, & spiritali commatre Domna Regina, & pro vestris nobilissimis atque excellentissimis natis, nec non & pro omni Christo dilecta genealogia vestra (e) sacrificium purissimum atque holocaustum divinæ suavitatis odore fragrante in ara vestri pectoris ejus invisibili Majestati mactatis, & pro tam magna vobis concessa à Deo super omnes Reges per Beatum Petrum gratia, nullus sit de adversariis, qui vestro mellifluo cordi suadere valeat, ab amore Beati Petri Apostoli, protectoris vestri, seu à nostra dilectione, (f) quam usque optantes permanemus, ut non deficiat laus vestra per totum Orbem terrarum de ore hominum, victorias vobis à Deo concessas prædicantium ac disfamantium.

Magnopere enim direximus vestræ regali Potentiæ fidelissimos Missos nostros, videlicet dilectissimum filium nostrum Agathonem Diaconum, seu Theodorum eminentissimum Consulem, & Ducem, nostrumque nepotem, qui vice nostra vobis enucleatius, sicut ejus in ore posuimus, poscentes suggerant. Quos petimus pro amore Beati Petri Apostoli, benignè cum nimio amore eos suscipere, & illis pro causis Beati Petri Principis Apostolorum, vestræ à Deo protectæ regali Potentiæ suggerentibus dignemini obaudire preces: ut dum à vobis remeaverint, & nobis vestram renuntiaverint prosperitatem, referentes, simul de causis ejusdem Dei Apostoli effectum, & noster pro hoc relevatus fuerit animus, dignè valeamus cum Propheta psallentes orare: (g) *Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.* Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram, unà cum præcellentissima filia nostra, & spiritali commatre, Domna Regina, vestraque nobilissima prole, & hîc per multorum annorum circula extendat: simul gubernacula annuat in ampliori culmine victoriis perfrui (h) & post longa tempora, senioque (i) profecto, in cœlestis vos patriæ congregationem recipiat, ut ibidem sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

(k) *Perioche hujus Epistolæ in Manuscripto Codice nulla est. Ex Baronio igitur accipe istud Summarium.* „ Carolus per Georgium „ Episcopum Papæ de suis certaminibus & „ laboribus pro Beato Petro susceptis in„ dicaverat. Quare Adrianus ipsi gratias „ maximas agit, commendans ipsi Geor„ gium Episcopum.

(*Epistola ordine LXX.*)

(l) D*Omno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Roma-*

(y) *Idem*: Savinense.
(z) *Gretserus*: Summarium XIV. Baronio & Centuriatoribus.
(a) *Idem*: Psalmo LXVII.
(b) *Idem*: Ad Hebræos Epistol. Paul. Cap. I.
(c) *Gretserus*, & *Lambecius*: quibus.
(d) *Gretserus*: oblatis.
(e) *Lambecius*: sacrificium erit purissimum, atque holocaustum divinæ suavitatis odore fragrans, in ara vestri pectoris ejus invisibili Majestati mactatum; & pro.
(f) *Idem*: quam usque optantes permanemus recedere, ut non deficiat.
(g) *Gretserus*: Psalmo XIX.
(h) *Lambecius*: & post longa tempora, senioque perfecto.
(i) *Gretserus*: provecto.
(k) *Muratorius*: verba sunt Gretseri, qui hujusmodi titulum præfixit huic Epistolæ.
(l) *Gretserus*: Summarium XLI. apud Baronium & Centuriatores.

A *manorum*, *Adrianus Papa*. Omnipotens Deus repertor omnium, in cujus manu sunt omnia jura regnorum, reperiens secundùm cor suum vestram excellentissimam regalem Potentiam, ipse eam ad magnam consolationem atque exaltationem spiritalis matris vestræ sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ concessit Ecclesiæ, quem vice Apostolica poscimus, præmia vobis vitæ donari æternæ. Quapropter suscipientes Georgium reverentissimum & sanctissimum Episcopum nostrum à vestra triumphatissima Præcellentia, tanta bona de vestro laborioso certamine, atque beneficia, quæ erga Beatum Petrum Clavigerum regni cœlorum, & nos geritis, denuntiavit. Quæ B si enucleatius exarare voluissemus, nullus ori nostro sufficeret sermo, ut opinor; sed ipse Princeps Apostolorum fautor vester Beatus Petrus, pro cujus amore hæc omnia geritis, ipse vestrum protegat, atque in omnibus dirigat in triumphis Regnum.

(*m*) Verum fidelem ipsum reverendissimum & sanctissimum præfatum Episcopum, vestrum nostrumque reperientes, nimis eum vobis commendari poscimus, ut secundùm suam certam fidem atque dilectionem, quam erga vos & nos gerit, ita consolatus, prorsusque totus, nobis poscentibus, à vestra præfulgida regali potentia per se (*n*) clamare, (*o*) ut dum per nostram suggestionem, vestram am- C pliatam super se præcipuam habuerit undique benivolentiam, quietus pro vobis valeat fundere preces, nosque in Confessione Beati Petri Apostolorum Principis (*p*) solitas orationes enixius pro vobis fundentes, super omnes barbaras Nationes victores inveniamini, atque unà cum præcellentissima filia nostra, & spiritali commatre Domna Regina, vestraque nobilissima subole, Regni gubernacula (*q*) in ævum fruentes, in ætheriis arcibus cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

(*r*) *Neque huic Epistolæ præfigitur Periocha in Codice Msto. Apud Baronium & Centu-* D *riatores ita concipitur*: „ Ipsum mendacii „ arguit & objurgat, quòd Ravennam ad „ electionem novi Pontificis Legatos suos „ direxit. „ *Sed quisquis hic Summarium fecit, parum attente Epistolam legit. Nullum enim in ea verbulum, ex quo evinci queat, Carolum tantum Imperatorem mendacii accusatum esse. Absit hæc accusatio à tanto Pontifice. Qui neque Carolum objurgat, sed simplici narratione exponit, quid vetus mos in electione Archiepiscopi Ravennatis ferat, modestissime simul rogans, ut Carolus malevolorum sermunculis aures suas occludat.*

E (*Epistola ordine LXXI.*)

(*s*) DOmno *Excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Directus à vestra insigni regali Præcellentia, videlicet Ermenbertus, religiosus Presbyter, inter responsionis suæ verba, obtulit nobis commemoratorium, ut asserebat, vestræ Excellentiæ exaratum, scilicet de electione Episcoporum Ravennatis Ecclesiæ, quia quando Sergius Archiepiscopus obiit in electione Leonis Archiepiscopi fuerunt Missi vestri Hucbaldus, vel pares sui. In hoc enim omnino valde vestram Excellentiam (*t*) meminisse credimus, quia quando prædictus Sergius Archiepiscopus obiit, per suam arrogantiam Michaëlius præsumtor invadere ausus fuit Ecclesiam Ravennatem, & per auxilium Desiderii sævissimi Regis, ipsam enormiter invadens Ecclesiam, diu detinebat, & à suo proprio rectore destituta atque viduata manebat. Tunc ad decessorem nostrum sanctæ recordationis Domnum Stephanum Papam prædictus Hucbaldus, à vestra directus regali Excellentia pro ceteris causis ab eodem (*u*) præfato Domno Stephano Papa, per vestrum à Deo roboratum regale adminiculum, Ravennam missus est, ut eumdem præfatum Michaëlium invasorem ex ipsa Ravennate Ecclesia (*x*) expelleret, ut huc Romam tamquam transgressorem sacrorum Canonum deferret. Nam nos nullo modo meminimus, neque à deprædecessoribus nostris sanctis Pontificibus, neque à sanctæ recordationis præcellentissimo genitore vestro Domno Pippino magno Rege, neque à vestra in triumphis regali victoria Missum ad electionem Ravennæ directum esse, tam in electione Johannis Archiepiscopi, quàm in electione Gratiosi (*y*) Archiepiscopi ejusdem. Sed dum de hac luce contigisset migrare Archiepiscopum Civitatis Ravennatium, (*z*) olitaria (*) traditione Clerus & Plebes consistens Sedis Apostolicæ petebant immutilatam doctrinam, quatenus una concordia, una eademque voluntate, unoque consilio conglobati Apostolicam suscipientes admonitionem, talem sibi eligerent Pastorem, qui nec à sacris Canonibus respueretur, nec ullo extra capitulo possit obsistere. Qui cum jocunditate decreti (*a*) omnium manuum subscriptione roborati ad nostram Apostolicam Sedem occurrebant, proprium sibi Antistitem consecrandum, sicut & nunc (*b*) canonice factum est, petentes.

Itaque his omnibus vestram suadentes regalem Excellentiam quæsumus, ut linguas dolosas, quæ adversùs Sanctam Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam garrire simulant, procul dubio longe à vobis respuantur, (*c*) & nullo modo iis iniquis & dolosis credere jubeatis, quia sicut in (*d*) Commonitorium illud referebatur, pro honore vestri Patriciatus nullus homo esse videtur in Mundo, (*e*) qui plus pro (*f*) vestra regali Excellentia de-

(*m*) *Lambecius*: Verum quippe fidelem.
(*n*) *Gretserus*: amari.
(*o*) *Lambecius*: ut dum per nostrum suggestum.
(*p*) *Idem*: solite orationes.
(*q*) *Idem*: in ævo fruentes.
(*r*) *Muratorius*: Ita inquit Gretserus.
(*s*) *Gretserus*: Summarium XXXIX. apud Baronium & Centuriatores.
(*t*) *Lambecius*: meminere credimus.
(*u*) *Idem*: prælato Domno Stephano.
(*x*) *Idem*: expellendum, & huc Romam tamquam transgressorem sacrorum Canonum deferendum.
(*y*) *Idem*: Archiepiscopi ejusdem Sedis, sed dum.
(*z*) *Idem*: olitana traditione.
(*) *Muratorius*: Ex Du-Cangii Glossar. Med. & infim. Latinitat. Tom. 3. vocabulum *Olitanus* idem est ac *Antiquus*, *Vetus*, ex voce *olim*.
(*a*) *Lambecius*: omnium manibus.
(*b*) *Idem*: canonice est. Sed his omnibus vestram.
(*c*) *Idem*: & nullo modo labiis iniquis & dolosis.
(*d*) *Gretserus*: Commonitorio illo.
(*e*) *Lambecius*: qui plus pro vestræ Regalis Excellentiæ decertare moliatur exaltatione.
(*f*) *Gretserus*: vestræ regalis Excellentiæ.

decertare moliatur exaltatione, quàm nostra Apostolica assidua deprecatio. Et sicut in nostris præcordiis, nisibus totis, ubique super omnes vos honoravimus & honoramus (g) ita amplius ac amplius honorem Regni vestri præcellere omnibus, qui in Mundo esse noscuntur, optamus. Verumtamen & de ipsa benevolentia, quam in vestrum gerimus culmen honoris, in universo intonuit Mundo, sicut nempe omnibus patet, quia die noctuque in Confessione fautoris vestri Beati Petri (h) non intermittimus fundere preces, ut unà cum Domna Regina, vestraque præcelsa prole (i) ævis temporibusque in hoc Mundo victores regnantes, in vita æterna sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

(k) *Indicat, quomodo contentionem Monachorum ad se Missorum composuerit. Et quòd Potho Abbas cum decem Monachis ad Carolum Regem proficisci voluerit, ut ibidem quoque de objectis criminibus se purgaret.*

(*Epistola ordine LXXII.*)

(l) DOmno *excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Præcelsas ac à Deo inspiratas per reverentissimum ac sanctissimum Possessorem Archiepiscopum, fidelissimum Missum vestrum, sagacissimas Syllabas suscipientes, valde in his noster relevatus est animus, regales triumphos in eis, atque sospitates reperientes. Et pro hoc magnas omnipotenti Deo (m) tulimus grates, in aula fautoris vestri Beati Petri Apostoli divinam exorantes clementiam. Referebatur quippe in ipsis vestris regalibus apicibus, quia causa vestra nostra sit, & nostra vestra. In hoc verò freti exstitimus, quia divina inspiratione veritas hæc proculdubio à vobis exarata prorsus omnibus manifesta ac certa splendescit. (n) Et quo ad nostrum judicium canonice simulque regulariter contentiones inter Monachos venerabilis Monasterii Sancti Vincentii & Abbates ejusdem Monasterii, scilicet Autbertum & Pothonem, discuti atque examinari vestra direxit præcelsa regalis Excellentia. Ipse quippe præfatus (o) Autbertus Abbas, dum callem itineris peragraret, repentina morte occupatus, minime nostris Apostolicis valuit se manifestare præsentiis.

Quapropter convenientes plures ex primatibus Monachis cum præfato Pothone Abbate ipsorum, adstiterunt omnes pariter in conspectu Apostolici decreti nostri. Qui residentes unà cum reverendissimo & Sanctissimo Possessore Archiepiscopo, seu Ansoaldo Abbate venerabilis Monasterii Sancti Petri, pariter (p) Aquilino Abbate (q) deva regio, atque Ra-

A ginbaldo Abbate venerabilis Monasteri Sanctæ Dei Genitricis, simulque Gisulfo Abbate venerabilis Monasterii Sancti Petri, Hiltibrando Duce, Taciperto, & Prandulo, simulque nostris adstantibus servitiis, Theophylacto Bibliothecario, Stephano Sacellario, Campulo Notario, Theodoro Duce, & ceteris pluribus. Et dum ingressus fuisset Rodigausus ejusdem Monasterii Monachus, referebat adversùs eumdem Pothonem Abbatem testimonium dicens: *Domine, dum cursum Horæ Sextæ explessemus, & secundùm consuetudinem pro Regis incolumitate, ejusque prole propheticum decantaremus Psalmum*, videlicet: (r) *Deus in nomine tuo salvum me fac: subitò surrexit Ab-* B *bas, & psallere noluit.* Item referebat, quia *pariter peragrantes, cœpit mihi Abba dicere: Quid tibi videtur de hac caussa, quia exinde exspectavi signum videre, & minime vidi. Tunc ego respondi: Deus omnipotens humiliet cor ipsius, & faciat nos incolumes reverti, quia non sunt talia nostra merita, ut taliter agnoscere mereamur. Et dixit mihi Abba iterum, quia si mihi non fuisset pro Monasterio & terra Beneventana, talem eum habuissem, sicut unum canem. Et iterum adversùs eum addidit*, (s) *quia tanti ex Francis remansissent, quantos ego in humero* (t) *vedare valeo.*

Et dum à nobis sciscitatus fuisset præfatus Potho Abbas, si ita esset, cum nimia satis- C factione respondit, dicens: *quia semper Congregatio nostra pro ejus Excellentia, simulque pro ipsius prole, procul dubio in Monasterio psallit. Sed dum in opera essem* (u) *cum ipso, & ceteri infantes, expleta oratione, prostrati in terra in itiantes psallerent: Deus in nomine tuo salvum me fac; subitò surrexi pro opera, quæ ad utilitatem ipsius Monasterii fiebat.* (x) *De itineris verò collocutione, nullo modo ad injuriam ejus regalis Excellentiæ quicquam locutus sum, nisi fatus sum: quòd si pro Monasterii desertione, seu Terra illa mihi non fuisset, omnino in talem pergere habuissem locum, ubi neminem curassem. Porro de Francis quod fatus est*, (y) *nullo modo talia protuli, aut ex meo exivit ore.* D (z) *sed cum talia ex omni parte mihi opponit*, (a) & à nobis interrogatus fuisset prænominatus Rodigausus, si hæc alii cum eo audissent, tunc adfirmavit, quia solus esset, & nullus secum alius audisset. Tunc plures ex ipsis priores Monachi asserebant testimonia pro ipso Rodicauso, dicentes: *quia in stupro captus cum propria nepte sua, ex Presbytero Monachus effectus est, & tale crimen adversùs Abbatem nostrum imponere minime valebit, quia à sacris Canonibus respuitur.*

Et introducti sunt alii tres Monachi, qui cum Hiltibrando Duce venerunt, & cum Autberto Abbate (b) morati erant, adferentes adversùs Pothonem Abbatem: (c) *Quia* E *nos cupientes ad excellentissimum Regem peragrare, à custodia comprehensi sumus, & in carcerem mis-*

(g) *Lambecius*: ita amplius quam amplius.
(h) *Idem*: non finimus fundere preces.
(i) *Idem*: ævis temporibus in hoc.
(k) *Gretserus*: Ex Baronio.
(l) *Idem*: Summarium XL. Baronio & Centuriatoribus.
(m) *Lambecius*: referuimus grates.
(n) *Idem*: Et quoniam ad nostrum.
(o) *Idem*: Autbertus dudum Abba, dum callem itineris peragratus, repentina.
(p) *Idem*: Aquilino Abbate devaregio.
(q) *Gretserus*: locus corruptus.
(r) *Idem*: Psalmo LIII.
(s) *Lambecius*: Quia tanti ex Franeis remansissent, quantos ego in humero vegetare valeo.
(t) *Gretserus*: vectare.
(u) *Lambecius*: cum ipse & ceteri infamantes, expleta.
(x) *Idem*: de verò itineris collocutione.
(y) *Idem*: nullo modo talia proferui.
(z) *Idem*: Sed contagio ex omni parte mihi opponit. Dum igitur à nobis interrogatus fuisset prænominatus Rodicautus.
(a) *Gretserus*: Videtur aliquid deesse.
(b) *Lambecius*: moraverunt.
(c) *Idem*: Quia nos cupientes apud excellentissimum:

missi. Ad hæc respondit antedictus Abba: *Veritas est, quia custodes habui (d) in ponte, non ut eos, qui ad Regem irent, devetarent. Sed eos, qui suam Regulam relinquunt, & ad suum vomitum in Seculo, peccato imminente, revertunt, eos comprehendere jussi. Et tunc, quando dicunt, ibidem minime fui, sed (e) ad magnum Regem iter carpebam*.

Tunc nos liquidius pertractantes, & sacrorum Canonum instituta inquirentes, reperimus in Concilio Chalcedonensi, Cap. 18. confirmante ita: *Conjurationis & conspirationis crimen & ab exteris est legibus prohibitum: multò magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat, admonere convenit*, &c. *Si qui ergo Clerici, vel Monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur*. Item Cap. 21. *Clericos aut Laicos accusantes Episcopum, aut Clericos, passim & sine probatione, accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio*. Simul & in Africano Concilio Cap. 8. fertur: *Præterea sunt quamplurimi non bonæ conversationis, qui existimant majores natu, vel Episcopos passim vageque in accusatione pulsandos, debent tam faciles admitti, nec ne?* Aurelius Episcopus dixit: *Placet igitur caritati vestræ, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversùs majorem natu non habeat accusandi? Ab universis Episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur, placet*. Et hæc omnia considerantes, & quoniam (f) habet has proprius hostis insidias, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsas ad præsens simulando dilacerat: Et quia utrum vera essent, an non, districta diutius per triduum fecissemus inquisitione perquiri, & nullam in ea de his, quæ dicta fuerant, culpam invenissemus. Sed ne quid nobis videretur omissum, (g) aut vestro potuisset cordi dubium remanere, præfatum Abbatem Pothonem sacramentum proferre decrevimus: quia nulla talia pro infidelitate regalis vestræ Potentiæ dixisset. Sed nec aliquando eidem magno Regi infidelis fuit, vel erit cunctis diebus vitæ suæ. Simul & alii decem primates Monachi ipsius venerabilis Monasterii, quinque ex genere Francorum, & quinque ex genere Langobardorum, statuimus, ut præberent sacramentum, quia numquam audierunt ex ore Abbatis quamlibet infidelitatem adversùs vestram regalem Excellentiam. Ipsi verò petierunt se omnes pariter ad vestram regalem venire præsentiam. Nos quippe illorum exquirentes fidem, erga vestram regalem venire Potentiam sivimus properare, solite pro vobis in Confessione Beati Petri Clavigeri regni cœlorum (h) non omittentes fundi preces, ut unà cum Domna Regina, vestraque subole, multorum annorum curriculis hîc pollentes, cum Sanctis omnibus sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

(i) *Paulus Presbyter, Venerandus Presbyter, Faroaldus, Adalbertus, Gaudiosus, Benedictus Diaconus, Josue Diaconus, Hermenfridus, Raginbertus, (k) Autscarius, Gregorius, Agemodus, David, Gaidualdus, Ariolfus, Stephanus, Garibaldus, Gregorius, Savinus, Aldosinto, Rothbertus, Ratchis, Haribertus, Leo, Martinianus, Allo, Majo, (l) Beaptulfus, Cunualdus, Leminosus, Magnus, Ursus, Autbaldus, Aldesusus, Petrus, Ansualdus, Allo, Petrus, Gratiosus, Faroaldus, Ursus, Adualdus*.

(*Epistola ordine LXXIII.*)

DEstinavit nobis per vestros apices à Deo constituta regalis Potentia, quia, Deo sibi contrario, Agarenorum gens cupiunt ad debellandum (m) vestros introire fines. Hoc verò cognito, in magna exinde tribulatione atque afflictione positi sumus. Sed nequaquam Dominus Deus noster talia fieri permittat, (n) nec Beatorum Apostolorum Petrus Princeps. Nos verò, dulcissime fili, & magne Rex, incessanter pro vobis cum omnibus nostris Sacerdotibus, atque religiosis Monachis, & cuncto Clero, vel universo Populo nostro, Domini Dei nostri deprecamur clementiam, ut ipsam nec dicendam Agarenorum Gentem vobis subjiciat, & vestris eam substernat pedibus, (o) ut minime prævalere adversùs vos valeant: quia sicut Populus Pharaonis demersus est in Mari rubro, eo quòd non crediderint Deo, ita & in hac vice Dominus Deus noster per intercessiones Beati Petri Apostoli in vestris eos tradat manibus. Confortamini autem, & estote robusti, quia Dominus omnipotens confidentibus in eum vestri Regni dabit victoriam de inimicis vestris atque nostris. Et sicut indesinenter die noctuque ante Confessionem ejusdem Dei Apostoli, Domini deprecamur Majestatem, ut vestrum dilatet Regnum, ita nos faciat de vestra sospitate & exaltatione Regni vestri semper in Domino exsultare, in quibus & ante aliquot dies istius Maji mensis, quòd vestros suscepissemus apices, direximus apud vestram à Deo protectam Excellentiam Andream & Philippum sanctissimos Episcopos, atque Theodorum eminentissimum nostrum nepotem, pro consolatione, atque visitationis caussa, & prosperitatis vestræ lætitiam agnoscere. Et hoc petimus, amantissime fili, ut pro amore fautoris vestri Beati Apostolorum Principis Petri, benigne eos solite suscipere jubeatis, ut cum gaudio & effectu caussæ, & exaltatione Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ (p) ad nos remeantes, celeriter eos absolvere dignemini: ut ipse Princeps Apostolorum pro vobis intercedat ante Domini Dei nostri Majestatem, ut amplius vestrum dilatet Regnum, & victorias (q) tribuat. Nosque, etsi peccatores, ante Confessionem ipsius Dei Apostoli fundere valeamus preces.

Et hoc agnoscat à Deo protecta Præcellentia

(d) *Idem*: in ponte non eos, qui apud Regem irent, devetare, sed eos.
(e) *Idem*: sed apud magnum Regem.
(f) *Idem*: habet hoc proprius hostis.
(g) *Idem*: aut nostro potuisset.
(h) *Idem*: non sinentes fundi preces, ut unà cum Domna Regina, vestraque sobole.
(i) *Gretserus*: Omnes ex Clero Romano.
(k) *Lambecius*. Autcarius.
(l) *Idem*: Scaptulfus.
(m) *Idem*: vestris introire finibus.
(n) *Idem*: nec Beatus Petrus Apostolorum Princeps.
(o) *Idem*: & minime prævalere.
(p) *Idem*: ad nos remeandum.
(q) *Idem*: tribuat, nosque vel si peccatores.

A tia vestra, quia aliquantas Civitates nostras Campaniæ operantes æmuli nostri atque vestri nefandissimi Beneventani, ipsi (r) nostro Populo persuadentes subtrahere à nostra ditione decertant, unà cum habitatoribus Castri Cajetani, seu Terracinensium, obligantes se validis sacramentis, cum ipso Patricio Siciliæ, qui in prædicto Castro Cajetano residet, & decertant à potestate & ditione Beati Petri, & nostra eosdem Campanos usurpare, & Patricio Siciliæ subjugare. (ſ) Nos verò dum hoc ipsum agnovissemus, viribus atque vicibus admonere & prædicare per nostros Episcopos, & fideles Beati Petri eis direximus, cupientes eosdem Campanos nos salvos habere, B ut aliqua malitia eis minimè eveniret, ut ad nostri præsentiam (t) conjungerent, aut per unamquamque Civitatem primatos quinque ad vestram à Deo fundatam Præcellentiam destinarent. Sed neque ad vestrî præsentiam eos dirigere valuimus, nec ad nostros obtutus conjungere voluerunt. Tamen & Reverentissimum fratrem nostrum Philippum, seu & (u) Paschalem nostrum nepotem eis direximus, ut nostris se præsentarent obtutibus, aut apud vestram Regalem potentiam (x) conjungere properarent. Nec tunc nostris admonitionibus se accommodare voluerunt. Dum verò eorum nequitiæ prævalere minimè potuimus, disposuimus, cum Dei virtute atque auxilio, unà cum vestra poten- C tia generalem nostrum exercitum illuc dirigere, qui eos constringere debeant, & inimicos Beati Petri atque nostri, seu vestri emendare.

Sed petimus te, amantissime fili, coram Deo vivo, ut nefandissimos & Deo odibiles Beneventanos, per vestra scripta, atque fidelissimum vestrum (y) Missum protestando dirigere jubeatis, ut à tali iniqua operatione resipiscant, & in nostris Campanis talia non immittant, quia nos per nullum tenorem ipsos nefandissimos Beneventanos, aut eorum Missos recipere volumus. Sed nec ad Episcoporum consecrationem suscipere, dum contrarii Beati Petri, atque nostri & vestri effecti D sunt. Interea petimus te, magne Rex, & dulcissime fili, (z) ut sicut à vobis poscere per Andream & Philippum sanctissimos Episcopos nostros, (a) & Theodorum eminentissimum nostrum nepotem direximus, ita in omnibus nostram postulationem adimplere jubeatis, ut Angelus Dei omnipotentis vos præcedat, & faciat vestram Præcellentiam triumphantem, atque cum magnis victoriis, & exaltatione ad proprii Regni vestri culmen, unà cum omni Deo dilecto Francorum exercitu (b) incolumem reverti. E

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Monasterio Sancti Hilarii Confessoris (c) in Calligata: orat, ne ipsum, seu Hospitales, qui per colles Alpium siti sunt, in susceptione peregrinorum, ut à nulla magna, parvaque persona invadi sineret. Ut Gundibrando Duci Florentino mandet, ut, quæ eidem Monasterio abstulit, reddat.

(*Epistola ordine LXXIV.*)

(d) Domno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Novimus Regalis Excellentiæ vestræ benignitatem pro Domini amore, atque Beati Petri Apostolorum (e) Principis, à quo meritis & præclara est dignitate ditata Ecclesia, & sicut amans justitiæ, unicuique suffragium impertire. Quatenus petentes quæsumus, ut pro ejusdem Beati Petri Fautoris vestri amore, nostraque paterna dilectione, sicut solita est perfulgida Regalis Potentia, piorum locorum solicitudine, restaurationis juvamine ferre. Ita in (f) subjectis Monasteriis spiritalis Matris vestræ Sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, quibus (g) aura vibrantissima Regali in triumphis Præcellentia concessa atque offerta sunt. Scilicet Monasterium Sancti Hilarii Confessoris (h) Christi, (i) qui pons in Calligata, unà cum Hospitalibus, qui per colles Alpium siti sunt, pro peregrinorum susceptione poscimus, ut à nulla magna parvaque persona qualibet invasione brachium pati vestra sinat clementia. Sed in omnibus pro Monachorum Deo servientium laudibus atque susceptione peregrinorum, justitiam illic conservare sicut solita est dignetur, & invasionem, quam Gundibrandus Dux Civitatis Florentinæ in eodem Monasterio ingerit, in Curte quadam Sasantina, Territorio scilicet Florentino, arripiens ex ea iniciter plura peculia, quæ illi minimè pertinent abstollenda, emendare (k) jubemini; simulque Terras, quas ex ipsa Curte plures homines sine ratione abstulerunt, reddere vestra à Deo inspirata Regalis Potentia faciat, & pro amore ejusdem Regni cœlorum Clavicularii, & nostro (l), præfati Monasterii Missos mitissimo vultu, ac benignissima hilaritate eos suscipientes, justitiæ, quam à vobis petierint, clementissime, sicut soliti estis, accipiant effectum, ut dignam pro ipsis Monachis, seu peregrinorum susceptione suscipientes mercedem, potius valeamus in Confessione Janitoris Regni cœlorum pro vobis, filiaque nostra Domna Regina, vestra-

(r) *Idem*: ipsi nostrum Populum persuadere, atque subtrahere.
(ſ) *Idem*: Nos verò dum hoc istud agnovissemus, viribus atque vicibus admonendum, & prædicandum per nostros.
(t) *Idem*. conjungere debuissent, aut.
(u) *Idem*: Pascalem.
(x) *Idem*: conjungendum properare debuissent.
(y) *Idem*: Missum prætestandum dirigere jubeatis, ut à tali iniqua operatione resipiscere debeant, & in nostris Campanis talia non immittere, quia nos.
(z) *Idem*: ut sicut à vobis poscendum per.
(a) *Idem*: seu Theodorum.
(b) *Idem*: incolumem revertendum.

(c) *Idem*: in Calligata, seu hospitalibus, qui per colles.
(d) *Gretserus*: Summarium XXXVIII. Baronio & Centuriatoribus.
(e) *Lambecius*: principis, à quo ob exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ præclaram dignitatem merita est, & sicut amantem justitiæ unicuique suffragium impertire. Quatenus.
(f) *Gretserus*: sanctis.
(g) *Lambecius*: à vestra vibrantissima.
(h) *Idem*: Confessoris Christi in Calligata, unà cum.
(i) *Gretserus*: qui locus.
(k) *Idem*, & *Lambecius*: jubeatis.
(l) *Lambecius*: præfati Monasteri Missi mitissimo vultu, ac benignissima hilaritate suscepti, justitiarum, quas à vobis.

A
vestraque (m) triumphatissima prole, divinam exorare clementiam, ut hic ævis, temporibusque Regni gubernacula fruentes, in æthereis arcibus consortes cum ipso Christi Confessore Beato Hilario effecti inveniamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de fide, vel dilectione, quam erga Beatum Apostolorum Principem Petrum habere pollicitus est, ut inconcussa, (n) & insolubilis permaneat, & nullâ callidâ versutiâ ab Apostolico amore ejus animus (o) disjungi
B
possit.

(*Epistola ordine LXXV.*)

(p) DOmno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, *Adrianus Papa*. Gratia Sancti Spiritus igniti calore nulla quiescimus plus ratione, cuilibet terrenæ potestatis splendido, præterquam vestræ à Deo promotæ Regali Potentiæ, cùm opportunitas datur, ex totis nostris præcordiis intimare, quum tam firmam stabilemque annexam fideliter, ac ita unanimes in unitate conglobatos esse speramus,
C
mus, ut nullo modo credamus, quamlibet magnam parvamque personam inter Apostolicam Sedem, & vestram Excellentiam posse eam dirimere, (q) talem prorsus vestrum præfulgidum in triumphis Regnum erga amorem Beati Petri Apostolorum Principis, Fautoris vestri, & nostram dilectionem agnoscentes usque hactenus persistere, (r) & indissolubilem permanere. Quod numquam possit quamlibet callida versutia hominum ab amore Clavigeri Regni cœlorum disjungere, quem prorsus auxiliatorem in opinatissimis vestris triumphis, nobis poscentibus atque precantibus, credimus & propugnatorem habere, procedens & introducens vestrum præcelsum,
D
regalemque triumphum calcare super omnes barbaras Nationes. Quatenus semper pro vobis divinam exorantes clementiam, Deique timorem præ oculis habentes, atque pro anima sanctæ recordationis præcellentissimi Genitoris vestri Domni Pippini summi Regis, & pro omnibus fidelibus Francis, simulque divinum considerantes Judicium, nitebamur emendare de pravis atque perversis actibus, videlicet (ſ) Heleutherium, (t) & Gregorium, ineptos atque inutiles nugantes. Qui pro eorum proterva contumacia non finebant in eorum judicari partibus, Ravennæ inopes atque pusillos opprimentes miserè tam in venalitate hominum apud paganas venumdantes
E
Gentes, (u) quàm (x) de panis eorum absque ulla misericordia avidè deglutiebant, ex qua pestilentia plurima pars deficientes atque ruentes dissipati sunt: (y) insuper ignobilium vulgus, catervamque cruentorum nequiter congregantes, (z) non intermittebant cotidie nefandas perpetrare neces. Unde dum in Ecclesia, quadam die, Missarum celebrarentur solemnia, & eàdem horâ quidam Diaconus Christi Evangelium Populis prædicaret, intus in eodem Sanctuario, ab eorum impiissimis hominibus sanguis effusus est innocens, pro sacrificio laudis homicidium perpetrantes. (a) Et dum ipsi certi existerent, quòd nos tales iniquas Terras, atque perversas operationes (b) minimè illos ut Christiano Populo peragere sineremus, idcirco superbâ arrogantiâ elati, conati sunt, sine nostra scientia, ad vestros properare regales obtutus, existimantes, se per eorum infidelem atque iniquam fallaciam à fide puritatis, & dilectione Beati Petri, & nostra vos separare. Nescientes miseri & infelices, (c) quia qui præcipui fideles ejusdem Dei Apostoli sunt, & vestri felicissimi Regni fideles sunt: pariter & qui ejus inimici esse videntur, vestri procul dubio inimici sunt.

Quapropter poscentes quæsumus vestram à Deo protectam regalem Potentiam per Beatum Petrum Apostolorum Principem, cui à Domino potestas ligandi solvendique peccata in cœlo & in terra data est, & ipsum sanctum Baptisma, quod inter nos per Spiritum Sanctum habere videmur, illorum procacitati vester præfulgidus aspectus & hilaris minimè manifestetur. Neque recipere ipsos nefandos vultu dignissimo dignemini, sed tamquam inimicos Beati Petri & vestros existentes, eorum superbam gloriationem respuentes, (d) ad nos dehonestati per fidelissimos Missos vestros humiles veniant, ut omnia, quæ fati sumus, eorum comprobemus præsentia: quatenus qui agunt talia, iniqua atque perversa per eos emendentur, & illibata oblatio, quæ à sanctæ recordationis genitore vestro Domno Pippino magno Rege allata, & vestris præfulgidis regalibus manibus in Confessione Beati Petri, Clavigeri regni cœlorum, oblata, atque nimirum confirmata sunt, inconcussa & immaculata in æternum permaneant, ut ante tribunal Christi ipse protector vester Beatus Petrus Apostolus dignus retributor vobis appareat, (e) & sicut in hoc terrenum Regnum unà cum præcellentissima subole vestra, & omnibus fidelibus Francis in triumphis pollentes tuetur & protegit, ita & in ætheriis arcibus cum Sanctis omnibus faciat sine fine regnare. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item

(m) *Idem*: triumphatorissima prole.
(n) *Idem*: & insolubilis permansisset.
(o) *Idem*: disjungi potuisset.
(p) *Gretserus*: Summarium XXXVIII. Baronio & Centuriatoribus.
(q) *Lambecius*: tale prorsus vestrum.
(r) *Idem*: & indissolubile permanere, quod numquam possit quælibet callida.
(ſ) *Gretserus*: Eleutherium.
(t) *Lambecius*: Eleuthetium seu Gregorium.
(u) *Idem*: quam de panibus eorum absque ulla.
(x) *Gretserus*: locus corruptus: Num *de panibus*?
(y) *Lambecius*: insuper ignobilium vulgum.
(z) *Idem*: non finebant.
(a) *Idem*: Et dum ipsi freti existerent.
(b) *Idem*: minime illos in Christiano.
(c) *Idem*: quia, qui promti fideles.
(d) *Idem*: ad nos dehonestatos.
(e) *Idem*: & sicut in hoc terreno Regno.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de ſacratione Petri Epiſcopi, (f) ſeu & de territorio Savinenſi.

(*Epiſtola ordine LXXVI.*)

(g) D*omno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Nectareas melliflaſque regalis excellentiæ veſtræ per harum tranſvectorem Petrum reverendiſſimum & ſanctiſſimum fratrem jam & Coëpiſcopum noſtrum, ſuſcepimus Syllabas, in quibus de ejus ordinatione reperientes, illico benignæ voluntatis veſtræ mandata, ſicut ſoliti ſumus, implevimus. Quem petimus pro amore Beati Petri Apoſtolorum Principis, fautoris veſtri, & noſtra invicem firma dilectione, (h) in omnibus eum tenentes, amplius illum exaltare dignemini. Sic enim decet, ut qui ab Apoſtolica Sede ordinatus fuerit, omnibus in honore canonicæ inſtitutionis, ſicuti mos antiquitus fuit, partibus illis præcellat. Quantam enim fiduciam atque gloriationem in veſtra præcelſa regali Potentia habemus, lingua, ut reor, humana fari non poteſt. Quatenus ipſe jam fatus Petrus reverentiſſimus & ſanctiſſimus frater & Coëpiſcopus noſter inſinuare poteſt, quantâ amoris ferventiâ cor noſtrum in veſtra (i) triumphatiſſima Præcellentia die noctuque exiſtit. Et dum tantam fiduciam de veſtra à Deo protecta regali Excellentia gerentes habemus, nimis exſpectabiles ſumus, ſicut vobis poſcentes direximus de Savinenſi territorio, (k) ut ea, quæ mercede animæ veſtræ, pariterque ſpiritalis filiæ noſtræ, atque commatris, nec non veſtræ nobiliſſimæ prolis, Beato Petro Apoſtolorum Principi in integro conceſſiſtis, adimplere per fideliſſimos Miſſos veſtros, qui & cauſam ex parte examinaverunt, ſicut & antiquitus fuit, & contradere nobis jubeatis, ut ab ipſo Regni cœlorum Clavigero, dignam retributionem hìc & in futuro recipere mereamini.

Enimverò prædictus Petrus Reverendiſſimus & Sanctiſſimus frater & Coëpiſcopus noſter obtulit nobis (l) Pſeudopyctacium (m) à Paulino, ſicut fatus eſt, pro Theodoſio quondam interpretatum, & à veſtra Excellentia nobis directum. (n) Habens inſuper (o) à ſcriptione Breviarium Chalcedonenſis Concilii à quodam Verecundo Epiſcopo editum, quem in apocryphis reperientes falſidicus invenietur. Sancta verò Catholica & Apoſtolica ſpiritalis Mater veſtra Romana Eccleſia non breviter, ſed totum Sanctum & Venerabile quartum Chalcedonenſe amplectens prorſus veneratur, & non audet relin-

A quere Sanctum & Venerabile ejus Conſtitutum, (p) & exſequi à quodam factum Breviarium, nullam conſonantiam Sanctæ Inſtitutionis habens. Nos quidem pro tanto amore, quem erga veſtram à Deo inſtitutam Regalem Potentiam habemus, direximus vobis ex eodem Sancto & Venerabili Concilio ante actionem ejus exemplar Epiſtolæ Sancti Leonis ad Clerum & Nobiles Conſtantinopolitanos, atque Populum ejuſdem Civitatis directæ, poſt acceptum iniquum & perverſum in (q) Efeſina Urbe ſecundum Concilium adversùs Sanctum & Venerabilem Flavianum eumdem Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Condemnans impiiſſimum Dioſcorum, atque
B profanum Eutychen, adhortans atque commonens prædictum Populum, ut in ea fide permaneat, in qua Chriſtianiſſimum Principem eorum novit permanere. Talis enim almus & venerabilis vir, atque in toto Orbe Sanctus Leo Papa noſter præceſſor opinatiſſimus, prædicabilis fuit, ut ſi aliquid in fide adversùs Theodoſium Imperatorem ſcandalizatum fuiſſet, numquam poſt actum iniquum & latrociniofum ſecundò in Efeſo factum, ipſe præcipuus Beatus Pater Sanctus Leo hæreticos damnans, laudaſſet fidem Theodoſii. Sed magis pariter cum ipſis, velut conſentaneum, eum damnaſſet.

Nos quidem, ſicut fati ſumus, apocryphos
C Libros non ſequimur, ſed eos veneramur & amplectimur, quos ſancta Catholica & Apoſtolica ſuſcepit Eccleſia, in qua fundati unà cum filia noſtra & ſpiritali commatre Domna Regina, atque veſtra (r) triumphatiſſima ſubole, per multorum annorum curricula Regno perfrui dignemini, & cum Sanctis omnibus præmia æterna in vita perpetua habere valeamini. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

(ſ) *De Epiſcopis vel Presbyteris, ut non militarem induerent armaturam, ſed ſpiritalem, ideſt, jejuniis & orationibus vacarent, ſeu de venalitate vel captivatione hominum, vel*
D *aliis illicitis cauſis, quæ à pravis hominibus (t) perpetrata erant, ſeu de viſione Johannis Monachi, quæ falſa vel inanis eſſe videbatur.*

(*Epiſtola ordine LXXVII.*)

(u) D*omno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Orthodoxæ fidei pleniſſimos atque nectareos veſtræ à Deo promotæ regalis Excellentiæ ſuſcepimus affatus, quos referantes veſtram à Deo promotam ſalutem, ac in triumphis victorias,
E ſeu præcellentiſſimæ filiæ noſtræ Domnæ Reginæ, veſtrorumque præcellentiſſimorum filiorum, atque noſtrorum, veſtrorumque fidelium

(f) *Idem*: ſeu de territorio Savinenſe.
(g) *Gretſerus*: Summarium XXXVI. apud Baronium & Centuriatores.
(h) *Lambecius*: in omnibus eum tuentes.
(i) *Idem*: triumphatoriſſima.
(k) *Idem*: ut ea, quæ pro mercede animæ veſtræ.
(l) *Idem*: Pſeudopittacium.
(m) *Muratorius*: *Pittatia* Lampridio in Alexandri Vita memorantur. Eo nomine breves Epiſtolæ deſignabantur. Nunc *Biglietti* dicimus.
(n) *Lambecius*: habeas in ſupraſcriptione Abbreviarium.
(o) *Gretſerus*: adſcriptum.
(p) *Lambecius*: & exequere à quodam ſanctum Abbreviarium nullam conſonantiam ſanctæ Inſtitutionis habentem. Nos.
(q) *Gretſerus*: Epheſino.
(r) *Lambecius*: triumphatoriſſima ſobole.
(ſ) *Idem*: Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Epiſcopis vel Presbyteris, ut non.
(t) *Item*: perpetratæ erant.
(u) *Gretſerus*: Baronio ibidem Summarium XI.

delium ſoſpitatem, ſimulque ſinceritatem reperientes, magnas Omnipotentis Dei clementiæ (*x*) retulimus grates.

Illud autem, quod nobis veſtra innotuit regalis Potentia per ſuum fideliſſimum Miſſum, ſcilicet Garamannum glorioſum Ducem, pro Johanne Monacho atque Presbytero, qui ſicuti in veſtris referebatur regalibus apicibus, de captivatione hominum, & de aliis illicitis cauſis, quæ à pravis perpetrantur hominibus, vobis enuntiaſſet, ut, Deo propitio, per veſtrum præcelſum regalem diſpoſitum corrigerentur vel emendarentur, quem admodum à nobis popoſcit regalis Potentia, libenti eum ſuſcepimus animo, ſolitè in omnibus veſtris accommodantes votis. Talem prorſus ſcimus veſtram regalem Excellentiam, quia in his nullius eget monitione, quia, Domino coopitulante, Beatoque Apoſtolorum Principe Petro pro ipſo ſemper ſuffragante, veram prædicationem orthodoxæ Fidei, quam ab ejus ſuſcepit Eccleſia, illæſam atque immobilem tenens, ultroque irreprehenſibilem ſine macula vibrans exſultat, atque in omnibus penitus fulget, & non deſinit emendare ſævos atque iniquos callidoſque homines ab illicitis actibus.

Sed & captivos in ſua propria reverti crebris fecit diebus. Fatus quippe eſt nobis præfatus Johannes Monachus, quia dixiſſet vobis, ut omnis Epiſcopus (*y*) ſpiritalia teneret arma, & non terrena, quatenus ſi ita eſt, quia militaria induunt arma, hortantes veſtræ innoteſcimus à Deo protectæ regali Excellentiæ, ut nullo modo ſic fieri permittat, (*z*) ſed quoſcumque in quolibet deferri cupit loco, tam Epiſcopi, quàm Presbyteri, orthodoxæ Fidei galeam, & ſalutis induti arma, orationibus vacare gnaviter ſtudeant, ut cuncto Populo ea, quæ pro ſalute animæ (*a*) ſunt, ſpiritale gerant officium. Ceteri verò Epiſcopi atque Presbyteri in eorum degentes Eccleſiis, canonice unuſquiſque per veſtrum regale robuſtiſſimum præſidium ſuum valeant regere Populum, à Deo ſibi commiſſum.

Porrò de revelatione ejuſdem Johannis Monachi, ſicut ejus referebat locutio, verè (*b*) fantaſma eſſe exiſtimatur. Dicebant enim, quòd vidit primis in ſomnis cœlos apertos, & dexteram Dei, deinde vidit poſtmodum ſomnium aliud, turrem magnam, & deſcendentes Angelos, inter quos (*c*) vidit ſpeciem hominis alas habentem columbinas & dicentem: Quia hic eſt Filius Dei. Abſit enim à fidelium cordibus, ut Fides Chriſtianorum mortua eſſe prædicetur. Nos enim ſpeciem aquilæ alas habentem, ſicut à Sanctis ſuſcepimus Patribus, Johannem Evangeliſtam teſtamur, qui ſecreta cœleſtia hominibus prædicat: (*d*) *In principio erat Verbum* &c. In ſpecie verò columbæ Spiritus Sanctus viſus eſt. Nam numquam legimus ſpeciem hominis alas columbæ indutam. Quapropter nimis veſtram laudantes firmiſſimam atque laudabilem fidem, in hoc cognovimus, quia vos fantaſma ipſas reputaſtis viſiones, (*e*) in eo à nobis pro eo veſtra popoſcit regalis Potentia, ut nequaquam à nobis condemnaretur, anathematizaretur vel flagellaretur, neque aliquam adverſitatem ei faceremus: quatenus in his omnibus veſtræ accommodantes regali petitioni, in quantum neceſſe fuit, ipſum ammonuimus Monachum, atque in proprium ſuum locum illæſum abſolvimus. Nam ſi veſtrum illi non profuiſſet regale adminiculum, Eccleſiaſticam illi diſciplinam canonicè inferentes, ſicuti Monacho Cyrillo, à nobis correcto & emendato, monachicam regulam illi demonſtrare irreprehenſibiliter habuiſſemus. Ob nimium verò amorem veſtrum cum magna patientia atque benignitate ſuſceptus, commonituſque, ultro citroque divinis præceptis in pace abſolutus eſt. Veſtram regalem Excellentiam unà cum filia noſtra præcellentiſſima Domna Regina, veſtraque præcelſa prole, multorum annorum curriculis Regni gubernacula perfrui divina faciat clementia, ut in hoc Mundo ſuper omnes barbaras regnantes Nationes in ætheriis arcibus ſine fine cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item Epiſtola ad Domnum Carolum Regem directa, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione ſanctæ Dei Eccleſiæ, & de territorio Savinenſe, (f) qualiter Machinarius fideliſſimus ejuſdem præcelſi Regis, ipſum territorium cum integritate partibus Sancti Petri contradere voluit. Sed propter iniquos atque perverſos homines minimè potuit.

(*Epiſtola ordine LXXVIII.*)

(*g*) DOmno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patritio Romanorum, Adrianus Papa. Divinitus præordinatam veſtram à Deo protectam ſummam regalem Potentiam proculdubio credimus, quia ſuper priſtinos omnes ac fideliſſimos, orthodoxoſque Reges atque Imperatores, ergà Sanctam Catholicam & Apoſtolicam ſpiritalem matrem veſtram Romanam Eccleſiam, veram dilectionem habentes, innumerabilia bona per veſtra laborioſa certamina cotidie offertis. Et pro hoc nempe certi facti eſtote, quia quantùm caput totius Mundi eamdem Sanctam Eccleſiam, ejuſque Rectorem, ſimulque Pontificem amplectendo ſeu fovendo, honorabiliterque glorificando, diligitis, tantùm

(*x*) *Lambecius*: referuimus grates.
(*y*) *Idem*: ſpiritalem teneret armaturam, & non terrenam.
(*z*) *Idem*: ſed quoſcumque ſecum in quolibet.
(*a*) *Idem*: ſunt, ſeu æternam vitam adipiſci prædicantes, eorumque confeſſionem ſuſcipientes, inreprehenſibiliter Sacerdotale gerant officium. Ceteri.
(*b*) *Idem*: Phantaſma.
(*c*) *Idem*: vidit ſpeciem hominis alas habentem aquilæ, mortuamque eſſentem, & aliam ſpeciem hominis alas habentem columbæ vivæ, & dicentem: Quia hæc eſt Fides Chriſtiana. Abſit.

(*d*) *Gretſerus*: Johannis Cap. I.
(*e*) *Lambecius*: in eo quod à nobis pro eo veſtra poſcit regalis Potentia, ut nequaquam à nobis condemnatus, anathematizatus, vel flagellatus fuiſſet, neque aliquam adverſitatem ei facere debuiſſemus. Quatenus his omnibus veſtram accommodantes Regalem petitionem in quantum.
(*f*) *Idem*: qualiter Maginarius.
(*g*) *Gretſerus*: Summarium XI. Baronio & Centuriatoribus.
(*h*) *Lambecius*: princeps per inconcuſſos.

tùm vos Beatus Petrus Apostolorum (*h*) Princeps inconcussos facit triumphos hîc, & in futuro victores super omnes regnare Reges. Prorsus quippe confidimus, quia quantùm per vos Catholica & Apostolica mater vestra Romana Ecclesia exaltata triumphat, tantùm cœleste vos ambire atque hæreditare per intercessionem Apostolorum Principis concedit in perpetuum regnum.

Veniente igitur hîc apud nos fidelissimo Maginario, denuntians nobis vestræ sospitates regalis Potentiæ, nimis pro hoc nuntio noster relevatus est animus. Repleti sumus omni lætitia & exsultatione. Qualiter verò ei præcepit vestra à Deo (*i*) promota triumphatissima Excellentia pro Savinensi territorio; ut nobis sub integritate contraderet, sicut Beato Petro Clavigero regni cœlorum tribuistis, minime propter malignos ac perversos homines potuit. Totam enim justitiam, quam Beatus Petrus Apostolus protector noster ex ipso territorio habet præsentialiter, jam fatus Maginarius Missus vester vidit tam per donationes Imperiales, quàm per ipsorum protervorum Regum Langobardorum (k) ipsum territorium cum Mansis sibi pertinentibus enucleatius designantes. Si verò perfidus Desiderius dudum Rex, non sub integritate, sed tantummodo (*l*) Masas nobis, quantùm reperiri potuit, quas ex antiquitus Sancta Romana Ecclesia tenuit, ut nullus ex illis partibus Langobardorum ausus est resistere, quanto magis vestræ à Deo protectæ regali Potentiæ in omnibus obedientes existentes jussa vestra adimplere debuerant?

Nos quidem neque Imperatoribus neque Regibus gratias agimus, nisi tantummodo vestræ triumphatissimæ Excellentiæ, quia noviter eum Beato Petro Apostolorum Principi sub integritate condonastis. Pro hoc enim fidelissimos Missos nostros, unà cum monitionibus nostris, apto tempore vestræ regali Potentiæ dirigimus, ut liquida perscrutatione divinitus inspiratus eas indagans, (*m*) justitiæ Beato Petro Apostolo eveniant ad effectum, ut præcelsum à Deo promotum regale vestrum culmen, atque memoria vestra in Ecclesia Beati Petri nutritoris vestri, usque in finem seculi inter Sanctos nominetur, sed sicut semper in ejus sacratissima aula orantes pro vobis persistimus: Omnipotens, clemens, & misericors Deus, in cujus manu cor Excellentiæ vestræ regitur, unà cum excellentissima filia nostra, & spiritali commatre, Domna Regina, seu Domno Pippino excellentissimo Rege Langobardorum, & proprio spiritali filio nostro, ceteraque vestra nobilissima prole, corroboret cor & mentem vestram & brachium suæ potentiæ vobis extendat, ut victores vos super omnes barbaras Nationes faciat; quatenus omnes sub vestro brachio humiliati, vestigia pedum vestrorum osculentur (*n*), ut amplius Ecclesia Dei per vestram à Deo institutam regalem Potentiam (*o*) nimirum exaltata per-

A maneat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Abbate venerabilis Monasterii Sancti Vincentii, qui apud Domnum Regem insons accusatus fuerat, & inde ablatus, ut eum venusto cultu ac vibrantissimo animo clementissime susciperet, quia falsa crimina ei objiciebantur.

(*Epistola ordine LXXIX.*)

(*p*) Domno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Fran-
B corum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Dum tanto ex puro cordis amore omnes generaliter agnoscunt, quòd erga Beatum Apostolorum Principem Petrum, (*q*) fautoremque vestrum, & nos, crebro fideliter vestra regalis Potentia prorsus gerit, convenit nempe ex totis nostris præcordiis, quæ ad salutem pretiosissimæ animæ vestræ pertinent, libenti suggerere animo. Proinde salutantes, paternam dilectionem indicamus vestræ præcelsæ regali Potentiæ, quia cuncta Congregatio venerabilis Monasterii Sancti Christi Vincentii unam concordiam pro hoc simul habentes poposcerunt à nobis, ut nostris apicibus pro Abbate ipsorum, qui
C insons apud vos accusatus, intercederemus: imò & per vestram præfulgidam jussionem (*r*) exinde ablatus, vestris regalibus vestigiis (*s*) præsentatus, eum vobis in omnibus commendaremus, eo quòd nullo modo vestræ regali Potentiæ infidelitatis reum quispiam ex accusatoribus suis facere, aut comprobare valebit, eo quòd omnino falsum ei crimen objicitur. Et ideo pro amore Beati Petri, regni cœlorum Clavigeri, magnopere petentes fiducialiter quæsumus, ut eum venusto vultu ac vibranti animo clementissime recipere jubeatis. Justum quippe est, quemadmodum tam magnam Congregationem religiosis moribus suis regulariter atque naviter regere
D valuit, à vestris præcelsis obtutibus sospitem absolvi, & in pristinum statum clementissimis jussis vestris, nobis poscentibus restitui, quia valde idoneum ad commissum sibi officium seu vestræ fidelitatis, sicut ab omni ejus Congregatione (*t*) didicimus, eum agnovimus.

Deus omnipotens, (*u*) in cujus manu omnia regna Mundi reguntur, ipse per suffragia Apostolorum Principis Petri, semper nos faciat de vestro regali culmine lætari. Et in hoc Mundo unà cum præcellentissima subole vestra super omnes barbaras Nationes dominantes, longo ævo Regni gubernacula fruere valeatis, atque in æthereis arcibus cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolu-
E mem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Indi-

(*i*) *Idem*: promota triumphatorissima Excellentia pro Savinense territorio.
(*k*) *Idem*: ipsum territorium cum Masis sibi pertinentibus.
(*l*) *Gretserus*: mansos. *Sed rectum videtur* massas, quo vocabulo utitur etiam Anastasius Bibliothecarius.
(*m*) *Lambecius*: justitias, Beato Petro.
(*n*) *Idem*: ut amplius Ecclesia per vestram.
(*o*) *Gretserus*: nimium.

(*p*) *Idem*: Summarium X. Baronio & Centuriatoribus.
(*q*) *Lambecius*: fautorem vestrum.
(*r*) *Idem*: exinde ablatum.
(*s*) *Idem*: præsentatum.
(*t*) *Idem*: didicimus, eum reperimus & agnovimus.
(*u*) *Idem*: in cujus manu sunt omnia regna Mundi, ipse.

(x) *Indicaverat Carolus Rex Adriano per Itherium & Magenarium Abbates, Saxones quosdam in paganismum relapsos esse, deque iis, quid agendum esset, interrogavit. Respondit Adrianus Papa, post longam pœnitentiam illos ad consortium Ecclesiæ posse recipi.*

(*Epistola ordine LXXX.*)

(y) D*Omno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Vestræ à Deo protectæ regalis Excellentiæ suscipientes Missos, scilicet Itherium & Magenarium religiosos Abbates, sciscitati sunt nos interrogantes de Saxonibus, qui Christiani fuerunt, & ad paganismum reversi sunt, qualem pœnitentiam eis Sacerdotes (z) indicare debeant. Hoc prædecessorum nostrorum Sanctorum Pontificum dudum decretum est, quòd qui resipiscentes, & ruinas suas cogitantes redire maluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt, & iterum pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine quàm cordis compunctione pensanda sunt. Et ideo, excellentissime & à Deo protecte fili, oportet Sacerdotes partibus illis pastoralem circumdare solertiam, atque Episcopalem induere vigilantiam, & in eorum arbitrio indicere pœnitentiam: considerantes piaculum tam voluntatis, quamque extra voluntatem coacti ad suum revertentes vomitum; & tunc canonica promere sententiam, quatenus si veraciter reversi in Fide orthodoxa maluerint perseverare, promissuros se omnem adimplere Episcopalem prædicationem, indiculum orthodoxæ Fidei exarantes, secundùm (a) olitanam patrum traditionem, unum confitentes Baptismum, (b) sub jusjurando pollicentes ædem Christianitatis servaturos, in gremio suscipiantur orthodoxæ Fidei Ecclesiæ, ut copiosa merces vobis adscribatur in cœlis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, seu benedictiones pro Cruce, quam ei miserat, (c) & de territorio Populoniensi seu Rosellensi, ut Domnus Rex suos idoneos Missos dirigeret, qui sub integritate ipsas Civitates (d) cum suburbana earum ei contradere debuissent.

(*Epistola ordine LXXXI.*)

(e) D*Omno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* (f) Præcellentissimos atque nitidissimos Deo dicatæ regalis præcelsæ scientiæ vestræ mellifluos suscepimus (g) versos, quos referantes atque singillatim relegentes, eorum robur cum nimio amplectimur amore, & proculdubio vestra credere dignetur regalis Potestas, quia omnino, sicut per eos innotuistis, à nobis in omnibus perficietur. Testem enim invoco Deum, cui servio in spiritu meo, quòd sine intermissione die noctuque semper memoriam vestri facio in orationibus meis: obsecrans tam pro vestra in triumphis regali victoria, & perpetua stabilitate, quàmque pro sanctæ memoriæ genitoribus vestris, simulque conjuge vestra (h) Domna (i) Hiltibranda Regina, filia & spiritali commatre nostra, & nempe eorum memoriale non derelinquetur in æternum.

Crucem, quam nobis misistis, in sanctam nostram Ecclesiam recondentes, vestra memoria in æternum in ea manebit. De sospitate enim nostra, quam vestra regalis cupit audire clementia, omnia erga nos, Deo favente, prospera existunt, quia & nos de vestra regali salute atque victoriis certò audire desideramus, quoniam vestra salus nostra est, & hoc magnopere poscimus. Et sicut per anteriores nostras Syllabas vestram poposcimus regalem Potentiam, ita perficere dignetur, uti denuò eos Missos suos dirigere jubeat, qui nobis contradere debeant fines Popolonienses seu Rosellenses, sicut & antiquitus fuerunt. Nam ex parte nobis ex ipsis finibus non tradiderunt. Sed quæsumus, ut vestræ regalis oblationis donatio sine tenus maneat inconvulsa. Præsertim & partibus Ducatus Beneventani idoneos dirigere dignetur Missos, qui nobis secundùm vestram donationem ipsas Civitates sub integritate tradere in omnibus valeant, ut ex hoc potissimam remunerationem unà cum spiritali filia nostra Domna Regina, vestraque præcellentissima prole, ab ipso regni cœlorum Clavigero Beato Petro Apostolo suscipere mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, seu benedictiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Sacramentario exposito à Sancto Gregorio immixtum, quatenus eum Domnus Rex poposcerat, per Johannem Monachum, atque Abbatem Civitatis Ravennatium miserat.

(*Epistola ordine LXXXII.*)

(k) D*Omno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Iter peragratum annectens limina Beatorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli reverentissimus ac sanctissimus Huchbertus Episcopus, desiderii sui vota adimplens, obtulit nobis præfulgidos eximiosque vestros in triumphis regales affatus. Quos cum nimio cordis amore referantes

(x) *Gretserus*: Hæc ex Baronio.
(y) *Idem*: Summarium IX. apud Baronium & Centuriatores.
(z) *Idem, & Lambecius*: indicere.
(a) *Muratorius*: idest *antiquam*, seu *veterem*.
(b) *Lambecius*: sub jusjurandum pollicentes.
(c) *Idem*: & de territorio Populoniense, seu Rosellense.
(d) *Idem*; cum suburbanis.

(e) *Gretserus*: Summarium VIII. apud Baronium & Centuriatores.
(f) *Lambecius*: Prærectissimos.
(g) *Idem*: versus:
(h) *Idem*: Domna Hildibranda.
(i) *Gretserus*: Hiltegarda.
(k) *Gretserus*: Summarium VII. apud Baronium & Centuriatores.

rantes atque relegentes, reperimus in eis veſtram vibrantiſſimam ac mellifluam nobis deſtinatam ſalutem, ſed nimirum, (*l*) quod potius (*m*) molem deſiderantes præſtolabamur, de veſtra præcelſa regali in triumphis victoria atque ſoſpitate, imò & cunctorum veſtrûm fidelium proſperitate, pariterque & de profectu atque exaltatione ſpiritalis matris veſtræ ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, in ipſis veſtris regalibus mellifluiſque ſpeculantes apicibus. In his omnibus noſter relevatus eſt animus, & Redemtori Mundi (*n*) retulimus grates, præcipuè ſatagentes in Confeſſione Clavigeri regni cœlorum fautoris veſtri Beati Petri Apoſtolorum Principis (*o*) non omittimus crebrò ſuppliciter divinam pro vobis exorare clementiam. Tanta quippe erga veſtram regalem (*p*) clementiam utimur, quia nobis ſive in ſilentio, ſive poſcentibus, pro profectu atque exaltatione ſpiritalis matris veſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ (*q*) non intermittitis decertare, ut per veſtra laborioſa certamina magis magiſque permaneat irrefragabiliter & congrue exaltata, & dignum veſtrum nomen adſcriptum in libro vitæ cœleſtis, & regalis memoria in ſeculum ſeculi hæreat.

De Sacramentario verò à ſancto prædeceſſore noſtro Deifluo Gregorio Papa diſpoſito, jam pridem Paulus Grammaticus à nobis eum pro vobis petiit, & ſecundùm ſanctæ noſtræ Eccleſiæ traditionem per Johannem Monachum atque Abbatem Civitatis Ravennatium veſtræ regali emiſimus Excellentiæ, quatenus optantes pro veſtra regali invictiſſima Excellentia, eumdem Dei Apoſtolum, veſtrumque protectorem poſcentes quæſumus, ut ſemper ubique vos comitans, victores ſuper omnes barbaras Nationes efficiat, & unà cum Domna ſpiritali filia noſtra Regina, veſtræque proſapiæ nobiliſſima prole, longiori ævo in hoc regnantes Mundo, (*r*) in vitam æternam cum Sanctis omnibus regnare ſine fine, ejus interventionibus faciat. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Conſtantino & Paulo Ducibus ipſius Apoſtolici, qui apud præfatum Regem à perverſis hominibus gratis accuſati fuerant, poſtulans, ut unum ex ipſis, ſcilicet Paulum, quem ejus obtutibus præſentandum (*ſ*) *miſerat, ut benignè eum ſuſcipere dignaretur.*

(*Epiſtola ordine LXXXIII.*)

(*t*) D*Omno Excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Ut reor, dici non A poteſt, quantum erga veſtram à Deo conceſſam in triumphis Potentiam, atque Regalem Præcellentiam noſter ex intimo cordis exiſtit amor, (*u*) & ideo non deſinimus noſtros veſtroſque fideles crebrò veſtræ commendare amplæ Regali clementiæ. (*x*) Propterea venientes ad noſtros Apoſtolicos obtutus, ſcilicet Conſtantinus, & Paulus Duces, & noſtri veſtrique, cum nimio mœrore cordis intimaverunt nobis, quòd auditum illis fuiſſet, (*y*) ſe apud veſtram Regalem Potentiam à perverſis hominibus gratis accuſatos, & dum nimis eos fideles erga Beati Petri Apoſtolorum Principis (*z*) veſtri, noſtrique ſervitium, agnoſcimus, idcirco unum ex illis, ſcilicet Paulum glorioſum Ducem, ad ve- B ſtram (*a*) triumphatiſſimam Regalem Potentiam gratuito abſolvimus animo. Atque nimis petentes poſcimus veſtram à Deo inſtitutam Præcellentiam, ut ſicut veſter amor noſtrum complexus eſt auxilium, ita tum (*b*) ſuſcipere jubeamini, & familiarem apud veſtram Regalem Potentiam commendatum habere dignemini.

Meminiſſe enim credimus veſtram Regalem Excellentiam, qualiter in Aula Fautoris veſtri Beati Petri Apoſtoli præfatum Conſtantinum, atque Romanum nobis commendare dignati eſtis, confirmantes procul dubio, ut noſtri veſtrique eſſent fideles. Quos nempe ſubditos cum omni humilitate fideliter ſer- C vientes vobis nobiſque reperimus, (*c*) numquam in ſua vacillantes fide, ſed proni in veſtro noſtroque ſervitio & amore ſemper manentes. (*d*) Qui dum in omnibus eis veſtras regales accommodaveritis aures, & ipſum præfatum Paulum glorioſum (*e*) Ducem regali tuitione circumvallatum amplectemini, fructum boni operis per eum ſuſcipientes bonitatis (*f*) effectum ante Beati Petri Principis Apoſtolorum Corpus, divinam pro vobis, atque ſpiritali filia noſtra, excellentiſſima Domna Regina, veſtraque nobiliſſima prole, exorare valeamus clementiam, ut longiori ævo in hoc Mundo Regni guber- D naculo fruentes, in vitam æternam cum Sanctis omnibus ſine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur (*g*) *de Veneciis, ut de Ravenna, ſeu Pentapoli expellerentur, nec non & de Garamanno Duce,* (*h*) *qui poſſeſſiones Ravennatis Eccleſiæ violenter invaſiſſet, vel exſpoliaſſet.*

(*Epiſtola ordine LXXXIV.*)

(*i*) D*Omno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri, Carolo Regi Francorum*

E

(*l*) *Lambecius*: quod potius jam olim deſiderantes præſtolabamus.
(*m*) *Gretſerus*: *Videtur redundare*.
(*n*) *Lambecius*: referuimus grates.
(*o*) *Idem*: non ſinimus crebrò.
(*p*) *Idem*: clementiam fiduciâ utimur; quia vobis ſive ſilentio.
(*q*) *Idem*: non ſinitis decertare.
(*r*) *Idem*: in vita æterna cum Sanctis.
(*ſ*) *Idem*: miſerat, benigne eum ſuſcipere dignaretur.
(*t*) *Greſerus*: Summarium VI. Baronio & Centuriatoribus.
(*u*) *Lambecius*: & ideo non ſinimus noſtros.
(*x*) *Idem*: Quapropter venientes noſtris Apoſtolicis obtutibus repræſentandi ſcilicet Conſtantinus ſeu Paulus, Duces, noſtri veſtrique fideles, cum nimio mœrore cordis.
(*y*) *Idem*: ſe veſtræ regali Potentiæ à perverſis.
(*z*) *Idem*: Principis & veſtri, noſtrique.
(*a*) *Idem*: triumphatoriſſimam.
(*b*) *Idem*: ſuſcipere jubeatis, & familiarem in veſtram.
(*c*) *Idem*: numquam in eorum vacillantes fide, ſed pronos in veſtro.
(*d*) *Idem*: Quare dum in omnibus pro eis veſtras.
(*e*) *Idem*: Ducem, regalis tuitionis circumvallaveritis amminiculo, fructum.
(*f*) *Idem*: effectum, ut ante Beati Petri.
(*g*) *Idem*: de Veneticis, ut.
(*h*) *Idem*: qui res & poſſeſſiones.
(*i*) *Gretſerus*: Summarium V. Baronio & Centuriatoribus.

A *eorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Ad aures clementissimæ Regalis Excellentiæ vestræ intimantes innotescimus, quia dum vestra Regalis in triumphis victoria præcipiendum emisit, ut à partibus Ravennæ, seu Pentapoleos expellerentur Venetici ad negotiandum, (*k*) nos illico in partibus illis emisimus, vestram adimplentes Regalem voluntatem, insuper & ad Archiepiscopum (*l*) præceptum direximus, ut in quolibet Territorio nostro, & jure Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, ipsi Venetici præsidia atque possessiones haberent, omnino eos exinde expelleret, & sic Ecclesiæ suæ jura manibus suis teneret.

B (*m*) Quid autem contigit de Garamanno Duce, qui subitò irruit super prædia & possessiones Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, in nostris Territoriis sitas, & non solùm eas occupavit, sed & omnes fruges à prædicta abstulit Ecclesia, (*n*) & de aliis piis locis? Nos quidem statim eum adhortari studuimus, ut si fidelis vester existeret, ipsas possessiones piorum locorum reddere prorsus non omitteret, quia & juris Ecclesiæ Ravennatum, (*o*) sive talium locorum piorum esse videntur, & in nostris Territoriis sitæ sint. Ille verò nullo modo recordatus est, neque ipsas possessiones addere voluit, sed illicitè eas detinere conatur. Quapropter poscentes vestram in triumphis Regalem Potentiam, quæsumus, C ut pro amore Fautoris vestri, Beati Petri Apostolorum Principis, nostraque paterna dilectione, talia illi agere non sinatis, sed per vestram clementissimam Regalem præceptionem eum exinde expellere omnino dignemini, ut & nostra Territoria per vestram Regalem tuitionem intacta permaneant, & quæcumque infra ipsa Territoria esse noscuntur (*p*) irrefragabiliter eorumdem locorum possessione & jure fruamur, quemadmodum vestra in triumphis victoria, unà cum Domna Regina, vestraque nobilissima prole hìc & in futuro sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

D *Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Parochiis Episcoporum, & de eorum sacratione, & de honore Patriciatus Domni Regis, & alia Capitula.*

(*Epistola ordine LXXXV.*)

(*q*) D*Omno Excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Quanto amoris annisu pro vestro à Deo (*r*) promoto & amplia E to Regno fervescimus, tantùm ejus præfulgida Regali (*s*) dulcedine, & firma stabilitatis constantia permanemus. Quantâ enim jocunditatis lætitiâ erga vestram triumphis Regalem Potentiam cor nostrum exsultat, si sermonibus promere voluerimus, nulla, ut opinor, scripturæ propagata sufficere valebit series, neque ullus sermo explicare potest, qualiter de vestris immensis victoriis atque sospitate, crebrò præstolantes Nuntios, die noctuque penitus Divinam pro vestra Regali Præcellentia exoramus Clementiam, quatenus regales nectareosque vestros, per fidelissimos Missos suscipientes affatus, scilicet Reverendissimum & Sanctissimum Berneradum Episcopum, nec non Radonem dilectissimum Protonotarium vestrum atque Abbatem (*t*) reperimus in eos vestris præcelsis memoriis, pariterque filiæ nostræ Domnæ Reginæ, vestræque nobilissimi prole, simulque omni Populo à Deo commisso, nostris meminerimus orationibus. Freta prorsus quippe exiltat vestra à Deo promota Regalis Præcellentia, quia immensas pro vobis in Confessione Beati Petri, Fautoris vestri, jugiter totis viribus nostris Apostolicis suffragiis ingementes fundimus preces, ut ubique ipse Princeps Apostolorum vos comitans, omnium adversantium colla sub vestris prosternat pedibus. De nostra verò prosperitate quia promitis, gratissimam atque ineffabilem habete lætitiam, Sanctæque spiritalis Matris vestræ Romanæ (*u*) Ecclesiæ status super vos redundat. Nam si aliter, quod absit, evenerit, sine vestra difficile est manere tristitia. Nempe in his certi sumus, quia amat anima amantem se, (*x*) & dilectio compaginat nos, nec dirimere eam quispiam valebit, eo quòd in vestra prosperitate nostra existit lætitia, & nostram sospitatem vestram credimus (*y*) esse in ævum jocunditatem: dum iniqui ac procaces, qui adversùs Matrem vestram, Sanctam Romanam Ecclesiam, perversa moliebantur perpetrare, Domino cooperante, cœlorumque Clavigero suffragante, per vestra laboriosa certamina demoliti, ad nihilum redacti sunt, in veritate comperimus, quia ut vestra Regalis Potentia depromsit, illæsa cum felicitatis gaudio permanens relevata exsultat. Scriptum quippe est: (*z*) *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

De cunctis verò, quæ per Legatos & Epistolas nostras vestra cognovit Excellentia, & ex parte per nostros respondit Missos, quibus ore fari prædixit, liquidius nobis omnia innotescentes, solito more, benigne atque amabiliter eos audientes, accommodavimus aures, & singillatim reddidimus congruum aptumque responsum. Reperimus quippe in ipsis regalibus apicibus vestris, nil pro deminutione S. Romanæ Ecclesiæ ac Apostolatus nostri, sed magis pro exaltatione & honore my-

(*k*) *Lambecius*: nos illico partibus.
(*l*) *Idem*: præcipiendum direximus, ut, in quolibet territorio nostro jure.
(*m*) *Idem*: Quid autem contigit Garamanno Duci, qui.
(*n*) *Idem*: seu & de aliis piis locis.
(*o*) *Idem*: sive & aliorum locorum piorum esse videntur, & in nostris territoriis sitæ existunt. Ille verò nullo modo recordavit, neque ipsas possessiones reddere voluit, sed inliciter eas.
(*p*) *Idem*: inrefragabiliter à piis locis possessa, eorum jura fruantur.
(*q*) *Gretserus*: Summarium IV. Baronio & Centuriatoribus.
(*r*) *Lambecius*: promoto amplius.
(*s*) *Idem*: dulcedine firma.
(*t*) *Gretserus*: *Ita quidem apographum, sed omnia videntur mendosa, legendumque*: reperimus in eis, ut vestræ præcelsæ memoriæ, pariterque filiæ nostræ Domnæ Reginæ, vestræque nobilissimæ Prolis, simulque omnis Populi vobis à Deo commissi &c. *Ita & legendum censet Lambecius.*
(*u*) *Lambecius*: Ecclesiæ, sospitate redundante, nam si aliter.
(*x*) *Idem*: & dilectio compagatur, nec dirimari umquam quispiam valebit.
(*y*) *Idem*: esse in ævo.
(*z*) *Gretserus*: Matthæi Cap. XXIV.

(a) mysteriique nostri servanda rectitudine vestram illaborare Excellentiam, (b) ac petere, ut nullatenus iniquo ori ad ejus mendacium præberemus assensum, quia nec terrenarum facultatum ambitio, vel quælibet seductio hominum vos aliquando ab iis, quæ Beato Petro Apostolo polliciti estis, separare poterit, sed neque à nostra caritate, vel firma (c) dilectione: cum proculdubio scimus, quòd vestra regalis Potentia, quia non pro deminoratione, sed semper pro exaltatione spiritalis matris vestræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, (d) decertavit, fama in omnem Gentem divulgata fine tenus dedita atque exaltata manebit. Potius autem nos quæsumus vestram regalem Excellentiam, ut nullatenus (e) subdolo & homini mendaci, sicut fertis, præbeatis assensum, qui si talia adversùs nos mentiens inventus fuerit, nostris Apostolicis obtutibus, unà cum Misso vestro dirigere dignemini: & si mendax apparuerit, secundùm sua perversa merita puniatur, sicuti polliciti estis Claviculario regni cœlorum Beato Petro. Itaque persistere dignemini, quia nostra promissio immutilata atque inconcussa sine quolibet manebit dolo.

Illud autem, quod fertis in nostris apicibus reperisse, quòd diœceses Langobardorum Episcopi alter alterius invadentes, ac illiciter tenentes, in pristino permanerent errore, omnino, sicut vobis placabile est, secundùm Canonum instituta, emendare conamur, quia alterius arripere anhelantes parochias in perjurii reatum incurrunt, Langobardorum Regum terminos, atque censuram servantes, procul ab observatione Canonum, in eorum transgressionem labentes, & jurgia atque discordias gignentes, in molem incidunt errorum. Idcirco Apostolica prævidimus auctoritate, ut sicut canonice in decretis eorum consistunt, & quando à nobis ordinantur, olitana consuetudo proclamatur: *Clerus & Plebs consistens Ecclesiæ Civitatis illius, elegerunt sibi Episcopum illum. Sic Parochiam ejusdem Civitatis præ manibus teneat.* Et si in eorum decretis atque nostræ Apostolicæ ordinationis scriptis canonice promitur atque statuitur, cur non in ejusdem Civitatis territorio, ubi ordinatus est, habeat in integro Parochiam suam? Sed qui terminos antiquorum Patrum transgredientes suam conantur immoderationem, atque imperitam adimplere voluntatem, judicium sibi Canonum committunt.

De filia verò Ermenaldi, quæ veste mutata, iterum post tergum reversa, illicitum sortita est matrimonium, nobis directa, ut perhibuistis, obtutibus canonice judicanda, prorsus minime ad nos properavit. Nos omnium Ecclesiarum pastoralem curam habentes divina prædicare præcepta, non sinimus de consecrationis vitio, quod in partibus Italiæ & Tusciæ (f) per hæresin Simoniacam fit,

A attamen multis locis non finitur, (g) immo & Ravennatium Ecclesiæ Civitatis, sicut Missi vestri, ut fertis, vobis retulerunt, assolet fieri. Unde multæ pecuniæ per talem nefandam dationem alienatæ esse cernuntur, ut aurum & argentum jam non habentes, & jam ipsæ res Ecclesiarum per emphyteuses manu conscriptas existant alienatæ, & per nefandam dationem afflictæ, & depopulatæ esse cernuntur. Absit enim à nobis, ut super tales viros, veritate comperta, manus consecrationis imponeremus, sed nec ad audiendum aures inclinaremus, etiamsi quælibet nobis Potestas tales à Canonibus viros poposcisset consecrari, quia numquam nos in qua-
B libet (h) electione nobis invenimus, nec invenire habemus, sed neque vestram Excellentiam (i) optamus talem rem incumbere, sed qualis à Clero & Plebe, cunctoque Populo electus canonicè fuerit, (k) & nihil sit, quod sacro obsit cordi, solita traditione illum ordinamus. Nos quippe cum subscriptione decreti à cuncto Populo roborati Electum suscipientes, & ne videatur viduata morari Ecclesia à proprio Rectore, sicut Canonum instituta censuerunt, (l) nostris Apostolicis præsentatus, ipsum deducentes Electum, enucleatius eum de singulis indigántes Capitulis, singillatim orthodoxæ Fidei, atque divinorum voluminum, interrogamus an habeat pe-
C ritiam, & postquam nobis fidelem responsionem edixerit, (m) & à ceteris olitanis Capitulis, quæ à Sacerdotibus cavenda sunt, mundum se esse perhibuerit, maximè hæresi Simoniaca, obtestantes (n) sciscitamur: videlicet, aliquam promissionem cuiquam, aut dationem fecerit, quia Simoniacum, & contra Canones est. Et dum coram omnibus à nobis interrogatur, respondit: *Absit.* (o) Et nos dicimus: *Tu videris, & si conscii sunt, capiti eorum respiciat periculum.* Unde simili modo sub jusjurando in scriptis respondent, numquam se aliquid acceptutos de manus impositione. Quanta enim auctoritas Beato Petro Apostolorum Principi, ejusque sacratis-
D simæ Sedi concessa est, cuiquam non ambigimus ignorari: utpote quæ de omnibus Ecclesiis fas habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio, quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes Beati Petri Apostoli jus habebit solvendi, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ (p) cura confluit, & nihil umquam à suo Capite discedet.

Interea reperimus, in ipsis regalibus apicibus vestris exaratum, sicut præterito Anno vobis direximus pro hominibus (q) Ravennatibus, Pentapolensibus, de quibus scripsimus, ut eos nobis dirigeretis, sicut Beneventano Duci fecistis: &, ut fertis, de parte
E Apostolatus nostri nihil mali, sed magis quæ bona sunt, retulerunt. Sed neque eis cuilibet homini, ullatenus in nostra adversitate præ-

(a) *Idem, & Lambecius*: ministeriique.
(b) *Lambecius*: petereque.
(c) *Idem*: dilectione; proculdubio scimus vestram regalem Potentiam.
(d) *Idem*: Ecclesiæ, decertatis, in omnem gentem divulgata.
(e) *Idem*: subdoloso homini atque mendaci, sicut fertis, præbeatis adsensum; qui si tale.
(f) *Idem*: hæresi Simoniaca, attamen.
(g) *Idem*: etiam & in Ecclesia Civitatis Ravennatium, sicut Missi.
(h) *Idem*: electione nobis subjecta invenimus.
(i) *Idem*: optamus in talia recumbere.
(k) *Idem*: & nullus sit, qui ejus sacro obsit cordi.
(l) *Idem*: nostris Apostolicis præsentiis, ipsum.
(m) *Idem*: ceterisque olitanis capitulis.
(n) *Idem*: sciscitamur: *Vide, ne aliquam promissionem, aut dationem fecisses, quia Simoniacum, & contra Canones est.*
(o) *Idem*: Et nos inquimus.
(p) *Idem*: cura conflueret, & nihil umquam à suo capite dissideret.
(q) *Idem*: Raviniantis & Pentapolensibus.

præberetis consensum, sed statim si tales reperissetis, & hominem & causam ad nostrum judicium mitteretis, nos ab initio, & usque in finem, talem erga vestram Regalem Excellentiam habemus fiduciam, (r) quòd pro nullo terreno homine ab amore & caritate Beati Petri Apostolorum Principis, nostraque dilectione, ut polliciti estis, recedetis, quia & nos in ea, quam vobis polliciti sumus, fide usque in finem permanebimus. (s) Ipsi verò Ravenniani, & Pentapolenses, ceterique homines, qui sine nostra absolutione ad nos veniunt, fastu superbiæ elati, nostra (t) ad justitias faciendas contemnunt mandata, & nullam ditionem, sicut à vobis Beato Petro Apostolo, & nobis concessa est, tribuere dignantur. Tamen fidelissimi vestri præfati Missi viderunt ipsos Ravennianos, quos vobis præsentaverunt, qualiter nobis in superbia exstiterunt. Sed quæsumus vestram regalem Potentiam, nullam novitatem in holocaustum, quod Beato Petro, sanctæ recordationis genitor vester obtulit, & vestra Excellentia ampliùs confirmavit, imponere satagat, quia, ut fati estis, honor Patriciatus vestri à nobis irrefragabiliter conservatur, etiam & plus ampliùs honorifice honoratur, simili modo ipse Patriciatus Beati Petri fautoris vestri, tam à sanctæ recordationis Domno Pippino magno Rege, genitore vestro, in scriptis in integro concessus, & à vobis amplius confirmatus, irrefragabili jure permaneat. Sicut enim vestra regalis Excellentia (u) in suis tulit apicibus, minime ei contrarium videretur, quicumque de Episcopis aut Comitibus, seu ceteris hominibus, partibus vestris (x) aut nostra jussione complendi, sive propria voluntate ad nos venire voluerint, sed nec non nostræ paternitati displicere rectum est, qualiscumque ex nostris aut pro salutationis causa, aut quærendi justitiam, ad vos properaverit, nihil durius vobis exinde apparet. Sed sicut vestri homines sine vestra absolutione ad limina Apostolorum, neque ad nos, conjungunt, ita nostri homines, (y) qui ad vos venire cupiunt, cum nostra absolutione & Epistola veniant; quia sicut nos semper vestros homines suscipientes commonemus, ut in vera fide atque puritate cordis, totis eorum viribus, in vestro maneant servitio, ita & vos simili modo, quicumque ex nostris hominibus ad vos venerint, eos omnino (z) obtestari atque commonere, vestram regalem prudentiam quæsumus, ut sicut genitor vester sanctæ recordationis Domnus Pippinus magnus Rex eos Beato Petro, ejusque Vicario concessit, & demum Excellentia (a) confirmavit, sic ammonere (b) atque obtestari jubeamini, ut nullo modo audeant se in superbiam elationis efferre, quando ad vos properaverint; sed potius subjecti atque humiles in servitio Beati Petri, & nostræ præceptionis maneant subjecti, & hortamini eos; *quia omnino in servitio & ditione Beati* (c) *Petri Apostoli usque in finem seculi permanebimus*; qui si tales reperti non fuerint, à vestra Excellentia, simulque à nobis maneant correpti.

Et hoc pariter poscimus vestram à Deo protectam regalem Potentiam, ut fidelissimos (d) nostros Missos, simulque vestros, pro amore Dei & Beati Petri Apostolorum Principis, nostræque (e) dilectionis, eos ultro citroque fovere, atque commendatos habere dignemini, quia nimis erga præsidiatorem & protectorem vestrum, Beatum Petrum Apostolorum Principem & nos, fideles eos reperimus. Et ideo petimus, ut ampliùs per vestrum regale adminiculum, nobis poscentibus, elevati atque exaltati pro nostro amore in vestro præfulgido Regno existant, quia quantùm caput totius Mundi Sanctam Romanam Ecclesiam, ejusque Rectorem, simulque Antistitem (f) amplectens, honorabiliterque glorificanda vestra divinitus præordinata summa Excellentia diligit, tantùm eam Beatus Petrus Apostolorum Princeps unà cum Domna filia nostra excellentissima Regina, vestrique nobilissima subole, & hîc longiori ævo, regni gubernaculo perfrui, & in futuro inconcussa faciet soliditate victrice gaudere. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & de Rosellis & Populonio, & de Civitatibus Beneventanis, vel de insidiis Græcorum.

(*Epistola ordine LXXXVI.*)

(g) *Domno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Nectareas, nimisque mellifluas regalis Excellentiæ vestræ suscepimus syllabas, in quibus (h) agnoscentes vestræ sinceritatis salutem, & spiritalis filiæ nostræ Domnæ Reginæ, vestræque præcelsæ prolis, (i) & quod in finibus vestris, Christo (k) propitio, omnia prospera esse cernuntur, magnas omnipotenti Deo retulimus grates, qui nos de vestro regali triumpho crebro lætos efficit.

(l) De Apostolicis verò Syllabis nostris, quas vobis emisimus, primùm quidem per Aruinum Comitem, postmodum verò (m) per sororem & Bectonem directas, & in vestris regalibus apicibus reperimus nobis exinde grates referri, prorsus nobis vestra regalis Excellentia (n) credere velit, quia numquam voluimus, ut Grimualdus (o) filius Arichis in

(r) *Idem*: quia pro nullo.
(s) *Idem*: Ipsi verò Raviniani.
(t) *Idem*: ad justitias faciendum.
(u) *Idem*: in suis referuit.
(x) *Idem*: aut nostram jussionem complendo.
(y) *Idem*: qui apud vos.
(z) *Idem*: obtestare atque commonere.
(a) *Muratorius*: *fortè* Excellentia vestra.
(b) *Lambecius*: atque obtestare.
(c) *Idem*: Petri, *ejusque Sedis Vicario numquam vos subtrabemus, sed in ea fide & puritate, quam polliciti sumus Beato Petro Apostolo, usque in finem seculi permanemus*. Qui si tales.
(d) *Idem*: nostros Missos, vestrosque præfatos Missos pro amore.
(e) *Idem*: dilectionis, ultro citroque.
(f) *Idem*: amplectendo, honorabiliterque glorificando.
(g) *Gretserus*: Summarium III. Baronio & Centuriatoribus.
(h) *Lambecius*: agnoscentes de vestræ sinceritatis salute, seu spiritalis.
(i) *Idem*: & quod erga fines vestros.
(k) *Idem*: propitio, prospera esse cernuntur, magnas omnipotenti Deo referuimus grates.
(l) *Idem*: De verò Apostolicis.
(m) *Idem*: per Roronem, & Bectonem.
(n) *Idem*: credere niteat.
(o) *Idem*: filius Arichisi Beneventano remeasset.

in Beneventum remeaſſet, niſi propter inimicorum veſtrorum atque noſtrorum machinationes atque inſidias, ſed verùm etiam, ſicut veſtra promiſit nobis regalis Excellentia, pro exaltatione atque defenſione Sanctæ Dei Eccleſiæ, & pro veſtro noſtroque profectu. Quod vos, Domino opitulante, & Beato Petro Apoſtolorum Principe comitante, omnimodis illis creditis cum ſumma virtute agere, proculdubio in his credimus, qui opus, quod cœpiſtis, pro exaltatione ſpiritalis matris veſtræ, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, fine tenus perficietis, & magis magiſque per veſtra laborioſa certamina exaltata manebit, quia pro hujuſmodi veſtrum regale nomen in Libro æternæ vitæ adſcriptum eſt.

Illud autem, quod nobis veſtra intimavit Excellentia, ut quidquid de iſtis partibus compertum habuerimus, ſub celeritate omnia veſtræ regali Excellentiæ ſignificare niteremur, emiſit nobis Stephanus, Neapolitanus Epiſcopus, per ſuos apices (p) Diaconia juris Sanctæ noſtræ Eccleſiæ ſibi concedi, in quibus embolum poſuit, (q) ſignificans nobis de nefando Adalgiſo, filio protervi Deſiderii, & de inſidiis Græcorum. Simili modo & Campulus Epiſcopus Cajetanus per ſuas ſeries ea ipſa nobis intimavit, quatenus pro nimio veſtro amore idem embolum atque Epiſtolam infra poſuimus. Sed taliter veſtra Præcellentia (r) commendare atque diſponere jubeat, ut exercitus à vobis demandati, ut nobis direxiſtis, præparati exiſtant, & ubi nobis neceſſe fuerit, celeriter occurrere ſatagant.

(ſ) Reperimus etiam in ipſis veſtris apicibus embolum de Civitatibus in partibus Beneventanis, quas Beato Petro Apoſtolo & nobis devota obtuliſtis mente. De Roſellis, & de Populonio, Aruino Duci juſſiſtis, qualiter cum ceteris fidelibus veſtris Miſſis ita omnia complere debeat, ſicut Deo placeat, & Beato Petro (t) Apoſtolo. Et nos propterea in his pro veſtra benevola Excellentia (u) non deſinimus divinam exorare clementiam. Sed quid Miſſis veſtris contigit, veſtra noluerunt (x) adimplere de hujuſmodi juſſa, neque de Roſellis & Populonio, neque partibus Beneventanis. Unde Creſcentem & Adrianum Duces cum fideliſſimis Miſſis (y) veſtris in partibus Beneventanis direximus, veſtra regalia ſuſcipientes vota. Sed nulla alia illis tradere voluerunt, niſi Epiſcopia, Monaſteria, & Curtes publicas, ſimul Claves de Civitatibus ſine hominibus, & ipſi homines in eorum poteſtate introëuntes & exeuntes manent. Et quo modo nos ſine hominibus Civitates illas habere potuerimus, ſi habitatores earum adversùs eas machinarentur? Nos quippe in eorum libertate permanentes, ſicut ceteras Civitates in partibus Tuſciæ donis veſtris regere & gubernare eos cupimus, omnem eorum habentes legem.

Unde petimus veſtram Excellentiam, ut nullus hominum ſit, qui veſtra ſacra vota

A impedire valeat, & ne meliorem faciatis Grimualdum filium Aragiſi, quàm fautorem veſtrum Beatum Petrum, Clavigerum regni cœlorum: eo quòd ipſe Grimualdus in Capua, præſentibus Miſſis veſtris, laudabat ſe, dicens: *Quia Dominus Rex præcepit, ut qui voluerit homo meus eſſe, tam magnus, quàm minor, ſine dubio eſt tam meus, quàm vel cujus voluerit.* (z) Quæ ut noſtris evenit auribus, Optimates Græcorum in Neapoli ſedentes, inſultantes fremebant, dicentes. *Deo gratias, quia eorum promiſſa ad nihilum ſunt redacta.* Sed eorum (a) cachinnos nos & ſubſannationes pro nihilo reputamus, quamvis ipſi Græci referebant, *quia Miſſi Apoſtolici jam*
B *duabus vicibus ſine effectu reverſi ſunt.* (b) Ecce enim hujuſmodi remittimus in ſervitio Beati Petri Apoſtoli cum veſtris fideliſſimis (c) Miſſis noſtris, qui vobis omnia liquidius ſuggerere debeant, & quæſumus, ut taliter eos pro hac cauſa diſponere jubeatis, ut fautor veſter Beatus Petrus Apoſtolus ſecundùm veſtram ſacram oblationem, ſuſcipiat effectum, ut hîc & in futuro unà cum Domna Regina, veſtraque nobiliſſima prole, exiſtat retributor. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione ſanctæ Dei Eccleſiæ, & de honore Pallii Sacerdotalis conceſſi Ermenberto Epiſcopo,

(*Epiſtola ordine LXXXVII.*)

(d) D*Omno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Directus à regali Potentia veſtra reverentiſſimus & ſanctiſſimus vir, ſcilicet Ermenbertus Epiſcopus, noſtriſque adpræſentatus Apoſtolicis aſpectibus, obtulit nobis præcelſæ Excellentiæ veſtræ ſagaciſſimos atque honorabiles regales affatus.
D Quos cum nimio amplectentes amore, Regi Regum, in cujus poteſtate ſunt omnia regna Mundi, gratias egimus, qui nos de veſtra inclyta ſoſpitate lætos crebrò efficit: eo quòd per hujus Mundi (e) regna cœleſtia magis ambire atque hereditare concedit, per Beatum Petrum Apoſtolorum Principem de ſævitia adverſariorum (f) triumphantes.

Reperimus quippe in ipſis regalibus affatibus veſtris, ut prælato Ermenberto Epiſcopo Pallium ſacerdotalibus infulis (g) decoratum ex Apoſtolica auctoritate concederemus, quia Civitas Metropolis in Aquitania videtur eſſe patria, quæ Bituricas nuncupatur, ubi nunc præfatus venerabilis vir præeſſe dinoſcitur, curamque Paſtoralem devotus exercere vide-
E tur, quatenus ignorantes, (h) ſi canonice in Provinciæ partibus illis jam ordinatus tam à prædeceſſoribus noſtris, quàmque à nobis fuiſ-

(p) *Gretſerus*: Diaconiam.
(q) *Lambecius*: ſignificans nobis pro nefando Adalgiſo filio protervi Deſiderii, & pro inſidiis.
(r) *Idem*: demandare atque diſponere jubeat, ut exercita à vobis demandata, ut nobis direxiſtis, præparata exiſtant.
(ſ) *Idem*: Reperimus quidem in ipſis veſtris apicibus Embolum, quia de Civitatibus.
(t) *Idem*: Apoſtolo, & nobis.
(u) *Idem*: non ſinimus divinam.
(x) *Idem*: adimplere pro hujuſmodi juſſa.
(y) *Idem*: veſtris partibus Beneventanis.
(z) *Idem*: Quare, ut noſtris evenit.
(a) *Idem*: cachinnos & ſubſannationes.
(b) *Idem*: Ecce enim hujuſmodi res emittimus.
(c) *Idem*: Miſſis, & noſtris, qui vobis.
(d) *Gretſerus*: Summarium II. Baronio & Centuriatoribus.
(e) *Lambecius*. Mundi regno regnum cœleſte magis.
(f) *Idem*: triumphare.
(g) *Idem*: decoratum Apoſtolica.
(h) *Idem*: ſi canonice Provinciæ.

fuisset, enucleatius eum indagari curavimus, ne usurpationis locus aliquis Sacerdotibus in alterius jure concedatur. Qui præfatus sanctissimus vir nobis confessus est, ut sub nullius Archiepiscopi juris ditione esse videretur.

Quapropter pro nimio vestro regali ex intimo cordis amore, prædicto Ermenberto à nostra Apostolica sacratissima Sede, atque auctoritate, Archiepiscopo constituto in Metropolitanam Civitatem, quæ Bituricas cognominatur, sicut dudum mos existit, sub jure sanctæ recordationis (*i*) Ecclesiæ degenti, usum Pallii concessimus fruendi. Et ideo quæsumus, ut per vestrum præcelsum regale adminiculum ministerium sibi commissum dignè sibi valeat & canonice dispensare, Sacerdotali moderamine (*k*) suscipiente affectum, ut dum Plebs sibi concessa ab insidiatoribus inconvulsa atque intacta permanserit, simulque à vestro regali culmine tuta fuerit, ab ipso Clavigero regni cœlorum, Beato Petro Apostolo, dignam mereamini suscipere retributionem, ut unà cum excellentissima & spiritali filia Domna Regina, vestraque præcelsa (*l*) subole, redemtor omnium Deus, longo ac prospero senio amplius exaltati Regni (*m*) gubernaculo faciat perfrui, & vitam æternam pariter vobis tribuat possidendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Arachiso Duce Beneventano, qui postquam Rex Carolus à Capuana Urbe revertisset, prædictus Arigisus, Deo sibi contrario, apud Imperatorem Missos suos direxerat, petens auxilium & honorem Patriciatus, cupiens fidem, quam pollicitus fuerat, irritam facere, promittens, se tam in tonsura, quàm in vestibus usu Græcorum perfrui.

(*Epistola ordine LXXXVIII.*)

(*n*) D*omno Excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum Adrianus Papa.* Nectareos, suavissimosque præcelsos regales apices vestros cum nimio cordis suscepimus amore. Quos referantes, reperientesque vestram regalem sospitatem, simul & spiritalis filiæ nostræ Domnæ Reginæ, vestræque nobilissimæ prolis, salutis prosperitatem, magnas omnipotenti Deo (*o*) retulimus grates, qui vobis per intercessiones Beati Petri Apostoli fautoris vestri, nobis velut immeritis, jugiter pro vobis exorantibus, indesinenter victorias ubique tribuit, & omnia circa vos salubriter disponit, tam Marcas, quàmque confinia. Magis quippe de subjectione Bajuariorum, sicut nempe prædiximus & optavimus, ita & præstolantes audivimus, de vestra præcelsa regali in triumphis victoria.

Nempe quidem (*p*) meminisse credimus, qualiter vobis per anteriores nostras Apostolicas emisimus Syllabas de Capuanis, qui ad nos venerunt per vestrum regale adminiculum, quatenus dum ipsas vobis emisissemus Syllabas, post aliquantos dies, (*q*) præfatos Capuanos in Confessione protectoris vestri Beati Petri Apostolorum Principis jurare fecimus, in fide ejusdem Dei Apostoli, & nostra, atque vestræ regalis Potentiæ. Et post actum sacramentum, unus ex ipsis Capuanis, Gregorius Presbyter, nobis petiit secreta loqui, asserens, *quia nullo modo jam quippiam celare possum, tale vobis præbens sacramentum.* Et dum à nobis enucleatius sciscitatus fuisset, retulit nobis dicens, quia dum Domnus Carolus Magnus Rex præterito anno à Capuana Urbe reversus fuisset, Arichis Dux suus ad Imperatorem, Deo sibi contrario, emisit Missos, petens auxilium & honorem Patriciatus unà cum Ducatu Neapolitano, sub integritate, simul & suum cognatum Athalgisum eum manu valida in adjutorium sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura, quàm in vestibus usu Græcorum perfrui, sub ejusdem Imperatoris ditione.

Hæc audiens autem Imperator, emisit illi suos Legatos, scilicet Spatarios duos, in ditionem Siciliæ ad Patricium eum constituendum, ferentes secum vestes auro textas, simul & Spatam, vel Pectinem, & Forcipes, sicut illi prædictus Arichisius indui & tonderi pollicitus fuerat, petentes (*r*) Ramualdum ejusdem Arichisi filium in obsidiatum. (*ſ*) De Athalchio verò cognito, emisit ei dicens; *quia nunc illum non dirigimus, quem apud illum nunc dirigimus, sed eum dirigimus (') cum exercitu in Tervisio, aut Ravenna.* Qui venientes, Dei nutu, per suffragia Apostolorum, malignantium consilia dissipata repererunt, eo quòd Arichisum Ducem, vel ipsius filium Waldonem, defunctum invenerunt. Et dum ibidem Salerno Atto fidelissimus vester Missus fuisset, Beneventani ipsos Græcos minimè recipere voluerunt, sed post reversionem prædicti Attonis Diaconi, tunc eos terreno itinere à finibus Græcorum deferentes, Salerno receperunt, & cum Athalberga relicta Arichis, seu Optimatibus Beneventanis, tribus diebus persistentes (*u*) conciliati sunt, suadentes ipsi Beneventani prædictis Missis Græcorum, dicentes: *Quia nos ad Regem Carolum emisimus Missos nostros, petentes ab eo Grimaldum Ducem nostrum recipere. Insuper & per Attonem Diaconum, ipso nobis pollicente rogam emisimus, ut penitus eum Ducem consequenter susciperemus. Sed propter hoc morari vos Neapoli convenit, dum usque ipsum Grimualdum recipere possimus Ducem: & quod Genitor ejus (x) Arigisus minimè voluit adimplere, Grimualdus ejus filius, dum culmen Genitoris sui adeptus fuerit, prorsus Imperialem voluntatem cum omni ditione, sicut cum suo constitit Genitore, in omnibus adimpleat, pariter nobis promissa explentibus.* Quapropter terreno itinere

(*i*) *Gretserus*: *videtur aliquid heic deesse.*
(*k*) *Lambecius*: suscipiente effectum.
(*l*) *Idem*: sobole.
(*m*) *Idem*: gubernacula.
(*n*) *Gretserus*: Baronio idem Summarium I.
(*o*) *Lambecius*: referuimus grates.
(*p*) *Idem*: meminere credimus.
(*q*) *Idem*: prælatos.
(*r*) *Idem*: Grimualdum.

(*ſ*) *Idem*: De verò Athalchiso, ejus Cognato, emisit ei dicens: *Quia apud illum non.*
(*t*) *Idem*: cum exercito.
(*u*) *Idem*: consiliati sunt, suadentes ipsi Beneventani prædictos Missos Græcorum, dicentes: *Quia nos apud Regem Carolum emisimus Missos nostros, petentes ab eo Grimualdum Ducem nostrum recipiendum. Insuper.*
(*x*) *Idem*: Arichis.

nere usque Neapolim eos cum magno deduxerunt honore. Qui Neapolitani ipsos Græcos cum bandis & signis suscipientes, ibidem degentes, prædictæ rei præstolantes adventum, non desinunt, (y) cum Stephano Episcopo, & Constantino Civibus Neapolitanis adversa perpetrantes tractare, mittentes ipsi Græci ad Imperatorem, de obitu (z) Arichisi, filiique ejus denuntiantes, & ab eo exspectant consilium, quid agere debeant.

Sed in his omnibus, excellentissime, & à Deo protecte fili, solertissima Regalis Potentia vestra (a) nitatur pertractare tam pro exaltatione spiritalis Matris vestræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nostraque salute, quàmque Domino protegente, Beatoque Petro Clavigero Regni cœlorum præsidiante, pro vestri invictissimi Regni in triumphis securitate.

Porrò & hoc (b) sicuti per se Gregorius Presbyter Capuanus nobis innotuit de fidelissimis Missis vestris, scilicet Magenario Religioso Abbate, seu Joseph, & Liuderico Comite, atque (c) Gotteranno (d) Hostiario, quia Benevento reversi (e) Spoletum, ideo exinde fugerunt, eo quòd tale consilium Beneventani cum Neapolitanis, & Surrentinis, atque Amalfitanis habuerunt, ut foris Civitate Salernitana, juxta mare, vestros Missos applicare facerent, & nocte repentino cursu super eos ruent Beneventani, pariter cum Neapolitanis, illos interficerent, quia Neapolitani, quasi super ipsos Beneventanos (f) venientes, existimantes se se Beneventanos, eos clam occiderunt. Et præfati Missi vestri hæc cognoscentes, coacti fugam arripuerunt, vestram conquerentes regalem illusionem: (g) quod si ipsi Missi vestri (h) Salerno Neapolitani cum Amalfitanis & Surrentinis armati ibi absconsi fuerunt. ut irruerent cum Beneventanis super ipsos Missos vestros, (i) ut occiderent Quod nempe certi facti sumus, omnia eorum nequam consilia ad nihilum rediguntur, eo quòd talem amplissimam fidem, atque ex intimo corde dilectionis amorem, erga B Petrum Principem Apostolorum, & nos, vestram Regalem Potentiam omnino habere agnoscimus, & idcirco omnia vobis, sicut ipsum Dei Apostolum die noctuque petimus, suggerentes subjiciuntur, & vestris præfulgentis regalibus plantis substernuntur.

De nostra verò sospitate, ut inquirendum direxistis, Domino coopitulante, (k) vestram omnino agnoscentes salutem, valentes pro vobis non desinimus fundere preces, ut in hoc Mundo Regni gubernacula (l) multorum curriculo fruentes annorum, & in æthereis arcibus unà cum Domna Regina, vestraque nobilissima subole, sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

A *Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Missis Offæ Regis Anglorum, qui simul cum Missis præfati Regis Caroli (m) Roma properarent, & qualiter prædictus Papa ipsos Missos Anglorum honorabiliter suscepisset, quemadmodum ei prædictus Rex Carolus per suos Legatos mandaverat, seu & de aliis Capitulis.*

(*Epistola ordine LXXXIX.*)

(n) DOmno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Ro-
B manorum, Adrianus Papa. Sagacissimos, nectareosque à vestra præcipua in triumphis Potentia directos suscepimus liquidos affatus. Quos cum nimis solito referantes amore, ea, quæ jugiter præstolabamur, agnosci prius comperimus, scilicet de inclyta sospitate atque prosperitate vestra, simulque spiritalis filiæ nostræ Domnæ Reginæ, tam de præcellentissima vestra Regali prole, quàm de cuncta ejus fidelissima familiaritate. Sicut enim à vestra Regali clementia fertur, quod magnum habet desiderium, ut frequenter per nostros Apostolicos apices, aut per Missum, qualiter erga nos esse decernitur, (o) intimaremur, ita potius crebris nos assiduè sitimus desideriis inhianter audire, tam per ve-
C stram Regalem exarationem, quàm per præcipuum vestrum Missum, de vestra in triumphis victoria atque prosperitate, immo præfatæ Domnæ Reginæ, simulque vestræ nobilissimæ subolis, pariterque cunctorum fidelissimorum vestrorum subjectorum sinceritate atque incolumitate. Nempe quidem credere dignemini, quia nullo modo nostra Apostolica desinunt suffragia in Confessione Beati Petri, Clavigeri Regni cœlorum, divinam pro vobis exorare clementiam: quia prorsus certiores sumus, quòd non desinit vestra (p) præcelsissima Regalis benevolentia, pro exaltatione Matris suæ, Sanctæ Romanæ Eccle-
D siæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, & nostra Apostolica paterna prosperitate (q) penitus summo annisu tractare, sicut olim sanctæ recordationis (r) Genitoris tui Domni Pippini almi Regis normam suscepit: quia sicut cœpit, sine tenus immutilatè perficiat: (s) cujus adepti doctrinam, celsior suffragiis Apostolorum, & nostris assiduis interventionibus, vestra in omnibus existit Regalis Potentia.

Porro in ipsis regalibus apicibus vestris referebatur, quòd Offa gentis Anglorum Rex vestræ direxisset regali Excellentiæ, significandum indiculum, ut aliqui æmuli vestri ac sui ad nostra Apostolica vestigia indicarent,
E quòd idem Offa Rex vobis suggereret, ut per suam videlicet adhortationem atque suasionem nos

---

(y) *Idem*: unà cum Stephano Episcopo, & Constantineis ejus Neapolitanis.
(z) *Idem*: Arigisi.
(a) *Idem*: niteat pertractare.
(b) *Idem*: & hoc, sicut ipse Gregorius.
(c) *Idem*: Gotteranno Ostiario.
(d) *Gretserus*: Ostiario.
(e) *Lambecius*: Spoletium.
(f) *Idem*: venientes, & existimantes esse Beneventanos.
(g) *Idem*: quod Neapolitani cum Amalfitanis.
(h) *Gretserus*: *locus corruptus*.
(i) *Lambecius*: occidendum. Sed nempe certi facti existimus, omnia.
(k) *Idem*: vestram omnino instar agnoscentes salutem.
(l) *Idem*: multorum curricula fruentes annorum.
(m) *Idem*: Romam properarent.
(n) *Gretserus*: Summarium XLIII. Baronio & Centuriatoribus.
(o) *Lambecius*: intimaremus.
(p) *Idem*: prærectissima regalis.
(q) *Idem*: penitus annisu tractare.
(r) *Idem*: Genitoris sui.
(s) *Idem*: cujus adepta doctrinam, celsior per suffragia Apostolorum.

nos à Sede Sancta dignitatis noſtræ, quod abſit, ejicere deberetis, & alium ibidem de Gente veſtra inſtitueretis Rectorem. Quod valde nefandiſſimum ac contrarium in oculis veſtris apparuit. Scriptum & hoc omnino falſum eſſe à veſtra Excellentia pro certiſſimo dinoſcitur, quia nec ipſe Offa hanc hortationem minime vobis fecit, & nullatenus in corde aliter aſcendit, niſi ut paternitas veſtra per Dei miſericordiam ejus temporibus Sanctam Dei Eccleſiam regere & gubernare valeat, ad profectum videlicet omnium Chriſtianorum, in quibus nos omnino procul dubio de veſtra regali Potentia (t) confidentes exiſtimus, quia erga noſtram Apoſtolicam paternitatem ejus benevola atque inexpugnabilis orthodoxa Fides (u) fervens in Spiritu (x) Sancto: quia ut ignis ardens præcellens manebit, & nullo modo antiqui hoſtis verſutia in qualibet hæreſi concutere eam valebit contra Catholicam, Apoſtolicamque orthodoxam Fidem. Sed ſicuti ſpeculum ſine macula, ejuſdem orthodoxæ Fidei, noſtræque ſummæ Sedis verax & fulgens defenſor vibrantiſſime in ævum manebit. (y) Præfatæ verò illuvies aſſertionis, quam fateris, ut dici nefas eſt, Offæ Regis, nos uſque hactenus talia minime audivimus, ſed neque nunc audientes credimus, quod talia, ſi etiam, ut abſit, paganus fuiſſet, perpetrare cogitaſſet, (z) quanto magis à prædeceſſoribus ſuis Regibus, ſemper ſubjectis in obedientia atque fideli amore Sanctis prædeceſſoribus noſtris Pontificibus, & nobis exiſtentibus, hæc inaudita verſutia incredibilis à nobis exiſtimatur?

Attamen ſi Deus pro nobis, quis contra nos? (a) *Dominus mihi adjutor eſt. Non timebo quid faciat mihi homo.* Et iterum: (b) *Dominus illuminatio mea & ſalus mea. Quem timebo? Dominus defenſor vitæ meæ. A quo trepidabo?* (c) *Omnis enim plantatio, quam Pater cœleſtis plantabit, nullus eradicare valebit:* (d) *quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Nos quippe, vel immeriti, Sedem Apoſtolorum (e) adepti vicem Beati Petri Principis Apoſtolorum ſuſcipientes ac tenentes, atque cunctum Populum Chriſtianum nobis à Deo commiſſum regentes, non ab hominibus, neque per hominem electi ſumus, ſed per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vocati, in Evangelium ejus prædeſtinati ſumus, ſicut vas electionis Beatus Paulus Apoſtolus docuit: (f) *Quos præſcivit & prædeſtinavit, quos prædeſtinavit, hos & vocavit: quos vocavit, hos & elegit: quos elegit, hos & glorificavit.* Et iterum Beatus Jacobus Apoſtolus inſtruit & docet: (g) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis:* & idcirco voluit adamantem & ſcilicem eſſe, propheticum confirmantes ſermonem, nihil metuentes (h) non deſinimus, divinum verbum gentibus prædicare, ſicut ſcriptum eſt: (i) *Speculatorem dedi te domui Iſraël, & audiens de ore meo verbum, adnunciabis eis ex me.* Beati enim Petri Clavigeri regni cœlorum præcepta cenſentes, prædicare (k) non deſinimus Regibus ac Populis verbum veritatis atque vitæ; pro cujus amore, unà cum fideliſſimis Miſſis veſtris, ut nobis direxiſtis, prædicti Offæ Regis Miſſos libenti animo ſuſcipientes, congrue hilari vultu ſuper eos pro veſtra inclyta Excellentia reſpeximus, eorum explentes vota, quemadmodum gratias veſtræ à Deo promotæ regali in triumphis Potentiæ referre valeant, quia ſolite nos veſtram ſatagimus adimplere, ſicut & vos noſtram voluntatem. Quibus uſque in finem perfecte obſervatis (l) divina Majeſtas vos hujus Mundi Regni gubernacula ævis & temporibus, unà cum Domna Regina, veſtriſque nobiliſſimis filiis faciat perfrui, & in perpetuum cum Sanctis omnibus triumphantes gaudere. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum, in qua continetur de adventu Adalchiſi partibus Calabriæ, & ut Grimualdum in Benevento Ducem non conſtitueret, & de Civitatibus Beneventanis, & Roſellis, & Populonio.

(*Epiſtola ordine XC.*)

(m) DOmno *Excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Venientes ad nos fideliſſimi Miſſi veſtri, ſcilicet Roro Capellanus, ſeu Betto, poſt veſtram optabilem regalem ſoſpitatem adnunciatam, ſciſcitati ſunt à nobis (n) de nefandiſſimo Athalgiſo, filio Deſiderii Tyranni Regis, ſi ita fuiſſet, quòd, Deo ſibi contrario, in partibus Italiæ veniſſet. Nos verò nuper, quod de ipſo protervo Athalgiſo audivimus, per fideliſſimum Miſſum veſtrum Aruinum Comitem vobis intimare non omiſimus, quia pro veſtra regali victoria, Deo auſpice, retractantes, nullum neglectum ex omni parte ponimus, veſtræ præfulgidæ Excellentiæ indicantes, ut, Domino opitulante, atque Beato Petro Apoſtolorum Principe comitante præcipua regalis veſtra providentia prudentiſſime ſuam noſtramque ſalutem procuret. Sic enim de jam dicto nequiſſimo Athalgiſo nobis nuntiatum eſt, quia in veritate, Deo ſibi contrario, (o) cum Miſſis Imperatoris, in partibus ſcilicet Calabriæ reſidet, juxta confinium Ducatus Beneventani, (p) ut de ejus invalido adventu Campulus Epiſcopus Civitatis Cajetanæ per ſuas nobis

(t) *Idem*: freti exiſtimus.
(u) *Gretſerus*: fervet in.
(x) *Lambecius*: ſancto, quaſi ignis ardens.
(y) *Idem*: Præfatæ verò ingluviei aſſertiones quam fateri, ut dicis, nefas eſt.
(z) *Idem*: quanto magis Prædeceſſoribus ſuis.
(a) *Gretſerus*: Pſalmo 117.
(b) *Idem*: Pſalmo 26.
(c) *Idem*: Matthæi cap. 15.
(d) *Idem*: Johannis cap. 1.
(e) *Lambecius*: adepti, vice Beati Petri.
(f) *Muratorius*: Ad Romanos cap. 8. verſ. 29.
(g) *Gretſerus*: Jacobi cap. 31.
(h) *Lambecius*: non ſinamus.
(i) *Gretſerus*: Ezechielis cap. 33.
(k) *Lambecius*: non ſinamus.
(l) *Idem*: divina clementia vos hujus Mundi Regni gubernacula ævis temporibus.
(m) *Gretſerus*: Summarium XLII. Baronio & Centuriatoribus.
(n) *Lambecius*: pro nefandiſſimo Athalgiſo filio Deſiderii Regis, ſi ita.
(o) *Idem*: cum Miſſis Imperatoris partibus.
(p) *Idem*: ut & pro ejus invalido adventu.

bis significavit Syllabas. Similiter & de Pentapoli pro ejusdem Athalgisi arrogantia nobis in scriptis intimaverunt, quatenus ob nimium vestrum amorem infra alios misimus apices, (q) tam Cajeta, quàmque Pentapoli series nobis destinatas. Nempe quidem scimus, quia ipse iniquus & perfidus Adalgisus pro nulla alia causa in istis declinavit partibus, nisi tantummodo pro vestra nostraque contrarietate. Unde oportet, ut firmissima vestra sacra partibus Beneventanis emittere (r) vestra præcelsa (ſ) regalis Excellentia nitatur, ut undique per vestrum regale amminiculum imperturbati pariter maneamus.

A

Nos verò hæc omnia considerantes, dilectissime, nimisque amantissime, atque à Deo protecte, prærectissime fili, nobis sic aptum esse videtur, ut sive voluntatem vestram fecerint ipsi Beneventani, non ullo modo expedit Grimualdum (t) filium Arichisi Beneventum dirigere. Verumtamen sicut vobis ab omnipotenti Deo nostro prudentissima sapientia concessa est, ita sagaciter pro hujusmodi re pertractare atque congrue disponere jubeatis, ut ea, quæ vobis nobisque (u) expedibilia fuerint, ad perfectum salubriter veniant, ut non in quolibet labore pariter eveniamus: sed si ipsi sæpius dicti Beneventani minime vestram regalem adimpleverunt voluntatem, sicut vobis polliciti sunt, statim ibidem taliter (x) exercitus emittere studeatis, ut ad profectum sanctæ nostræ Ecclesiæ, vestræque regalis perveniat Excellentiæ, & sic illis partibus disponatur, ut inimicus locum nocendi non inveniat, sed semper vestra in triumphis exsultet in Domino regalis victoria.

B

C

Enimvero unà cum fidelissimis Missis vestris pertractantes, considerantesque, ut si minimè ipsi Beneventani adimplere voluerint regalem vestram voluntatem, ad Kalendas Majas vester robustissimus exercitus in confinio præparatus super ipsos irruere Beneventanos inveniretur, & demum pariter penetrantes, in his confirmati (y) propter æstivi temporis ægritudinem non audebimus. Et iterum si super eos à Kalendis Majis usque in Septembrem mensem exercitus non venerit, dubium nobis esse videtur, ut fortè, Deo sibi contrario, prædictus nefandissimus Adalgisus, per insidias Græcorum non ali quam nobis vobisque conturbationem facere moliatur, quia jam dicti Missi Græcorum cum eo esse noscuntur, & alii in Neapoli residere videntur. Sed hæc existimantes in vestro robustissimo atque à Deo protecto regali arbitrio emisimus pertractanda, ut qualiter vobis placuerit, disponere celeriter dignetur, nobis intimando per suos regales affatus suam nostramque securitatis salutem.

D

Quapropter nimis poscentes, quæsumus vestram prærectissimam Excellentiam, ut nullo modo pro causa Grimualdi filii Arichisi credere plus cuiquam jubeatis, quàm nobis. Nam pro certo sciatis, quia si ipsum Grimualdum (z) in Beneventum miseritis, Italiam sine conturbatione habere minimè potestis, eo quòd Leo Episcopus secreta nobis sic fatus est, quia Adalberga, relicta Arighis, tale habet consilium, ut, dum ipse Grimualdus filius ejus (a) Beneventanos fines introierit, ingeniosè cupit duas filias suas secum deferre, & quasi orationis (b) causâ Sanctum Angelum in Garganum pergere, & deinde in Tarantum, ubi & thesauros suos reconditos habet, quia tantùm octoginta millia distat à Sancto Angelo (c) usque Tarantum. Sed in hoc minime vestra à Deo promota Excellentia considerare debeat, quod pro nostra aviditate (d) ipsas Civitates adquirendum, quas Beato Petro Apostolo & nobis condonastis, talia vobis insinuare studuimus. Sed pro magna securitate sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, atque vestræ præcelsæ regalis exaltationis victoria, ea, quæ audivimus, & agnoscere potuimus, vestris regalibus auribus insinuare (e) nullo modo negleximus. Vestra quoque regalis Excellentia, qualiter ei placuerit, & aptum prospexerit, in omnibus his disponere provideat. Quapropter magnopere poscentes vestram clementissimam regalem benevolentiam, quæsumus, ut pro amore fautoris vestri Beati Petri, Clavigeri regni cœlorum, nostraque in Christo spiritali paterna dilectione, clariter atque specialiter per vestros regales honorabiles apices Missis vestris dirigere dignemini, (f) ut nullo modo ad vos remeare audeant, nisi prius sub integritate (g) Civitates in partibus Beneventanis, sicut eas per vestram sacram oblationem Beato Petro Apostolo & nobis contulistis, in omnibus contradere valeant, & justitias de Populonio & Rosellis nobis facere sub integritate studeant. Quia sunt alii ex Missis vestris, qui contemnere moliuntur & fœdare vestram sacram oblationem. (h) Sed sicut in partibus Tusciæ Civitates, idest Suanam, Tuscanam, Biternum, & Balneum Regis, ceterasque Civitates, cum finibus, & territoriis eorum, Beato Petro offerentes condonastis, ita in eo modo Civitates in partibus Beneventanis contradere nobis protinus faciatis: ut dum Missi vestri vestros susceperint regales firmissimos affatus, sine qualibet interposita dilatione nobis eas contradere sub integritate valeant, ut nullus sit, qui possit extinguere vestrum illibatum sacrificium, sed hoc lucri potissimum præmium adquirentes dignè mereamini unà cum spiritali nostra filia, Domna Regina, vestraque nobilissima (i) subole, in æthereis sine fine regnare arcibus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

E

Item

(q) *Idem*: tam à Cajeta, quàmque à Pentapoli.
(r) *Gretserus*: *videtur redundare*.
(ſ) *Lambecius*: regalis Excellentia niteat.
(t) *Idem*: filium Arichisi, Benevento dirigere.
(u) *Idem*: expedibilia fuerunt.
(x) *Idem*: exercita emittere.
(y) *Idem*: pro æstivo tempore ægritudine non audebimus; & iterum si super eos Kalendas Majas usque in Septembrio mense exercita non evenerint.
(z) *Idem*: in Benevento miseritis.
(a) *Idem*: Beneventanis finibus introierit.
(b) *Idem*: causa ad Sanctum Angelum in Gargano pergere.
(c) *Idem*: usque Taranto.
(d) *Idem*: aut ipsas Civitates adquirendum.
(e) *Idem*: ullo modo neglex imus.
(f) *Idem*: ut ullo modo.
(g) *Idem*: Civitates partibus Beneventanis.
(h) *Idem*: Sed sicut partibus Tusciæ Civitates, idest Suana, Tuscana, Biterv o, & Balneo Regis, ceterasque Civitates cum finibus &.
(i) *Idem*: sobole.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Gente dudum perfida, ſcilicet Saxonum, qualiter Dominus, ac Redemtor noſter per præfati Regis laborioſa certamina ad Dei (k) cultum ſuæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ rectitudinem Fidei, ſeu ad ſacrum Baptiſmatis fontem uſque perduxiſſet; & de Letaniis, & de Jejuniis, & Orationibus (l) pro hujuſcemodi re.

(*Epiſtola ordine XCI.*)

(m) D*omno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpirituali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Præſtolatos, nimiſque optabiles regales veſtros ſuſcepimus affatus per fideliſſimum veſtrum latorem atque Miſſum, videlicet Andream Religioſum Abbatem, quos reſerantes reperimus in eis de veſtræ præcelſæ Regalis Potentiæ, & compatris ſubolisque veſtræ, ſeu cunctorum præcipuorum veſtrorum, noſtrorumque fidelium ſoſpitate, & incolumi ac ſinceriſſima proſperitate, in quibus Redemtori Mundi conſuetas retulimus grates. Magis autem inibi de veſtris à Deo præſidiatis regalibus triumphis comperientes, qualiter ſævas adverſaſque gentes, ſcilicet Saxonum, ad Dei cultum, & ſuæ Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ rectitudinem Fidei perduxeritis, atque, Domino auxiliante, & Petri Paulique Apoſtolorum Principum interventione ſuffragante, ſub veſtra eorum colla redacta ſunt poteſtate, ac ditione, eorumque Optimates ſubjugantes divina inſpiratione, regali annisu univerſam illam gentem Saxonum ad ſacrum deduxiſtis Baptiſmatis Fontem.

Unde nimis amplius divinæ clementiæ (n) detulimus grates, quia noſtris, veſtriſque temporibus gentes Paganorum in veram (o) & magnam deductæ Religionem, atque perfectam Fidem, veſtris regalibus ſubſternuntur ditionibus. In hoc quippe freta veſtra à Deo fundata exiſtit potentia, quia ſi, ut pollicita eſt Fautori ſuo Beato Petro Apoſtolo, & nobis, puro corde atque libentiſſimo animo adimpleverit, maximas ac robuſtiores illarum Gentium, ſuis præcipuis ſuffragiis, veſtris ſubſternet pedibus, ut, nemine eos perſequente, veſtris regalibus ſubjiciantur potentiis, & maximum fructum in die Judicii ante Tribunal Chriſti de eorum animarum ſalute offerre mereamini (p) digniſſimum unus, & pro amore animarum lucra infinita mereamini adipiſci in Regno cœleſti.

Illud autem, quod veſtra Regalis intimavit Excellentia, ut in uno menſe vel in uno die, pro hujuſcemodi operibus, ſcilicet ſtabilitatis veſtræ victoria, laudes Deo gerentes caneremus, & una vel duabus Feriis Letanias perageremus, valde hoc nobis delectabile exiſtit, quatenus Apoſtolicâ exarantes cenſurâ decrevimus, in omnibus noſtris partibus, quæ ſub ditione ſpiritalis Matris veſtræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exiſtunt, illico (q) celebrari eaſdem unà nobiſcum, diſponentes emiſimus, Domino protegente, (r) videlicet viceſima tertia die, & viceſima ſexta, atque viceſima octava hujus advenientis Junii menſis, (ſ) quæ ſunt in primis Vigiliæ Beati Johannis Baptiſtæ, & Natalis Sanctorum Johannis & Pauli, nec non & Vigiliæ Beati Petri Apoſtoli, ſimiliter & veſtra Regalis Potentia in ſuis dirigat univerſis finibus, ſeu tranſmarinis partibus, ubi Chriſtiana moratur gens, ſimiliter perficiendas Letanias. Et ideo tale protelatum emiſimus ſpacium, propter tam longinquas Chriſtianas Nationes ultra veſtrum Regale morantes Regnum. Nos quippe non ſolùm unam, vel duas, ut nobis inſinuaſtis (t) celebrandas Letanias prævidimus, ſed etiam pro veſtra, ut ſoliti ſumus, indeſinenter orare Excellentia cupientes, decrevimus perficere, & Redemtori Mundi canere laudes: ut ipſæ Gentes, quæ per veſtrum regale certamen ad Chriſtianam perductæ ſunt Fidem, (u) uſque in ævum per veſtrum maneant adminiculum, & noſtris veſtriſque finibus omnes repelli faciat ægritudinis morbos, & procul ejiciat peſtilentiam, ut noſtris veſtriſque diebus Populus nobis à Deo commiſſus in magna degentes ubertatis affluentia, ſimulque ſinceriſſimæ ſoſpitatis lætitia longiori ævo, unà cum Domna Regina, veſtraque nobiliſſima prole, mereamini Regni gubernacula perfrui, & in æthereis arcibus ſine fine regnare, ut per veſtra laborioſa certamina magis magiſque ſpiritalis Mater veſtra, Sancta Romana Eccleſia, maneat exaltata. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de (x) Miſſis Græcorum cum (y) Diucitin, id eſt Diſpoſitore Siciliæ, poſt reverſionem Attonis Diaconi, Miſſi Domni Regis à Benevento cum relicta (z) Arichiſi Ducis conciliati ſunt, qualiter Ducatum Beneventanum à poteſtate prædicti Regis per inſidias ſubtrahere potuiſſent.

(*Epiſtola ordine XCII.*)

(a) D*omno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Meminit veſtra à Deo promota Regalis Excellentia, qualiter ad nos emiſit fideliſſimos Miſſos, ſcilicet Attonem Religioſum Diaconum, & Goteramnum magnificum Oſtiarium. Et poſt tergum eorum ad nos venerunt, videlicet Maginarius Religioſus (b) Abbas, & Religioſus Joſeph Diaconus: qui nobis fideliter intimaverunt ea,

(k) *Idem*: cultum, & ſuæ Catholicæ.
(l) *Idem*: pro hujuſmodi re.
(m) *Gretſerus*: Summarium XLIV. Baronio & Centuriatoribus.
(n) *Lambecius*: retuimus grates.
(o) *Idem*: & magnam deducentes Religionem.
(p) *Gretſerus, & Lambecius*: digniſſimum munus.
(q) *Lambecius*: celebrari una nobiſcum.
(r) *Idem*: protegente, viceſima tertia die, ſeu viceſima ſexta.
(ſ) *Idem*; quòd ſunt inprimis Vigiliæ Beati Johannis Baptiſtæ, ſeu Natalis.
(t) *Idem*: celebrandum Letanias.
(u) *Idem*: uſque in ævo.
(x) *Idem*: de Miſſis Græcorum, quòd cum Diœceta, id eſt Diſpoſitore.
(y) *Gretſerus*: *Diœceta* διοικητής *adminiſtrator*.
(z) *Lambecius*: Arichiſi Ducis conſiliati ſunt.
(a) *Gretſerus*: Summarium XXIII. Baronio & Centuriatoribus.
(b) *Lambecius*: Abbas, ſeu Joſeph religioſus Diaconus.

ea, quæ illis injuncta habuit veſtra prærectiſſima Regalis Poteſtas, ut ſecundùm noſtrum Apoſtolicum conſilium, in partibus Beneventanis (*c*) ita peragerent. Qui in noſtri præſentia reſidentes prænominati quatuor Miſſi, ideſt Maginarius Religioſus Abbas, Atto & Joſeph Religioſi Diaconi, atque Goteramnus magnificus Oſtiarius, dum adhuc minimè conjunxiſſet noſtris Apoſtolicis obtutibus (*d*) Luthericus, qui cum præfato Maginario ſeu Joſeph ad nos miſſus fuerat: tale illis præbuimus conſilium, (*e*) ut nullo modo ſe alter ab altero ſepararet, ſed præeuntes Atto & Gotteramnus in Oppido Valuæ, ibidem exſpectarent tam Maginarium & Joſeph, quàm Liudericum, quem ſocii ejus apud nos morantes exſpectabant. Qui præcedentes, ſcilicet Atto cum Gotteramno, nullo modo noſtris accommodaverunt conſiliis, ſed relinquentes penitus Maginarium ſeu Joſeph, & Liudericum, abierunt ſingulariter Benevento. (*f*) Unde poſt tergum eorum euntes Maginarius cum Joſeph & Liuderico in Benevento jam Attonem & Gotteramnum nullo modo invenire valuerunt, (*g*) eo quòd in Salernum perexerant ad Albergam relictam Arichis Ducis. Ubi dum Maginarius cum ſociis ſuis à fidelibus veſtris audiſſent, ſicut nobis ipſi intimaverunt, eo quòd (*h*) infideliter agerent tam relicta prædicti Arichiſi Ducis, quàmque ceteri Beneventani, erga veſtram Regalem Excellentiam, atque noſtrum Apoſtolatum, iniqua atque adverſa tractare non deſinunt. Fugam arripientes Maginarius (*i*) cum Joſeph & Liuderico, unà cum Gotteramno, qui ad eos ad loquendum venerat à Salerno, introierunt in finibus Ducatus Spoletini in præfato Oppido Valuæ, & ibidem morantur uſque ad veſtrum regalem in triumphis diſpoſitum. Atto verò audiens, ut fertur, fugiens intus in Eccleſiam Salerni præ timore, ejuſdem Eccleſiæ Altare tenuit. (*k*) Ipſi autem Beneventani ſuadentes, ut reor, & ſimulantes, eum mitigaverunt, & veſtrum Clericum fictè miſerunt, ſe ipſos fideles in omnibus commendantes.

Et ob nimium ſuavemque amorem, quem erga veſtrum invictiſſimum gerimus Regnum, nullo modo valemus prætermittere, liquidius (*l*) de omni cauſa vobis inſinuare. Venientes quippe ad nos de Capua, quam Beato Petro Apoſtolorum Principi pro mercede animæ veſtræ, atque ſempiterna memoria, cum ceteris Civitatibus (*m*) obtuliſtis, videlicet Gregorius (*n*) Presbyter, Saductus, Pergulſus, Audemundus, Haimo, Landemarus, Warnefridus, Sigulſus, Andualdus, & Corbulus, intimaverunt nobis, quòd dum Atto Diaconus ad veſtram reverſus eſt Excellentiam, ſtatim Miſſi Græcorum, duo Spatarii Imperatoris (*o*) cum (*p*) Diucitin, quòd Latine *Diſpoſitor* Siciliæ dicitur, in Lucaniæ Acropoli deſcendentes, terreno itinere Salernum ad relictam Arigiſi Ducis peragrantes,

A tertio decimo Kalendas Februarii pervenerunt. Qui ibidem cum ipſis tres dies conſiliantes Beneventani, poſt tertium diem uſque Neapolim deduxerunt. Neapolitani verò cum magno obſequio, cum ſignis & imaginibus eos ſuſcipientes, Neapolim ingreſſi ſunt, pariter & uſque hactenus cum ipſis Neapolitanis, atque Stephano Epiſcopo ejuſdem Neapolitanæ Eccleſiæ pertractantes exiſtunt.

Sed veſtra à Deo promota prærectiſſima Regalis Excellentia, à Deo inſpirata, taliter (*q*) pertractare debet, ut ſuam & noſtram in omnibus ſecuritatem procuret, & nullius hominis inanes fabulas attendat. Neque muneribus ſuadere quiſpiam eam valeat, ſed B tantummodo pro exaltatione ſpiritalis Matris ſuæ Sanctæ noſtræ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ſuæque Regalis Excellentiæ, & noſtræ (*r*) decertare nitatur: quia, ut arbitramur, ipſi Beneventani iſtud tempus vernum (*ſ*) tranſire patientur, ut æſtivo tempore, Deo illis contrario, vobis in perjurii reatum incurrant. Sed veſtra Regalis Potentia ſic illis in triumphis præire ſatagat, ut & illorum proterviam procul dubio imminentem ſub pedibus ſuis conculcet, & ſua exaltatio in toto (*t*) profanetur Mundo, tam de ſua prudentiſſima regali victoria, quàmque de ſacratiſſima oblatione, quam in partibus ipſis Beneventanis Beato Petro, Fautori C ſuo, puro corde, ob nimium amorem, atque ſempiternam memoriam condonavit; ut dum ipſe Claviger Regni cœlorum Beatus Petrus Apoſtolus, Fautor, & Protector veſter, in integro veſtram ſuſceperit ſacram donationis oblationem, dignè valeamus in ejus alma Confeſſione tam pro vobis, quàmque ſpiritali filia noſtra Domna Regina, veſtraque nobiliſſima (*u*) ſubole, fundere preces, ut per multorum annorum curricula in hoc Mundo Regni gubernacula fruentes in æthereis arcibus ſine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

D *Item exemplar Epiſtolæ ejuſdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de præda Perſarum in finibus Græcorum facta, & de diſcordia, quæ inter ipſos erat.*

(*Epiſtola ordine XCIII.*)

(*x*) DOmno excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri, *Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, *Adrianus Papa*. Dum nimis in noſtro pectore momentis omnibus veſter regnat amor, & multa nobis fiducia, magnaque gloriatio apud præcellentiſſimam atque à Deo E promotam veſtram regalem Potentiam exiſtit, convenit nempe nos pro veſtri præcelſi à Deo protecti regalis culminis ſolicite cotidie inquirere ſalute, ut agnito, juxta noſtrum de-

fide-

(*c*) *Idem*: ita peragerentur.
(*d*) *Idem*: Liudericus.
(*e*) *Idem*: ut nullo modo ſe alterutrum ſepararent.
(*f*) *Idem*: Qui poſt tergum eorum euntes.
(*g*) *Idem*: eo quòd in Salerno perexexunt.
(*h*) *Idem*: infideliter peragentes.
(*i*) *Idem*: cum Joſepho.
(*k*) *Lambecius*: Ipſi autem Beneventani eum ſuadentes, ut reor, diſſimulantes eum mitigaverunt, & ad veſtram Excellentiam ficte.
(*l*) *Idem*: de omnis rei cauſa vobis.

(*m*) *Idem*: offeruiſtis.
(*n*) *Idem*: Presbyter, ſeu Saductus.
(*o*) *Idem*: cum Diœceta.
(*p*) *Gretſerus*: Diœcete.
(*q*) *Lambecius*: pertractare debeat.
(*r*) *Idem*: deeertare niteat.
(*ſ*) *Idem*: tranſire mitigant, ut æſtivo.
(*t*) *Gretſerus*: diffametur.
(*u*) *Lambecius*: ſobole.
(*x*) *Gretſerus*: Summarium XXXIV. Baronio & Centuriatoribus.

siderium, omnia prospera (y) esse apud vestram Excellentiam, summas Sanctæ & individuæ Trinitati, & dignas referamus grates. In quibus ad aures vestræ regalis Potentiæ intimantes innotescimus (z) de Constantinopolitanis partibus, quod in fines ejus Gens Persarum invadentes atque deprædantes venerunt usque in locum, (a) qui dicitur *Moria*, à sexagesimo milliario ejusdem Civitatis Constantinopolitanæ. Unde & prædam magnam comprehendentes secum detulerunt, & sicut audivimus, atque fama fertur, Thius Regis Persarum Princeps & Dux exercitui nefandissimo ipsorum existebat. Qui dum reversus fuisset cum iniqua victoria, elatus in superbia mentitus est proprio nepoti suo, (b) & ab ejusdem exercitu factus est Rex Persarum. Et infra se tumultuantes pugnare ad invicem pro Nepote & Thio dicuntur.

Nos verò petentes divinam clementiam, crebrò pro vobis die noctuque orare (c) prorsus non desinimus, ut ad exaltationem Sanctæ Dei spiritalis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, & nostram perennem lætitiam, longiori ævo in triumphis, & celebri nomine regnantes, una cum excellentissima filia nostra, & spiritali commatre Domna Regina, vestraque præcellentissima prole, & sospites in præsenti vita, & in æterna beatitudine vos conservare dignetur. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ejusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Diœcesis vel Parochiis Episcoporum partibus Italiæ, atque Tusciæ, quas alterutrum invadentes, & de veste Monachica, quam contra Sanctos Canones relinquentes, iterum secularibus vestibus induebantur, & sibi (d) illicito matrimonio sociabant.

(*Epistola ordine XCIV.*)

(e) DOmno *excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Si in rebus secularibus suum cuique jus, & proprius ordo servandus est, quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inveniat, (f) unde (g) pacis debent procedere? Quod hac veneratione servabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Perlatum siquidem ad nos, quòd Langobardorum Episcopi alter alterutrum invadentes opponunt periculum, simulque Ecclesiastica statuta enormiter deposcentes conantur invadere, & aliorum partes illiciter detinentes, in pristino errore perseverare moliuntur. Olim quippe eorum Gens in errore existens, vestræ à Deo protectæ regali Potentiæ servata est à talibus malignis & in-

A fidelibus actis emendari, ut unde gloriosiores ceteris Regibus eminetis, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, perfectius placeatis, & Fidem, quam Catholice & Apostolice per Beatum Petrum Apostolorum Principem, ejusque Vicarium, orthodoxe venerantes colitis, adjutricem in omnibus habere mereamini.

Quapropter poscentes vestram à Deo promotam regalem Excellentiam, quæsumus, ut eorum errores contemnentes, canonice unusquisque suam Diœcesim sacerdotali moderamine tenere atque disponere officio Ecclesiastico valeat. Et sicuti termini seculares pro territoriis existunt, atque in judicio sub jure Civi-
B tatis & ditionis actoribus disponuntur, (h) ita ejusdem Civitatis Ecclesiæ Episcopo Diœcesis atque Parochiæ non omittantur, ut dum unusquisque Episcopus per instituta Sanctorum Canonum, atque prædecessorum nostrorum Pontificum Sanctorum privilegiorum, & sanctionum jura receperint, (i) in eorum Parochia atque Diœcesi, in omni Sacerdotali officio ministrantes, digne valeant pro vestra à Deo instituta regali in triumphis ampla victoria & præcellentia fundere preces.

Porro & hoc vestræ suggerentes regali Excellentiæ innotescimus, errorem illorum, qui in eadem Gente Langobardorum callide regnare, in stupris & spurcitiis diaboli non desinit.
C Semel quippe Deo se voventes, & veste fusca Monachico habitu induentes, iterum retrorsum revertentes, quod dici nefas est, seculares vestes circumferentes, illicito copulari matrimonio perhibentur: quatenus pro hoc sæpius ammonuimus (k) per Guntfridum, & aliis Gasindis vestris Epistolas dirigentes Raginaldo & Raginbaldo, ut tam detestabile stuprum devitarent. Sed ipsi nolentes adquiescere, per eorum contumaciam filiam Ermenaldi Monachico habitu circumdatam suo nepoti nomine Nazario diabolica versutia copulaverunt, & nostris Apostolicis adhortationibus assensum tribuere noluerunt, & eorum adimplentes iniquam præsumtionem, ministri Diaboli ef-
D fecti sunt, & plures in Italia (l) eorum invitari exemplo non desinunt. Prorsus nempe freti existimus, (m) quia pro hoc canonicas dispositiones vestro à Deo protecto regali culmini incognitas non esse credimus, qualiter talia tetra connubia eorum vetantes gladii ancipitis (n) sanctionibus feriunt. Et idcirco petimus, ut nostris vestrisque temporibus canonice in omni Christiano Populo nobis à Deo commisso tale illicitum scelus emendetur, ut per hoc vos ampliùs dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis, quemadmodum ab omni errore Christiano Populo eruto valeat cum Propheta clamare: (o) *Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die, qua*
E *invocaverimus te.* Quia crebrò in virtute tua lætatur, & super salutare tuum exsultat vehemen-

(y) *Lambecius*: esse erga vestram.
(z) *Idem*: de Civitatis Constantinopolitanæ partibus, quod in finibus ejus Gens Persarum.
(a) *Idem*: qui dicitur Amoria.
(b) *Idem*: Et ab ejusdem exercito.
(c) *Idem*: prorsus non finimus.
(d) *Idem*: inlicito matrimonio.
(e) *Gretserus*: Summarium XXVII. Baronio & Centuriatoribus.
(f) *Lambecius*: unde paces debent procedere?
(g) *Gretserus*: pax deberet procedere? Quod hac verè ratione.

(h) *Lambecius*: ita eidem Civitatis Ecclesiæ Episcopo.
(i) *Idem*: eorum Parochiæ atque Diœcesi omni Sacerdotali officio ministrandum digne.
(k) *Idem*: per Guntzfridum, & aliis Gasindis
(l) *Idem*: eorum imitari exempla non desinunt.
(m) *Idem*: quia pro hoc Canonicis dispositionibus vestro à Deo protecto Regali culmini incognitum non esse credimus,
(n) *Idem*: sanctionibus feriuntur.
(o) *Gretserus*: Psalmo 19.

menter, & Fidem Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ amplectens in ævo, & sine errore adstruens cum Sanctis omnibus permanebit, nosque in hoc ovantes, & gratias omnipotenti Domino referentes, ejusque divinam exorantes (*p*) clementiam pro vobis, ut Regni gubernacula longiori ævo, una cum Domna Regina, atque præcellentissima subole fruentes, in æthereis arcibus sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ Adriani Papæ ad Egilam Episcopum in partibus (q) Spaniæ missæ, pro Fide orthodoxa tenenda, & pro Jejunio sexta Feria & Sabbato celebrando.

(Epistola ordine XCV.)

(*r*) ADrianus *Episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo Egilæ Episcopo.* (*s*) Dudum præcipua gnaraque dilectio tua ad Sedem Apostolicam, quæ est caput totius Dei Ecclesiarum, directos affatus secundum vibrantissimam fidem, quam erga Beatum Petrum Apostolorum Principem & nos ex intimo gerit corde, cum nimio amore (*t*) suscepimus, ad ea, quæ ejus poposcit solertia, ex divino fonte oriri nitidius ac saluberrime Sanctæ nostræ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ (*u*) olitano ritu, orthodoxæ Fidei exarantes, immo sanctorum Patrum venerandam institutionem sine macula speculantes, per earum tunc transvectores tuæ emisimus almitati. Et quoniam, ut fertur, nequaquam ipsi Apostolici ad te profecti sunt apices, nostris eos habentes Registris exaratos, infra rescribentes per harum gerulos, scilicet Bellerefonsum, seu Johannem Clericum direximus denuo, sicut nobis per fidelissimum Missum suum, videlicet reverentissimum & sanctissimum Petrum Ticinensis Ecclesiæ Episcopum, præcellentissimus ac præfulgidus filius & spiritalis compater noster Domnus Carolus Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, pro tua insigni dilectione poscendum emisit, & per ejus regale adminiculum tuis faventes votis (*x*) adimplere prorsus studuimus. Illos verò procaces ac hæreticos homines, qui tuam subvertere nituntur orthodoxam Fidem, & undique te coartantes angustias, & varias tempestates seminant, Apostolico indutus præcepto, simulque Apostolicis imbutus disciplinis, seu saluberrimis orthodoxæ Fidei sanctorum Patrum repletus institutis, eos, qui tuas noluerint amplecti rectæ Fidei prædicationes, post unam & secundam admonitionem seu increpationem, tamquam Ethnicos & Publicanos deputans, habeto pro nihilo eorum insrunitas insidias, Propheta testante, qui ait: (*y*) *Si autem adnuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse*

A *quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Quatenus oportet te vas electionis Beati Pauli Apostoli imitari, præcepta ac vestigia sequi: (*z*) *Subtrahe te ab omni fratre ambulante inordinate.* Et constans esto. (*a*) *Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Potius nempe si doctrinam Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ secutus fueris, non timebis mala, quia fortissimus auctor ac ejus fundator Beatus Petrus, claviger regni Cœlorum, tecum est usque in finem, Domino pollicente: (*b*) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Nulla quippe hebetudo, aut quælibet ambiguitas ascendat in
B suavissimam, sacramque mentem tuam, eo quòd (*c*) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Et iterum: (*d*) *Sancti per Fidem vicerunt regna &c.*

(*e*) Porrò in ipsis referebatur apicibus tuis, qualiter vobis nimis intentio est de sexta feria, & Sabbato, quòd istos duos dies dicimus jejunio mancipandos. Nequaquam hæreticorum hominum ignaviam, atque impiam perversamque amentiam, inanesque ac mendaces sequere fabulas, sed magis doctorum nostrorum Sanctorum Patrum, sicut nobis intimant, videlicet Beati Silvestri, atque Innocentii Papæ, pariterque almi Hieronymi,
C seu Isidori divinos sermones annectè, & ex nostra Apostolica olitana regula (*f*) Sabbato jejunare firmiter atque procul dubio tenens, tua non desinat Sanctitas. Si enim à regia non vis discedere via, prædictorum Sanctorum Patrum censuram non deseras, & Beati Augustini opuscula legere non prætermittas, ubi egregium prædicatorem atque Doctorem suum Sanctum Ambrosium meminit pro jejunio Sabbati Sanctam Catholicam & Apostolicam nostram Romanam nimis laudasse Ecclesiam; & quia gerente Spiritu Sancto, nullis tentationibus superari tuam almitatem conjicimus, eas, quas superius polliciti sumus, liquida exarationis pagina instituemus series.

D (*g*) *Item exemplar Epistolæ Adriani Papæ ad Egilam Episcopum, seu Johannem Presbyterum, de eorum sacratione, vel constantia in partibus Spaniæ prædicandum, & de Paschali festivitate, & de prædestinatione hominis, sive ad bonum sive ad malum, & de coinquinatione eorum tam in escis, (h) quamque in potu, seu & de diversis erroribus, & de eorum Pseudo Sacerdotibus, qui vivente viro sortiuntur uxores, & de libertate arbitrii, vel multis aliis capitulis in partibus illis contra fidem Catholicam ortis.*

(Epistola ordine XCVI.)

E ADrianus *Episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo nobis Egilæ Episcopo, seu Johan-*

(*p*) *Lambecius*: clementiam pro vobis quæsumus, ut Regni
(*q*) *Gretserus*: pro *Hispaniæ*.
(*r*) *Idem*: Baronius ibidem post Summarium XLIV. ut & Centuriatores.
(*s*) *Lambecius*: Dudum à præcipua gnaraque dilectione tua ad Sedem Apostolicam, quæ est caput totius Mundi, & omnium Dei Ecclesiarum, directos.
(*t*) *Idem*: suscepimus, & ad ea, quæ ejus.
(*u*) *Gretserus*; vetusto.
(*x*) *Lambecius*; adimpleri prorsus nituimus.

(*y*) *Gretserus*: Ezechielis Cap. 3.
(*z*) *Idem*: Thessalonicens. Cap. 3.
(*a*) *Idem*: Ad Romanos Cap. 8.
(*b*) *Idem*: Matthæi Cap. ultimo.
(*c*) *Idem*: Matthæi Cap. 5.
(*d*) *Idem*: Ad Hebræos Cap. 11.
(*e*) *Lambecius*: Porro quod in ipsis
(*f*) *Idem*: Sabbato jejunando firmiter atque proculdubio tenēs instar celebrari tua nō desinat sanctitas.
(*g*) *Gretserus*: Meminerunt hujus Epistolæ Baronius & Centuriatores.
(*h*) *Lambecius*: quamque in potis.

Johanni Presbytero. Audientes orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquæ fidei, communionisque sinceris traditionibus inhærentes, ut mentem Christianæ d-ditam veritati nullatenus inficerent prævaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum, caritatemque vestram indesinenter laudavimus, quatenus per earum latores, videlicet Saranum Diaconum, & Victorinum Clericum, suscipientes vestræ dilectionis affatus, enucleatius eos referantes, liquidò informati fumus. Et quoniam pro Sedis Apostolicæ principatu, cujus solicitudo delegata divinitus cunctis debetur Ecclesiis, quàm laudabiliter Fidei veritatem noveritis, & quàm solicite Dominico gregi devotionem officii Pastoralis impendatis, (*i*) frater noster VVulcharius Archiepiscopus provinciæ Galliarum, cui & licentiam dedimus de vestris ordinationibus atque auctoritatem dirigere, vos pro orthodoxæ Fidei, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ prædicatione, in partibus Spaniensis provinciæ pro vobis nobis insinuavit, magnisque gaudiis triumphamus, cum ubique terrarum Dominum Sabaoth semen puræ Confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deveniens æstu tentationis exaruit, nec viæ proximum cecidit, vagantibus inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piæ devotionis, (*k*) vestra cœlesti satione dispersum, in tricesimum & sexagesimum fructum, centenariumque proficit, perfectionem scilicet frumenti Dominici mystica locutione designans.

Quapropter exsultantibus animis confidentius incitamus, ut ab omni pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata servetis, quoniam (*l*) *qui perseveraverit in finem, hic salvus erit*. (*m*) *Dominus prope est. Nihil solliciti sitis*. Siquidem major est, qui in nobis est, quàm qui in hoc Mundo, regnumque Domini intra nos esse, Scriptura testante sit certum. Quamvis ergo magna locorum intervalla nos dividant, si in unitate Fidei nostræ perseveraveritis, vobiscum sumus. Tantùm, ut sit, auxiliante Domino, constantia perseverans: dicente Apostolo; (*n*) *Vobis enim datum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini*. Ad quam fortitudinem sanctarum mentium roborandam, dilectionem vestram jam fatus sanctissimus Archiepiscopus (*o*) nos (*p*) illi licentiam cedentes, pro Apostolicæ Fidei amore direxit, quibus meritò persistentes integritate ornari usque ad coronam bravii, exoptare non dubitamini.

Ferebatur siquidem in ipsis vestris apicibus, quòd multi in partibus illis in insipientiam, atque cordis dementiam devoluti, nostræ relationis, atque admonitionis seriem, secundùm venerandi Nicæni Concilii institutionem de Paschali festivitate editam, contemnere audent. (*q*) *Quod si* (*r*) *Plenilunium, quartodecimo scilicet die Lunæ, sanctum Pascha minime sit celebratum, sed prætermisso eodem quintodecimo die in alio sequentis septimanæ Dominico, quod est vicesimo secundo Lunæ die, Paschalis festi gaudia pronunciantur celebranda*. Quod si interius mente perpenditur magni ac venerandi Nicæni Concilii trecentorum decem & octo sanctorum Patrum simul convenientium promulgata Paschalium festivitatum ratio, proculdubio omnis error, omnisque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur. Sed dum plerique propria commenta, ut acuti, perspicaces, & mundanæ scientiæ gnari, spiritalis verò eruditionis ignari, vendicare desudant, olitanam Patrum traditionem desidiosa ignavia prætereunt, (*s*) & vera mendacio obumbrare inhiant.

In eodem quippe magno Nicæno Concilio decennovennali Cyclo Patrum confirmato sententia, ita inter cetera ibidem fertur promulgatum: quòd non amplius quàm usque ad vicesimam primam Lunæ diem, hujus sacræ festivitatis solemnia dilatentur. Quam Paschæ rationem & Antiochenum demum venerandum corroborans Concilium, inter reliqua, ita inibi, in primo scilicet Capitulo, constat exaratum: *Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem Sancti & magni Nicæni Concilii, congregati sub præsentia piissimi & venerandissimi Principis Constantini, de salutifera Sancti Paschæ solemnitate, excommunicandos, & ab Ecclesia esse abjiciendos censemus*. Etsi tamen contentiosius adversùs ea, quæ bene sunt statuta, perstiterunt, (*t*) atrocioribus porro summissuros interdictionibus censuerunt. Nam & beatissimus Dionysius in ea, quam de ratione Paschæ promit, Epistola, ita ait: (*u*) *A duodecimo Kalendarum Aprilium die, cunctorum Orientalium sententia, Æquinoctii cursus vernalis consequatur decreverunt, maxime Ægyptiorum peritiam, qui, ut hujus calculationis gnari doctique sunt, inquirendam specialiter adnotatur*, (*x*) *in quo etiam si Luna quartadecima celebrandum Pascha, sancta Synodus Nicæna sine ambiguitate firmavit*.

Attendite, dilectissimi nobis, & illud, quod Beatus Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul prædecessori nostro beatissimo Leoni Papæ, ob piæ memoriæ Marciani Principis jussum

(*i*) *Idem*: frater noster VVilcharius.
(*k*) *Idem*: devotionis vestræ cœlesti satione.
(*l*) *Gretserus*: Matthæi Cap. 24.
(*m*) *Idem*: Ad Philippenses Cap. 4.
(*n*) *Idem*: Ad Philippenses Cap. 1.
(*o*) *Idem*: ad nos.
(*p*) *Lambecius*: nobis illi licentiam cedentibus, pro.
(*q*) *Idem*: *Quod, si Plenilunium quartodecimo scilicet die Lunæ Sabbato contigerit, alio die Dominico, videlicet quintodecimo Lunæ die, Sanctum Pascha minime celebretur, sed prætermisso eodem quintodecimo die, in alio sequentis Septimanæ Dominico, qui est vicesimo secundo Lunæ, die Paschalis festi gaudia pronuntiant celebranda*:
(*r*) *Gretserus*: Locus corruptus: Quorumdam in Hispaniis hæc erat sententia, ut si Plenilunium existeret die Sabbati, atque adeo quartadecima Luna Sabbatum esset, Pascha non celebraretur sequenti quintadecima die, licèt esset Dominica, sed differretur in vigesimam secundam diem. Hanc opinionem oppugnat Pontifex, eamque Synodo Nicænæ adversari ostendit. Hæc tamen ex sequenti Epistola, ubi de eodem argumento iterum differitur, corrigere licebit. Peccavit enim Librarius omissione quorumdam.
(*s*) *Lambecius*: & vera mendaciis obumbrare inhiant.
(*t*) *Idem*: atrocioribus fore summissuros.
(*u*) *Idem*: *Cum à duodecimo Kalendarum Aprilium die cunctorum Orientalium sententia Æquinoctii cursus vernalis consequatur, decreverunt, Festum Paschale non nisi post illum diem celebrandum, & maxime Ægyptiorum peritiam, qui hujus calculationis gnari, doctique sunt, inquirendam esse. Ibidem quoque specialiter adnotatur, quod si Luna quartadecima Sabbato contingat, sequenti Dominico, Luua quintadecima, celebrandum sit Pascha: quod etiam Sancta Synodus Nicæna sine ambiguitate firmavit*.
(*x*) *Gretserus*: Hæc corrigi possunt ex sequenti Epistola.

jussum direxit. Post plurima enim ita ait: (*y*) *Olim quippe Dominus per Moysen significans dicit:* (*z*) *Mensis iste vobis initium mensium, primus erit in mensibus anni; & facies Pascha Domino Deo tuo, quartadecima die mensis primi.* Et post pauca subjungit, dicens: *Si quando in die Dominico quartadecima* (*a*) *Luna reperta, in sequenti septimana est dilatanda festivitas, sicut & veteres Patres nostri fecerunt, quartas decimas* (*b*) *Lunas occurrentes in aliam Dominicam transferentes.*

Unde constet, dilectissimi, non amplius hujus venerandæ festivitatis solemnitatem (*c*) differri, quàm usque in vicesimam primam Lunæ diem, jure observantes hebdomadæ dierum numerum, dum Solaris cursus à Lunæ cursu omnino discordat. Quoniam in sex quidem diebus creator omnium Dominus æthereum firmamentum, omnemque ejus (*d*) ornatum, rutilantia æquoris, atque telluris gignentia, ac elementorum materiam, & cunctorum reptilium animantia patravit, (*e*) & postrema è limo hominem finxit feria, & in septimo die requievit ab omni opere, quod patrarat. His nempe septem diebus à quartodecimo Lunæ die, quod est Plenilunium, si Dominica tamen occurrerit, in alia Dominica, quæ est prima & sancta dies, pro eo quòd non oportet in ea jejunare, intermissis, in alia Dominica, quæ est sancta & prima dies vicesima prima Luna, rationis ordo exigit à Christianis Sanctum Pascha celebrandum. Nam si Sabbato quartadecima Luna advenerit, non est intermittenda subsequens Dominica, quintadecima videlicet Lunæ dies, venerantes eamdem Dominicam, quæ est prima Sabbatorum dies, in qua lux, jubente Deo, in ipso Mundi exordio prodiit, in qua & vera lux Salvator noster ab inferis carne resurrexit. Nam si octo dies à quartadecima Lunæ die, quando jejunium solvitur, intermittuntur, (*f*) ut in vicesima secunda die Lunæ Paschalis festivitas dilatetur, ergo jam non est septimana, idest hebdomada, sed ogdoada, ut stolidi quique, (*g*) & vecordes definiunt, dicenda atque observanda est. Intuendum quippe & illud ratio suadet, quod septem hebdomadæ, & non octo, intermittuntur à Paschali Festivitate, usque ad Sanctam Pentecostem, in qua paraclytum Spiritum à Patre Redemtor noster Dei vivi Filius, post gloriosam Resurrectionem suam, Sanctis suis Apostolis misit. Pro quo (*h*) regia gradimur via, & non declinabimus penitus (*i*) per tortuosum & dumis ac tribulis repletum callem. Pergant per eam hi, qui cupiunt nova figmenta, & scelerum monumenta componere, ut meritò spinæ & tribuli generentur eis.

Jam quidem dudum decessores & prædecessores nostri Sancti Pontifices pro hac quæstio-
A ne, simulque hæresi, (*k*) illis (*l*) compatribus monitorium atque adhortationem dirigentes, congruis Epistolis Beati Cyrilli, atque Theophili, nec non & aliorum Sanctorum Patrum, quas denumerare longum est, promulgantes docuerunt, quas vestræ dilectioni gnaras esse dubium non est. Pro quo non silemus, carissimi, impensius commonere, ut à falsis fratribus caveatis, & in eo modo, quo Sancta nostra Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, Paschalem celebrat solemnitatem, & vos proculdubio celebrare studeatis; ut sicut pares nos Christianorum Fidei religio efficit, æquales nimirum in Festivitatibus efficiat.

B Insinuavit dilectio vestra & hoc, quòd quidam pollicentes, atque in errore perseverantes prædicant, ut qui non ederit pecudum aut suillum sanguinem, & suffocatum; rudis est aut ineruditus. Nos quidem Apostolicis præceptis imbuti atque eruditi, confirmantes prædicamus, quòd si quis pecudum, aut suillum sanguinem, vel suffocatum manducaverit, non solùm eruditionis totius alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus extraneus, sub anathematis vinculo obligatus in laqueos incidat diaboli.

(*m*) Illud autem, quod alii ex ipsis dicunt, quòd Prædestinatio ad vitam, sive ad mortem, in Dei sit potestate. (*n*) Alii iterum
C dicunt; *ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate, quasi libertate arbitrii?* Revera enim nullam rationem reddere vel accipere valent, ignorantes Beati Fulgentii Episcopi ad Eugippium Presbyterum (*o*) contra sermones cujusdam Pelagiani opuscula directa, quibus infra, multa idem Pater docens hæc verba subjungit: *Illi autem dum pro se gratiam solùm reprehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcaverunt,* (*p*) *qui alios ad vitam, alios ad mortem asserunt destinatos, adverte, quibus se impietatis nexibus ligant. Si ad bonum prædestinatus sum, contra malum resistere necesse mihi non erit. Si verò ad malum natus, bonum
D mihi exercere nihil proderit. Ac sic in utraque parte intercluso appetitu laudis & gloriæ, unus securitate, alius desperatione* (*q*) *torpescit: ac per hæc otiabitur omnis justitiæ exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non ita est, quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit: Sine intermissione orate, ne intretis in tentationem. Nihilominus contra omne peccatum non solùm oratione, sed etiam labore luctemur: quia ipse Dominus præsenti lectione testatus est, quia unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Hæc verba, quibus Auctor sermonis illius veritatem prædestinationis nititur oppugnare, inconsiderate atque indiscrete prolata, Deo nos adjuvante,
E* (*r*) *monstramus*, &c.

Et

(*y*) *Lambecius: Olim quippe Dominus per Moysen tempus Paschale significans, dicit:*
(*z*) *Gretserus:* Exodi Cap. 12.
(*a*) *Lambecius: Luna* reperta est, in sequentem Septimanam est dilatanda.
(*b*) *Idem: Lunas, die Dominico occurrentes, in aliam transferentes.*
(*c*) *Idem:* differri fas esse, quàm usque.
(*d*) *Idem:* ornatum rutilantem.
(*e*) *Idem:* & postremum è limo hominem finxit arvæ, & in septimo.
(*f*) *Idem:* ut in vicesimam secundam diem Lunæ.
(*g*) *Idem:* & vecordes profanizant.
(*h*) *Idem:* regia gradiemur via.
(*i*) *Idem:* per tortuosam & dumis ac tribulis repletam callem.
(*k*) *Idem:* illis partibus monitorium.
(*l*) *Gretserus:* compartibus.
(*m*) *Idem: Hac omnia reperies quoque in Epistola sequenti.*
(*n*) *Lambecius:* & non nostra, isti dicunt: *Ut quid conamur vivere, quod in Dei est potestate?* alii iterum dicunt: *Ut quid rogamus Deum,*
(*o*) *Idem:* contra sermonem.
(*p*) *Idem:* quia alios ad vitam.
(*q*) *Idem:* torpebit.
(*r*) *Idem: monstramus.* Et post cetera.

A Et post cetera: *Opera ergo misericordiæ ac justitiæ suæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futurorum operum suorum numquam fuit ignarus, sic in eorumdem operum præparatione numquam improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita. Præparavit iisdem glorificandis & præmia: malis verò non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit eis justa & æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam, sicut nobis Apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus. Beatus enim Paulus prædestinationem eorum, quos Dominus gratis salvat, & evidenter & frequenter insinuat. Ipse enim dicit de Deo:* (*s*) Nam quos præscivit & B prædestinavit, conformes fieri imaginis filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Et post*: Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. *Non utique alios, sed quos prædestinavit, hos vocavit, hos justificavit. Nihil incertum in Dei operibus nutat, quia nihil suæ prædestinationis evacuat. Prædestinationis igitur suæ opera vocatione Deus inchoat, glorificatione consummat. Non tamen in omnibus, quos vocavit, sed quos secundùm propositum vocat.* (*t*) Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt. C

Item post multa: *Teneatur ergo prædestinationis veritas à fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac prædestinatione consilium, non pervenit ad gloriosum ejusdem prædestinationis effectum. Quisquis autem non est prædestinatus ad gloriam, invenitur sine dubio præscitus ad pœnam, quæ ideo in Dei nomine præparatione prædestinata cognoscitur, ut per eam infidelitas, atque iniquitas puniatur. Propter quod Beatus Judas Apostolus quosdam destinatos dicit in judicium his verbis:* (*u*) Subintroierunt enim quidam homines impii, qui olim præscripti & prædestinati erant in hoc judicium Dei nostri. *Vigilanter autem in doctrina Spiritus Sancti, prædestinatos impios non dicit* D *ad peccatum, sed ad judicium, non ad impietatem, sed ad punitionem. Non enim prædestinati sunt ad hoc, quod vitiosas impietates admittunt, sed ad illud, quod judicio æquitatis divinæ recipiunt. Ipsorum enim opus est, quod impie faciunt; Dei autem opus est, quod juste recipiunt.*

Item post cetera: *Proinde quod Auctor illius sermonis subsequenter adjunxit dicens: Quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit:* (*x*) Sine intermissione orate ne intretis in tentationem. Et post: *Nihilominus contra omne peccatum non solùm oratione, sed etiam labore luctemur.* Et iterum: *Sic laborantes vocat Dominus dicens:* (*y*) Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego E vos reficiam. *Sed nos à Deo humiliter gratiam poscamus, quam collaborantem jugiter habeamus, per quam nos Deus & in labore custodiat, & ad mercedem peracto labore perducat.*

(*s*) *Gretserus*: Epistol. ad Romanos Cap. 8. v. 29. & 30.
(*t*) *Muratorius*: Ibidem vers. 28.
(*u*) *Idem*: Epistola Judæ Apostoli vers. 4.
(*x*) *Gretserus*: Matthæi Cap. 26.
(*y*) *Idem*: Matthæi Cap. 11.
(*z*) *Lambecius*: Catholicos se esse, communem.
(*a*) *Idem*: quàmque in potis, seu.
(*b*) *Idem*: ipse enim.

Porro, dilectissimi, diversa capitula, quæ nobis innotuistis, ideſt, quod multi dicentes (*z*) Catholicos se, communem vitam gerentes cum Judæis, & non baptizatis Paganis, tam in escis (*a*) quàmque in potu, seu & diversis erroribus, nihil pollui se inquiunt: & illud, quod inhibitum est, ut nulli liceat jugum ducere cum infidelibus, (*b*) ipsi enim filias suas cum alio (*c*) benedicant, & sic Populo gentili tradentur, & quod sine examinatione præfati Presbyteri ut præsint ordinantur. Et alius quoque immanis invaluit error & perniciosus, ut etiam vivente viro, mulieres in connubio sibi sortiantur ipsi Pseudosacerdotes, simulque & de libertate arbitrii, & alia multa, sicut fati estis, quæ longum est dicere. (*d*) Quid multis vobis hæresum singula scribam? quia olim tempus est, quod Priscilliani dogmatis impleverunt. Quapropter, dilectissimi, oportet vestram industriam sollertissime vigilare, & sicut decet Domini Sacerdotes, (*e*) nullos vos Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libito licentia Populis permissa frangatur? Unde constat, ut si quis de prædictis Capitulis obnoxius reperietur, profectò is regulariter consortio fidelium Dei, ut potè corruptor (*f*) Patrum traditionum, extorris efficiatur, & in æterna condemnatione inveniatur.

Cavendum ergo dilectioni vestræ est, magnâque diligentiâ prohibendum, ne per hujusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de exciso olim dogmate aliquid in provincia ejusdem mali germen oriatur, quod non solùm in radicibus suis crescat, sed etiam Sanctæ (*g*) Ecclesiæ subolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo vobis probent se esse nostros, quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectaverit, sive ille Clericus, sive Laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti insidietur alienæ. Et sicut per nos, seu almum Archiepiscopum, in prædicatione orthodoxæ Fidei directi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ob amorem Beati Petri Principis Apostolorum concordes prædicate, ut sicut unus est pastor noster Christus, Dei vivus filius, omnes simul in uno ejus efficiamur aggregati ovili: & quemadmodum unius capitis sumus membra, unum efficiamur corpus in Christo Jesu domino nostro: promerentes ejus, quam Sanctis suis contulit cultoribus, qui ejus præcepta custodiunt, & ab initio Mundi divinæ ejus placuerunt Majestati, desiderabilem promissionem, quam ait: (*h*) *Venite benedicti Patris mei: percipite regnum vobis præparatum ab origine Mundi.*

Item

(*c*) *Idem*: benedicet.
(*d*) *Idem*: Quid multa vobis hæresum per singula scribere?
(*e*) *Idem*: nulli vestrum liceat Canones ignorare,
(*f*) *Idem*: traditionum Patrum.
(*g*) *Idem*: Ecclesiæ sobolem.
(*h*) *Gretserus*: Matthæi Cap. 25.

Item exemplar Epistolæ Adriani Papæ, directæ omnibus Episcopis per universam Spaniam commorantibus, maxime tamen Eliphando, vel Ascarico cum eorum consentaneis, pro hæresi vel blasphemia, quòd Filium Dei adoptivum nominant, cum multis capitulis Sanctorum Patrum eos reprehendens. Neç non & de Paschali festivitate, seu & de sanguine pecudum & suillo, & sanguine suffocato, quem in errore prædicantes dicunt: ut qui ea non ederit, rudis & ineruditus est, quos sub anathematis vinculo obligatos, & ab Ecclesia extraneos dicit. Similiter & de prædestinatione Dei, quod si quis ad bonum prædestinatus esset contra malum resistere, necesse illi non erat, si verò (i) ad malum (k) notus, bonum illi exercere nihil proderit. Pro quo Capitulo Apostolicis adhortationibus eos castigans, nec non & de hoc, quia communem vitam cum Judæis, & non baptizatis Paganis, tam in escis, (l) quàm in potu, seu & in diversis erroribus (m) nihil pollui se inquiunt, nec non & de filiabus eorum, quas Populo gentili tradunt; vel de sacrationibus eorum, seu & de mulieribus, quæ vivente viro sibi maritum sortiuntur; simulque & de libertate arbitrii, vel aliis multis, quæ enumerare longum est, eos castigans cum Sanctorum Patrum traditionibus.

(*Epistola ordine XCVII.*)

(n) ADrianus (o) *Papa Episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis nobis omnibus orthodoxis Episcopis per universam Spaniam commorantibus*. Institutio universalis nascentis Ecclesiæ Beati Petri sumsit honore principium, in quo regimen ejus & summa consistit; ex ejus enim Ecclesiastica disciplina, per omnes Ecclesias religionis (p) jam crescente cultura fonte manavit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeo ut non aliquid super eam ausa sit constituere, quum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo Ecclesiis toto Orbe diffusis velut caput suorum certum esse membrorum, à qua si quis se abscidit, fit Christianæ Religionis extorris, quum in eadem non cœperit esse compage. Audivimus quippe, quod quidam Episcoporum in partibus vestris degentes, Apostolicæ Sedis doctrinam contemnentes, (q) contra orthodoxam Fidei traditionem novas introducere nituntur hæreses, prætermittentes vasis electionis Beati Pauli Apostoli sententiam, quæ ait: (r) *Si quis vobis evangelizaverit*, (s) *præter quod evangelizatum habuistis, anathema sit*. Quapropter exsultantibus animis confidentius orthodoxam Fidem vestram incitamus, ut ab omni pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata servetis, & rectæ Fidei doctrinam, quam à Sancta nostra Catholica & Apostolica

A Sede olim prædecessores vestri a sanctis nostris prædecessoribus susceperunt, usque (t) in finem defendere, atque observare nihilominus satagatis. (u) *Quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*.

Quamvis ergo magna locorum intervalla nos dividant, si in unitate Fidei nostræ perseveraveritis, vobiscum sumus, tantùm ut fit, auxiliante Domino, constantia perseverans, dicente Apostolo: (x) *Vobis enim datum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini*. Dudum verò, quòd (y) Vulcharius Archiepiscopus Galliarum suggessit nobis pro quodam Egila, ut eum Episcopum consecraret, valde nimis-
B que eum in Fide Catholica, & in moribus atque actibus laudans, ut consecratum vestris partibus emitteret ad prædicandum: nos verò prædicti Vulcharii Archiepiscopi petitioni credentes, consuetam illi licentiam tribuimus; ut canonice eum examinaret, quatenus si post discussionem, & veram examinationem, rectum & Catholicum eum invenisset, Episcopum ordinaret, & nullam quamlibet alienam Sedem ambiret, vel usurparet, sed solummodo animarum lucra Deo offerret: Qui una cum Johanne Presbytero (z) in partibus vestris veniens, quod pejus est, ut ejus fama in auribus nostris sonuit, non recte ille Egila prædicat, sed errores quosdam
C Mingentii magistri sui sequens, extra Catholicam disciplinam, ut fertur, conatur docere, & alia plura capitula, quæ absque norma Ecclesiastica (a) aliis suadere videtur. Quod si ita est, vestra fidelissima dilectio, quæ normam & disciplinam Sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ consequitur, nullo modo eorum insaniam credere vel sequi studeat. Quia proculdubio (b) minime nos credimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ignorare disciplinam, sed potius admonentes, ad veram & orthodoxam Fidem eos reducere studeatis. Porro & de partibus vestris pervenit ad nos lugubre capitulum, quòd quidam Episcopi ibidem degentes, videlicet Eliphandus &
D Ascaricus, cum aliis eorum consentaneis, Filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt, (c) quòd nullus è qualibet hæresi antea talem blasphemiam ausus est oblatrare, nisi perfidus ille Nestoricus, qui purum hominem Dei confessus est Filium. Quapropter nullo modo eorum serpentinum venenum in qualibet parte vestram subripiat vel coinquinet dilectionem. Sed Sanctorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli divinam tenentes confessionem, atque eorum Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ sequentes traditionem, pariterque præcipuorum ac Catholicorum probabilium Patrum dogmata amplectentes, firmi & stabiles, atque immo-
E biles & inconcussi, una nobiscum in eorum luculenta traditione perseverare irrefragabiliter & incunctanter nitimini. In primis confessionem Beati Petri Principis Apostolorum, atque

(i) *Lambecius*: ad malum natus.
(k) *Gretserus*: natus, *vel* prædestinatus.
(l) *Lambecius*: quàm in potis.
(m) *Gretserus*: *videtur deesse* agunt, *vel ducunt*,
(n) *Idem*: Meminerunt Epistolæ hujus Baronius & Centuriatores.
(o) *Lambecius*: Hadrianus Episcopus, servus.
(p) *Idem*: jam crescentis cultura.
(q) *Idem*: contra Romanam & Orthodoxam.
(r) *Gretserus*: Ad Galatas Cap. 1.
(s) *Lambecius*: præter quam quod.
(t) *Idem*: in finem defensare.
(u) *Gretserus*: Matthæi Cap. 10. & 24.
(x) *Idem*: Ad Philippenses Cap. 1.
(y) *Lambecius*: VVilcharius: *ita semper*.
(z) *Idem*: partibus vestris veniens.
(a) *Idem*: alios suadere videtur.
(b) *Idem*: minime vos credimns.
(c) *Idem*: quòd nullus quamlibet Hæresiarcha talem blasphemiam ausus est oblatrare,

atque clavigeri regni cœlorum tenentes, qui ait: (d) *Tu es Christus, Filius Dei vivi*. Deinde vas electionis Beati Pauli Apostoli (e) subposterium Fidei, qui inquit: (f) *Proprio filio suo non pepercit Deus; sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Et si ipsi Principes Apostolorum Filium Dei vivi & proprium confessi sunt, quomodo oblatrantes autumant hæretici, Filium Dei adoptivum dicere, quo solo audito, omnis Christianus gemens pavescit? Unde Beatus Athanasius Alexandrinus Episcopus, antiquus & egregius prædicator, de divina Incarnatione Verbi, consonante Sancta prima Synodo, quæ in Nicæa, infra cetera ait: Si quis verò adversùs di-
„ vinam Scripturam dicet, alium dicens,
„ Filium Dei, & alium, qui ex Maria (g)
„ hominem secundùm gratiam, & si quis Do-
„ mini nostri carnem de sursum dixit, & non
„ ex Virgine Maria, aut immutatam Deita-
„ tem in carne, & confusam, aut alienatam,
„ aut passibilem Domini Deitatem, aut inado-
„ ratam Domini carnem, sicut Hominis &
„ Dei carnem, hunc anathematizat Catholi-
„ ca & Apostolica Ecclesia: consentiente di-
„ vino Apostolo, & dicente: (h) *Si quis*
„ *vobis evangelizaverit præter quod suscepistis*,
„ *anathema sit*.

Sed & Beatus Gregorius Nazianzenus, qui & Deiloquus, scribens ad Cledonium (i) infra cetera inquit: *Si quis duos introducit Filios, unum quidem, qui ex Deo & Patre, secundum verò, qui ex Matre, & non unum & eumdem, is adoptione excidat, quæ promissa est his, qui rectè credunt. Naturæ verò duæ, Deus & Homo, ut & Anima & Corpus. Filii verò non duo, neque Dii. Neque enim heic duo Homines: quamvis Paulus quod interius hominis & exterius appellavit.* (k) *Si oportet continuò dicit alium & alium, ex quibus Salvator, sive non quod & ipsum invisibilem visibili & sine tempore, quæ sub tempore, non alius & alius absit, utraque unum verò.* Et infra: *Si quis ex operibus perfectum, aut post Baptisma, aut post ex mortuis resurrectionem adoptionem dignus est dicit, sicut quos Pagani* (l) *præscriptos introducunt, anathema sit*.

Unde præcipuus Amphilochius Iconii Episcopus in sermone suo in Sancta Epiphania nos docuit: *Nunc in Spiritu Sancto propter adoptionis gratiam. Impossibile enim, te accipere auctoritatem* (m) *adoptionis, & clamare, Abba Pater, nisi signante adoptionis Spiritu*. Et post pauca: *Nisi ille passus fuisset servi forma, nullo modo tu gloriam adoptionis* (n) *lucrareris*. Et post modicum. *Diligite imperiale donum; capite adoptionis dignitatem*. Sed & Beatus Gregorius Nyssenus Episcopus super Matthæum (o) disponens, ita ait: *Si verò pacificus es, adoptionis gratia coronaris*.

A Quatenus & Beatus Johannes Constantinopolitanus Episcopus, qui & Chrysostomus, ad Neophytos scribens, instruit: *Benedictus Deus, iterum dicamus, qui facit mirabilia solus, qui facit universa, & convertit universa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur ante captivi, & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerant in peregrinationis errore. Et justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim sunt tantùm liberi, sed & Sancti: non tantùm Sancti, sed & justi; non solùm justi, sed & filii: nec solùm filii, sed hæredes; non solùm hæredes, sed & fratres Christi: nec tantùm fratres Christi, sed cohæredes; non tantùm cohæredes, sed & membra:*
B *non membra tantùm, sed & templum; nec tantùm templum, sed & organa Spiritus. Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Vides quot sunt Baptismatis largitates; sed multis quidem videtur cœlestis gratia, in peccatorum remissione tantùm consistere. Nos autem honores computavimus decem*. Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ne sint coinquinati peccato, (p) ut eis detur justitiæ adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut spiritus inhabitatio fiant.

Item idem ipse super Johannem Evangelistam docuit: *Non enim inutilis fias erga beneficium, neque contrariis retribue, qui tibi fontem beatitudinis donavit. Ubi enim adoptionis*
C *dignitas, ibi malorum amputatio, & bonorum omnium datum*. (q) Idem ipse Psalmis, factum est istud, & hoc est mirabile in oculis nostris, ut nos qui ante passionem Domini sine testamento eramus & lege, adoptaremur in filios Dei.

Ecce, dilectissimi nobis, qualiter Sancti Patres Orientales docuerunt, inter dona charismatum adoptionem esse, & nobis omnibus, qui in peccatis nati sumus, & iterum per Baptismum renati à Domino nostro Jesu Christo filio Dei unigenito concessam. Unde & Beatus Augustinus egregius doctor in sermone de Natali Domini inquit: *Audite filii lucis adoptati in regnum Dei*. Et ite-
D rum in explanatione Sancti Evangelii super Johannem pro hoc manifeste docuit: *Quotquot autem receperunt eum. Quid eis præstitit? Magnam benevolentiam, magnam misericordiam, Unicus natus est, & noluit manere unus. Multi homines quum filios non habuerunt, peracta ætate, adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est. Et non habebit, qui cum eo dividat hæreditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus, unicum eumdem ipsum, quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, misit in hunc Mundum, ut non esset unus, sed fratres*
E *habe-*

(d) *Gretserus*: Matthæi Cap. 16.
(e) *Idem*: *Mendosus locus, nisi* subposterium *sit fundamentum, vel suppositum*.
(f) *Idem*: Ad Romanos Cap. 8.
(g) *Lambecius*: hominem secundùm gratiam adoptatum, sicut vos, quatenus esse duos filios, unum secundùm naturam Filium Dei, qui ex Deo, & unum secundùm gratiam, qui ex Maria, hominem: & si quis Domini nostri carnem de surso dixit, & non ex Virgine Maria, aut mutatam Deitatem in carne,
(h) *Gretserus*: Ad Galatas Cap. 1.
(i) *Idem*: *forte* intra, *vel* inter. *S. Gregorius Nazianzenus Oratione 51. Editionis novæ Parisiensis*.
(k) *Lambecius*: *Sed oportet quidem continue dici aliud & aliud, ex quibus Salvator (sive non quod & ipsum invisibile & visibile, & quod sine tempore idem & quod sub tempore) non tamen alius & alius. Absit: utraque vero unum*. Et infra: *Si quis ex operibus perfectis, aut post baptisma, aut post ex mortuis resurrectionem adoptione dignatum esse dicit, sicut quos Pagani Adscriptos introducunt, anathema sit*.
(l) *Gretserus*: ascriptitios.
(m) *Lambecius*: adoptionis, acclamare
(n) *Idem*: lucrares.
(o) *Gretserus*: differens.
(p) *Lambecius*: ut eis detur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas,
(q) *Idem*: Idem ipse in Psalmis:

haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit Unigenitus solvere peccatum &c. Item in alio sermone ejusdem Libri: *Nullo modo autem possunt dicere, habere se caritatem, qui dividunt unitatem.* His dictis subsequentia videamus: *Perhibuit Johannes testimonium, quia vidit. Quale testimonium perhibuit? Quia ipse est filius Dei. Oportebat ergo, ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici; unicus habet potestatem, adoptet in ministerium. Licèt baptizet minister, non pertinens ad numerum fratrum, quia male vivit, & male agit, quid nos consolatur? Hic est, qui baptizat*, &c.

Idem in alio sermone: *Nos enim de Gentibus venimus. De Gentibus autem non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitaret filios Abrahæ. Facti sumus filii Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando* (r) *exhæreditati, sic nos imitando adoptati.* Et infra idem in alio sermone: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus. Adjecit*, omnia dedit in manu ejus, *ut nosses & hic, qua distinctione dictum sit*: (s) *Pater diligit Filium. Quare ergo* (t) *Pater non diligit Johannem? Et tamen non omnia dedit in manu ejus. Pater non diligit Paulum? Et tamen non omnia dedit in manu ejus. Pater diligit Filium, sed quomodo Pater Filium, non quomodo Dominus servum, quomodo unicum, non quomodo adoptatum.*

Pariter Beati Hilarii Pictaviensis Episcopi super Matthæum inquit expositio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur: Pacificorum beatitudo, adoptionis est merces, ut filii Dei maneant. Parens enim omnium Deus unus est. Neque enim aliter transire in nuncupationem familiæ ejus licebit, nisi oblivione earum rerum adsumta, quibus possumus* (u) *offendi, fraterna invicem caritatis pace vivamus.* Sed & Beatus Leo egregius Papa, atque præcipuus doctor ex sermone (x) Sanctæ Epiphaniæ ita nos docuit: (y) *Unde quod illustres viri, universarum Gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti, hoc in Populis suis per Fidem, quæ justificat impios, totus Mundus adsequitur, & hæreditatem Dei ante secula præparatam accipiunt adoptivi, & perdunt qui videbantur esse legitimi.* Et post cetera ex ipso sermone: *Illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est. Qui nobis nullis operum meritis suffragantibus sacramento consuluit & exemplo, ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem.* Item ex ejusdem Beatissimi Leonis Pontificis sermone de Passione Domini: *Nos autem, dilectissimi, qui ab ignorantiæ tenebris libertati Fidei lumen accepimus, & in novi Testamenti hæreditatem per electionem adoptionis intravimus festivitate, quam Israël carnalis perdidit, gaudeamus.* Item alius sermo ejusdem de Pentecoste: *Nos autem, dilectissimi, ad beatam hæreditatem & animæ & car-*

(r) *Idem*: exhereditati sunt, sic nos.
(s) *Gretserus*: Johannis Cap. 3.
(t) *Lambecius*: *Pater diligit Johannem, & tamen non omnia dedit in manu ejus? Quomodo Pater diligit Paulum, & tamen.*
(u) *Idem*: offendi, ne fraterna invicem.
(x) *Gretserus*: Sermone V.
(y) *Lambecius*: Unde quod illi tres Viri.

A *nis per regenerationem Sancti Spiritus adoptati, sacratissimum diei istius festum rationabili obsequio celebremus: confidentes cum Beato Paulo Apostolo, quòd Dominus Jesus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, ut Evangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicaretur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.*

Si enim Sanctorum omnium orthodoxorum Patrum, pro hujusmodi opuscula vobis exarassemus, antea Chartæ & Scriptores deficerent, quàm divinus per eorum disputationes cessasset sermo. Sed in his omnibus vestra fidelissima credulitas ad Fidem Catholicam,
B & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, eos, qui in errore positi sunt, redigentes fructum animarum Deo offerre studete, ut nobis vobisque potissimum lucrum adcrescat. Pariterque (z) & hoc pervenit ad nostras Apostolicas aures, quòd multi in partibus illis in insipientiam, atque cordis dementiam devoluti, prædecessorum nostrorum Sanctorum Pontificum, & nostras relationum atque ammonitionum series, secundùm Venerandi Concilii institutionem de Paschali festivitate ita contemnere audent, quòd si Plenilunium quartodecimo scilicet Lunæ die Sabbato contigerit, alio Dominico, videlicet quintodecimo die Pascha Sanctum (a) minimè celebratur, sed prætermisso
C eodem quintodecimo die, in alio sequentis septimanæ Dominico, qui est vicesimo secundo Lunæ die, Paschalis festi gaudia (b) pronunciant celebranda. Quòd si interius mente perpenditur, magni ac Venerandi Nicæni Concilii trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum simul convenientium promulgata Paschalium festivitatum ratio, proculdubio omnis error, omnisque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur. Sed dum plerique propria commenta, ut aucti &c. (c)

EX AMALRICO AUGERIO.

DE LEONE III.

D LEO III. natione Romanus, ex patre Arnulfo fuit natus, & post Adrianum Papam I. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum extitit Papa CII. Anno à Nativitate Domini DCCXCVI., sed secundùm aliam Chronicam dicitur DCCXCVII., & in alia dicitur de DCCXCVIII.

Item quòd iste Leo Papa fuit summè reverendus, & post suam promotionem statim claves Confessionis Sancti Petri Apostoli cum Vexillo Urbis Romanæ Carolo Magno Regi Franciæ transmisit; & postea ipse fecit fieri Porticum Sancti Petri, qui adhuc dicitur Civitas Leonina, & ipsam muro circumsepsit
E propter incursum, & invasionem inimicorum.

Item quòd ipse statuit & ordinavit Letanias, seu Processiones in Urbe Romana fieri per modum, qui sequitur. Et primò videlicet,

(z) *Lambecius*: Et hoc pervenit nostris Apostolicis auribus.
(a) *Idem*: minime sit celebrandum.
(b) *Idem*: pronuntiant celebrandum.
(c) *Muratorius*: *Reliqua, quæ heic omisi, ipsissima sunt ac ea, quæ in præcedenti Epistola habentur usque ad finem ejusdem Epistolæ. Quamobrem ab iisdem repetendis lubens volensque abstineo.*

cet, quòd secundâ Feriâ Summus Pontifex cum omni Clero & Populo ab Ecclesia Dei semper Genitricis Mariæ, quæ ad Præsepe Domini vocatur, cum Hymnis, & Canticis, usque ad Ecclesiam Sancti Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, pergere debeat, & post tertiâ Feriâ fiant hujusmodi Processiones, seu Letaniæ de Ecclesia Sanctæ Sabinæ ad Ecclesiam Beati Pauli Apostoli, & postmodum Feriâ quartâ fieri debeant modo quo supra, de Ecclesia, quæ vocatur Hierusalem, ad Ecclesiam Sancti Laurentii, quæ extra muros vocatur.

Item quòd quum ipse Leo Papa in die Beati Marci Evangelistæ Letanias, seu Processiones, quas ipse constituerat, solemniter celebraret, quidam Romani maligno spiritu imbuti, qui quidem tunc clandestinè stabant bene armati cum suis complicibus, eum ceperunt, & oculos suos, & linguam sibi eruerunt, & amputaverunt, sed postea Deus omnipotens visum, & linguam sibi miraculose restituit, prout ipse hujusmodi membra sana prius consueverat habere.

Item quòd ipse Beatus Leo post multos labores, & sui corporis afflictiones, feliciter ad Dominum migravit, & apud Romanam Urbem in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam XX. annis, V. mensibus, & VI. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tribus diebus, Constantino V. Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE TERTIO LEONE PAPA.

Tertius *huic fastu* Leo *mox succedit & actu:*
Scripturis pollens, animi probitate renidens;
Viribus invictus, lepido sermone disertus,
Mentis honore catus, pietatis, ac munere largus,
Ægrotos refovens, solaminaque apta ministrans.
His renitens opibus, carus Populoque Deoque,
Erigitur propere scandens ad summa Cathedræ.
Hic humilis quoque mansuetis, durusque superbis,
Prodigus abjectis miserendi, justus iniquis,
Ampliat augmentans Cleri Ecclesiæque decorem.
Aurea dona Petro, gemmas, pallasque, coronas
Multiplicans Aulæ, pariter tegumenta reformat,
Luminibus lustrans multis, rutilisque figuris.
Hoc Pauli irradiat, hoc plurima Templa nitore,
Ponderibus fabricisque opus exæquare Patroni, (*d*)
Vel superare studens, numerosa dote laborat.
Non fert invidiam rabidus celare chelydrus. (*e*)
Apparat insidias, laqueos, atque arma ministrans,
Instruit occultas fugato figmine fraudes,
Applicat obsequiis præstructos felle draconis.
Officium præstant, & melle venena colorant.
Inter vota precum, laudisque insignia, diros
Expromunt gladios, sævisque furentibus ursis
In gregis auctorem, plebes sparguntur ovinæ,
Insiliuntque feræ doctoris in arietis ora.
Unguibus insonti pollutis sanguine fervent
Dilaniare sacras truculento pollice malas,

A *Irrupta geminas extinguere fronte lucernas,*
Faucibus eductum sacrorum vellere plectrum.
Nec satis est ori semel injecisse mucronem.
Cruda manus loca muneribus (*f*) *vacuata retentat,*
Plagisque affectum variis, multoque cruore
Respersum rapiunt, tractumq; sub antra retrudunt:
Custodes adhibent laceram defendere prædam.
Verbere tentatum, sed non miseratio summa
Deseruit famulum, Petrus nec sprevit alumnum.
Redditur huic cœlo lumenque refunditur actum,
Reflagransque pares lux intrat mira fenestras,
Elinguis loquitur, redeunt linguæ organa secto.
Insuper accumulat Rector suffragia passo,
Admittitque viros Patrem revocare fideles.
Arcibus atque Petri cernente, loquente relato;
B *Excelsus benedictus agens miracula solus,*
Acclamat Populus, laudans promissa ferentem,
In se fidenti, cui fit lumenque, salusque,
Os & lingua Deus, tutans & numine firmans,
Confortansque virum felicia gaudia dando
Devotis, tremebunda feris discrimina belvis.
Nec sævire tamen scelus aut supplere quiescunt.
Irrepunt domibus, prædis bacchantur & armis.
Providet at Dominus rapto solamina servo:
Spoletique Ducem cuneorum robore septum
Dirigit obsequiis, mirantem munera cœli.
Quæ passum respersa ruunt invisere cives,
Diversique gradus, ætates, vulgus, honores
Urbibus Hesperiæ pr mira tropæa ferentes.
C *Hæc quoque trans Alpes in Gallica rura resignant,*
Stipantes Patrem supero splendore micantem.
Clarificant divina pio magnalia Regi. (*g*)
Qui Proceres genitumque suos præcedere gressus
Legans, ipse celer sequitur fieri obvius alta
Virtutis sacro clarissima dona ferenti.
Undique laus reboat, tonat undique gloria Christo,
Hymnisonis mixtus grates laudesque frequentat
Rex turmis: refluunt lacrymæ per gaudia fusæ.
Magnificatur opus Populis mirabile Christi,
Fertur apostolicum palmæ super æthera culmen,
Et Petri famulus digno celebratur honore.
At furor immitis vacuos tutore per agros
D *Sacrilego luxu grassatur, & ignibus atris:*
Augmentansque malum furtis furit insidiarum,
Fraudibus insequitur pulsum lacerantibus (*h*) *hostem.*
Nec longum sedet almus apex absente (*i*) *duello.*
Hoste quati cæco maculari crimine furvo
Haud patitur. Bellum repetit, campumque reposcit,
Exsertusque Urbem positumque retentat agonem.
Comperto Ducis adventu, grex obvius ire
Pastori fervens properat: simul agmine facto
Egregii Patres, Clerus, claræque catervæ
Dividui sexus, variæ regionis & oris,
Laudibus attollunt, celebrant acromate (*k*) *Patrem,*
E *Culmineque exceptum suprema sede reponunt.*
Fascibus ille licèt pollens, objecta piare
Haud renuit, dat se inquiri, dat & hostibus ausum
Dicendi. Nihil adversùs dum tramite veri
Ferre (*l*) *queunt; Francis tamdem censoribus acti*
Mittuntur Regi: Carolus quoque cognitor Urbem
Ag-

NOTÆ MABILLONII.

(*d*) prædecessoris.
(*e*) dæmon.
(*f*) membra officiis linguæ orbata.

(*g*) Carolo.
(*h*) infamantibus Papam.
(*i*) absque bello.
(*k*) cantu.
(*l*) proferre.

Aggreditur, primosque vocat sacri ordinis, atque A
Stemmatis Æneadum Teucrorum, & lumina Regni.
Nec tamen ulla Petri censent (m) fastigia Sedem.
Immunis hæc cunctorum se crimine cunctis
Expiat applicitis. Proceres præconia Christo
Læta ferunt, Regique poli Natale frequentant.
Laudibus eximiis summique nitoris honore
Sumit Apostolica augustam Rex Sede coronam.
Conclamatur honos Romanis Patribus auctus,
Imperiique nitent Francorum sceptra decore,
Regis & ad regnum genitus sacro unguine surgit.
Rex mensas argento offert rutilante coruscas,
Aurea vasa super gemmis stellantibus addens,
Altar cum basibus radians, & tegmine culto,
Crux claris Evangeliumque micant hyacinthis. B
His Christus donis, Genitrix, Proceresque coluntur.
Sacrilegi dantur laniis, censente Senatu
Exsortes agris, alterna piacula fassi.
Pace fruens Præsul, fabricis ac cultibus instat,
Impensisque piis non cessat comere Templa
Muneribus, velis, aris, vasisque, lavacris.
Pauli tecta soli subito collapsa tremore
In melius revocat, cultuque reformat honesto.
Hæc & multa subhinc numerosis dotibus augens
Jura precum cumulat, servandaque Gallica (n) tradit
Adscendens iter Domini præeuntia vota.
Sic decus Ecclesiæ postquam fervente propagat
Assiduus nisu, pietatis munere; comta C
Emeritus superi splendoris sumitur aula.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE QUARTO STEPHANO PAPA.

STEPHANUS IV. natione Romanus, ex patre Julio fuit natus, & post dictum Leonem III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa CIII. Anno à Nativitate Domini DCCCXVI secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXVII.

Item quod ipse Stephanus post suam promotionem pro visitando Ecclesias & personas Ecclesiasticas venit in Franciam. Et deinde (D) quum visitasset Ludovicum Regem Franciæ, tunc Imperatorem electum, à quo quidem cum summo honore, & gaudio fuerat receptus, & dictum Ludovicum Imperatorem coronasset, & multos captivos in partibus illis redemisset, & ad proprias partes remisisset, idem Stephanus Papa apud Urbem Romanam rediit.

Item quod iste Stephanus post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & à Clero & Populo honorifice exstitit sepultus in Ecclesia Sancti Petri. Qui quidem rexit Ecclesiam septem mensibus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de uno Anno. Et tunc vacavit Sedes Apostolica sexdecim diebus, aliter de viginti octo, Ludovico primo Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE QUARTO STEPHANO PAPA.

EXtulerat gradibus, cernens conscendere celsa,
Moribus ac probitate virum (o), cui cura tenere
Actibus & vita, verbi quæ luce ferebat.
Utilis unde sacris aptusque Petrique probatus,
Ferre vicem dignus divæ præponitur arci.
Servandæque studens paci, firmandaque jura
Ecclesiæ curans, Francorum illustria promtus
Regna petit. Cui celsa piis mox regia servit
Obsequiis culto, donisque potentibus uso.
(p) Effert hinc nostram cœli, qua Francica lumen
Gens subiit Fidei Ecclesiam, Remense venustans
Officiis Templum: Ludovico stemmata Regni,
Cæsareosque addens augustæ lucis honores,
Remigiique apicis fastu sublimat alumnos.
Cæsare quæ poscit meritis (q) gaudente capessit.
Insuper accedunt donorum insignia mactо. (r)
Quin etiam sedes & jura domestica confert
Imperii consors Romani, & culminis heres,
Heredem faciens in Francica prædia Petrum.
Papa Redemtoris sectans vestigia servis
Crimina laxantis, sublataque Regna (s) rependens,
Extorres patria revehit pietate paterna.
Et quantum datur, Ecclesiam splendoribus ornat,
Vasa, crucesque colens, sacra peripetasmata (t) condens.
Nec longum terris exsul cœlestia flagrans
Linquitur: at raptus tenebris, adjungitur astris.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE PASCHALE I.

PASCHALIS I. natione Romanus, ex patre Maximo fuit natus, & post dictum Stephanum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CIV. Anno à Nativitate Domini DCCCXVI.

Item quòd ipse Paschalis ex revelatione divina in Cæmeterio Prætextati Corpora Beatæ Cæciliæ Virginis & Valeriani sponsi sui, ac etiam Tiburtii & Maximi & Urbani Papæ I. invenit, & ipse omnia manibus propriis cum magna reverentia recollegit, & postea apud Urbem Romanam in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ cum magna solemnitate & honore prædicta Corpora omnia recondidit, & collocavit.

Item quòd ipse Paschalis ante ingressum ad Corpus Sancti Petri Urbis Romæ circa ostium æreum unum Altare construxit, in quo quidem Altari Corpus Sancti Sixti Papæ I. cum magna reverentia & honore recondidit & collocavit. Et postea Ecclesiam Sanctæ Praxedis reparavit, & ibi Monasterium Monachorum Græcorum instituit & ordinavit, & infinita Sanctorum Corpora, quæ ex pluribus Cæmeteriis recolligi fecerat, ibi cum summa solemnitate ipse etiam recondidit, atque colloca-

(m) judicant.
(n) Rogationes à Gallis ante Adscensionem celebrari solitas.
(o) Stephanum.
(p) Vide Frodoardum Lib. 2. cap. 20.
(q) pro meritis.
(r) Papæ.
(s) Regi Langobardorum.
(t) vela.

cavit. Et deinde in Urbe Romana Lotharium filium Ludovici Imperatoris in Regem Romanorum electum inunxit & coronavit, adhuc dicto Imperatore Ludovico patre suo tunc vivente.

Item quòd ipse Paschalis post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam à Clero & Populo honorifice in Ecclesia Sancti Petri Apostoli exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam VII. Annis & XVII. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XVIII. diebus, dicto Ludovico tunc Imperatore regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE PASCHALI PAPA.

Susceptum propero Paschalis *honore secutus*
Resplendet, studiis castus, pius, inclytus, insons;
Magnanimis, largus, hilaris, devotus, honestus,
Mansuetusque: preces vigil, ac jejunia tractans:
Susceptor peregrinorum, solator egentum.
Unde datus meritis Monachorum effulserat Abbas,
Excrescensque operum fulgore, suprema vocatur
In jura Ecclesiæ centesimus auspice summo:
Romanoque simul votis coëunte Senatu.
Hic positus præcepta Patrum, vel legis habenas
Robustus sollersque tenet, celebrisque promulgat
Scita gubernator, blandus probitatis amicus,
Sacrarum restaurator, cultorque domorum,
Conditor almorum passim quæ pignera nactus.
Ampliat iste stipem Clero, fert munera cœlo,
Nexibus educit per Regna remota subactos
Ponderibusque auri vinclorum pondera solvit.
Affrica transvectos, reddit Hispania captos:
Gaudet quæque suos respectans patria natos.
Martyris hic Papæ Sixti sollemniter ornans
Membra Petri meritis florente recondit in aula.
Is quoque Sanctorum Processi & Martiniani
Deponens (u) *cineres, digno pertractat honore,*
Muneribusque colens Patroni inluminat ædem,
Argentique libras auri dat pondera Signis. (x)
Vascula, vela parans, claves quoque fabricat auro.
Contigit ignivomi furibunda fraude draconis
Flammarum peregrina globos per culmina ferri.
His simul absumtis Romana in mœnia spirans,
Porticibus Petri fervens irrepserat æstus.
Pressa obliviferum proflabant pectora poclum, (y)
Nuntia dum Papæ hæc secreta silentia rumpunt.
Ille fide fidens, rapido petit atra volatu,
Bella triumphantis perstringens arma furoris.
Stat magnus velut oppositus mons, igne reliso
Obsistens flammis, precibusque incendia sternit,
Extinguitque feros Cephâ tutore vapores.
Orando pugnans, campum neque linquit agonis,
Noctis dum tenebras votis evincit & ignes.
Detrimenta dolens inopum, vastata reponit,
Restituens passis culpæ quæ flamma vorarat:
Aurea dona ferens, vestes victusque reformans.
Silvarum superadjicitur data copia tectis
Ut prius edendis. Et ne de fraude patrata,
A *Vel damno Ecclesiæ truculentus gaudeat hostis,*
Rapta focis Petri reparatur porticus aucta
In melius surgens, potiore educta nitore.
Præsul Apostolicus aulæis inserit actus,
Et mirabilium Templi colit orta decore.
Culmina Praxedis renovans, variàque venustans
Luce, triumphalem fulgoribus erigit arcum.
Plurimaque excipiens cariosis pignera bustis,
Eruta Justorum revocatæ (z) *destinat aulæ,*
Servorumque Dei cœtum simul aggregat almum,
Instituens Grajo pangi modulamine laudes:
Ruraque dat sacris servitorum usibus apta.
Zenonis iste locans cineres, oracula (a) *condit,*
Accumulans decus argento auroque refulgens,
Historiisq; colens gemmarum & lumine palmas. (b)
B *Luciferæ Dominatricis restaurat, & addit*
Mœnia, muneribus, velisque, & cultibus ornat.
Cæciliæ cernens incumbere casibus ædem,
In meliora levat restructis culmina septis.
Defessum precibus quem cœlica visere virgo,
Affarique probat dignum; tamen increpat, ut quid
Liquerit inceptum quærendi membra laborem,
Quæ sublata putat popularis credulus auræ.
Ut se res habeat referens, nomenque roganti
Adnotat, hortaturque piis persistere cœptis,
Gaudeat invento dum munere. Nam placet, *inquit,*
Æterno Domino, cujus splendoris amore
Me passam constat, noviter quò me ipse repertam
A te constructi Templi munimine condas.
His dictis, celeri repetit cœlestia saltu.
C *Papa revelato lætus tam lucis aperte*
Indicio, indagans thesauri cessa (c) *talenta,*
Reperit eximiis pretiosa monilia gemmis.
Hic Nordmannorum nostrum delegat Ebonem (d)
Barbaricæ genti, lucis vitæque ministrum.
Aurea virgineum celabant tegmina pignus:
Carbase martyrii rutilabant sanguine clari.
Quæ Pater almificis manibus pia munera tractans,
Colligit inducens Urbi instrumenta salutis:
Atque locans thalamo (e) *cadentia membra decoro.*
Infertur simul inventus virtutis amator
Sponsus (f), *lucrato pacti cum fratre pudicis.* (g)
Maximus, Urbanus, consors quoque Lucius aræ
Depositi. Turmæ (h) *capiunt pietate nitentes,*
Hymnidicosque choros digno solamine fultos,
D *Vinetis, agris, domibus, famulisque levatos*
Cultibus argentum invehit plus mille librarum.
Aucta paludamentorum (i) *dos multa decentùm.*
Virgineasque novans Præsul splendore catervas
Restituit prisco, res addens usibus aptas;
Diversisque aulis diversos auget honores.
Aurea dona ferens vasis, iconibus, aris,
Argentoque colens artus, altaria, conchas;
Marmoreum cumulat decus, ornamentaque Serùm.
Hæc polo terris sata centuplicata receptat.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE EUGENIO II.

E Eugenius II., natione Romanus, ex patre Boëmundo fuit natus, & post dictum Paschalem Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CV. Anno à Nativitate

(u) transferens Reliquias.
(x) Imaginibus.
(y) Somnum.
(z) renovatæ.
(a) templa.
(b) victorias.
(c) concessa sibi.

(d) Frodoardus Lib. 2. cap. 19.
(e) Mausoleo.
(f) Valerianus.
(g) pudici.
(h) Congregationes.
(i) ornamentorum.

tate Domini DCCCXXIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXXIV.

Item quod ipse Eugenius Papa per aliquos de Populo Romano violenter fuit captus, & postea per ipsos oculis suis exstitit orbatus; & tamdem ab eis pro Christi Fide fuit interfectus, & ab ipso in sua gloria exstitit coronatus, & in Vaticano apud Urbem Romanam honorifice in Ecclesia Sancti Petri Apostoli exstitit sepultus.

Item quod iste Eugenius Papa rexit Ecclesiam tribus annis & duobus mensibus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de IV. annis, VII mensibus, & XXVIII. diebus, Ludovico Imperatore tunc regnante.

DE VALENTINO.

VALENTINUS natione Romanus, post dictum Eugenium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CVI. Anno à Nativitate Domini DCCCXXVII.

Item quod iste Valentinus post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit. Qui quidem rexit Ecclesiam XL. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tribus diebus, Ludovico Imperatore tunc regnante.

DE GREGORIO IV.

GREGORIUS IV. natione Romanus, ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Valentinum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa CVII. Anno à Nativitate Domini DCCCXXVII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXXVIII.

Item quod ipse Gregorius Ecclesiam Sancti Martini de Montibus Urbis Romæ à vertice usque ad fundamenta destrui fecit. Et postea in honore & reverentia ipsius Beati Martini pulcram & magnam Ecclesiam cum mirificis lapidibus ædificari fecit, & postea eam multis donis & jocalibus perornavit, & dictam Ecclesiam solemniter consecravit.

Item quod quum tempore ipsius Gregorii Festum Omnium Sanctorum in Kalend. Novembris, quod instituerat Bonifacius Papa, & ipsum in Urbe Romana celebrari jusserat, sed extra ipsam Urbem non colebatur, neque celebrabatur, ideo ipse Gregorius cum Concilio omnium Episcoporum Galliæ, & Germaniæ, & ad requisitionem Ludovici tunc Imperatoris, statuit & ordinavit, ut hujusmodi Festivitas ubique terrarum de cetero à Clero & Populo solemniter celebrari deberet.

Item quod quum tempore ipsius Gregorii in odium ejus, & destructionem Ecclesiæ Romanæ, quidam Romani maligno spiritu imbuti Nuntios cum literis specialibus ad Soldanum Babiloniæ Regem Paganum destinassent, ut ipse cum suo exercitu apud Urbem Romanam venire non tardaret, quia ipsi parati erant cum honore eum recipere, & tamquam verum Dominum specialiter pertractare, & deinde dictam Urbem cum tota Italia sibi tradere & assignare pacifice, & quiete ipsi promittebant, ideo dictus Soldanus hoc audito misit statim ad eos infinitam gentem Paganorum, & per Portum Centumcellensem in Italiam

A intraverunt. Et ipsi tanquam locustæ totam patriam occupaverunt, & postea ipsi Civitatem Romanam hostiliter & violenter ceperunt, & Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, & omnes alias Ecclesias Urbis Romæ omnibus ornamentis & jocalibus suis spoliaverunt, & in ipsis Ecclesiis stabula equorum suorum fecerunt. Et deinde totam Tusciam eodem modo occupaverunt. Sed finaliter ad ipsius Gregorii requisitionem quidam nomine Guido Capitaneus, & Marchio Langobardorum, cum magna multitudine Gallicorum, contra dictos Paganos venerunt; & taliter pro Christi nomine se habuerunt, quod cum magna innumerabili sanguinis Christianorum effusione prædicta Saracenorum multitudo fuit destru-
B cta. Et à terra citra mare alia pars usque ad mare, Dei gratia suffragante, ab ipsis Christianis fuit persecuta, & penitus effugata, in tantum quod ipsi postea apud Italiam redire non curaverunt.

Item quod ipse Gregorius ob reverentiam Sanctorum Martyrum, quorum Corpora in diversis Cœmeteriis in Urbe Romana, & extra, tempore persecutionis crudelium Imperatorum requiescebant, ipse perquiri fecit; & inter alia, Corpora Sancti Sebastiani, Gorgonii, & Tiburtii adinvenit, & in Ecclesia Sancti Petri Apostoli apud Urbem Romanam cum summa devotione & solemnitate propriis
C manibus recondidit. Et ibi cum multis donis & jocalibus atque ornamentis ipse summe decoravit & collocavit.

Item quod ipse Gregorius post multos labores & sui corporis cruciatus, ad Dominum in pace migravit. Et deinde à Clero & Populo in Ecclesia Sancti Petri Apostoli apud Urbem Romanam honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam XVI. annis, prædicto Ludovico I. Imperatore tunc regnante.

DE SERGIO II.

SERGIUS II. natione Romanus, ex patre Sergio fuit natus, & post dictum Gregorium Papam IV. in Romanum Pontificem fuit
D assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa CVIII. Anno à Nativitate Domini DCCCXLII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXLIV.

Item quod iste Sergius *Os Porci* antea vocabatur. Sed tempore suæ promotionis aliud nomen, videlicet *Sergius*, sibi impositum fuit. Quare omnes Romani Pontifices in suis promotionibus aliud nomen mutare consueverunt, prout de hoc communiter in principio Librorum Decretalium notari consueverunt.

Item quod iste Sergius post multos labores, & sui corporis afflictiones, ad Dominum migravit. Qui quidem rexit Ecclesiam tribus an-
E nis, duobus mensibus, & quindecim diebus. Et tunc Sedes Apostolica vacavit quindecim diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur, quod statim mortuo ipso Sergio, antequam ipse Ecclesiasticæ sepulturæ traditus fuisset, Leo V. qui sequitur, in Romanum Pontificem fuit assumtus, Lothario Imperatore tunc regnante.

EX

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE SANCTO EUGENIO SECUNDO, VALENTINO, GREGORIO QUARTO, ET SERGIO PAPA.

SOrte ministerii Eugenius perfungitur alter,
Corde pius, sensu doctus, sermone disertus,
Jocundus, largus, meditator sedulus almi, (k)
Æquus, avaritiæ contemtor, litis & osor.
Sub quo pace nitens atque ubertate redundans
Tripudiat Mundus, regimen, quantùm datur, ornans.
Hic Pater Ecclesiam tituli splendore Sabinæ
Cessi (l) olim decorat, donis locupletibus auget.
Expulsos dudum Cives, pietate paterna
Excipiens reduces, cumulato munere ditat.
Pontifici nostro (m) pridem data jussa relegat,
Barbara corda colat monitis, corroboret actis.
Hæcque inter celeri super astra vocamine rapto,
Huncque Valentino cursu breviore secuto,
Gregorii Quarto lustratur nomine Roma.
Qui licèt obsistens, cunctis tamen ordine visus
Abripitur dignus, summâque in sede locatur.
Sparserat ille quidem passim virtutis odorem
Jampridem celebris, sollers, probitate refertus,
Sensibus ornatus, salsoque lepore modestus,
Dogmate Catholicus, moderato regimine justus;
Ætheriæ cultor Legis, speculator ovilis;
Pauperibus, viduisque pater, miserator, & altor.
Terrea despiciens, meritis cœlestia quærens;
Sanguine præclarus, sancto præclarior actu:
Sollicitus, sacra jura, preces, jejunia tractans.
Hunc quæ virtutum rapiunt ad culmina pennæ.
Has quoque sublimi non cessat comere fastu,
Dum decus amplificans Templis, cultumque, nitores,
Restaurans decorat sacras ornatibus Ædes.
Transfert Gregorium clarosque in lumina (n) testes
Profert, muneribusque aris vernisque venustat.
Marci Basilicam renovans, multo auget honore,
Quam prius excoluit votis, nunc dotibus ornans.
Hanc pluresque alias opulento fenore ditans,
Ductibus undarum reparat fomenta parari,
Atque domum Petri prisco de more rigari.
Ecclesiam divæ virtutum luce Parentis
Effulgere videns, devoto attollit honore.
Laudibus instructas adhibet statuitque catervas,
Præmunitque domum, donis locupletibus explens:
Disponensque Altar, Sanctorum busta coartat.
Diversas revocat fabricas, cellasque, gradusque,
Atria, picturas, exedras, claustra, lavacra.
Præterea curas arcendis corde volutans
Hostibus, instaurare novis stat (o) mœnibus Urbem.
Fundatamque locans firmis educere (p) muris
Persistit, proprioque vocat de nomine (q) quondam
Hostia quæ priscis gliscens sit dicta colonis.
Instruit inde sibi Romæ, sociisque futuris,
Ædes hospitii, ditansque ornansque dicatas
Cœlicolis aulas, cœli sustollitur aulâ.
Sergius hinc vacua discussa nube tumultûs
Sortitur Cathedram, celebri censente Senatu,
Culminis hunc fastu praecelso & regmine dignum:
Ut pius à puero castis qui fotibus (r) altus,
Artibus instructus, claris Patribusque nitebat.

A Præmissis aptus, pollens, & carus alumnus,
Germine præfulgens, purus probitate fidei,
A Christo missus, Populis virtute supremus:
Ore cor expromens alacri mentemque benignam,
Strenuus Ecclesiæ rector, defensor, & altor
Indigni cœtus, commissi tutor ovilis.
Dispersos pietate gregans, servansque gregatos:
Labilium (s) temtor, Spoliæ robustus amator.
Tranquillus, patiens, culpas ignoscere largus,
Culminis infensum vindictæ surripit hostem.
Sicque simul cunctis gaudentibus ardua scandit.
Francicus Induperator ubi fastigia nactum
Hunc audit, genitum Romana ad mœnia mittit,
Hesperiæ quasdam sociis populantibus Urbes.
Nimbosis subitò vernans obducitur æther
B Nubibus, ignea tela micant, juvenumque ferorum
Corda metu sternunt, nonnullos funere pressant.
Augusti subolem præstanti præsul honore
Suscipit. Interea stipantum dæmone quemdam
Prospiciens raptum, tactus spiramine summo
Valvas Papa jubet Templique repagula claudi,
Versus & ad Procerem, monitis ita fertur adortus:
Sincerâ si mente venis, si corde benigno,
Hæc nostro tamdem penetra sacra limina jussu.
Sin secus, haud nostra has pandet tibi cessio portas.
Testato se nulla dolis molimina Princeps
Volvere, mandatis reserantur pessula Patris:
Ingressique aulam, laudes ac vota Tonanti
Dant Antenoridæ (t) Æneadæque, superna canentes.
C Papa tuens Urbem immunem, Regemque coronans,
Disponit sceptra, Augusti dat regmina proli.
Pontifices Comitesque repugnantes sibi, celso
Præterit eloquio, rutili ferit impete veri,
Mitificans tumidas pietatis robore mentes.
Nec Petri proprios puero servire clientes (u)
Cæsarei patitur juris: quin culmina servans,
Damnatis veniam, censoribus edit honorem:
Oraturque (x) alta Procerum cervice subacta,
Pacis & instructor Populo veneratur ab omni.
Ille Deo hæc reputans, aras & templa venustis
Exornat fabricis, cultis dat tegmina veris,
Muneribus ditat, Sanctorum pignera condit,
Dedicat erectam locupletans dotibus aulam.
Adsciscit, stabilitque greges æterna petentes,
D Restituitque scholam divina laude canoram:
Et bene dispositis Cathedræ subit æthera rebus.
Hostis & antiquus tabens livore quietis
Lucis (y) & Ecclesiæ, crudelia convibrat arma,
Instimulatque Agarenorum de gente latrones,
Qui mare transgressi, Ausoniæ penetralia lustrant,
Ac Romam usque pererrantes (dirum scelus!) audent
Templa patronum Petri Paulique sacrorum
Sacrilego nisu cœco temerare furore,
Et manibus spoliare feris, vacuare nitore
Donorum, exitusque sui gaudere vigore.
Dumque improvisò properant sua gaudia fato,
Æquora trans exsultantes in Punica ferre
Regna; triumphandi verso ordine, gurgite mersi
E Absorbtique undis, ultrice vorantur abysso:
Atque maris rubri prisco præcelsa triumpho
Sedis Apostolicæ pollentia culmina florent.

EX

(k) almitatis.
(l) concessi sibi, priusquam Papa fieret.
(m) Eboni.
(n) in decentiora loca.
(o) instat.
(p) erigere.
(q) Gregoriana Urbs.
(r) fomentis.
(s) rerum labentium.
(t) Franci & Romani.
(u) Romanos.
(x) adoratur.
(y) honoris.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE LEONE IV.

LEO IV., sed secundùm numerum dici debet V. ipse tamen ex certa causa, ut dictum est supra, Quartus in Chronicis Romanorum Pontificum designatus, qui quidem fuit natione Romanus, post dictum Sergium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CIX. Anno à Nativitate Domini DCCCXLVII.

Item quòd ipse Leo Papa tempore suæ juventutis propter literarum studium in Monasterio Sancti Martini Confessoris, quod est Romæ, juxta Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, Monachus positus atque traditus fuit, in quo quidem Monasterio, non solùm scientia, sed etiam morum conversatione & vitæ perfectione, ut verus Monachus, valde ibi profecit.

Item quòd quum tempore ipsius Leonis multitudo Paganorum in partibus Romanis pro destruendo Christianitatem, & Italiam occupandam venissent, tamdem meritis & precibus, & orationibus ipsius Leonis Papæ, illi Pagani judicio divino in mari submersi sunt, & in parte trucidati, & aliqui eorum effugati. Nam ipse verus Catholicus, multum patiens, valde humilis divinarum Scripturarum perscrutator ferventissimus, vigiliis & orationibus semper intentus erat.

Item quòd ipse Leo post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri à Clero, & Populo honorifice exstitit sepultus. Cujus festum colitur XVII. Kalend. Augusti. Qui quidem rexit Ecclesiam octo annis, tribus mensibus, & sex diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica sex diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam Chronicam dicitur de duobus mensibus & quindecim diebus, Lothario Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE.

JOHANNES dictus natione Anglicus Mangimertinus post dictum Leonem Papam V. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa CX.

Item quòd iste Johannes, pro ut communiter asseritur, femina fuit, in juvenili ætate à quodam Amasio suo in habitu virili in Studium Athenarum, quod tunc erat in Græcia, perducta. In tantùm ipsa fuit subtilis, quod in omnibus scientiis erudita fuit, & profecit taliter, ut tunc similis sibi non inveniebatur. Propter quod ipsa audiens statum & formam Urbis Romæ, statim ad ipsam venit, & per tres annos ibi solemniter diversas scientias docuit, & legit, & deinde multos magnos scholares & discipulos ipsa habuit, qui eam audiebant propter ejus subtilitatem & doctrinam, atque honestam conversationem. In tantum quod de sua vita, moribus, atque scientiis, & exemplis apud Cardinales, Clerum, & Populum Romanum .... cotidie ipsi Regnum debebatur. Quumque Leo A IV. decessisset, & concordare, seu eligere Papam non possent, ideo postea unanimiter & concorditer ipsi Cardinales istum Johannem in Romanum Pontificem elegerunt.; & postea in Papatu multum honeste & devote ipse aliquo tempore, ut creditur, permansit. Sed postea cum bonis cibariis & delicatis ipsa impinguata, & finaliter suggestione diabolica capta, & decepta à quodam suo familiari exstitit impregnata. Quum autem ipsa tempus sui partus penitus ignoraret, quadam die dum ipse Johannes cum Clero & Populo de Ecclesia Sancti Petri ad Ecclesiam Sancti Johannis Lateranensis Processionem faceret solemnem, dolores sui partus supervenerunt, B & tantùm eam angustiaverunt, quod in quadam carreria, quæ est inter Colliceum & Ecclesiam Sancti Clementis Urbis Romæ, ipsa peperit, & postmodum ibi mortua fuit, ut dicitur, atque sepulta. Per quam quidem carreriam, seu viam, postea Romani Pontifices in detestationem hujusmodi facti, ut dicitur, non transierunt, neque transire volunt. (*)

Item quòd ipsa rexit Ecclesiam in dicta deceptione duobus annis, quinque mensibus, & quatuor diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per unum mensem, Lothario I. Imperatore tunc regnante.

C DE BENEDICTO III.

BENEDICTUS III., natione Romanus, ex Patre Petro fuit natus, & post dictum Johannem Anglicum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXI. Anno à Nativitate Domini DCCCLVIII.

Item quòd ipse Benedictus statuit & ordinavit, ut de cetero Clerici propter reverentiam Dei & bonum exemplum Populi, incessu, statu, & habitu, & in omnibus moribus ipsorum laudabiliter & honeste vivere & se exhibere debeant. Et deinde multa bona fecit: & inter alia à Porta Civitatis Romanæ D usque ad Ecclesiam Sancti Pauli unam Porticum, & à porta ejusdem Civitatis usque ad Ecclesiam Sancti Laurentii unam aliam Porticum in honore ipsorum Sanctorum ipse fieri & restaurari fecit.

Item quòd ipse Benedictus post multos labores, & sui corporis afflictiones, ad Dominum migravit, & à Clero & Populo apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri honorifice exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis & quinque mensibus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de septem, aliàs de quinque mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XV. diebus, Lothario tunc regnante.

E EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE QUARTO LEONE PAPA, ET ACTIBUS EJUS; SANCTOQUE BENEDICTO PAPA.

M*Ultiplicat Dominus mestæ solamina Plebi,*
Adspirans animis venerandi jura Leonis
Poscere præponi, Quarto *hoc se nomine comi.*
Qui

(*) Gerræ & nugæ barbarici ævi. Nullus eruditorum nunc est inter ipsos Heterodoxos, nedum inter Catholicos, qui non agnoscat, inter ridenda figmenta amandandam esse istam Pontificissam, & temporis prodigus esset, qui in confutanda hac fabula ultra sese exerceret.

Qui vir Apostolicis clarus fulgebat in actis:
Mansuetus, patiens, largus, pius, atque benignus,
Insons, justitiæ cultor, plebis moderator,
Scrutator legis, vigil, oratuque suetus,
Serpentis servans oculum, mentemque columbæ;
Relligione nitens, & amans, pietate renitens:
Indiguos refovens, se se & lucra terrea temnens.
Sponte datus studiis puerilibus ibat ab annis
Perfectum usque virum: Monachos interque probatos
Integer elucens Monachus, probitate supremus,
Degit ut extremus. Quibus ad sublimia vectus
Virtutum gradibus, rutilo splendebat honore.
Hisque micans meritis, Patribus raptatur ad alta.
Præmissis (z) claraque manet virtute cohærens,
Dum subit eximium Ecclesia cogente tribunal.
Hinc quoque præ signis radians, velut alta lucerna
Enitet, illustrans animas sedemque nitela.
Aulas muneribus, culmen virtutibus ornans:
Pendula restaurans, & consistentia tutans;
Usibus instituens, fabricis & honore venustans:
Vespertina jubet Petro præconia pangi;
Laude palam decorans abeuntis festa diei.
Terret humus vibrata hominum trepidantia corda.
At Pater almificis insistens pectore votis,
Si qua videt removenda, movet: disponit honores,
Sacratosque gradus mixti abgregat agmine vulgi.
(a) Pontifici nostro Hincmaro bis pallia legans,
Dat primum festis, ad sedula vota secundum:
Ulli quod nunquam testatur cedere Patrum.
Quæ rabidis ausus manibus divellere prædo
Barbarus, is digno satagit reparare nitore,
In fabricis, vasis, velis, crucibusque, coronis.
Interea retro cæcis horrore cavernis
Lætifer exoritur serpens, gelidique veneni
Rex basiliscus atrox læti pernicis inustor
Grassatur latebris, mortem propiantibus afflans,
Sternere funesto validus quoque lumine visos.
Territus immani Populus lue, nuntiat hostem
Haud accessibilem Patri. Suffragia nota
Ille petens, jugibus votis jejunia nectit.
Tandem clara dies Reginæ Adsumtio cœlis
Regiparentis adest; via dira per antra ferebat
Virginis ad Templum. Comitatus Papa canoro
Agmine procedens, horrendi obscura cubilis
Aggreditur, cunctis paventibus, unus adortus
Accedit, sævæque specus fera limina calcat.
Inque polos mentem, palmas, & limina ducens,
Effusis Christum lacrymis precibusque vocavit;
Et Plebem prece contutans, ad sacra profectus
Debita persolvit, mortemque piamine vincens, (b)
Oratu pestem penitus vanescere cogit:
Perniciem perdens, ubi sancta precamina fundit.
His exturbatus foveis, ferus ignea volvit
Corde venena draco, flammisque retentat (c) abactis
Ereptum sibi jamdudum Petro auspice vicum,
Paschalisque reformatum quod dote cluebat,
Gregorii meritis habitatum gente (d) lucrata.
Vires ingeminans in mœnia pervolat ignis,
Proxima quæque vorans. Populorum examina contra
Frangere bacchantes conantur nisibus æstus.
Flatibus at sævis incendia celsius acta
Ædibus absumtis audent petere atria Cephæ.
Auditu Præsul perculsus corda sinistro,
Concitus occurrens, flammarum in prœlia fertur,
Obvius atque glebis certamina dividit obstans:
Et Crucis invictæ digitis signacula prodens,

A *Altiùs efflantis spiramina proterit ignis,*
Cum prece tum cruce ferales superante vapores.
Signiferi nec ferre valens insignia fervor,
In se collisus, cineres considit in imos.
Restituens eversa Pater, vacua atque refercit
Culmina, muneribus cœtus restaurat, honores
Amplificat donis, sancit rata, roborat acta.
Octavam stabilit festi celebrarier almæ
Reginæ superi Regis sine more Parentis.
Devotum larga Populum datione decorat,
Templaque provisis pietate nitoribus ornat.
Exsuperant numerum sacras oblata per ædes.
Antiquo muros reparans munimine firmos
Restruit & portis, regit, obicibusque serisque:
Turresque educens, fabricis sublimibus aptat.
B *Insuper & portum miro munire paratu*
Aggreditur, peragitque opus eximiumque decensque,
Utile subjectis præsentibus atque futuris.
Præstruit hic callem, ne invadere fervidus Urbem
Hinc queat hostis, agitque procul navalia furta.
Pignera multorum passim neglecta piorum
Reperiens, levat, affectu conditque benigno.
Horum plura locans templo quod rexerat olim,
Basilicæque Coronatis priscum addit honorem
Quattuor, amplificatque decus, cumulatque Patronos:
Multiplicat cultus aris, & ditia dona.
Huic aliisque ferens complurima pluribus aulis,
Gens inimica fretum, prædasque retentat (e) iniquas:
C *Quâ tulerat lætum, cupiens Petri arce tropæum,*
Solamen rebus diræque cupidinis haustus
Ferre calens, Italos pervadere nititur agros.
Insperata suis Deus at suffragia servis
Providet, ac gentes pelagi secreta colentes
Advehit, hostiles contra pugnare phalanges.
Quos Pater auxilii adnisu venisse probatos
Excipit, & sacris refovet, benedicit & armat.
Prosequitur lacrymis, precibus tutatur & auget.
Qui strati ut decorant humili supplicamine Papam
Hostibus intrepidi occurrunt. Potiora triumphi
Ætherei monstrare studens æterna potestas,
Evocat adversis contraria flabra carinis.
Applicitas quæ litoribus propellere cumbas
D *Insurgunt, tolluntque polo furesque ratesque.*
Fluctibus hinc raptæ, mersis verguntur arenis:
Absorbtique vadis, cœlo pugnante, marique,
Divinam sensere manum prohibere petitis
Se se oris: lapsi gladioque fameque necantur.
Servitiis quidam Æneadum pietate jubente
Servantur, gaudentque piis servire ferini.
Præveniens cæcos inimici militis actus
Papa sagax, inter decorandum cultibus aulas
Mœnibus aggreditur Petri munire sepulcrum,
Æquivoci decessoris conamina Patris.
Quod nutu Domini Francique juvamine Regis
Nisu perficiens agili, sancta agmina cogit
Et cinere adspersos, pedibus per mœnia nudis
Circumducit ovans cœtus plebisque magistros:
E *Expletumque precum munit munimine castrum,*
Illæsum perstare petens & ab hoste quietum,
Sive triumphorum benedici munere poscens.
Sicque Deo grates referens, Petrique Cathedram
Laudibus almisonis ornans, donisque venustans
Magnificis Patres, cunctæ dat gaudia Plebi.
Præsidium ipse novans aliud, peregrina receptat
Corsica, quos mittit Populorum examina Cephæ.
Hinc rebus bene dispositis, portu, Urbe, soloque
Ausoniæ tuto, digna mercede potitur.
Orsa-

(z) antecessoribus.
(a) Vide Frodoardum Lib. 3. Cap. 10.
(b) oblato sacrificio.

(c) repetit.
(d) Anglorum.
(e) repetit.

Orfana plebs Patris abscessu solamine captam
Se deflens, Patribus claris cum milite junctis,
Jesum corde petit prono, se Præsule digno
Solari. Nec abest Dominus haurire moratus
Servorum gemitus, dum spirat mentibus uno
Ore simul cunctos Benedictum *poscere Patrem,*
Ætherio qui rore ferax, puerili visus ab ævo
Gliscere fœcundi studiorum munere fructus.
Lucis aquas portare (f) capax, retinere fidelis,
Promulgare sagax; pacis sectator honestus,
Compatiens jussis, humilis parere benignis,
Carnea proculcans, tenebrarum vicerat astus.
His radians meritis, in sancto clara Senatu
Jura capit, Patribus veneranda luce sophiæ
Conjunctus, blandi refugit captacula Mundi.
Indiguis dare opes doctus, jejunia, laudes,
Votaque ferventi Christi meditatur amore.
Ardua quis nactus summa ad fastigia lectus
Poscitur. Ille preces contra, lacrymasque ferebat,
Pondere ne tanti supplicans premeretur honoris.
At pia Plebs accensa Deo, persistere cœpto,
Vimque inferre viro, sumtisque educere raptum
Certatim properans, hymnos & cantica diva
Voce ferens, hilari celsa in sacraria tollit:
Omnis & exsultans Urbs gaudia clara frequentat.
Sicque simul cunctis vernantibus apta feruntur
Scita libris, celebrique Patrum signata notatu
Legantur, Procerum (g) rite insinuanda favori.
Callidus insurgit coluber, laqueatque ferentes,
Damnatoque ligat legatos culmina (h) ferro.
Atque dolis nexos ad regmina Francica mittens,
Fascibus à summis Romanas suadet ad arces
Primates properare viros ac fraude calentes.
His etiam quosdam nectens adsciscit ab Urbe.
Jus Legatorum, diris quoque gentibus almum,
Electi violant, missis custode retentis.
Insuper & Plebem vafra caligine jussa
Mœnibus eliciunt, Petrique micantibus Urbem
Intrœunt telis, subeunt pravo agmine Templum.
Cœlica signa (i) terunt, sævis hæc ignibus urunt,
Vastant ætherias Populo plangente figuras.
Haud ea sufficiunt invasori. Urbe subacta
Conscendit Lateransem torvo impete sedem.
Depositus propriis, aliena cacumina captat,
Dejicit allectum solitò, residetque repulsus.
Nec contrectandâ tam cruda sorte Cathedrâ,
Tegmine nudatus mentis, tetro angue ligatus,
Cultibus exspoliat virtutum luce cluentem,
Plagisque afficiens, subigit custodibus atris,
Damnatis damnatus agens damnata ministris.
Urbs gemitu fletuque fremens, ululatibus omnis
Insonat, Ordo pius planctu sacraria replet,
Alta Sacerdotes suspiria corde trahentes
Infundunt lacrymis pullas squaloribus aras,
Adstrati tanta redimi improbitate rogantes.
Venerat alma dies, sacrando culmine digna.
At decus indignis indigno quæritur actis.
Legati siquidem Procerum turgore frementes,
Concilio insiliunt Patrum, punire minantes
Ensibus obstantes, baculisque elidere rectos.
Sed mens Pontificum, ceu mons, immota resistit.
Flamine fixa Dei, non consentire profano,
Cedere nec pœnis, terrorem temnere mortis.
Cernentes animos divino robore nixos,
Consiliis hostes variis incœpta volutant.
Nunc blandis laqueare viros, nunc frangere duris
Enisi, nunc morte pios superare minati.
Illi tradere se potius per singula quæque
Membra trucidandos, quàm diro anathemate sterni

A *Dantes (k) increpitant rabidos, oracula pandunt*
Diva super rebus, quis non obsistere fas sit.
Interea residere tumor, minui furor actus
Cordibus inspicitur, furiosa superbia frangi:
Solvitur improbitas, solvuntur limine cœtus.
Tertia lux rediens Templis Romana reducit
Agmina, cuncta petunt Benedictum accedere Patrem:
Hunc solum aptari reboanti voce resultant.
Mirantur magis infensæ concordia partes
Pectora, clamque sibi Populi capita alma cientes
Conflictus agitant, certamina cœca retractant,
Invictosque probant histos (l). Tum lumine veri
Lustrati cedunt, animo conamina tetra
Linquere, depositumque reum capta arce repelli.
Rejicitur raptor turpi per probra repulsâ,
B *Gratificisque choris modulans Plebs læta triumphat,*
Electumque decusatim (m) splendore venusto
Affectum repetunt, & equo sessore dicato
Attollunt prisco, divum ad Præsepe vehentes
Luce coronatum Populi candore nitentis
Lætitiæ, precibusque instant, jejunia clara
Concelebrant, manant lacrymæ per gaudia ductæ.
His hostes superi radiati lumine Solis
Accedunt, tremulo compuncti corda pavore,
Ore Ducis læti vestigia digna petentes:
Fassi errasse, capique Patris bonitate rogantes.
Matris at ille sinu recipit, puraque benignus
Oscula mente ferens, blandis amplectitur ulnis,
Solaturque metum: gaudere coisse refectum
Christi præcipiens unitum numine templum.
C *Cæsarei properant Legati, Præsulibusque*
Conjuncti, Cleroque simul, Populoque gregato
Vocibus hymnisonis, septum gaudentis ovilis
Restituunt Sedi virtutis honore petitæ.
Sic redeunte die divo fulgore decora,
Oblatus Petri solio, sacrisque dicatus,
Juris Apostolici summoque cacumine mactus,
Ætheria ut radiat lux tempestate subacta,
Dat dignis Christi rutilare nitoribus aulam.
Luce micans supera, doctrina præditus alta:
Interiora colens, at non externa refutans.
Templorum facies pretiosis munere signis
Illustrat, variis ditans fulgoribus ornat,
Vestibus, historiis, vasis, librisque, coronis
Replet, lapsa novat, dudumque amissa reformat.
D *Tamque suis aras, quàm Regum dotibus auctas*
Dimittens, retinere poli festinat honore.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE NICOLAO PRIMO.

NICOLAUS PRIMUS, natione Romanus, ex patre Theodosio fuit natus, & post dictum Benedictum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXII. Anno à Nativitate Domini DCCCLX.

E Item fuit vir magnæ sanctitatis, gratiæ, & humilitatis, pupillorum, orfanorum, & viduarum summus defensator, pauperum & peregrinorum magnus provisor atque consolator, Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, & Fidei Catholicæ, & miserabilium exstitit propugnator, in tantum quòd post Magnum Gregorium Papam in Sede Apostolica sibi non fuit similis, neque comparandus.

Item quod iste Nicolaus fuit tantùm Catholi-

(*f*) potare.
(*g*) Augustorum.
(*h*) Pontificatus.
(*i*) Imagines.

(*k*) *fortè*: Fantes.
(*l*) *an* istos?
(*m*) decenter.

tholicus, quod Michaëlem Imperatorem Constantinopolitanum excommunicavit, & anathematizavit, quia ipse Beatum Ignatium deposuerat de Sede sua. Et postea Lotharium Regem Franciæ excommunicavit, quia uxorem suam, quam duxerat, dimiserat, & cuidam mulieri, nomine Gualdradæ, adhærebat.

Item quòd ex industria ipsius Nicolai ex tractatu, Corpus Beati Clementis Papæ Primi, quod in mari pro Christi Fide fuerat positum & submersum, à Christifidelibus apud Urbem Romanam exstitit deportatum, & in Ecclesia, quæ pro nomine ipsius fuerat ædificata per ipsum Nicolaum cum magna solemnitate Cleri & Populi devotione ac honore ejus sanctum Corpus terræ reconditum fuit atque recommendatum.

Item quòd ipse Nicolaus post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & in Urbe Romana apud Ecclesiam Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam novem annis, duobus mensibus, & viginti diebus, Lothario Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE SANCTO NICOLAO PAPA, ET BENEDICTO PAPA, ET JOHANNE RAVENNATE.

Sublato Pastore Patres, Romanaque pubes
Mœstis incumbunt lacrymis, gemitusque resumunt,
Atque precum fervore vacant, jejunia tractant.
Excubiis instant, qui sit succedere dignus,
Virtutum pietate rogant, ostendier almum
Præponique Patrem: superoque nitore vibrati, (n)
Unanimes censent Nicolaum *jure petendum,*
Ut qui primæva radiaverat indole Sanctus:
Ludicra despiciens, animis inhonesta repellens,
Sobria suspirans, patienter seria volvens.
Sincerus, humilis, studiorum castus alumnus,
Moribus effulgens, animi dulcedine pollens.
Quis rutilans studiis præsagia clara ferebat,
Se gradibus quondam subiturum culmina celsis.
Hortatuque Patrum Cleri consortia nactus,
Profecit cultu virtutum, & honore Sophiæ.
Hinc Patribus suppar, prædecessoribus aptus
Emicat, annexusque pio famulatur honore.
Clarior atque magis renitet, quo clarior exstat,
Consiliisque datus Benedicti *præminet unus:*
Asseclis de mille jugem, quem Præsul habere
Legerat hoc Sanctis socio perfunctus in actis,
Optati extremum calicis (o) *dum percipit haustum.*
Hujus & evectus humeris, tumuloque locatus,
Dimissâ comitem gaudet florere Cathedrâ.
Ædibus abstractus Cephæ, pavidisque latebris
Qui solio erigitur renuens, humilique reclamans
Se voce immeritum tanto vernare decore.
Impote sed nisu. Nam mox grege, Plebe, Senatu
Cinctus & abductus, sacratur Cæsare coram,
Augustoque ad stante sacros sortitur honores.
Et sacer alma gerens Urbem candore coronat,
Lætificat Regem, convescitur, abdita cordis
Lumina declarat, Regis sibi nectit amorem.
Prosequitur dulci mentis bonitate modestæ
A *Alterutrum, Proceres se se amplis cultibus ornant.*
Donis afficitur Præsul, famulatibus uti
Cogitur Augusti, Regem divalibus orsis
Imbuit, & proprias repetentes mutua sedes
Oscula dant pacis: discedunt corde jugati.
Moribus almificis degens, & dogmate clarus
Papa lepore catus, votis atque actibus altus:
Indiguis largus, viduis, miserisque benignus;
Tutator Populi, cunctæ fit amabilis Urbi.
Ecclesias variâ satagit ditare nitelâ,
Vasa ferens claris auri argentique talentis.
Historiis comit vestes, gemmisque venustat.
Secretoque novat formam Urbem fonte rigantem,
Pontificum fundans ædes, reparansque decorat.
Scitatus veneranda Urbi responsa ferentes
B *Dirigit, Æolidum corruptos munere cœco*
Discutit, indagat: verùm rea crimina cassat,
Judicii prave dejectum sede reformat,
Deponitque ausos leges temerare sacratas,
Et pia directo disponit jura vigore.
Mitificaque Ravennatem ratione Johannem,
Civibus exhortans posita mansuescere lite,
Cedere turbidulis, sudis insistere curis.
Dum nequit oratu crudam deflectere mentem,
Concilio quoque temnentem se ferre (p) *vocanti;*
Dat sacris sacro exsortem censente Senatu.
Ille proterva sequens, Mundi fastigia contra
Sollicitat, Legatorumque inflatus honore
Sceptrigeri Romam comitatus milite tendit.
Mitibus admissis, vacua sed sorte recedit.
C *Hinc Pater expetitur plebem recreare Ravennæ,*
Divulsam, vice Chirurgi ratione medentis.
Pastorem metuens aulam lacerator ovilis
Cæsaream repetit, sed abhorretur grege cauto,
Cæsare devoto: fastumque remittere jussus,
Præceptisque Patris subdi; ruit alta relisus
Corda importunis patronos poscere votis.
Dantur item duro actores: his perditus Urbem
Aggrediens, Papam solito libramine Sixtum
Sentit, & immota moderamen lance ferentem,
Legibus instructum, sapienter scita ferentem.
Patribus adscitis invicta ut robora cernit,
Cervicem reprimens, seque in lamenta coartans,
Legatos lacrymis miseri suspiria cordis
Lugubris ad Patrem gemitu legabat anhelo.
D *Compatiens censor, Dominique imbutus amore,*
Ad vitam revocantis ovem per devia lapsam
Quærit aberrantem, recipit discrimina flentem,
Luctibus orantem; leges servare fatentem,
Crimina purgantem, famulatus jura voventem.
Absolvit laqueis (q) *priscoque reformat honore.*
Dictat scita, probat Papæ decreta Senatus.
Turbine sedato dat limina cultibus alma,
Muneribusque micare piis, vernare figuris.
Invidiâ abjectum restaurat rite ministrum
Agni, solicitus sponsæ renitere decorem
Inclytus Ecclesiæ paranymphus: quam sine ruga
Et macula sponso intactam perferre flagrabat.
Insistit studiis commissæ regmina castis
Ducere: si qua putri squalerent labe, piare.
E *Regem discutiens gentis quo jure Sicambræ*
Punit adulterii, fautores ense recidens
Morbiseco, pestique precum pietate medetur.
Legatos abolere nefas, pacemque referre
Dirigit elisæ per Gallica rura columbæ.
Luce procul visa, divo rutilare nitore
Certatim Populi radiis lustrarier orant.
Æthereis Romam inde petit legatio crebra,
Crebrior & solito, cœlique cibaria poscit.
Suscipiens dapibus satiat quos Papa cupitis,
Irrigat,

(n) illustrati.
(o) mortis.

(p) offerre.
(q) excommunicatione.

Irrigat, ac paradisiacis stibunda fluentis
Pectora: Bulgaricæ fundit quoque flumina genti;
Australi tribuens Boream vernare decore,
Sicque Nothum (r) inveniens Aquilone rigescere, flammis
Ardoris superi missis accendere curat
Igniferis Patribus, comitatis luce valenti
Irradiare pios, exurere luminis hostes
Mirifici Patris, cui fert elemosyna nomen,
Indivisi comes vitæ patrata Johannis,
Auribus archivo ex Grajo resonare Latinis
Præstat, Anastasio jussis parente ministro,
Præsulibus restauratis Placentia pulso
Pervasore nitet, Pastore Suessio floret,
Plectitur Induperator atrox, Petri æmulus aulæ,
Plectitur & Papa damnatus judice mœchus. (s)
Patre recepta suo Græcorum Urbs regia gaudet.
Priscorum Pater hic reparans insignia Patrum,
Templorum renovat fabricas, triclinia, cellas,
Bustaque Sanctorum relevans splendoribus ornat.
Adsciscens fovet almificas stipe duplice turmas: (t)
Afflictisque patrem dulci se pectore præbens,
Ærumnas refovet, parat opportuna medendis.
Ductibus atque reformatis rigat atria Cephæ,
Gregorio partum restaurans robore Castrum,
Prævalido fulcit, murisque ac milite munit,
Ut Domini Populum ductans in castra polorum
Regmine solerti, justoque libramine vexit.
Indicium schedæ Mundi per climata latæ:
Hærebant cui mente pia cœlestia cura;
Excubiæ assiduisque preces, jejunia votis,
Arridens quem fertilitas & copia rerum
Extulit, ostendit largum, docuitque benignum:
Hujus ut egressum flevisse elementa ferantur.
Quo tamen is gaudet, gaudent socia agmina cœli,

E MANUSCRIPTO CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulfo Pisano,

DE NICOLAO.

NICOLAUS natione Romanus ex Patre Theodosio, sedit annos VII. menses IX. dies XIII. Insignes beatissimi actus omnibus à primordio pueritiæ suæ fulserunt, intactisque moribus claruerunt. Sergius itaque auditâ famâ illius, ordinavit eum Subdiaconum. Leo ordinavit Diaconum. Mortuo igitur Benedicto, prædictus Pontifex Nicolaus, qui adhuc in Diaconali officio degebat, cum aliis Diaconibus gestans, propriis manibus illum tumulo collocavit. Eo autem tempore invictissimus Lodoicus Cæsar Româ discesserat. Qui ejus quum transitum cognovisset, condolens concitus ad eum reversus est. Romani quippe tanto Pastore amisso, mœstissimo gemitu lacrymas effundebant. Quumque Clerus, Proceres, & Optimatum genus congregarentur, jejuniis & orationibus atque vigiliis instantes, incessabili Dominum certamine obsecrabant, ut qualem amiserant, talem illis dignaretur ostendere virum, quem Pontificatus culmine sublevarent. Hæc verò quum gererentur, in Basilica Beati Dionysii Confessoris atque Pontificis cum universo Populo convenere, in qua per aliquot horarum spatium confabulantes, sidereo accensi fulgore, unanimes eum Apostolicæ Sedis Præsulem esse sanxerunt, & celeri gressu Principis Apo-

A stolorum Petri ad Aulam continuò properavere, in quam confugiens latitabat. Dicebat enim, indignum se esse tanti regiminis gubernacula suscepturum. Impetum verò qui aderant, facientes, & viribus illum de eadem Basilica abstrahentes, sacris acclamationibus in Patriarchium Lateranense introduxerunt, & in Apostolico solio posuerunt. Postmodum verò à nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam Populo in Basilica Beati Petri Apostoli deductus, præsente Cæsare consecratus est, Apostolica sublimatus in Sede, factus est Pontifex. Et Missarum solemnia supra sacratissimum Corpus Apostoli Beatissimi celebravit. Qui densis Optimatum, Populique agminibus circumdatus, cum hymnis & canticis spiri-B tualibus, in Patriarchium iterum Lateranense deductus est. Coronatur denique. Urbs exsultat, Clerus lætatur, Senatus & Populi plenitudo magnifice gratulaatur. Tertio consecrationis ejus die cum Augusto convescens sophistico famine resplenduit, caritateque plenus, epulabatur in Christo, finitoque conviviorum præparatu consurgit. His itaque gestis serenissimus Imperator Urbe discessit, sedemque in loco, qui Quintus dicitur, collocavit. Beatissimus autem Præsul hoc audiens, dilectionis ejus compulsus plenitudine atque amoris, ad eumdem cum Proceribus & Optimatibus locum Romani nominis pro-C peravit. Excellentissimus quem quum vidisset Augustus, obvius in adventu ejus occurrit, frænumque Cæsar suis manibus apprehendens, pedestri more quantum sagittæ jactus extenditur, traxit. Cum quo Imperiale ingressus tentorium, salubribus ad invicem fruebantur eloquiis: mensisque epulis perornatis, pariter cibum speciali sumserunt alacritate. Satiatis itaque eis, mensisque remotis, plura serenissimus Cæsar Beato Præsuli contulit dona. Quibus susceptis equum conscendens, unde discesserat, conabatur reverti. Augustus ejus amore fretus, Imperialis equi superscandens cathedram, ovanti cum eo incedebat animi voluntate. Ad quemdam quidem quum D pervenissent spatiosissimum itineris locum, Imperator equo descendit, equumque Pontificis iterum, ut supra meminimus, traxit, dulcissimisque se osculis ad invicem perornantes, luciflue gratulati sunt. Cæsar verò ad tentorium remeans, cœptum arripuit iter. Præsul autem nobilissimorum cœtibus, cum quibus profectus fuerat, septus, Romam ingressus, almificâque est conversatione magnificatus. Erat enim aspectu pulcher, forma decorus, doctus in verbo, loquela humilis, actu præclarus, jejuniis vigiliisque ditatus, & divino cultui intentus. Hujus præclari Pontificis tempore idem mensis Octobris die XXX. Indictione IX. fluvius, qui appellatur E Tiberis, alveum suum egressus est, & se per campestria dedit, intumuit, & inundatione aquarum multarum ingressus est per Posterulam, quæ appellatur Sanctæ Agathæ in Urbe Româ, horâ diei decimâ. Transcendit interea in quibusdam locis, & ingressus est in Ecclesiam Sancti Laurentii, quæ appellatur Lucinæ, inde se extendit & ingressus est in Monasterium Sancti Silvestri, ita ut de gradibus, qui ascendunt in Basilicam Beati Dionysii, præ multitudine aquarum ne unus videre-

(r) Australem partem,
(s) Lotharius,

(t) Congregationes Monachorum,

deretur, excepto uno, qui superiùs erat. A Et exinde expandit se per Plateam, quæ vocatur Vialata, & ingressus est Basilicam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ibidem est: tantumque intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius Ecclesiæ non viderentur præ multitudine aquarum. Et interea ascendit per Plateas & Vicos usque ad Clivum Argentarii; exinde rediens ingressa est per Porticum, quæ est posita ante Ecclesiam Sancti Marci: inde impetum faciens, cœpit decurrere in Cloacam, quæ est juxta Monasterium Sancti Laurentii Martyris, quod vocatur Pallacini. Ab ipso die, & deinceps cœpit paulatim aqua minui, & fluvius post multa damna facta, in suum alveum reversus est. Nam B domos & muros evertit, agros desertavit, evellens segetes, eradicans arbusta. Simili modo in mense Decembri, die XXVII. Natalis Sancti Johannis Evangelistæ, alia vice fluvius ipse, qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est, & in Civitate Romana omnia, ut supra, inundavit. Hujus temporibus Michaël filius Theophili Constantinopolitanæ Urbis Imperator ob amorem Apostolorum misit ad Beatum Petrum Apostolum dona per Episcopos, quorum nomina sunt hæc: Methodius Metropolitanus, Ismauel, & alii duo depositi ab honore Episcopatus, quorum nomina hæc sunt, Zacharias, & alius Theophilus. Et alius Imperialis Laicus, nomine Lasa, C vir Protospatarius, idem obtulit patenam ex auro puro cum diversis lapidibus pretiosis, albis, prasinis, & hyacinthinis: similiter Calicem de auro cum lapidibus & aliis donis.

Is denique prænominatus Pontifex Johannem Ravennatem Episcopum, qui pro suis criminibus tertiò commonitus ad Sedem Apostolicam venire contemsit, à Pontificali deposuit officio. Audiens itaque Archiepiscopus hoc, quod Summus fecerat Pontifex, Papiam adivit, & Ludoicum Imperatorem exoravit, ut eum adjuvaret. Imperator autem misit Pontifici, ut causam audiret. Præfatus autem Pontifex Concilium cum Episcopis, Archiepiscopis, atque Clericis in Domo, quæ dicitur Leoniana, fecit, eumque Archiepiscopum cum Imperialibus Nuntiis audivit. D Archiepiscopus itaque reum se dicebat esse. Misericordiam à Summo Pontifice cum universo Concilio expetivit. In angustiæ lamenta & nimiæ tribulationis se contulit; & quos poterat, cum lacrymis exorabat, dicens: *Miseremini mei, peto, miseremini mei, & clementiam Summi Pontificis, ut mei misereatur, expetite: quia ecce paratus sum ad omnia, quæ præceperit peragenda.* Quod nonnulli videntes & audientes, Summo referebant Pontifici, & sponsionis illius, quas lamentabili voce dabat, suggestiones ad liquidum exponebant. Tunc compatientissimus Papa Dominum, *qui* E *non vult mortem peccatoris*, imitatus, & misericordiâ motus, prælatum Archiepiscopum ad humilitatis viam perductum suscipere decrevit. Tunc illi confestim apprehensâ chartâ repromissionis & juramenti sui scriptâ, quæ tempore consecrationis suæ imperfectis confusisque, ut in eis videbatur, repleverat dictionibus, propriâ manu scribens, juxta consuetudinem ante decessorum suorum composuit, & Domum, quæ dicitur Leonina, in qua Beatissimus Præsul cum Episcopis, Presbyteris, Proceribus, & Optimatibus multis adstantibus residebat, conscendit; præ-

dictasque scripturas, quas fecerat, super vivificam Crucem Domini nostri Jesu Christi, atque sandalia ejus, & super sacrum quatuor Sanctorum Evangeliorum posuit Codicem. Et has manu tenens, innumeris, qui convenerant, audientibus, clarâ voce sponte juravit, sic omnibus diebus vitæ suæ observando integriter tenere atque perficere, sicut in ipsis suæ sponsionis continebatur atque legebatur, scripturis; quas etiam in conspectu omnium, ore proprio, legit, summoque Præsuli tradidit. His itaque peractis, ipse insignis & præcipuus Pontifex in Basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, cum omnibus Episcopis, & cuncto Clero, altero die descendit, & à Summo Pontifice jussus præ Notariis Archiepiscopus adfuit, & de crimine hæreseos, quo imputabatur, se expurgavit. Quem communioni ipse Pontifex restituit, & ut sacrarum Missarum solemnia celebraret, licentiam ei benignus indulsit. Sequenti verò die, præsidente eodem summo & universali Papa in eadem Domo Leoniana, & juxta morem residente Sanctissimo Sacerdotum, & Coëpiscoporum Collegio, adfuit idem Archiepiscopus, & jussu summi Præsulis resedit. Tunc Episcopi Æmilienses omnes proclamationem super eumdem Archiepiscopum fecere, & præfatus Pontifex præcepit, dicens ei: *Omni remotâ excusatione præter gravem corporis molestiam, quæ te omnino venire prohibeat, ad Sedem Apostolicam semel in singulis properare studeas annis, nisi fortè remorandi licentiam ab Apostolica Sede percipias.* Item Sanctissimus: *Episcopos per Æmiliam nisi post electionem Ducis, Cleri, & Populi, atque per Epistolam Apostolicæ Sedis, Præsulem non habeas consecrandi licentiam. Ipsos autem, quotiescumque ad Apostolicam Sedem accedere voluerint, nequaquam prohibeas. Sed & nullam dationem, quam sacri Canones non recipiunt, ab eis aliquando exigas. Præcipimus etiam, ut ipsos Episcopos illam malam consuetudinem, quæ à quibusdam Tricesimale dicitur, nullo modo Ravennati exhibere aut exercere compellas Ecclesiæ, nec ullum morem, qui contra Episcoporum privilegium sit, ab eis exigere quoquomodo tentes: Nihilominus præcipimus, ut numquam res cujuscumque personæ qualicumque ingenio, vel Chartulas acquisitas ac possessas aliquo modo occupes, aut titulum superimponas, donec in præsentia Apostolici, vel Missi ejus, aut Vestararii Ravennæ, legali ordine illos in judicio convincas.* Cumque hoc à Papa Beatissimo observandum Archiepiscopo Johanni fuisset injunctum ac imperatum, surrexit Sancta Synodus, & tribus vicibus acclamavit: *Rectum judicium summi Præsulis. Justa definitio totius Pastoris Ecclesiæ. Salubris institutio Christi discipuli; omnibus placet: omnes eadem dicimus, sapimus; omnes eadem judicamus.* Tunc tam eodem Archiepiscopo, quàm omni sancta Synodo, sacri verbi pabulo refectis, dulcissimique saporis à beatissimo Præsule nectare satiatis, unusquisque ad propria, licentiâ acceptâ Pontificis, exivit.

Ecclesiam autem Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ primitus antiqua, nunc autem Nova vocatur, quam Domnus Leo IV. Papa à fundamentis construxerat, sed picturis eam minime decoraverat, iste beatissimus Præsul pluribus ac variis fecit depingi coloribus, augens decorem, & plurimis corde puro ornavit operibus. Hujus de-

nique temporibus gloriosus Rex Bulgarorum cum toto sibi Regno commisso ad prædicationem ejus baptizatus est, atque Archiepiscopum ipsemet mox expetivit. Ipse autem Beatissimus Pontifex totum Mundum sedavit, atque Phobium invasorem & neophytum, ut mœchum, ejecit, & juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ibi Archiepiscopum constituit. Hic fecit ordinationes per mensem Martium Presbyteros VII. Diaconos IV. Episcopos per diversa loca LXX. Postquam autem Sedem Apostolicam sanctissime, & ut verus Dei athleta Catholice ac principaliter rexisset, ex hac luce Idibus Novembris Indictione prima migravit ad Dominum. Quo defuncto corpus ejus sepultum est ante fores Basilicæ Beati Petri Apostoli. Et cessavit Episcopatus Annos VIII. Menses VII. Dies XIX.

EX AMALRICO AUGERIO

DE ADRIANO II.

ADRIANUS II. natione Romanus, ex patre Thalaro fuit natus. Aliter dicitur, quod fuit Januensis. Qui post dictum Nicolaum Papam I. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXIII. Anno à Nativitate Domini DCCCLXIX.

Item quòd quum Lotharius Rex Franciæ esset excommunicatus à Nicolao prædecessore suo propter Gualdradam mulierem, quam ipse tenebat, & uxorem suam dimittebat, pro se excusando ab hujusmodi crimine, & super hoc ostendendo innocentiam suam, ad ipsum Adrianum apud Urbem Romanam cum multa comitiva ipse venisset, & postea ad istiusmodi excusationem, Corporis & Sanguinis Christi cum multis suis familiaribus nobilibus, & magnis viris ab ipso Papa communionem recepisset juxta ordinationem ipsius Adriani Papæ, tamdem ipse, & alii Nobiles eodem anno, judicio divino defuncti fuerunt, quia communionem prædictam, contra suam conscientiam & veritatem, Corporis Christi receperant.

Item quòd ipse Adrianus post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & à Clero & Populo fuit honorifice sepultus. Qui rexit Ecclesiam V. annis, Ludovico II. Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE SANCTO ADRIANO PAPA, ET HINCMARO PRÆSULE NOSTRO, KAROLO QUOQUE REGE.

Hinc sacra succedunt Adriani *jura* Secundi,
Qui pius ac placidus laudatur & ordine clarus;
Pauperibus largus, locupletibus atque benignus:
Omnibus & medius, nulli nisi carus habendus.
Compatiens passis, patientes improba servans,
Pastorumque ferens causâ; longinqua pererrat
Scriptis Regna, monens rigidos, reparans quoque fractos,
A *Justitiæque viam justo moderamine pandens,*
Utque Patres superi (u), Regis fastusque coërcet,
Ac maculis purgare nigris regale (x) laborat
Nunc monitu blando, nunc asperitate cubile.
(y) Pontificem is nostrum sumit Regemq; sodales,
Hincmarum & Karolum: sociosque laboris adoptat,
Sceptraque sic pariter tutari à crimine certat.
In multis etiam divina lege regendis
Hunc nostrum Patrem sibi fratrem adsciscit agonis.

(u) antecessores.
(x) Hlotharii.
(y) Vide Frodoardum Lib. 3. cap. 20.

E MANUSCRIPTO CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulfo Pisano.

DE ADRIANO II.

B ADRIANUS II. natione Romanus, ex patre Talaro Episcopo, sedit annos duos, menses undecim, dies duodecim. Hic quum aliquando inter Compresbyteros suos à Papa Sergio consuetudinaliter denarios quadraginta percepisset, domum regressus, equestri suo præcepit, ut multitudini peregrinorum, quos ante januam ejusdem domus invenit, ternos ex eisdem denariis singulis erogaret. Quumque ille neque tertiæ parti eorumdem singulos sufficere posse affirmaret, ipse acceptis denariis ternos singulis erogavit. In qua redundatione quum miraretur equester, liberalis Sacerdos ex residuis multitudini familiæ suæ iterum ternos cuique largitus est. At C quum sex superessent; *Vides*, inquit, *quoniam largitus est Dominus, qui ex illa quadragenaria quantitate mihi tibique ternos servavit misericorditer.* Hic quum ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei Genitricis Dominæ nostræ, quæ dicitur ad Præsepe, traheretur ad Lateranense Patriarchium, certatim à Clero & Proceribus & Plebe deportatus est. Quod audientes Missi Ludovici Imperatoris, moleste tulerunt, indignati scilicet, quod dum præsentes essent, non invitati fuerunt, nec optatæ à se futuri Præsulis electioni interesse meruerunt. Qui acceptâ ratione, quod non causâ contemtus Augusti, sed futuri temporis prospectu hoc D omissum fuerit, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum mos exspectandi per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem indignationem medullitus sedaverunt, ac ad salutandum Electum etiam ipsi humiliter accessere. Audiens hoc Ludovicus Christi amicissimus Imperator, mox Imperialem scribens Epistolam, cunctos Romanos, qui dignum tanto peregissent officio Præsulem, conlaudavit. Per quam Epistolam innotavit, nulli quippiam præmii fore pro consecratione Romani Pontificis quoquomodo pollicendum, quum ipse hanc non suorum suggestione, sed Romanorum potius unanimitate, ardentissime cuperet provenire, maxime E quum reddi quæ oblata fuerant, non auferri à Romana Ecclesia, vel deperire quippiam, se diceret anhelare. Hujus temporibus celebrata est apud Constantinopolim Synodus pro expulsione Photii, & restitutione Ignatii Patriarchæ; & Vulgarorum Legati coram Basilio Imperatore, & Legatis Quatuor Apostolicarum Sedium, longam disceptationem habuere; utrum Romanæ, ac Constantinopolitanæ Ecclesiæ subjecti esse deberent. Postea verò Legatus Michaëlis Vulgarici Regis cum do-

donis Regalibus Regias literas obtulit Summo Pontifici Adriano, deprecantes, ut aliquem ex Cardinalibus dumtaxat suæ Ecclesiæ, virum sapientiâ, personâque Archiepiscopatu vitâ dignissimum Bulgaris eligendo dirigeret, quem post approbationem eorumdem denuo remeantem Archiepiscopali officio sublimaret. Pontifex verò Silvestrum quemdam Subdiaconum Bulgaris eligendum direxit cum Episcopis Leopardo Anconitano, & Dominico Tervisiensi. Postmodum per Orientales, Constantinopolitanosque Bulgari donis, ac promissionibus persuasi, Græcos Sacerdotes suscipientes, Romanos ejecere. Iste Beatissimus oleo unxit, & Imperatorem constituit Carolum Lodoici filium.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE JOHANNE VIII.

JOHANNES VIII. post dictum Adrianum Papam II. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXIV. Anno à Nativitate Domini DCCCLXXII. secundùm unam Chronicam, sed in alia dicitur de DCCCLXXIV.

Item quod iste Johannes Corpus Sanctissimi Gregorii Magni, & unum Brachium Sancti Leonis Papæ I. in Ecclesia Senonensi, ob reverentiam istorum Sanctorum, & honorem, & perpetuò ibi dedit & assignavit, & cum magna solemnitate, ipse ibi collocavit, & multa alia bona ipse fecit.

Item quod iste Johannes post multos labores, & sui corporis afflictiones, migravit ad Dominum, & postea tam à Clero, quàm à Populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam decem annis, & duobus mensibus, Ludovico II. Imperatore tunc regnante.

DE MARTINO II.

MARTINUS II. post dictum Johannem Papam VIII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXV. Anno à Nativitate Domini DCCCLXXXII.

Item quod ipse Martinus post multos labores, & sui corporis afflictiones, ad Christum migravit. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, & quinque mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per duos dies, Carolo III. Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE JOAHANNE PAPA VIII., ET MARINO EJUS SUCCESSORE.

HOc rapto capit Octavus segmenta Johannes
Culminis eximii, quique effulsisse beatis
Moribus adstruitur, doctrinâ ornatus & actis.
Judicii custos, recti pietatis amator.
De Christi segete crebrò zizania pellens,
Et rationales per agros pia semina spargens:
Utpote doctiloquus, prudens, sensuque peritus,
Solicitum qui se gregibus præbebat alendis.
Quo patribus juncto solers subit alta Marinus
Regmina, qui placitus Domino, & decus Orbis habetur,
Augustis carus, Populorum dignus amator:
Doctrinis renitens, sacris & semina diva
Cordibus infundens hominum per climata Mundi.
Nam Grajos superans, pulsis erroribus unam
Reddidit Ecclesiam, scissumque coëgit ovile.
(z) *Pontificem nostrum Folconem hic fascibus ornans,*
Instruit ore, manu Pastoris comere jura,
Justitiæque ejus congaudet promtus amori,
Inque refutandis præstans suffragia pravis,
Fert se adjutorem, multam minitando superbis.
Hunc fratrem velut amplectens, incommoda revelet, (a)
Utque fidem monet, exhibeat, scriptoque revelet.
Hujus & ad nutum Patribus mandata resignans,
Contemtore super jubet exercere vigorem:
Et parti istius precibus se dedere curans,
Francorum Regem affectum retinere paternum
Hortatur, solans, votisque juvamina præbens.

E MANUSCRIPTO CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulfo Pisano,

JOHANNES VIII. natione Romanus, ex Patre Gundo, sedit annos X., menses II. Hic Beatissimus pro utilitate omnium Ecclesiarum Dei, & præcipue pro Gallicanæ Ecclesiæ, Arelatem maritimali itinere deductus est: ubi Leo Abbas in præsentia ejus veniens, contra (b) Gisbertum Nemausensem Episcopum conquestus est. Monasterium enim Sancti Petri, in quo quiescit Corpus Beati Ægidii in finibus Gothiæ in Valle Flaviana, quam Vallem Flavius quondam Rex Beato Ægidio donaverat, & Sanctus Ægidius exinde donationem integriter Romanæ Ecclesiæ, & Domno Papæ Benedicto fecerat, & ibi in veneratione Apostolorum Principum Petri & Pauli Monasterium ædificaverat, præfatus Gisbertus Nemausensis Antistes prædictum Monasterium quadam temeritate invadens, eidem Leoni Abbati abstulerat. Deinde Præceptum ex Rege Francorum exceperat, in quo nec firmitatem credens, Romanum Pontificem adiit, super hoc auctoritatem furtim quasi de suis Apostolicam exquisivit. Sed sanctæ recordationis Domnus Nicolaus Papa, licèt hujus fraudis esset ignarus, divino tamen spiritu plenus, omnes de hoc legem quærentes excusare fategit. Sed Domnus Johannes Papa quum munimentum Chartarum ejusdem Monasterii requireret, Privilegium, (c) quod Romæ Venerabilis Papa Benedictus Sancto Ægidio corporaliter tradiderat, ei oblatum est. Tunc Domnus Papa Johannes (d) per Deusdedit Ducem Ravennatem Advocatum suum contra Gisbertum Nemausensem Episcopum, ipsum Monasterium quæsivit. Tunc ambarum partium Advocatis per fidejussorem legatis, (e) exsequutionem dumtaxat Gregorio Scriniario, (f) & Deusdedit agente, voluit idem Gisbertus Episcopus per præceptum Domni Nicolai piæ memoriæ ibi relectum, quod furtim quasi de suis ex Apostolica Sede fraudaverat, & per præ-

(z) Vide Frodoardum Lib. 4. cap. 1.
(a) *fortè* vellat.
(b) *Apud Baluzium Tom.7. Miscellaneor. in Vita Johannis VIII. legitur* Gilbertum, & *infra* Gilbertus. *Ita semper.* Muratorius.

(c) *Baluzius:* quod Romanus.
(d) *Idem:* per Deusde Ducem.
(e) *Idem:* exsecutore dumtaxat.
(f) *Idem:* & Deusde agente.

præceptum, quod ex quodam Rege Francorum falsum exceperat, in quo nec ulla firmitas subsistebat, defendere. Sed Domnus Papa omnes Episcopos & Judices Romæ, vel Provinciales sub anathemate excommunicationis admonuit, de hoc rectam legem dicturos & facturos. Tunc Rostagnus Arelatensis Archiepiscopus, (g) & Aribertus Ebredumensis Archiepiscopus, Waldbertus Portuensis Episcopus, Paschalis Amerinus Episcopus, Radbertus Valentiæ Episcopus, (h) Litiduinus Massiliensis Episcopus, Ictarius Vivariensis Episcopus, & alii Episcopi Provinciæ & Judices, Johannes Dux, (i) & Dativus Ravennæ, Ardus, Adbertus, Guisalfredus, Arderardus, (k) Godulfus, & alii nonnulli Provinciales Judices, ut præceptum lectum audierunt, mox cognoverunt Apostolicam Domni Nicolai censuram, excusare de hoc legem quærentes. Et dixerunt per illud præceptum hoc Monasterium non posse defendi: judicantes statim, ut præfatum Monasterium Gisbertus Episcopus Domno Papæ redderet, & pœnam invasionis sibi componeret. Tunc ipsum Advocatum Deusdedit Ducem Ravennatem Domnus Papa illuc transmisit, qui super hoc corporalem traditionem de omnibus rebus prædicti Monasterii tam intus, quàm extra à præfato Gisberto Episcopo recepit. Deinde in Galliam transitum faciens Anno Incarnationis Dominicæ (l) DCCCLXXVIIII. XV. Kalendas Septembris, Indictione XI. Anno Pontificatus sui in (m) Sanctissima Sede Beati Petri Apostoli Sexto, (n) apud Trecas Civitatem, in præsentia Domni Ludovici Serenissimi Regis Concilium permaximum celebravit. (o) Hujus etiam temporibus floruit Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, qui tam Græco, quàm Latino eloquio pollens, Septimam universalem Synodum de Græco in Latinum transtulit. Transtulit etiam de Græco in Latinum Hierarchiam Dionysii Areopagitæ Athenarum Episcopi, scriptam ad Timotheum Episcopum Ephesi, & direxit Carolo Imperatori filio Ludovici. Transtulit etiam de Græco in Latinum Passionem Sancti Petri Alexandrini Archiepiscopi, & Passionem Sancti Acacii, sociorumque ejus, & Vitam Sancti Johannis Eleemosynarii.

DE MARINO II.

(p) MARINUS II. natione Gallisanus, ex patre Palumbo, sedit annum unum, menses quinque, dies (q) XI.

(r) *Ex Baluzio, Miscellaneorum Libro Septimo.*

Epistola Johannis Papæ VIII.

ROstagno *Archiepiscopo Arelatensi, Sigiboldo Archiepiscopo Narbonensi, & Roberto Archiepiscopo Aquensi, à paribus.* Veracium relatione comperimus, Gilbertum Nemausensem venerabilem Episcopum, quòd quoddam Monasterium nostrum, quod super eumdem Episcopum acquisivimus, ipse Gilbertus temere invaserit, cunctasque res ipsius Monasterii per suos homines distribuerit, & illius Monachos inde contra sacras Regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis displicuit, quantum, sicut ipse nobiscum advertis, calcatâ reverentiâ Venerandorum Canonum, contra Privilegium Apostolicæ Sedis eum fecisse non ambigis. Quapropter Fraternitati tuæ dirigimus, ut vice nostra cum Confratribus & Coëpiscopis nostris junctus eumdem Nemausensem Episcopum ad commune colloquium convocetis, & ex auctoritate nostra conveniatis, ut ab omni invasione ipsius Monasterii tam se, quàm suos removeat, & ulterius nec res ejus, nec Monachos illic Domino famulantes molestare præsumat. Quod si ipse surda aure, quod absit, per vos monita nostra audierit, tunc ex auctoritate Beati Petri Apostoli, cui idem Monasterium pertinet, simul & nostrâ, illum à ministerio Sacerdotali excommunicando suspende, quousq; dum aut ab ipsa invasione se subtrahat, aut ad Sedem Apostolicam, vel ad nostram præsentiam nobis satisfacturus occurrat. Agat in his sanctimonia tua, sicut illam agere decet, ut & nos Deo laudes, & tibi gratias referamus. Data XVIII. Kal. Julii Indictione XII.

Alia Epistola, seu Decretum ejusdem Papæ ex Baluzio. (s)

JOHANNES PAPA VIII. Si quis domum Dei violaverit, & aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dinoscitur, inde abstulerit, vel in Ecclesiasticis personis injuriam fecerit, donec in conventu admonitus legitime satisfaciat, sciat se communione fore privatum. Si verò post secundam & tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut secundùm Apostolum nemini fidelium misceatur.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE ADRIANO III.

ADRIANUS III. natione Romanus, ex patre Benedicto fuit natus, & post dictum Martinum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum exstitit Papa CXVI. Anno à Nativitate Domini DCCCLXXXIV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCLXXXV.

Item quòd ipse Adrianus statuit & ordinavit, atque inhibuit, ut de cetero Imperator se

(g) *Muratorius*: Nomen Ariberti Ebredunensis Episcopi deest apud Baluzium.
(h) *Baluzius*: Lituinus.
(i) *Idem*: & Daturus Ravennæ.
(k) *Idem*: Gondalfus.
(l) *Idem*: DCCCLXXVIII. XV. kal. Septembris. *Muratorius*: hæc ibi adnotat Baluzius: In veteri Codice adnotatum *est, ea acta esse Anno DCCCLXXIX. Indictione IX. & Concilium Trecense fuisse celebratum. Mense Aprili. Quod quum constare non possit cum veritate historiæ, notas illas correximus, ut in re certa.*
(m) *Baluzius*: in sacratissima.
(n) *Idem*: Sexto, (in mense) Augusto, Trecas Civitatē.
(o) *Muratorius*. Cetera quæ sequuntur, desiderantur apud Baluzium.
(p) *Muratorius*: Alter Codex Vaticanus habet *Martinus II.*
(q) *Idem*: In altero Codice Vaticano non legitur.
(r) *Baluzius*: Operæ pretium est heic subnectere Epistolam CXCI. Johannis Papæ VIII. quum in ea agatur de causa Monasterii Sancti Ægidii adversùs Gilbertum Episcopum Nemausensem.
(s) *Idem*: Addam istic aliam ejusdem Papæ Epistolam hactenus ineditam; in qua licèt non agatur de negotio Monasterii Sancti Ægidii, potest tamen ad illud quodammodo referri: quum illa sit decretum generale adversùs invasores rerum Ecclesiæ. Immo fortassis datum est occasione illius controversiæ.

A se intromittere non præsumat de electione futuri Romani Pontificis, neque Cardinales eum in ipsa electione vocare, nec eum amodo recipere præsumant.

Item quòd ipse Adrianus post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Christum feliciter migravit. Et postea à Clero & Populo honorifice exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, & tribus mensibus, Carolo Imperatore tunc regnante.

Item quòd post ipsum Adrianum successit BASILIUS. Et tamen pro ut testatur .... & hic dicit, quod ipsum Basilium Papam in aliis Libris scriptum non invenit, neque alii Chronicarum Auctores in Libris B ipsorum ullam de ipso mentionem fecerunt. Quare in numero aliorum Romanorum Pontificum, neque heic ponitur, nec designatur: unde sequitur de Stephano Papa V. Post autem dictum Adrianum Papam II. ponunt dictum Stephanum V. immediate successorem suum.

DE STEPHANO V.

STEPHANUS V. natione Romanus, ex patre Adriano fuit natus, & post dictum Adrianum Papam III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXVII. Anno à Nativitate Domini DCCCLXXXIV. secundùm unam C Chronicam, sed secundùm aliam dicitur DCCCLXXXV.

Item quòd iste Stephanus post multos labores, & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum; & postea tam à Clero quàm à Populo fuit honorifice sepultus. Et rexit Ecclesiam sex annis, & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica quinque diebus, Carolo III. Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE TERTIO ADRIANO PAPA, ET FULCONE NOSTRO PRÆSULE, KARLO QUOQUE AUGUSTO, ET DE STEPHANO QUINTO.

D

TErtius *emissos* Adrianus *honore secutus*,
Præsule jam dicto Folcone studente paratur
Remensi Pater Ecclesiæ, tutator & altor.
Jura sibi decoris firmans ut roboret apti,
Et contra adversos solatia debita præstet,
Nostrumque affectu Regem genitoris adoptet.
Præsulibus patrem pandens se rite benignum.
Quo citò prærepto, Stephanus *de nomine* Quintus
Fascibus evehitur summis, qui præmemoratum
Pontificem nostrum scriptis solando paternis,
E *Hunc dignum fratris, hunc nomine censet amici:*
Se promtum firmare ab eo quæ rite petantur.
Ille tamen servum potiùs se destinat imum,
Attollitque patrem, dominique impendit honorem.
Exoransque rogatores pro culminis ejus
Reddit luce alios, ac flagrat adire videndum:
Barbaricæ impediant acies nisi vota parati.
Ipsius ergo precum poscit munimine Regnum
Tam crudo redimi sævæ discrimine pestis.
Se quoque conari tota virtute reniti
Ejus Apostolico tendentibus atra nitori.

Quæ consanguineo magnati impendier audit
VVidoni: sibi ceu ferint impensa, capessit.
Remensi Ecclesiæ Romana præstita Sede
Intemerata jugi serventur honore, precatur:
Utpote juris Apostolici per cuncta fideli,
Quam certare sibi contra omnia livida novit;
Tradita pauperibus, sacrisque addicta ministris,
Sed perversa feris direpta furentibus ursis,
Adjuvet elisis evellere faucibus atris.
Adgaudet summus redditque levamina Præsul,
Seque probat fratris devotum in jure manere:
Hunc etiam & natum sub patris amore fovere,
Noxia quæ patitur ceu propria flagra dolere,
Assiduisque ejus precibus pro pace rogare,
Atque petita modo vel tempore cedere digno.
Præsulibus pervasa jubet quò reddere cogant
Raptorem; sacris, referat nisi rapta, repellant.
Augusto scribens Karolo, præconia Christo
Induperatoris pro sancto reddit amore.
Quo flagrans sublata diu patrimonia nostræ
Reddiderat sanctæ summo sub nomine Sedi:
Ac monet, ut peragat, quod adhuc hinc restat agendum,
Sumere perfectè queat ut mercedis honorem.
Folconi quoque gratificans, solamina confert,
Affectuque monet cœptis insistere votis
Erga Romanam summi moderaminis arcem.
Conquestos se indigna pati, suffragia legat:
Istius ad Patris mandatque juvamina ferri.
Sic peregrinantes sub amore & nomine Petri
Suscipiat petit, ac foveat, tueatur, honoret.
Pace laboranti totius & ordine Regni
Grates inde refert, crescatque hortatur ut instans.
Urbis Lingonicæ questus delegat eidem,
Contra vota premi Pastorum culmine plebem,
Nec digno impetrare Patrem molimine lectum:
Pontifici Lugdunensi mandata dedisse
Significans, æquo optatum sacraret honore.
Quo renuente diuque instante labore vacantis
Ecclesiæ, se prælectum sacrasse petenti.
Quocirca properans, quæ desunt impleat Urbi,
Regmina præficiat Rectoris rite dicati,
Præsulibusque aliis Papæ decreta revelet.
Ille paratus ad hæc, Patribus præcepta retexit.
Regi jussa notat, quo se prohibente moratur
Rex, donec Romam mittat, certamque resumat
Notitiam; post se nulla ratione premendum
Fert jussis ab Apostolicis, neque termine mortis.
Præterea patriis poscit se jure doceri
Dogmatibus, Papæ dignè ut sacra culmina servet.
Præsul Apostolicus hujus quoque regmina firmans,
Roborat Ecclesiæ quæ sunt data munera nostræ,
Jura antiquorum Procerum concessa nitore.
Nemo horum quidquam minuens usurpet inique,
Nec Præsul detur, Canonum nisi lege petatur.
Hæc si quis violet, nisus temerare statuta,
Sede Petri digne multa dictante prematur:
Edita conservans, benedici promereatur.
Pontifici huic nostro Synodum delegat habendam
Cum nonnullarum regionum Patribus, atque
Inter Agrippinæ trans-Rhenensesque Patronos
Audire æquandas justo moderamine causas.
Postmodo si valeat, præsens accedat, & ista
Cum multis aliis pariter pertractet agendis.
Hunc reliquos quoque Gallorum vestigia Patrum
Urbe Biturgensi super admonet improba ferri
Jura querente sibi, cui condoleant miserantes:
Increpitans, cur non referent præsumta silentes,
Qui se pro muro infestis opponere debent.
Justitiæ zelo quocirca armentur, agonem

Ag-

Aggressi Domini, ad propriamque redire Cathedram
Compellant præsumtorem, miseratio Papæ
Quam cedit dumtaxat ei: si temserit, omni
Sacrorum exsortem penitus se norit honore.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulfo Pisano.

ADRIANUS III. natione Romanus, ex patre Benedicto, sedit annum I. menses IV. (*t*) dies XVI. (*u*)

STEPHANUS V. natione Romanus, ex patre Adriano sedit annos VI. dies XIV. A morte Sancti Gregorii Papæ usque ad hunc Stephanum sunt Anni CCLXIV. menses II. dies XV.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE FORMOSO.

FORMOSUS Episcopus Portuensis, Cardinalis, post dictum Stephanum V. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXVIII. Anno à Nativitate Domini DCCCXC. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXCI.

Item quòd iste Formosus totam Ecclesiam Beati Petri Apostoli, quam citò fuit factus Papa, renovari fecit, quamvis ante suam promotionem male se habuisset in actibus suis. Nam quum semel propter timorem Johannis Papæ VIII. ab Urbe Romana fugisset, & suum Episcopatum Portuensem reliquisset, ideo, quia vocatus ad suum Episcopatum redire noluit, ab ipso Johanne Papa exstitit anathematizatus, & postea exstitit degradatus, maxime quia sibi assumebat laicalem habitum. Nam ipse juraverat, quod de cetero apud Urbem Romanam, nec ad suum Episcopatum numquam rediret. Postea autem à Martino Papa successore dicti Johannis fuit reconciliatus atque restitutus; & apud Urbem Romanam, & ad Episcopatum suum fuit reversus. Nam ipsum pœnitebat, præmissa commisisse. Et deinde in Romanum Pontificem fuit assumtus. Propter quod multa altercatio de facto exorta fuit in Ecclesia Dei, pro ut ex subsequentibus patet exemplis.

Item quòd iste Formosus rexit Ecclesiam V. annis, & V. mensibus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de IV. annis dumtaxat. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus diebus, Arnulpho Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE STEPHANO ET FORMOSO; TRANSLATIONE QUOQUE SANCTI CALISTI AD NOSTRAM URBEM.

FOrmosus *Stephanum sequitur: cui grammata noster*
A *Dirigit expositus supra quam sæpe Sacerdos,*
Congaudens subiisse vices hunc regmine Petri.
Has sermone simul supplere decenter & actu
Qui valeat, solans vehat ad potiora Cathedram.
Propitiumque Deum Ecclesiæ testatur in hujus
Culmine monstrari, quòd tam tractatur honeste.
Huic se subjiciens, famulatus omnis honorem
Spondet, & excusat, quòd eum non visere currat.
Atque refert grates, quod in solaminis orsa
Miserit, insinuans illum se optare videndum,
Et se ipsius in occursum quod signet iturum,
Proficuique offert decoris crementa daturum,
Ejus & ad nutum Stephani se se edere (*x*) *jussum.*
Resperssæ Ecclesiæ quæsitas robore poscit
Muniri, ejusdem vulsæ ne quando rapinis
B *Demantur sacris, avidis prædonibus actæ.*
Magni Pontificis Christi testisque Calisti
Membra sibi signis collata Abbate Rodulfo
Cum rebus Sancto applicitis, (*y*) *avellere quidam*
Quas nitebatur. Super his consulta requirit,
Auxiliumque petit, pravi pro jure premantur.
Et quia compererat, quodam molimine summam
Turbari Sedem; capiti ceu condolet artus,
Subjectis quoque Præsulibus qui indebita poscant,
Ne indigne faveat, suadet, sub tramite pacis.
Ille rependit ad hæc, studeant moderamina summi
Rectoris pariter verbis attollere & actis,
Juxta quod collata sibi fert gratia cuique:
Ne vacui sub ea servi culpentur haberi.
Quin aptos per eam fructus afferre laborent.
C *Illicita inhibeant, infandaque germina vellant,*
Et cunctis Christi famulis suffragia præstent.
Cujus opis causâ cupit hujus noscere curam,
Deplorans miseras clades hominumque labores,
Hostis & antiqui captantia retia fraudis,
Quis genus humanum crudeli pellicit astu.
Hinc hereses, hinc bella movens, & crimine gaudens,
Sanguine fervescens, odiorum litibus ardens,
Atque Orientales heresum schismate rumpens.
Unde Sacerdotes suadendo commonet, arma
Corripiant, arcamque levent descrimine sævo.
Conveniant igitur medium sibi poscere Christum,
Qui consulta ferat, det opem, faciatque salutem.
Ad quod Pontificem rogitat, contendere nostrum,
D *Accingi, properare, moras disrumpere cunctas,*
Auxiliumque malis Mundo conferre ruenti.
Christus sit via, dux Christus, victoria Christus.
Nec satis est monuisse semel, monitusque paternos
Haud iterare piget, Matris succedere cladi,
Disponi Synodum generali jure gerendam,
Ad quam festinet nullo impediente retentus
Pondere desidiæ, uberius simul omnia tractent,
Quæ tractanda fient: oracula clarius edant.
Barbaricæ gentis quis Francica regna procellis
Turbantur, nimium dolet; atque ut dextera summa
Has reprimat, Procerum Christi suffragia poscit.
Privatæ legis munimine jura petita
Remensi fert Ecclesiæ retinenda docendo,
Ac prohibendo nefas, ne quis præsumat inique
E *Attrectare sacris possessa aut demere cessa.* (*z*)
Nullaque Pontificum, Regum, Comitumve potestas,
Illicitè usurpans, proprios inflectat in usus,
Quæ sunt Ecclesiæ. Quam Præsul fortè vacantem
Nullus ut invadat, violentum adspiret in ausum:
Nec nisi condigno Præsul statuatur honore,
Pontifices, Reges, Clerus, subjectaque plebes
Provideant, operante Deo ut bene tradita servent,
Amplificent, decorent, supera mercede propagent.
Dispositum digne præmisso Præsule quisquam
Non

(*t*) *Muratorius*. In altero Codice Vaticano non legitur.
(*u*) *Idem*: Alter Codex Vaticanus: *Stephanus VI.*

(*x*) *Mabillonius*: exsequi.
(*y*) *Idem*: concessis.
(*z*) *Idem*: concessa.

A *Non mutilare decus, non immutare subintret:*
Usibus at maneant servorum dedita Christi
Integra Pontifici, dignis tractanda ministris.
Hæc contra quisquis præsumserit acta venire,
His se multarum scitis anathemate norit:
Servator vitam mereatur habere perennem.
Rebus Avennaci, super almi & jure Calisti,
Tum decreta paci provexit robore fulta.
Præterea quod compererat per devia quosdam
Pontificum ferri, Populisque exempla ruinæ
Dedere, & increpitos non digna rependere suasis;
Quin & deteriora sequi, nec dira cavere:
Non sine mærore gravi tolerare fatetur.
Ad pacem invitans extinguere scandala quærit,
Pontificum fastu Christus quia temnitur atro.
B *Noster & Antistes dolet, arguit, increpat, angit.*
Unde monens mandat junctos hunc cogere Patres,
Atque alios accire probos, decretaque Legis
Pandere divinæ, Synodum celebrare vigore
Cesso (a) juris Apostolici munimine fultam,
Noxia vellendo gregibus, profutura serendo.
At si quid fuerit perversæ litis obortum;
Præsulis eximii servetur cognitioni,
Dante Deo dignum valeant ut sumere finem.
Cui se Concilio tentet subducere nemo,
Quisquis Apostolici consors cupit esse favoris.
Bellorum motus per Francica regna coërcens,
Primates monet Ecclesiæ certare labore,
Totius curæ madeant ne Regna cruore,
Christicolæ Reges, bellisve armentur iniquis.
C *Attrectare nefas aliena, invadere cessent.*
Bella soporentur, commotio sæva prematur,
Dum Româ Folco redeat, pax sceptra gubernet.
Hæc eadem exhortans ad pacem scribit Odoni,
Ne Carolum contra bellum moveatur iniquum,
Ne vetitos ineat fines, invadere nitens
Externi quæ sunt juris, cupidusque rapinis
Abstineat, vitans rectos transcendere calles.
Quæ Domino placeant, solerti mente retractet,
Ante oculos statuens ejus sub amore timorem.
Pace laborantis congaudens Præsulis actis,
Admonet his cauto Folconem insistere nisu,
Pax odiis ne inconsulte quæsita facessat,
Regia neu celsi generis scintilla teratur.
Crimina sceptrigeri prudenti arcenda medelâ,
D *Regmine pro Regni ne pessima scandala surgant.*
Hortatu Carolum solers gratanter honorat,
Gaudens hunc patriæ provectum culmine sedis,
Atque petens Christo placitum per tempora longa
Crescere justitiâ, pietate, & luce sophiæ.
Ac monet, ut Dominum cordis præ lumine ponat,
Jussibus ipsius totis conatibus hærens.
Diligat, & servet quæ justa ac recta probarit.
Admoveat justis aurem, divertat iniquis.
Sit virtute animi, carnis præstantior usu,
Corporis ac mentis hostes ut sternere possit;
Se quoque quæ valeat spondens argumenta daturum.
Panem pro grato benedictum munere legat,
Quæsierat geminæ quem Rex sub dote salutis.
Solertes cum quis tractentur commoda mandat,
E *Immo Sacerdotem Folconem ad talia mittat,*
Cujus consiliis utillima quæque decori
Edantur, Regis cumulandi & culminis apta.
Quorumdam querulo nimium clamore petitus,
Urbem indigna pati queritur, metuique clientes:
Sedandis quibus exhibeat se Folco reposcit.
Comperto tamdem is veri moderamine Præsul,
Quàm sit Apostolicis fidus, quàm jussibus ardens;
Parere æthereis gaudet, gratesque rependit,
Spondens se in quibus expediat præbere benignum:

(a) *Idem*: concesso.
(b) *Idem*: Episcopo.

Hujus & ad votum Regum pressisse duellum.
Præsulibus, Regique ideo mandata dedisse,
Tutius ipse Petri valeat quò visere Sedem.
Hunc quoque fratris honore colens, specialia legat
Munia carorum, tutandum poscit honorem,
Scandala proterere, & pacis connectere vincla:
Frenare implacidos, & ad almam cogere pacem,
Idque Petri latum fidat sibi munere donum.
Lambertum Augustum, Folconis carne propinquum;
Ut proprium se tutari solamine natum
Significans, nostri gratissima Præsulis effert
Vota, quibus Petri veneratur honore Cathedram.
Sacrilegos quosdam sacrati culminis atros
Carptores, summi capitis clarissima membra
Attemerare ausos, anathematis ense recisos
Notificans, monet hunc nodos dignæ addere multæ.
Sceptrigeri quoque cognati pro culmine certet.
Sicque Parisiaco legans mandata Patrono, (b)
Hos Anscherio notat esse omnino cavendos,
Ac vitanda nigri consortia dira furoris.
Ecclesiam solans Senonum Pastore gementem
Addicto latebris, damnando (c) *criminis ausu:*
In Domino sperare monet; patienter acerba
Spe decoris ferre ætherei virtute Tonantis.
Fidere se proprio solandam Præsule viso:
Se damnasse feros Patribusque notasse terendos
Flamine divino, ne quis dein talia tentet.
Missurum se Legatos, ubi tempora digna
Se tulerint, quis sedentur hujusce procellæ.
Lingonici sævo raptori Præsulis orsa
Dirigit, ut tamdem gestis resipiscat amaris,
Pontificem reddat, damnet quæ dira patrarit.
Sin secus, æternæ plectetur tormine multæ.
Sacrilegis super his patrios delegat Odoni
Sceptrigero monitus, ut sciat hos anathemate plexos:
Quos nec suscipiat, nec eis affamina jungat,
Ipsorum se se maculari crimine vitet.
Quin immo Ecclesiæ præstans solamina tritæ,
Protegat, auxilium impendens, ubi viderit aptum.
Hæc eadem Carolo mandata tenenda relegat.
VValtarium Senonum, temerantem oracula legum,
Corripit increpitans; Trecasinæ intulit Urbi
Regmina non lecti cur Præsulis, atque recepti
Ex alia Ecclesia contra decreta paterna.
Quem removens, lectum (d) *statuit, moderamina tradit,*
Sacratoque sacrum Ricueo impertit honorem:
Nullus ut obsistat scitis, comitatur euntem.
Huic Patri Carolus Formoso *grammata legans,*
Seque suique apicis committit jura tuenda:
Eximias referens grates sub honore favoris,
Se, genus atque suum dignum quia laude putarit,
Provectumque ejus gratum sibi duxit habendum.
Noverit erga sibi Regem pro scire fidelem,
Devotum & famulum jussis servire paratum.
Ejus præsidio licitum sit fidere: tantum
Hostis Apostolicam nequeat divertere mentem.
Augustum sibi conciliet, Christumque precetur
Pro se, proque sibi commissi regmine Regni,
Cujus ut in partes accedere censeat, orat:
Ipsius adspectu solari ac famine possit.
Interea panem benedictum munere mittat,
Tutelæ nullique favens adsentiat hosti.
Quin adversa premat sacro molimine, jure
Crescat ut ipsius sumtum munimine Regnum.
Folco etiam Præsul grates à Sede vocatum
Se referens Petri, poscit suffragia Regi.
Gratificans Regis quòd res suscepta benigne
Tractetur, patrio foveantur sceptra nitore,
Soli-

(c) *Idem*: damnabili.
(d) *Idem*: electum.

Solicitus (e) pro regali quòd germine Papa.
Suggerit ergo petens, faveat ne partibus hostis,
Roboret id magis, exaltans, & viribus augens:
Accumulet precibus, votisque ad sidera missis.
Pulsari adjiciens hoc ab hostibus undique fusis.
Quos rogat arceri, pervasoresque repelli,
Prædones reprimi moderamine regminis almi:
Ne inter Christicolas bellum civile geratur,
Naufragio Ecclesiæ ne gaudeat æmulus atrox,
Illicitos ibi subjectis nitentibus ausus.
Quid medicamenti impendat, consulta reposcit.
Lamberto Induperatori sibi carne propinquo
Multimodam agnoscens curam dependere Papam;
Gaudet, ac exposcit, maneat dilectio talis.
Quem licèt affinem nullo sibi jure colendum
Prodit, amicitia Patris nisi noverit auctum.
At Carolo Regi petit hunc sub fœdere necti,
Huicque ambos Regum solatia pendere proli.
Damnatis queat & si quid medicaminis addi,
Quòque modo vel quâ hos valeat curare medelâ;
Expromi sibi deposcit servire parato.
Præsul hic egregius Formosus *laudibus altis*
Evehitur, castus, parcus sibi, largus egenis:
Bulgaricæ genti Fidei qui semina sparsit.
Delubra destruxit, Populum cælestibus armis
Instruxit, tolerans discrimina plurima, promtus.
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et bene viventi metuenda incommoda nulla.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

FORMOSUS, natione Portuensis, ex patre Leone, sedit (f) Annos V. Menses VI. Dies VIII.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE BONIFACIO VI.

BONIFACIUS VI. natione Tuscus, post dictum Formosum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXIX. Anno à Nativitate Domini DCCCXCV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXCVI.

Item quòd iste Bonifacius post paucos dies ad Dominum migravit, & tam à Clero, quàm à Populo honorifice exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam quindecim diebus, Arnulpho Imperatore tunc regnante.

DE STEPHANO VI.

STEPHANUS VI. natione Romanus post dictum Bonifacium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXX. Anno à Nativitate Domini DCCCXCVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXCVII.

Item quòd iste Stephanus à dicto Formoso Papa suo prædecessore Ananiæ fuerat Episcopus ordinatus, sed postea factus Papa ipsum Formosum, & omnia facta sua valde fuit persecutus, nam omnes ordinationes per dictum Formosum factas irritavit, atque nullas fore decrevit.

Item quòd iste Stephanus Concilium suum

A congregavit, & apud Urbem Romanam ipsum celebravit, & tunc coram se corpus dicti Formosi Papæ sine Papali veste, immo laicali habitu indutum, poni fecit, & deinde digitos à sua manu dextra abscidi fecit, & postea ejus manum in flumen Tiberis Urbis Romæ jactari præcepit.

Item quòd iste Stephanus post modicum tempus de hoc seculo migravit; qui rexit Ecclesiam uno Anno, & tribus mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tribus diebus, Arnulpho Imperatore tunc regnante.

DE ROMANO.

B ROMANUS Papa unicus, natione Romanus, post dictum Stephanum VI. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXI. Año à Nativitate Domini DCCCXCVII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXCVIII.

Item quòd ipse Romanus post paucos dies migravit ad Dominum secundùm unam Chronicam, quia non rexit Ecclesiam nisi tribus mensibus & viginti duobus diebus: sed secundùm aliam dicitur de tribus annis, Arnulpho Imperatore tunc regnante.

DE THEODORO II.

C THEODORUS II. natione Romanus post dictum Romanum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXII. Anno à Nativitate Domini DCCCXCVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCXCIX.

Item quòd ipse Theodorus reprobavit ea, quæ fecerat Stephanus VI. prædecessor suus contra Formosum Papam supradictum, intantùm quod omnes ordinatos à dicto Formoso Papa reconciliavit & reintegravit. Et deinde post modicum temporis migravit ad Dominum, quia nisi per XX. dies non rexit Ec-
D clesiam, Arnulpho Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE BONEFACIO PAPA, ET SEXTO STEPHANO, THEODORO QUOQUE PAPA.

Hinc subit ad modicum vates Bonifacius *almus.*
Ter quinos hic in arce dies explevit honoris:
Culmina mox mutans, superat fastigia celsa,
Inque brevi spatio quæsita cacumina scandens,
E *Inter Apostolici Proceres adscribitur albi.*
Tum Sextus Stephanus *sacra regmina culmine carpit,*
Durus qui nostris, propriis at durior instat.
Sæva quidem legat vivis, truciora sepultis.
Folconemque minis, Formosum concutit actis.
Concilium gregat infaustum, cui præsidet atrox:
Prædecessorem abjiciens ponensque Patronum.
Visus ab hinc meritis dignam incurrisse ruinam,
Carptus & ipse sacrâque abjectus Sede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris,
Et

(e) *Idem*: Sit.

(f) *Muratorius*: Alter Cod. Vat. *Annos VI. dies XVIII.*

Et suffocatum crudo premit ultio leto.
Post hunc luce brevi Romani *regmina surgunt.*
Quattuor haud plenos tractans is culmina menses,
Æthere suscipitur, meritos sortitus honores.
Quo rapto breviore subit fastigia sorte
Dilectus Clero Theodorus, *pacis amicus.*
Bissenos (*g*) *Romana dies qui jura gubernans,*
Sobrius & castus, patriâ bonitate refertus,
Vixit pauperibus diffusus amator & altor.
Hic Populum docuit connectere vincula pacis.
Atque Sacerdotes concordi ubi junxit honore,
Dum propriis revocat dissectos sedibus, ipse
Complacitus rapitur decreta Sede locandus.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

BONIFACIUS VI. natione Romanus, ex patre Adriano Episcopo, sedit dies XV.

STEPHANUS VI. natione Romanus, ex patre Johanne Presbytero, sedit annum I. menses III.

Hujus tempore Ecclesia Lateranensis ab Altari usque ad portas cecidit.

ROMANUS, natione Gallisanus ex patre Constantio, (*h*) sedit menses IV. dies XXIII.

THEODORUS II. natione Romanus, ex patre Photio (*i*), sedit dies XX.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE JOHANNE IX.

JOHANNES IX. post dictum Theodorum Papam II. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXIII. Anno à Nativitate Domini DCCCXCIX. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCC.

Item quòd ipse Johannes post suam promotionem habuit magnam discordiam cum Romanis. Nam quidam ipsorum tenebant & defendebant partem prædicti Formosi Papæ sui prædecessoris, alii verò totum contrarium. Et ideo cum illis sibi rebellantibus, & contra Formosum Papam insurgentibus, maximam pugnam habuit, & inter ipsos summa iniquitas exorta fuit.

Item quòd ipse Johannes propter confirmandas ordinationes, quas dictus Formosus fecerat tempore suo, apud Ravennam Synodum celebrari fecit; in qua LXXIV. Episcopi interfuerunt; ubi Synodus, quam Stephanus Papa prædecessor suus celebraverat contra dictum Formosum Papam, penitus fuit reprobata. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, & quindecim diebus, Arnulfo Imperatore tunc regnante, ex progenie Caroli Magni, tempore istius Johannis Papæ deficiente.

DE BENEDICTO IV.

BENEDICTUS IV. natione Romanus, post dictum Johannem IX. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXIV. Anno à Nativitate Domini DCCCCII.

Item quòd ipse Benedictus Papa post multos labores de hoc Seculo migravit, & rexit Ecclesiam tribus annis & duobus mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XVI. diebus, Ludovico III. Imperatore tunc regnante.

DE LEONE V.

LEO V. post dictum Benedictum Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXV. Anno à Nativitate Domini DCCCCIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCIV.

Item quòd iste Papa post triginta dies secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quadraginta diebus, tempore suæ promotionis, à quodam Christophoro Presbytero suo proditionaliter fuit captus, & in quodam carcere crudeliter exstitit inclusus. Et postea ipse Christophorus per invasionem & intrusionem, Sedem Apostolicam occupavit, Ludovico Imperatore tunc regnante.

DE CHRISTOPHORO.

CHRISTOPHORUS post dictum Leonem Papam V. Sedem Apostolicam tyrannice occupavit, & in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXVI. Anno à Nativitate Domini DCCCCV.

Item quòd quum ipse Christophorus sic in Papatu fuisset intrusus, & postea à Sede Apostolica ipse expulsus fuisset, ideo Sergius III. qui sequitur, in Romanum Pontificem canonice exstitit assumtus; & dictus Christophorus ab ipso Sergio Papa, tamquam intrusus, & Sedis Apostolicæ invasor, in quodam carcere postea fuit positus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm alias dicitur, quod de Papatu dejectus exstitit Monachus deinde factus, Ludovico Imperatore tunc regnante.

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE SANCTIS JOHANNE, SERGIO, BENEDICTO, LEONE, ATQUE CHRISTOPHORO.

JOhannes *subit hinc, qui fulsit in ordine* Nonus,
Pellitur electus patriâ quo Sergius *Urbe,*
Romulidumque gregum quidam trahuntur abacti.
Conciliis tamen is ternis docuisse refertur
Dogma salutiferum, novitasque abolita malorum,
Et firmata Fides doctrinis tradita Patrum.
Tum sacra consurgunt Benedicti *regmina* Quarti,
Pontificis magni, meritò qui nomine tali
Enituit, cunctis ut dapsilis atque benignus.
Huic generis nec non pietatis splendor opimus
Ornat opus cunctum, meditatur jussa Tonantis.
Prætulit hic generale bonum lucro speciali.
Despectas viduas, inopes, vacuosque patronis
Assiduâ ut natos proprios bonitate fovebat:
Mercatusque polum, indiguis sua cuncta refudit.
Post quem celsa Leo *jura, notamine* Quintus.
Emi-

(*g*) *Mabillonius*: an *bis senos*.
(*h*) *Muratorius*: alter Codex Vaticanus *Constantino*; alter etiam.
(*i*) *Idem*: Alter Cod. Vat. *Fatio*. & sic alter.

Emigrat ante suum quàm Luna bis impleat orbem.
Christophorus *mox sortitus moderamina Sedis,*
Dimidio ulteriusque parum dispensat in anno.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

JOHANNES IX. natione Tiburtinus, ex patre Rampoaldo, sedit annos II. dies XV.

BENEDICTUS IV. natione Romanus, ex patre Mammolo, sedit annos IV. menses VI. dies XV.

LEO V. Iste forensis fuit natione Ardeatinus de loco, qui appellatur Papi. (*k*) Sedit annum I. dies XI. (*l*)

CHRISTOPHORUS, natione Romanus, ex patre Leone, sedit menses VII. Hic ejectus est Papatu, & Monachus effectus est.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE SERGIO III.

SERGIUS III. natione Romanus, ex patre Benedicto, post dictum Christophorum intrusum fuit canonice electus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXVII. Anno à Nativitate Domini DCCCCVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCVII.

Item quòd quamvis iste Sergius tunc Diaconus per dictum Papam Formosum à Papatu fuisset reprobatus, tamen postquam ipse Papa fuit factus, postea ad Francos se transtulit, quorum auxilio, quum Christophorus ipsius Papatus invasor esset incarceratus, Romam ipse latenter est ingressus, & dictum Papatum obtinuit. Et deinde in vindictam suæ repulsionis ipse prædictum Formosum Papam de sepulcro suo extrahi fecit, & in quadam Sede in Pontificali & veste Sacerdotali ipsum indutum, in præsentiâ omnium publice decollari fecit, & deinde in fluvio Tiberis eum jactari fecit. Postea omnes per ipsum ordinatos exordinavit. Qui quidem Formosus postea à Piscatoribus inventus, in Basilica Beati Petri Apostoli in quodam lectulo deportatus fuit. Unde tunc quædam Sanctorum imagines eum adorasse, & venerabiliter salutasse palam omnibus visæ fuerunt.

Item quòd quum tempore ipsius Sergii Ecclesia Lateranensis ad terram ex toto cecidisset, ipse Sergius istam Ecclesiam reædificari fecit à summo ejus usque ad fundamentum ipsius. Qui quidem postea migravit de hoc seculo, & rexit Ecclesiam VII. annis, III. mensibus, & XVI. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica septem diebus, Ludovico Imperatore tunc regnante.

DE ANASTASIO III.

ANASTASIUS III. natione Romanus post dictum Sergium III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXVIII. Anno à Nativitate Domini DCCCCXII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCXIV.

Item quòd ipse Anastasius post modicum tempus de hoc seculo migravit. Et rexit Ecclesiam duobus mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per duos dies, Berengario Imperatore tunc regnante.

DE LANDONE.

LANDO natione Romanus post dictum Anastasium III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXIX. Anno à Nativitate Domini DCCCCXIV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCXVI.

Item quòd iste Lando post paucos dies de hoc seculo migravit. Et rexit Ecclesiam VI. mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XXXVI. diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de XXVI. diebus, Berengario Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE X.

JOHANNES X. post dictum Landum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXX. Año à Nativitate Domini DCCCCXVI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCXVII.

Item quòd ipse Johannes fuit filius Sergii Papæ, & Archiepiscopus Ravennensis, & Ecclesiæ Ravennensis intrusus invasor; sed postea ab omni Populo Ravennatensi depositus exstitit atque depulsus. Verumtamen postquam ipse fuit factus Papa, consilio & auxilio ipsius, omnes Saraceni, qui tunc in Italia dominabantur, prope Romanam Urbem devicti fuerunt in quodam prœlio, & ab Italia effugati fuerunt.

Item quòd ipse Johannes Papa cum quodam Marchione, nomine Alberico, & cum magno exercitu apud Apuliam perrexit, & contra Saracenos, qui in partibus illis erant, bellum fecit. Et tamdem gratiâ Dei suffragante victoriam contra ipsos Saracenos obtinuit, atque triumphum. Qui quidem capti postea, apud Urbem Romanam fuerunt reducti, & à Clero & Populo cum magno gaudio exstiterunt recepti.

Item quòd iste Johannes Papa à militibus cujusdam Comitis, nomine Guidonis, fuit violenter captus, & postea in duro carcere inclusus; & deinde imposito uno cervicali ab eis super os ipsius Johannis Papæ, statim extinctus fuit atque strangulatus; & deinde in loco ipsius quemdam alium Johannem fratrem Alberici Romani in Papatu sibi subrogaverunt. Sed postea dicto Guidone de suo regimine expulso, statim ipse Johannes intrusus, à Sede Apostolica exstitit dejectus. Quare ipse non ponitur in numero Romanorum Pontificum.

Item quòd ipse Johannes Papa rexit Ecclesiam XIII. annis, II mensibus, & IV. diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de XIV. annis, Berengario Imperatore tunc regnante.

DE

(*k*) *Idem*: Alter Cod. Vatican. *Priapi*.

(*l*) *Idem*: Alter Cod. Vatican. *dies* XL.

A

DE LEONE VI.

LEO VI. natione Romanus, post dictum Johannem Papam X. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa CXXXI. Anno à Nativitate Domini DCCCCXXV. secundùm unam Chronicam, sed in quadam alia Chronica dicitur de DCCCCXXVII.

Item quòd ipse Leo Papa post modicum tempus ab hoc seculo migravit. Et rexit Ecclesiam per septem menses secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de octo mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus, Hugone Imperatore tunc regnante. B

DE STEPHANO VII.

STEPHANUS VII. natione Romanus, post dictum Leonem Papam VI. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXXII. Anno à Nativitate Domini DCCCCXXXI. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCXXX.

Item quòd iste Stephanus modico tempore vixit, quia nisi duobus annis, uno mense, & duodecim diebus rexit Ecclesiam. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus diebus, Berengario III. Imperatore tunc regnante. C

DE JOHANNE XI.

JOHANNES XI. natione Romanus, post dictum Stephanum VII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa CXXXIII. Anno à Nativitate Domini DCCCCXXXII. secundùm unam, sed secundùm aliam Chronicam dicitur de DCCCCXXXI.

Item quòd iste Johannes rexit Ecclesiam quatuor annis, decem mensibus, & quindecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per unum diem, Berengario III. Imperatore regnante. D

DE LEONE VII.

LEO VII. natione Romanus, post dictum Johannem Papam XI. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXXIV. Anno à Nativitate Domini DCCCCXXXII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCXXXI.

Item quòd ipse Leo rexit Ecclesiam IV. annis, X. mensibus, & XV. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense, Berengario III. Imperatore tunc regnante. E

EX FRODOARDO

De Pontificibus Romanis.

DE SERGIO, ET CETERIS AD LEONEM SEPTIMUM.

SErgius *inde redit, dudum qui lectus ad arcem*
Culminis, exsilio tulerat rapiente repulsam:
Quo profugus latuit septem volventibus annis.
Hinc Populi remeans precibus, sacratur honore
Pridem adsignato, quo nomine Tertius *exit*
Antistes: Petri eximia quo Sede recepto
Præsule gaudet ovans (m) annis septē amplius Orbis.
Ipse favens Cleri censurâ in culmine rapto
Falce ferit pervasores. Quo rebus ademto
Humanis, in Anastasium *sacra concinit Aula,*
Tertius *hoc Præsul renitet qui nomine Romæ,*
Sedis Apostolicæ blando moderamine rector,
Sentiat ut Christum veniæ sibi munere blandum.
Quando dein summam Petri subit ordine Sedem,
(n) Mensibus hanc coluit sex, ut denisque diebus.
Emeritus Patrum sequitur quoque fata priorum. (o)
Surgit ab hinc Decimus *scandens sacra jura* Johannes.
Rexerat ille Ravennatem moderamine plebem.
Inde petitus ad hanc, Romanam percolit arcem
(p) Bis septem qua prænituit paullo amplius annis.
Pontifici hic nostro legat segmenta Seulfo.
Munificisque sacram decorans ornatibus aulam,
Pace nitet, dum Patriciâ deceptus iniquâ
Carcere conjicitur, claustrisque artatur opacis.
Spiritus at sævis retineri non valet antris:
Emicat immo æthrâ decreta sedilia scandens.
Pro quo celsa Petri Sextus Leo *regmina sumens,*
Mensibus hæc septem servat, quinisque diebus: (q)
Prædecessorumque petit consortia vatum.
Septimus *hinc* Stephanus *binos præfulget in annos,*
Aucto mense super, bisseno ac sole jugato.
Dispositâ post quod spatium sibi Sede locatur.
Nato Patricio hinc cedunt pia jura Johanni:
Undecimus *Petri hoc qui nomine Sede levatur.*
Vi vacuus, splendore carens, modò sacra ministrans.
Fratre à Patricio (r) juris moderamine rapto,
Qui matrem incestam rerum (ſ) fastigia mœcho (t)
Tradere conantem decimum sub claustra Johannem
Quæ dederat, claustri vigili & custode subegit.
Artoldus noster sub quo sacra pallia sumit,
Papaque obit, nomen geminum fere nactus in annum.
Septimus *exsurgit* Leo, *nec tamen ista volutans,*
Nec curans, apicis Mundi nec celsa requirens:
Sola Dei quæ sunt, alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renutans.
Raptus at erigitur, dignusque nitore probatur
Regminis eximii, Petrique in Sede locatur.
Sed minime adsuetam linquit decoramine curam,
Deditus assiduis precibus, speculamine celsus.
Affatu lætus, sapiens atque ore serenus.
Qui (u) me visentem æetherei pia limina Petri
Jo-

(m) *Mabillonius*: Baronius & alii Sergio tribuunt tres annos dumtaxat cum mensibus quatuor: Frodoardus annos septem.

(n) *Idem*: Anastasio Baronius annos duos, menses viginti: Frodoardus menses sex cum denis diebus.

(o) *Idem*: Frodoardus prætermittit *Landonem*, quem alii Bandonem vocant.

(p) *Idem*: Johanni Decimo adscribit non integros annos quindecim.

(q) *Idem*: Leoni verò nominis Sexto, menses septem & quinos dies: Cum recentiores ei tribuant solùm menses sex, dies quindecim.

(r) *Idem*: Albrico.

(ſ) *Idem*: Imperii.

(t) *Idem*. Hugoni Regi Langobardorum.

(u) *Muratorius*. De se ipso loquitur heic Frodoardus, qui se Leoni Septimo ætate supparem aperte prodit, cum quo & Romæ collocutum fuisse ait, sub eodem finem demum imponens Vitis Romanorum Pontificum.

Jocunde excipiens, animo quæsita benigno
Admisit, favitque pie, studuitque modeste:
Famina grata ferens, epulis recreavit utrisque,
Corporis atque animæ: benedixit, & oscula libans
Ac geminans dono cumulatum muneris almi,
Pergere lætantem amplexu dimisit honoro.
Quem Pater omnipotens alacrem cultuque venustum
Attollat, servetque diu, digno excolat actu.
Et cum Præsulibus Sanctis, consortia quorum
Promeruit, Sedis præstet super æthera Sedem:
Cum quibus æternum maneat præclarus in ævum.

A

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

B

SERGIUS III. natione Romanus, ex patre Benedicto, sedit annos VII. menses III. Dies XVI. Hic Basilicam Sancti Johannis, quæ appellatur Constantiniana, quæ temporibus Domni Stephani VI. Papæ ceciderat, à solo reædificavit, & diversis donis & ornamentis ditavit, sicut ex utraque parte parietum literis exaratum usque hodie legi potest ante columnas æreas, quæ sunt coram Altari.

ANASTASIUS III. natione Romanus, ex patre Lutantio (x), sedit annos II. menses II.

C

LANDO, natione Sabinensis, ex patre Raino, (y) sedit menses IV. dies XXII.

JOHANNES X. natione Ravennas, ex patre Johanne, sedit annos XIV. menses II. dies XV.

LEO VI. natione Romanus ex patre Christophoro Primicerio, sedit menses VI. dies XV.

STEPHANUS (z) VII. natione Romanus, ex patre Teudemundo, sedit annos II. mensem I. dies XV.

D

JOHANNES XI. natione Romanus, ex patre Sergio III. Papa, sedit annos IV. menses X.

LEO VII. natione Romanus, ex patre .... sedit annos III. menses VI.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE STEPHANO VIII.

STEPHANUS VIII. natione Teutonicus, seu Germanus, post dictum Leonem Papam VII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXXV. Anno à Nativitate Domini DCCCCXXXIX.

E

Item quòd ipse Stephanus postea à quibusdam Romanis fuit membris suis mutilatus, propter quod de hoc seculo migravit. Et rexit Ecclesiam tribus annis, quatuor mensibus, & quindecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus, tunc Berengario Imperatore regnante.

DE MARTINO III.

MARTINUS III. natione Romanus, post dictum Stephanum Papam VIII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXXVI. Anno à Nativitate Domini DCCCCXLII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCXLI.

Item quòd ipse Martinus rexit Ecclesiam tribus annis, sex mensibus, & quatuordecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tribus diebus, Berengario III. Imperatore tunc regnante.

DE AGAPITO.

AGAPITUS, natione Romanus, post dictum Martinum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXXVII. Anno à Nativitate Domini DCCCCXLV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCXLVI.

Item quòd ipse rexit Ecclesiam octo annis, sex mensibus, & decem diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de decem annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duodecim diebus, Lothario II. Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE XII.

JOHANNES XII. de Regione Vialata, & ex patre Alberico Principe fuit natus, & post dictum Agapitum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXXXVIII. Anno à Nativitate Domini DCCCCLIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCLVI.

Item quòd ipse Johannes Papa ante suam promotionem Octavianus vocabatur, dicti Alberici filius; qui quum ipse esset valde potens in Urbe Romana, tractavit cum Romanis, & ipsos mediante juramento adstrinxit, ut mortuo dicto Agapito Papa ipsum Octavianum filium suum post eum Papam fieri procurarent. Et sic factum fuit. Quare propter suam promotionem Johannes exstitit vocatus.

Item quòd ipse Johannes Papa erat magnus venator, & homo valde dissolutus, seu lubricus; in tantum quod mulieres frequentabat, & eas publice tenebat. Unde Cardinales & Romani videntes tantam confusionem Ecclesiæ Romanæ, quidam ex eis hoc Ottoni Principi Saxoni tunc Imperatori secrete scripserunt, & eum rogaverunt, ut super hujusmodi scandalo Ecclesiæ, remedium adhibendo, ad Urbem Romanam sine mora venire deberet. Quumque ipse Johannes Papa hoc intellexisset, ideo cuidam Diacono Cardinali nomine Johanni, tamquam hujus facti Consiliario, nasum, & cuidam alteri Subdiacono, qui literas dicto Ottoni scripserat, manum dexteram amputavit.

Item quòd quum ipse Johannes Papa super præmissis ab Imperatore, & à Clero & Populo sæpe monitus exstitisset, ac de ipsis se emendare noluisset, ideo super hoc congrega-

(x) *Muratorius*: alter Codex Vaticanus habet *Luciano*.
(y) *Idem*: alter Cod. Vatican. *Tamo*, *sedit annos III. dies XXII.*
(z) *Idem*: alter Cod. Vatican. *Stephanus* VIII.

gato omnium Episcoporum Italiæ Concilio, ipsum Johannem pro prædictis excessibus à Papatu deposuerunt: & quemdam nomine Leonem tunc Laicum in dicto Papatu subrogarunt, & substituerunt. Quumque ipse Johannes depositus apud Urbem Romanam venisset, & ipse verus Papa à Romanis extitisset receptus, ideo statim convocato suo Concilio prædictum Leonem Papam, sibi subrogatum, à Papatu deposuit, & omnia gesta cassavit, atque annichilavit. Quum autem postea ipse Johannes de quadam muliere philocaptus esset, & ipsam cotidie visitasset, tamdem ipse Johannes à diabolo percutitur, & sine aliquo signo pœnitentiæ mortuus fuit. Cui Benedictus Papa compositus, & Leo Papa VIII., qui statim sequitur, subrogati fuerunt.

Item quòd ipse Johannes rexit Ecclesiam VII. annis, X. mensibus, & V. diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per duodecim dies, Ottone Imperatore tunc regnante.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

STEPHANUS (*a*) VIII. natione Romanus, ex patre . . . . sedit annos III. menses IV. dies XV.

MARINUS (*b*) III. natione Romanus, ex patre . . . . sedit annos III. menses VI. dies XIII.

AGAPITUS II. natione Romanus, ex patre . . . . sedit annos X. menses VII. dies X.

JOHANNES XII. qui & Octavianus, natione Romanus, ex patre Alberico, sedit annos (*c*) VIIII. menses III. (*d*) Hic fuit tempore Primi Ottonis Regis, & Imperatoris Primi Germanorum. Iste denique infelicissimus, quod pejus sibi est, totam vitam suam in adulterio & vanitate duxit. Cujus temporibus Otto Imperator Romam veniens, ab eo honorificè susceptus est. Cum quo ipse Imperator multùm decertans, (*e*) ab errore & nequitiâ numquam potuit eum revocare. Consilio namque ipse Imperator cum suis (*f*) inito fidelibus, iterum Romam venit, quatenus eumdem protervum & sceleratum Pontificem, cum suis Archiepiscopis atque Episcopis recordaret, ut à tali & tanto scelere resipisceret. Sed ipse iniquus statim, ut de Imperatoris adventu audivit, Campaniam fugiens, ibi in silvis & montibus more bestiæ latuit. Tunc omnes Romani uno consensu & una

A voluntate, Clerici atque Laici, rogaverunt Imperatorem, ut Sanctæ Matri Ecclesiæ dignum Pontificem, & pium rectorem tribueret. (*g*) Facta itaque postulatione atque petitione, universus Populus tale à Domno Imperatore accepit responsum: *Eligite, qui dignus sit: & ego libentissime eum vobis concedam*. Statimque à cunctis tam Clericis quàm Laicis electus & expetitus est Domnus Leo, vir venerabilis, Protoscrinius (*h*) summæ Sedis Apostolicæ, ex patre Johanne, item Protoscrinio Sanctæ Sedis Apostolicæ, natione Romanus, de Regione, quæ vocatur Clivo (*i*) Argentarii: vir strenuus, & omni honestate præclarus: Et consecraverunt eum Romanum Pontificem, (*k*) mense Decembrio in Lateranensi Palatio.

B Qui fecit ordinationem eodem mense Decembrio, videlicet Presbyteros VII. Diaconos II. Et sedit annum I. (*l*) & menses III. & cessavit Episcopatus. Ipso denique vivente, iniquum consilium (*m*) à Romano Populo expertum est, quemadmodum Domnum Leonem foras ejicerent, & sceleratum illum, qui in Campaniæ partibus latitabat, reducerent. Quod & factum est. Unde maxima fames, & ingens persequutio in hac Civitate devenit. (*n*) Dei itaque opitulante clementia prædictus Domnus Leo sanus & illæsus ab hac Civitate exivit; (*o*) & ubi Domnus Imperator cum suo exercitu in partibus Spoletanæ

C Civitatis erat, advenit. Qui honorifice à Domno Imperatore susceptus est. Statimque armavit milites, munivit custodes, (*p*) & contra Romanos nuntios maximas insidias fecit præparari. Qui quum venissent in Reatinam Civitatem, Romani nuntii ante suam præsentiam venerunt, qui ei mortem sceleratissimi Johannis nuntiavere, (*q*) & de electione Benedicti Diaconi rogaverunt. Sed nihil ab eo obtinere potuerunt, taleque ab eo responsum acceperunt: *Quando dimisero ensem meum, tunc dimittam*, (*r*) *ut Domnum Leonem in Cathedra Sancti Petri non restituam*. Nuntii verò ipsi reversi ad suos, sine consensu & voluntate Domni Imperatoris eumdem

D Benedictum Diaconum in Romanum Pontificem elegerunt. Quod audiens Domnus Imperator, magis in furore (*s*) & ira exarsit. Undique circumvallavit Civitatem Romanam. Per diversas Civitates, Oppida atque Castella cœpit deprædari, incendere, atque devastare, & funditus dissipare. In tantam itaque penuriam & captivitatem eam adduxit, ut modius furfuris venumdaretur XXX. denariis. (*t*) Coangustati autem & afflicti Romani, & tam pessimum malum sustinere non valentes, innocentem Benedictum Imperatori tradidere, &

(*a*) *Muratorius*: Alter Codex Vaticanus, *Stephanus IX.*
(*b*) *Idem*: Alter Cod. Vatican. *Martinus III.*
(*c*) *Idem*: Alter Cod. Vatican. *Annos X.*
(*d*) *Idem*: Codex Manuscriptus Estensis. *Menses IV.*
(*e*) *Idem*: Cod. Estens. *decertatus, sed ab errore & nequitia sua numquam potuit eum removere. Consilio.*
(*f*) *Idem*: Cod. Estens. *cum suis fidelibus inito, Romam veniens, quatenus idem protervus & sceleratus Pontifex cum suis Episcopis & Archiepiscopis recordaret, ut à tanta nequitia, talique scelere resipisceret.*
(*g*) *Idem*: Cod. Estens. *Facta itaque postulatio atque petitio universi Populi, tale ab Imperatore receperunt responsum: Eligite qualis dignus sit: & ego libentissime eum vobis concedo. Statimque.*
(*h*) *Idem*: Cod. Estens. *Protoscriniarius Sanctæ Sedis Apostolicæ. Iste Leo VIII. ex patre Johanne item Protoscriniario.*

(*i*) *Idem*: Cod. Estens. *Clivus Argentarii.*
E (*k*) *Idem*: Cod. Estens. *per mensem Decembr. in Patriarchio Lateranensi. Hic fecit ordinationem in eodem mense Presbyteros.*
(*l*) *Idem*: Cod. Estens. *menses III. Ipso denique.*
(*m*) *Idem*: Cod. Estens. *consilium à Romanis expertum est, ut Domnum.*
(*n*) *Idem*: Cod. Estens. *Sed quia Dei.*
(*o*) *Idem*: Cod. Estens. *exivit, & illuc, ubi Domnus Imperator in partibus Spoleti erat, advenit.*
(*p*) *Idem*: Cod. Estens. *& contra Romanos insidias præparabat. Qui veniens in Reatinam.*
(*q*) *Idem*: Cod. Estens. *& de electione & consecratione Benedicti.*
(*r*) *Idem*: Cod. Estens. *ut Leonem Papam in Cathedra.*
(*s*) *Idem*: Cod. Estens. *& irâ accensus ita exarsit, ut undique.*
(*t*) *Idem*: Cod. Estens. *Quo angustiati & afflicti.*

& Domnum Leonem in Romanam & Apostolicam Sedem susceperunt, spondentes ei, (*u*) obedientiam & Domno Imperatori super Corpus Beati Petri Apostoli per Sacramentum. Dimisit enim eis quanta & qualia ab eis perpessus est mala. Et ita Domnus Imperator ab hac Civitate Romana (*x*) in partibus Galliæ secessit.

LEO VIII. prædictus, natione Romanus, ex patre Johanne Protoscrinio de Clivio Argentarii, sedit annum I. menses III.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE BENEDICTO V.

BENEDICTUS V. natione Romanus, post dictum Johannem Papam XII. tyrannice Sedem Apostolicam occupavit. Et de facto, ut sequitur, in Romanum Pontificem fuit assumtus. Et post Beatum Petrum Apostolum de facto exstitit Papa CXXXIX. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXI. secundùm unam Chronicam, & secundùm aliam dicitur de DCCCCLXIII.

Item quòd ipse Benedictus, vivente Leone Papa, à Romanis à Papatu dejicitur. Sed ipse postea Ottoni Imperatori, qui tunc Romanam Urbem tenebat obsessam, ab ipsis Romanis traditur. Quem Imperator postmodum à Papatu deposuit, & dictum Leonem in Sede Apostolica reintegravit; & deinde ipsum Benedictum in Saxoniam relegavit, & postea mortuus fuit, & sepultus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur, quod ab ipso Ottone Imperatore fuit in carcere positus, & ibi postea de ipsius Imperatoris mandato exstitit strangulatus.

Item quòd ipse Benedictus rexit Ecclesiam duobus mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per viginti dies, Ottone Imperatore tunc regnante.

DE LEONE VIII.

LEO VIII. post dictum Benedictum Papam V. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXL. (*) Anno à Nativ. Domini DCCCCLXII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCLXIV.

Item quòd ipse Leo Papa propter malitiam & tyranniam Romanorum, qui cotidie Ecclesiam Romanam perturbabant, & in ipsa scandala & schismata ponebant propter illos, qui in Papatu sustinebant, & veros Pontifices deponebant, seu deponi faciebant, statuit & ordinavit, ut nullus de cetero in Papam eligeretur, nisi de assensu Imperatoris Romani.

Item quòd iste Leo omnes donationes antea factas Ecclesiæ Romanæ in Regno Italiæ à Justiniano olim Imperatore, & ab Ariperto,
A Pipino, & Carolo Regibus; de consensu Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & totius Cleri, & Populi Romani, dicto Ottoni Imperatori remisit, & sibi ac suis successoribus concessit, ut de cetero Regnum Italiæ tenentes, ipsos Pontifices perpetuò tueri & defendere tenerentur.

Item quòd ipse Papa ad instantiam & requisitionem ipsius Imperatoris Ottonis, filium suum in Regem Italiæ inunxit & coronavit, ut ipsum Regnum bene gubernaret, & quod pater suus eidem Papæ promiserat, ipse observare teneretur. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, & IV. mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica septem diebus, Ottone
B Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE XIII.

JOHANNES XIII. natione Romanus, post dictum Leonem Papam VIII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLI. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCLXV.

Item quòd ipse Johannes à Præfecto Urbis Romæ Petro fuit captus, & in Castro Sancti Angeli exstitit detrusus, seu incarceratus, & deinde in Campaniam in exilio fuit relegatus. Sed post decem menses & viginti dies ab Ot-
C tone Imperatore ipse fuit liberatus. Et de suis persecutoribus deinde magnam exsequutionem ipse fieri fecit, in tantum quod contra illos Nobiles & alios Romanos, quos culpabiles invenit, valde processit. Nam aliquos ipsorum laqueo suspendi fecit, & quosdam alios in Insula Sardiniæ, & in Saxonia perpetuò relegavit.

Item quòd ipse rexit Ecclesiam Romanam septem annis, undecim mensibus, & quindecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica quindecim diebus, Ottone Imperatore I. tunc regnante.

E MANUSCRIPTO CODICE VATICANO,
D *Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.*

BENEDICTUS V. præfatus, natione Romanus, sedit menses (*y*) II. dies II.

JOHANNES XIII. Episcopus Narniensis, natione Romanus, ex patre Johanne Episcopo (*z*) sedit annos VI menses XI. dies V. Hic comprehensus est à Roffredo Campanino Comite cum Petro Præfecto, & adjutorio vulgi Populi, (*a*) qui vocantur Decartores (*b*): recluseruntque eum in Castello Sancti Angeli. Et exinde illum extrahentes, mandaverunt Campaniam in exilium. Et mansit in exilio menses X. & dies XXVIII. Opitu-
E lante autem misericordia Dei interfectus est Rof-

(*u*) *Idem*: Cod. Estens. *ei & Domno Imperatori super Corpus Beati Petri iterum Sacramentum. Dimisit eis.*

(*x*) *Idem*: Cod. Estens. *in partes Galliæ secessit. Mortuo verò Domno Leone, omnes Romani à minimo usque ad maximum una concordia, & uno consensu, atque spontanea voluntate elegerunt Domnum Johannem reverentissimum & pium Episcopum Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, bene doctum, & bonorifice eruditum de Divinis & Canonicis Libris. Nam à cunabulis in Clericali ordine in Lateranensi Palatio edoctus Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, & Diaconus in eadem Romana Ecclesia per distinctos ordines est ordinatus. Et ita Deo volente legitime & canonice Pontifex est consecratus. Hic fuit electus secundo anno Regis Ottonis, Indictione VI.*

(*) Pseudopapam hunc fuisse apud omnes constat; Constitutionem verò in favorem Ottonis datam, quæ inferiùs refertur, excogitatum esse imperiti Schismatici, probant Baronius, & Pagius ad annum 964. num. 7.

(*y*) *Muratorius*: Alter Codex Vaticanus: *Sedit annum I. dies II.*

(*z*) *Idem*: Cod. Estens. *Sedit ab introitu suo per menses II. & dies XVI. mense Octobri. Hic.*

(*a*) *Idem*: Alter Cod. Vatican. *qui vocantur Decarebones.*

(*b*) *Idem*: Cod. Estens. *Decartiones.*

Roffredus Comes à quodam (*c*) Johanne cum filio. Et reversus est Johannes Papa Romam in suum honorem. At ubi adveniens Romam Otto Imperator audivit, quanta fecerant Romani prædicto Johanni Papæ, comprehendit Romanorum Consules, ut ultra montes direxit in exilium. De vulgi Populo, qui vocantur Decarcones (*d*), duodecim suspendit in patibulis. Petrum autem Præfectum, per quem hæc omnia mala perpetrata sunt, in potestatem Papæ dedit. Qui prædictus Johannes fecit ei abscindere barbam, & per capillos capitis eum suspendit in Caballum Constantini ad exemplum omnium, ut videntes deinceps metuerent talia facere. Exspoliatum autem miserunt eum super asinum, (*e*) ex adverso caput ejus ad caudam asini, manusque sub cauda. Et posuerunt utrem in capite ejus pennatum. Similiter & (*f*) in coxis ejus duos utres, & tintinnabulum (*g*) ad caudam asini. Et sic per totam Romam flagellatus, & ludibrio habitus, missusque in carcerem, per multa tempora (*h*) incarceratus est. Et postea illum (*i*) ad Imperatorem dederunt, & ultra montes (k) direxit. (*l*) De Roffredo verò Comite, & Stephano Vesterario, quia mortui erant, (*m*) jussit Imperator effodere sepulcra eorum, & ossa eorum (*n*) foras projici.

A

B

E CATALOGO PAPARUM

Edito in Tomo II. Corp. Histor. medii ævi Johannis Georgii Eccardi.

C

DE BENEDICTO V.

BENEDICTUS V. natione Romanus ex patre Johanne sedit menses II dies II. Qui Domino Leoni Papæ vivo substitutus, sed à Romanis, ut præscriptum est, Ottoni Magno Imperatori traditus, ultra Alpes in Saxonia longe in Bremensi Archiepiscopatu vitam finivit exilio. Cujus ossa jussu Tertii Ottonis Romam reportata venerabiliter sepulta sunt.

D

DE JOHANNE XIII.

JOHANNES XIII. Episcopus Narniensis natione Romanus ex patre Johanne Episcopo, sedit annos VI. menses X. dies V. Hunc eumdem mortuo Leone omnes Romani à minimo usque ad maximum una concordia, & uno consensu, atque spontanea voluntate elegerunt sibi Dominum reverentissimum & pium, bene doctum, & honorificè eruditum de divinis, & canonicis Libris. Nam à cunabulis in Clericali Ordine doctus in Lateranensi Palatio Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolithus, Subdiaconus, Diaconus in eadem Romana Ecclesia per gradus distinctos est ordinatus; & ita Deo volente legitimè, & canonicè Pontifex ordinatus est. Sed postquam sedit menses II. dies XVI. comprehensus est à Rodfredo Comite, & Petro Præfecto cum Populo Romano, & missus in exilium in Campaniam, mansit in ipso exilio menses X. & dies XXVIII. Post mortem verò Rodfredi reversus est Romam, & veniens Imperator Otto Romam, magnam vindictam de Populo Romano fecit, & in patibulo suspendit, & in exilium misit. Qui omnes dies vitæ suæ sedit annos VI. & menses XI. & dies V.

E

EX AMALRICO AUGERIO.

DE BENEDICTO VI.

BENEDICTUS VI. natione Romanus, post dictum Johannem Papam XIII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLII. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXIV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCLXVII.

Item quòd ipse Benedictus post suam promotionem à Romanis perfidis fuit captus, & postea apud Castrum Sancti Angeli ab ipsis in arcto carcere exstitit detrusus. Et deinde Benedictus ipse de mandato Cencii Theodoræ filii, violenter fuit ibi interfectus atque strangulatus. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, & sex mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

BENEDICTUS VI. (*o*) natione Romanus, ex patre Hildibrando, sedit annum I. menses VI. Iste comprehensus est à quodam Cencio, Theodoræ filio, & in Castellum Sancti Angeli retrusus, ibique strangulatus propter Bonifacium Diaconum, quem miserunt vivente eo Papa.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE DOMNO.

DOMNUS (*p*) sic vocatus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam vocatur DONUS, in alia dicitur BONUS, in Romanum Pontificem post dictum Benedictum Papam VI. fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLII. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXXIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCLXXV.

Item

(*c*) *Idem*: Cod. Est. *Johanne, Cencii filius. Et reversus est Johannes Papa in suum honorem. At ubi deveniens.*

(d) *Idem*: Cod. Estens. *Decuriones undecim suspendit in patibulum.*

(*e*) *Idem*: Cod. Est. *& adverso capite ejus ad caudam asini, manusque suas sub cauda asini. Posuerunt.*

(*f*) *Idem*: Cod. Est. *& in coxas ejus.*

(*g*) *Idem*: alter Cod. Vatican. & Cod. Estens. *ad collum asini.*

(*h*) *Idem*: alter Cod. Vatican. & Cod. Estens. *maceratus est.*

(*i*) *Idem*: Cod. Estens. *Et postea Imperatori dederunt.*

(*k*) *Idem*: alter Codex Vatic. *duxerunt.*

(*l*) *Idem*. Cod. Estens. *direxerunt.*

(*m*) *Idem*: alter Cod. Vatic. *misit.*

(*n*) *Idem*: Cod. Estensis: *foris Româ projici.*

(*o*) *Idem*: Codex Estens. *Benedictus VI. Diaconus de Regione VIII. sub Capitolio, ex patre Ildebrando Monacho, ingressus est mense Januario die XIX. Hic fuit electus V. anno Regis Ottonis, Indictione prima.*

(*p*) *Idem*: Codex Vaticanus omisit hunc Pontificem: Cod. Estens. *Domnus sedit annum I. menses VI. Iste strangulatus est.*

Item quòd iste Donus Papa rexit Ecclesiam uno anno, & sex mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per decem dies, Ottone Imperatore II. tunc regnante. A

DE BONIFACIO SEPTIMO.

BONIFACIUS VII. post dictum Donum Papam, Sedem Apostolicam tyrannicè occupavit; & de facto in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLIV. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXXV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCLXXI.

Item quòd Romani ipsum Bonifacium sublimaverunt statim cum dicto Benedicto per eos strangulato, seu extincto. B Quumque ipse Bonifacius vidisset, quòd in Urbe Romana stare securè non posset, ideo Ecclesiam Sancti Petri Apostoli Urbis Romæ omnibus suis ornamentis, lapidibus pretiosis, & aliis jocalibus auri & argenti ex toto exspoliavit, & postea cum omnibus istis spoliis fugit apud Constantinopolim & recessit. Et deinde pro tempore cum magna potentia Romam rediit. Sed quum ipse vidisset, quòd Cardinales eum recipere nollent, ideo cuidam Cardinali Diacono nomine Johanni, qui valde sibi contrariebatur, oculos eruit, & ipse Bonifacius deinde subitò extinctus est. C

Item quòd ipse rexit Ecclesiam uno anno, uno mense, & viginti diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam rexit duodecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XX. diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

DE BENEDICTO SEPTIMO.

BENEDICTUS VII. natione Romanus, post dictum Bonifacium Papam VII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLV. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXXV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de DCCCCLXXVI., & in alia de DCCCCLXXIII. D

Item quòd ipse Benedictus rexit Ecclesiam novem annis, & sex mensibus secundùm unam Chronicam, sed in alia dicitur de octo annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica quinque diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE DECIMOQUARTO.

JOHANNES XIV. post dictum Benedictum Papam VII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLVI. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXXXIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur DCCCCLXXXIV. E

Item quòd ipse Johannes postea à quibusdam fuit captus, & in Castro Sancti Angeli per quatuor menses exstitit incarceratus, & deinde fame & afflictione de hoc seculo migravit.

Item quòd ipse Johannes rexit Ecclesiam novem mensibus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de octo. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus, Ottone III. Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE DECIMOQUINTO.

JOhannes XV. natione Romanus, post dictum Johannem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLVII. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXXXIV.

Item quòd ipse Johannes post multas tribulationes, & sui corporis afflictiones de hoc seculo migravit. Et rexit Ecclesiam quatuor mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per unum diem, Ottone Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE DECIMOSEXTO.

JOHANNES XVI. natione Romanus, post dictum Johannem in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXLVIII. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXXXIV.

Item quòd iste Johannes fuit vir summè eruditus, & plures Libros composuit, & multa bona fecit, & magnas persecutiones pro defensione Ecclesiæ Romanæ ipse sustinuit. Nam propter persecutionem Patricii Urbis Romæ & Senatus, ipsum oportuit ab ipsa Urbe recedere. Sed postmodum præ timore Ottonis Imperatoris ipsum miserunt quæsitum, & cum magna reverentia & honore eum receperunt. Prius tamen veniâ cum summa humilitate postulatâ in sua Sede restauraverunt.

Item quòd ipse Johannes post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam à Clero & Populo honorificè fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam decem annis, septem mensibus, & decem diebus, Ottone III. Imperatore tunc regnante.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

BONIFACIUS VII. natione Romanus, ex patre Ferrutio, sedit (*q*) annum I. menses II.

BENEDICTUS VII. natione Romanus, Sutrinus verò Episcopus, ex patre Deusdedit, sedit annos VIIII.

JOHANNES XIV. natione Papiensis, sedit annos VIII. Quem iste superior Bonifacius Ferrutii filius reversus à Constantinopolim, (*r*) ubi fuerat, comprehendit, ac deposuit, & in Castellum Sancti Angeli in custodiam misit, & ibi custodire eum fecit. Ibique infirmitatem & famis inopiam per quatuor menses acriter sustinuit, ac mortuus est, &, ut fertur, occisus est. Qui ipse Bonifacius post mortem ejus sedit menses XI. Qui repentina morte interiit. Et in tanto eum odio habuerunt sui, ut post mortem ejus cæderent eum, & lanceis vulnerarent, atque per pedes traherent nudato corpore usque in Campum (*ſ*) ante Caballum Constantini. Ibique projecere eum,

(*q*) *Idem*: alter Cod. Vatic. *menses XI.* Cod. Estens. *sedit mensem I. dies XII.*

(*r*) *Idem*: Cod. Est. *ubi fugerat, comprehendit.*

(*ſ*) *Idem*: Cod. Est. *Et ante Caballum Constantini projecerunt, atque.*

A eum, atque dimiserunt. Ubi mane venientes Clerici, & videntes eum tam turpiter & cum dedecore jacentem, cæsum, & lanceatum, collegerunt & sepelierunt.

JOHANNES XV. natione Romanus ex patre Leone Presbytero de Regione (*t*) Gallinæ Albæ, sedit annos X. menses (*u*) VII. Iste exosos habuit Clericos: (*x*) propter quod & Clerici eum odio habuerunt. Et meritò quia omnia, quæ habere & acquirere poterat, parentibus suis (*y*) distribuebat.

E CATALOGO PAPARUM

Edito in Tomo II. Corpor. Histor. medii ævi Johannis Georgii Eccardi. B

BONIFACIUS VII. natione Romanus, qui & Malifacius, ex patre Ferrutio, sedit mensem unum, dies duodecim.

BENEDICTUS VII. natione Romanus ex patre David sedit annos VIIII. & dies V.

JOHANNES XIV. qui & Petrus natus & Episcopus Papiæ, sedit menses VIII. Quem superbiæ, Bonifacius reversus à Constantinopoli, ubi fugerat, comprehensum, & in Castello Sancti Angeli in custodiam missum, per quatuor menses inediâ attritum jussit occidi. Cujus sede postea per menses XI. invasa, subitanea morte præventus Bonifacius odio suorum post mortem C cæsus & lanceatus, nudatoque corpore ante Caballum Constantini in campo projectus, mane à supervenientibus Clericis est sepultus.

JOHANNES XV. natione Romanus de Gallina Alba ex patre Leone Presbytero sedit annos X. menses VII. qui & Oratorium Sanctæ Mariæ in Gradibus picturâ decoravit.

EX AMALRICO AVGERIO.

DE GREGORIO QUINTO.

GREGORIUS V. natione Saxo, ex patre Ottone, post dictum Johannem XVI. in D Romanum Pontificem fuit assumtus, & post B. Petrum Apostolum exstitit Papa CXLIX. Anno à Nativitate Domini DCCCCLXXXXVI.

Item quòd ipse Gregorius prius Bruno vocabatur, & erat consanguineus Ottonis tunc Imperatoris III ad cujus instantiam ipse in Papam fuerat electus. Sed postea ipse Gregorius à sua Sede per quemdam Crescentium nomine tunc Consulem Urbis Romæ fuit repulsus, & in loco ipsius quemdam Episcopum Placentinum in Papatum intrusit. Sed postmodum propter hoc dictus Otto Imperator de dicto Crescentio magnam ultionem accepit.

Item quòd ipse Gregorius post multas tribulationes de hoc seculo migravit, & rexit E Ecclesiam duobus annis & quinque mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per quindecim dies, Ottone III. Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE DECIMOSEPTIMO.

(*z*) JOHANNES XVII. natione Græcus, Sedem Apostolicam tyrannicè occupavit, & de facto dicto Gregorio vivente in Romanum Pontificem fuit assumptus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CL. Anno à Nativitate Domini DCCCCXCIX.

Item quòd ipse Johannes est ille, qui ante fuit Episcopus Placentinus, & in Papatum vivente dicto Gregorio Papa per Consulem Urbis Romæ intrusus; de quibus dictum est supra in Chronica præcedenti. Qui quidem Johannes ab Ottone Imperatore supradicto propter hoc exoculatus fuit, & prædictus Consul exstitit decapitatus.

Item quòd ipse Johannes rexit Ecclesiam de facto decem mensibus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quinque mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica viginti diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

DE SILVESTRO SECUNDO.

SILVESTER II. natione Gallicus, qui post dictum Johannem XVII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLI. Anno à Nativitate Domini M.

Item quòd iste Silvester ante suam promotionem Gilbertus vocabatur; & fuit primò Monachus Monasterii Floriacensis, quod est in territorio Aurelianensi super Ligerim situatum. Qui quidem ante suam promotionem Monasterio dimisso conventionem fecit cum Diabolo, (*a*) quod si de se faceret homagium, ex ejus favore & auxilio, omnia quæ optabat & facere intendebat, sibi concederet ad votum. Quumque inter ipsos hujusmodi promissio & homagium facta fuissent, ideo apud Hispaniam accessit, & in quadam Civitate, quæ vocatur Hispalis, plures Scientias audivit, & ipsas sufficienter didicit, atque reportavit.

Item quòd ipse Silvester postea ad partes Galliæ rediit, in quibus super scientia, doctrina, & sufficientia apud omnes communiter exstitit summè recommendatus. Propter quæ habuit infinitos & alii generis discipulos atque scholares. Inter quos fuit Robertus Rex Franciæ, Otto Imperator, & plures alii magni Principes.

Item quòd ipse Silvester postmodum fuit factus Archiepiscopus Ecclesiæ Rhemensis, & deinde Ravennatensis, & ultimò in Romanum Pontificem fuit assumtus. Quumque ipse Silvester Papa scire affectaret, quantum vivere deberet, ideo super hoc Diabolum consuluit, cum quo cotidie familiariter loquebatur. Qui quidem sibi respondit fallaciter, quòd ipse non moreretur, donec Missam in Hierusalem cele-

(*t*) *Idem*: Codex Estensis. *Regione Abbas Gallinas, sedit.*

(*u*) *Idem*: alter Cod. Vaticanus: *menses VIII.* Cod. Estensis: *menses IV.*

(*x*) *Idem*: Cod Est *Propterea & Clerici.*

(*y*) *Idem*: Cod. Est. *dabat. Hic videtur electus Anno V. Regis Ottonis, indictione VIIII.*
Commentitium hoc jurgium exaratum fortasse fuit à Clericis intemperantis vitæ, qui jugum ferre non poterant Ecclesiasticæ Disciplinæ ab hoc Pontifice in Clerum inductæ; nisi velis cum Papebrochio, referenda hæc esse ad ejus Prædecessorem Johannem Roberti filium, qui à nonnullis perperam appellatur Johannes XV.

(*z*) *Muratorius*: Cod. Vatic. omisit hunc Pontificem. Cod Est. *Johannes Episcopus natione Græcus, sedit menses X., & ejectus est foras ad malum honorem.*

(*a*) *Idem*: Mirabile ingenium Gerberti, primò Remensis, postea Ravennatis Archiepiscopi, ac tandem Romani Pontificis sub nomine Silvestri II. atque Romanorum quorundam odium in illum, caussam dedere fabulis de ejus Magia Hasce jamdiu protrivere Card. Baronius Mabillonius, & alii, ita ut quidquam in hanc, rem addere nihil opus sit.

A celebraret. De qua responsione Silvester summè fuit gavisus, quia ipse numquam in Hierusalem, nec ultra mare causâ peregrinationis ire intendebat, credens quòd de ipsa Civitate Hierusalem locutus fuisset sibi.

Item quòd quum Silvester pro tempore in Quadragesima apud Urbem Romanam in Capella vocata Hierusalem, quæ est in Ecclesia Lateranensi, ut erat consuetum, pro Missa celebranda accessisset, & eam celebraret, subitò ipse videns & audiens magnum strepitum Dæmonum ad ipsum venientium, ideo statim suspiravit mortem suam esse sibi tunc vicinam. Quare statim ipse de hoc, quod fecerat, summè pœnituit, & veniam cum magna contritione à Deo postulavit, & peccatum suum
B publicè in præsentia omnium in signum suæ contritionis publicavit. Et deinde ordinavit atque præcepit, ut corpus suum, quod Diabolo obligaverat, membratim & particulatim truncaretur, atque præcideretur propter hujusmodi criminis detestationem, ut exinde corpus suum taliter sentiret hujusmodi supplicium, quòd dolores evaderet sempiternos. Et quod postmodum corpus suum super unam bigam poneretur, & extra in campum inter animalia deportari præcepit. Quæ omnia, pro ut dixit, completa fuerunt. Et postmodum propter suam veniam, quam à Deo postulavit, & propter suam contritionem, quam
C ipse ostenderat, apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi ipse fuit sepultus. In cujus monumento ad æternam ipsius memoriam isti versiculi positi sunt, qui sequuntur:

SCANDIT HIC AB R. videlicet à Rhemis
GILBERTUS AD R. scilicet Ravennas
POST PAPA VIGENS R. idest Romæ.

Item quòd occasione & exemplo ipsius Silvestri in suo Sepulcro semper ostendi consuevit tale judicium seu præsagium, quod sequitur per aliquod tempus antequam Romanus Pontifex mori debeat, quòd inter ossa ipsius Silvestri auditur magna concussio. Nam &
D extra ipsum Sepulcrum ostenditur magni humoris & sudoris congregatio secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam idem fieri contingit, ut dicitur, de Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ, pro ut fit de Pontificibus Romanis.

Item rexit Ecclesiam quatuor annis, & uno mense, & octo diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de septem annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica viginti duobus diebus, Ottone Tertio Imperatore tunc regnante.

E CODICE VATICANO,

E *Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.*

GREGORIUS V. natione Saxo, ex patre Ottone, sedit annos (*b*) II. menses octo. SILVESTER II. natione Aquitanus sedit annos IV. (*c*) menses VII. dies XII.

E CATALOGO PAPARUM

Edito in Tom. II. Corp. Histor. medii ævi Johannis Georgii Eccardi.

BRuno, qui & GREGORIUS V. ex patre Ottone Duce, matre Juditta, qui & nepotem suum Tertium Ottonem statim Papa factus Imperatorem ordinavit, sedit annis II. mensibus IX., cui rebellans Crescentius in Castello Sancti Angeli captus & truncatus per pedes in Monte Malo suspensus est. Cujus Sedem Johannes Græcus cognomento Philagathos Episcopus Placentinus invasit. Sed ab Ottonis Vassore Birthilone correptus, amputatis naribus & lingua, effossisque oculis, in asino caudam ejus tenens, satis irrisoriè per totam Romam ductus est.

Gerbertus, cognomento Musicus, qui & SILVESTER, natione Aquitanus, de Monasterio Sancti Geraldi, de sede Remorum transit ad Romam. Gerbertus in Roma post Papa, ingens Romanorum Doctor, Ravennatum Archiepiscopus sub eodem Ottone ordinatus, sedit annos V.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE JOHANNE DECIMOOCTAVO.

JOHANNES XVIII. post dictum Silvestrum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLII. Anno à nativitate Domini MIII. vel MIV.

Item ipse Johannes post modicum tempus ad Dominum migravit; & rexit Ecclesiam quinque mensibus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de sex mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XX. vel XXIV. diebus, Henrico I. Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE DECIMONONO.

JOHANNES XIX. natione Romanus, de Regione, quæ vocatur Porta Metroni, post dictum Johannem XVIII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLIII. Anno à Nativitate Domini M.V. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de MV.

Item quòd iste Johannes post multas tribulationes de hoc seculo migravit, & in Ecclesia Sancti Petri apud Urbem Romanam à Clero, & Populo honorificè fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam quinque annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica triginta diebus, Henrico I. Imperatore tunc regnante.

DE SERGIO QUARTO.

SERGIUS IV. post dictum Johannem XIX. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa

(*b*) *Idem*: Cod. Estens. *Annum I. menses V. Et foras eum ejecerunt, & Johannem Græcum elegerunt. Sed voluntate Dei Romam rediit, atque cum magno bonore susceptus est. Et apprebendere fecit illum scelestum invasorem, & fecit ei oculos eruere, & nasum cum lingua abscindere; & in asello sedere faciens, per totam Romam fecit eum circumduci cum utre in capite.*

(*c*) *Idem*: alter Codex Vaticanus: *menses VI.* Cod. Estensis: *mensem I. dies VIII. Hic fuit electus Anno IV. Regis Ottonis, Indictione XII.*

Papa CLIV. Anno à Nativitate Domini MX.
Item quòd ipse Sergius fuit sanctæ vitæ, & castæ conversationis, & Clero & Populo valde amabilis. Qui post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Petri Apostoli à Clero & Populo honorificè fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam duobus annis, septem mensibus, & octo diebus, Henrico I. tunc Imperatore regnante.

Item ipse Sergius, quamdiu vixit, libenter laboravit pro negotiis Ecclesiæ Sanctæ Dei.

DE BENEDICTO OCTAVO.

BENEDICTUS (*) VIII. natione Tusculanus, ex patre Gregorio fuit natus, & post dictum Sergium Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLV. Anno à Nativitate Domini MXII.

Item quòd ipse Benedictus post suam promotionem à Sede Apostolica fuit expulsus; & quidam alius in loco ipsius fuit factus, seu intrusus; propter quod in Ecclesia Dei magnum Schisma fuit & scandalum exortum. Nam aliqui favebant ipsi Benedicto, & quidam alii intruso supradicto.

Item quòd ipse Benedictus post mortem suam, ut legitur, divinâ misericordiâ suffultus, apparuit corporaliter equitans supra unum equum nigrum cuidam Episcopo. Qui quidem eum interrogavit sic dicens: *Nonne es tu Benedictus Papa Octavus, quem defunctum novimus?* Cui respondit quod *Sic*: Et *quomodo est*, inquit, *tibi, Pater?* Respondit: *Propter peccata mea justè torqueor, & affligor; sed de Dei misericordia non despero, si mihi suffragia præbeantur. Quare*, inquit, *rogo te, ut vadas citius, quo poteris, ad Papam Johannem successorem meum, cui dicas ex parte mei, quod in tali loco tantæ pecuniæ quantitatem inveniet occultam, quantam pro redemtione animæ meæ Christi pauperibus ipse debeat erogare; quia quod pro me hactenus pauperibus datum fuerat, nihil mihi profuit; nam eleemosynæ meæ ex bonis male acquisitis exstiterunt factæ*. Qui quidem Episcopus omnia, quæ ipse Papa sibi dixerat, fideliter explevit, & postea suo Episcopatui renuntiavit, & in quodam Monasterio Religiosorum statim intravit, & habitum ipsorum devotè suscepit.

Item quòd ipse post multos labores & persecutiones ad Dominum migravit. Et rexit Ecclesiam duodecim annis secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de undecim annis, undecim mensibus, & viginti uno diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica uno mense, Henrico Imperatore I. tunc regnante.

DE JOHANNE VIGESIMO.

JOHANNES (**) XX. natione Romanus, ex patre Gregorio fuit natus, & post dictum Benedictum Papam VIII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLVI. Anno à Nativitate Domini MXXIV.

Item quòd ipse Johannes pro defensione Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum maximam guerram habuit contra Romanos. Qui post multos labores & persecutiones de hoc seculo migravit. Et rexit Ecclesiam novem annis, & novem mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus diebus, Henrico Imperatore I. tunc regnante.

DE BENEDICTO NONO.

BENEDICTUS IX. natione Tusculanus, ex patre Alberico fuit natus, & post dictum Johannem in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLVII. Anno à Nativitate Domini MXXVII.

Item quòd ipse Benedictus Papa post suam promotionem à Papatu fuit expulsus, & in loco ipsius quidam alter, qui erat Episcopus Sabinensis, exstitit Papa intrusus, qui SILVESTER vocabatur. Et deinde post paucos dies ipse Silvester à Sede Apostolica fuit expulsus, & dictus Benedictus Papa exstitit restauratus. Sed tamen post suam promotionem & restrictionem, iterum à Papatu exstitit ejectus. Et post suam expulsionem JOHANNES, qui tunc erat Archipresbyter Sancti Johannis ante Portam Latinam Urbis Romæ, in loco ipsius Benedicti fuit factus & intrusus. Qui quidem GREGORIUS Papa VI. postea fuit nominatus. Verùm quia ipse Gregorius erat homo valde rudis, & literarum ignarus, ideo alter Papa fuit factus: qui ambo simul Papatum regere deberent. Verumtamen quia hujusmodi ordinatio postea non placuit omnibus Romanis, ideo unum alium in Papam elegerunt, qui solus illorum duorum Romanorum Pontificum vices implere & supplere deberet. Quare inter omnes istos Romanos Pontifices assumtos discordia exorta fuit, in tantùm quod unus ipsorum contra duos, & duo ipsi contra unum super Papatu obtinendo magnam altercationem, & Schisma fecerunt & scandala inter Clerum & Populum Romanum.

Item pendente hujusmodi desolatione ipsius Benedicti Papæ, & aliorum prænominatorum altercatione, tunc Henricus Imperator propter hoc apud Urbem Romanam supervenit, & ipsum Benedictum Papam, & omnes contra ipsum intrusos deposuit, & à Papatu eos ejecit. Et postea ipse cum Romanis consentientibus quemdam nomine SUIDIGERUM, tunc Episcopum Bambergensem, qui infra CLEMENS II. est denominatus, violenter in Papam substituit & intrusit. Et nihilominus, ut nullus contra ipsum insurgere præsumeret, ab ipso Imperatore se fecit coronari. Et exinde dictos Romanos jurejurando illaqueavit, ut de cetero sine ipsius Imperatoris consensu aliquem non eligerent in Pontificem Romanum.

Item quòd ipse Benedictus Papa, qui fuit Nepos alterius Benedicti Papæ VIII. superius nominati, & post mortem apparuit cuidam juxta quemdam Molendinum in specie cujusdam animalis valde monstruosi, cujus caput & cauda erat asini, & totum corpus ipsius erat Ursi. Quumque ille hoc vidisset, statim præ

(*) E Cod. MSto Cencii Camerarii. *Benedictus frater Alberici majoris. Hic germanus Silvestri superioris, uno eodemque die & Laicus & Pontifex fuit.*

(**) E Cod. MSto Cencii Camerarii. *Johannes frater ejus, genere Tusculanus, Ottonem Regem Saxonum coronavit Imperatorem.*

præ timore fugere incœpit. Verumtamen quia hujusmodi monstrum clamavit, quod ad ipsum venire non dubitaret, ideo ipse qui hoc videbat, & audiebat, retrocessit. Qui dixit: *Noli expavescere. Scias, quia sicut tu es, hominem me fuisse noveris: sed sic talem me ostendo monstruosum tibi, qualis infelix Papa exstiti, & in seculo bestialiter supervixi.* Qui quidem rexit Ecclesiam tredecim annis secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quatuordecim annis, Conrado Imperatore tunc regnante.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

JOHANNES XVI. qui dicebatur Sicco (*d*), natione Romanus, de Regione Bivertica, sedit menses VI.

JOHANNES XVII. qui dicebatur Fasanus, natione Romanus, de Regione secus Portam Metroni sedit annos V.

SERGIUS IV. natione Romanus, sedit (*e*) annos II. menses (*f*) VIIII. dies XII.

BENEDICTUS VIII. natione Tusculanus, ex patre Gregorio, sedit annos XI. menses XI. dies (*g*) XI.

JOHANNES XVIII. germanus (*h*) ejus, sedit annos VIII. menses VI.

BENEDICTUS IX. Nepos (*i*) illorum, sedit annos XII. menses IV. dies XX. Hic ejectus est de Pontificatu, & constitutus est in Sede Apostolica Johannes Sabinensis Episcopus, cui imposuerunt nomen (*k*) SILVESTER III. Qui injustè tenuit Cathedram Pontificalem diebus XLIX., & (*l*) ejectus est inde. Et recuperavit prædictus Benedictus, & tenuit Pontificatum mensem I. & dies (*m*) XXI. Et ille eum (*n*) vendidit Johanni Archicanonico Sancti Johannis (*o*) ante Portam Latinam, suo Patrino, in die Kal. Majas. Cui imposuerunt nomen GREGORIUM. Qui etiam Pontificatum tenuit Annum I. & menses VIII. minus dies XI. Et per Imperatorem legaliter perdidit illum, & ductus exstitit (*p*) in Cisalpinis partibus.

E CATALOGO PAPARUM

Edito in Tomo II. Corp. Historic. medii ævi Johannis Georgii Eccardi.

SIcca annum unum.

JOHANNES Papa annum unum.

Phasimus (*) Cardinalis Sancti Petri, qui & JOHANNES, de patre Urso Presbytero, matre Stephania, post annos V. & dimidium in Sancto Paulo Monachus decessit.

Petrus, qui & SERGIUS, Episcopus Albanensis, ex patre Petro, matre Stephania, cognomento Buccaporca, sedit annos ....

Theophilactus, qui & BENEDICTUS, ex patre nobili Gregorio Tusculano, matre Maria, sedit annos XI. dies XXV. Hic Heinricum ordinavit Imperatorem, mediante Walthero Sanctæ Spirensis Ecclesiæ Episcopo, data utrobique sacræ fidei securitate.

JOHANNES Papa sedit annos VIII.

BENEDICTUS, qui & Theophilactus, annos XX. menses IX.

Gratianus à Romanis constitutus, quem Rex Heinricus convictum caussâ erroneorum Pastorali baculo privavit.

DE SILVESTRO TERTIO.

(*q*) SILVESTER III. vivente Benedicto Papa IX. Sedem Apostolicam violenter occupavit, & de facto in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXIII. Anno à Nativitate Domini MXLIV. sed secundùm aliam Chronicam dicitur de MXLVII.

Item quòd iste Silvester est ille, qui fuit Cardinalis Episcopus Sabinensis, & in Papam intrusus, & tunc dictus Benedictus IX. à Sede Apostolica exstitit expulsus, prout in prima Chronica latius continetur. Qui quidem de hoc seculo post paucos dies migravit.

Item quòd iste Silvester rexit Ecclesiam quadraginta sex diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de quadraginta tantùm, Henrico II. Imperatore tunc regnante.

DE GREGORIO SEXTO.

(*r*) GREGORIUS VI. supradictus, qui fuerat Archipresbyter Sancti Johannis ante Portam Latinam Urbis Romæ post dictum Silvestrum III. intrusum, per violentiam & intrusionem in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLIX. Anno à Nativitate Domini MXLVII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de MXLVIII.

Item quòd ipse Gregorius fuit ille, qui post secundam expulsionem Benedicti Papæ IX. fuit Papa factus & intrusus, & postea sibi datus fuit adjunctus. Et deinde ipse Gregorius cum suo adjuncto à Sede Apostolica exstitit expulsus, & alter tertius CLEMENS noviter fuit subrogatus.

Item quòd ipse Gregorius, prout legitur, fuit factus homo armorum, ut factis & exemplis statim ostenditur manifestis. Nam quum ipse ad Papatum promotus fuisset, omnia quasi bona ad ipsum Papatum pertinentia, quæ

(*d*) *Muratorius*. Cod. Estensis: *qui Cico vocatur ex patre Johanne, de regione Hiberatica, sedit menses V. & dies XXV.*

(*e*) *Idem*: Cod. Est. *sedit annos III. sub hujus tempore fuit fames valida, adeo quod Modius de grano vendebatur C. denariis. Hic fuit electus VI. Anno Henrici Majoris, Indictione VIII.*

(*f*) *Idem*: alter Cod. Vatic. *menses VIII.*

(*g*) *Idem*: alter Cod. Vatic. *dies XXI.*

(*h*) *Idem*: Cod. Est. *germanus prædicti Benedicti, natione Tusculanus, sedit annos IX. menses IX. Secundus Annus istius fuit Primus Regni Conradi, Indictione VIII.*

(*i*) *Idem*: Cod. Est. *nepos eorum, filius Alberici, sedit annos XIIII. menses IV. dies XX. Et ejectus est à Pontificatu.*

(*k*) *Idem*: Cod. Est. *nomen Silvester. Qui injuste.*

(*l*) *Idem*: Cod. Est. *& ejectus, inde recuperatus est prædictus.*

(*m*) *Idem*: alter Cod. Vatic. *dies XVI.*

(*n*) *Idem*: alter Cod. Vatic. & Cod. Estens. *dedit.*

(*o*) *Idem*: Cod. Est. *ad Portam Latinam.*

(*p*) *Idem*: meliùs *in Transalpinis.*

(*) *Muratorius*. Lege *Phasianus.*

(*q*) *Muratorius*: Silvestrum hunc à serie Romanorum Pontificum excluserunt Codices Vaticanus, & Estensis.

(*r*) *Idem*: Sic & Gregorium à Catalogo Pontificum excludunt unanimiter iidem Codices.

quæ propter negligentiam & scandala aliquorum suorum prædecessorum fuerant perdita, A & à malis hominibus & tyrannis exstiterant occupata, recuperavit: & nihilominus illa modica bona, quæ remanserant, ab ipsis cotidie occupabantur. Et quòd peregrinos visitantes limina Apostolorum Petri & Pauli Urbis Romæ, & ipsorum oblationes ipsi spoliabant, & auferebant, atque sibi appropriabant, ideo ipse Gregorius omnes tales malefactores canonicè monuit, ut sub pœna excommunicationis à præmissis desistere deberent. Et quia isti suam monitionem contemserunt, idcirco eos solemniter excommunicavit, & sic excommunicatos in Ecclesia publicè denuntiari fecit. B

Item iste Gregorius postea videns, quòd isti malefactores erant incorrigibiles, & vincula Ecclesiastica contemnentes, ideo ipse cum manu armata contra ipsos se opposuit, & omnes raptores oblationum Ecclesiasticarum Urbis Romæ pœnitus extinxit, atque effugavit, & Castra Ecclesiæ Romanæ per ipsos occupata, & longo tempore ab ipsis detenta, recuperavit.

Item quòd quum iste Gregorius cotidie cum manu armata dictos raptores atque sacrilegos persequeretur, tunc Populus & Clerus Romanus homicidam, & voluntarium clamantes eum dixerunt, & reputaverunt, & contra ipsum insurrexerunt, & conspirare incœperunt. C

Item quum postea ipse Gregorius gravi infirmitate esset detentus, propter quam de ejus vita desperabatur, ideo voluit & requisivit, ut corpus suum in Ecclesia Sancti Petri Urbis Romæ post mortem suam sepeliretur. Super quo Cardinales dubitantes, contra ipsum Gregorium murmurare incœperunt, ad invicem dicendo, ipsum Gregorium in dicta Ecclesia Sancti Petri Apostoli esse indignum sepeliri, qui tot moribus hominum, & sanguine ipsorum Papale polluisset Sacerdotium. Quumque hoc ipse Gregorius audivisset, statim coram se omnes suos Cardinales congregari fecit, & eis sermocinatus fuit; & deinde eos reprehendit super præmissis, eis ostendendo, quod non D iniquè, sed justè & sanctè contra dictos raptores processerat, juxta exemplum Ezechielis Prophetæ, qui tempore suo Sacerdotes reprehenderat, quia non se opponebant tanquam murum pro domo Israël. Et deinde multa alia exempla eis dedit & allegavit.

Item quòd quum postea ipse Gregorius dissolutionem sui corporis sibi imminere vidisset & sensisset, ipse dixit omnibus Cardinalibus suis, & eis injunxit, quòd statim eo mortuo, antequam corpus suum ad Ecclesiam Sancti Petri Urbis Romæ ad sepeliendum deportaretur, quòd omnes januas Ecclesiæ cum fortissimis ferris & vectibus, atque baculis ferreis E firmiter claudi facerent. Et si postea quando corpus suum ad dictam Ecclesiam deportaretur, nutu divino ipsæ januæ aperirentur, quod tunc in ipsa Ecclesia sepeliretur. Quumque ipso Gregorio mortuo Cardinales ita fecissent, statim supervenit & surrexit quidam ventus validissimus & tempestuosus ad modum turbinis, qui confestim omnes portas Ecclesiæ supradictæ non solùm aperuit, sed etiam ipsas cum magno fragore usque ad parietes ipsius Ecclesiæ deportavit. In qua quidem Ecclesia honorificè fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam duobus annis, & sex mensibus, Henrico II. Imperatore tunc regnante.

DE CLEMENTE SECUNDO.

CLEMENS II. post dictum Gregorium VI. per violentiam & intrusionem in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum exstitit Papa CLX. Anno à Nativitate Domini MXLIX. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de ML.

Item quòd iste Clemens prius Svidigerus vocabatur, & ante suam promotionem erat Ecclesiæ Bambergensis Episcopus. Et per violentiam ab Henrico Imperatore Papa Romanus exstitit factus; & ab ipso dictus Henricus postea in Imperatorem fuit coronatus, pro ut latius continetur in Chronicis Benedicti Papæ IX. supradicti. Et ipse Clemens rexit Ecclesiam novem mensibus, & septem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica triginta diebus, Henrico II. Imperatore tunc regnante.

DE DAMASIO SECUNDO.

DAMASIUS II. post dictum Clementem Papam II. per violentiam & intrusionem in Romanum Pontificem fuit assumtus. Et post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXI. Anno à Nativitate Domini MLII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de MLI.

Item quòd ipse Damasius per invasionem Papatum occupavit; unde subitò defunctus fuit: quia non rexit Ecclesiam nisi viginti tribus diebus, & tunc vacavit Sedes Apostolica undecim diebus, Henrico Imperatore II. tunc regnante.

E CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

CLEMENS II. benignus, natione Saxo, sedit menses IX. dies XVI.

BENEDICTUS IX. itaque prænominatus iterum in Pontificatu reversus est, & tenuit eum menses (*s*) VIII. dies IX., idest à festivitate Sanctorum Quatuor Coronatorum usque ad festum Sancti Alexii.

DAMASUS II. natione Noricus, qui alio vocabulo Bajoarius (*t*) dicitur, sedit dies XXIII.

E CATALOGO PAPARUM

Edito in Tom. II. Corpor. Historic. medii ævi Johannis Georgii Eccardi.

Swidegerus natione Saxo, qui & CLEMENS, nono mense promotionis suæ diem obiit; ad Episcopatum suum Babinberch reportatus tumulatur.

Popo, qui & DAMASUS, Brixiensis Episco-

(*s*) *Idem*: Codex Estens. *menses IX. dies IX.*, *idest à festivitate Sanctorum Quatuor Coronatorum, usque in festivitatem Sancti Alexii.*

(*t*) *Idem*: alter Cod. Vatican. *Bagnarius*. Cod. Est. *Banvarius*.

ſcopus, paucis diebus exactis defunctus, ad Sanctum Laurentium ſepultus eſt.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE LEONE NONO.

LEO IX. genere Alamannicus, de Regno Lothoringiæ natus fuit, & poſt dictum Damaſium in Romanum Pontificem fuit aſſumtus, & poſt Beatum Petrum Apoſtolum fuit Papa CLXII. Anno à Nativitate Domini ML. aliter MLI.

Item quòd quum ipſe Leo, qui antea BRUNO vocabatur, tunc exiſtens Epiſcopus Tullenſis, ab Imperatore ad requiſitionem Romanorum in Papam electus fuiſſet, & ſuæ electioni ipſe Bruno conſenſiſſet, ideo ipſe apud Urbem Romanam adveniens, de ſuo conſenſu penitus eidem ſuæ electioni renuntiavit. Et poſtea de novo in Papam canonicè fuit electus.

Item quòd iſte Leo fuit vir ſapientia & ſanctitate valde præclarus, in tantùm quod quum ipſe apud Urbem Romanam pergeret pro Papatu obtinendo, tunc ipſe audivit plures voces Angelorum canentium & dicentium: *Altiſſimus ſic dicit. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* (*)

Item quòd quum ipſe quemdam Leproſum quadam die valde leprâ percuſſum ante ſuum Palatium exiſtentem vidiſſet, illico amore Dei, & intuitu pietatis & conſolationis ad ſe ſecretè devotè venire fecit, & ſecum in uno lecto requieſcere & dormire fecit. Sed ipſum Leproſum craſtina die in cameram non invenit, dubitans Chriſtum in loco ipſius Leproſi ſuſcepiſſe.

Item iſte Leo Papa poſt laudabilem vitam ad Dominum migravit, & à Clero & Populo in Eccleſia Sancti Petri Apoſtoli Urbis Romæ honorificè fuit ſepultus. Qui quidem rexit Eccleſiam quatuor annis, duobus menſibus, & ſex diebus, ſecundùm unam Chronicam, ſed ſecundùm aliam dicitur de quinque annis, Henrico Secundo Imperatore tunc regnante.

E MANUSCRIPTO CODICE VATICANO,

Auctore, ut creditur, Pandulpho Piſano.

(*u*) LEO IX. natione Teutonicus, ſedit annos V. menſes (*x*) II. dies VI. Hic à Deo electus Pontifex, ex Tullenſi Eccleſia aſſumtus, ad Urbem devenit Romanam, ſecum deducens Ildebrandum, qui cum prædicto Papa Gregorio ad partes illas ierat. Hic præfatum Gregorium, qui Archidiaconus Eccleſiæ Sancti Johannis Portæ Latinæ fuit, & Papatum Romanum pecuniam dando (videlicet mille libras denariorum Papienſium) à Benedicto Nepote Benedicti Tuſculanenſis emit, de Papatu Romano ejecit. Hic ejuſdem Ildebrandi conſilio omnia in itinere, & in hac Civitate fecit. Cui poſtea ad regendum Eccleſiam Sancti Pauli Apoſtoli tradidit pro quadam viſione, quam viderat, videlicet quod Beatum Petrum in prædicta viſione hilarem videbat: Beatum quoque Paulum triſtem & turbulentum erga ſe proſpiciebat. Prædictus quoque Pontifex largus, pius, innocens, ſive benignus, juſtitiæ amator, & plebis ferventiſſimus gubernator, divinarum quoque Scripturarum indeficiens perſcrutator, vigiliis & orationibus ſemper intentus fuit. Qui etiam ſua admonitione & prædicatione omnes Germanos & Francigenas ad deſtruendam ſuperbiam illorum, qui in partibus Apuliæ commorabantur, deduxit. Quoniam ſuperbia eorum in tantum creverat, quòd totam Terram in ſuo poſuerant dominio, & Beati Petri Vicarii nihil ibi juris aut dominii retinebant. Qua denique victoriâ factâ, & totâ Terrâ ſuo dominio redditâ, ad Urbem rediens Chriſti Confeſſor (*y*) XIII. Kal. Majas migravit ad Chriſtum. Sepultus verò eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtoli.

E CATALOGO PAPARUM

Edito in Tomo II. Corpor. Hiſtoric. medii ævi Johannis Georgii Eccardi.

BRuno, qui & Leucorum Epiſcopus, Papa ordinatus, Octavi Leonis nomen accepit.

E Tomo XX. Bibliothecæ Patrum.

SANCTI LEONIS PAPÆ IX.

V I T A

A Sancto Brunone Signienſi Epiſcopo conſcripta.

BRuno Signienſis Epiſcopus, omnibus fidelibus, & Catholicis univerſis. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. Pſalmiſta loquitur dicens: (*z*) *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.* Qua in re manifeſtiſſimè docet, ut nos quoque ad Dei laudem & magnificentiam, quoſcumque poſſumus, invitemus. Omnis enim laus, omnis virtus & gloria Sanctorum ad illum refertur, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis. Qui ſuis quoque diſcipulis ait: (*a*) *Sine me nihil poteſtis facere.* Ipſe in ſiguhs coronatur, & in omnibus honoratur. Ipſe in eis loquitur, ipſe in eis pugnat & vincit. Unde & ipſi fideles, & ſervi ipſius non immeritò dicunt: (*b*) *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Laudemus ergo Sanctos Dei, honoremus amicos Dei: ſiquidem ipſe laudatur, & magnificatur in eis, qui hanc tantam gloriam, virtutem & magnificentiam dedit eis. Rogo itaque: *Magnificate Dominum mecum.* Et in hac tanta ſolemnitate Beati Leonis Summi Pontificis, & univerſalis Papæ, exaltemus nomen ejus in idipſum.

Mundus totus in maligno poſitus erat, defece-

(*) E Cod. MSto Cencii Camerarii. *Hoc tempore fuit bellum Nortmannorum & Leonis Papæ, Kalendis Julii, feriâ VI. Magna pars Urbis cremata eſt in feſto Sancti Euſtachii. Hoc etiam anno ſiccitas magna fuit à menſe Madii uſque in Vigiliam Sancti Andreæ.*

(*u*) *Idem*: Cod. Eſt. *Leo Magnus, natione Teutonicus, ſedit annos V. menſes II. dies VI. Hic fuit electus Anno II. Henrici Secundi, Indictione II Anno ab Incarnatione Domini MXLVIII.*

(*x*) *Idem*: alter Cod Vatic. *menſis XI.*

(*y*) *Idem*: alter Cod. Vatic. *VIII. Kalend.*

(*z*) *Idem*: Pſalmo 33. verſ. 4.

(*a*) *Idem*: Johannis cap. 15. verſ. 5.

(*b*) *Idem*: Pſalmo 107. verſ. 14.

fecerat sanctitas, justitia perierat, & veritas sep ulta erat: regnabat iniquitas, avaritia dominabatur; Simon Magus Ecclesiam possidebat, Episcopi & Sacerdotes voluptatibus & fornicationi dediti erant. Non erubescebant Sacerdotes uxores ducere, palam nuptias faciebant, nefanda matrimonia contrahebant, & legibus eas dotabant, cum quibus secundum leges nec in una domo simul habitare debebant. Sacri namque Canones, nullas alias mulieres simul cum hoc ordine habitare permittunt, nisi eas solas, quæ omni careant suspicione. Sed quod his omnibus deterius est, vix aliquis inveniebatur, qui vel Simoniacus non esset, vel a Simoniacis ordinatus non fuisset: Unde etiam usque hodie inveniuntur quidam qui male argumentantes, & Ecclesiæ dispensationem non bene intelligentes, ab illo jam tempore Sacerdotium in Ecclesia defecisse contendant. Ajunt enim: *Si omnes tales erant, id est, si omnes vel Simoniaci erant, vel a Simoniacis ordinati, vos, qui nunc estis, unde huc venistis? per quos, nisi per illos transistis? Non fuit via aliunde. Ergo illi, qui vos ordinaverunt, ab illis & non ab aliis suos ordines susceperunt, qui vel Simoniaci erant, vel a Simoniacis ordinati erant.* His autem postea respondebimus, quoniam hæc quæstio non parvam quærit disputationem. Nunc interim ea, quæ cœpimus, prosequamur.

Talis erat Ecclesia, tales erant Episcopi & Sacerdotes, tales & ipsi Romani Pontifices, qui omnes alios illuminare debebant. Omne sal erat infatuatum, neque erat aliquid in quo condiretur. Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. In hac igitur tanta tempestate Beatus Leo Apostolici culminis Cathedram suscepit, ut hæc talis tantaque lucerna, universali candelabro superposita, luceret omnibus, qui in domo sunt.

Erat enim hic Tullensis Episcopus, Bruno nomine, nobilis genere, formâ speciosus, sed speciosior sanctitate, literis instructus, doctrinâ potens, moribus ornatus, & quæcumque huic ordini necessaria sunt, simul in eo cuncta convenerant. Et talis quidem Magister necessarius erat, qui tali tempore, & tales discipulos habiturus erat.

Convenerunt itaque Viri religiosi simul cum Henrico Imperatore, viro per omnia prudentissimo, & Legatis Romanorum, qui tunc temporis ibi erant, præfatum Episcopum multum deprecantes, ut pro amore Apostolorum Principum Petri & Pauli, Romanæ Ecclesiæ subveniret, seseque pro fide & religione Christiana periculis tradere non timeret. Timebat enim gens illa hujus nostræ terræ habitationem, ut pote quæ de locis sanissimis ad loca infirma transmearet.

Beatus autem ille Episcopus, non loci infirmitatem, sed tantæ Ecclesiæ sublimitatem ascendere metuebat. Sic enim & Moyses fecisse legitur: quem quum Dominus Israëlitico Populo præponere voluisset, ait: (c) *Obsecro, Domine, mitte, quem missurus es.* Victus tamdem eorum precibus, quod illi postulabant, se sub hac conditione facturum esse promisit. *Ego*, inquit, *Romam vado, ibique si Clerus & Populus sua sponte me sibi in Pontificem elegerit, faciam quod rogatis: aliter autem electionem nullam suscipio.*

At illi gavisi, confirmant sententiam, & laudant conditionem. Illis autem diebus erat ibi Monachus quidem Romanus, Ildebrandus nomine, nobilis indolis adolescens, clari ingenii, sanctæque religionis. Iverat autem illuc, tum discendi gratiâ, tum etiam ut in aliquo religioso loco sub Beati Benedicti Regula militaret. Hunc igitur Beatus Episcopus vocavit ad se, cujus propositum, voluntatem, & religionem mox ut cognovit, rogavit eum, ut simul cum eo Romam rediret. Cui ille, *non facio*, inquit. Respondit Episcopus: *Quare non?* At ille: *Quia non secundùm Canonicam institutionem, sed per secularem & regiam potestatem Romanam Ecclesiam arripere vadis.* Ille autem, ut erat naturâ simplex, atque mitissimus, patienter ei satisfecit, redditâ de omnibus, sicut ille voluerat, ratione.

Quo nimirum in facto Beati Petri Apostoli, cujus successor mox ipse futurus erat, exemplum imitatus est. Qui postquam Cornelium baptizavit, hominem scilicet gentilem, & a Judæorum religione extraneum, ab aliis Apostolis reprehensus, quod ad hominem intravit præputium habentem, non est dedignatus de omnibus reddere rationem.

Et tunc Episcopus Romam veniens, prædictum Monachum secum adduxit, multum in hoc ipso Beato Petro Apostolo serviens, quod illum hominem secum reducebat, cujus consilio & sapientiâ Romana Ecclesia aliquando regenda & gubernanda erat. Hic est enim Gregorius VII. Papa, cujus prudentiam, constantiam, & fortitudinem, cujus pugnas & labores enarrare, alterius temporis & operis est. Et secundùm Romanam consuetudinem cum magnis laudibus a Clero & Populo in Pontificem electus est. Deinde verò in Beati Petri Apostoli Cathedram elevatus, divinâ, ut opinor, operante providentiâ, mutato nomine, Leo vocatus est. Vicerat enim leo de Tribu Juda, a qua iste Leo originem ducens, factus fortissimus bestiarum, ad nullius timeret occursum. Cujus quidem rugitus mox terram commovit, terruit sacrilegos, turbavit, & conjugatorum exercitum vulneravit. Iste enim Beatissimus Pontifex, Sancti Spiritus igne inflammatus, maxime contra Simoniacos exarsit, & ut Clericorum Ordo caste & religiose viveret, antiquos Canones confirmavit, multum in hoc ipso, ubi necessarium fuit, dispensatorie condescendens, & parvâ indictâ pœnitentiâ, Apostolicâ auctoritate de præteritis parcens, ne tale aliquid ulterius committerent, admonebat. Hoc autem in exemplum suscipi non oportet, quod Pontifex non voluntate, sed necessitate agebat, nisi & caussa fortasse & similis sit, quia multoties Ecclesiæ Rectores ea tolerare cogit, quæ corrigi non possunt. Quanta ei benignitas circa omnes, quanta humilitas, quanta mansuetudo, quàm largus, quàm affabilis, quàm omnibus compatiens fuerit, quis dicere valeat? Omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Sermo ejus sale conditus, & mulcebat pios, & terrebat impios.

Sed jam nunc ad ea veniamus, quæ per eum Dominus operatus est: non quod omnia scribere velimus, quæ vel de eo audivimus, vel

(c) *Idem*: Exodi Cap. 4. vers. 13.

vel etiam scripta reperimus. Multa nobis Beatus Gregorius Papa, cujus superius mentionem fecimus, de hoc viro narrare solebat, a quo & ea, quæ usque modò dixi, magnâ ex parte me audivisse memini. Qui quum nobis audientibus aliquando de ipso loqueretur, cœpit nos increpare, & me præcipue, ut mihi videbatur (siquidem in me oculos intentos habebat) quoniam Beati Leonis facta silentio perire pateremur, & quod non ea scriberemus, quæ Romanæ Ecclesiæ ad gloriam, & multis audientibus forent ad humilitatis exemplum. Sed quoniam in commune verba fundebat, & nulli nostrûm specialiter hoc agere jubebatur, nemo fuit, qui ea scriberet, quæ omnibus scribenda mandabat.

B Nec ego quidem nunc ea scripsissem, nisi quodammodo ut ea scribere coactus essem, sicut in sequentibus manifestabo. Parcat mihi uterque Pontifex, quoniam utrumque me in hoc offendisse cognosco. Hoc igitur primum dicamus, quod in partibus Galliæ admirabili Dei providentiâ per eum factum audivimus. Quum enim Beatus Leo ibi Concilium celebraret, multique ibi Episcopi de Simoniaca hæresi accusarentur, inter ceteros accusatus est quidam, qui præ ceteris suspectus amplius habebatur: sed quum ejus accusatio certis indiciis probari non posset, adjuravit eum Pontifex, ut ipse de se ipso diceret veritatem. C Qui quum veritatem dicere nollet, & suam iniquitatem bonis omnibus celare conaretur, ait ad eum Beatus Leo: *Si ergo, ut asseris, Simoniacus non es, & si in Spiritum Sanctum non peccasti, dic mihi, si potes: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Quumque ille dixisset: *Gloria Patri & Filio*, quamvis multùm conaretur, nullo modo *& Spiritui Sancto* dicere valebat: atque idipsum sæpius repetens, quum aperto ore Spiritum Sanctum nullatenus nominare potuisset, omnibus, qui aderant, manifestum apparuit, in Spiritum Sanctum eum deliquisse, cujus nomen dicere non valebat. Omnes igitur in commune Deo gratias agebant, qui tam novum signum, D tamque inauditum miraculum, eis ostendere dignatus fuerat. Hujus itaque judicio nonnulli perterriti, ipsi per se ad Pontificem veniebant, seque ipsos accusantes, suas conscientias ei revelabant. Tunc quoque Cluniacensis Abbas, bonæ spei adolescens, quum a Beato Leone interrogaretur, si de illa sua tanti Cœnobii Prælatura aliquando ambitionem habuisset, ut veritatis discipulus, id quod erat respondit, dicens: *Secundùm carnem quidem habui, secundùm spiritum non habui*. Quæ responsio tam grata, tamque laudabilis omnibus fuit, ut statim præ nimio gaudio in corde omnium scriberetur, seque vicissim, quid responderit, interrogabant, ut eadem ipsa verba tenere E valuissent. Ipse autem nunc senex & plenus dierum, cunctis venerabilis, cunctisque amabilis, idem ipsum Monasterium venerabile sapientissime regit adhuc, vir per omnia laudabilis, difficilis comparationis, & singularis religionis.

Aliud quoque miraculum de eodem Pontifice Beatum Gregorium dicentem audivi, quod ego quidem nullatenus prætereundum puto. „ Habuerat, *inquit*, Beatus Leo Magistrum

A „ quemdam, virum sapientem, & bene religiosum, qui unum sciphum ligneum ei mandavit, postquam Romanæ Ecclesiæ Pontificatum suscepit. Hunc autem sciphum Pontifex venerabilis mirabiliter carum habebat, & pro Beati Remigii veneratione, cujus ille sciphus fuisse dicebatur, libentius in illo, quàm in vasis aureis & argenteis, bibere solebat. Factum est autem, ut incaute positus in terram cadens, in duas partes divideretur. Quum autem secundùm consuetudinem Beatus Pontifex vinum sibi afferri jussisset, stabat pincerna facie turbatus, sibique conscius de damno, quod sibi acciderat. Cui Pontifex: Quid habes? At B ille: Quia sciphus fractus est. Dixitque Beatus Leo: Verè fractus? Et Pincerna: Fractus mi Domine. Cui ipse: Affer, inquit, illum ad me. Qui quum attulisset, suscepit eum Pontifex in manus suas, & coaptans particulas ad se secundùm convenientias, quibus priùs ad invicem sibi hærere videbantur, tenuit eum paulisper in manibus. Deinde verò sanum & integrum reddidit Ministro, & ait: Vade & misce. Huic autem miraculo Beatus Gregorius interfuit, nobisque narravit. Cui alius quidam non tantæ auctoritatis vir, se nihilominus interfuisse, & vidisse postea mihi dixit.

C Quum autem Beatus Leo Romæ esset, & Sedem Apostolicam in pace rexisset, multi ex Apuliæ finibus veniebant, oculis effossis, naribus abscissis, manibus pedibusque truncatis, de Normannorum crudelitate miserabiliter conquerentes. Unde factum est, ut vir mitissimus, pietate & misericordia plenus, illi tam immensæ miserorum afflictioni compatiens, illius gentis superbiam conaretur humiliare. Collecto igitur modico quidem, sed fortium militum suæ gentis exercitu super Normannos prœliaturus vadit, zelum quidem Dei habens, sed non fortasse scientiam. Utinam non ipse per se illuc ivisset, sed solummodo illuc exercitum pro justitia D defendenda misisset! Sed quid multa? Conveniunt utriusque partis exercitus, multi cum paucis pugnaturi. Fit cædes immensa; multus hinc & inde sanguis effunditur, isti fortitudine, illi multitudine instant. Poterant isti dicere in morte sua, quod Salvatorem nostrum dixisse legimus in Passione sua; (*d*) Non haberent in nos potestatem, nisi datum eis fuisset desuper. Sed quid est hoc, quod boni vincuntur, & mali vincunt? (*e*) *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Superantur illi, qui pro justitia pugnant; superant illi, qui justitiam impugnant. De talibus tamen Aposto- E lus nos consolatur dicens: (*f*) *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Sive moriantur, sive vivant, bonum est illis; quidquid eis accidat, bonum est illis. Omnia cooperantur in bonum. Et melius quidem mors, quàm vita talibus operatur. (*g*) *Pretiosa est enim in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Firmissime enim credendum est, & nullatenus dubitandum, quod omnes, qui pro justitia moriuntur, inter Martyres

(*d*) *Idem*: Johannis Cap. 19. vers. 11.
(*e*) *Idem*: Ad Romanos Cap. 11. vers. 33.
(*f*) *Idem*: Ad Romanos Cap. 8. vers. 28.
(*g*) *Idem*: Psalmo 115. vers. 15.

tyres collocantur. (*b*) *Collocet eos Dominus cum Principibus Populi sui*. Multa prætérimus, & ex multis pauca colligimus, quia non totum, sed partem de toto scribere jussi sumus. Ecce subitò fama volat, repletur terra, narratur ubique: Prœlium esse factum, Christi milites, & Sanctorum exercitum esse superatum. Tunc verò miserandus Pontifex rediit Beneventum, Civitatem utique Beato Petro fidelem & familiarem. Audito itaque adventu Pontificis, tota Civitas obviam ruit, viri, & mulieres, juvenes, & virgines, senes cum junioribus, non quasi ad processionem, sed velut ad lacrymas, & plorationem. Stant attoniti, spectant de longe venientes. Et jam Pontifex propinquabat, Episcopis & Clericis tristi vultu, & inclinata facie procedentibus. Postquam autem Papa venerabilis venit inter eos, & elevata manu eis benedixit, clamor & ululatus tollitur in cœlum, tota terra resonat fletu atque plangore. Tali itaque processione Civitatem ingreditur, talique Psalmodia ad Ecclesiam venit. Aliquanto autem tempore ibi commoratus, Romam revertitur, atque per singulas Civitates fletus & lacrymæ innovantur. Quis enim à lacrymis cohibere poterat, qui eum cum tali exercitu euntem viderat, postea verò illâ tam nobili militiâ desolatum, cum solis Clericis redire videbat?

Veniens igitur Romam, ad Beati Petri Apostoli Ecclesiam quantocius festinavit, supplicìter multumque devotè eorum animas ei commendans, qui pro ejus amore sibi usque ad mortem obedientes, pro defendenda justitia proprium sanguinem fundere non timuerunt. Quumque ibi moraretur, per revelationem in somnis ostensum est illi, quod citò de hoc Mundo exire debuisset. Jussit igitur, Episcopos & Cardinales, aliosque Clericos vocari ad se, & benigne satis hortatus est eos, ut castè viverent, & contra Simoniacam hæresim viriliter pugnarent; & ait eis: „ Sciatis, fratres mei, quod post paucos dies ego de hoc seculo exiturus sum. „ Hac nocte ego infelix, & hujus Ecclesiæ „ Sede indignus, per visionem fui in illa „ alia vita, pro qua jam tædet me habitare „ in ista vita. Gaudeo verò vehementer, quod „ vidi ibi inter Martyres Christi illos fratres, & amicos meos, qui me in Apuliam „ secuti, pro defensione justitiæ mortui sunt. „ Erant autem bene ornati, palmas in manibus habentes, ut per hoc eos victores „ esse intelligant, qui eos victos fuisse putabant. Et revera: (*i*) Omne enim quod „ natum est ex Deo, vincit Mundum, & hæc „ est victoria, quæ vincit Mundum, fides „ nostra. Clamabant autem omnes magna „ voce ad me dicentes: Veni dilecte nobis, „ & mane nobiscum: quia hanc tantam gloriam per te consecuti sumus. Audivi autem ex adversa parte alios quosdam dicentes: Nequaquam, sed die tertia venies ad „ nos. Si ergo post diem tertium in hac vita fuero, sciatis hoc non fuisse verum, „ quod vidi. „ Nemo autem miretur si maligni spiritus eum, cui tam læta nuntiabantur, in visione terrere voluerunt, qui ipsum quoque Dominum, & Salvatorem nostrum quondam adire ausi fuerunt. Sic enim ipse Dominus ait: (*k*) *Venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam*. Deinde verò ait: *Ite fratres mei, unusquisque in domum vestram; crastina autem die revertimini ad me*. Tota autem illa nocte oravit ad Dominum procumbens super genua sua. Mane autem facto tumulum sibi parari jussit.

Convenerunt iterum Episcopi & Sacerdotes, sicut hesterna die vir ille beatissimus eis præceperat. Quibus in Ecclesia residentibus, ipse in lecto sedens ait: *Audite me, fratres, & Coepiscopi nostri, simulque omnes, qui huc convenistis. Ante omnia præcipio vobis, ut Terras Ecclesiæ, Vineas, Castella, Domos, ceterasque res Ecclesiæ non vendatis, nullusque sibi per possessionem eas defendere velit. Non habeatis usum jurandi. Cavete à consanguineis vestris. Servis Beati Petri, qui huc veniunt, injuriam non faciatis, nec eos in negotiis decipiatis. Date decimas libenter de omnibus, quæ possidetis*. Deinde conversus ad Crucem, magnas preces pro omnibus fudit ad Dominum, suppliciter rogans & deprecans, ut omnia eorum peccata eis dimittere dignaretur. Et quum hoc fecisset, iterum aspiciens in cœlum, dixit: „ Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui pro „ nobis servilem formam induisti, & ad conversionem omnium gentium duodecim Apostolos elegisti, & Beato Petro Apostolo „ tuo dixisti: Quodcumque ligaveris super „ terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum „ & in cœlis; ego indignus Vicarius ejus „ deprecor immensam clementiam tuam, ut „ illos servos fratres meos, qui pro amore „ justitiæ interfecti sunt, ab omnibus eorum „ peccatis absolvas, & in Beatorum requiem „ introducas. Hos etiam, Domine, quos excommunicavi, tu absolve, & ad veritatis „ viam converte. Simoniacam hæresim, ac „ omnem hæreticam pravitatem destrue. Fideles tuos Beneventanos, qui in tuo nomine tam honeste me susceperunt, tamque „ affluenter mihi servierunt, & ceteros omnes tuos fideles benedicere, & custodire „ dignare. Quoniam tu es Deus benedictus „ in secula seculorum, Amen. Postquam autem à locutione quievit, paululum ibi commorati, redierunt omnes, unusquisque in domum suam. Tota autem illa nocte, sicut & superiori, in vigiliis & oratione permansit. Altera autem, die tertia videlicet, quæ Beato Leoni Summo Pontifici in hac vita ultima erat, multo maiori frequentia convenerunt omnes.

Surgens autem Beatus Pontifex, perrexit ante Altare, & quasi unius horæ spatio multum lacrymans perstitit in oratione. Inde verò ad lectum rediens, brevem sermonem fecit eis. Quo peracto, vocavit Episcopos ad se, & facta confessione, suscepit Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Tunc reclinavit se ad lectulum, & paulo post obdormivit in Domino. Surgens autem unus de Episcopis tetigit eum, putans, quod adhuc viveret & dormiret. Quumque eum jam obiisse cognoscerent, mox undique omnes convenerunt, & fecerunt planctum magnum super eum. Obiit autem Beatus Pontifex decimotertio Calendas Maji, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre & Spiritu Sancto & honor & gloria in secula

(*b*) *Idem*: Psalmo 112. vers. 8.
(*i*) *Idem*: Johannis Cap. 5. vers. 4.
(*k*) *Idem*: Johannis Cap. 14. vers. 30.

la seculorum. Amen.

Altera autem die post excessum Beati Leonis advenit mulier quædam de Tusciæ partibus, quæ quum per gradus sursum ascenderet, cœpit vexari à dæmonio, & diras voces, magnosque ululatus emittere. Quumque Beatum Leonem nominasset, ad tumulum ejus ab his, qui ibi erant, tracta est. Unus autem Episcoporum interrogavit dæmonem, qui eam vexabat, dicens: *Adjuro te per viventem & regnantem in secula, ut dicas nobis, si Leo Papa inter Sanctos habet potestatem*. At ille respondens ait: *Verè inter Sanctos est Leo, de quo interrogas, & magnam inter eos habet potestatem. Et ipse maleficus hodie me de hac domo ejicit, quam ego jam per novem annos, & menses duos in mea habui possessione*.

Tunc autem mulier alia quædam infelix, quæ ibi erat, cœpit Beato Leoni derogare, & dicere: *Leo Papa fugabit dæmonia, qui tot homines occidere fecit? Illâ namque horâ, qua ipse dæmonia fugabit, ego utique ero Regina, & omnes eos resurgere faciam, quos ipse suo facinore interemit*. Vix autem illa verba finierat, & statim à dæmonio arrepta, mirabiliter vexari cœpit. Mox autem illa alia mulier liberata est, quam de Tusciæ partibus convenisse diximus. Tunc omnes qui aderant, in stuporem & admirationem conversi, clamare cœperunt: *Sancte Leo parce nobis. Sancte Leo indulge nobis. Et quia multum peccavimus, miserere nobis*. Eâdem autem horâ duo quoque contracti sanati sunt, qui per se ambulare non poterant. Ipsa autem eadem die jam circa vesperum venit ad tumulum Beati Viri homo quidam surdus & mutus, qui etiam ad cumulum tanti mali, paralysi gravissima tenebatur. Statim autem ut ad tumulum accessit, sanus & incolumis factus, loquelam pariter & auditum recepit. Multa quidem, & alia miracula eisdem ipsis diebus per Beatum Leonem Christus Dominus operatus est, ut cujus esset meriti, nobis suis fidelibus revelaret.

Illud quoque miraculum prætereundum non est, quod Johannes vir egregius, Portuensis Episcopus mihi narravit. Dicebat enim: quod de partibus Transalpinis, Curiæ Civitatis Episcopus eisdem ferme diebus Romam venerat. In cujus comitatu erat quidam homunculus, qui ab infantia mutus numquam loquutus fuerat. Hunc autem servientes Episcopi super saginarios secum ferebant, quoniam ad sarcinas custodiendas fidelis valde & idoneus erat. Die autem quadam quum adhuc prædictus Episcopus in Urbe moraretur, mutus ille de quo diximus, Beati Petri Ecclesiam ingressus est. Qui quum ad Beati Leonis sepulcrum turbas omnium undique confluere conspexisset, ipse quoque accessit illuc. Tunc verò circumstantes intelligentes, quod mutus esset, ut talibus hominibus facere solent, signis ei quibusdam innuere cœperunt, ut se ad Beati Viri sepulcrum humiliaret, preces funderet, & pro sua salute Salvatorem omnium exoraret, significantes ei, hoc esse sepulcrum, in quo Beatus Leo quiescebat. (Jam enim illius virtutis fama ubique divulgata erat, & multi undique illuc venientes, à variis ægritudinibus sanabantur.) Quumque diutius ibi jaceret, somno gravatus obdormivit. Post paululum verò expergefactus surrexit, tamque absolute loqui cœpit, ac si linguæ impedimentum nullum alioquin passus fuisset. Stupent omnes, gaudent, & exultant: nec eum semel audisse sufficit. Juvat eum interrogare, & eum loquentem & respondentem audire. Tamdem ad socios revertitur. Qui postquam eum loquentem audiunt, læti valde cum magna admiratione ante Episcopum eum ducunt. Interrogat eum Episcopus, qualiter hæc ei omnia evenissent. Narrat ille cuncta per ordinem, & dicit se vidisse Beatum Leonem. Et quum ante ejus tumulum obdormisset, ille veniens, in ore illius digitos posuit, & diu ligatam linguam absolvit.

Nunc autem tempus admonet, ut quod superius promisi, exponam, videlicet, quod ego non sine imperio ista dictaverim. Hac enim præterita Quadragesima, quum Romæ essemus, Vir valde venerabilis, Johannes Tusculanensis Episcopus quodam die, quum ad Ecclesiam convenissemus, venit ad me, ubi ego stabam, præsente Ubaldo, Viro religiosissimo, Sabinensi Episcopo, & aliis quibusdam, & dixit mihi: *Ego ad te nuntius missus sum*. Stabam autem ego attentus, quid mihi dicere voluisset. Tunc ille: *Mandat*, inquit, *tibi Leo Papa, ut des illi centum millia solidorum*. At ego: *quid narras*! inquam. Et ait: *Verum dico. Sic tibi mandat*. Et tunc ea, quæ viderat, mihi per ordinem narrare cœpit. *Hac*, inquit, *nocte quum ego dormissem, Beatus Leo cum Pontificali apparatu mihi in somnis apparuit, dicens: Vade, & dic Signiensi Episcopo, ut det mihi centum millia, aut quinquaginta millia. Hæc mandat tibi. Vide ergo, quid ei respondeas*. Tunc ego solicitus mecum ipse cogitare cœpi, quid hæc talis visio mihi significaret. Et postquam paululum interrogavi Episcopum, si Beatus Leo me illam pecuniam dare, aut mutuari, aut reddere jussisset, ille respondit: *Non, sed dare*. Tunc ego aliquantulum confortatus sum. Multum enim distat, an dare, an reddere aliquid debeamus. Timebam enim, ne fortè in aliquo eum offendissem, quod ex debito solvere, & necessariò reddere debuissem. Memineram prætera, quod ejus festivitas olim in nostra Ecclesia celebraretur. In qua quoniam ego me negligenter habui, tota ibi festivitas ipsa cessavit. Parcat ipse mihi, quoniam non parum me in hoc peccasse cognosco. Quum autem ab Ecclesia domum redirem, & hanc visionem nostris Clericis narrassem, eadem mihi exposuerunt, quæ jam ego ipse mente conceperam. Dixerunt enim: „ Nos nullam aliam „ pecuniam hanc esse putamus, quam Bea„ tus Leo a te requirit, nisi ut de eo aliquid „ scribas, quod ejus memoriæ conveniat. „ Hæc est enim pecunia tua. Neque ipse aliâ „ pecuniâ indigere videtur.

Placuit mihi, quòd meo intellectui aliorum quoque intellectus concordabat. Et scientia in pecunia significatur; quod in Evangelio quoque eo loco intelligitur, ubi Salvator noster servis suis talenta partitur. Sed quare centum millia, vel quinquaginta millia requirit? Horum enim duorum numerorum alter est perfectus, alter imperfectus. Centies namque mille vel millies centum fiunt centum millia. Qui uterque numerus, idest centum & mille, ideo perfectus est, quia non habet ubi crescat. Omnis enim res tamdiu imperfecta est, quamdiu in aliquo crescere potest. Centenarius autem vel Millenarius numerus replicari quidem potest, crescere autem

autem non potest. Est igitur perfectus. Omnis enim qui numerat, postquam venit ad centum vel ad mille, ibi finem facit, iterumque ab uno numerare incipit. Quinquagenarius autem numerus imperfectus est, quia in medio Centenario positus est, neque finem facit, & ultra se tendere potest. Quod igitur Vir Beatissimus mandavit mihi, ut darem sibi quinquaginta millia solidorum, quoniam, ut sibi videbatur, & ei, cui ipse loquebatur, centum millia dare non poteram, quid aliud significat, nisi ea, quæ ad ipsius laudem & gloriam pertinent, perfecte narrare incipere? Dedi igitur ei solidorum quinquaginta millia, quia dare non potui centum millia, idest, quia perfecte omnia narrare non potui. Neque enim ad meam notitiam omnia pervenerunt: vel quædam narravi, sicut potui. Precor autem, Beatissime Pontifex, ut grata habeas hæc munuscula, tuisque sanctis precibus obtinens apud Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut dimittat mihi debita mea: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat, in secula seculorum. Amen. (*l*)

EX AMALRICO AUGERIO.
DE VICTORE II.

VICTOR II. natione Alammanicus, post dictum Leonem Papam IX. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum fuit Papa CLXII. Anno à Nativitate Domini MLV. vel MLVI.

Item quod ipse Victor timore & voluntate & instigatione Imperatoris Papa fuit factus, (*) & post suam promotionem tempore Henrici Imperatoris II. apud Florentiam Synodum celebravit, in qua multos Schismaticos, & publicos fornicatores synodaliter condemnavit, & à suis Episcopatibus eos deposuit.

Item quod ipse Victor postea ad partes Gallicanas veniens, cum magna reverentia, & honore ab Imperatore Henrico supradicto exstitit receptus, & deinde post modicum tempus ipse fuit defunctus, ipso Victore Papa ibi præsente. Cui Imperator Henricus filius suus in Imperio subrogatur. Et iste Victor postea transactis paucis diebus ad Dominum migravit. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, tribus mensibus, & tresdecim diebus.

E CODICE VATICANO,
Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.

VICTOR II. qui & Gebeardus, natione Noricus sedit annos II. menses III. dies XXVIII. (*m*)

EX AMALRICO AUGERIO.
DE STEPHANO IX.

STEPHANUS IX. natione Lotharingius, post dictum Victorem Papam II. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXIV. Anno à Nativitate Domini MLVIII. vel MLIX.

A Item quod iste Stephanus ante suam promotionem Fridericus vocabatur. Et tunc erat Abbas Monasterii Montis Casini. Sed post paucos dies migravit ad Dominum, & in Tuscia apud Florentiam honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam novem mensibus & viginti septem diebus, & in alia Chronica dicitur de octo, Henrico Imperatore tunc regnante.

DE BENEDICTO X.

BENEDICTUS X. post dictum Stephanum Papam IX. per violentiam, & intrusionem in Romanum Pontificem fuit assumtus,
B & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXV. Anno à Nativitate Domini MLVIII. vel MLIX.

Item quod ipse Benedictus ante suam promotionem Mincius vocabatur. Et tunc erat Episcopus Veliternensis. Et deinde per violentiam fuit factus Papa. Quare postea ipse Papatui renuntiavit. Qui quidem rexit Ecclesiam novem mensibus, secundùm unam Chronicam, sed in alia dicitur de decem & novem mensibus, Henrico III. Imperatore tunc regnante.

DE NICOLAO II.

C NICOLAUS II. natione Burgundus post dictum Benedictum X. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXVI. Anno à Nativitate Domini MLIX.

Item quod ipse Nicolaus ante suam promotionem Gerardus vocabatur. Et tunc erat Episcopus Florentinus. Et ipse à Cardinalibus apud Senam Civitatem unanimiter una voce in Papam fuit electus. Qui postea celebrato Concilio generali apud Urbem Romanam fuit defunctus.

Item iste Nicolaus rexit Ecclesiam duobus annis, sex mensibus, & viginti sex diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus,
D Henrico Imperatore III. tunc regnante.

DE ALEXANDRO II.

ALEXANDER II. Mediolanensis post dictum Nicolaum Papam II. in Romanum Pontificem assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXVII. Anno à Nativitate Domini MLXII. sed in multis aliis Chronicis dicitur de MLXIII.

Item quod iste Alexander post suam promotionem magnas persecutiones habuit. Nam ipso vivente Cadulus quidam nomine, Episcopus Parmensis, quasi ab omnibus Episcopis Lombardis fuit electus in Papam, pro eo
E quia nullus in Papam eligi debebat, ut ipsi asserebant, nisi de corde, seu de paradiso Italiæ fuisset. Quare ipse Cadulus cum magno exercitu pro obtinenda possessione Papatus, duabus vicibus venit apud Urbem Romanam, sed nihil facere potuit. Unde iste Ca-

(*l*) *Muratorius.* Immediate heic subsequitur *Ejusdem Sancti Brunonis Episcopi Responsio ad eam Quæstionem, Cur corruptus tunc temporis Ecclesiæ status.* Huic Quæstioni Bruno ipse se satisfacturum fore superius promisit. At hanc ipsam, utpote quæ ad Theologicam Eruditionem unice spectat, nihil vero ad Sancti Leonis Vitam confert, omittendam esse satius duxi.

(*) Falsò id asseritur, cum Leo Ostiensis lib. 2. c. 90 testetur *invito Imperatore* Gebeardum electum fuisse, & Victoris II. nomine imposito Romanum Papam *cunctorum assensu* fuisse constitutum.

(*m*) *Murator.* Codex Estensis: *Dies XXVII. Hic fuit electus Anno VIIII. Henrici II. Indictione VIII. Anni Domini MLV.*

Cadulus contra illos, qui sibi resistebant, manu armata processit, & multos occidi fecit. Quumque isti duo super Papatu contenderent, & propter hoc multa mala cotidie perpetrabantur, ideo dictus Alexander requisivit Henricum tunc Imperatorem, ut apud Urbem Romanam veniret in auxilium ipsius. Qui quum venisset, statim ipse Alexander in præsentia ejusdem Imperatoris magnum Concilium, & solemne in Mantuana Civitate celebravit. In quo quidem Concilio de Simoniaca pravitate, quæ per dictum Cadulum & suos sequaces sibi imponebatur, se canonice purgavit. Quare statim ab omnibus tam quam verus Papa ipse Alexander exstitit approbatus. Et dictus Cadulus tamquam verus Simoniacus, & Ecclesiæ Romanæ invasor, & ambitiosus, fuit condemnatus, & à Papatu exstitit expulsus atque dejectus. (*)

Item quod iste Alexander post multos labores ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi à Clero & Populo honorifice exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam undecim annis, sex mensibus, & viginti quinque diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de novem annis cum dimidio, Henrico III. Imperatore tunc regnante.

EX ALTERO CODICE VATICANO.

DE STEPHANO IX.

STEPHANUS IX. qui & Fridericus, natione Lotharingus, ex patre Gozolone, Sedit menses VII. dies XXIX. Hic primus propter Investituram nostris temporibus cœpit declarare Henricum Imperatorem hæreticum.

DE BENEDICTO XI.

BENEDICTUS XI. Veliternensis, natione Romanus ex patre Guidone sedit menses IX. (*n*) dies XX. Hic expulsus atque depositus fuit ab Archidiacono, qui nominabatur Hildebrandus, de Papatu suo. Quia eo tempore, quo Stephanus prædictus Papa migravit ad Christum, Romæ non erat, & ipse extra Urbem ierat, præcepto Episcoporum, & Cardinalium: omnes enim dantes pacem, & fidem, quod si Papa, antequam ipse rediret, de hac luce subtractus esset, ipsi nullo modo se de electione intromitterent, donec ipse ad Urbem remeasset. Quum verò in partibus Tusciæ apud Florentiam esset, audivit de morte Papæ. Secum deduxit Episcopum ejusdem Civitatis, qui vocabatur Gerardus. Regressus itaque Romam invenit, sicut sibi relatum fuerat. Cœpit requirere ab Episcopis, & Cardinalibus, si bene promissionem, quam fecerant, observassent. Quidam se non defendebant, dicentes: *Non bene factum est, & nostro consilio quod factum est, non fecerunt*. Quidam verò, quod fecerant, defendebant: *Quoniam bonus, sapiens, humilis, castus, benignus, & quidquid boni in aliquo reperitur, monstratur in isto. Et ideo, quod fecimus, bene credimus fecisse.* Sic denique inter eos contentione diu persistente, nullo modo animum Archidiaconi ad hoc, quod fecerant, propter sacramentum flectere quiverunt. Et quoniam major pars Clericorum, & Laicorum cum Archidiacono erat, deposuerunt, & ejecerunt prædictum Benedictum de Papatu suo; & sic elegerunt Papam Gerardum Florentinum Episcopum, cui imposuerunt nomen *Nicolaus*, natione Allobrogus, quod alio vocabulo Burgundion dicitur. Qui vixit annos II. menses VI. diem I.

DE ALEXANDRO II.

ALEXANDER II. qui vocatur Anselmus, natione Mediolanensis, (*o*) ex patre Anselmo, ex Civitate Lucensi assumtus (*p*) sedit annos XI. dies XXII. Hic à primævo juventutis suæ castus, humilis, largus, benignus, mansuetus fuit. Multis jam evolutis diebus, postquam hujus Cathedræ suscepit gubernationem, Romani, quorum mala consuetudo semper fuit, eum odio habere cœperunt. In tantum denique crevit malitia eorum, quod apud potentiam Theutonici Imperatoris obtinuerunt, quod ipse per Nuntios suos Cadolum Parmensem Episcopum Romam super Alexandrum Pontificem misit. Qui Cadolus mense Aprilis die XIV. Romæ cum suo apparatu appropinquans, magnam cædem de prædictis Romanis tam de amicis, quàm de inimicis fecit. Hoc verò factum fuit Anno Dominicæ Incarnationis MLXII. Indictione XV. Qua Indictione, prædicti Imperatoris, & Romanorum malitiâ diu persistente, Alexander permansit in suo Episcopatu cum gloria, & honore. Infelix verò Cadolus cum magno dedecore remeavit ad propria. His verò peractis multo post vivens tempore Christi Confessor X. Kal. Maji universæ carnis viam ingressus quievit in pace. Sepultus est in Ecclesia Beati Pauli Apostoli. Et cessavit Episcopatus dies tres.

EX AMALRICO AUGERIO.

DE GREGORIO VII.

GREGORIUS VII. natione Tuscus, patriâ Senensis post dictum Alexandrum Papam II. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXVIII. Anno à Nativitate Domini MLXXIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de MLXXIV.

Item quod ipse Gregorius ante suam promotionem Ildebrandus vocabatur. Et tunc erat Prior claustralis Monasterii Cluniacensis, & postea fuit Cardinalis, & deinde in Papam unanimiter à Cardinalibus exstitit electus, & postea cum magna solemnitate ipse exstitit consecratus, & coronatus.

Item quod quum ipse Gregorius postea in die Nativitatis Christi devote primam Missam in Ecclesia Beatæ Mariæ Majoris, quæ vulgariter ad Præsepe Domini vocatur, celebraret,

(*) E Cod. Msto Cencii Camerarii. *Tempore Alexandri istius fuit incendium à Parrione usque ad Sanctum Felicem in Pincis.*

(*n*) *Idem.* Codex estensis: *menses IX. Hic fuit electus post mortem Henrici II. Indictione XII. Anni Domini MLVIII. Quo expulso successit Nicolaus natione Allobrox, quod alio vocabulo Burgundio dicitur. Sedit Annos II. menses VI. dies I.*

(*o*) *Idem*: Cod. Est. *de patre Arderico.*

(*p*) *Idem*: Cod. Est. *Sedit Annos XI. menses VII. dies XXII.*

A ret, Cincius filius Præfecti Urbis Romæ cum manu armata eum cepit, & in quadam Turre sua ipsum posuit, & inclusit. Unde Romani super hoc fuerunt turbati. Et eadem nocte dictam Turrim destruxerunt, & ipsum Gregorium liberaverunt. Et postea dictum Cincium ab Urbe Romana ejecerunt.

Item quod ipse Gregorius secundo Anno sui Pontificatus in Urbe Romana Synodum celebravit, in qua omnes Schismaticos anathematizavit, & Sacerdotes uxoratos à divino servitio removit, seu privavit, & Missas ipsorum Laicis audire interdixit. Propter quod contra eum in Clero fuit magnum Schisma, & grave scandalum exortum.

B Item quod iste Gregorius magnum Concilium contra Henricum Imperatorem III celebravit. In quo quidem CX. Episcopi viri Catholici interfuerunt; qui dictum Imperatorem excommunicavit, quia ipse viribus suis Ecclesiam Romanam scindere conabatur. Sed postea ipse Imperator de hoc pœnitens ad ipsum Gregorium tunc in Lombardia existentem, cum magna cordis contritione, & humilitate nudis pedibus, & stans, super nivem & glaciem, quæ ibi tunc erant, absolutionem ab eo postulavit, quam vix ab eo obtinere potuit.

Item quod quum ipse Gregorius dictum Imperatorem excommunicasset, pro ut dictum C est, ipse Imperator apud Wormatiam cum XXIV. Episcopis, & cum pluribus nobilibus, contra ipsum Gregorium suum Concilium celebravit. In quo Concilio omnia facta per ipsum Gregorium denuntiavit irrita esse, atque nulla. Quare ipse Gregorius omnes, qui erant verbis vel literis dicto Henrico Imperatori obligati, & ab omni juramento, vel homagio, subjectione, & fidelitate penitus absolvit. Propter quæ Electores Imperii Radulphum Ducem Sueviæ in Imperatorem elegerunt. Cujus electionem dictus Gregorius confirmavit, & coronam pro sua coronatione sibi transmisit, in qua quidem erat scriptus iste versus:

D *Petra dedit Petro, & Petrus Diadema Radulpho.*

Item quod quum postea dictus Henricus excommunicatus, & depositus audivisset pro motionem dicti Radulphi Imperatoris de novo facti, statim ipse Henricus, & plures Episcopi Schismatici Gibertum Archiepiscopum Ravennatem in Papam elegerunt. Cui *Clementis* nomen imposuerunt. Quem quidem Henricus statim genibus flexis cum suis se quacibus adoravit, & deinde apud Urbem Romanam ipsum Clementem cum magno exercitu perduxit, & ab Episcopis Bononiensi, Mutinensi, & Cremonensi eumdem Clementem Papam fecit benedici. Et nihilominus in die sancto Paschæ coronam Imperii ab ipso E Giberto solemniter, & publice sibi tradi fecit, tunc dicto Gregorio cum suis Cardinalibus in Castro Sancti Angeli præ timore dicti Henrici existente, & se ab eo custodiente.

Item quod quum dictus Henricus ab ipso Giberto Antipapa coronatus fuisset, statim cum exercitu suo dictum Castrum Sancti Angeli, in quo prædictus Papa Gregorius erat cum Cardinalibus suis, fortiter obsedit. Et deinde Romani dicto Henrico consaventes, eum, & dictum Antipapam receperunt, & dictum Gibertum per ipsos Clementem inthronizaverunt.

Item quod postea audiens dictus Henricus damnatus, quod Robertus Guiscardi, qui regnabat in Apulia, cum magno exercitu in adjutorium dicti Gregorii, & contra dictum Henricum veniebat, statim ipse Henricus Capitolium, & Urbem Leoninam destruxit, & cum dicto Giberto Antipapa apud Senensem Civitatem recessit, atque fugit. Sed nihilominus eadem die, qua ipsi intraverunt, prædictus Robertus Guiscardi prædictam Civitatem Romanam obsedit, & eam igne, & ferro consumens, illa die cepit eam, & supradictum Gregorium Papam de obsidione sui Castri Sancti Angeli liberavit, & in Sede sua Apostolica apud Urbem Romanam in Palatio Lateranensi cum summa reverentia, & honore ipsum restituit, atque reintegravit. (*)

Item quod quum dictus Henricus Imperator depositus apud Maguntiam cum Prælatis, & Nobilibus secundum Concilium solemne contra dictum Gregorium Papam, & pro dicto Giberto Antipapa celebrasset, & deinde ipse Henricus ipsum Gregorium PP. odio capitali persequeretur, postea dictus Gregorius in Apuliam accessit. Tamdem per ipsum Henricum exstitit captus, & apud Salernum in exilio ipse fuit deportatus. In quo ad Christum migravit. Et plura, atque diversa miracula Deus pro ipso commonstravit. Et post ipsius obitum dictus Gibertus in numero aliorum Pontificum non ponitur, nec denominatur. Qui tamdem postea judicio divino mala morte fuit interfectus.

Item quod ipse Gregorius rexit Ecclesiam (q) duodecim annis, & uno mense, & quatuor diebus, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de tredecim annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per duos annos secundùm unam Chronicam, Henrico Imperatore tunc regnante.

DE VICTORE III.

VICTOR III. post dictum Gregorium Papam VII. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXIX. Anno à Nativitate Domini MLXXXVIII.

Item quod ipse Victor ante suam promotionem Desiderius vocabatur, & erat Abbas Montis Casini. Qui propter dysenteriam fuit defunctus secundùm unam opinionem. Sed quidem alii dicunt, quod in prima Missa, quam ipse celebravit, venenum in Calice ab inimicis suis positum fuit, ex quo exstitit potionatus, & mortem passus. Et deinde à Clero, & Populo apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi honorifice exstitit sepultus. (**)

Item quod iste Victor rexit Ecclesiam uno anno, quatuor mensibus, & septem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica novem diebus, Henrico Imperatore III. tunc regnante.

DE

(*) E Cod. Msto Cencii Camerarii. *Nortmanni intraverunt Romam mense Madii, die XXVIII. Hoc etiam tempore magna fuit fames, unde multi mortui sunt.*

(q) *Idem*; Codex Estensis *Sedit Annos VIIII. Hic fuit electus Anno XVIII. Henrici III. Indictione X. Anno Domini MLXXII.*

(**) E Cod. Mst. Cencii Camerarii. *Tempore Victoris Papæ & Henrici Imperatoris, Sol obscuratus est, mense Februario die XXVII.*

DE URBANO II.

URBANUS II. qui antea Oddo vocabatur, post dictum Victorem Papam III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXX. Anno à Nativitate Domini MLXXXVIII. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de MLXXXIX.

Item quod ipse Urbanus postea in Civitate Placentiæ cum multis Episcopis, & Abbatibus Synodum solemniter celebravit. In qua inter omnia alia, quæ fecerat, & ordinaverat prænominatus Gibertus Antipapa hæreticus tempore Gregorii VII. Papæ, tamquam irrita, & nullius momenti decrevit, & pronuntiavit; & decreta & facta per dictum Gregorium postea ipse renovavit, & confirmavit.

Item in eodem Concilio ipse statuit, & ordinavit, ut Præfatio Beatæ Mariæ, quæ incipit: *Et te in veneratione Beatæ Mariæ Virginis* &c. quam ipse compilavit, aliis novem Præfationibus, quæ in Missa dicuntur, perpetuis temporibus adderetur. Et quando Officium Beatæ Mariæ celebraretur, quod tunc in Missa ipsa Præfatio legi, seu decantari deberet.

Item ipse Urbanus apud Arvernum in Civitate Claromontensi aliud Concilium solemniter celebravit, in quo ipse statuit & ordinavit, ut de cetero Horæ Beatæ Mariæ cum aliis Horis Canonicis cotidie dicerentur, & in diebus sabbatinis officium ipsius solemniter celebraretur.

Item quod ipse Urbanus in dicto Concilio convocavit omnes Principes, & Barones, & omnes alios magnos viros Nobiles & ignobiles de partibus Occidentalibus, quibus ipse prædicando & gemendo exposuit, quod Loca Sancta Ultramarina a perfidis paganis, atque Turcis summè profanabantur in Dei non modicam offensam, & Christianorum vituperium atque jacturam, & ab eis detinebantur. Quare omnes & singulos supradictos requisivit quod pro redemtione animarum ipsorum contra dictos perfidos paganos irruere deberent, & dictam Terram Sanctam a manibus ipsorum infidelium liberarent, & Christi fidelibus assignarent. Et deinde, ut ipsi ad prosequendum & faciendum hujusmodi sanctū Passagium essent animati, ideo omnibus Crucesignatis, in mortis tamen articulo, plenissimam Dei Indulgentiam, & cuilibet ipsorum dedit & concessit; & nihilominus omne subsidium, auxilium, & favorem eis dare promisit. Quibus quidem per ipsum Urbanum expositis, omnes prædicti nobiles, & ignobiles, divites, & pauperes, nec non etiam Episcopi, Prælati, & alii Presbyteri, & Ecclesiastici tam præsentes, quàm absentes diversarum regionum atque terrarum zelo Dei, & Catholicæ Fidei ad faciendum hujusmodi sanctum Passagium tantùm effecti sunt animosi, quòd statim quilibet ipsorum parare se juxta posse incœperunt. Et deinde sine aliquo Rege, Duce, vel Capitaneo, pro obtinendo Sepulcrum Dominicum, & etiam Terram Sanctam ipsi transfretaverunt, & ad istam Sanctam Terram unanimiter accesserunt, & terminos Paganorum ingressi sunt, & contra ipsos viriliter pugnare incœperunt, Anno a Nativitate Domini MLXXXXVII. (*)

Item quod in hoc sancto exercitu principales ipsius erant Ecclesiæ Podiensis Episcopus, Godofredus Dux Lotharingiæ, & Eustachius, & Baldovinus Fratres ipsius, Robertus Comes Flandrensis, Radulphus Comes Metensis, Hugo magnus frater Regis Franciæ, Stephanus Comes Blesensis, Raymundus Comes Sancti Ægidii, & Tholosæ, Boamundus Dux Apuliæ, Robertus Normanniæ Dux, Anselmus de Rubodimonte, Raymundus de Turenna, & Gotferius de Turribus, vir memoriâ dignus. Qui quidem postea cum toto dicto exercitu contra dictos Infideles certtmen ad præliandum habuerunt, & receperunt. In quo prælio dicti pagani devicti a Christianis extiterunt apud pontem fluminis, cui nomen Pharsei, Nono Kal. Martii.

Item quod postea dictus exercitus Christianorum cum magnis corporum suorum afflictionibus ad rapiendum Urbes & Castra usque ad Civitatem Antiochiæ viriliter processit. Et postea ipsâ Civitate captâ ab eis, ipse exercitus usque ad Civitatem Hierusalem cum honore & triumpho pervênit. In quo loco dicti pagani cum maxima sanguinis effusione devicti iterum fuerunt.

Item quod postea exercitus Christianorum habito triumpho & victoria de paganis supradictis, statim dictam Civitatem Hierusalem obsederunt, & finaliter ipsam obtinuerunt. Quâ obtentâ, & exsecrationibus paganorum bene mundatâ, Pariarcha ibi eligitur, & Rex ibi ordinatur & constituitur; & spolia inter omnes de exercitu Christianorum dividuntur, & reverentia summa Dei exhibetur, Anno a Nativitate Domini MLXXXXIX.

Item quod quum postea exercitus Christianorum de omnibus ordinasset, & Civitate Hierusalem, & aliis locis bene stabilitis, ad partes proprias remeare proponerent, ecce Rex Saracenorum cum multis millibus hominum, equitum, & quadringentis millibus peditum, contra dictum exercitum Christianorum subitò pervenit; in quo tunc non erant plusquam quinque millia equitum, & quindecim millia peditum. Qui quidem Pagani a Christianis cum magna sanguinis effusione atque confusione in campis devicti exstiterunt. Et postea dictus exercitus Christianorum cum honore, triumpho, & divitiis ad suas proprias partes redivit. Quæ quidem omnia & singula supradicta acta sunt & exsequuta ex industria & probitate ipsius Urbani Papæ Secundi.

Item quod ipse Urbanus post multos labores & tribulationes ad Dominum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi a Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam undecim Annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XVI. diebus, Henrico Imperatore Tertio tunc regnante.

DE

(*) E Cod. Msto Cencii Camerarii. *Tempore Urbani Papæ & Henrici Imperatoris, terræmotus fuit Romæ in festo Sanctæ Agnetis. Et Castrum Sancti Angeli a Romanis captum est in festo Sancti Laurentii. Castrum ipsum Sancti Angeli traditum est Petro Leonis in Vigilia Sancti Bartholomæi. Hoc etiam tempore Hierusalem recepta est a Christianis. Et columnæ igneæ ab Occidente in Orientem visæ sunt pergere.*

DE PASCHALE II.

PASCHALIS II. natione Tuſcus, & natus de loco, qui vocatur Bleda, poſt dictum Urbanum Secundum in Romanum Pontificem fuit aſſumtus, & poſt Beatum Petrum Apoſtolum extitit Papa CLXXI. Anno à Nativitate Domini MLXXXXIX. ſecundùm unam Chronicam, ſed ſecundùm aliam dicitur de MC.

Item quod ipſe Paſchalis poſt ſuam promotionem ad partes Galliarum acceſſit. Et tunc in caſtro Dolenſi Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis ob ipſius honorem & reverentiam ſolemniter dedicavit, atque ipſam conſecravit, & multa dona & munera eidem Eccleſiæ dedit.

Item quod ipſe Paſchalis tempore ſuo multas perſecutiones habuit. Nam Henricus Imperator Quartus ipſum cepit, & longo tempore eum in vinculis & carceribus tenuit, quia Patrem dicti Imperatoris in Eccleſiaſticis locis ſepelire interdicebat, nec ipſum Imperatorem coronare volebat, niſi ipſe prius redderet Eccleſiam Romanam in ſua libertate debita & conſueta. Sed poſtea ipſe Paſchalis ab ipſo fuit liberatus. Quare poſtmodum ipſe Henricus in Imperatorem fuit electus; & propter ſuam coronationem, à Papa obtinendam, in Italiam cum magno exercitu pervenit. Et deinde ſolemnes Nuntios cum ſuis literis ſumme gratioſis & diſſimulatis ipſi Papæ Paſchali apud Urbem Romanam deſtinavit. Quibus inter alia ſcripſit ſibi, quod de Ordinatione, Inveſtitura, & Proviſione Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Eccleſiaſticorum non curabat, neque ſuper ipſis quæſtionem ſibi referre intendebat, prout antea fecerant ſui prædeceſſores. Propter quod ipſe Paſchalis Papa accepit ab ipſo Imperatore, & ſuis Principibus fidelitatis juramentum, & dictus Imperator de mandato ipſius Paſchalis à Clero, & Populo honorifice fuit ſalutatus & receptus; & per ipſos uſque ad gradum Eccleſiæ Sancti Petri Urbis Romæ exſtitit perductus. In quo loco dictus Imperator ad eumdem Paſchalem veniens cum Cardinalibus ſuis ſtatim genibus flexis cum magna humilitate & devotione ſuos pedes ipſe fuit oſculatus. Et deinde ipſe Paſchalis dictum Imperatorem ad ſuum pacis oſculum recepit, & poſtea tamquam verum & legitimum Imperatorem pronuntiavit atque publicavit.

Item quod cum ipſe Henricus tamquam Imperator ab ipſo Paſchali, ut dictum eſt, receptus fuiſſet, & deinde magnos honores in Urbe Romana ab eo recepiſſet, credens, ipſum eſſe talem, qualem ſe ſibi oſtendebat, ideo ipſum Henricum Imperatorem requiſivit, ut omnia Privilegia, & libertates Eccleſiæ Romanæ à ſuis prædeceſſoribus conceſſas atque factas deberet confirmare; & nihilominus omnibus quæſtionibus, ſuper quibus aliqui prædeceſſores ſui antea Eccleſiæ Romanæ moverant indebite & injuſte, cedere & renuntiare deberet. Quumque dictus Henricus hoc audiviſſet, ſtatim ipſum Paſchalem cum omnibus Cardinalibus ſuis capi, & in duris carceribus includi & captivare fecit.

Item quod quum ipſe Paſchalis cum ſuis

A Cardinalibus cum Dei adjutorio poſtea à carceribus liberati fuiſſent, ſtatim quidam ex Clero Romano contra ipſos inſurgentes, tres ſummos hæreticos in Papam eligere præſumſerunt, qui multas perſecutiones, & moleſtias dicto Paſchali intulerunt. Sed finaliter ab ipſo proſtrati & confuſi remanſerunt. (*)

Item quod quum ipſe Paſchalis & ſui Cardinales pacem & concordiam cum dicto Imperatore feciſſent, & ipſe Eccleſiam Romanam in ſuis libertatibus reduxiſſet, & propter præmiſſa multos labores & tribulationes pro Chriſti amore ipſe ſuſtinuiſſet, tamdem ad Chriſtum migravit, & apud Urbem Romanam in Eccleſia Sancti Salvatoris à Clero,
B & Populo honorifice fuit ſepultus. Qui quidem rexit Eccleſiam decem & novem annis, quinque menſibus, & ſeptem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apoſtolica duobus diebus, Henrico Imperatore Quarto tunc regnante.

DE GELASIO II.

GELASIUS II. natione Campanus de Civitate Cajeta fuit natus, & poſt dictum Paſchalem Papam Secundum in Romanum Pontificem fuit aſſumtus, & poſt Beatum Petrum Apoſtolum extitit Papa CLXXII. Anno à Nativitate Domini MCXVIII. ſecundùm unam Chronicam, ſed ſecundùm aliam,
C dicitur de MCXIX.

Item quod ipſe Gelaſius Papa ante ſuam promotionem Johannes vocabatur. Et tunc erat Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, & ab omnibus Cardinalibus concorditer in Papam fuit electus, & ab Imperatore Henrico valde fuit perſecutus.

Item ipſe Gelaſius propter timorem dicti Imperatoris apud Cajetanam Civitatem cum Cardinalibus ſuis receſſit; & deinde per mare ad Franciam perrexit, & Monaſterium Ordinis Cluniacenſis viſitavit, in quo poſtea ad Chriſtum migravit, & ibi honorifice exſtitit ſepultus. Qui quidem rexit Eccleſiam uno anno, & quinque diebus. Et tunc va-
D cavit Sedes Apoſtolica per XXIV. dies, Henrico Imperatore IV. tunc regnante.

DE CALIXTO II.

CALIXTUS II. natione Burgundus poſt dictum Gelaſium Papam in Romanum Pontificem fuit aſſumtus, & poſt Beatum Petrum Apoſtolum exſtitit Papa CLXXIII. Anno à Nativitate Domini MCXX.

Item quod iſte Calixtus ante ſuam promotionem Guido vocabatur. Et erat frater germanus Comitis Burgundiæ, & Archiepiſcopus Viennenſis. Qui poſt mortem dicti Ge-
D laſii à Cardinalibus in Monaſterio Cluniacenſi in Papam concorditer fuit electus.

Item quod ipſe Calixtus primo anno ſuæ promotionis Concilium generale in Hiſpania apud Civitatem Toloſanam cum omnibus Cardinalibus ſuis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus Gothiæ, Vaſconiæ, Hiſpaniæ, & citerioris Britaniæ ſolemniter celebravit. In quo damnavit hæreticos, qui ſub ſpecie religionis Fidei Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, Baptiſma parvulorum, Sacerdotium, & omnes Eccleſiaſticos Ordines,

(*) E Cod. Mſto Cencii Camerarii. *Tempore Paſchalis Papæ & prædicti Imperatoris Cometa Stella in Cœlo apparuit.*

nes, & legitimarum fœdera nuptiarum damnabant.

Item quod iste Calixtus postea statuit & ordinavit, ut de cetero nullus Princeps, vel alius Dominus temporalis, vel laicus nobilis, quacumque præfulgeret dignitate, primitias, Decimas, & oblationes Ecclesiasticas, quas Deus in signum sui universalis dominii pro servitoribus Ecclesiæ suæ sponsæ sibi reservaverat, recipere, nec sibi appropriare præsumerent.

Item quod ipse Calixtus postea accedens versùs Romam, & per totam Italiam cum magno honore & gaudio ab omnibus fuit receptus. Quo audito Burdinus Antipapa, quem fecerat fieri Henricus Imperator, in quodam fortalitio præ timore ipsius se reposuit. Sed nihilominus ipse Calixtus cum Romanis eum ibi obsedit, & ipsum finaliter cepit. Et deinde istum Burdinum supra unum Camelum versa facie sedere fecit, & caudam ipsius Cameli pro freno sibi assignare fecit. Et deinde coram ipso Calixto, versùs Romanam Urbem accedente, in ingressu ipsius Urbis Romæ equitare, & eum præcedere fecit. Et postea in dicta Urbe Romana in quodam fortissimo carcere eum perpetuò reclusit; in quo ipse ignominiose dies suos finivit, & de suo Antipapatu remunerationem recepit.

Item quod tempore istius Calixti Papæ Ordo Præmonstratensis suum habuit exordium in Francia, & in Diœcesi Laudunensi à quodam valentissimo viro nobili & potenti, & summe devoto. Qui per ipsum Calixtum Papam fuit confirmatus.

Item quod ipse Calixtus Papa propter reverentiam Dei, & honorem Corporis Beati Jacobi Apostoli, qui ibi requiescit, Ecclesiam Compostellanam Cathedralem & Metropolitanam statuit, atque eam erexit, & totam provinciam Emeritanam perpetuò sibi subjecit, & Monasterium Sancti Frontonis Petragoricense ipse etiam dedicavit.

Item quod ipse Calixtus Papa postea magnum Concilium & solemne apud Urbem Romanam celebravit, in quo plures Archiepiscopi, & diversarum provinciarum Episcopi ac etiam Abbates fuerunt. Et in ipso Concilio omnes ordinationes per dictum Burdinum Hæresiarcham & suos sequaces factæ, postquam ab Ecclesia Romana ipse fuerat condemnatus, ab ipso Calixto irritæ & nullæ judicatæ fuerunt.

Item quod iste Calixtus factâ concordiâ cum Henrico Imperatore, Ecclesiâ Romanâ per eum sub tranquillitate & bona dispositione constitutâ, ad Christum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi à Clero & Populo honorifice exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam quinque annis, decem mensibus, & tredecim diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica quinque diebus, Henrico Imperatore Quarto tunc regnante.

DE HONORIO II.

HONORIUS II. patriâ Bononiensis fuit, & post dictum Calixtum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXIV. Anno à Nativitate Domini MCXXV.

Item quod ipse Honorius Papa propter infidelitatem atque crudelitatem Baronum, & gentium Apuliæ, Rogerium Comitem de partibus Siciliæ tamquam Ecclesiæ fidelem, fecit Ducem Apuliæ; & de ipsa eum investivit, facto sibi prius homagio, & juramento fidelitatis præstito, pro ut erat fieri consuetum.

Item quod iste Honorius per quemdam Cardinalem Legatum suum solemniter duos Patriarchas, scilicet Aquilejensem, & Gradensem tamquam veros Schismaticos condemnavit, & à suis Patriarchatibus eos deposuit atque privavit.

Item quod tempore ipsius Honorii Papæ, Anno à Nativitate Domini MCXXVIII. Ordo Militiæ Templi in Hierusalem sumsit exordium. Qui quidem Ordo à novem nobilibus & magnificis Viris primò fuit inventus, & institutus de consensu & auctoritate Stephani tunc Patriarchæ Hierusalem. Qui etiam postea tam voto, quàm juramento sibi præstito, se fortiter astrinxerunt, ut omnes peregrinos Sepulchrum Dominicum, & ejus Terram Sanctam visitantes à latronibus defenderent, & stratas seu vias publicas fideliter à malis hominibus custodirent, & nihilominus more Canonicorum Regularium in obedientia, & castitate, & sine proprio viventes, coram Deo devote militarent. Propter quod habitus albus primò eis fuit assignatus sine aliqua Cruce, & sub Regula Beati Bernardi, ad requisitionem dictorum novem nobilium hujusmodi Ordinis Fundatorum, & ad requisitionem Regis Franciæ, & suorum subditorum. Et deinde in Porta Salomonis Hierusalem pro Christo, & isto Ordine, domus Militiæ fuit solemniter ædificata; & propter hoc milites Templi exinde vocati fuerunt.

Item quod in isto tempore Honorii, Cruces rubeas in vestimentis superioribus affixerunt, & Vexillum coloris crocei seu aurei assumserunt, & vestes albas in signum munditiæ detulerunt, & Cruces martyrium designantes, quia sanguinem proprium secundùm constitutionem Regulæ pro defensione Terræ Sanctæ effundere sunt professi, & inimicos Fidei viriliter expugnare, & à prælio non surgere neque reverti, sine licentia ipsorum Præsidentis atque ordinatione.

Item quod ipse Honorius post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Christum migravit. Et in Ecclesia Lateranensi Urbis Romæ tam à Clero, quàm à Populo honorifice fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam quinque annis, duobus mensibus, & tribus diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de XXVIII. diebus, Henrico IV. Imperatore tunc regnante.

DE INNOCENTIO II.

INNOCENTIUS II. natione Romanus, & de regione Transtiberim, ex Patre Johanne natus; post dictum Honorium Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXV. Anno à Nativitate Domini MCXXX. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam Chronicam dicitur de MCXXXII.

Item quod ipse Innocentius ante suam promotionem Gregorius vocabatur. Et tunc erat tituli Sancti Vincentii Diaconus Cardinalis,

A nalis, & à majori parte Cardinalium ipse exstitit electus, & Petrus Leonis tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim Diaconus Cardinalis à minori parte Cardinalium prædictorum ex adverso exstitit nominatus, atque de facto in Papam electus. Qui quidem tum fortitudine & potentia amicorum suorum, Ecclesiam Sancti Petri violenter occupavit, & deinde totum thesaurum ipsius Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum Urbis Romæ sibi appropriavit & occupavit; & cum ipsis omnes Romanos corrupit, & de facto ditavit. Propter quod ipsi eidem Petro Leonis omne consilium, auxilium, & favorem contra dictum Innocentium dare procuraverunt, & dederunt.

B Item quum ipse Innocentius vidisset persecutionem, & impedimenta ipsius Petri Leonis, & suorum fautorum, quæ fiebant cotidie contra eum & Ecclesiam Romanam, ideo cum suis Cardinalibus per mare ad Franciam perrexit, ubi à Rege Franciæ cum summo honore & gaudio cum suis Cardinalibus exstitit receptus.

Item quod ipse Innocentius postmodum primò apud Remos, deinde Parisiis, & postea in Alvernia in Civitate Claromontensi, in quibus tria Concilia magna & solemnia celebravit, ibi ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & à Clero communiter tamquam verus Papa acceptus & approbatus

C fuit, & deinde dictus Petrus Antipapa intrusus, atque Romanæ Ecclesiæ invasor, fuit condemnatus, & anathematizatus.

Item quod quum ipse Innocentius ad Urbem Romanam rediret, & in Italia ipse esset, tunc de Januensibus & Pisanis, ad invicem vehementer præliantibus pacem fecit, & tranquillitatem dedit. Et quia favorem & consilium pro ipso Innocentio, & Ecclesia Romana fideliter tamquam veri Catholici impenderant, idcirco Ecclesiam Januensem & Pisanam tunc Cathedrales & Metropolitanas erexit, statuit, & ordinavit.

Item quod ipse Innocentius Papa statuit & ordinavit, & super hoc omnibus Clericis privilegium concessit, ut quicumque manus in

D Clericos immitterent, seu ponerent violentas, ipso facto essent excommunicati, & ipsi citra Sedem Apostolicam absolvi non possent, prout etiam in sacris Canonibus continetur. Et tunc in eodem anno florebat apud Parisios Magister Hugo Canonicus Regularis Monasterii Sancti Victoris ejusdem loci in pluribus scientiis Doctor egregius atque summus. Qui quidem Hugo de Sancto Victore communiter appellatur. (*)

Item quod ipse Innocentius Concilio postea in Lateranensi per ipsum celebrato, ad Christum migravit, & ibi à Clero & Populo honorifice exstitit sepultus. Qui quidem rexit

E Ecclesiam XIII. annis, septem mensibus, & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus diebus, Lothario Imperatore Tertio tunc regnante.

DE CÆLESTINO II.

CÆLESTINUS II. natione Tuscus, de Castro Felicitatis, post dictum Innocentium Papam Secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXVI. Anno à Nativitate Domini MCXLIV. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de MCXLIII.

Item quod ipse Cælestinus ante suam promotionem Guido vocabatur. Qui post modicum tempus migravit ad Dominum, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam quinque mensibus, & tredecim diebus, Conrado Imperatore tunc regnante.

DE LUCIO II.

LUCIUS II. natione Bononiensis, & ex patre Alberto fuit natus, & post dictum Cælestinum Papam in Romanum Pontificem fuit assumptus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXVII. Anno à Nativitate Domini MCXLIV. vel MCXLV.

Item quod iste Lucius ante suam promotionem Geraldus vocabatur. Et fuit primò Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Crucis Urbis Romæ. Qui totam Ecclesiam ipsam de novo reædificare fecit. Et postea fuit factus Ecclesiæ Romanæ Vicecancellarius, & deinde in Papam fuit assumtus. Qui post modicum tempus ad Christum migravit, & apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam undecim mensibus, & tribus, vel quatuor diebus, Conrado Imperatore tunc regnante.

DE EUGENIO III.

EUGENIUS III. natione Pisanus, post dictum Lucium Papam Secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXVIII. Anno à Nativitate Domini MCXLV. vel MCXLVI.

Item quod ipse Eugenius fuit Monachus Ordinis Cisterciensis, & Monasterii Clarævallis; qui fuerat Beati Bernardi discipulus, & in sua sancta conversatione filius; & deinde Monasterii Sancti Anastasii ejusdem Ordinis Abbas exstitit factus, & postea in Papam assumtus.

Item quod quum iste Eugenius esset sanctitate, virtute, & conversatione præclarus, & gratiâ atque summâ eloquentiâ à Deo ornatus fuisset, quamvis tamen aliter simplex esset, subitò post mortem dicti Lucii Papæ Secundi à Cardinalibus unanimiter in Papam in Ecclesia Sancti Cæsarii Urbis Romæ, die Cathedræ Sancti Petri Apostoli fuit electus. Qui postea propter metum Senatorum ejusdem Urbis Romæ, qui à Populo Romano contra voluntatem dicti Lucii Papæ sui prædecessoris ad Senatoriam dignitatem fuerant electi, ad Farfense Monasterium se transtulit, & ibi suis Cardinalibus ab ipso convocatis, & etiam aliis Prælatis munus suæ consecrationis & coronationis solemniter accepit.

Item quod quum Populus Romanus contra ipsum Eugenium cum malitia consueta valde turbatus esset, ideo concitavit quemdam Senatorem, nomine Jordanum, & etiam Patritium Urbis Romæ. Qui quidem postea ipsum Euge-

(*) E Cod. Msto Cencii Camerarii: *Innocentius ipse celebravit Synodum in Basilica Salvatoris, mense Aprili, die XII Et eodem Anno captus est apud Gallocium, mense Julio.*

A Eugenium persequi incœperunt; propter quod ad partes Gallicanas se transtulit, & à Ludovico Rege Franciæ rogatus in Francia venit, & in Civitate Remensi Concilium celebravit. In quo quidem Concilio Passagium generale Ultramarinum tractavit, & ordinavit. Et postea ipsum Ludovicum Regem cum multis Ducibus, & Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus, & ignobilibus signaculo Sanctæ Crucis solemniter insignivit. Et deinde dictus Eugenius ad Urbem Romanam redivit, quem tam Clerus, quàm Populus cum magna lætitia canendo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, receperunt.

Item quod postea ipse Eugenius misit Beatum Bernardum Abbatem tunc supervenientem in Alamannia ad prædicandum Populo
B Sanctum Passagium Ultramarinum supradictum, in tantum quod ipse induxit cum prædicatione sua Conradum Regem Alamanniæ, & multos Duces, Comites, Barones, & alios tam nobiles, quàm ignobiles Alamanniæ ad prosequendum dictum Passagium Sanctum, & ipsos auctoritate Apostolica Signaculo Sanctæ Crucis solemniter insignivit.

Item tempore ipsius Eugenii, videlicet Anno à Nativitate Domini MCXLVII. præfatus Conradus Rex cum multis millibus hominum ultra mare contra infideles perrexerunt. Et in quadam Civitate, quæ Velsibona vocatur,
C ipsi Christiani in vigilia Apostolorum Petri & Pauli applicuerunt, & ibi obsidionem posuerunt. Quam quidem post quatuor menses cum magna sanguinis effusione, & summa corporum maceratione ceperunt, gratiâ Dei suffragante; quamvis dicti Christiani tunc non fuissent in bello nisi tredecim millia, & tamen prædicti infideles exstiterunt ibi ex adverso ducenta millia & quingenti in summa. Et postea dictam Civitatem intraverunt, & Ecclesiam Cathedralem cum aliis Parochialibus ibi dedicarunt. Et Episcopi Presbyteros, & Clericos cum hymnis & canticis spiritualibus, & magna lætitia ibi statuerunt.

Item quod tempore ipsius Eugenii, Anno quo supra, quarto Kal. mensis Junii, prædi-
D ctus Ludovicus Rex Franciæ cum suo magno exercitu versus partes Hungariæ accessit, & deinde ultra mare versus Seleuciam, Palæstinam, & Antiochiam, Civitates, in quibus infideles erant, perrexerunt, & plura inter se prælia habuerunt. Et tunc multi ex ipsis cum gladio, vel corporis maceratione pro Christi nomine decesserunt; inter quos fuerunt duo valentissimi, & strenuissimi Milites, Comes Mancianensis, & Comes Sancti Ægidii, & Tolosæ. Sed tamen Damascus à Gallicis fuit obsessus, & Hierusalem à Germanis. Et quia instigante diabolo magna dissensio inter Germanos & Francos exorta fuit, ideo
E ipsi se diviserunt, & à suo sancto proposito, & à Terra Sancta recedere incœperunt.

Item quod quum tempore ipsius Eugenii Papæ dictus Conradus Rex Alamanniæ cum suo exercitu versus partes Constantinopolitanas recessisset, & cum navibus Imperatoris Constantinopolitani ad Terram suam reversus exstitisset, & dictus Ludovicus Rex Franciæ cum suo exercitu per Palæstinam ad regnum suum regredi vellet per mare, tunc contra ipsum supervenit Imperator Constantinopolitanus cum navigiis pluribus ac diversis, & multitudine Græcorum armatorum. Qui tamdem inter se prælio magno peracto, ipse Ludovicus cum suo exercitu ab eis exstitit captus, & Manueli tunc ipsorum Imperatori exinde fuit præsentatus. Sed postea à Rogerio tunc Rege Siciliæ ipse Ludovicus cum suo exercitu cum maximis præliis & triumpho à sua captivitate fuit liberatus, & in Franciam liberè postea cum suo exercitu fuit perductus.

Item quod tempore ipsius Eugenii Papæ quidam Monachus, nomine Gratianus, Monasterii Sancti Felicis, de Civitate Bononiensi, & de Clusa Civitate Tusciæ natus, tunc floruit. Cui Deus tantam subtilitatem & capacitatem tribuit, quod Librum Decretorum compilavit; cujus doctrina Ecclesia decoratur, colitur, regitur, & gubernatur. Et ideo, prout in ipso Libro sic ipse attestatur, quod quidquid alibi de aliqua materia quæritur, vel dubitatur, in Libro ipso perfecte invenitur. Qui quidem Liber ab ipso fuit compilatus Anno à Nativitate Domini MCL. secundùm eum, & Hugucium sui Libri expositorem.

Item quod tempore ipsius Eugenii Papæ Beatus Bernardus primus Abbas Monasterii Clarævallis, ætatis sexaginta trium annorum expletorum, vel circa, tertio Kal. Septembris in suo Monasterio, & inter manus suorum Fratrum Monachorum, de sua morte summe dolentium, ad Christum migravit, & ibi honorifice fuit sepultus. (*)

Item ipse Eugenius Papa post multos labores & persecutiones ad Christum migravit. Et postea cum magna tristitia, planctu, & lachrymis à Clero & Populo Romano ad Ecclesiam Beati Petri Apostoli cum summa reverentia & honore deportatus fuit, atque sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam octo annis, quatuor mensibus, & viginti diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus diebus, Conrado Imperatore Secundo tunc regnante.

DE ANASTASIO IV.

ANASTASIUS IV. natione Romanus, ex patre Benedicto fuit natus, & post dictum Eugenium Papam Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXIX. Anno à Nativitate Domini MCLIII. vel MCLIV.

Item ipse Anastasius unum pulcrum & magnum Palatium apud Ecclesiam, quæ vocatur Sancta Maria Rotunda Urbis Romæ, miro modo ædificare fecit. Et in Ecclesia Lateranensi unum Calicem magnificum, qui viginti Marchas argenti ponderabat, & multa alia jocalia pulcherrima & pretiosa, Ecclesiæ Lateranensi dedit, & ibi perpetuò assignavit.

Item quod tempore ipsius Anastasii Papæ in Studio Parisiensi tres summi Magistri in sacra Pagina floruerunt, videlicet Petrus Lombardi, Oddo Suessionensis, & Ivo Carnotensis, inter quos fuit maximus ipse Petrus Lombardi, quia Librum Sententiarum compilavit, & Psalterium, atque Epistolas Pauli post

(*) E Cod. Msto Cencii Camerarii: *Tempore Eugenii Papæ & Conradi Imperatoris, Romani Tiburtinos vicerunt, & quamplures decollaverunt. Tempore etiam ipsorum, Romani obsederunt Viterbium mense Madii die XXV.*

post alios sacræ Paginæ Doctores clariùs & apertiùs glossavit, atque explicavit.

Item quod iste Anastasius Papa post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & à Clero & Populo honorifice in Ecclesia Lateranensi Urbis Romæ in tumba porphyretica exstitit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, quatuor mensibus, & viginti quatuor diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XX. diebus, Frederico Imperatore tunc regnante.

DE ADRIANO IV.

ADRIANUS IV. natione Anglicus, de Malbosbinia Visthoniensis Diœcesis, post dictum Anastasium Papam Quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXX. Anno à Nativitate Domini MCLIV.

Item quod iste Adrianus ante suam promotionem Nicolaus vocabatur. Et ipse, ut fertur, fuit primo Clericus pauper, qui pro servitio Ecclesiæ Sancti Jacobi Castri de Melagrio, quod est prope Montem Pessulanum Magalonensis Diœcesis, cum Priore illius Ecclesiæ Parochialis, & Canonico Sancti Ruffi de Valentia, ab initio fuit commoratus & nutritus. Deinde ipso Priore procurante dicti Monasterii Sancti Ruffi exstitit factus Canonicus; postea tractu temporis meritis suis fuit factus Abbas dicti Monasterii. Et demum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopus Albanensis fuit factus. Et per consequens ad prædicandum verbum Dei, & gentes barbaras ad convertendum ad Fidem Catholicam, in Norvegiam à Sede Apostolica tamquam Legatus de latere exstitit transmissus. Qui quum dictas gentes gratiâ Dei suffragante ad Fidem Catholicam convertisset, & ipsas bene & rite in hoc instruxisset, & apud Urbem Romanam de sua Legatione revenisset, tunc Anastasio Papa defuncto in Papam statim fuit electus.

Item quod ipse Adrianus excommunicavit Guillelmum Comitem Siciliæ, quia Comitatum, qui est de Patrimonio Ecclesiæ, sibi recognoscere recusabat. Sed finaliter ab ipso absolutionem obtinere meruit, quia dictum suum Comitatum eidem Adriano ipse canonice recognovit, & pro ipso homagium consuetum sibi fecit.

Item quod iste Adrianus fuit ille Papa Primus, qui primo de Urbe Romana cum sua Curia in Urbe Veteri se mutavit, & ibi longo tempore moram traxit. Et deinde multas possessiones Ecclesiæ Romanæ, quæ erant circa locum Sanctæ Christinæ à quibusdam Comitibus occupatæ, recuperavit. Et postea Fredericum Primum Imperatorem electum apud Urbem Romanam confirmavit, & in Ecclesia Sancti Petri Apostoli eum solemniter coronavit.

Item tempore ipsius Adriani Papæ quædam Sanctimonialis mulier, nomine Elizabeth, claruit Dei plena gratiâ. Et ista non fuit prætermittenda, immo Christianorum omnium fidelium memoriæ fuit recommendanda, nam secundùm suam relationem Anno à Nativitate Domini MCLVII. in die festi Assumtionis Beatæ Mariæ Virginis existens

A in Oratione, & contemplans Assumtionem ejusdem Virginis gloriosæ, ipsa vidit in loco ab ea valde remoto unum pulcherrimum Sepulcrum, magno lumine & splendore circumdatum, & in ipso Sepulcro quamdam speciem mulieris existentis, & in circuitu multitudinem Angelorum Dei cum hymnis & canticis ipsam mulierem de ipso Sepulcro recipientium. Quumque ipsi Angeli ipsam mulierem deportare vellent, subitò in occursu ipsius quidam vir supra existimationem gloriosus, de altitudine Cœlorum cum infinitis Angelorum millibus, portans in dextra manu Signum Sanctæ Crucis supervenit, quem propter hoc Filium Dei ipsa statim

B cognovit. Qui cum magna lætitia dictorum Angelorum inæstimabiliter psallentium, & summe lætantium eam suscepit, & in suo Cœlorum Regno ipsam exportavit. Quibus quidem peractis ipsa Sancta Elizabeth Angelum, qui præmissa sibi ostendebat, quid hoc erat, interrogavit. Cui ipse respondit & ait: *In ista visione meritis Dei Genitricis Mariæ, tibi fuit ostensum, qualiter ipsa tam in anima, quàm in corpore ad Regnum cœleste à Deo Filio suo cum Angelorum suorum infinitis millibus fuerat assumta.* Et sic Angelus ab ea recessit.

Item quod postea quadam alia die ipsa Elizabeth in oratione existente dictus Angelus iterum sibi apparuit. Et tunc ipsa Sancta Eli-

C zabeth ipsum interrogavit, qua die dicta Virgo Maria de hoc sæculo migravit, & vitam corporalem recuperavit. Cui Angelus respondit, quod illa die, qua ejus Assumtio in hoc sæculo celebratur, eadem die de hoc sæculo migravit, sed postmodum die sexagesimo transacto, videlicet nono Kal. Octobris ipsa à morte temporali resurrexit.

Item quod quum postea Beata Virgo Maria prædictæ Sanctæ Elizabeth in oratione sua existenti apparuisset tunc ipsam Virginem Mariam interrogavit, quanto tempore ipsa post sui Filii Ascensionem vixerat in hoc Mundo. Cui ipsa respondit: *Per unum annum integrum post Ascensionem Filii mei in hoc*

D *Mundo ego supervixi, & postea tot diebus quot sunt ad Assumtionem supradictam: tunc Apostoli omnes me sepulturi interfuerunt, & cum magna veneratione corpus meum sepelierunt.* Verumtamen super hoc refert Epiphanius quidam Historiographus, quod Virgo Maria erat ætatis XIV. annorum, quando Christum concepit, sed in XV. eum peperit, & in hoc Mundo ipsa cum eo permansit XXXIV. annis. Et post Ascensionem Domini XXIV. annis supervixit. Secundùm istam compilationem ipsa quando obiit, erat annorum septuaginta duorum. Alibi tamen legitur, & probabilius videtur, quod post Ascensionem Filii sui prædicti duodecim annis super-

E vixit & sic erat sexagenaria, quando in Cœlum fuit assumta.

Item quod quum alia die postea Annuntiationis Dominicæ mysterium & festum celebraretur, ipsa Sancta Elizabeth existens in oratione valde contemplaretur, tunc iterum sibi apparuit Virgo Maria, quam tunc ipsa interrogavit, cujus ætatis erat, quando Angelus Gabriel sibi denuntiavit adventum Dei Filii. Cui respondit, quod quindecim annos ipsa tunc habebat, & ultra. (*)

Item

(*) E Cod. Msto Cencii Camerarii. *Fridericus Primus post MCLV. Annum Incarnationis Domini. Tempore Adriani prædicti Fridericus Romam venit XIV. Kal. Julii, & tunc Præfectus destruitur.*

Item quod iste Adrianus post multas tribulationes, & corporis afflictiones ad Christum migravit, & in Vaticano apud Ecclesiam Sanctorum Petri & Pauli Urbis Romæ à Clero & Populo juxta sepulcrum Eugenii Papæ Tertii honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam IIII. annis, novem mensibus, & decem & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica viginti diebus, Frederico Imperatore Primo tunc regnante.

DE ALEXANDRO III.

ALEXANDER III. natione Tuscus, patriâ Senensis, ex Patre Rainucio fuit natus, & post dictum Adrianum Papam Quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXI. Anno à Nativitate Domini MCLIX. secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de MCLX.

Item quod tempore electionis ipsius Alexandri Papæ magna turbatio, & schisma inter Cardinales exorta fuerunt. Et propter hoc vota omnium Cardinalium in quatuor divisa exstiterunt, in tantum quod duæ partes Cardinalium ipsum Alexandrum canonicè elegerunt, qui antea Rolandus Vicecancellarius vocabatur, & tertia pars ipsorum Cardinalium quatuor Schismaticos Antipapas variis temporibus elegerunt, videlicet Octavianum, Guidonem Cremensem, Johannem Strumensem, & Landonem. Quorum tres Cardinales Presbyteri fuerunt, & primus fecit se vocari *Victorem*, secundus autem *Paschalem*, tertius verò *Calixtum*, & quartus *Innocentium*. Et omnes isti quatuor magnam perturbationem in Ecclesia Dei posuerunt, quia quidam de Clero & Populo uni ipsorum favebant, & alii cuilibet aliorum idem fecerunt. Propter quæ dictus Alexander eos excommunicavit, & ipsos persecutus fuit; & tamdem omnes isti quatuor successive mala morte perierunt.

Item quod quum postea propter schisma illorum, qui Papam se nominabant, cum favore & potentia Friderici Imperatoris Abbates, & Conventus Sancti Anastasii, & Sancti Pauli de suis Monasteriis Urbis Romæ expulsi fuissent, & loca ipsorum, seu Monasteria per ipsum occupata extitissent, tamdem per ipsum Alexandrum Papam prædicta Monasteria eisdem Abbatibus & Conventibus restituta sunt.

Item quod iste Alexander postea veniens ad partes Gallicanas propter persecutionem Imperatoris tunc à Regibus Franciæ, & Angliæ cum magno honore fuit receptus, & deinde in civitate Turonensi Concilium solemne celebravit. Et postea in Burgundia perrexit, & in civitate Senonensi se mutavit, & suam Curiam per unum annum & dimidium ibi tenuit atque celebravit. Sub cujus tempore Beatus Anselmus Episcopus Belluacensis magnâ scientiâ & sanctitate præclarus florebat.

Item quod postea iste Alexander Papa in Italiam fuit reversus, & deinde versùs Romam gressus suos direxit, & per Regnum Siciliæ tunc transivit. Quem Guillelmus tunc Rex Siciliæ cum magna reverentia & honore suscepit, & postea ab ipso fidelitatis juramento præstito, & homagio renovato, ipsum Re-

A gnum Siciliæ eidem Alexandro Papæ ab Ecclesia Romana se tenere recognovit. Et deinde apud Urbem Romanam fuit ingressus, & cum magna reverentia & honore atque lætitia à Clero & Populo Romano exstitit receptus. Et tunc secta hæresis Waldensium, seu Pauperum de Lugduno à quodam Cive Lugdunensi habuit suum exordium.

Item quod postea Mediolanenses & Placentini in despectum & vituperium Frederici Imperatoris & Papiensium, & in favorem & reverentiam ipsius Alexandri Papæ unam magnam & pulcram Civitatem Papalem, atque fortem cum suo Palatio ædificari fecerunt prope Civitatem Papiensem, cui in honorem dicti Alexandri *Alexandriam* nomine sui imposuerunt, quam Papienses in despectum *Paleam* vocaverunt, & adhuc sic eam vocant, & vocare consueverunt.

Item quod ædificata hujusmodi habitatione Papali ipse Alexander Papa ad petitionem Lombardorum de ipsa Papali Civitate ibi Episcopalem Sedem constituit & ordinavit. Et deinde Civitatem Papiensem, Crucis, & Pallii dignitate perpetuò privavit, quum dicto Imperatori, & Ecclesiæ persecutoribus semper adhæsisset.

Item quod postea Fridericus Imperator se pœnitens, quia contra ipsum Alexandrum & Romanam Ecclesiam commiserat, ideo super his veniam ab ipso Alexandro sibi dari

C postulavit. Quare ipse Alexander postea in urbe Veneta tam super hoc, quàm super aliis magnum & solemne ac generale Concilium celebravit; in quo dictus Fridericus cum suis sequacibus Antipapam, cui penitus favebat, abjuravit, & ad unitatem Ecclesiæ Romanæ orthodoxæ redivit, & Alexandro debitam reverentiam & subjectionem ibi exhibuit, atque devotam. Et tunc, ut legitur, ipse Alexander pedem suum posuit super caput, dicendo: *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.*

Item quod tempore ipsius Alexandri Papæ Beatus Thomas in Archiepiscopum Ecclesiæ Cantuariensis fuit electus, confirmatus, &

D consecratus, & postea à Rege Angliæ, & à toto regno suo exstitit relegatus. Sed ipse usque ad mortem suam à Rege Franciæ honorifice fuit receptus, & de bonis suis in suo regno exstitit sustentatus. Et in isto etiam tempore, vel circa, Corpora trium Regum Magorum, qui Christum post Nativitatem suam in Bethleem cum muneribus adoraverunt, de Mediolano, ubi erant, ad Civitatem Coloniensem ad mandatum Imperatoris post destructionem ipsius Civitatis Mediolanensis fuerunt translata atque deportata.

Item quod quum tempore ipsius Alexandri dictus Beatus Thomas Cantuariensis ad suam Ecclesiam reversus fuisset, statim in Ecclesia

E Metropolitana sua à Ministris Henrici Regis Angliæ horâ vespertinâ exstitit pro Christi nomine interfectus, & martyrio coram Deo coronatus. Et postea sequenti anno post mortem suam in capite jejuniorum ab ipso Alexandro Papa in Urbe Romana solemniter fuit canonizatus. In cujus tumulo, & ubique terrarum pro ipsius martyrio Deus fecit, & ostendit Christifidelibus cotidie plura & diversa miracula. (*)

Item

(*) E Cod. MSto Cencii Camerarii. *In tertio Anno Alexandri Papæ Mediolanum a Friderico I. destruitur mense Martio. Septimo Anno ejusdem Papæ Alexandri apud Tusculum Romanorum exercitus a Theutonicis victus est IV. Kalend. Julii. Decimo Anno ipsius, Albanum a Romanis crematum est VI. Idus Aprilis.*

Item quod ipse Alexander fuit summe litteratus & discretus. Qui post multas tribulationes & persecutiones & sui corporis afflictiones ad Christum migravit. Qui quidem rexit Ecclesiam viginti & uno annis, & undecim mensibus, & decem & novem diebus secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de viginti duobus diebus, prædicto Friderico Imperatore tunc regnante.

DE LUCIO III.

LUCIUS III. natione Tuscus, de Civitate Lucana fuit natus, qui post dictum Alexandrum Papam Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXII. Anno à Nativitate Domini MCLXXXII.

Item iste Lucius ante suam promotionem Hubaldus vocabatur, & fuit Cardinalis Episcopus Ostiensis. Et post multos labores, & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & in Civitate Veronensi à Clero & Populo honorificè fuit sepultus. Qui rexit Ecclesiam quattuor annis, duobus mensibus, & decem & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica tresdecim diebus, Frederico Imperatore tunc regnante.

Item de isto Lucio legitur, quod post suam sepulturam in suo monumento quidam versiculi extiterunt dictati, & ibi scripti in modum qui sequitur:

Luci, Luca dedit tibi lucem; Pontificatum
Ostia: Papatum Roma: Verona mori:

deinde in isto sepulcro fuerunt positi alii versus:

Immo Verona dedit tibi verum vivere. Roma
Exilium, Curas Ostia, Luca Mori.

DE URBANO III.

URBANUS III natione Mediolanensis, post dictum Lucium Papam Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXIII. anno à Nativitate Domini MCLXXXVI.

Item iste Urbanus ante suam promotionem Humbertus vocabatur, & fuit Archiepiscopus Mediolanensis, & postea Cardinalis. Deinde Papa exstitit factus, & Urbanus vocatus. Qui quum postea apud Civitatem Veronensem cum sua Curia resideret, quidam Abbas, nomine Joachim ex partibus Calabriæ ad eum venit, qui communiter tunc dicebatur, quod divinitus corporali ingenio pluribus scientiis & discretione facundus, & omni Scripturarum interpretatione atque intelligentia erat imbutus, cui aliquæ Prophetiæ Romanorum Pontificum attribuuntur.

Item quod anno secundo sui Pontificatus Soldanus Babyloniæ cum infinitis millibus hominum in equis, in Galileam venit, & totas Terras tunc Christianas, quæ à Christifidelibus captæ exstiterant tempore Urbani Secundi, fortiter occupare incœpit. Propter quod Guido tunc Hierosolymorum Rex, Episcopi, & alii Prælati, Templarii, Hospitalarii, Nobiles, & ignobiles, & Populus Christianus universus, in unum locum convenerunt. Et deinde ipsi bene muniti cum magna audacia contra Soldanum, qui Civitatem Tiberiadem tenebat obsessam, irruerunt. Et postea inter ipsos magnum prœlium fuit factum, in quo ab utraque parte infiniti homines interfecti sunt; quod quidem prœlium Christiani obtinuissent, nisi dictus Soldanus quamdam aquam, de qua Christiani potabant, & suos equos adaquabant eis sustulisset, in tantum quod propter sitim sunt extincti equi, & multi Christianorum capti, & interfecti, & plures effugati sunt. Et deinde dictus Soldanus finaliter Civitatem Hierusalem, cum omnibus aliis Civitatibus, Castris, & Villis in ore gladii cepit & occupavit, & omnes Ecclesias Christianorum destruxit, & infinitos Christianos captivavit. Et post octoginta & octo annos dicta Civitas Hierusalem Christianis fuit restituta.

Item quod quum postea ipse Urbanus perditionem Hierusalem, & totius Terræ Sanctæ audivisset, summe plangere, & tristari incœpit. Propter quod post modicum tempus ad Christum in Civitate Ferrariensi migravit, & ibi à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam uno anno, decem mensibus, & viginti quinque diebus.

DE GREGORIO VIII.

GREGORIUS VIII. Beneventanus post dictum Urbanum Papam in Romanum Pontificem fuit assumptus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXIV Anno à Nativitate Domini MCLXXXVII.

Item ipse Gregorius ante suam promotionem Albertus vocabatur Vice-Cancellarius, qui fuit valde literatus, facundiâ præclarus, & vitæ & animi integritate perornatus, & circa exaltationem Ecclesiæ Romanæ, & ipsius defensionem summe diligens exstitit atque attentus.

Item ipse Gregorius statim post suam promotionem per universum Mundum ad omnes Reges, Principes, Nobiles, & Potentes, Communitates, & Populos Christianos tam Legatos, quàm Nuntios speciales cum suis literis destinavit, qui desolationem Terræ Sanctæ, & Christifidelium de partibus illis cum magna cordis amaritudine & dolore denuntiarunt, & pro recuperatione hujusmodi Terræ Sanctæ omnes istos invitavit, & cum ipsorum indulgentia plenissima, & bonorum Ecclesiæ Romanæ sustentatione condigna, & cum multis adjutoribus pariter & exemplis ad faciendum hujusmodi sanctum Passagium, in quantum potuit, eos induxit.

Item cum ipse Gregorius pro formanda pace inter Pisanos & Januenses, qui invicem fortiter debellabant Pisas venisset, maxime quia nullus inter eos concordiam apponere poterat, & tamdem hujusmodi pacem inter ipsos, & concordiam fecisset, statim ad Christum migravit. In qua Urbe à Clero & à Populo honorifice fuit sepultus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per viginti dies, Frederico Imperatore Primo tunc regnante.

DE CLEMENTE III.

CLEMENS III. natione Romanus, ex patre Johanne Scholari fuit natus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXV. Anno à Nativitate Domini MCLXXXVII.

Item ipse Clemens ante suam promotionem Paulus vocabatur. Et fuit Episcopus Prænestinus Cardinalis, & post suam promotionem Ec-

Ecclesiam Sancti Laurentii extra muros Urbis Romæ ædificari fecit, & deinde juxta Ecclesiam Lateranensem Palatium antiquum renovavit, & exaltavit, & postea unum magnum, & pulcrum puteum ante equum æneum fieri fecit.

A Item cum Gregorius Papa Octavus omnes Principes, Nobiles, & ignobiles, atque Populos Christianos pro recuperanda Terra Sancta invitasset, ideo anno secundo Pontificatus ipsius Clementis Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ, & Fredericus Imperator, signaculum Sanctæ Crucis cum infinitis millibus suis receperunt. Et postea cum multis millibus hominum in armis Crucesignatorum ultra mare pro dicta Terra Sancta recuperanda perrexerunt. Et illo anno per totam hyemem in Regno Siciliæ steterunt, ubi invenerunt Abbatem Joachim supradictum, quem interrogaverunt de fortuna bona vel mala ipsorum, & de faciendo dictum Passagium supradictum. Quibus ipse respondit, & dixit, quod secure mare transirent; sed ultra mare parum aut nihil facerent, aut perficerent, quia nondum venerat tempus à Deo dispositum, quod dicta Terra Sancta à Christianis recuperari possit & haberi. Qua quidem responsione non obstante dictus Philippus Rex versùs Ptolemaidam accessit, & ibi portum cepit. Ricardus autem Rex Angliæ ad Regem Cypricum cum gentibus suis venit, & ibi applicuit.

B

C Item quod anno tertio Pontificatus dicti Clementis Papæ, dictus Ricardus Rex Angliæ incœpit debellare fortiter quemdam Imperatorem in dicto Regno Cypri dominantem, quem finaliter cepit, & totam Insulam sibi subjugavit. Philippus autem Rex Franciæ versùs Acon ivit, & ibi Portum cepit. Quumque ipse eam obsessam teneret, & fortiter debellaret, tunc dictus Rex Angliæ cum gentibus suis supervenit. Qui tamdem Rex Franciæ dictam Civitatem Acon IV. Idus Julii cum magnis laboribus, & suorum sanguinis effusione magna cepit, & sibi eam subjugavit. In qua quidem captione interfuerunt Oddo Dux Burgundiæ, Philippus Comes Flandriæ, Henricus Comes Campaniæ, Theobaldus Blesensis, Stephanus Sacrisarcensis, & plures alii Nobiles, & etiam multi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & plures alii Prælati, & Clerici, qui cum dicto Rege Franciæ venerunt. Unde quum dictus Rex Franciæ postea graviter infirmari incœpisset, ideo pro obtinenda sanitate à partibus ultramarinis recessit, & custodiam illius Acon Civitatis dicto Odoni Duci Burgundiæ commendavit, sed postea ibi ipse parùm profecit, quia dicta Civitas post modicum ad nihilum deducta fuit.

D

E Item quod anno, quo supra, Pontificatus ipsius Clementis Papæ dictus Fridericus Imperator versùs partes Asiæ accessit. Et finaliter contra Soldanum ad partes Iconii pugnavit, & demum usque ad Iconium eum effugavit, & multitudinem Turcarum interfecit. Et postea debellando ipse Imperator in quodam flumine immergitur casualiter. Qui quum quasi semimortuus de aqua extractus fuisset, post paucos dies ad Christum migravit. Et deinde Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Comes Blesensis, Stephanus Sacrisarcensis, & alii quamplurimi Nobiles, & Proceres, qui pro recreandis corporibus suis propter labores, & afflictiones, quæ sustinuerant, apud Antiochiam venerunt, ibi obierunt.

Item ipse Clemens Papa post multos labores ad Dominum migravit. Et rexit Ecclesiam tribus annis, & sexdecim diebus.

DE CÆLESTINO III.

CÆLESTINUS III. natione Romanus ex patre Petro Bubonis post dictum Clementem Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXVI. Anno à Nativitate Domini MCXCI.

Item quod iste Cælestinus ante suam promotionem Hiacyntus Cardinalis vocabatur. Qui fuit vir grandævus, gratiosus, ac generosus, & in die sancto Paschæ apud Urbem Romanam consecratus & coronatus; & crastina die Henricum Friderici filium Imperiali Imperatorum Diademate solemniter insignivit. Et postea unum magnum & pulcherrimum Palatium Papale juxta Ecclesiam Sancti Petri Urbis Romæ ipse ædificare fecit; & rexit Ecclesiam sex annis, octo mensibus, & sexdecim diebus.

DE INNOCENTIO III.

INNOCENTIUS Papa III. natione Campanus de Castro Signiæ, & ex patre Transimundo fuit natus, & post dictum Cælestinum Papam Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXVII. Anno à Nativitate Domini MCXCVIII.

Item quod ipse Innocentius ante suam promotionem Lotharius vocabatur, & ipse fuit beatus, & gloriosus in actibus suis, prout opera sua testimonium perhibent veritati. Nam ipse inter cetera Hospitale Sancti Spiritus in Urbe Romana ædificari, & Ecclesiam Sancti Sixti renovari fecit, & unum Librum Decretalium composuit, & quemdam libellum de miseria, & conditione humana sic vocatum, compilavit, & multa alia opera gloriosa ipse fecit.

Item quod ipse Innocentius dedit omnibus Ecclesiis Urbis Romæ Calices argenti, ipsos non habentibus, videlicet unam libram de argento sub isto tamen pacto & conditione, quod postea ipsos Calices vendere, neque alienare possent.

Item quod ipse Innocentius Ottonem IV. Ducem Saxoniæ in Imperatorem electum confirmavit, & postea in Ecclesia Sancti Petri Urbis Romæ solemniter coronavit. Sed ipsum postea deposuit, quia juramentum, quod sibi promiserat, non servavit. Nam ipso coronato, statim pugnam contra Romanos habere incœpit, & Regnum Siciliæ, quod est de patrimonio Ecclesiæ Romanæ occupare incœpit secundùm Ricardum Monachum Monasterii Cluniacensis, cujus Chronicæ heic terminantur.

Item quod anno septimo Pontificatus ipsius Innocentii Civitas Constantinopolis à Francis, & Venetis fuit capta. Et provincia Livoniæ pro parte ad Fidem Catholicam exstitit conversa, & Libellus Joachim, quem ipse ediderat contra Magistrum Petrum Lombardi,

di, & etiam alius Libellus doctrinæ Magistri Amalrici Carnotensis, per ipsum Innocentium condemnati sunt, prout in Decretali *Damnamus*, continetur.

Item quod anno nono Pontificatus ipsius Innocentii misit unum Legatum Cardinalem cum duodecim Abbatibus in sacra Pagina Magistris, Ordinis Cisterciensis, ad prædicandum verbum Dei in Tolosanis, Albiensibus, Carcassonensibus, & Biterrensibus partibus contra hæreticos ibi manifestos. Qumque ipse Legatus cum omnibus Abbatibus supradictis apud Montempessulanum fuisset, tunc Sanctus Dominicus pater & institutor Ordinis Prædicatorum, ibi de Urbe Romana supervenit. Quem quidem dictus Legatus cum omnibus Abbatibus supradictis ad prædicandum, & convertendum hæreticos secum adjunxit, maximè quia iste Sanctus Dominicus quasi per biennium antea fuerat in partibus illis Tolosanis contra dictos hæreticos verbum Dei eis prædicando, in quibus partibus Tolosanis dictus Beatus Dominicus primò incœpit ordinare, statuere, & publicare Ordinem Fratrum Prædicatorum, videlicet Anno à Nativitate Domini MCCIV. & Pontificatus ipsius Innocentii Anno septimo.

Item quod tempore hujusmodi Innocentii Papæ Sanctus Franciscus in quodam loco vocato Sancta Maria de Portiuncula prope Civitatem Assisii, qui ante suam conversionem Johannes vocabatur, Ordinem Fratrum Minorum incœperat statuere, ordinare, & publicare, videlicet Anno à Nativitate Domini MCCVI. Pontificatus ipsius Innocentii Papæ Tertii Anno nono.

Item quod tempore ipsius Innocentii exercitus Crucesignatorum veniens cum dicto Legato apud Biterrensem Civitatem de partibus Gallicanis contra hæreticos, qui erant in partibus illis, eam obsederunt, videlicet Anno à Nativitate Domini MCCIX. De qua Civitate Rogerius Vicecomes ejusdem Civitatis aufugerat apud Carcassonensem præ timore exercitus supradicti. Sed nihilominus Cives ejusdem Civitatis viribus suis, in quantum potuerunt, contra dictum exercitum se defenderunt.

Item quod dictus Legatus, quum vidisset, quod ipsi non poterant evadere à manibus suis, & ne viri Catholici, qui infra Civitatem erant propter culpam hæreticorum à dicto exercitu occiderentur; ideo ipse misit Reginaldum de Montepessulano, tunc Episcopum Biterrensem, virum ætate, vitâ, & scientiâ præclarum, qui quasi omnia nomina dictorum hæreticorum scripta habebat. Qui quum ipse Episcopus infra dictam Civitatem intrasset, ideo juxta mandatum Legati prædictos cives gratiose requisivit, ut illi, qui ibi erant, Catholici, omnes hæreticos de ipsa Civitate expellere deberent. Et quia ipsi hoc facere noluerunt, ideo exercitus Crucesignatorum contra dictam Civitatem debellare fortiter animatus fuit, in tantum quod post paucos dies ipse cepit dictam Civitatem Biterrensem in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ. In cujus Ecclesia, quæ est ibi Parochialis magna & solemnis, tunc majores Cives pro tuitione Ecclesiæ & libertatis se posuerunt. Sed ibi condignam mercedem receperunt. Nam septem millia de ipsis in Ecclesia ipsa crudeliter interfecti fuerunt ultione divina, pro eo quia cives hæretici ipsam Beatam Mariam

A Magdalenam Christi concubinam fuisse asserebant. Et nihilominus antea per quadraginta duos annos quemdam Vicecomitem illius Civitatis nomine Trancavel in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ Magdalenæ proditionaliter, & crudeliter interfecerunt; & per consequens cuidam Episcopo dictæ Civitatis, qui dictum Vicecomitem à manibus propriorum Civium eripere conabatur, dentes suos confregerunt, & multa vituperia & damna sibi tunc intulerunt.

Item postea capta Civitate Biterrensi, dictus Legatus cum exercitu Crucesignatorum venit apud Civitatem Carcassonensem, ubi dictus Vicecomes Biterrensis, Carcassonensis,
B & Albiensis, erat cum multitudine hæreticorum; qui quum ipsam obsedissent, & fortiter ipsam debellassent, tamdem Rogerius Vicecomes supradictus, nepósque Comitis Tolosani, qui prius aufugerat de Biterris, post multas defensiones, & dictorum hæreticorum terrores, cum certis conditionibus & pactis se in manibus dicti Legati posuit & submisit. Et postea cives illius Civitatis tunc rebellantes nudi in camisiis & braghis, de illa exierunt, & dicto Legato dictam Civitatem reddiderunt. Quum autem dictus Vicecomes sub ostagio & custodia juxta pacta de mandato dicti Legati detineretur, ipse tamdem propter fluxum ventris, seu dysenteriam de-
C cessit. Post cujus decessum dictus Legatus habito solemni consilio, totam Terram jam acquisitam, & gubernaculum dicti exercitus, & etiam belli regimen, nobili viro & strenuissimo, & multis virtutibus insignito Simoni Comiti Montisfortis cum plena potestate tradidit & commisit.

Item postea dictus Comes Montisfortis cum suo exercitu Castrum fortissimum de Minerba, tunc Narbonensis Diœcesis obsedit, & post multas invasiones & hæreticorum defensiones, ab ipso Comite dictum Castrum captum fuit. In quo centum & quadraginta hæretici inventi fuerunt, qui quidem potius comburi, quàm ad Fidem Catholicam con-
D verti voluerunt.

Item postea ipse Comes Montisfortis cum suo exercitu ulterius viriliter processit, in tantum quod post multas temporum invasiones, & hæreticorum defensiones in ore gladii cepit & obtinuit multa fortalitia, & optima loca, videlicet Alzonam, Fanum Jovis, Castra, Apamias, Castrum de Mirapissio, Savardinum, Luberinum, & Civitatem Albiensem, & quasi omnia Castra, & Villas Diœcesis Albiensis, exceptis quibusdam, quæ Comiti Tolosano erant subjecta; quæ tamen postea ab ipso Simone exstiterunt capta, inter quæ fuit Castrum de Lymons, & Castrum de Preissano. Et deinde ipse Comes Montisfortis
E obtinuit fortalitium de Cabareto à Nobili viro Petro Rogerii de genere Vicecomitis Carcassoniæ. Qui præ timore ipsum Castrum eidem Comiti Montisfortis tradidit, & aliam Terram in aliis partibus ipse sibi assignavit.

Item postea dictus Comes Montisfortis de anno à Nativitate Domini MCCXI. circa festum Paschæ, cum suo exercitu venit ad Castrum fortissimum de Vauro, quod tunc erat bene munitum. In quo quidem Castro plures hæretici erant, quod Castrum post ipsorum Crucesignatorum fortissimas invasiones, & hæreticorum validissimas defensiones, ab eodem Comite Montisfortis exstitit captum, & suæ

A fuæ voluntati traditum. In quo circa quadringenti hæretici reperti fuerunt, qui etiam prædilexerunt comburi, quàm ad Christum converti. Sed Nobilis vir Aymericus, Dominus Montisregalis & Lauriaci, qui dictum Castrum de Vauro contra Comitem Montisfortis defenderat, per gulam fuit suspensus, & circa octuaginta Nobiles alii, qui ibi cum eo erant, interfecti fuerunt. Gerardam verò sororem dicti Nobilis Aymerici, Dominam Castri de Vauro supradicti in quodam puteo projecerunt, & cum lapidibus ipsum puteum cumulaverunt. Et Populus ipsius Castri juxta pacta immunis remansit.

Item postea ipse Comes Montisfortis cum suo exercitu ad Castrum fortissimum de Monte Jovis accessit, juxta quod Comes Fuxi
B plures Crucesignatos occidi fecit. Et ipsi veniebant ex devotione in subsidium dicti Comitis Montisfortis. Et quum ipse Comes Montisfortis appropinquaret locum, ubi dicti Crucesignati mortui jacebant, cum manibus in modum crucis conjunctis, tunc ipse vidit lampam ignis de Cœlo valde resplendentem, super corpora ipsorum defunctorum descendentem, de quo ipse, & Fulco tunc Episcopus Tolosanus, qui ibi erat præsens, cum eo stupefacti fuerunt. Propter quod idem Comes contra dictum Castrum statim fortiter irruit, & finaliter eum cepit, & eum funditus destruxit.

C Item deinde idem Comes Montisfortis cum suo exercitu ad quoddam Castrum, quod tunc Calier vocabatur, accessit, & ipsum fortiter expugnavit: & tamdem ipsum post multas invasiones & inimicorum Fidei defensiones cepit. In quo quidem LX. vel circa hæretici reperti sunt, qui quidem non obstante prædicatione eis facta per dictum Episcopum Tolosanum, & alios Prælatos, qui in dicto exercitu erant, prædilexerunt comburi, quàm ad Christum converti.

Item quum postea his paractis præfatus Fulco Episcopus Tolosanus præcipiendo mandavit Præposito, & Canonicis Cathedralis
D Ecclesiæ Sancti Stephani Tolosanensis, nec non etiam aliis Collegiis, & omnibus Clericis civitatis Tolosanæ, ut ab ipsa ex toto recedere deberent. Qui quidem accepto hujusmodi mandato, nudis pedibus de ipsa Civitate cum Corpore Christi recesserunt.

Item deinde dictus Comes Montisfortis cepit Castrum Montis Ferrandi, & reparavit, atque munivit, & Castrum de Arrio, quod paulo ante Comes Tolosanus præ timore proditionis vacuum dimiserat, & ipsum comburi fecerat. Et postea ipse flumen Tanri pertransiens, venit in Albigesio, & cepit Castra & loca, quæ sequuntur: videlicet, Rapistagium, Montem-Acutum, Galiacum, Cahusatium, Sanctum Marcellum, Enicepium,
E & Sanctum Antonium.

Item postea dictus Comes Montisfortis cum suo exercitu ivit versùs Tolosam, & Anno à Nativitate Domini MCCXI. in mense Julii eam obsedit. Et tunc ibi erant cum eo Comes Barensis, & multi alii nobiles de Alamannia Crucesignati. Sed infra Civitatem erant Comes Tolosanus, Convenarum, Fuxi, & multi Milites cum eis, in tantum quod ab utraque parte fuit magnus insultus & conatus bellicosus. Sed postea deficientibus victualibus exercitui Crucesignatorum, ideo fuit compulsus recedere ab hujusmodi obsidione. Qua dimissa dictus Comes Montisfortis cum ipso exercitu versùs Apamias perrexit. Et tunc Castrum fortissimum de Altaripa expugnavit fortiter, & cepit, & munivit Et deinde quamplurima Castra Comitis Fux. ipse devastavit, & Burgum Fuxi combussit; & deinde apud Caturcum recessit, in quo ipse Comes ab Episcopo, & Populo tamquam Dominus exstitit receptus.

Item quod postea præfatus Comes Montisfortis cum suo exercitu, videlicet Anno à Nativitate Domini MCCXII. tertio Nonas Junii, Castrum de Penna Agenensis Diœcesis, fortissimum viriliter obsedit, quod quidem post multas invasiones dictorum Crucesignatorum, & defensiones validas inimicorum, ipse Comes Montisfortis in die festo Sancti Jacobi Apostoli cepit & obtinuit.

Item postea dictus Comes Montisfortis cum suo exercitu versùs Villam Moysiaci valde fortissimam accessit, & in Vigilia Assumtionis Beatæ Mariæ ipsam obsedit, & contra ipsam fortiter pugnavit. Et deinde post multas invasiones Crucesignatorum, & defensiones fortissimas inimicorum eam cepit & obtinuit in sequenti festo Beatæ Mariæ Virginis.

Item deinde Comes Tolosanus, & sui sequaces, videntes desolationem, atque perditionem Castrorum, Villarum, & gentium suarum, ideo convocavit auxilium, consilium, & favorem Regis Aragonum, & amicorum suorum, in tantum quod ipse Rex Aragoniæ Anno à Nativitate Domini MCCXIII. quarto Idus mensis Septembris cum multitudine Aragonum, & Catalanorum copiosa ex parte una, & Raymundus Comes Tolosanus, Fuxi, & Convenarum Comites, cum suis Militibus, Nobilibus, & Communitatibus ipsorum, ex altera infinitis, qui erant quasi centum millia pugnatorum in Dei offensam, & sui Vicarii contemtum, ac Fidei Catholicæ diminutionem, atque suum pugilem Dei, & Ecclesiæ Romanæ Athletam Simonem Comitem Montisfortis apud Fanum Jovis Diœcesis Carcassonensis tunc existentem, Castrum fortissimum Murelli juxta Riperiam Garonnæ situatum, quod idem Comes Montisfortis cum magno triumpho obtinuerat, & de paucis gentibus suis ipsum Castrum munierat viriliter & fortissime obsederunt.

Item cum de præmissis ad notitiam dicti Comitis Montisfortis devenisset statim fortissime tamquam Dei Athleta se paravit, & contra Fidei Catholicæ inimicos de Castro Fano Jovis, ubi ipse tunc erat, cum magna constantia, & Dei amore statim perrexit. Qui quum ipse cum suo exercitu Crucesignatorum juxta inimicos prope Murellum devenisset, sequenti die infra Castrum cum pluribus Episcopis & Abbatibus cum magna audacia intravit. Quumque ipsi Episcopi, & Prælati tamquam veri Catholici per nuntios speciales inimicos Fidei monuissent, ne contra Fidem Catholicam se exponere & pugnare vellent: & dictus Rex Aragoniæ hujusmodi monitionibus & mandatis obedire nollet, immo ex adverso toto suo posse ipse resistere volebat, ideo præfatus Simon Comes Montisfortis cum magna Dei confidentia, & amore Fidei Catholicæ ad pugnandum & prœliandum contra dictum Regem Aragoniæ, & suum exercitum, viribus suis se paravit,

ravit, quamvis ipse Comes Montisfortis tunc secum non haberet nisi octingentos homines in equis, & de pedibus circa mille.

Item postea dictus Comes Montisfortis cum suo exercitu de auxilio Divino confidens, decrevit & ordinavit, ut omnes ad campum contra Dei inimicos in Vigilia Exaltationis Sanctæ Crucis ordinarent, & se pararent. Quumque ipsi Crucesignati bene contriti, & confessi fuissent, & Sacrum Christi Corpus recepissent, & demum tamquam in mortis articulo constituti Signum Sanctæ Crucis cum magna devotione adorassent, & plenissimam Indulgentiam a Locumtenente Legati Sedis Apostolicæ petivissent, & victualium sustentatione moderate refecti fuissent, arma sua assumserunt, & à Locumtenente Legati accepta benedictione de dicto Castro de Murello exiverunt, & ad campos prope inimicos se opposuerunt.

Item quum postea ipse valentissimus Comes Montisfortis in campis cum suo exercitu fuisset, ideo tamquam vir prudens, & artibus prœliorum summe expertus, suum exercitum in tres partes divisit, & postea sic ipse ordinavit, ut omnes insimul contra Regem Aragoniæ cum magno impetu irruerent, & ipsum caperent, vel occiderent, nam ipso mortuo, vel capto, de facili residuum haberent. Et sic factum fuit, atque exsequutum. fortè rationibus, quæ sequuntur. Nam ipsi Catalani habere consueverunt, ut dicitur, magnam temeritatem cerebri, superbiæ extollentiam, verborum & aëris verberationem, victualium in locis propriis reservationem, & cum extraneis bonorum devastationem, & ut dicitur, omnem armorum experientiam, ac præ ceteris in mari pariter & in terra majorem potentiam, & in regniculis sui imperii celsitudinem, & suorum corporum prævalitudinem, & omnem scientiarum subtilitatem, singularem locutionem, & insuper vestimentorum diversitatem, in tantum quod ab aliqua natione ipsi non diliguntur, nec ipsi aliquem appretiantur, prout ex factis ipsorum statim hoc ostendetur manifestius.

Item quum ex alia parte dictus Rex Aragonum esset in campis cum Comitibus, Nobilibus, & Communitatibus infinitis supradictis, præfatus Simon Comes Montisfortis una cum dicto exercitu suo, cum magno impetu & audacia contra Fidei inimicos irruerunt, & pugnando fortiter usque ad locum, ubi erat Vexillum Regis Aragoniæ, non remanserunt. In quo quidem loco tanta fuit Crucesignatorum invasio, & inimicorum defensio, quod inter cœlum & terram videbatur esse magna concussio. In quo conflictu judicio Divino prædictus Rex Aragonum cum suis Aragonensibus & Catalanis, & omnibus aliis pro majori parte supradictis capti, & in ore gladii interfecti fuerunt, quibusdam de ipsis exceptis, qui aut fugiendo in fluminibus aquarum submergebantur, aut fugæ præsidio salvabantur. Inter quos Comes Tolosanus, Comes Fuxi, & Comes Convenarum, & plures alii de fugientibus exstiterunt. Et tamen Dei gratiâ suffragante nisi unus miles de Crucesignatis fuit in dicto bello ab inimicis interfectus. Propter quod statim Episcopus Tolosanus, Episcopus Convenarum, Episcopus Carcassonensis, Episcopus Lodonensis, Episcopus Agenensis, Episcopus Nemausensis, Episcopus Biterrensis, Abbas de Clariaco, Abbas Villæ Magnæ, & Abbas Sancti Tiberii, cum suis Religiosis, & Clericis, & etiam Beatus Dominicus, tunc Canonicus Regularis Ecclesiæ Exoniensis, qui postea pater fuit & institutor Ordinis Prædicatorum, statim ad Ecclesiam convenerunt, & de tanto triumpho multiplices gratias Altissimo retulerunt. Et deinde dictus Comes Montisfortis, visitato campo, ubi Rex Aragonum cum suo exercitu fuerat interfectus, & totus nudus ibi prostratus, statim de suo equo descendens, de tanto miraculo & triumpho flexis genibus, & junctis manibus, gratias egit Deo universas. Et postea de illo loco nihilominus pedibus discalceatis ad Ecclesiam cum magna devotione accessit, ubi Altissimo gratias retulit majores, & equum cum armis, cum quibus pugnaverat, Christi pauperibus erogavit. De quibus omnibus & singulis actibus supradictis Episcopi, & alii Prælati unum Librum fieri fecerunt, & sub sigillis eorum copiam universis Christifidelibus in testimonium præmissorum transmiserunt.

Item postea præfatus Comes Montisfortis cum suo exercitu versùs Ruthenam Civitatem accessit, videlicet Anno Domini MCCXIV. Et tunc plura Castra cepit quæ sequuntur, in quibus hostes Fidei & Ecclesiæ ac pacis habitabant, & ad ipsam habebant refugium:

Et primo videlicet cepit Castrum fortissimum nomine Mauriliacum, in quo septem Magistri sacra vendentium reperti sunt, quod quidem Castrum penitus destrui fecit. Et ipsi hæretici postea indurato animo exstiterunt combusti.

Item postea idem Comes Montisfortis cum suo exercitu cepit aliud Castrum fortissimum in Diœcesi Agenensi, nomine Montepesatum, ab inimicis derelictum, quod etiam destrui fecit. Et deinde versùs Marmandam ipse Comes ivit, & eam cepit & recuperavit, inimicis primo de illo expulsis & fugatis.

Item quod dictus Comes Montisfortis cum suo exercitu ivit ad quoddam aliud Castrum fortissimum, & quasi inexpugnabile, nomine Cassanolium in territorio Agenensi constitutum, in quo erat una de principalibus Sedibus, & Patriarchalibus hæreticorum. Quod quidem Castrum cum summis mirabilibus invasionibus Crucesignatorum, & defensionibus ipsorum Fidei inimicorum terribilibus, dictus Comes Montisfortis in magna fortitudine cepit, & de ipso triumphum obtinuit præoptatum. Et postea inimicis, qui ibi erant, interfectis & effugatis, ipsum Castrum comburi & destrui statim fecit.

Item præfatus Comes postea ivit versùs Civitatem Petragoricensem. Et tunc ipse cepit unum Castrum fortissimum vocatum de Doma, ab inimicis Fidei derelictum, cujus turrim majorem funditùs everti fecit; in quo inimici Dei, & pacis raptores, habitabant, & ad ipsam refugium habebant.

Item quod idem Comes Montisfortis deinde tria Castra fortissima cepit cum exercitu suo, videlicet Castrum Montisfortis, & Castrum Novum, & Castrum Bayvacum, in quibus Fidei inimici refugium habebant. Quorum duo Castra prædicta de Doma, & Bayvacum, ipse penitus destruxit. Sed pro ipsius Comitis, & Crucesignatorum reductione prædictum Castrum Novum sibi reservavit, & ipsum

ipsum bene munire fecit; nam in prædictis quatuor Castris Petragoricensis Diœcesis à centum annis & plus transactis Sedes Patriarchales fuerant hæreticorum, in tantum quod de ipsis quatuor Castris egressa fuit eorum iniquitas in partibus illis. Sed ipsis captis & subjugatis reddita fuit pax & tranquillitas non solùm Petragoricensibus, sed etiam Caturcensibus, Agenensibus, & Lemovicensibus pro majori parte.

Item ipse Comes Montisfortis postea versùs Ruthenam cum suo exercitu redivit. Et tunc cepit quoddam fortissimum Castrum, nomine Capdenatum, in quo antiquitus esse consueverat nidus & refugium Tyrannorum. Et ipso capto apud Civitatem, in qua erat Comes Ruthenensis, cum suo exercitu perrexit, & post aliquam altercationem inter eos habitam ipse Comes Ruthenensis Terram suam eidem Simoni Montisfortis recognovit, & fidelitatis juramentum præstitit, & homagium pro ea sibi fecit. Quibus quidem peractis idem Comes cum suo exercitu ad quoddam Castrum fortissimum Syveyracum vocatum, quod erat ibi prope, accessit; in quo mali homines, & pacis turbatores, habitabant. Quumque Dominus illius Castri rebellasset, statim ipse Comes Montisfortis ipsum Castrum fortiter obsedit, & finaliter post multas invasiones Crucesignatorum, & defensiones inimicorum, dictum Castrum exstitit captum. Sed postea ipsum restituit Domino ipsius Castri ex gratia speciali, unde ipsum Castrum sibi recognovit, & juramentum fidelitatis præstitit, ac homagium pro eo sibi fecit.

Item quod deinde Anno, quo supra, quintâ Mensis, post festum Nativitatis Domini, Magister Petrus de Benevento, Diaconus Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus, magnum & generale Concilium apud Montempessulanum celebravit. In quo quidem quinque Archiepiscopi interfuerunt, videlicet Narbonensis, Auxitanensis, Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis. Fueruntque ibi XXVIII. Episcopi, & Abbates multi, & plures Ecclesiarum Prælati, & de Baronibus, & viris Catholicis totius terræ infinitis, supereligendo Principem & Dominum firmum ad regendum & gubernandum Civitatem Tolosanam, quæ tunc erat posita in manibus dicti Legati. Et de Baronibus sufficientibus tamen obsidiis sibi datis, & omnes alias Civitates, & Castra, & Villas, quæ Crucesignati ab infidelibus, & Tyrannis acquisierant ad expugnandam, & revellendam de terra omnem hæreticam pravitatem, & malorum hominum tyranniam. Qui quidem omnes unanimiter & concorditer in prædictum Dei athletam Simonem Comitem Montisfortis vota sua direxerunt, & in Principem & gubernatorem totius terræ acquisitæ, & defensorem ipsius patriæ elegerunt, & sibi concedi à dicto Legato instanter petiverunt. Quare ipse Legatus cum literis suis, & aliorum Prælatorum, Archiepiscopum Ebredunensem, nomine Bernardum, ibi præsentem, ad ipsum Innocentium Papam Tertium apud Urbem Romanam transmisit & destinavit. Quas quidem supplicationes ipse Papa admisit, & eas concessit, atque confirmavit sub tali modo, quod ipse Comes Montisfortis esset rector & custos omnium Civitatum, Castrorum, & Villarum supradictarum, donec de omnibus istis per ipsum Papam in suo Concilio generali, quod apud Urbem Romanam prima die mensis Novembris celebrare debebat, fuerit plenius ordinatum; pro ut tunc sic scripserat Legato, & Comiti Montisfortis sub Bullis suis, quæ datæ fuerunt Anno sui Pontificatus decimo octavo.

Item Anno à Nativitate Domini MCCXV. venit Ludovicus primogenitus Regis Franciæ, qui se Crucesignari fecerat, & votum fecerat de veniendo, & pugnando contra hæreticos, & Tyrannos in terris, & partibus supradictis de partibus Franciæ cum magno exercitu per Lugdunum versùs Civitatem Biterrensem. Et deinde invenit apud Sanctum Ægidium Legatum Papæ cum Comite Montisfortis. Qui quidem cum dicto Legato, & Comite Montisfortis apud Biterrensem Civitatem cum multitudine Militum & Nobilium copiosa perrexit. Et tunc dictus Legatus de Consilio Prælatorum, qui cum eo erant, ordinavit, quod dictus Ludovicus omnes muros Narbonæ, Tolosæ, Castrorum, & aliorum fortalitiorum destrui & everti faceret. Et sic iste Ludovicus fieri fecit. Et tunc Legatus cum dicto Comite Montisfortis, & exercitu Crucesignatorum ad Apamias perrexit, ubi Comes Fuxi ad eum venit, & se, & Terram suam sibi commendavit, & de facto Castrum inexpugnabile Fuxi tradidit sibi, & commendavit. Et deinde ipse Legatus dicto Comiti Montisfortis in custodiam ipsum assignavit. Qui quidem Comes Montisfortis custodiam ipsius Castri tamquam obediens recepit, & ipsum fortiter communivit.

Item quod ipse Comes Montisfortis interim misit Guidonem de Monteforte fratrem suum apud Tolosam, ut ex parte dicti Legati omnes muros Civitatis, & ipsius fortalitia destruere deberet, & omnium Civium fidelitatis juramentum, ipse recipere deberet. Quumque mandatum ipsius Legati adimplere procuraret, tunc dictus Legatus cum dicto Ludovico filio Regis Franciæ, & Comite Montisfortis apud Tolosam supervenit, in qua Civitate ipse Ludovicus completo suo voto Crucesignatorum per XL. dies stetit, & à dicto Legato, congedio gratiose recepto cum suo exercitu in Franciam remeavit, & dictus Legatus apud Urbem Romanam ad dictum Innocentium Papam Tertium cum magno honore, & actuum ipsorum commendatione, & suorum exaltatione redivit. Et omnes Terras supradictas acquisitas præfato Comiti Montisfortis juxta mandatum Apostolicum commisit gubernandas.

Item quod postea Anno, quo supra, prima die Mensis Novembris ipse Innocentius Papa Tertius, Anno prædicto sui Pontificatus, convocatis omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis apud Urbem Romanam in Ecclesia Lateranensi magnum & solemne Concilium celebravit. In quo quidem Concilio interfuerunt tantum duo Patriarchæ, quia alii duo legitime excusati fuerunt, quamvis per Vicarios ibi interfuissent; de Primatibus, & Archiepiscopis LXX. de Episcopis vero CCCCXII., & de Abbatibus ultra DCCC. Quorum omnium summa fuit mille ducentorum octuaginta quatuor Prælatorum, præter Ambasciatores plurium Regum Catholicorum, qui etiam interfuerunt, videlicet Friderici Secundi tunc in Imperatorem electi, Philippi Regis Franciæ, Johannis Regis Angliæ; & Hun-

Hungariæ Hierusalem, Cypri, & Aragoniæ Regum, nec non & multorum aliorum Principum, atque Comitum multitudo. In quo Concilio pro reconciliatione Terræ Sanctæ, ac pro reformatione status Ecclesiæ multa statuta salubriter fuerunt, & ordinata.

Item in dicto Concilio interfuit Beatus Dominicus Canonicus Regularis Ecclesiæ Oxoniensis, quæ est in regno Castellæ, pater, & Institutor Ordinis Prædicatorum, quorum institutionem ab ipso Innocentio tunc ipse petiit confirmari; quam quidem sibi gratiose concessit, & facere promisit. Fueruntque etiam ibi Raymundus Comes Tolosanus quondam, & Raymundus ejus filius, atque Comes Fuxi pro redemtione Terrarum suarum, quas perdiderant. Ex alia autem parte fuit Guido germanus, & Nuntius dicti Comitis Montisfortis pro confirmatione ab ipso Innocentio Papa obtinenda super donatione omnium dictarum Terrarum cum Crucesignatis acquisitarum per dictum Legatum sibi, & suis heredibus jam facta. Quam quidem donationem ipse Innocentius cum Comitatu Tolosano in dicto Concilio præfato Simoni Comiti Montisfortis tamquam benemerito adjudicavit, & dictam donationem dicti Legati confirmavit. Et dictum Raymundum quondam Comitem Tolosanum ab ipso Comitatu per sententiam definitivam perpetuò privavit. Qua quidem sententia sic promulgata statim ipse Comes Montisfortis in Franciam accessit, & dictum Comitatum Tolosanum cum omnibus aliis supradictis Terris acquisitis Regi Franciæ recognovit, & de omnibus istis homagium fecit. Quem quidem Rex Franciæ honorifice recepit, & prædictam donationem sibi factam confirmavit, & nihilominus Ducatum Narbonensem sibi dedit & assignavit.

Item quod quum tempore ipsius Innocentii Papæ inter Pisanos, Januenses, & Lombardos magna guerra exorta fuisset, & nullus mortalium inter ipsos pacem interponere posset, & propter hujusmodi guerram commode subventio Terræ Sanctæ fieri non posset, ideo pro pace ista facienda iste Innocentius in Tusciam accessit. Et postea, dum ipse fuit apud Perusium, ad Christum migravit, & in Ecclesia Sancti Laurentii à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Qui rexit Ecclesiam XVIII. Annis, IV. Mensibus, tribus vel quatuor Diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica una diedumtaxat Frederico Imperatore Secundo tunc regnante.

DE HONORIO III.

HONORIUS III. natione Romanus post dictum Innocentium III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXVIII. Anno à Nativitate Domini MCCXVI. Mensis Julii.

Item iste Honorius renovavit Ecclesiam Sancti Laurentii extra muros Urbis Romæ, & etiam Basilicam, quæ dicitur Sancta Sanctorum. Et edidit de novo plures Decretales; & in dicta Ecclesia Sancti Laurentii Petrum Comitem Antisiodorensem Imperatorem Constantinopolitanum coronavit.

Item ipse Honorius Anno primo sui Pontificatus ad requisitionem & supplicationem prædicti Beati Dominici Canonici Regularis Ecclesiæ Oxoniensis, quæ est in Castella, in Ecclesia Sancti Petri Urbis Romæ Ordinem Fratrum Prædicatorum, quem ipse statuerat, confirmavit, videlicet XI. Kal. Januarii. Et deinde regulam, & Ordinem Sancti Francisci Anno octavo sui Pontificatus in Lateranensi Ecclesia tertio Kal. Decembris, & Ordinem Vallescholari Civitatis Parisiensis, & Ordinem Carmelitarum, Anno secundo sui Pontificatus. Et in illo Anno octavo supradicto etiam obiit Guillelmus Nivernensis, qui singulis diebus duo millia pauperum de bonis suis pascebat.

Item quod quum Innocentius Papa Tertius, & postea ipse Honorius omnes Reges, Principes, Barones, Nobiles, & Communitates invitasset, & quum dixisset pro Passagio ultramarino faciendo, & multi de ipsis fuissent Crucesignati, ideo iste Honorius misit ultra mare unum Cardinalem Legatum cum Regibus Hierusalem, Cypri, & Hungariæ, ac Ducibus Austriæ, & Bavariæ, & cum multis aliis Nobilibus de Francia, & Alamannia, atque Communitatibus, & singulis ipsorum pro Terra Sancta recuperanda. Quumque ipsi fuissent ultra mare, & in terra infidelium, Damiatam obsederunt, & post multas invasiones & defensiones isti Crucesignati ipsam Damiatam ceperunt Anno secundo Pontificatus ipsius Honorii Papæ, & post uno anno eam possederant. In qua quidem captione XXIV. millia Saracenorum interfecta sunt. Sed postea quum dictus Cardinalis cum Templariis, Hospitalariis, & Crucesignatis per ipsos Fidei inimicos proditionaliter capti fuissent, ideo pro pretio redemtionis ipsorum ipsa Damiata prædictis Paganis ab eodem Legato fuit restituta.

Item quum Raymundus quondam Comes Tolosanus, & Comes Pabenorum, atque Convenarum, cum paucis militibus clandestine transeundo per Garonam Tolosam intrasset, statim cives ipsam fortificaverunt viribus suis, & postea contra Castrum Narbonense omnia impedimenta quæ potuerunt, ipsi posuerunt, Anno, quo supra, Pontificatus ipsius Honorii Papæ. Quumque hoc ad audientiam Legati Cardinalis, nomine Bernardi, quem ipse Honorius Papa miserat, pervenisset, statim ipse scripsit, & mandavit Simoni Comiti Tolosano, & Montisfortis, qui tunc præliabantur ultra Rodanum contra Ademarium de Pictavia, ut propter præmissa ad Civitatem Tolosanam cum suo exercitu confestim venire deberet. Et deinde Fulconem Episcopum Tolosanum cum pluribus aliis pro Cruce prædicanda in Francia idem Legatus transmisit, ex quibus multi ab ipso Legato Crucesignati fuerunt.

Item quod quum postea præfatus Simon Comes Tolosanus literas dicti Legati recepisset, statim cum suo exercitu ad eum venit, & cum ipso ad dictam Civitatem Tolosanam perrexit, & ipsam fortiter, & cum magna audacia invasit, tenendo ad manum suam dictum Castrum Narbonense. Sed civibus ipsius viriliter se defendentibus, nihil facere potuit illa vice. Quare tunc machinas plures, & diversos lapides molares quamplurimos ipse, & alia sibi necessaria præparari fecit, & cum istis nocte & die contra dictam Civitatem fortiter pugnavit, & Cives ipsius ex adverso viriliter se defenderunt.

Item quod quum ista pugna nocte ac die inter Simonem Comitem Tolosanum, & Raymundum antiquum Comitem, & suos graviter extitisset, ipse Comes Tolosanus aliquorum inductus consilio unum modum invadendi, & resistendi sine periculo invenit.

Et

A Et de lignis groſſis ipſe unum inſtrumentum fieri fecit, quod *Cata* vulgariter eſt nuncupata. Et quum ipſe cum multis aliis ſe ibi poſuiſſet in Cata iſta in craſtino Nativitatis Sancti Johannis quidam lapis ex parte Civitatis cum quadam machina, quæ vulgariter appellatur *Manganella* contra ipſum Comitem, & ſuos commilitones tranſmiſſus fuit, & ipſum Simonem Comitem taliter percuſſit, quod ſtatim exſpiravit Anno à Nativitate Domini MCCXVIII.

Item mortuo ipſo Simone Comite Toloſano & Montisfortis, ſucceſſit ſibi Almaricus filius ſuus primogenitus, & heres univerſalis in Comitatu Toloſano, & aliis Terris, & etiam in Comitatu Montisfortis. Qui quidem
B obſidionem Toloſanam vehementer amplexatus eſt, & taliter quod ipſam uſque ad ſubſequens feſtum Sancti Jacobi Apoſtoli tenuit, & defenſavit. Sed poſtea dictum Caſtrum Narbonenſe dimiſit, & apud Carcaſſoniam receſſit, quia ipſe non poterat victoriam de inimicis ſuis obtinere propter ipſorum infidelitatem.

Item quum poſtea dictus Raymundus olim Comes Toloſanus audiviſſet receſſum dicti Almarici, & quod ipſe jam erat apud Caſtrum Novum de Arrio cum ſuo exercitu, apud illud Caſtrum venit, & ipſum fortiter obſedit, ubi dictus Almaricus erat cum Guidone Comite Bigorre fratre ſuo. Et quum unâ dierum inter ſe fortiter & viriliter pu-
C gnarent, præfatus Guido Bigorre Comes graviter fuit vulneratus, in tantum quod poſt paucos dies exſpiravit. Quumque poſtea fortiter invicem pugnarent per totum hyemem, & dictus Almaricus laboribus & expenſis fatigatus exſtitiſſet, ideo in ſubſequenti bono tempore à dicto Caſtro Novo receſſit.

Item quod quum poſtmodum Ludovicus primogenitus Regis Franciæ Cruceſignatus exiſtens apud Rupellam Xanctonenſis Diœceſis cum ſuo exercitu contra Regem Angliæ audiviſſet, quod Raymundus olim Comes Toloſanus occupaverat Comitatum Toloſanum contra voluntatem Eccleſiæ, ſtatim dictâ
D Rupellâ per ipſum captâ, venit cum ſuo exercitu verſùs partes Toloſanas Anno Domini MCCXIX. Quumque fuiſſet apud Marmandam, confeſtim obſidionem ſuam ibidem poſuit, & contra ipſam fortiter pugnare incœpit. Cantallus autem Comes de Aſtaraco, & plures alii nobiles, qui eam infra defendebant, videntes quod obſidionem dicti Ludovici diu ſuſtinere non poſſent, carceri ejus Ludovici ſe ſuppoſuerunt, & Marmandam ſibi reddiderunt. Qui quidem poſtea capti ad Caſtrum Sancti Laurentii ducti fuerunt, & ibi detenti, donec Cruceſignati, qui à parte adverſa capti fuerant, ſibi reſtituti fuiſſent.

Item ipſe Ludovicus poſt captionem dictæ
E Marmandæ cum exercitu ſuo, & Bertrando Cardinali Legato Sedis Apoſtolicæ, & cum Cruceſignatis verſùs Toloſam acceſſit, & eam circumquaque fortiter obſedit, videlicet XV. Kal. Junii. Qui quum ipſam Civitatem per XLV. dies viriliter expugnaſſet, dictum Ludovicum ex neceſſario à dicta obſidione recedere oportuit. Unde militibus, & aliis captis, & detentis ab utraque parte hinc inde redditis, ipſe Ludovicus in Franciam redivit, & poſt ipſius receſſum plura Caſtra dicto Comiti antiquo Toloſano ſe reddiderunt, & guerra ex parte ipſius contra Eccleſiam plus ſolito tunc calefacta fuit, ac etiam multiplicata.

Item quod ipſe Honorius Papa Anno Domini MCCXXI. Fredericum Secundum Imperatorem electum confirmavit, & coronavit apud Urbem Romanam in Eccleſia Sancti Petri. Et poſtea Anno ſupranominato idem Honorius Papa Conradum Cardinalem Epiſcopum Portuenſem, pro Legato ad partes Toloſanas & Albigenſes tranſmiſit. Et etiam eodem Anno Sanctus Dominicus pater & inſtitutor Ordinis Fratrum Prædicatorum de hoc ſeculo, videlicet octavo Idus Auguſti ad Chriſtum migravit.

Item quod poſtea Anno ſequenti Raymundus Comes antiquus Toloſanus in menſe Auguſti morte ſubitanea deceſſit. Cujus corpus per Hoſpitalarios in domo eorum, quæ eſt Toloſæ fuit deportatum. Sed Eccleſiaſticæ ſepulturæ non fuit traditum, quum eſſet excommunicationis vinculo innodatus. Ipſum tamen corpus in quodam ſepulcro, quod adhuc ibi habetur, exſtitit per amicos ſuos commendatum. Quumque poſtea pro tempore Raymundus ultimus Comes Toloſanus, & filius ejuſdem Raymundi cum Eccleſia, & Rege Franciæ pacem feciſſet, deinde apud Urbem Romanam acceſſit, & coram ipſo Papæ Honorio perductus ad probandum, quod dictus Raymundus pater ſuus in morte ſua oſtenderat, & habuerat pœnitentiæ interſigna. Quare ipſum abſolvi petebat, & tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quod tamen ipſe non potuit obtinere.

Item quod poſtmodum proceſſu temporis Anno à Nativitate Domini MCCXXIV. Almaricus filius, & heres univerſalis præclaræ memoriæ Simonis Montisfortis quondam Comitis Toloſani videns & attendens, quod propter malitiam & inconſtantiam ſubditorum ſuorum Comitatus Toloſani dictum Comitatum Toloſanum, & omnes alias Terras in Albigeſio, Carcaſſona, Biterrenſi, & Agenneſio, quas pater ſuus acquiſiverat, Ludovico Regi Franciæ dedit, & ſibi libere reſignavit, & omnibus Terris iſtis ſupradictis eum totalem conſtituit ſucceſſorem. Quare dictus Rex officium Coneſtabulatus per totum Regnum Franciæ exercendum eidem Almarico Comiti Montisfortis tamquam viro provido, & ſtrenuiſſimo militi commiſit.

Item quod interim dictus Honorius Papa de novo miſit unum Sedis Apoſtolicæ Legatum, nomine & titulo Romanum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, ſumma diſcretione & conſilio approbatum ad partes prædictas Toloſanas, & ad omnes alias Terras per Simonem olim Comitem Toloſanum & Montisfortis acquiſitas. Qui quum in Franciam veniſſet, ſtatim requiſivit dictum Ludovicum Regem Franciæ, ut juxta pacta facta inter ipſum, & Sedem Apoſtolicam ad prædictas partes contra inimicos Eccleſiæ venire deberet. Qui quidem Rex cum magno exercitu & apparatu Cruceſignatorum, & cum ipſo Legato iter ſuum cepit, & deinde ad Civitatem Lugdunenſem pervenit, & exinde ad Civitatem Avinionenſem acceſſit. Et interim omnes Civitates, Caſtra, & Villæ, atque fortalitia, quæ fuerunt Comitis antiqui Toloſani, in manibus dicti Regis ſe tradiderunt. Quumque ipſe fuiſſet prope Avinionenſem, ipſe Rex cum dicto Legato & exercitu ſuo

Cru-

Crucesignatorum, tunc Cives ejusdem Civitatis claves ipsius Civitatis sibi tradiderunt, & se sibi suppofuerunt. Verùm quum dictus Rex cum omni suo dicto exercitu per Civitatem Avinionensem transire vellet, tunc ipsi Cives malo consilio inducti, libere transire eidem Regi Franciæ, & dicto Cardinali Legato Sedis Apostolicæ cum exercitu suo denegaverunt, Anno à Nativitate Domini MCCXXVI.

Item quum Cives ipsius Civitatis Avinionensis liberum transitum Regi Franciæ, & Legato supradictis denegassent, ideo ipse Rex ipsam Civitatem fortiter obsedit, & eam viriliter expugnare incœpit. Et interim ipse Rex, & dictus Legatus miserunt quemdam valentissimum virum Archiepiscopum Narbonensem Petrum Amelii sic vocatum ad partes Tolosanas, Agennenses, Albienses, Carcassonenses, Biterrenses, & alias Terras, quas dictus præclarus Simon quondam Comes Tolosanus & Montisfortis cum auxilio & voluntate Sedis Apostolicæ in manu forti acquisiverat. Qui quum ipse Archiepiscopus ad omnes illas Terras pervenisset, statim omnes Civitates, Castra, Villæ, & Communitates nomine dicti Ludovici, & Legati ipsum honorifice receperunt, & claves Civitatum & Castrorum sibi libere tradiderunt.

Item quod quum dictus Rex Franciæ, & Legatus cum exercitu Crucesignatorum fortiter dictam Civitatem Avinionensem cum magna audacia impugnassent, & Cives ejusdem Civitatis viriliter, & ulterius juxta superbiam, fraudes, & malitias eorum consuetas judicio Divino, atque ultione se defendere non valentes, tunc ipsi præfato Regi se & dictam Civitatem libere tradiderunt Anno, quo supra, pridie Idus Septembris. Qui quidem cives ad ruinam murorum per dictum Regem, & ad alias pœnas condemnati exstiterunt; quibus non obstantibus adhuc pejora perpetrarent, si possent, quamvis ipsi hodie pauci existant.

Item postea capta Civitate Avinionensi, statim ipse Rex & Legatus cum dicto suo exercitu versùs Biterrensem Civitatem, & Carcassonenses partes gressus suos direxerunt. Cum quibus semper erat præfatus Athleta & Fidei Catholicæ verus amicus Fulco Archiepiscopus Tolosanus. Quumque præfatus Rex & Legatus apud Apamias fuissent, ibi per ipsos magnum Concilium ad Dei honorem, & Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, & contra contemtores Ecclesiæ solemniter extitit celebratum, cujus statuta incipiunt: *Felicis recordationis &c.* Quo quidem Concilio celebrato, & recuperatis multis & diversis Castris per dictum Comitem antiquum Tolosanum occupatis, istorum Castrorum & Villarum dimissâ custodiâ nobili & potenti viro Umberto de Bellojoco, militi strenuissimo, cum magno exercitu ipse Rex & Legatus versùs partes Albigenses, & Alverniam recesserunt. In qua quidem Alvernia ipse Rex magna ægritudine fuit præreptus, in tantum quod post paucos dies ab hoc seculo migravit in quodam Castro, quod Paucerium vocatur, septimo Idus Novembris anno, quo supra; Cui Ludovicus filius suus ætatis XIV. annorum vel circa, in Regno successit in factis & operibus virtuosus.

Item quod ipse Honorius Papa exinde post multas tribulationes, & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris Urbis Romæ à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam decem annis, octo mensibus, viginti tribus, vel quatuor diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica XX. diebus Friderico Imperatore tunc regnante.

DE GREGORIO IX.

GREGORIUS IX. natione Campanus de Anagnia natus, post dictum Honorium Papam Tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum extitit Papa CLXXXIX. Anno à Nativitate Domini MCCXXVI.

Item ipse Gregorius ante suam promotionem Hugolinus vocabatur, & fuit Cardinalis Ostiensis. Qui quidem per Fratrem Raymundum de Pennaforti Ordinis Fratrum Prædicatorum Pœnitentiarium & Capellanum Papæ, excellentissimum Doctorem plura volumina Decretalium, valde dispersa, in unum volumen sub certis titulis compilari & collocari fecit; Et sententiam contra Fridericum Imperatorem per Honorium Papam III. latam renovavit, & ipsam aggravavit.

Item quod quum ipse Gregorius omnibus Prælatis Mundi Catholicis certum diem ad celebrandum suum Concilium generale apud Urbem Romanam assignasset, ideo iste Fridericus omnes vias & passus per terram & per mare contra Prælatos & Clericos ad Concilium prædictum venientes impediri fecit. Quumque Jacobus Episcopus Penestrinus Cardinalis, & quidem alter Cardinalis, Otho nomine, qui pro subsidio Ecclesiæ Romanæ ultra montes Legati missi fuerant ad Curiam Romanam, & multi alii Episcopi, Abbates, & Clerici ad dictum Concilium venire volentes, ex ordinatione dicti Friderici Imperatoris in manibus Pisanorum, qui dicto Imperatori favebant, omnes capti fuerunt & detenti.

Item quod quum ipse Gregorius Papa videns tantam persecutionem, & conspirationem dicti Friderici Imperatoris contra eum, & Ecclesiam Romanam, & attendens etiam malitiam & incostantiam Romanorum, qui per dictum Fridericum Imperatorem cum pecunia contra Papam erant corrupti, & quod iste Fridericus in parte patrimonium Ecclesiæ occupaverat, & ipsum cotidie occupare intendebat, ideo ipse Gregorius una die accepit Capita Apostolorum Petri & Pauli, & cum suis Cardinalibus, Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, & aliis Prælatis Clericis de Ecclesia Lateranensi usque ad Ecclesiam Sancti Petri Apostoli Urbis Romæ portando dicta duo Capita Apostolorum supradicta, & multas alias Sanctorum Reliquias magnam, & solemnem Processionem pro invocando Dei auxilium contra dictum Fridericum Imperatorem celebravit. Quumque ipsi Romani hoc audivissent, statim nutu divino à suo malo proposito revocati fuerunt, & quasi Crucesignati contra prædictum Fridericum Imperatorem se opposuerunt, unde ipse Imperator hoc videns, qui de die in diem infra dictam Urbem Romanam per manus ipsorum se intrare parabat, confestim, & summe tremens longe ab Urbe Romana retrocessit.

Item quod postea Anno secundo Pontificatus ejusdem Papæ Gregorii Umbertus de Bellojoco, Locumtenens Regis Franciæ, & Petrus Ame-

Amelii Narbonensis Archiepiscopus, & Fulco Tolosanus Archiepiscopus, Locumtenens Legati, Castrum fortissimum, Betreta vocatum, quod erat tunc in Diœcesi Tolosana, in quo hæretici & hostes Ecclesiæ cubabant, obsederunt, & ipsum fortiter expugnaverunt, & illi qui erant infra, se viriliter defenderunt. Sed finaliter ab ipsis Locumtenentibus exstitit captum, & omnes, qui infra Castrum erant, aliqui gladio, aliqui per muros & fenestras fugiendo, & quidam fugiendo una cum mulieribus & parvulis interfecti sunt.

Item quum postmodum Raymundus ultimus Comes Tolosanus Saracenum Castrum fortissimum, quod à gentibus Ecclesiæ tenebatur, fraudulenter & proditionaliter recuperasset, & deinde ipsum bene munivisset, statim præfatus Umbertus de Bellojoco, Petrus Amelii Archiepiscopus Narbonensis, Fulco Tolosanus Episcopus Biterrensis cum suo exercitu, contra ipsum Castrum venerunt, & ipsum obsederunt, & fortiter ipsum expugnaverunt. Qui quidem post multas invasiones ipsorum, & defensiones inimicorum prædicti Locumtenentes Regis, & Legati obtinuerunt, & ipsi inimici salvâ eorum vitâ ab ipso Castro recesserunt.

Item recuperato hujusmodi Castro Saraceno, habito tamen prius consilio inter se & deliberatione, ipsi Locumtenentes convocaverunt auxilium Auxitanensis & Burdegalensis Archiepiscoporum, & aliorum Prælatorum, & eorum subjectorum. Qui quum ipsi bene amici, & associati venissent, statim versus Tolosam perrexerunt, & ipsam in circuitu obsederunt, & cum machinis, Gattis, Picassis, & omnibus aliis instrumentis ferreis pro destructione murorum, arborum, & vinearum necessariis, nocte dieque eam fortissime expugnaverunt, & inimici contra ipsos viriliter ex adverso se defenderunt. Quumque isti Locumtenentes sic pugnando per tres Menses continuos ibi fuissent, & ipsam Civitatem capere non possent, nec dicti inimici aliquem tractatum pacis recipere vellent, ideo ipsi Locumtenentes cum suo exercitu ipsam obsidionem dimiserunt, & versùs Apamias recesserunt, & omnes alii Prælati, Barones, Milites de Vasconia ad loca propria redierunt.

Item quod quum postea Locumtenentes cum suo exercitu Terram Comitis Fuxi, quæ est de Passu Barchæ, usque ad locum, qui dicitur Sancti Johannis de Virginibus, concurrissent, & in illa planicie sua tentoria, & castra posuissent, & pluribus diebus & noctibus ibi stetissent, Helias Garini Abbas Monasterii Grandis Silvæ, Ordinis Cisterciensis, & Tolosanæ Diœcesis, vir summe providus & discretus, de Francia ex parte Legati Cardinalis supervenit, & omnem tractatum pacis, & concordiæ Raymundo Comiti Tolosano, & civibus suis, atque amicis præsentavit. Et deinde super ipso tractatu certa die juxta Castrum de Vasieyas ambæ partes colloquium habuerunt gratiosum, in tantum quod Petrus Amelii, & omnes suffraganei sui, & dictus Abbas Grandis Silvæ ex una parte, & dictus ultimus Comes Tolosanus cum omnibus amicis suis ex altera in Franciam accesserunt in Civitate Meldensi, ubi erat dictus Legatus Cardinalis, & certa die pro tractatu Pacis & Concordiæ à partibus electa interfuerunt. Quæ quidem partes post longum tractatum, gratiâ Dei suffragante, mediantibus instrumentis & sigillis amicabiliter convenerunt, & finalem concordiam inter se habuerunt, prout ex subsequentibus patebit.

Item quod factâ hujusmodi concordiâ inter partes prædictas, statim ipsi versùs Parisius perrexerunt, & in præsentia Ludovici tunc Regis Franciæ, & sui Consilii, quæ inter eos concordata fuerant recitata exstiterunt. Et tamdem omnia, quæ inter dictum Legatum Cardinalem, & dictum Raymundum ultimum Comitem Tolosanum fuerant ordinata & finita, per ipsum Regem Franciæ exstiterunt confirmata atque ratificata, videlicet, quod dictus Raymundus ultimus Comes Tolosanus quamdiu viveret Civitatem Tolosanam cum suo Comitatu tenere & possidere deberet pacifice & quiete, & post mortem ipsius unica filia, quam ipse ex legitimo matrimonio habebat, Johanna nomine, in dicto Comitatu tantùm succedere deberet, & quod nullum jus pertinens ad ipsum Comitatum infra vel extra Rodanum, ubicumque sua bona essent, alicui dare seu transferre, & aliqua de causa, vel quovis modo alienare non posset in præjudicium filiæ suæ, & suorum descendentium. Et quod filia ipsius matrimonium cum Alphonso tunc Comite Pictaviensi, fratre ejusdem Regis, contrahere deberet. Et deinde pro damnis & expensis factis & passis per ipsum Regem Franciæ viginti septem millia Marcharum argenti sibi per dictum Comitem dari & realiter solvi deberent, & per quinquennium ultra mare contra inimicos Fidei pro pœnitentia militaret. Quæ per duos Legatos Cardinales ibi tunc præsentes, quorum unus erat Legatus in Regno Franciæ, & alter in Regno Angliæ, fuit dicto Comiti expresse data & assignata. Quæ quidem omnia supradicta tam ex parte ipsius Comitis Tolosani, quàm ex parte Regis Franciæ solemniter confirmata exstiterunt, & ratificata cum homologatione duorum Legatorum supradictorum, & deinde idem Comes Tolosanus à vinculo excommunicationis, quo ipse, & sui sequaces fuerant canonice excommunicati, ab ipsis Legatis absoluti fuerunt.

Item quod post pacem prædictam apud Parisius factam Anno à Nativitate Domini MCCXXVIII. in Mense Julii, Civitas Tolosana de mandato dicti Legati fuit reconciliata, absente tamen dicto Comite Tolosano, quia ipse remansit in pensione Regis de Consilio suo, donec muri Civitatis essent destructi, & filia dicti Comitis, nomine Johanna, quæ erat novem annorum, cum Alphonso fratre dicti Regis Comite Pictaviensi matrimonium contraxisset, & consummatum fuisset. Quod quidem postea factum fuit. Et postea in anno sequenti Majorica per Regem Aragonum capta fuit.

Item quod quum dictum matrimonium factum fuisset & celebratum, dictus Comes Tolosanus à prædicto Rege Franciæ in subsequenti festo Pentecostes militiam solemniter recepit, & postea expletis omnibus pactis & conventionibus suis ad propria est reversus. Quem post paucos dies Legatus Cardinalis pro diruendis muris & fortalitiis Tolosanis cum Crucesignatis fuit secutus. Qui quidem Legatus anno à Nativitate Domini MCCXXVIII. in Civitate Tolosana Concilium solemniter celebravit, in quo interfuerunt Narbonensis, Burdegalensis, & Auxitanensis Archiepiscopi, cum suis suffraganeis & aliis Prælatis, & Clericis, nec non etiam Comes Tolosanus, & multi alii Comites præter Comitem Fuxi, qui remanserat

ferat in guerra, & etiam Barones, Senescallus Carcassoniæ, & Consules Tolosæ duo dumtaxat plenam potestatem à sua Universitate habentes. Qui quidem omnes statuta facta per dictum Legatum, & Concilium super statu pacis, tenere & conservare, atque teneri & conservari facere promiserunt super Sancta quatuor Dei Evangelia, ab ipsis corporaliter tacta in manibus dicti Legati. Quod etiam juramentum omnes Civitates & singuli ipsorum totius Terræ postea ad idem eidem Legato præstiterunt.

Item celebrato hujusmodi Concilio statim tamquam vir prudens inquirere iste Legatus & indagare incœpit contra suspectos de hæresi, & nihilominus ipse voluit & ordinavit, ut quilibet Episcopus hujusmodi inquisitionem in suis propriis Diœcesibus facere deberet. Quum que multi suspecti postea fuissent reperti, & eidem Legato in scriptis extitissent nominati, ipse eos citari fecit. Quorum aliqui errores suos fuerunt confessi, & quidam alii de hoc denegantes super hoc fortiter se defendebant; & deinde receptis nominibus ipsorum delatorum, & processibus ipsorum, dictus Legatus à dicta patria recessit, & Rodanum transivit, & apud Arausicam Civitatem cum multis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & Clericis suum Concilium solemniter celebravit. Quo celebrato statim ipse literas pœnitentiarum, quas ordinaverat contra prædictos de hæresi suspectos & legitime convictos Episcopo Tolosano transmisit, per eum publicandas; quas ipse postea Tolosæ in Ecclesia Sancti Jacobi, præsente multitudine gentium copiosâ solemniter publicavit.

Item quod processu temporis videlicet anno à Nativitate Domini MCCXXIX. Theobaldus Comes Campaniæ, Comes Britanniæ, Comes Marchiæ, & dictus Raymundus ultimus Comes Tolosanus cum Rege Angliæ contra Sanctum Ludovicum tunc Regem Franciæ convenerunt, & Ligam inter se magnam fecerunt. Sed Deo auxiliante & viribus dicti Regis, ab eorum mala intentione & invasione fuerunt repulsi, & nihilominus dictus Gregorius Papa Episcopum Tornacensem ad dictum Comitem Tolosanum destinavit, qui eum requireret, ut omnes articulos per eum promissos, & juratos in manibus suorum Cardinalium Legatorum prædictorum, tenere & observare deberet; aliter contra ipsum auctoritate Apostolica procedere deberet. Quum dictus Episcopus Tornacensis Nuntius Sedis Apostolicæ apud Castrum novum venisset, statim citari & convocari fecit omnes, qui causas conquerendi contra dictum Comitem Tolosanum habebant, ut ad eum venirent, & in scriptis omnes sibi tradere deberent. Quibus quidem peractis, statim requisivit eumdem Comitem, ut ab ipsis de cetero desistere vellet, & promissa per eum rite observaret, alias contra eum procederet auctoritate præmissa. Qui quidem sic facere, & omnia emendare ipse solemniter promisit.

Item quia dictis promissionibus factis per dictum Comitem Tolosanum statim ipse cum Episcopo Tolosano, & magno exercitu ivit per totum Comitatum Tolosanum ad explorandum, & capiendum omnes pollutos hæreticæ pravitatis. Et nihilominus ipse Comes fecit statuta per ordinem observanda secundùm articulos, & per eum pariter coram dicto Sancto Ludovico mediante suo corporali juramento de tenendo & servando promissa. Quæ quidem statuta in Claustro Ecclesiæ Cathedralis Sancti Stephani in præsentia dicti Legati, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum, Clericorum, & plurium Baronum, Nobilium, & Comunitatum fuerunt solemniter publicata, & ab omnibus approbata. Et ipsa omnia ad Regem Franciæ sub Instrumentis & autenticis sigillis exstiterunt transmissa.

Item quod quum postea, videlicet anno à Nativitate Domini MCCXXXIII. inter Comites Provinciæ, & Tolosæ summa guerra exorta fuisset, & per triennium inter eos perdurasset, pro eo quia inter Comitem Provinciæ prædictum, & Episcopum Marsiliensem magna discordia fuerat exorta, ideo Cives Marsiliæ Tolosanum Comitem supradictum in Dominum elegerunt, & tamquam Domino Civitatis Marsiliæ totam Terram eorum, & se in manibus suis submiserunt, atque sibi tradiderunt. Propter quæ dictus Legatus Cardinalis, ut de ipsis pacem facere posset, apud Civitatem Biterrensem solemne Concilium celebravit, & super ipsa pace facienda summe laboravit. Cujus tamen labor finaliter non potuit devenire ad suum effectum peroptatum. Et in isto anno dictus Ludovicus Rex Franciæ Margaritam filiam Berengarii Comitis Provinciæ duxit in uxorem.

Item quod dictus Gregorius Papa anno à Nativitate Domini MCCXXXIII. septimo Idus Julii apud Civitatem Reatinam, quæ est in Tuscia, Beatum Dominicum, Patrem & Institutorem Ordinis Prædicatorum solemniter canonizavit. Et post duos annos in Vesperis Dedicationis Sancti Michaëlis Archangeli dictus Rex Aragonum ab infidelibus Civitatem Valentiæ cepit cum magno triumpho atque victoria.

Item quod postea processu temporis, videlicet anno à Nativitate Domini MCCXL. Trencanellus filius quondam Vicecomitis Biterrensis cum multis magnatibus & potentibus viris, ac magno exercitu per eum congregato, inter quos erat Olivarius de Ferrariis, Bernardus de Ortalibus, Bernardus Hugonis de Serralonga, Bernardus de Villanova, Hugo de Romegos, nepos ejus, & Jordanus, & Johannes de Saxiaco, qui viriliter expugnaverunt Villas & Castra, quæ dictus Rex Franciæ habebat in Narbonensi, & Carcassonensi Diœcesibus, in tantum quod Castrum Montis Regalis, Castrum Montis Olivi, Castrum Saciaci, Castrum de Limos, Castrum de Asilano, & Castrum de Laurano, cum magno impetu, & gentium timore ceperunt. Quumque hoc ad notitiam Episcopi Tolosani, nominis Raymundi, & aliorum Prælatorum, Clericorum, & Baronum de Terra pervenisset, ipsi statim bene muniti & associati pro defensione Civitatis Carcassoniæ, & totius Terræ venerunt, & infra ipsam se incluserunt, & ipsam tam de instrumentis bellicosis, & victualibus, quàm aliis necessariis fortissime muniverunt atque repleverunt.

Item deinde quum dictus Trencanellus & sui vidissent dictam Civitatem Carcassonensem sic bene munitam, & ipsi considerassent, quod per invasionem extrinsecam ipsam habere non possent, tunc isti adversarii cum quibusdam de Burgo dictæ Civitatis colloquia postea secrete habuerunt, ut de eorum domibus, quæ tunc juxta muros dictæ Civitatis habebant, ipsam minare, & subtus terram cavare, & ipsam Civitatem invadere possent

possent & intrare, & exinde prædictam Civitatem capere. Quumque inter minores dicti Trencanelli, & Senescalli Carcassonensis ex opposito tam nocte quàm die magna pugna fieret, & Comes Tolosanus ex parte dicti Senescalli pro eo invadendo requisitus venisset, statim ipse Comes omnes de Burgo in Ecclesia Beatæ Mariæ ad colloquium convocari fecit. Quibus illic congregatis omnes isti de Burgo à Comite, & Senescallo taliter exstiterunt moniti & inducti, quod super Altare Beatæ Mariæ, & Reliquias ipsius, & super sancta quatuor Dei Evangelia, Ecclesiæ, & Regi Franciæ, ac etiam illis, qui pro defensione & custodia in dicta Civitate existebant, adhærere & fideles esse juraverunt, & sic servare eis promiserunt. Sed ipsis juramentis non obstantibus in ipsa nocte illi de Burgo prædictum Senescallum cum suis consortibus infra ipsum Burgum receperunt, & eos introduxerunt. Quo facto omnes Presbyteri & Clerici, qui in dicto Burgo locabantur, ab ipso fugierunt quasi numero triginta, & ad dictam Ecclesiam confugerunt. Quibus quidem literis per dictum Trencanellum de securitate eundi versùs Narbonam sub suo sigillo concessis non obstantibus inimicis, prope portam ejusdem Burgi proditionaliter interfecti fuerunt. Et deinde ipse Trencanellus prædictam Civitatem interim minari, & ipsam fortiter expugnari fecit, & illi de Civitate se viriliter defenderunt. Quum autem hujusmodi pugna quasi per mensem duravisset, succursus militaris ex parte Regis Franciæ Senescallo Carcassoniæ pro defensione Civitatis fuit transmissus; quare statim dictus Trencanellus de dicto Burgo recessit cum gentibus suis, quinto Idus Octobris, & versùs Montem-Regalem recesserunt, & ibi se reduxerunt. Quos quidem exercitus, qui venerat de Francia, usque apud Montem-Regalem fuit sequutus, & ipsum Castrum postea obsedit, & contra ipsum tam nocte, quàm die fortissime pugnavit, inimicis tamen ex opposito se bene defendentibus. Quum verò pluribus diebus inter se viriliter pugnassent, Comites Tolosæ, & Fuxi ad eos supervenerunt. Quibus tamdem tractantibus præfatus Trencanellus & sui cum armis & equis suis dictum Castrum exercitui Regis Franciæ dimiserunt, & recesserunt.

Item quod dictus Gregorius Papa post multas tribulationes, & persecutiones ad Christum migravit, & apud Urbem Romanam à Clero & Populo honorifice fuit sepultùs. Qui quidem rexit Ecclesiam XIV. annis, & ampliùs, tyrannizante Friderico Secundo in Imperio.

DE CÆLESTINO IV.

CÆLESTINUS IV. natione Mediolanensis post dictum Gregorium Papam IX. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXIX. Anno à Nativitate Domini MCCXLI.

Item ipse Cælestinus ante suam promotionem Gaufredus vocabatur, Episcopus Sabinensis, qui erat vitâ laudabili & scientiâ præclarus. Cujus anno sui Pontificatus secundo inter Raymundum Comitem Tolosanum, & Comitem Fuxi, Comitem Marchiæ, & Regem Angliæ sororium suum, solemnes tractatus facti fuerunt de facienda guerra [A] contra Ludovicum Regem Franciæ. Quibus quidem tunc Legati fuerunt Almaricus Vicecomes Narbonæ, Raymundus Gancellini, Dominus de Lunello, Pontius Dominus de Olargiis, & quidam alii Burgenses, & Cives de Civitate Biterrensi, Vicecomes de Lautrico, Cives Albienses, & multi alii Barones & milites. Sed postmodum tractante & ordinante Raymundo tunc Tolosano Episcopo, inter ipsos Comites & dictum Regem Franciæ facta fuit pax, & reformata.

Item postea dictus Rex Franciæ Anno, quo supra, Pontificatus dicti Cælestini Papæ, cum magno exercitu venit in Aquitaniam contra Comitem Marchiæ & Engolismæ [B] sibi rebellantem. Qui quidem post multas obsidiones & invasiones per dictum Regem Franciæ contra Comitem supradictum, una cum sorore sua, & sorore Regis Angliæ, & filiis suis ad pedes suos venit, & suæ gratiæ ex toto se submisit, & omnia jura, quæ ipse in Comitatu Pictaviæ petebat, Alphonso Comiti Pictaviæ fratri dicti Regis Franciæ remisit, & homagia Dominorum de Rancomio, de Ruppu, & Delphiniato, & quibusdam aliis perpetuò eum quittavit. Et sic dictus Rex Angliæ à dicto Comite, & ab aliis omnibus supradictis illusus remansit, atque destitutus. Et deinde Burdegalam fugiens ad patriam suam ipse fuit reversus.

[C] Item quod ipse Cælestinus rexit Ecclesiam per decem & septem dies, quia tempore suæ premotionis erat antiquus & infirmosus. Et apud Urbem Romanam ad Christum migravit, ubi à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per ambitiones & discordias XXII. mensibus & quatuordecim diebus, Friderico Secundo Imperatore tyrannizante.

DE INNOCENTIO IV.

INNOCENTIUS IV. natione Januensis, de Comitibus Lavaniæ, qui priùs Sinibaldus [D] Cardinalis vocabatur. post dictum Cælestinum Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXC. Anno à Nativitate Domini MCCXLIII.

Item quod iste Innocentius post suam promotionem aliquas Sedes Cardinalium, quæ longo tempore vacaverant, de personis sufficientibus, & de diversis Mundi partibus ab eo electis, restauravit. Inter quos fuerunt Magister Oddo Castri Radulphi tunc Cancellarius Parisiensis, Magister Hugo de Sancto Claro tunc in Francia Provincialis Ordinis Prædicatorum, qui totam Bibliam viriliter postillavit.

[E] Item eodem Anno sui Pontificatus, quo supra, Raymundus Comes Tolosanus venit apud Urbem Romanam ad supplicandum, & requirendum eidem Innocentio Papæ, ut patriam suam de Veneyssinio sibi restituere ipse dignaretur. Qui quidem Innocentius habito super hoc consilio & deliberatione, eam sibi restituit & concessit.

Item quod quum postea Fridericus Imperator Schismaticus tractari fecisset de pace cum ipso Innocentio Papa, & ipse Innocentius malitiam & contumaciam ipsius perpendisset, ideo clandestine cum auxilio Januensium per mare ad partes Gallicanas pervenit, & deinde se, & Curiam in Civitate Lugdunensi

nensi permutavit, Anno Domini MCCXLIV. in principio mensis Decembris. Et ibi stetit usque ad festum Paschæ, & ultra per quatuor septimanas. Quibus transactis de Lugduno recessit. Et in eodem anno Ludovicus Rex Franciæ graviter infirmus votum Deo fecit, de peregrinatione ad Sanctam Terram, & de ipsa obtinenda, & ab infidelibus auferenda viribus suis.

Item quod anno, quo supra, Petrus Amelii Archiepiscopus Narbonensis, & Durandus Episcopus Albiensis, & Senescallus Carcassoniæ cum exercitu Crucesignatorum Castrum Montis Securi Diœcesis Tolosanæ fortissimum & quasi inexpugnabile obsederunt, & contra ipsum nocte ac die fortiter pugnaverunt; B quia ibi erat refugium Tyrannorum & deprædatorum, ac etiam Synagoga hæreticorum. Quumque inimici, qui erant in dicto Castro superiori, vidissent, quod Crucesignati intraverant infra muros dicti Castri, & ulteriùs se commode defendere non possent, recepta securitate à Crucesignatis de corporibus suis, non tamen de hæreticis, qui ibi erant quasi ducenti, prædictum Castrum cum ipsis Hereticis ipsis Crucesignatis tradiderunt, & salvi recesserunt, & dicti Hæretici plus voluerunt comburi, quàm ad Christum converti.

Item quod dictus Innocentius Papa postea Anno à Nativitate Domini MCCXLIV. in C festo Sancti Johannis Baptistæ apud dictam Civitatem Lugdunensem redivit, & ibi cum multis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis, & Clericis ultramarinis, & ceteris de Regno Franciæ, & Hispaniæ partibus, magnum & solemne Concilium præsentibus Cardinalibus suis celebravit. In quo dictum Fridericum tunc Imperatorem se gerentem interdictum, schismaticum, & anathematizatum ab omni jure Imperii, & Regni Siciliæ, mediante deffinitiva sententia privavit, & eum condemnavit sextodecimo Kal. Augusti. Cui quidem Concilio Imperator Constantinopolitanus, Raymundus Comes Tolosanus, & Raymundus Berengarii Comes D Provinciæ supervenerunt. Qui quidem Comites matrimonium de ipso Comite Tolosano, & de Beatrice ultima filia dicti Comitis Provinciæ inter se tractaverunt, & de ipso sibi contrahendo, atque consummando convenerunt. Verùm quum inter ipsos tunc consanguinitas superesset, propter quod sine licentia Papæ hujusmodi matrimonium compleri non posset, idcirco ipsi dicto Innocentio humiliter supplicarunt, ut super impedimento dispensare dignaretur. Super qua dispensatione Regina tunc Franciæ, & Regina Alamaniæ, & Regina Angliæ, sorores dictæ puellæ prædicto Innocentio Papæ cum Nuntiis & literis specialibus ex adverso supplica- E verunt, ne in dicto matrimonio dispensare vellet ex certis & legitimis causis per ipsas tunc allegatis. Quumque ipse Innocentius super hoc suam responsionem dare prorogaret, ideo dictus Comes Provinciæ ad propria remeavit, & post paucos dies de hoc seculo migravit. Post cujus decessum Comes Sabaudiæ avunculus dictæ puellæ, & Barones Provinciæ, habito inter se consilio & deliberatione, Karolo fratri Regis Franciæ, qui postea fuit Rex Siciliæ in uxorem concesserunt, & eam sibi matrimonialiter conjungendam tradiderunt, anno quo supra.

A Item quod dictus Innocentius Anno à Nativitate Domini MCCXLVI. apud Lugdunum canonizavit Sanctum Edmundum Archiepiscopum Cantuariensem, & anno sequenti modificavit & confirmavit Regulam Fratrum Ordinis Carmelitarum, quam eis antea dederat Patriarcha Hierusalem. Et postea Raymundus Comes Tolosanus cum multis Baronibus & militibus in Franciam accessit, & cum omnibus istis Crucem pro eundo ultra mare cum dicto Rege Franciæ recepit. Et deinde ad partes proprias reversus de suis navigiis & aliis necessariis procuravit; & interim ipse dicto Innocentio Papæ supplicavit, & sibi supplicari fecit per dictum Regem Franciæ, ut patrem suum ipse absolvere dignaretur, quia ipse sibi offerebat legitime probaturum, quod in suæ mortis articulo habuerat signum contritionis. Quam quidem absolutionem finaliter obtinere non potuit.

Item quod tempore dicti Innocentii Papæ, videlicet Anno à Nativitate Domini MCCXLVIII. Dominus Ludovicus Rex Franciæ (qui postea fuit canonizatus) cum Roberto Atrebatensi & Karolo Andegavensi Comitibus fratribus suis, & ipsorum uxoribus, & cum magna militia venit apud Lugdunum ubi erat, & residebat cum Curia sua Innocentius Papa. Et deinde factâ sibi reverentiâ, ab ipso recessit, & apud Portum Aquarum Mortuarum ipse perrexit cum tota militia sua, quia ibi erant navigia sua parata. Quumque ipse ibi fuisset, statim cum tota militia in mare se posuit, & deinde in Cyprum applicuit & venit, & ibi per totam hyemem stetit & moratus fuit. Quem quidem Alphonsus Comes Pictaviæ frater suus, una cum Johanna uxore sua filia Comitis Tolosani sequenti anno fuit sequutus. Et tunc dicto Rege apud Cyprum stante & hyemante, Græci de partibus illis suum schisma, quod tenebant, abjuraverunt, & multi Saraceni ad Christi fidem conversi fuerunt.

Item quod postmodum dictus Rex Franciæ misit duos solemnes Fratres Ordinis Prædicatorum, cum magno apparatu & ornamentis Ecclesiasticis valde pretiosis, ad Regem Tartarorum, ut ipsum invitarent ex parte ipsius ad Christi Fidem, quia ipse credebat, quod animum suum ad nostram Fidem inclinare vellet. Quumque ipsi duo Fratres ad locum, ubi esse debebat dictus Rex Tartarorum, devenissent, ipsum Regem defunctum invenerunt. Verumtamen Regina & filius ejus, visis & receptis hujusmodi muneribus pretiosis, ipsos Fratres, & omnes, qui erant cum eisdem valde honoraverunt, & multa dona & encenia eis tribuerunt, sicque remissi fuerunt cum honore, sed non cum effectu, Regi Franciæ supradicto.

Item quod deinde Anno à Nativitate Domini MCCXLIX. præfatus Rex cum suo exercitu navigavit, & apud Damiatam venit. Quum autem ipse Rex cum suo exercitu vellet transire flumen Nili, ibi tanta Paganorum multitudo cum armis, balistis, & aliis instrumentis bellicosis supervenit, quod Rex Franciæ portum tunc recipere non potuit. Qui quidem Saraceni cum jaculis & balistis de portu repulsi, statim versùs Damiatam fugerunt. Quumque ipsi vidissent, quod dictus Rex Franciæ cum suo exercitu flumen Nili transiverat, fuerunt tantùm perterriti, quod dictam Civitatem Damiatæ sum-

summe munitam panibus, atque diversis victualibus optime refertam, statim exiverunt, & ab ipsa fugerunt. Unde quum postea dictus Rex, & suæ gentes dictam Civitatem expugnare vellent, credentes quod infra ipsam essent defensores, nullum tamen de ipsis invenerunt. Quare ipse cum suo exercitu dictos Paganos fugientes secuti sunt, & postea ad dictam Civitatem ipsi redierunt, & ipsam introierunt, & tunc per totam æstatem, & hyemem sequentem ibi moram traxerunt. Et in isto anno Raymundus Comes ultimus Tolosæ, qui per necessitatem corporalem remanserat, decessit V. Kal. Octobris, & in Monasterio Fontis Ebrandi fuit sepultus juxta Matrem suam filiam Regis Angliæ.

Item quod postea Anno à Nativitate Domini MCCL. prædictus Ludovicus cum suo exercitu egressus est contra Soldanum Babyloniæ, sequendo alveum Nili fluminis. Cujus quidem adventus in tantum fuit terribilis, quod nullus Saracenus audebat eum exspectare, nec contra eum pugnare; sed vias & transitus in quantum poterant sibi impediebant, ne ad ipsos venire posset. Quumque Robertus Comes Atrebatensis frater dicti Regis semel postea contra Saracenos fortiter pugnasset, & victoriam de ipsis habuisset, ideo ipse ultra consilium Templariorum deinde progreditur, & quamdam Villam nomine Almasoram cepit & occupavit, & ibi se posuit cum gentibus suis. Quum autem una die ipse Comes ibi incaute existeret cum gentibus suis, & non se præcaveret de inimicis, tunc supervenit multitudo maxima Saracenorum, qui contra dictum Comitem taliter irruerunt, quod plurimos de gentibus suis occiderunt, inter quos fuit dictus Comes prædictus, quia postea non fuit inventus.

Item quod postmodum facto hujusmodi insultu orta fuit tanta infirmitas in exercitu Christiano, quod aliqui dolore maxillarum, alii dentium, quidam tibiarum, infra paucos dies moriebantur, in tantum quod vix sufficiebat aliis sanis mortuos sepelire; nec milites sani, qui de nocte excubias consuetas exercere possent. Immo famuli, & quoque qui non consueverant deportare arma, recipiebant arma, & equos militum infirmorum, & de mandato ipsorum dictas excubias de nocte, in quantum sciebant, faciebant. Quum hoc ad audientiam Saracenorum pervenisset, in instanti Saraceni contra dictum Regem Franciæ supervenerunt, & tamdem ipsum Regem cum duobus fratribus suis, scilicet Alphonso Pictaviensi, & Karolo Andegavensi Comitibus, in quodam loco incluserunt, & eos ceperunt, & nihilominus multos de exercitu Regis Franciæ prosequendo interfecerunt, & plures alios captivaverunt.

Item quod factâ hujusmodi captione de dicto Rege Franciæ, cum fratribus suis super liberatione ipsorum inter eos ex una parte, & Soldanum ex altera intervenit tractatus, in tantum quod postea datâ magnâ pecuniæ summâ dicto Soldano, & restitutâ sibi Damiatâ Civitate, ipse Rex Franciæ cum fratribus suis, & aliis de suo exercitu à captivitate ipsorum liberantur. Sed postea ipse Soldanus, qui de dicta captione receperat redemptionem, altercatione illius pecuniæ à suis Vassallis exstitit postea interfectus. Et deinde apud Damiatam ipsi Saraceni recesserunt, & ipsam penitus destruxerunt, ne de cetero in manibus Christianorum ipsa devenire posset. Rex autem Francorum cum gentibus suis apud Achon perrexit, & ibi per quinquennium moram fecit. Et postea ipsâ Civitate cum aliis loci circumvicinis bene munitis, per eum dimissis, ipse ad Franciam cum suo exercitu remeavit.

Item quod antequam dictus Rex Franciæ ad Franciam venisset, & adhuc in partibus ultramarinis ipse captus esset, videlicet anno à Nativitate Domini MCCLI. machinantibus quibusdam Truttanis, facta est & inventa Crucesignatio Pastorellorum, & multarum puellarum atque puerorum in Regno Franciæ, quorum aliqui pestiferi inventores hujusmodi prædictos pastorellos & pueros regentes asserebant & dicebant, illos pueros Angelorum visiones se vidisse, & multa miracula eis per eos fuisse facta pro visitando & vindicando captionem Regis Franciæ, quam ipsi nutu divino recipere volebant. Qui quidem ipsos regentes, & qui Magistri ipsorum vocabantur, more Episcoporum, Populum consignabant per Villas & Castra & Civitates, Aquam benedictam aspergendo. Et deinde magnam & solemnem processionem in Civitate Parisiensi fecerunt, & matrimonia conjungebant. Religiosos & Clericos, ubicumque inveniri possent, gravabant, aliquos verberando, alios spoliando, & quosdam alios occidendo. Nec erat aliquis, qui compesceret ipsos malignantes, aut eis resisteret cum virtute. Universus autem Populus eis favebat, & aliqui de ipso dicebant hoc fieri propter bonum finem, alii autem pro majori parte gaudebant propter persecutionem Clericorum. Verum tamen postquam incœpit detegi malitia eorum & fraus, statim infra breve tempus omnes isti tamquam umbra vel fumus evanuerunt.

Item quod dictus Imperator Fridericus post suam depositionem obsedit Civitatem Parmensem. Contra quem dictus Innocentius misit unum Cardinalem pro magno exercitu, & pro juvando dictam Civitatem. Anno Domini MCCXLVIII. quum unâ dierum inter se prælium fuisset, tamdem iste Fridericus ab exercitu Ecclesiæ cum Parmensibus fuit turpiter devictus, & omnibus thesauris & rebus, quas ipse habebat, à dicto exercitu Ecclesiæ exstitit spoliatus. Qui quidem tamquam confusus in Apuliam exinde fuit regressus, & præ nimio dolore quando fuit ibi, infirmari graviter incœpit. Unde quum Manfredus bastardus filius suus summe affectaret regimen & thesauros dicti Frederici patris sui, maxime quia ipse pater suus non habebat nisi unum filium legitimum, qui adhuc erat juvenis; nam idem Fridericus antea habuit alium filium legitimum, quem ipse fecerat Regem Alamanniæ, & quia ipse postea Frederico patri suo rebellaverat, idem ipsum capi fecit, & apud Apuliam in fortissimis carceribus eum poni fecit, in quibus postea fuit suffocatus; dictus Manfredus consentiente uno Secretario patris sui cum uno cervicali eum jacentem in lecto suffocavit, ne à sua infirmitate ipse Fridericus resurgere posset. Et sic in die Sanctæ Luciæ Virginis anno MCCL. sine Sacramentis Ecclesiæ, existens excommunicatus & schismaticus exstitit suffocatus; sed secundùm Guillelmum de Podio Laurentii dicitur, quod ante mortem suam errorem suum Ecclesiæ recognovit, & se pœnituit aliquid contra ipsam fecisse, in tan-

tantum quod propter hoc ipse interdixit ne cum funeribus Imperialibus sepeliretur, nec aliquis planctus de morte sua fieri deberet.

Item mortuo dicto Frederico præfatus Manfredus per modum tutelæ, & gubernationis pro Conradino filio legitimo Conradi filii dicti Frederici tunc Pupillo Regnum Siciliæ & Apuliæ, & Principatum Calabriæ fraudolenter usurpavit, & tamquam Regem se fecit coronari, & deinde in rebellione, & schismate dicti patris sui eum fuit sequutus.

Item quod postea auditâ morte dicti Friderici anno, quo supra; post festum Paschæ prædictus Innocentius Papa de Lugduno recessit, ubi steterat cum sua Curia per sex annos cum dimidio, & in sequenti anno, decimo Kal. Julii Alphonsus frater Regis Franciæ, Comes Pictaviæ, & Comes Tolosæ, & uxor sua nomine Johanna, filia quondam Raymundi Comitis Tolosani noviter intraverunt Tolosam, & dominium ipsius & totius Comitatus receperunt pacifice & quiete.

Item quod postea anno à Nativitate Domini MCCLII. Conradus filius legitimus quondam Frederici Imperatoris depositi cum magno exercitu venit per mare apud Neapolim pro Regno Siciliæ obtinendo, quod occupaverat dictus Manfredus bastardus frater suus post mortem fratris sui, qui quum Neapoli fuisset, ipsam obsedit, & eam finaliter cepit, & post ipsius captionem muros ipsius Civitatis funditus destruxit. Quumque sequenti anno in Apulia ipse fuisset, & graviter infirmari cœpisset cum veneno fuit potionatus, & exinde mortem fuit passus. Et in isto anno quo supra Ordo de Pœnitentia Domini nostri Jesu Christi apud Marsiliam de mandato dicti Innocentii Quarti fuit institutus & approbatus.

Item quod anno à Nativitate Domini MCCLIII. Idus Aprilis Frater Petrus de Verona Ordinis Prædicatorum Inquisitor hæreticæ pravitatis per Sedem Apostolicam deputatus propter Inquisitionis infatigabile officium & prædicationis constantiam, & Fidei favorem ab impiis hæreticis, & eis credentibus in territorio Mediolanensi fuit interfectus Symbolum Fidei Catholicæ exprimendo. Quem quidem dictus Innocentius Papa infra ipsum annum apud Civitatem Parisiensem in Quadragesima canonizavit nono Kal. Aprilis, anno, quo supra, Pontificatus sui decimo.

Item quod postea anno quo supra dictus Innocentius Papa canonizavit apud Assisium Sanctum Stanislaum Episcopum Cracoviensem; & Regem Portugalliæ ab administratione Regni sui propter ipsius negligentiam, & justitiæ defectum removit, & ipsum Alfonso fratri suo Comiti Boloniæ, viro summe discreto commisit exercendum.

Item quod tempore ipsius Innocentii, videlicet anno à Nativitate Domini MCCLIIII. in mense Julii Ludovicus Rex Franciæ de partibus revertitur transmarinis, qui quidem incœpit Religiosis adhærere, pacem in suo Regno reformare, multas eleemosynas erogare, statuta facere & ordinare, Ludum Taxillorum, & alios ludos illicitos abolere, blasphemias & illicita juramenta eliminare, scorta Villarum removere, usuras damnare, acceptiones munerum suis Officialibus prohibere, impositiones & tallias revocare, Ecclesias & personas Ecclesiasticas magnificare & honorare; orphanos, viduas, & pupillos defendere, atque fovere, & alia quamplurima virtutum merita pro gratia divina obtinenda exercere.

Item quod ipse Innocentius post multas tribulationes ad Christum migravit apud Neapolim in die festo Sanctæ Luciæ Virginis, anno sui Pontificatus XII. Imperio tunc vacante.

DE ALEXANDRO IV.

ALEXANDER IV. natione Campanus de Anagnia Civitate circa principium Januarii post dictum Innocentium Papam Quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXCI. anno à Nativitate Domini MCCLIV.

Item quod ipse Alexander statim post suam promotionem misit magnum exercitum contra Manfredum illegitimum, seu bastardum, quondam Friderici Imperatoris depositi, quia Regnum Siciliæ usurpaverat, & tamquam Regem Siciliæ sine auctoritate Apostolicæ Sedis se fecerat coronari. Verumtamen dictus exercitus tunc ibi nihil profecit, sed apud Urbem Romanam fuit reversus.

Item tempore hujus Alexandri Electores Imperii duos Imperatores in discordia elegerunt, videlicet Regem Castellæ, & Ricardum Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ. Propter quod magna divisio fuit tam in Imperio quàm inter Electores, quæ quidem longo tempore duravit, & interim multa mala atque scandala in dicto Imperio suborta fuerunt.

Item quod ipse Alexander in Civitate Anagniæ Sanctam Claram in Monasterio Sancti Damiani solemniter canonizavit. Et illo tempore Ordo Fratrum de Pœnitentia Jesu Christi apud Marsiliam incœpit, sed paucis diebus duravit. Et etiam dictus Alexander duos pestiferos Libellos cum suis auctoribus condemnavit, quorum unus auctor fuit Magister Guillelmus de Sancto Amore, & alter Magister Johannes de Prima cognomine, & origine illius Civitatis vocabantur.

Item quod ipse Alexander post multos labores & tribulationes ad Christum migravit in Civitate Viterbiensi VIII. Kal. Junii, & ibi in Ecclesia Sancti Laurentii à Clero & Populo honorifice fuit sepultus, & rexit Ecclesiam VI. annis cum dimidio, secundùm unam Chronicam, sed secundùm aliam dicitur de VII. annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica III. mensibus, & IV. diebus, Imperio tunc vacante.

DE URBANO IV.

URBANUS IV. natione Gallicus de Civitate Trecensi, post dictum Alexandrum Quartum in dicta Civitate Viterbiensi die Decollationis Sancti Johannis Baptistæ, in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXCII. anno à Nativitate Domini MCCLXI.

Item ipse Urbanus tempore suæ promotionis erat Patriarcha Hierosolymitanus, qui post suam promotionem fecit duas promotiones Cardinalium, & effugavit exercitum Saracenorum cum Crucesignatis, quem Manfredus de Sicilia in Patrimonium Ecclesiæ introduxerat pro destructione ipsius, imitando & sequendo vestigia Friderici Imperatoris depositi patris sui. Quare postea ipse Urbanus anno à Nativitate Domini MCCLXIII. Regnum Siciliæ cum suis pertinentibus, quod dictus Manfredus tamquam Tyrannus detinebat, illustri

ac

ac ſtrenuiſſimo Principi & Catholico, videlicet A Carolo, fratri Ludovici tunc Regis Franciæ, Comiti Provinciæ & Andegaviæ, cum certis pactis, conventionibus ac conditionibus contulit, & de ipſo eum inveſtivit.

Item quod iſte Urbanus, quamdiu vixit, viriliter fuit proſequutus dictum Manfredum detentorem Regni Siciliæ, in ſua malitia gloriantem omnibus modis, quibus ipſe potuit, unde quaſi omnes Principes ſeculares, Populos & Communitates ad perſequendum ipſum Manfredum, tamquam filium Satanæ Friderici quondam Imperatoris depoſiti patris ſui, invitabat & inducebat: & inter alios prædictum Carolum Comitem Provinciæ & Andegaviæ, cui providerat de ipſo Regno. Unde tunc Al- B tiſſimus, qui fecit magnalia in cœlo & in terra, propter confuſionem & perſequutionem ipſius Manfredi, Dei & Eccleſiæ maligni hoſtis, in cœlo ſignum poſuit præſagium ſuper hoc, & oſtendit, videlicet unum radium ignis ad modum unius Stellæ, quæ *Cometa* apud Philoſophos communiter nuncupatur. Cujus forma mirabilis oſtendebatur, & diverſimode cotidie de die & de nocte, atque in diverſis horis ipſa mutabatur: in tantùm quòd poſt hujuſmodi conſtellationem multa ſcandala & mala in hoc Mundo inimicis Eccleſiæ ſupervenerunt, pro ut ex ſequentibus patebit evidenter exemplis.

Item quod regnante iſta Cometa omnes Co- C mites, Barones, & Communitates pro majori parte totius Regni Angliæ contra Regem Angliæ inſurrexerunt. Propter quod inter partes fuit factum una die unum magnum prœlium, in quo dictus Rex ſuccubuit. Et poſtea eum, & uxorem ſuam, & Eduardum ejus filium primogenitum, & Ricardum Regem Alamanniæ fratrem dicti Regis Angliæ ceperunt; & nihilominus in iſto prœlio multa millia hominum interfecta ſuerunt. Quare ipſe Urbanus Papa Guidonem Fulcodii Cardinalem, tunc Epiſcopum Sabinenſem, qui poſt mortem ipſius Urbani Papa fuit, Legatum in Angliam deſtinavit.

Item quod iſte Urbanus poſt multos labores D & tribulationes in Civitate Peruſina ad Chriſtum migravit, & ibi in Eccleſia Cathedrali Sancti Laurentii à Clero & Populo honorifice fuit ſepultus. In cujus tranſitu dicta Cometa diſparuit, & poſtea non fuit viſa, quæ tamen antea per tres menſes vel circa, ipſa regnaverat. Et ipſe Urbanus rexit Eccleſiam tribus annis, uno menſe, & quatuor diebus, Imperio tunc vacante.

Ex Papirii Maſſoni Libro V.
De Epiſcopis Urbis Romæ.

Præfatio Thierrici Vallicoloris ad venerabilem Patrem Dominum Antherum, tituli Sanctæ Praxedis, Presbyterum Cardinalem, Nepotem Domini Urbani Papæ IV. D

O venerande Pater, quem Chriſti munere Mater
Roma vocat fratrem, nos reverendo patrem;
Aſſiſtens primo mihi ſis, & carmen ab imo
Pectore dictatum ſuſcipe quæſo ratum.
Hoc celebri feſto ſolitò jocundior eſto,
Inclyta de Patruo do tibi geſta tuo.
Quod potui feci, fruſtra ſuperaddita jeci,
Florida detineo codice ſcripta meo.
Non impune ferent tamen omnes, & mihi quærent,
Fortè ſtilo plano cur ego tanta cano.
Ille metrum facile laudabit, erit quoque vile,
Iſtis in bivio ſic titubare pio.
His replicans clarè tres cauſas explico, quare
More leonino dicere metra ſino.
Naſonis mores ſequor hìc fugiendo colores,
Ut ſit noſtra brevis fictio, vera, levis.
Ergo, Pater, ſi quis hæc carmina rodat iniquis
Morſibus, excuſes vix quoniam meus es.
Gregorius proſam fecit, verſus ego, gloſſam
Qui volet apponat, ſic mea Muſa ſonat.
Geſta Patris patrum totum veneranda per Orbem,
Qualicumque potes carmine Muſa refer.
Non detractorum numerus te terreat, imo
Cornibus elatis ſurge, reſiſte, cane.
Quis fuit, aut quis erit venerabilis ille Poëta,
Cujus non rodet carmina livor edax?
Res immortalis eſt æmula, quæ licèt obſtet
Nobis, vera tamen ſcribimus alta ſatis.
Iſte fuit, cujus nec Stella Comata ſilere
Indicio potuit triſtia ſigna necis.
Tanta quidem tanti deſcribere Principis acta,
Sufficiens minimè tantulus actor erat.
Sed qui deſcribant ea de tot Vatibus unus
Non reperitur, onus hoc mihi ſumo grave.
Occupat interdum ſtudiis abſente magiſtro
Diſcipulus cathedram, diſcipuloſque docet.
Ergo, Summe Pater, cui tota potentia poſſe,
Principiis noſtris annue poſſe tuo.
O Verbum Patris, à quo Sapientia, præſtes,
Inſipiens cum ſim, quod ſapienter agam.
Spiritus alme dator bonitatis, quod bona poſſim
Promere, metra bene, da bonitate tua.
Illius intuitu, cujus moderamine, cujus
Nutu conſiſtunt cuncta creata ſimul.
Urbani feſto naturæ debita ſolvit
Quartus Alexander, ſumus in Orbe Pater.
Unde Pater Mundi ſolùm pendebat in octo
Fratribus, ipſorum nomina ſcire potes.
Iſti Pontifices, prior Odo, Stephanus alter,
Gallicus iſte fuit, Hungarus alter erat.
Totque Sacerdotes genuiſſe Sabaudia primùm
Dicitur, Hugonem, qui Jacobita fuit.
Alter, quem fovit Ciſtercius Ordo, Johannes
Nomine, natalis Anglia terra ſibi.
Iſti Levitæ Richardus & Octavianus,
Progenie clarus fulſit uterque ſatis:
Romanus primus, Tuſcus fuit Octavianus,
Hic aberat Mundi fata ſequente patre.
Romanus patriâ tetnus Levita Johannes,
Octobonus quartus, Janua terra ſibi.
Sanguine progenitus præclaro fulſit uterque;
Hi ſunt qui poterant octo patrare Patrem.
Sed quia diverſi cenſent, diverſa voluntas,
Horum non potuit accelerare Patrem.
Sic Opifex rerum tantas in idonea lites
Tempora diſtulerat, cuncta futura ſciens.

De Electione & Coronatione Domini Urbani Papæ IV.

Omnipotens igitur Pater Orbi compatiens, non
Ulterius patitur Patre carere gregem.
Hic Mundi partes perfundens pneumate ſacro,
Horum mollificat corda fugitque rigor.
Hi patri Jacobo Hieroſolyma, quam Patriarcha
Tunc habuit ſedem, corde dedere pari.
Horum qui precibus lacrymis conſenſit obortis
Eccleſiæ murum ſeque dat ipſe Dei.
Urbanuſque ſibi nomen, ſine nomine nec res
Exſtabat, nec ei re ſine nomen erat.
Interea Domini ſub luce ſequente Corona
Imponitur capiti regia, more Patrum.

Hujus

A
Hujus enim non est hic prætermittere dignum,
Mores, atque suos specificare gradus.

De natione Domini Urbani, staturâ, formâ, & moribus suis.

Iste fuit Jacobus venerabilis Urbe Trecensi
Natus, Laudunum postea fovit eum.
Hic hilaris vultu, mediocris corpore, corde
Fortis, in aspectu dulcis, honoris amans.
Venustus facie, clarâ quoque voce, peritus
Cantu, quem gratum musica voxque dedit.
Officii Christi devotior, assiduusque
Qualibet in Missa fletibus ora rigans.
Hujus enim fama celebris, facundia promtus
B
Compositi mores, vitaque munda fuit.
Blandus in affectu, divini præco fidelis
Verbi, vir vigilans & studiosus erat.
Ecclesiæ tutor, animosus ad omnia miles,
Quæ libertatis, juris, honoris erant.
Quos animi virtus, morumque scientia, fama
Extulit, hos voluit multiplicare bonis.
Dispositorque domus semper provisus agendis,
Solicitus factis ingenioque docens.
Transcendendo modum, vigilans patiensque laboris,
Vix poterant ejus tempora tanta pati.
Intendens precibus per tempora certa, tot ejus
Virtutes, quas tu corde notare potes.
Diversosque status transcendens iste gradatim,
C
Summi Pontificis dignus honore fuit.
Sic Deus omniporens Christus, Mundique Redemtor,
Istud dispofuit cum ratione tamen.
Expediebat enim Mundi perque omnia Patrem
Plurima vidisse, plura docere suos;
Ut dominus factus dominari sciret, & ejus
Compatiens servis sciret utramque viam.
Præsulis hic primò Lauduni Clericus, inde
Parochiæ dictæ Rector in Urbe fuit.
Post hæc Canonicus Lauduni factus, in illo
Quæ fiunt opera fert sua fama satis.
Corde tenus Domini lex, ejus Passio, primò,
Colloquiis ejus Virgo beata fuit.
Canonicum post hæc suscepit & Archilevitam,
D
Lugdunum tanti noverat acta viri.
Dogmate virtutis cùm sic radiaret, ad aures
Summi Pontificis venerat ejus odor.
Hinc Pomerania, Livonia, Prussia poscunt
Legatum, cujus provida vita foret.
Unde Pater Mundi privato cui nocumenti
Imposuit nomen, corde notavit ea.
Ipse volens hujus vitam famamque probare,
Officium tanti ponderis addit ei.
Qualiter in tanto se gesserit officio, cur
Dicam, tæderet enumerare nimis.
Lites sedavit, pacem stabilivit, ab omni
Muneris excutiens accipiente manus.
Theutonicos fines iteratò visere jussus,
Mittitur intendens pacificare viros.
E
Nam Rex Willermus, electus in Imperiales
Sedes, hos sævos senserat atque feros.
Qui dum commissis juris intendere vellet,
Mancipat hunc quidam nobilitate potens,
Carcere qui clausus, est passus vincla, labores:
Nec tamen omnipotens immemor hujus erat;
Sed monstrans in eo miracula, liberat illum;
Clam sic ad propria tecta reversus adest.
Post hæc Lauduni fuit Archidiaconus, inde
Prædictus Papa pontificavit eum.
Primòque Virdunum se dignum Præsule tanto
Sensit; qualiter hic vixerit, acta probant.
Exemplo, verbis Clerum correxit ovesque:
Tradita multiplicat quinque talenta sibi.

Exoneravit enim prædictæ debita multa
Ecclesiæ, quibus hæc plurima damna tulit.
Contra Magnates patriæ solitos per abusus,
Carpere proventus Ecclesiæque bona,
Restitit; Ecclesiæ terras & Castra potenter
Ejus defendit virga potente manu.
Indeque defuncto memorato Præsule Summo,
Quartus Alexander pastor in Orbe fuit.
Iste tibi Patrem, Hierosolyma, tradidit, ut tu
Tanto tanta fores irradiata viro.
Qui tamen invitus parens, aliquotque per annos
Officii vero tramite rexit onus.
Qui, dum floreret in tantis, sustulit ille
Ecclesiæ membrum nobile Papa suæ.
Sic Patriarchatum nudans, Sanctique Johannis
Hierusalem dederat illud idem fratribus.
Unde Pater Romam petiit, pontique procellas
Non timet, Ecclesiæ jura fidemque tuens.
Qui licèt egregiè Papam Fratresque rogasset,
Non tamen obtinuit jura petita sibi.
Qui postquam Cathedram Romanæ Sedis adeptus,
Reddidit Ecclesiæ quod sibi juris erat.

De pace restituta inter Cives Romanos, & reformatione status Urbis Romæ.

Extremo siquidem præfati Præsulis Anno
Inter Romanos lis gravis orta fuit.
Hi fratri Regis Anglorum jura Senatus
Ricardo dederant. Undique Roma fremit.
Inde Tarentinus Princeps Manfredus ab illis
Eligitur. Sic pars utraque jura probat.
Hæc Romæ renovat discordia furta, rapinas,
Ut nullus propriâ tutus in æde foret.
Compatiens igitur tamquam pastor pius Urbi,
Invenit varias pacificando vias.
Urbis majores mandat pacique priori
Urbem restituit. Pax venit, ira tacet.

De duabus ordinationibus Cardinalium, quas fecit idem Dominus in primo promotionis suæ Anno.

Presbyteri plures fiunt, ut Apostolus inquit,
A Domino, quòd lex sacra regatur eis.
Sanè cum dicti Fratres à Cardine pauci
Essent, his sedem multiplicare placet.
Vera salus ubi consilium: quare Pater istos
Conjunxit lateri, cùm fecit ordo prior.
Isti Pontifices, Radulphus, hic Ebroicensis
Præsul consiliis, moribus aptus erat.
Huic Archipræsul Narbonæ, nomine Guido,
Cui successit ei secula jure regens.
Presbyteri bini, Simon Paduanus, & alter
Simon, cui patria Gallica terra fuit.
Hi tres Levitæ, Gotifredus, Jacobusque,
Tertius Hubertus; clarus uterque fuit.
Atrætum primum genuit, Sabella secundum,
Alter Lombardus nomine, stirpe potens.
Continuit Fratres hos prima creatio septem,
Altera tot quorum nomina cerne loca.
Ebredunensis tunc Archiepiscopus hic fit
Præsul, & Henricus nomine dictus erat.
Hujus contulerat prædicto Pontificatum
Hugoni Papæ, qui bene cessit ei.
Hique Sacerdotes, Antherus in Urbe Trecensi,
Progenitus Papæ sanguine, corde Nepos.
Burgundus patriâ fuit, & Cistercius Abbas,
Alter promotus, Guidoque nomen ei.
Hujus enim titulum retinebat primo Johannes,
Præsul de Portu postea factus adest.
Guilielmus Remis tunc Archilevita, Decanus
Lauduni factus tertius inter eos.

Han-

Hannibal huic quartus, genuit quem Roma; duoque
Levitæ qui sint, carmina nostra docent.
Jordanum genuit Urbs Terracina, Mathæum
Roma. Tot Urbanus fecit in Orbe patres.

De Canonizatione beati Ricardi quondam Episcopi Cicestrensis.

Undeque catalogo Sanctorum Præsul ab ipso
Astrictus gaudes Sancte Ricarde Pater.
Tu Cicestrensis Confessor, tertia cujus
Aprilis celebrat inclyta festa dies.
Hujus erant opera Patris hæc, qui culmen adeptus
Sedis in Ecclesia pergrave vidit onus.

De solutione debitorum erga Florentinos & Senenses, & alios, præter Romanos.

Nam per Pontifices summos onerata priores
Expendit multa, jura tuendo sua.
Unde petebantur Marcharum solvere centum
Cum quinquaginta millia fortè magis,
Cur mercatores Romani, sive Senenses
Et Florentini debita tanta petunt.
Conjiciens igitur præfatus Papa, quòd ultra
Sortem legitimam plura darentur eis,
Consuluit super his prudentes, veraque solvit
Debita, dans cuique quod sibi jura darent.
Quid loquar? Ecclesiam Dominus præfatus in anno
Liberat, augendo non minuendo sua.
Verùm Romanis nil solvit, fœdus inire
Pacis cum nollent, sub ratione tamen.
Qui triginta licèt Librarum millibus ultra
Sortem perceptis, debita prima petunt.
Unde nec accessit Dominus prædictus ad Urbem,
Quamvis nollet ei jura negare sua.
Nec tamen ipsius Domus ista gravamina sensit,
Sed cunctis solito portio major erat.
Pauperibusque duplex elemosyna rite dabatur,
Et satiavit eos vestibus atque cibis.

De liberatione Ecclesiæ Romanæ & Terris obligatis pro oneribus debitorum.

Sane Pontifices guerras habuere priores,
Cur erat Ecclesiæ damna necesse pati:
Obligando suas Terras & Castra. Sed iste
Non solùm redimit illa, sed auget ea.
Inter quæ primò Castrum venerabile Chesæ
Nobilium manibus eripit, auget idem.

De recuperatione Terrarum & jurium Ecclesiæ contra Raynaldum Rubeum. Et primò de recuperatione Castri Trebarum, Ferentini, & Vallis Petri.

Porro Raynaldus Rubeus de sanguine quarti
Natus Alexandri, progenieque Nepos,
Pro certo pretio quorumdam Nobilium jus
Emerat in Castris sub ditione sua.
Quorum nomina sunt hæc, Ferentinumque, Trebemque,
Et Vallis Petræ, Castra repleta bonis.
Et quamvis esset satis hæc possessio magna,
Ecclesiæ parce pars erat illa minor.
Sed quoniam majus sequitur minus Ecclesiæ jus,
Prædictus patruus contulit omne sibi:
Turribus & muris qui statim muniit illa,
Contra quosque sibi perpetuare putans;
Nobilibus patriæ dejectis, qui dominatum
Vendere de Castris non voluere suum:
Ipsorumque domos & agros destruxit, & ipsos
Provocat ad guerram, suppeditare volens.
Sic pro velle suo contra jus illa tenebat,
A Papa dicens illa tributa sibi.
Cum prædicta sibi sic usurparet, eumdem
Præfatus Dominus præmonet, inde citat.
Hinc sua damnat eum sententia mensibus octo.
Attamen in factis perstitit ille suis.
Sed cum sit licitum ferrumque retundere ferro,
Et vim pellere vi, sic Pater egit idem.
Ac in eum surgens armis, animoque virili,
Perdita restaurat cuncta potente manu.
Ecclesiæque Dei non sponte redire coëgit
Ad gremium, quem sic senserat esse ferum.
Exaltans humiles sic, debellansque rebelles
Ecclesiæ tantus debuit esse Pater.

De Turri ædificata in Castro Trebii, sito in Diœcesi Spoletana.

Exclusum quoniam lupus intrat ovile frequenter
Muniri foribus credo necesse gregem.
His dictus Pastor vigilans, in Valle Spoleti
Castrum construxit nobile forte satis.
Huic Trebium nomen, quod structum mansit asylum.
Ecclesiæ. Terror hostibus ejus erat.

De destructione Castri ædificati in Fundo Semproniano, & de emtione quarumdam possessionum ab Abbate Sancti Anastasii de Urbe.

Sicut construere, quod prodest, credo necesse,
Sic ego destruere, quod nocet, esse reor.
Verùm Ranucii Nicolaus, deinde potentes
Ipsius fratres nobilitate viri,
In Fundo pariter emerunt Semproniano
Pro certâ summâ fortificata loca.
Hujus Anastasii Sancti possessio fundi
Tunc erat Abbatis, quem modò Papa tenet.
Hoc igitur Fundo prædicti nobile Castrum,
Fortè quòd Ecclesiæ grande gravamen erat.
Advertens igitur Pater hæc incumbere damna
Ecclesiæ, fortes congregat inde viros.
Hoc dictum Castrum fecit vincentibus armis
Funditus everti. Vindicat inde sibi:
Prædictosque viros, quia senserat esse fideles,
Ecclesiæ semper pacificavit ita.
Nam pro prædicto quæcumque gravamina Fundo
Sustulerant, largo munere reddit eis.
Admirando virum, qui post absynthia mella,
Post guerram pacem distribuebat ita.

De recuperatione Castri Marchæ contra Petrum de Vico.

Et cum de Vico Petrus ob jus Ecclesiæ se
Diceret expensas sustinuisse graves,
Huic prædecessor tribuit pro pignore Castrum
Marchæ, sex annis cui dominatus erat.
Contra quem Jacobus & fratres bella moventes,
In cineres redigunt, quas potuere, domos.
Unde timens Dominus amitti funditus illud,
Emit ab utroque quidquid habebat ibi.
Dicto P. Libras septingentas dedit ipse,
De Perusinis dicta moneta fuit.
Quingentas Jacobo: fuit illa moneta Senensis
Hic justè parte privat utrumque sua.
Fossatis igitur firmans & turribus, illa
Tutatur, faciens inveterata nova.
In fluveo dicti quæ sit piscaria Castri,
Quæve molendina, sunt ea digna satis.

De

De Legatis missis ad Imperatorem Palæologum ad instruendos Græcos in Fide.

Post hæc Græcorum Palæologus Imperii jus
Detinuit per vim, Vataciumque fugat.
Et quia prædicto Patri se credere, Christi
Verè Catholicam scripserat ipse Fidem,
Mittitur à dicto Domino Cotronensis eidem
Præsul, ut articulis omnibus imbuat hunc.

De reparatione Arcis Montisflaconis, & domorum Palatii.

Cum Pater æstivos vellet vitare calores,
Montisflaconis tecta quieta petit.
Inveniens igitur habitacula millia, Turrim
Construit, & reparat bellificando domos,
Sancti Baptistæ cum Decollatio fulsit,
Mirifica laude suscepit Urbs vetus hunc.

De recuperatione Insulæ Marchanæ contra Jacobum de Bicquo.

Insula Marchana falso detenta colore
A dicto Jacobo perdita pæne fuit.
Nam per bissenos ipsum possederat annos,
Quamvis Ecclesiæ jus speciale foret.
Majores repulit, ut, dum feriendo potentes,
Pars minor in patria subjiceretur ei.
Sed Pater hunc monuit; qui tamquam proditor illa
Reddere promisit, nil faciendo tamen.
Sed fratres proprios fortem deduxit in Arcem
Armatos, cum queis plurima turba fuit.
Ista videns Dominus turbatur corde, tyranni
Armis sævitiam mollificare volens.
Armatos illic transmittit, qui sine Marchæ
Acquirunt turrim, restituuntque sibi.

De recuperatione Insulæ Urbanæ, quæ Bizuntina solebat dici, & Arce ibi constructa.

Insula præterea, quæ Bizuntina solebat
Dici, præclari gurgite cincta lacu,
Destruitur, dicto Jacobo licèt Urbevetani
Assererent illam firmiter esse suam.
Hanc Pater Ecclesiæ reddens, bene muniit illam,
Urbanamque suo nomine dixit eam.

De recuperatione Castri Valentani contra Pandulphum de Viterbio.

Porro Valentanum tenuit pro pignore Castrum
Pandulphus, satis hic nobilis atque potens,
Renerique nepos patris à Cardine dicti,
Pro Marchis mille qui retinebat idem.
Sed cùm fortuitis foret illud casibus ustum,
Fugerunt omnes despiciendo domos.
Sed Pater à dicto Pandulpho liberat illos,
Librarumque duo millia solvit ei.
Hancque sibi recipit. Patriotas convocat, ac de
Urbevetanorum posse redemit eos.

De expensis factis pro recuperatione Marchæ Anconitanæ, & Capitaneo.

Inde Tarentino scelerato Principe multa
Marchia sustulerat Anconitana mala.
Nam Percivallus, omni feritate tyrannus,
Dux tanti sceleris, ut sceleratus, erat.
Nam primò missus Conradus captus erat tunc,
Monticuli Castri Principis ille Nepos.
Unde Veronensem Manfredum destinat illuc
Electum Dominus cum probitate virum,
Ut si Conradum præfatum redderet ipsi,
Reddita legitime Marchia dicta foret.
Qui licèt expendens triginta millia vel plus
Librarum, tamen hìc profuit ille parum:
Nam per fautores dictus Conradus amicos
Principis evasit, consuluitque fugæ.

De recuperatione Terrarum Arnulphorum Diœcesis Spoletanensis.

Cumque Spoletani Terras & plurima contra
Jus Arnulphorum detinuere diu,
Dicentes dictum Renerum, partibus illis
Quondam Legatum, cuncta dedisse sibi;
Sed summi Patris ipsos sententia damnat,
Cùm vidisset, eos juris habere nihil.
Qui contemnentes, moverunt prœlia contra
Arconæ Dominos strenuitate viros,
Plures ex illis capientes. Nomine Thomas
Unus de captis carcere clausus obit.
Hac persistentes ut Papa tyrannide vidit,
Pensat ut expulsus sit probitate rigor.
De Petra Sancta Guiscardum, corde probatum,
Destinat, ut tantis obviet ipse malis.
Qui plures Terras & plurima Castra Spoleti
Aufert de manibus strenuitate sua.
Unde Spoletanos non sponte venire coëgit
Ad Papæ metas, Ecclesiæque manus:
Ecclesiæ Terras prædictas restituentes,
Per Pligios plures reddere damna cavent.
Hinc pro contemtu Dominus præfatus eosdem
Condemnat, Marchas solvere mille sibi.

De Castro Peroculi, quod solebat Spoletanorum Oculus appellari.

Porro Peroculi Castrum, nec ab Urbe Spoleti
Distans, Ecclesiæ vindicat iste Pater.
Nam dicti Cives prædictas solvere Marchas
Juxta promissum non voluere sibi,
Quamquam prædictus electus in Anconitana
Terra res ageret, prœlia dura movens.
Armatos Papa quamplures destinat illuc,
Præ duce Guiscardo multa potente viro:
Qui breviter multas fecit succumbere Terras,
Ecclesiæ Domini multa ferendo tamen.

De Castro Arsi Castrensis Diœcesis.

Cum quidam Cives emissent Urbevetani
Arsi Castrum, quod detinuere diu:
Damnatos hæresi hos Præsul Aumionensis,
Ipso privavit tunc ibi posse gerens.
Cui cum successit Leo Fortisbrachia, Castrum
Servandum dicto tradidit ipse Petro.
Quod Castrum rapuit Comes Hildibrannus eidem,
Cur Interdicto Papa subegit eum.
Unde Comes Castrum prædictum reddidit ipsi,
Salvo jure tamen, si quod habebat ibi.
Sed quia processum super his minime fuit, illud
Detinuit Dominus sub ditione sua.

De Quæstione mota contra Urbevetanos pro Castro Aquæpendentis.

Insuper illud Aquæpendentis nobile Castrum
Postulat Ecclesiæ restituendo dari.
Et cùm proferre jus vellet in Urbevetanos,
Distulit, ut pejus pelleret ille malo.

De Castro Mirandæ Narniensis Diœcesis.

Lite quidem mota Castrum Fredericus iniquus
Mirandæ rapuit, in retinendo sibi.
Qui cùm discessit, Ofredusius, à patre cujus
Gregorius Nonus emerat, egit idem.
Sed Patris Urbani ligat hunc sententia, ne quid
Prætermittatur, quod videt esse bonum.

De Castro Bledæ, & aliis quondam Præfecti Romæ.

Interea Petrus Præfectus in Urbe reliquit
Ecclesiæ Bledam, cunctaque Castra sua.
Quo moriente Petrus de Vico vi rapit illa,
Cur adversùs eum quæstio mota fuit.
Sed propter guerras & magna pericula sanctæ
Ecclesiæ, mansit illa soluta minus.

De statu, in quo erat Italia, quando creatus est Dominus Urbanus in Papam.

Quantus in Italia dissensus post Friderici
Mortem prævaluit, enumerare decet.
Invidus hic coluber zizaniæ seminat inter
Italiæ Cives, lis in utrisque viget.
Has habuit primò varias Florentia partes,
Gibellina prior, altera Guelfa fuit.
Ecclesiam Guelfa nutrit pars, Imperiumque
Gibellinorum pars scelerata nimis.
Pullulat hinc hæresis, incendia, furta, rapinæ,
Partibus Italicis unio nulla fuit.
Floruerat supra reliquas Florentia, sed nunc
Aret per partes dissociata suas.
Perfidus Hubertus Palavicinus, & inde
Manfredus Guelfis multa tulere mala.
Hostes Ecclesiæ sceleratos hi scelerati
Semper foverunt per scelus atque nefas.

De tractatu habito inter Manfredum Principem Tarentinum, & Dominum Urbanum.

Hinc cùm tractatus simulatos dictus inisset
Manfredus, dicto Patre favente tamen,
Nil veri tenuit, immo perjuria verbis
Ipsius, & fraudes actibus ejus erant.
Cognoscens igitur Pater hæc, Orbisque saluti
Compatiens, versat plurima corde suo.
Italiæ strages, & bella retundere nitens,
Siciliæ Regnum, quod mala tanta tulit,
Et Græcos servare fidem, conamine toto
Pensans, consuluit, quid faceret super his.
Ad regale genus Francorum Catholicumque
Dulciter induxit cor, pietate gemens.
Magnifico Carolo Comiti, bonitate probato,
Siciliæ Regnum conditione dedit.

De electione Domini Caroli Comitis Andegavensis in Senatorem Urbis Romæ.

Interea Populus Romanus ab Urbe potentes
Plures ejecit, prædominante carens,
Unde petit Dominum, cui tradat jura Senatûs.
Prædicto Carolo pars cupit una dare,
Altera Manfredo dicto, pars altera nato
Aragonum Regis, qui gener hujus erat.
Attendens igitur Pater iste pericula, si non
Tunc acceptaret Carolus ista Comes,
Ipsi mandavit, quòd penitus omne Senatûs
Jus acceptaret, nempe salubre sibi.
Post Rex Francorum super his deliberat, inde
Acceptare jubet, quod sibi Roma dabat.
Qui sumens, ex parte sui præmisit ad Urbem

A Sensibus electos ac probitate viros:
Quos Urbs magnifico Romana recepit honore,
Sub dicti Comitis judice jure tenens.
Qui non servando statuta Romana, rapinis,
Furtis depulsis jura fidemque dedit.
Quòd veniat Romam dictus Comes in Michaëlis
Sacrato festo, terminus iste datur.
Sed quoniam brevis est, Populus prolongat eidem
In Pentecostes luce sequente sacra.

De discordia mota inter Henricum Regem Angliæ, & quosdam Barones regni ejus.

B Verùm Leviathan quoniam fit pace sinister,
Humanum satagit dilapidare genus.
Servis in dominos male conspirantibus, Angli
Concepti sceleris evomuere nefas.
Simon de Monteforti, falsique sequaces,
Ejus sunt tanti caussa suprema mali.
Alliciunt primò Populum fallaciter, inter
Quos Urbs pestifera Londoniensis erat.
Francigenas, aliosque viros ibi quid retinentes
Expellit, Regis jus perimendo sui.
Londonis quanta fuerint ludibria facta
Reginæ, minùs est enumerare pium.
Indeque Præsulibus personis Ecclesiarum
Multis sacrilegas imposuere manus.
Sed compromissum Francorum Rege ferente,
Stare tamen dictis non voluere suis.
C Hic Simon meritis facientibus à Ludovico
Francorum Rege pulsus & exsul erat.
Huic Rex Anglorum Germanam cum Comitatu
Tradidit uxorem. Quid sibi plura daret?
Hic tamen in dictum Regem, fratrem, sobolemque
Bella movens in eos, prævalet, hosque capit.
Regis erat frater Ricardus, ad Imperialem
Electus sedem, vir probitate potens.
Filius ejus erat Eduardus primus in armis
Strenuus, & valde largus honoris amans.
His dictis Simon captus, ejusque sequaces
Regno pro libito jura novata probant.

D *De Domino Sabino Episcopo misso in Angliam ad contrahendam pacem inter Regem & Barones.*

Commissis ovibus dictus Pater evigilans, &
Henrici Regis anxietate dolet.
Nam cognovit eum justum, fidumque, piumque,
Cujus non hæresi terra notata fuit.
Ecclesiæque videns incumbere plurima damna,
Si tanto capite terra careret ea,
Conjicit intra se super istis, quid sit agendum,
Et facinus tantum qui revocare queat.
Inde Sabinensem Legatum destinat illuc
Patrem, cujus erat provida vita bona.
Noverat iste quidem mundana negotia Præsul,
Et tamen in cunctis spiritualis erat.
E Qui mandata volens pacem velut angelus omni
Vi complere, sibi pars inimica negat,
Introitumque vetat: cur dictus Nuntius ipsam
Legitime monitam percutit ense Petri.

De guerra commota contra Petrum de Vico in Patrimonium Sancti Petri.

Sane de Vico Petrus memoratus adhæsit
Manfredo, Papæ fœdera nulla tenens.
Hujus enim nato Manfredus Pontificatum
Dat Cusentinum, Pontificemque fugat.
Ejus qui factum sceleratum cum Patre fovit,
Et

Et dictum Carolum debilitare putans.
Hinc dictus Petrus Tancredo cum Nicolao
Fratribus & Jacobo fœdus inire parat.
Cum Gibellinis insidis, Theutonicisque,
Ecclesiæ Domino magna flagella dedit.

De interfectione Guiscardi de Petra Sancta Capitanei in Patrimonio Sancti Petri.

Funera prædicti Guiscardi mæsta silere
Non possum, cujus strenua vita fuit.
Hunc explorantes Jacobus sceleratus, & ejus
Fratres fallaci corde venena gerunt.
Qui cùm Montemflaconis adire caminum
Vellet, ab illius inscius ense cadit.
O Jacobi scelera! quia sic decoraverat ipsam
Dictus Papa suus, qui Domicellus erat.
Non solùm scelere Jacobus sceleratior omni
His contentus erat, nec scelerata cohors,
Sed per inhumanam rabiem devulsit ab ore
Linguam, visceribus cor, scapulisque caput.
Non impune tamen fugerunt, sed Nicolaus
Frater lethali vulnere tactus obit.
Hosque bonis dictus Dominus privavit utrisque,
Cùm jam legitime præmonuisset eos.
Inde suo fratri, Piperni corde dolore
Motus Guiscardi, posse tenere dedit.

De introductione Theutonicorum in Patrimonium Sancti Petri.

Hic dictus Petrus nitens conamine toto,
Totâ mente malis accumulare mala,
Theutonicos equites sexcentos Marche probatos,
In terram Sancti colligit ipse Petri:
A Dominis Guicii qui primâ nocte recepti,
Ad Castrum Tolfæ complicuere gradum.

De destructione Castri Guicii in Diœcesi Tuscanensi.

Hos Guicii Dominos hæresis damnaverat, unde
Papa prior Castrum censuit esse suum.
Quod cum militibus Pipionus cum Nicolao
Rainutii multis obsidet, inde capit.
Funditus everso Castro, discrimine nullo,
Sacrilegi Comites ensis in ore cadunt.
Unus de Dominis sua terga fugæ dedit, alter
Cum Gibellinis pluribus ense cadit.

De debellatione Theutonicorum in Civitate Sutrina per fideles Sutrinos & Pandulphum Comitem Anguillariæ.

His gestis Petrus prædictus cum Nicolao
Sutrino Cive fœdus iniit ita.
Quod pulso Plano, cunctisque fidelibus Urbis,
Insultu caperent proditionis eam.
Ista sciens cui dat Comes Anguillaria nomen,
Quamvis carne Petro proximus hostis erat,
Urbis cum dicto Plano se parte recepit,
In reliquâ Petrus, Theutonicique sui.
Sed vigilans Pastor, qui Mundum sanguine lavit,
Mirè Romanis indicat ista nova.
Qui citò cum Caroli præfato Judice contra
Prædictum Petrum, Theutonicosque ruunt.
Ista sciens dictus Petrus & Nicolaus, ab Urbe
Fugerunt, Castro sic latuere suo.
Sed male munitos reliquos dictus Comes, inde
Planus, Theutonicos pæne dedere neci.
Hos ensis gladiat, hos carcer mancipat, illos
Membris ejectos dura recepit humus.

De obsidione Castri Vici à Populo Romano.

Inde Romanorum exercitus obsidet ipsum
In Vico Petrum, sed citò Roma tepet.
Nam licèt hoc leviter everti posset, iniquo
Consilio, Romam Plebs dominante redit.
Sed dictum Papa Comitem, Dominumque, caputque,
In terra Sancti præcipit esse Petri.

De Domino Simone tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, quem idem Dominus misit Legatum in Franciam.

Verùm cum Carolus memoratus conditiones
Ipsi promissas vellet habere ratas,
Sedis Apostolicæ Simon, de fratribus unus,
Vir pius & sanctus, consiliisque potens,
Mittitur ad partes Francorum; conditiones
Ut dicto Carolo compleat ante datas.
Qui cum mandato disponit, ut Ecclesiarum
Redditumm decima pars tribuatur ei.

De citatione Alfonsi Regis Castellæ & Ricardi fratris Regis Angliæ, electorum in Reges Alamanniæ.

Advertens dictus hinc Papa, quod Imperialis
Mundo deerat honor, hunc revocare cupit
Theutonicique Duces, ad quos electio spectat:
Elegere duos. Magnus uterque fuit.
Anglorum Regis frater fuit unus, & ille
Nomine Ricardus, Cornubiæque Comes.
Hic introductus vi partem Theutonicorum
Occupat in Regno, muneribusque placet.
Hinc in Aquisgrani Castro cathedratus, & inde
In Caroli Magni sede Corona datur.
Alfonsus fuit alter, homo largusque potensque,
Cum Castellano plurima regna tenens.
Quamvis egregiè proponeret utraque pro se
Pars, coram Papa caussa vocata fuit.
Sed cupiens animo, tantis imponere factis
Finem præfatus Pastor, utrumque citat.
Ricardus minime venit, nec misit, ab ejus
Hostibus & dicto Simone captus erat.
Solemnesque viros Hispanus misit, & ejus
Cordis secretum certificarat eis.
Sed quia tunc aberat pars altera, terminus alter
Assignatur eis, sufficiensque dies.

De fundatione & dotatione Ecclesiæ Sancti Urbani in Civitate Trecensi.

Præterea miram construxit in Urbe Trecensi
Ecclesiam Dominus dictus in æde patris.
Sumtibus innumeris duodenum Canonicorum
Instituit numerum, queis locus aptus erat.
Hinc tres instituit Personatûs: ibi Cantor,
Thesaurarius hos, atque Decanus, habent.
Et nisi fata Patri properassent stamina tanto,
Ecclesiam mirâ dote replesset eam.

De reparatione Domus Lateranensis in Urbe.

Hinc Lateranensem reparari fecit in Urbe
Aulam, cujus erat tecta ruina minans.

De institutione Festi celebrandi singulis annis de Corpore Christi.

Quanta sibi fuerit pietas, devotio quanta,
Sumendo Christi Corpus, en ista probant.

A Corde tenus fixum retinens, quod dixit ab ore
Filius ad Patrem, morte patente suâ,
Ecce meum Corpus, & Sanguis. Sumite vobis:
Hoc memores sitis, perpetuando, mei.
Tanta Pater recolens mysteria, quòd Deus ipsum
Nobis in potum tradidit atque cibum;
Cùm dictum Corpus, Sanguisque, viatica vera
Vitæ sunt hujus, & via vera salus;
Quamvis quotidie fiant mysteria tanti
Corporis, hic meliùs vult cumulare bono.
Sic digne statuit, ut in anno Corporis hujus
Tam festum celebre fiat in Orbe semel,
Post Pentecostes Octavas luce Jovis: nam
Consumi Christus fecerat ista die.
Hocque sui Terno Papatus fecit in anno,
B Officiumque novum continet ista dies.

De captione Manfredi Electi Veronensis, & Domino Simone de Padua misso in Marchiam Anconitanam.

Verùm cùm dictus Electus in Anconitanam
Missus proficeret, jura tuendo Dei:
Hunc Comes explorans Jordanus, Duxque caputque
Belli Manfredi, non sine marte capit.
Unde pater Simon Paduanus mittitur illuc,
Quingentos equites associando sibi.

De debellatione Tuscanensium per Petrum
C *de Vico.*

Post hæc de Vico Petrus post obsidionem
Vici confusum se reputabat in hoc.
Theutonicos igitur dispersos per loca plura
Legit, amicorum viribus arma parans.
In Tuscanenses Cives sævire fideles
Nititur, inter quos proditor unus erat.
Hic Albonetus, cujus subvertere Castrum
Altera pars prompta funditus Urbis erat.
Sed quia præscivit ejus Petrus obsidionem,
Irruit in Cives, prælia dira movens.
Impræmunitos quia sic invaserat illos,
Prævaluit, sumens cornua victor abit.
Theutonicis igitur collectis, Ecclesiæ tunc
D Damna, simul pœnas intulit ipse graves.

De exercitu, quem Manfredus misit ad offendendum Ecclesiam sub Ducatu Percivalli.

Sic patiente Deo, se rebus habentibus, ad se
Manfredus sceleris colligit omne genus.
Nam Saracenos, Catalanos, Theutonicosque,
Cumanos junxit, Siciliæque viros:
Per loca transire sperans Campana, quòd Urbem
Turbaret. Fecit nil ibi velle sui.
Nam gens Ecclesiæ Campana fidelis eidem
Restitit, Apuliam qui repetendo fugit.
Sed Percivallo jam dicto præduce Castrum
De Cellis turbam jussit adire suam.
E Hicque morata diu nequiens transire per Urbem
Vi Tiburtinum, cetera Castra capit.
Cùmque Reatinâ modicum distaret ab Urbe,
Ad flumen Nigræ concomitata venit.
Hujus enim turbæ ductores, Odo Johannes
Marerii Dominus, servus & absque fide:
Pandulphus Dominus Alabii, plures quoque tanti
Fautores sceleris præteriere vadum.
Hosque fere sequitur exercitus omnis, & ipsi
Qualicumque modo læsio nulla datur.
Sed Percivallus, ut plumbum, lapsus in undis
Mergitur: hocque tulit ultio digna Dei.
Tale Dei fit judicium: miracula tanta,

Quòd juxta meritum reddit utrisque suum.
Quo merso, virtute Dei, sibi turba Johannem
Marerii Dominum postulat esse caput.
Qui Collestacti Castro fuit inde receptus,
Terra licèt Papæ domaniumque foret.
Inter Apuensem cum militibus petit Urbem,
Hancque putat Domino suppeditare suo.
Quam si fata capi, Domino patiente, dedissent,
Ecclesiæ clavis grande tulisset onus.
Nam Florentini, Pisani, deinde Senenses,
Petrus de Vico, Theutonicique sui,
Summum Pontificem cum fratribus Urbevetanis
Tentassent ab eis obsidione capi;
Ut Patre sublato juxta temeraria cordis
Manfredi placita staret in Orbe pater.
Unde Marescalcum Rheginis Civibus ortum
Papa suum mittens, mille dat arma sibi.

De Crucis signatione, quam fecit Dominus Urbanus contra Manfredum Principem Tarentinum.

Inde suos aperit thesauros spirituales,
Prædicat, indulget, auxiliumque petit.
Verè confessis quamlarga remissio mansit,
Dantibus Ecclesiæ subsidium patet hic.
Hujus enim paucos habuit tunc Curia, quorum
Non ferrent humeri pondera sancta Crucis.
Præfixâque die dum fines Urbevetanos
Exirent plures occubuere siti.
Raro tamen reliqui Solis timuere vapores,
Sed properant, cœptam continuando viam.
Ad flumen Nigræ veniunt, in quo sceleratus
Percivallus erat mersus, agente Deo.
Dumque vident sceleris Comites in vertice montis,
Pectore lætitiam vix potuere pati.
Disponunt acies bello, quas aspicientes
Sacrilegi comites, terga dedere fugæ.
Hos tamen insequitur Christi gens usque Reatem,
Et Collistacti Castra reversa capit.
Arboribus scissis, quoniam se non voluerunt
Reddere, diruitur funditùs usque solum.
Hinc à Nobilibus patriæ de stando statutis
Ecclesiæ jussis cautio certa datur.

De debellatione Theutonicorum apud Castrum Bledæ, & captione Pandulphi Comitis Anguillariæ.

In Castro Bledæ quàm prœlia dira fuerunt,
Pandulphi Comitis captio mœsta docet.
Huic erat assistens Capitaneus Ecclesiæ vir
Strenuus; Ysuardus nomine dictus erat.
De dicti Caroli Rectoribus unus in Urbe,
Cujus Theutonicos perdomuere manus.
Hi contra Petrum de Vico bella moventes,
Armis arma ruunt, pestis utrumque fuit.
Illo nempe die volitare per aëra multi
Viderunt volucres, Ibidibusque pares;
Præcipue supra præfati Principis aulam
Sederunt. Quæ sint signa, scit ista Deus.
Inde duos istos se se junxisse Planetas,
Martem deinde Jovem, cælica signa probant.
Tantus in Italia conflictus tempore nostro
Non fuit. Hi pereunt, hi pereundo ruunt.
Theutonicique licèt in primo marte feroces
Essent, Ecclesiæ terga dedere viris;
Hosque fugando Comes prædictus, non fugiendo,
Incaute captus hic fuit, unde dolor.
Papaque Matthæo terras à Cardine dicto
Petri

Petri commisit, armaque mille dedit;
Ut dictum Petrum superando per arma, sorori
Ipsius uxori reddere posset eum.

De recessu Domini Urbani Papæ de Urbeveteri, & infirmitate ejus, & obsidione Castri Bizantii.

Cùmque moras Dominus traxisset in Urbevetana
Urbe, annosque duos continuando ferè,
Pacifice Cives prædicti, multa ferentes,
Servitium cunctis exhibuere suum.
Sed tamen in dictum Jacobum sententia lata
A Patre prædicto mollificavit eos.
Nam licèt everti Bizunti Papa tulisset
Castrum, sed Cives detinuere sibi.
Non tamen ex Populi consensu, Nobilium jus
Quorumdam Castrum fortificavit ita,
Quod dictus Jacobus, Tancredus, viribus horum
In dicto Castro detinuere sua.
Tamdem cum dicto Petro, Senensibus armis,
Prædictum Castrum vi rapuere sua.
Indeque propulsis custodibus, hìc posuerunt
Hostes Ecclesiæ, Theutonicosque simul.
Et licèt in reliquis Populus satis Urbevetanus
Se bene gessisset, se male gessit in his.
Unde Pater recolens dicti de morte dolenda
Gaufridi doluit. Ira novata redit.
Cùmque fovere scelus Jacobi putet Urbevetanos,
Urbem Perusii motus adire parat;
Septembrisque die nona discessit ab ipsis,
Tudertum veniens. Membra quietis egent.
Interea dictum Jacobum Plebs Urbevetana
Obsedit, Castrum dilapidare volens.
Nam dictum Papam credebant Urbevetani,
Nequitiis ejus deseruisse locum.
Hinc Jacobus Castro Tancredo fratre relicto,
Senenses in opem poscit adesse sibi.
Sed dictus Populus dum rem proferret in actum,
Diruitur Castrum funditùs usque solum.
Tancredoque simul habitantes inde repulsis
Ad Communis opus exposuere sua.

De apparitione Stellæ Comatæ.

Post hæc dicenda sunt Stellæ signa Comatæ,
Quæ mortem tanti nos docuere viri.
Ejus enim morbum monstravit visio, mortem
Defectus, sicut tempora certa probant.
Bis sexcentenum Domini decies quoque senum
Annum cum quarto si bene mente notes;
Mane quidem luce Domini, Sextoque Calendas
Augusti nobis visio facta fuit.
Undecimumque gradum Phœbo superante Leonis,
Terdeno Cancri restitit illa loco.
Retrogradus motus in partes Occiduas in
Meridiem motus additus alter erat.
Sic utrimque movens transivit Oriona, visa
Septuaginta dies hac regione fuit.
Sed sextodecimo serò prius ante Calendas
Augusti mensis Gallia vidit eam.
Tuscia non solùm Stellam vel Francia vidit
Istam, sed Populus vidit in Acon eam.
Et quia senserunt præsagia cælica tanti
Principis occasus, illa referre decet.
Anno præterito, prædicto mense, dieque
Quinta, quæ Domini dicitur esse dies,
In vespertina fuit hora Solis Eclipsis,
Pæne duabus erat partibus ipse minor.

A Quindenoque die post Lunæ luce sequenti,
Principio mensis Luna recepit idem.
Post hæc Saturno reliquo Mars junctus in anno
Ter. fuit in Tauro. Junctio talis erat.
Sidus inest cælis, Aldebram nomine dictum,
Aut oculus Tauri talia signa ferens.
Principio mensis Septembris stans super illud
Saturnus Marti jungitur, ille sibi.
Post hæc retrogradans est junctus utrique November,
Principio Jano junctio terna fuit.

De infirmitate & morte Domini Urbani Papæ IV.

B Apparente quidem prædictâ luce Cometâ,
Invasit Dominum continuando dolor.
Ejus siccari cœperunt interiora,
Quod vix proferret absque labore sonum.
Tudertum veniens est gressus pondere fessus,
Insolitusque labor debilitarat eum.
Quinta die vero Castrum, cui Diruta nomen,
Assisium post hæc accelerare volens.
Vixque duas equitans per leucas, intima tota
Præ nimia sensit anxietate premi.
Hinc devectus equo, lecticâ ponitur, inde
Ad Castrum vehitur, invaluitque dolor.
Hic per quindenam jacuit, morbusque coëgit
Ipsum plus solito. Corpus inane jacet.
C Post hæc consilio fratrum, de morte quibus spes
Certa videbatur, sic superante malo,
Lecticâ vehitur in burgum Perusii, quo
Ecclesia Sancti ponitur ipse Petri.
Ecclesiæ sumsit ibi Sacramenta, diemque
Extremum clausit luce sequente Jovis.
Quo moriente, velut mortem cognosceret ejus,
Apparens minime Stella Comata fuit.
Unde putet rectè Dominum regnasse, tacere
Cujus tot signa non potuere necem.
Et nos pro meritis ipsius credimus ipsum
Jugiter æterna prosperitate frui.
Vel saltem si quid commisit in Orbe, quod ejus
Crimina purgandi copia fiat ei.
Et Pastor cujus in terris pavit oves hìc,
D In cælis vero gramine pascat eum.
Gaudia sint cui sit cælestis gloria, de quo
Hic liber actori gratia, lausque Deo. (*)
Quod rabidus livor, quod edax abolere vetustas
Consuevit, memori pectore scripta tenent.
Ergo legat qui vult perquirere gesta priorum,
Cùm de præteritis dent sibi scripta fidem.
Inde quòd in tenebris nequeat latitare futuris,
Hoc jubar istius collige scripta Libri.
Quis fuit Urbanus Quartus, pater Urbis & Orbis
Gesta, Genus, Mores, hæc tibi scripta notant.
Post obitum cujus, annis ter quinque peractis,
Cum studio vigili scribitur iste Liber.
Hunc scribi fecit Gerardus, hìcque reponi,
E Ut fundatoris sit locus iste memor.
Contiguo fuit iste gradu de sanguine Patris
Tertius Urbani degenerare negans.
Hic erat Ecclesiæ tunc Thesaurarius hujus,
Quæ sibi præ cunctis semper amica fuit.
Laudunum primò, post illum canonicavit
Urbs Treca, natalis quæ sibi Terra fuit.
Pro tribus ergo roges, qui scripta Voluminis hujus
Perlegis. Urbanus sit tibi primus in his:
Inclytus Antherus post hunc: Felicius inde;
Felices habeat quos sine fine Deus.

(*) Muratorius: *Heic nonnulla deesse videntur.*

EX AMALRICO AUGERIO.

DE CLEMENTE IV.

CLEMENS IV. natione Provincialis, Narbonensis Provinciæ, & Regni Franciæ, de Villa Sancti Ægidii, Nemausensis Diœcesis, fuit oriundus, & Cardinalis Sabinensis, & post dictum Urbanum Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXCIII. anno à Nativitate Domini MCCLXIV.

Item quod iste Clemens ante suam promotionem Guido Fulcodii Miles vocabatur. Qui habuit uxorem & liberos primò. Et fuit famosus Advocatus, & Sancti Ludovici Regis Consiliarius specialis; & postea uxore sua mortua, prædictus Urbanus Papa IV. audiens vitam laudabilem, & scientiam ipsius, eum fecit primò Aniciensem vel Podiensem (quod idem est) Episcopum, & deinde Narbonensem Archiepiscopum, & tamdem Cardinalem Sabinensem. Unde tempore dicti Urbani pro reformatione pacis in Angliam ab ipso Urbano Legatus missus fuit. Et ipso existente in sua Legatione, prædictus Urbanus interim fuit defunctus in Civitate Perusina. Quare statim in Papam à Cardinalibus fuit electus concorditer. Qui quidem vigiliis, jejuniis, orationibus, abstinentiis, ac multis aliis bonis operibus virtuosis summe fuit intentus in tantum, pro ut creditur, quod suis meritis Deus extinxit plures tribulationes, quas tunc Ecclesia Romana patiebatur. Et ipse etiam canonizavit Sanctam Edwigem quondam Ducissam Poloniæ, miræ sanctitatis Viduam.

Item quod tempore hujus Clementis Papæ, videlicet anno à Nativitate Domini MCCLXV. Jacobus Aragonum Rex Murciam Urbem Saracenorum, quæ antea tributaria erat Regis Castellæ, cum magna fidelium sanguinis effusione cepit. Et in ipso eodem anno Sanctus Ludovicus Rex Franciæ cum multis Militibus, Principibus, ac pluribus aliis, iterum contra Saracenos crucesignatur, & de suo apparatu & aliis necessariis pro ipso & suo exercitu summe procuratur.

Item quod iste Clemens cum magna diligentia procuravit cum Carolo Comite Provinciæ & Andegaviæ in Regem electo, ut omnia, quæ inter ipsum Carolum & Urbanum Papam IV. tractata fuerant & ordinata super dicto Regno Siciliæ obtinendo iste Carolus exsequutioni mandare deberet. Qui quidem Carolus obediens filius zelans vindicare injurias Ecclesiæ olim factas per Fridericum quondam Imperatorem depositum, & dictum Manfredum illegitimum filium suum, statim paravit se & exercitum suum contra ipsum Manfredum hostem Ecclesiæ malignum.

Item factâ suâ provisione de omnibus, quæ sibi erant necessaria pro ipso & exercitu suo, statim anno, quo supra, ivit apud Urbem Romanam ad ipsum Clementem Papam, non obstantibus insidiis, quæ erant contra ipsum per dictum Manfredum in mari, & in terra. Et quum ipse Romæ fuisset, cum magno honore & lætitia fuit receptus, & deinde Senator Urbis Romæ solemniter ipse fuit factus. In qua Urbe per totam æstatem moram fecit, suum exercitum expectando, qui de Francia ad ipsum venire debebat.

Item quod quum postmodum exercitus dicti Caroli apud Urbem Romanam ad eum devenisset, statim ipse Clemens Papa eum inunxit & coronavit tamquam verum Siciliæ Regem cum Beatrice uxore sua. Qui quidem postea cum sex Cardinalibus, Legatis, & Crucesignatis, & suo exercitu, contra dictum Manfredum gressus suos cum magna animi constantia direxit. Quorum nomina titulorum dictorum Cardinalium ista tunc fuerunt: videlicet primo Episcopus Albanensis, & duo Presbyteri, scilicet Sanctæ Praxedis, & Basilicæ Duodecim Apostolorum; & tres Diaconi, scilicet Sancti Angeli, Sancti Georgii ad Velum aureum, & Sanctæ Mariæ in Porticu.

Item quod quum postea dictus Carolus cum dictis sex Cardinalibus, & exercitu Ecclesiæ atque suo, prope Civitatem Beneventanam devenisset, statim quoddam Sancti Germani Castrum quasi inexpugnabile obsedit, & finaliter illud cepit. Deinde contra Manfredum, qui ibi prope erat in campis cum infinito exercitu ad pugnandum paratus, sequenti die, quamvis ipse cum suis gentibus supradictis propter fatigationem & victualium defectum valde tunc esset accidiatus, in prœlium ipse intravit: & viriliter contra dictum Manfredum & suos valitores pugnavit, in tantum quòd cum Dei adjutorio ipse Carolus triumphum habuit & honorem. In quo dictus Manfredus cum duobus millibus pugnatorum suorum confuse, & cum uno tantùm de parte dicti Caroli, fuit interfectus. Quod quidem prœlium fuit factum V. Kalendis Martii, feriâ sextâ ante Civitatem Beneventanam, anno à Nativitate Domini MCCLXVI. Pro cujus honore, strenuitate, ac triumpho, Versiculi compositi fuerunt, qui sequuntur:

„ *Carolus athleta Christi, pro ut ante Cometa*
„ *Hoc præsignavit, Manfredum suppeditavit,*
„ *Plus decies centum quater juxta Beneventum.*
„ *Victor prostravit. Hinc Ecclesiam roboravit.*
„ *Sunt Anni Christi, victoria quum datur isti,*
„ *Mille Ducentenus Sexagenus quoque Senus.*
„ *Belli finis fit. Februi lux tertia fuit.*

Verùm statim tunc expedito hujusmodi bello, Carolus cepit dictam Civitatem Beneventanam.

Item quod tempore ipsius Clementis Papæ, videlicet anno Domini MCCLXVI. quamplurima multitudo Saracenorum ex Africa per angustum mare transiens, in Hispaniæ partes venit, & conjunctis sibi Saracenis, qui in partibus illis erant, magnam plagam contra Christianos exercuerunt, intendentes, quòd illam terram, quam olim perdiderant, tunc recuperare possent. Sed contra ipsos dictus Clemens privilegium Crucis Christifidelibus concessit. Qui quidem Crucesignati cum Christianis, qui erant in illis partibus Hispaniæ, contra dictos Saracenos taliter irruerunt, quod triumphum de ipsis Deo auxiliante, & victoriam cum magna sanguinis effusione obtinuerunt, & alios de tota terra effugaverunt. Et sic Hispani pacifice cum gaudio remanserunt.

Item quod quum Conradus filius legitimus Friderici quondam Imperatoris damnati existens in Alamannia cum Avunculis & amicis suis audivisset, quòd ipso in puerili ætate existente dictus Manfredus bastardus, Patruus suus, nomine suo fraudolenter usurpaverat Regnum Siciliæ, & postea regimen & corpus suum in prœlio perdiderat, & quòd inde dictum

A ctum Regnum Ecclesia dicto Carolo dederat, & ipsum in Regem coronaverat, & quòd eum possidebat pacifice & quiete; ideo iste Conradus omnes Principes Alamanniæ cum Duce Austriæ fratre matris suæ, & Henrico fratre Regis Castellæ, tunc Senatore Urbis Romæ, & etiam Romanos instanter requisivit, ut consilium, auxilium, & favorem sibi impendere dignarentur. Quumque ipse Conradus cum magno exercitu versùs Neapolim devenisset, statim contra ipsum Carolum Regem Siciliæ fortiter irruerunt. Et certâ die, quæ erat, in planitie Palentina ad invicem prœliaverunt. Et quamvis ab initio pro parte dicti Caroli plures in campo se dispersissent, tamen finaliter dictum Conradum, & Ducem Austriæ
B avunculum suum, & plures alios Carolus cum magno triumpho cepit, & omnes alios occidit, seu effugavit in Vigilia Beati Bartholomæi Apostoli anno à Nativitate Domini MCCLXVIII. in tantùm quòd in isto prœlio summe major fuit sanguinis effusio, quàm in campo, seu prœlio de Benevento. Qui quidem Carolus dictum Conradinum, & Ducem Austriæ cum aliis pluribus magnis viris apud Neapolim duci fecit, & postea ipsos præsente Populi multitudine copiosâ decollari fecit. Et sic postea totum Regnum siluit in conspectu ejus, & semen dicti Friderici Imperatoris damnati recessit, & amplius non est inven-
C tum in terra ipsius nomen, neque locus.

Item quod ipse Clemens post multas tribulationes apud Civitatem Viterbii in Vigilia Beati Andreæ Apostoli ad Dominum migravit, & in Ecclesia Prædicatorum à Clero & Populo honorifice fuit sepultus cum magnis lacrymis & suspiriis Anno à Nativitate Domini MCCLXVIII. Qui quidem rexit Ecclesiam tribus annis & novem mensibus, Ludovico Rege in Francia regnante, & Imperio tunc vacante.

Item quod post decessum dicti Clementis Papæ Anno à Nativitate Domini MCCLXX. Sede Apostolica tunc vacante præfatus illustris Ludovicus Rex Franciæ, qui postea meritis suis à Sede Apostolica tamquam verus
D Sanctus exstitit canonizatus, cum tribus filiis suis, & Rege Navarræ genero suo, Sedis Apostolicæ Legato, & multis Ducibus, Comitibus, Baronibus, & multis aliis, & cum Radulpho Cardinale iterum ultra mare pro Christi amore contra pestiferos Saracenos perrexit, & ad Portum Carthaginensem prope Tunicium cum dicto Legato & suo exercitu ipse primò supervenit. In quo quidem Portu tanta multitudo Saracenorum supervenit, quod ipse cum suo exercitu ad terram tunc exire non valuit. Quum autem ipsi Saraceni ulterius se defendere non possent, ab ipso Portu recesserunt & fugerunt, & dictus Ludovicus
E cum suo exercitu terram recepit, & deinde dictam Civitatem Carthaginensem obsedit, & eam finaliter cum multis Castris circumvicinis cepit. Et in circuitu ipsius Civitatis castra & tentoria sua idem Rex poni & affigi fecit. Quumque cotidie inter Crucesignatos & dictos Saracenos de die & de nocte fierent prœlia & insultus, tunc in Crucesignatos innumerabilis infirmitas supervenit, in tantum quòd inter alios de majoribus Johannes Comes Vivariensis filius dicti Regis, & postea dictus Cardinalis Legatus, & Episcopus Albanensis de hoc seculo migraverunt.

Item quod postea hujusmodi infirmitas ad dictum Ludovicum devenit, & eum fortiter arripuit in tantum, quòd post paucos dies ad Christum migravit in Vigilia Beati Bartholomæi Apostoli, Anno, quo supra; quamvis postea per Sedem Apostolicam fuerit ordinatum, quòd ipsius transitus in crastina diei Festi dicti Apostoli, propter ipsius Vigiliam & Festum in Ecclesia celebraretur. Cujus quidem Corpus cum magna reverentia & honore postea in Franciam exstitit delatum. Verumtamen antequam hujusmodi corpus deportaretur, tunc Carolus Siciliæ, Comes Provinciæ & Andegavensis cum magna militia in succursum dicti Ludovici fratris sui, prout ipse mandaverat, sibi supervenit. De cujus adventu inter Crucesignatos magna lætitia fuit. Qui quidem Rex Siciliæ habuit magnum consilium & dèliberationem cum aliis Principibus, Ducibus, Comitibus, & Baronibus, qui agnoverunt, quod illam terram, quam jam de novo ipsi Crucesignati acquisiverant ibidem, ex certis & rationalibus caussis absque magno periculo & laboribus & expensis tenere neque possidere ipsi non possent. Quo quidem consilio celebrato post multos tractatus talis concordia inter ipsos Crucesignatos & dictos Saracenos fuit subsequuta, quod tota prædicta Terra noviter per eos Crucesignatos acquisita tributaria dicto Regi Franciæ, & suis perpetuò remaneret atque subjecta, & omnes Christiani per dictos Saracenos captivati, liberi remanerent, & quod in omnibus Ecclesiis & Monasteriis in Civitatibus, Castris, & Villis per Christianos constructis totius illius Regni per Mendicantes & alios quoscumque Clericos, vel Religiosos verbum Dei exponere & prædicare libere, & etiam baptizari volentes, ipsos baptizare possent, & plura alia pacta inter eos celebrata, & jurata fuerunt; quæ quidem singula scribere, nimis longa essent.

Item quod peractis hujusmodi pactis & conventionibus supradictis Eduardus Rex Angliæ cum magno exercitu tunc supervenit, & postea receptis treugis cum dictis Saracenis ipse ad propria remeavit, & Carolus Rex Siciliæ, & Philippus Rex Franciæ Nepos suus, & Ricardus filius Regis Alamanniæ cum multis aliis Magnatibus ex alia parte à dicto Regno Tunicii recesserunt, & in Franciam cum Corpore Sancti Ludovici prædicti cum magno gaudio & triumpho redierunt, unde quia omnia gesta Crucesignatorum ex providentia Sedis Apostolicæ fuerunt subsequuta, ideo inter alia gesta Romanorum Pontificum merito hic, & in aliis Chronicis supradictis ipsa interseruntur.

DE GREGORIO X.

GREGORIUS X. natione Lombardus de Placentia Civitate post dictum Clementem Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXCIV. Anno à Nativitate Domini MCCLXXI. prima die mensis Septembris post vacationem duorum annorum, & novem mensium.

Item quod ipse Gregorius ante suam promotionem Theobaldus Archidiaconus Leodiensis vocabatur, qui quum ipse ivisset caussâ devotionis ultra mare, & ibi tunc existens cum Eduardo Regis Angliæ primogenito apud Viterbiensem Civitatem à Cardinalibus post

post eorum plures discordias concorditer fuit in Papam electus, qui quum postea literas & Nuntios de sua promotione ultra mare recepisset, statim ipse navigando per mare ad Regnum Siciliæ exstitit perductus, & deinde cum Carolo Rege Siciliæ apud Urbem, ubi erant Cardinales IV. Idus Februarii ipse pervenit, & postea apud Urbem Romanam accessit, & ibi solemniter fuit receptus, & coronatus VI. Kal. Aprilis anno, quo supra; de quo quidem Johannes Cardinalis & Episcopus Portuensis composuit versus qui sequuntur: A

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia fratrum. B

Item ipse Gregorius Papa post suam promotionem fecit quinque solemnes Cardinales, qui erant magni Clerici, inter quos fuit Frater Petrus de Tarantasia, Ordinis Prædicatorum, Magister summus in sacra Pagina, tunc Archiepiscopus Lugdunensis, qui postea fuit Papa, & Innocentius Quintus vocatus exstitit. Alter autem fuit Frater Bonaventura Ordinis, & Minister Generalis Fratrum Minorum in sacra Pagina etiam summus Magister.

Item quod postea ipse Gregorius apud Lugdunum magnum & solemne Concilium generale celebravit, videlicet Anno Domini MCCLXXIV. in mense Maji, & anno sui Pontificatus tertio, in quo quidem Concilio multa bona tractavit, constituit, atque ordinavit, & maxime inter alia de subsidio Terræ Sanctæ ultramarinæ, quod si commode posset, ipse personaliter visitare intendebat. C

Item in dicto Concilio tractavit remedium super electione cujuslibet Romani Pontificis futuri propter diuturnam vacationem, & discordias, quæ ante suam promotionem fuerunt inter Cardinales, ac etiam super statu Ecclesiæ universalis, in quo quidem Concilio Græcorum, & Tartarorum Nuntii solemnes affuerunt, qui quidem Nuntii Græcorum, & Episcopi ipsorum, qui ibi tunc erant præsentes non coacti, sed bona fide in Orthodoxiam consentientes, unitatem Ecclesiæ Romanæ publice, & solemniter observare promiserunt, & in signum hujusmodi perfectæ obligationis eorum, statim in Græca Lingua, in præsentia ipsius Gregorii, & totius Concilii Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere confessi fuerunt, & hanc confessionem decantaverunt, & ex certa scientia ipsam approbaverunt, pro ut in Symbolo ipsius Gregorii, & in sua Decretali publicata postea plene continetur. Nuntii autem dictorum Tartarorum in præsentia dicti Concilii baptizati exstiterunt, & Fidem Catholicam ipsi expresse confessi fuerunt; In quo quidem Concilio quingenti Episcopi, & Abbates septuaginta, & Prælati circa mille & amplius, & Rex Aragonum, & Beatus Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum, vitâ & scientiâ præclarus, interfuerunt. D

Item quod quum postea dictus Gregorius Papa ex certis caussis de Lugduno apud Belicadrum pervenisset, tunc sibi occurrit Alphonsus Rex Castellæ, qui jus in Imperio Romano se habere asserebat. Qui quum ipse Rex ab ipso Gregorio de jure plene informatus fuisset, statim ipse Rex omni juri, si quod sibi competebat in dicto Imperio, cum literis suis, & instrumentis authenticis, in manibus ipsius Gregorii libere renuntiavit. D

Item quod quum ipse Gregorius se expedivisset de dicto Rege Castellæ, statim apud Civitatem Viennensem ipse perrexit; quumque ibi fuisset, unam magnam Episcoporum consecrationem fieri fecit. Qua quidem celebrata apud Civitatem Lausanensem ipse accessit ubi Radulphus electus in Imperatorem cum uxore & filiis suis supervenit. Qui quidem sibi præstitit fidelitatis juramentum, & deinde suam electionem approbavit, & eam confirmavit.

Item quum ipse Gregorius summe anhelaret personaliter visitare Terram Sanctam, ideo super hoc dictum Radulphum electum in Imperatorem, & Philippum Regem Franciæ invitavit pariter & induxit maxime quia dictus Radulphus semper ad hoc intendebat ibi vitam suam finire. Quare ipsi Crucis signaculum receperunt, & pro faciendo Passagio tunc paraverunt se.

Item quod quum ipse Gregorius valde circa dictum Passagium faciendum esset intentus, ideo ipse in Italiam fuit reversus, & in Civitatem Aretii, quæ est in Tuscia, exstitit ingressus. Qui quidem ibi infirmari incœpit; quumque ipse Gregorius summe pro Ecclesia Romana laborasset, etiam Christi pauperes, orphanos, pupillos, & Viduas educasset, atque ab obprobriis eos defendisset, pacem & concordiam inter discordantes ubique apposuisset, & multa alia bona ipse fecisset, Altissimus eum convocavit, & tunc de hoc seculo ad Dominum migravit IV. Idus Januarii anno à Nativitate Domini MCCLXXV. ubi, pro ut dicitur, Deus pro eo ostendit plura & diversa miracula.

DE INNOCENTIO V.

INNOCENTIUS V. natione Burgundus de Tarentasia Civitate Sabaudiæ, post dictum Gregorium Papam apud Aretium Civitatem Tusciæ in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXXV. anno à Nativitate Domini MCCLXXV. in die Sanctæ Agnetis Virginis.

Item quod ipse Innocentius ante suam promotionem Frater Petrus de Tarentasia Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Archiepiscopus Lugdunensis vocabatur, qui post à Sancto Gregorio Papa X. Cardinalis Ostiensis factus, & post dictum Gregorium in Romanum Pontificem fuit assumtus in dicta Civitate Aretii Tusciæ, & deinde apud Urbem Romanam in Ecclesia Sancti Johannis Lateranensis cum magna solemnitate exstitit coronatus.

Item ipse post suam promotionem modicum supervixit, & quia multa bona facere intendebat, morte præventus adimplere non potuit. Verumtamen venerabilem virum, & magnificum Clericum Bernardum de Castaneto Montispessulani sui sacri Palatii Auditorem ad Episcopatum Albiensem promovit, & postea exstitit Cardinalis & Episcopus Portuensis. Qui quidem Innocentius decessit vicesima secunda die mensis Junii, mense quinto sui Pontificatus, & in Ecclesia Lateranensi Urbis Romæ honorifice fuit sepultus, & rexit Ecclesiam quinque mensibus, & duobus diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem & octo diebus.

DE ADRIANO V.

ADRIANUS V. natione Januensis, post dictum Innocentium Papam V. in Romanum Pontificem apud Urbem Romanam in Palatio Lateranensi à Cardinalibus fuit assumtus in mense Julii, & post beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CLXXXXVI. anno à Nativitate Domini MCCLXXVI.

Item quod iste Adrianus ante suam promotionem Ottobonus vocabatur, qui Nepos Innocentii IV. fuit, & eum Diaconum Cardinalem tituli Sancti Adriani fecit & creavit. Quem postea Clemens Papa IV. in Angliam pro pace tractanda inter Regem Angliæ, & suos Barones tunc invicem præliantes Legatum transmisit.

Item quod iste Adrianus Papa post suam promotionem quamdam Constitutionem, quam Gregorius Papa X. fecerat, & ipsam jam ediderat, super electione cujuslibet summi Pontificis Romani, ex certis caussis suspendit, quia aliter ipsam ordinare intendebat. Sed quia interim ipse fuit morte præventus, ideo dicta Constitutio sic suspensa remansit.

Item iste Adrianus postea de Urbe Romana apud Civitatem Viterbiensem accedens, quadraginta diebus nondum à sua promotione completis, nec ad Sacerdotium adhuc promotus, nec etiam consecratus, nec coronatus, in dicta Civitate Viterbiensi decessit decima octava die mensis Augusti, & in Ecclesia Fratrum Minorum à Clero & Populo honorifice fuit sepultus anno, quo supra. Et tunc vacavit Sedes Apostolica viginti & octo diebus, Radulpho Imperatore tunc regnante.

DE JOHANNE XXI.

JOHANNES XXI. natione Hispanus Ulixibonensis Civitatis oriundus, quæ est in Regno Portugalliæ post dictum Adrianum Papam V. in Romanum Pontificem fuit assumtus apud Viterbium tertiâ decimâ die mensis Septembris, & post beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXCVII. anno à Nativitate Domini MCCLXXVI.

Item quod ipse Johannes ante suam promotionem Magister Petrus Juliani Cardinalis vocabatur, & Episcopus Tusculanus. Qui quidem in diversis scientiis famosus fuit & subtilis in tantùm quòd propter suum ingenium & subtilitatem, ac summam scientiam erat multùm imaginativus; propter quod industriâ naturali carere ipse videbatur.

Item quod quamvis iste Johannes Papa talis omnibus videretur, tamen aliis ipse quamplurimùm in multis summarie fuit laudabilis, & virtuosus, nam tam pauperibus, quàm divitibus communem se exhibebat, & Clericos literarum studiosos fovebat, & multa alia bona faciebat.

Item quod quum summo tempore crederet vivere, & sic coram omnibus hoc quotidie diceret, subitò una die quum ipse esset solus in quadam camera, quam novam ipse fieri fecerat juxta Palatium suum, ipse solus cum dicta camera corruit, & deinde inter lapides & ligna ipsius cameræ valde exstitit conquassatus in tantùm quòd post sex dies circa occasum Solis exspiravit, Sacramentis tamen Ecclesiasticis jam per eum devote receptis. Et postea apud dictam Civitatem Viterbiensem in Ecclesia Cathedrali Sancti Laurentii à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Et rexit Ecclesiam novem mensibus, & octo diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica sex mensibus secundùm Martinum Polonum, qui omnes Chronicas à prædicto Ricardo Monacho Monasterii Cluniacensis usque hìc dictavit & compilavit.

DE NICOLAO III.

NICOLAUS III. natione Romanus, de Domo Ursinorum post dictum Johannem XXI. in die Sanctæ Catharinæ in Romanum Pontificem fuit assumtus, & postea in die Sancti Stephani Protomartyris, qui fuit dies Dominica in Ecclesia Sancti Petri Apostoli Urbis Romæ exstitit coronatus; & post beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXCVIII. anno à Nativitate Domini MCCLXXVII.

Item quod iste Nicolaus ante suam promotionem Johannes Gaitanus tunc Diaconus Cardinalis tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano denominabatur. Qui quidem novem Cardinales viros scientiâ & sacræ experientiâ Scripturæ decoratos ipse fecit, & de novo eos creavit. Et postea cum magna prudentia & cautela à Radulpho Rege Romanorum, & omnium Principum totius Alamanniæ super restitutione libera & confirmatione, olim à magno Constantino, & suis successoribus, Ecclesiæ Romanæ factis & celebratis de Romandiola, & Exarchatu Ravennæ ipse meruit obtinere. Et deinde propter plures, & diversas opiniones multorum Regulam Sancti Francisci solemniter declaravit pro ut in quadam sua Decretali pleniùs continetur.

Item quia Corpus devotæ hospitissæ Christi, videlicet gloriosæ, & summæ ac recolendæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ, tempore ipsius Nicolai noviter nutu divino à Christifidelibus inventum fuit, ideo meritò de ipsa non est prætermittendum, immo omnibus Christianis intimandum, maxime quia de ipso Corpore sacro, in quo loco ipsum erat Corpus, nulla certitudo inveniebatur. Nam aliqui dicebant, quod ipsum sanctum Corpus esse debebat in quodam Oratorio, quod hodie Sanctus Maximus communiter denominatur, juxta quod ipsa pœnitentiam egerat. Alii autem asserebant & dicebant, illud à Girardo Comite tunc Burgundiæ apud Monasterium de Versiliaco olim fuisse translatum tempore Zachariæ Papæ. Et gratiâ Dei superveniente super hoc veritas exstitit reperta. Nam anno à Nativitate Domini MCCLXXIX. die nona mensis Decembris Pontificatus dicti Nicolai anno tertio, ab illustrissimo & Catholico Principe Carolo Rege Siciliæ primo, & Comite Provinciæ, illud gloriosum & sanctum Corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ in dicto Oratorio fuit mirabiliter inventum. Nam ipse Princeps cum magnis laboribus & expensis hujusmodi gloriosum & sanctum Corpus ex magna devotione, quam ipse de ea gerebat, specialiter & diligentissime perquiri fecerat. In quo quidem Oratorio unam magnam & solemnem Ecclesiam, & ipsius Sepulcrum seu capsam miro modo fabricatam cum auro & argento & cum lapidibus pretiosis exornatam ædificari fecit ad ipsius gloriam & honorem. In qua quidem Ecclesia postea poni statim fecit Conventum Fratrum Prædicatorum, & ipsum Conventum multis bonis dotavit.

Item quod quum Princeps prædictus invenisset Corpus, statim convocavit Archiepiscopos Narbonensem, Arelatensem, & Aquensem, & suffraganeos ipsorum Archiepiscoporum, & alios quamplurimos Prælatos, ut certa die per eum præfixa apud dictum Oratorium pro levando de terra dictum Corpus sanctum, & illud super Altare exaltando, & ibi ipsum recondendo ipsi interesse deberent. Quumque die prædicta omnes Prælati supradicti in dicto loco venissent, tunc dictus Princeps cum eis, & Militia sua, & cum multitudine gentium copiosa, & cum magnis canticis, hymnis, & laudibus, ac cum summa solemnitate & devotione, prædictum Corpus sacrosanctum de loco, ubi erat, receperunt, & super Altare in dicta Capsa honorifice deposuerunt, & postea in una theca auro & argento, ac lapidibus pretiosis etiam fabricata gloriosum ipsius Corpus reposuerunt, ut exinde à Christifidelibus ipsum videri, osculari, & adorari possit. In quibus quidem capsis ipsius Caput, & sacrosanctum Corpus cum magna dictorum Fratrum Prædicatorum veneratione conservantur; & quotidie ab ipsis Christifidelibus ex diversis Mundi partibus cum suis oblationibus visitantur. Et à Christo hospite suo pluribus & diversis miraculis evidentissimis die nocteque suffragium ipsius hospitæ suæ implorantibus aperte fiunt atque demonstrantur. Cujus quidem Translatio exstitit facta tertio nonas Maji anno à Nativitate Domini MCCLXXX. Pontificatus ipsius Nicolai Papæ anno ultimo, qua die ipsa in dicta Ecclesia celebratur.

Item iste Nicolaus Papa postea existens infirmus in Castro Firmano, loquelam suam perdidit, & subitò ipse decessit octava die Assumtionis Beatæ Mariæ, & in Capella Sancti Nicolai, quæ est in Ecclesia Sancti Petri Apostoli Urbis Romæ à Clero & Populo honorifice fuit sepultus anno, quo supra. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis, octo mensibus, minus quatuor diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica sex mensibus.

DE MARTINO IV.

MARTINUS IV. natione Gallicus, de Bria Campaniæ, in Ecclesia Turonensi exstitit Canonicus præbendatus; aliàs dicitur, quod ipse erat Turonensis, qui post dictum Nicolaum Papam III. in Romanum Pontificem fuit electus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CXCIX. Anno à Nativitate Domini MCCLXXX.

Item quod ipse Martinus Papa ante suam promotionem Simon vocabatur, & erat tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, qui longo tempore in Francia exstiterat Sedis Apostolicæ Legatus. Et in Civitate Viterbiensi fuit electus, & in Civitate Urbis Veteris exstitit coronatus. Et post suam coronationem statim quinque Cardinales de novo fecit, quorum quatuor Presbyteri, & unus Diaconus, videlicet Hugonem Anglicum tituli Sancti Laurentii in Lucina, Gervasium tituli Sancti Martini in Montibus, Gaufridum Burgundum tituli Sanctæ Susannæ, Johannem Chauleti Sanctæ Cæciliæ, & Benedictum Gaitani de Anagnia tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, qui postmodum fuit Papa, & Bonifacius Octavus nuncupatus.

Item quod postea tempore ipsius Martini Papæ, videlicet Anno à Nativitate Domini MCCLXXX. in Regno Siciliæ, Panormitani contra Gallicos, qui ibidem morabantur, quasi rabie succensi tam masculos, quàm fœminas, juvenes & senes in vituperium & contemtum dicti Caroli Regis Siciliæ occiderunt, & ulterius (quod fuit valde detestabile) mulieres & uxores suas prægnantes, quæ, prout dicebatur, à Gallicis prægnatæ fuerant, & partus ipsarum occidebant, antequam de ventribus ipsarum nascerentur, & nihilominus contra dictum Carolum Regem suum conspirare & rebellare incœperunt. Et deinde Petrum Regem Aragoniæ, qui habebat filiam nomine Constantiam dicti Manfredi filii illegitimi, seu bastardi quondam Friderici Imperatoris damnati, & in prœlio campestri ab ipso Carolo tamquam usurpatoris Regni Siciliæ, atque tyranni cum triumpho devicti, in Dominum elegerunt, & tamquam verum Dominum & naturalem requisiverunt. Propter quod ipse Rex Aragonum super hoc fecit magnum apparatum, asserens & dicens prædictum Regnum Siciliæ ad se de jure pertinere.

Item quod quum dictus Carolus omnia præmissa attendisset, ideo statim intravit cum magno exercitu Insulam Siciliæ, & deinde Civitatem Messanam sibi rebellantem fortiter obsedit, & Civitatem ipsam viriliter expugnavit. Quum autem dictus Petrus Rex Aragonum audivisset, statim cum suo magno exercitu finxit se ire in Sardiniam contra inimicos suos, sed deinde apud Siciliam prædictam pervenit, & versùs dictam Civitatem Panormitanam gressus suos direxit. Quumque ad audientiam prædicti Caroli Regis pervenisset, præhabito tamen consilio & deliberatione à dicta obsidione recessit, & in Calabriam accessit, dubitans, quod propter malitiam gentium illius Insulæ sibi & suis victualia deficerent, prout in fidelitate & homagio sibi deficiebant.

Item postea dictus Petrus Aragonum Rex post recessum dicti Caroli Regis statim contra inhibitionem ipsius Martini Papæ atque voluntatem, totam Insulam Siciliæ occupavit, & in Regem ipsius ibi solemniter se fecit coronari. Propter quæ excommunicationis sententiam ipse incurrit. Unde dictus Martinus Papa postea dictum Regem Aragoniæ præhabito magno consilio & deliberatione, à Regno Aragoniæ, & ab omni jure, quod ab Ecclesia tenebat, sententialiter ipsum privavit, & eum, præsente gentium multitudine copiosa condemnavit. Cujus Regni dispositionem, & aliarum terrarum suarum ipse Martinus Papa sibi reservavit.

Item quod quum postmodum dictus Carolus videns, quod propter malitiam gentium Insulæ Siciliæ, ad ipsum contra dictum Regem Aragoniæ commode ipse ire non posset, ut optabat, iste Carolus dictum Regem diffidavit, offerens se paratum, duellum contra ipsum recipere, tamquam Ecclesiæ & sui proditorem, ubicumque ipse vellet, dum tamen ipse locus esset sibi securus, Anno à Nativitate Domini MCCLXXXII. Quumque ipsi ambo Reges hujusmodi duellum recepissent, & ipsum apud Burdegalam juramento & pactis ac pœnis diversis hinc inde fortissime firmatis, videlicet, quod ipsi duo Reges cum centum militibus ab utraque parte electis in planicie ante dictam Civitatem Burdegalensem

em ad invicem pugnare deberent, anno sequenti primâ mensis Junii, & illi qui de ipsis duobus Regibus tunc esset devictus perpetuò esset infamis, & omni honore & dignitate Regia remaneret privatus, & quod deinceps ille devictus uno solo servo esset contentus, & quod nihilominus unus prædictorum Regum in prædictis deficiens perjurium, & omnes pœnas supradictas incurrere deberet.

Item quod quum postea dictus Carolus Rex Siciliæ cum Philippo Rege Franciæ nepote suo, & uno Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, & multâ ac magna militia ad locum per ambos Reges electum, & ad diem per ipsos præfixam pervenisset ad complendum & faciendum omnia, quæ ibi facere promiserant, tamen dictus Rex Aragonum promissa & jurata per eum adimplere non curavit, sed more Catalonico, nocte præcedenti & dissimulate cum duobus sociis dumtaxat in campo apparuit, nullo alio tunc ibi præsente pro sua excusatione salva, & de sua comparitione, ut fertur, fieri fecit publicum instrumentum. Et deinde coram Senescallo Burdegalensi, tum pro Rege Angliæ de prædictis se multipliciter excusavit, asserens & dicens inter alia, quod propter præsentiam Regis Franciæ pacta, quæ juraverat, & observare promiserat, observare non poterat, nec audebat.

Item quod postea dictus Martinus Papa, videlicet Anno à Nativitate Domini MCCLXXXIII. contra dictum Regem Aragoniæ suum processum fecit, ipsum excommunicando, anathematizando, & Regnum Ecclesiastico interdicto supponendo, & postea ipsum à Regno totaliter deposuit, & omni Regia dignitate eum privavit, & deinde Regnum Aragoniæ Carolo filio Philippi tunc Regis Franciæ perpetuò dedit & assignavit, & per consequens dictus Carolus Rex Siciliæ navigiorum & gentium in Provincia magnam congregationem fecit.

Item quum postea Carolus primogenitus dicti Caroli Siciliæ Princeps, & Comes Provinciæ, cum magno exercitu per mare versùs partes Neapolitanas perrexisset, cum magna fraude & dolo, ut dicitur, à Capitaneo Galearum Regis Aragoniæ, nomine Rogerio de Loria in mari cum magna sanguinis effusione prope Neapolim fuit captus, & deinde apud dictam Messanam Civitatem ad dictum Regem Aragoniæ exstitit perductus, à quo in quodam Castro fortissimo pro custodia ipsius pluribus annis captus atque detentus fuit, sed postmodum ab hujusmodi captione, tradito uno filio in loco suo, fuit liberatus.

Item quod postmodum Anno à Nativitate Domini MCCLXXXIV. Carolus Rex Siciliæ cum magno exercitu per mare ad Siciliam de Provincia iter suum arripuit, atque accessit. Quumque juxta Civitatem Pisanam ipse portum recepisset, tum rumores de captione Caroli filii sui primogeniti Principis & Comitis Provinciæ ad eum pervenerunt, & nihilominus deinde cum toto suo exercitu in Apulia exstitit ingressus, ubi post paucos dies ipse infra mare incœpit infirmari. Et deinde anno, quo supra, die apparitionis Stellæ Domini, & Regni sui vigesimo de hoc seculo ipse migravit. Cui quidem successit in suo Regno dictus Carolus filius suus in Aragonia captus, qui secundus denominatur.

Item quod ipse Martinus Papa post multos labores, afflictiones, & tribulationes, apud Civitatem Perusinam quinto Kal. Aprilis ad Dominum migravit Anno Domini MCCLXXXV. ubi à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. In cujus monumento, ut fertur, multa pro eo Deus fidelibus miracula facit atque ostendit.

DE HONORIO IV.

HONORIUS IV. natione Romanus, qui Jacobus de Sabello Diaconus Cardinalis priùs vocabatur, die quarta post decessum dicti Martini Papæ V. apud Perusium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CC. Anno à Nativitate Domini MCCLXXXV. quarto Nonas Aprilis. Sed postea in die Sancti Martini apud Urbem Romanam ipse exstitit solemniter consecratus, pariterque coronatus.

Item quod tempore hujusmodi Honorii Papæ, anno, quo supra, Philippus Rex Franciæ cum suo filio Philippo primogenito, tunc Rege Navarræ, & cum Carolo filio suo, tunc Rege Aragoniæ denominato, ex promissione per Sedem Apostolicam sibi antea facta, nec non etiam cum Johanne Calveti Cardinale Sedis Apostolicæ Legato, collecto magno exercitu Crucesignatorum contra Petrum Aragonum Regem pro obtinendo Regnum suum accessit, & per Perpinianum versùs Cataloniam ipse perrexit. Et deinde apud Civitatem Gerundensem tempore æstivo pervenit, & eam obsedit, & fortiter contra ipsam Civitatem die nocteque debellavit. Sed dictus Rex Aragonum non erat ausus recipere bellum campestre cum Rege Franciæ supradicto, nec publice apparere; sed de sero, vel de mane, seu de nocte inexcogitato adventu suo, quandoque ab uno latere, quandoque ab alio, & quandoque etiam ad caudam, seu ultimam partem contra exercitum ejusdem Regis Franciæ cum suis gentibus irruebat, & ipsum subitò invadebat, & postea cum magno impetu ad suum fortalitium, in quo ipse latitabat, fugiebat. Sed finaliter ultione divina ipse evadere nequivit; nam quum quadam die talem invasionem contra exercitum dicti Regis fecisset, tunc à quadam parte exercitus dicti Regis Franciæ fuit hostiliter præventus, & taliter vulneratus, quod post paucos dies ex illo vulnere ipse decessit. Quumque debellando hujusmodi Civitatem Gerundensem magna epidemia, seu gravis infirmitas in exercitu ejusdem Regis Franciæ supervenisset, in tantum, quod cotidie ibi morerentur, idcirco prædictus Rex Franciæ dictam obsidionem dimisit, & versùs Regnum suum recessit. Quum autem apud Villam de Perpiniano cum gentibus suis ipse venisset, tunc ipse Rex Franciæ ægrotare incœpit, & deinde post paucos dies ipse ibi decessit, videlicet Nonis Octobris anno, quo supra; cujus corpus apud Parisius fuit delatum & ibi sepultum. Et sic Carolus filius suus nec tunc, nec postea Regnum Aragoniæ potuit obtinere, nam inter Carolum de consensu Regis Franciæ fratris sui, & Petrum Aragonum Regem novum, & mediante & tractante Ecclesia Romana, aliter fuit ordinatum.

Item anno sequenti Fratres Ordinis Carmeli-

melitarum ab ipso Honorio gratiam specialem obtinuerunt, ut ipsi Cappas barratas, quas tunc portabant, dimittere possent, & in loco ipsarum de cetero Cappas albi coloris ipsi deportare deberent.

Item quod iste Honorius post multos labores & tribulationes apud Urbem Romanam ad Dominum migravit, & postea à Clero & Populo honorifice fuit sepultus in Ecclesia Sancti Petri juxta Nicolaum Papam III. anno quo supra. Qui quidem rexit Ecclesiam duobus annis. Et tunc vacavit Sedes Apostolica à quarto Nonas Aprilis usque ad subsequens festum Cathedræ Sancti Petri Apostoli, Radulpho Imperatore tunc regnante.

DE NICOLAO IV.

NICOLAUS IV. natione Lombardus de Esculo Civitate Marchiæ Anconitanæ, post dictum Honorium Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CCI. Anno à Nativitate Domini MCCLXXXVIII.

Item quod ipse Nicolaus ante suam promotionem Frater Hieronymus Ordinis Fratrum Minorum vocabatur, qui tunc fuit Minister Generalis ejusdem Ordinis, & postea Presbyter Cardinalis. Qui quidem anno primo sui Pontificatus fecit & creavit novos Cardinales, inter quos fecit fratrem suum Hugonem de Biliomo Ordinis Prædicatorum Magistrum in sacra Pagina, & Fratrem Matthæum de Aquasparta Magistrum Generalem Fratrum Minorum, qui postea fuit Episcopus Portuensis.

Item quod anno primo Pontificatus ipsius Nicolai Tripolis Civitas Christiana à Soldano Babyloniæ, & Saracenis capitur cum magna sanguinis effusione Christianorum, & ipsorum captivitate. Et eodem anno inter Regem Franciæ & Eduardum Regem Angliæ summa guerra fuit exorta; pro quorum pace inter eos facienda duo Cardinales ad eos missi fuerunt, videlicet Benedictus Gaitani, & Gerardus de Parma; sed ipsi super hoc parum profecerunt. Et in isto etiam anno Carolus Rex Siciliæ à sua captivitate de Aragonia liberatur, duobus tamen filiis suis loco ipsius ad observandum pacta inter eos habita pro obsidibus datis.

Item quod postea anno à Nativitate Domini MCCXC. Acon Civitas cum magna Christianorum sanguinis effusione, & ipsorum captivitate per Soldanum & Saracenos capta fuit. Et in isto anno dictus Nicolaus post multos labores & tribulationes ad Christum migravit apud Urbem Romanam, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris à Clero & Populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit Ecclesiam quatuor annis, & amplius, hoc est à festo Cathedræ Sancti Petri usque ad diem Veneris Sanctam subsequentem. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus annis, & quasi tribus mensibus.

DE CÆLESTINO V.

CÆLESTINUS V. Heremita natione Terræ Laboris prope Sulmonem fuit oriundus, & casu inopinato septima die Julii post dictum Nicolaum Papam IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & in Civitate Perusii, ad quam Cardinales post mortem dicti Nicolai

A Papæ se transtulerant, ipse fuit electus, & postea in Aquila Civitate die Decollationis Sancti Johannis Baptistæ exstitit coronatus, & post beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CCII. anno à Nativitate Domini MCCXCIV.

Item quod iste Cælestinus ante suam promotionem Frater Petrus de Morono Ordinis Sancti Damiani ipse fuit, pro ut fertur; qui quidem Ordo, ut dicitur, sub Regula Sancti Benedicti constitit, & tunc ipse non ut Monachus, sed quasi Heremita in heremo stabat, cum magna vitæ austeritate, & discipulorum societate; nam ipse tunc in partibus illis multos discipulos habebat, quorum omnium ipse pater existebat.

B Item electio ipsius Cælestini fuit summe admiranda & inopinata, nam Cardinales in tanta divisione & duritia ad conveniendum, seu eligendum futurum Romanum Pontificem tunc fuerunt, quod per duos annos & amplius, quibus super hoc ipsi convenire non potuerunt, tamdem in ipsum Cælestinum vota sua direxerunt, & ipsum, de quo ipsi Cardinales famam sanctitatis & bonæ opinionis audiverant, in Papam elegerunt. Et postea in partibus Apuliæ, in quibus vitam heremiticam ipse ducebat, decretum Electionis ad eum transmiserunt. Qui quum ipse deinde veniens, & in Civitate Aquila coronatus fuisset, postea apud Neapolim perrexit, ubi multos Cardinales de novo ipse fecit.

C Item quod quum ipse Cælestinus postea attendisset, ipsum non esse idoneum ad regendum hujusmodi Papatum, maxime quia orationi & vitæ perfectioni, pro ut consueverat, ipse assidue vacare non poterat; idcirco unam Constitutionem noviter ipse fecit, & deinde eam publicavit, quòd Romanus Pontifex Papatui renuntiare libere poterat, ad finem, quòd si dicto Papatui renuntiaret, nullus super hoc dubitaret, neque eum impediret. Nam viri imperfecti, & scholastici curiosi inter se frequenter super hoc disceptabant atque dubitabant.

D Item factâ & publicatâ per eum hujusmodi Constitutione, postea ipse existens in suo Consistorio cum Cardinalibus suis apud Neapolim in Vigilia Sanctæ Cæciliæ, tunc in præsentia ipsorum oneri atque honori Papatus renuntiavit, & deinde omnia Papalia insignia & ornamenta ibi deposuit, & à se penitus ipse abdicavit. De qua quidem renuntiatione exstiterunt universi per Mundum universum admirati.

Item facta hac renuntiatione postea ipse Cælestinus fugere voluit, & latitare incœpit; nam ipse in heremum redire summe affectabat. Unde Bonifacius Octavus, qui sibi in Papatu immediate successit, caute attendens sibi, & Ecclesiæ Romanæ multa scandala &

E pericula accidere posse, maxime quia jam apud nonnullos tam Clericos quàm Laicos in dubium vertebatur utrùm Romanus Pontifex resignare posset Papatum, quamvis dictus Cælestinus suam Constitutionem super hoc fecisset; ideo præfatus Bonifacius statim post suam promotionem ipsum Cælestinum tunc in fuga constitutum comprehendi per suos nuntios, & ad se eum adduci fecit. Et postea in quodam Castro fortissimo Fumonis sub fideli custodia, non tamen eidem Cælestino bene libera, etiam poni fecit, & ibi usque ad diem sui obitus detentus fuit. Qui quidem post resignationem uno anno, quatuor mensibus, & triginta die-

bus

bus supervixit, & XIV. Kal. Junii de hoc seculo migravit ad Christum, & in quodam Monasterio sui Ordinis, quod Sanctus Antonius de Ferentino vocatur in Ecclesia juxta majus Altare ipse fuit sepultus anno à Nativitate Domini MCCXCVI.

Item quia Deus coronam se diligentibus dare promisit, idcirco dicitur, quod ipse pro dicto Cælestino ante, & in morte, & post mortem suam multa miracula fecit evidenter atque ostendit; de quibus satis constat, quia ipse finaliter propter ipsa fuit canonizatus. Nam tempore Clementis Papæ V. hujusmodi omnia miracula coram ipso exstiterunt proposita, & clarissime probata. Quare ipse Clemens Papa ad instantiam & requisitionem Prælatorum, Principum, Cleri & Populi Romani ipsum Cælestinum, aliàs Fratrem Petrum de Murono supradictum, esse Sanctum, & à Deo in sua gloria constitutum, apud Avinionem solemniter, præsente gentium multitudine copiosa, pronuntiavit, & sub nomine Sancti Petri Confessoris catalogo Sanctorum Confessorum eum etiam aggregavit, tertio nonas Maji anno Domini MCCCXI. cujus festum celebratur XIV. Kal. Junii, qua die ipse ab hoc seculo migravit.

DE BONIFACIO VIII.

BONIFACIUS VIII. natione Campanus de Anania Civitate, post dictum Fratrem Petrum de Murono prædecessorem suum tunc viventem, apud Neapolim in Vigilia Sanctæ Luciæ Virginis in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum exstitit Papa CCIII. anno à Nativitate Domini MCCXCIV.

Item quod iste Bonifacius Benedictus Gaitani vocabatur; qui primò fuit Diaconus Cardinalis, & postea tempore suæ promotionis erat tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis. Qui quidem suam potentiam, & Papalem magnificentiam valde dilatare incœpit, in tantum quod tempore suæ promotionis mirabilia fecit. Sed ipsius mirabilia in fine sibi mirabiliter defecerunt, pro ut subsequentibus patet exemplis.

Item quod iste Bonifacius anno à Nativitate Domini MCCXCIV. & anno sui Pontificatus primo, statuit & ordinavit festa omnium Apostolorum, quatuor Evangelistarum, & quatuor principalium Ecclesiæ Doctorum, videlicet Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi sub honore & solemnitate duplici ab omnibus Ecclesiis universaliter celebrari debere.

Item quod iste Bonifacius anno secundo sui Pontificatus Abbatiam Sancti Antonii Canonicorum Regularium tunc Villæ Appamiarum, in Ecclesiam Cathedralem de novo erexit, & de ipsa Villa constituit Civitatem, & Bernardum Seichetti tunc ipsius Monasterii Abbatem, Episcopum primum instituit in eadem, & ipsam Ecclesiam cum certis & pluribus Ecclesiis & Monasteriis & reditibus diversis optime dotavit & limitavit.

Item ipse Bonifacius eodem anno secundo sui Pontificatus suum processum facere incœpit contra Columnenses occasione & causâ, quæ sequitur. Nam ipse dicebat quod Stephanus de Columna suum thesaurum fuerat deprædatus; propter quod inter ipsum Bonifacium & dictos Columnenses summa discordia exstitit suscitata in tantùm quòd Jacobus patruus & Petrus ejus nepos de Domo Columnensium, tunc Ecclesiæ Romanæ Cardinales contra ipsum Bonifacium quemdam Libellum famosum composuerunt, & ad plures & diversas partes ipsum transmiserunt, & publicari fecerunt, asserentes in ipso Libello, dictum Bonifacium non esse Papam, sed Cælestinum Papam V., quem captum ipse detinebat.

Item quod quum postea præmissa ad audientiam ipsius Bonifacii venissent, prædictos Jacobum & Petrum de Columna Cardinales coram se personaliter citari fecit. Sed quia ipsi coram eo comparere non curaverunt, ideo ipsos & quemlibet ipsorum tamquam veros & apprehensos contumaces declaravit atque pronuntiavit. Et deinde in suo Consistorio præsentibus aliis Cardinalibus, & multitudine gentium copiosa dictos Jacobum & Petrum Cardinales Capellis eorum rubeis, & omnibus beneficiis Ecclesiasticis & Præbendis, & omni titulo Cardinalatus, privilegio, commodo, & honore, ac dignitate solemniter privavit.

Item quod iste Bonifacius postea in die Ascensionis Domini, anno Domini MCCXCVII. præsentibus aliis suis Cardinalibus, & etiam multitudine gentium copiosa, omnia bona dictorum Jacobi & Petri olim Cardinalium, & omnium filiorum Johannis de Columna, videlicet Agapiti, Stephani, & Sciarræ confiscavit. Et nihilominus in detestationem ipsorum, tunc contra ipsos quamdam Constitutionem Decretalem, quæ est sub titulo de *Schismaticis*, Libro Sexto Decretalium situata, cum magna solemnitate edidit & publicari fecit. Propter quod dicti Jacobus & Petrus de Columna olim Cardinales à facie ipsius Bonifacii Papæ, eos viriliter persequentis recesserunt, atque fugierunt, & exinde præ timore ejusdem Bonifacii longo tempore usque ad mortem suam in Regno Franciæ ipsi latitaverunt.

Item quod ipse Bonifacius postea anno, quo supra, Sanctum Ludovicum Regem Franciæ tamquam verum Sanctum, & coram Deo in sua gloria constitutum pronuntiavit, & etiam eum canonizavit, & catalogo omnium aliorum Sanctorum Confessorum solemniter præsentibus suis Cardinalibus, & gentium multitudine copiosa aggregavit, & in omnibus Ecclesiis ipsum mandavit tamquam verum Sanctum haberi atque celebrari.

Item quum tempore ipsius Bonifacii Ecclesia Cathedralis Civitatis Albiensis longo tempore exstitisset Canonicorum Regularium, qui jura Ecclesiæ Albiensis atque bona, propter Tyrannos, & alios Nobiles potentes, & hæresim commode defendere, nec ita bene prosequi possent, quàm si essent Canonici Seculares, idcirco ad instantiam & requisitionem Bernardi de Castaneto Montispessulani tunc Episcopi Albiensis, qui postea fuit Cardinalis & Episcopus Portuensis, dictus Bonifacius anno, quo supra, voluit, statuit, & ordinavit, quod deinceps post mortem illorum Canonicorum Regularium, qui tunc erant, Canonici Seculares perpetuis temporibus ibi poni & institui deberent.

Item quod ipse Bonifacius anno, quo supra, omnes Decretales Extravagantes suas, & suorum prædecessorum sub brevibus, & in uno Volumine compilandas, ordinandas, & declarandas Guillelmo de Mandagoto Archiepiscopo Ebredunensi Diœcesis Nemausensis, Berengario Fredoli Castri de Bernia Magalonensis Diœcesis tunc Episcopo Biterrensi, & Ricardo de

de Senis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, & in Jure summis Doctoribus & expertis commisit. Qui quidem tamquam in scientia & doctrina valde gloriosi una cum dicto Bonifacio omnia & singula supradicta fideliter exsequuti fuerunt, & sub uno Libro, qui *Sextus Decretalium* nuncupatur, sub brevibus redegerunt, ut ex contentis in illo Libro satis constat evidenter.

Item quod quum ipse Bonifacius anno, quo supra Alphonsum olim Regem Aragoniæ de sententia excommunicationis, qua ipse erat ligatus, absolvit, & Regnum Aragoniæ de consensu Regis Franciæ restituit. Et postea ipse Papa ad sui supplicationem pro tempore Regnum Sardiniæ cum certis pactis, conditionibus, obligationibus, & conventionibus sibi concessit, maxime quia dictus Bonifacius talem Vassallum seu Vicarium Ecclesiæ Romanæ, quantùm ad illud Regnum, tunc invenire non poterat.

Item ipse Bonifacius anno à Nativitate Domini MCCXCVIII. nona die mensis Decembris fecit, & de novo creavit sex solemnes Cardinales, videlicet Archiepiscopum Toletanum, Ricardum de Senis suum Vicecancellarium, & quemdam alium Theodoricum, Fratrem Nicolaum de Trivisio Magistrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, Johannem de Murto Generalem Ministrum tunc Fratrum Minorum, in sacra Pagina summos Magistros, & unum, nomine Petrum Hispanum. Et postea anno sequenti Albertus Dux Austriæ electus in Imperatorem, ut dicebat, suos solemnes Nuntios dicto Bonifacio pro confirmanda sua electione transmisit. Quam quidem electionem ipse Bonifacius post multas allegationes & tractatus refutavit, & ipsam pronuntiavit penitus fore nullam.

Item quod ipse Bonifacius Papa anno à Nativitate Domini MCCC. dedit & concessit plenissimam peccatorum Indulgentiam omnibus Christifidelibus, qui infra illum annum limen Apostolorum Petri & Pauli visitarent, & per quindecim dies visitando ipsa & alia Sanctuaria, ibi starent. Et nihilominus ipse Bonifacius ad honorem Dei, & ejus Matris, & ipsorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium civium supernorum, ac pro salute animarum Christi fidelium, statuit & ordinavit, quod consimilis Indulgentia omni anno Centenario perpetuis temporibus apud Urbem Romanam esse deberet, seu fieri concessit.

Item quod quum præfati Jacobus & Petrus de Columna, antea Cardinales, præ timore dicti Bonifacii inter amicos in Regno Franciæ latitarent, & dicto Bonifacio tunc videbatur, quod Rex Franciæ, & sui eos receptarent, ideo tam propter hoc, quàm propter quædam alia, contra ipsum Regem Franciæ vehementer fuit provocatus ad iram. Quare ipse Bonifacius suas literas sub Bulla ad æternam rei memoriam eidem Regi Franciæ transmisit, in quibus inter alia tunc sibi mandavit, quod ipse Rex cognoscere sibi deberet, se tenere Regnum Franciæ ab Ecclesia Romana, quum Romanus Pontifex tamquam Vicarius Christi, sit & esse debeat Dominus omnium spiritualium & temporalium per universum Mundum. Aliter quicumque contrarium diceret vel sentiret, hæreticum ipse judicabat, & firmiter hoc ita esse asserebat. Quumque hujusmodi literas dictus Rex Franciæ recepisset, statim apud Parisius in regali Palatio

A præsente multitudine gentium copiosa hujusmodi literæ concrematæ fuerunt, seu combustæ exstiterunt; & deinde qui eas portaverunt, absque honore & gratia ad dictum Bonifacium remissi exstiterunt.

Item quod eodem anno apud Ferrariensem Civitatem quoddam corpus cujusdam Hæretici damnati auctoritate Apostolica exstitit exhumatum, & postea exstitit concrematum, & ipsius tumba valde pretiosa in detestationem ipsius penitus fracta fuit atque destructa; quod quidem per triginta & unum annum in dicta Ecclesia Ferrariensi tamquam Sanctum à Christifidelibus, hoc tamen ignorantibus, fuerat veneratum.

B Item quod quum postea ad audientiam dicti Bonifacii pervenisset, quod dictæ literæ suæ Parisius fuerant concrematæ, ipse Bonifacius omnes Prælatos Ecclesiasticos per universum Orbem constitutos pro celebrando suo Concilio generali apud Urbem Romanam citavit, & ad se convocavit, ut certa die per eum præfixa ibi interesse deberent. Quumque ipse Rex Franciæ hoc audivisset, omnes vias & passus tam per terram, quàm per mare, per totum Regnum suum diligenter custodire ipse fecit, ut nullus Prælatus ad dictum Concilium dicti Bonifacii accedere posset. Propter quod Bonifacius postea solemniter excommunicavit omnes, qui impediebant illos ad Curiam Romanam venire

C volentes.

Item deinde anno Domini MCCCI. in Quadragesima præfatus Philippus Rex Franciæ attendens verba Gregorii Papæ sic dicentis: quod *jacula minùs feriunt, seu lædunt, quæ prævidentur*, ideo ipse statim citavit omnes Prælatos, Duces, Comites, & alios Nobiles & potentes, & Communitates, ut certa die Parisius pro dando sibi, & suo Regno consilium, auxilium, & favorem, personaliter coram ipso interesse deberent. In quo quidem consilio multa crimina, defectus, errores, & hæreses per dictum Regem Franciæ eidem Bonifacio imposita fuerunt. Propter

D quæ dicto Bonifacio, seu ejus mandatis non erat parendum, nec aliqua de causa ad eum eundum. Unde exinde rumor magnus, & cordium hominum summa perturbatio, & rerum confusio in Regno Franciæ supervenit. Et sic omnia ista per totum Regnum suum Populo universo prædicari fecit.

Item quod postea Anno Domini MCCCII. in prima die mensis Novembris dictus Bonifacius Papa apud Urbem Romanam celebravit suum Concilium generale; quod ante per unum annum & amplius convocaverat omnes Prælatos Ecclesiarum, & Doctores, atque Magistros in sacra Pagina, & in utroque jure existentes, ad dandum consilium & fa-

E vorem contra Regem Franciæ inimicum suum capitalem, & Ecclesiæ Dei persecutorem. In quo quidem Concilio omnes Prælati & Clerici Regni Franciæ non interfuerunt, neque aliqui interesse potuerunt, ut optabant.

Item quod quum postea Anno Domini MCCCIII. dictus Bonifacius iterum & indirecte incœpit movere litem contra Regem Franciæ. Nam ipse publice & expresse & solemniter dictum Regem excommunicavit, asserens in suo processu, quod ipse Rex non permittebat aliquem exire de Regno suo versùs Curiam Romanam, neque thesauros Ecclesiæ Romanæ ad ipsum deportari. Et nihilominus

A minus idem Bonifacius Albertum quondam filium Radulphi Regem Alamanniæ in Imperatorem electum, cujus electionem ipse Bonifacius admittere noluerat, immo eam nullam pronuntiaverat, in odium Regis Franciæ confirmavit, & ipsum in Imperatorem coronavit, & postea Regnum Franciæ, sicut & cetera Regna, eidem Imperatori in suo Imperio subjecit, & ipsum Regnum ipsi Imperio perpetuis temporibus esse, & de jure fuisse, & ad æternam rei memoriam declaravit, & solemniter pronuntiavit.

Item quod postea anno, quo supra, in Vigilia Beatæ Mariæ, dictus Bonifacius Papa existens in Civitate Anagniæ, in qua ipse fuerat B natus & alumnus, & etiam ubi plures de genere suo habebat, credens ipse ibi magis quàm alibi esse tutus de inimicis suis, de quibus ipse valde dubitabat, pro ut sibi finaliter evenit; tunc Guillelmus de Nogareto Legum Doctor, & Consiliarius specialis Regis Franciæ de Castro Sancti Felicis Diœcesis Tolosanæ, & Sciarra de Domo Columnensium cum magno exercitu ad dictam Civitatem Anagniæ supervenerunt, præhabito tamen tractatu & consensu aliquorum familiarium ejusdem Bonifacii Papæ: & Palatium, ubi ipse tunc erat, sine aliqua contradictione intraverunt, & ipsum Bonifacium in sua camera tunc existentem sine violentia tamen ceperunt. Et deinde Vexil- C lum Regis Franciæ, ut fertur, supra dictum Palatium ipsi posuerunt, & omnem thesaurum, jocalia, ornamenta, privilegia cum bullis aureis, quæ tunc in camera ejusdem Bonifacii invenerunt, receperunt, & secum asportaverunt, nullo Cardinalium ibi tunc apparente, exceptis duobus dumtaxat, videlicet Petro Hispano tunc Episcopo Sabinensi, & Nicolao Episcopo Ostiensi. Nam alii Cardinales, quando præsenserunt adventum dicti exercitus, statim præ timore à dicta Civitate Anagniæ recesserunt & fugierunt.

Item quod postea quum dictus Guillelmus de Nogareto & Sciarra de Columna per tres dies vel circa, ut fertur, prædictum Bonifacium D Papam, & suum Palatium sine alicujus contradictione captum detinuissent, & hujusmodi rumores ad Cardinales absentes, & etiam ad Nobiles & potentes de partibus illis, & ad Romanos pervenissent, statim pro defensione ipsius Bonifacii se paraverunt, & venire incœperunt. Quorum tamen aliqui pro majori parte de sua captione in corde jam gaudebant propter ipsius Bonifacii austeritatem & crudelitatem. Quumque præfati Guillelmus de Nogareto & Sciarra de Columna commotionem Cardinalium, Nobilium, Potentum, Communitatum, & Romanorum audivissent, tunc ipsi cum suo exercitu dictum Papam Bonifacium, & suum Palatium dimiserunt, & fortè de con- E silio aliquorum supervenientium à dicta Civitate Anagniæ cum dicto thesauro recesserunt.

Item quod quum postea prædicti Cardinales absentes, & Nobiles & Potentes, Communitates & Romani apud dictam Civitatem bene muniti, & cum magno apparatu venissent, & coram Bonifacio Papa fuissent, ipsi de sua captione magnum planctum, & minas facere & dicere incœperunt; & deinde unum Vexillum Regis Franciæ, quod supra Palatium Bonifacii Papæ invenerunt, ceperunt, & magnam exsequutionem de ipso, ut dicitur, fieri fecerunt, ad ostendendum, quod ipsi de dicta captione non fuerant consentientes, neque gaudentes; & quod ipse Bonifacius, & universi eos habuerunt excusatos. Quorum excusationes factæ coram Deo gratæ neque veraces pro majori parte non fuerunt. Et sic ipse Bonifacius, qui non dubitaverat, Cardinales suis Capellis rubeis privare, Regem Franciæ persequi, & suum Regnum alteri subjugare, Prælatos Ecclesiæ, & alios inferiores vilipendere, rigorem in suis actibus exercere, thesauros congregare, prœlia & seditiones inter amicos suos & inimicos procurare, Clerum & Populum sibi ultra debitum subjugare, unico actu & subito possessionem sui Principatus perdidit & honorem. (*) Quorum quidem omnia præmissa fortè Deus sic fieri permisit, propter exemplum aliorum Principum tam Ecclesiasticorum, quàm temporalium, præsentium & futurorum, ut ipsi ab eo addiscant, qualiter se & subditos suos regere debeant in hoc Mundo, & gubernare.

Item quod postea dictus Bonifacius de consilio omnium prædictorum ad eum supervenientium apud Urbem Romanam fuit perductus tricesima quinta die post suam captionem. Et quum ibi fuisset, præ nimio cordis dolore suæ captionis & vituperii, quod receperat, infirmari incœpit, quum semper fuisset corde & factis magnanimus, in tantum quod post paucos dies, videlicet quinto Idus Octobris, apud Romam de hoc seculo migravit; & in Ecclesia Sancti Petri Apostoli fuit sepultus Anno à Nativitate Domini MCCCIII. & anno sui Pontificatus nono. Qui quidem rexit Ecclesiam octo annis, & octo mensibus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica decem diebus, Alberto Imperatore tunc regnante.

DE BENEDICTO XI.

BENEDICTUS XI. natione Lombardus de Tarvisio Civitate fuit oriundus, & post dictum Bonifacium VIII. undecimo Kal. Novembris in summum Pontificem in Urbe Romana fuit assumtus. Deinde Dominica sequenti, quæ fuit Vigilia Apostolorum Simonis & Judæ, ibi fuit coronatus. Et post beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CCIV. anno à Nativitate Domini MCCCIII.

Item quod iste Benedictus ante suam promotionem Frater Nicolaus Ordinis Prædicatorum, & Cardinalis Ostiensis vocabitur. Qui quidem statim post suam promotionem fecit & creavit duos Cardinales tantùm, videlicet Fratrem Nicolaum de Prato Magistrum in Theologia, & Fratrem Guillelmum Anglicum in eadem scientia, ejusdem Ordinis tunc Episcopum Spoletanum; qui fuerunt statim facti quatuor Temporibus ante festum Natalis Domini, & tamen ipse Guillelmus in Anglia jam erat defunctus, & sic post mortem suam fuit factus Cardinalis. Ideo dictus Benedictus Papa in proximis Temporibus post initium Quadragesimæ in loco dicti Fratris Guillelmi Fratrem Galterum Anglicum dicti Ordinis Prædicatorum, Eduardi tunc Regis Confessorem, fecit & creavit novum Cardinalem.

Item quod postea ipse Benedictus fecit processus solemnes, & excommunicavit expresse dictos Guillelmum de Nogareto & Sciarram de Columna, & quosdam alios, & generaliter omnes,

(*) Maledicè nimis vitia Bonifacii VIII. exagerat auctor, virtutes silendo, quibus certè effulsit, ut S. Antoninus, aliique coævi Scriptores apud Rainaldum testantur.

omnes, qui Bonifacium ceperunt, & in sua captione auxilium, consilium, & favorem dederunt. Et tamen ipse postea cum Jacobo & Petro de Columna prius Cardinalibus, & per dictum Bonifacium depositis quantum ad sua beneficia, & eorum bona dispensavit. Et deinde Regem Franciæ in suis privilegiis & libertatibus, quibus per dictum Bonifacium fuerat privatus, ex toto reintegravit, præsentibus Nuntiis dicti Regis Franciæ cantando: *Te Deum laudamus*.

Item quod quum dicti Jacobus & Petrus de Columna, & sui amici coram ipso Benedicto multa pro se, & plura alia contra dictum Bonifacium in Consistorio proponi fecissent, ideo Episcopi supplicaverunt, ut ad statum ipsorum pristinum eos reducere deberet. Qui quidem Benedictus visis, auditis, intellectis, & examinatis processibus eorum, finaliter quantum ad eorum beneficia & bona eorum reintegravit; & deinde eodem modo dictum Regem Franciæ reintegravit, & sibi restituit omnia privilegia & libertates, quibus dictus Bonifacius eum privaverat violenter & injuste. Et postea quamdam suam Constitutionem Decretalem solemniter publicavit, in qua pœnam compositam in Decretali per Bonifacium suum prædecessorem editam, & in Sexto Libro situatam, quæ incipit *Clericos, & Laicos, &c.* pro communi utilitate mitigavit.

Item quod ipse Benedictus Papa post modicum tempus de hoc seculo migravit ad Christum apud Perusium Nonis Julii anno sui Pontificatus primo, & ibi in Ecclesia Prædicatorum ante majus Altare tam à Clero quàm Populo honorifice fuit sepultus anno à Nativitate Domini MCCCIV. In cujus tumulo Deus Christifidelibus ad eum concurrentibus facit & ostendit plura & diversa miracula. Qui quidem rexit Ecclesiam octo mensibus, & decem & septem diebus. Et tunc vacavit Sedes Apostolica per unum annum sequentem & ultra, usque ad quintam diem mensis Julii, Alberto Imperatore tunc regnante.

DE CLEMENTE V.

CLEMENS V. natione Vasco, de loco Vilaudran Burdegalensis Diœcesis, ex patre Bernardo milite fuit natus, & post Benedictum XI. apud Perusium in Vigilia Pentecostes, quæ fuit Nonas Junii, in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CCV. Anno à Nativitate Domini MCCCV.

Item quod iste Clemens ante suam promotionem Bertrandus del Got vocabatur. Qui primò fuit Episcopus Convenarum per provisionem Bonifacii Papæ; in quo sedit annis quinque. Et deinde ipse Bonifacius eum transtulit ad Ecclesiam Burdegalensem, in qua stetit sex annis. Et tunc ipse visitabat in Pictavia provinciam suam, quando in Papam fuit electus, Sede Apostolica tunc vacante.

Item quod quum Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ post mortem dicti Benedicti Papæ XI. apud Perusium undecim mensibus pro electione futuri Romani Pontificis inclusi extitissent, & in duas partes æquales semper super hujusmodi electione facienda divisi fuissent, tamdem post diversas nominationes plurium, & tractatus, ad ipsum Clementem Papam tunc Archiepiscopum Burdegalensem ipsi unanimiter & concorditer vota sua direxerunt, & eum in Papam elegerunt.

Item quod quum tempore electionis ipsius Clementis Papæ ipse esset in Pictavia visitando provinciam suam, tunc nova de sua electione Romana ad ipsum devenerunt. Qui quidem versùs Burdegalam gressus suos direxit. Quumque ipse hujusmodi Civitatem intrasset, processionaliter à Clero & Populo cum summo gaudio & honore totius Civitatis & patriæ tam à Prælatis & Baronibus & Comitibus pluribus & diversis exstitit receptus, quamvis ipse Clemens tunc non ut Papa, sed ut Archiepiscopus se gereret, quia nondum ipse receperat decretum suæ electionis. Quod quidem decretum à dictis Cardinalibus de Perusio sibi missum recepit in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Et tunc crastina die sequenti, scilicet XI. Kalendas Augusti, in præsentia multorum Prælatorum, Baronum, Militum, Comitum, Cleri & Populi in Ecclesia Burdegalensi Cathedrali tunc sedens in sua Cathedra, Clemens vocari voluit: & istud nomen elegit, & ex tunc ut Papa agere & gerere incœpit.

Item quod postea ipse Clemens in fine sequentis mensis Augusti Lugdunum pro se ibi coronando perrexit. Et super hoc prædictis Cardinalibus hujusmodi Civitatem Lugdunensem assignavit. Qui quidem transeundo per Agennum, Tolosam, Biterrim, Montempessulanum, Nemausum, apud Lugdunum exinde pervenit. Et ibi præsentibus suis Cardinalibus, & Philippo Rege Franciæ cum summa Militia sua, & multitudine gentium copiosa, cum summa solemnitate in Ecclesia Sancti Justi in crastina die Sancti Bricii, quæ erat dies Dominica, exstitit coronatus.

Item quod quum dictus Clemens Papa apud Lugdunum coronatus fuisset, statim post suam coronationem per Civitatem Lugdunensem cum suis Cardinalibus, Prælatis, & Clericis universis, pro ut moris est, equitavit, & suam coronationem omni Populo publice tunc ostendit, præsentibus Philippo Rege Franciæ, & Carolo fratre suo, Johanne Duce Britanniæ, & Galhardo de Goto dicti Clementis fratre germano, & aliis quampluribus Comitibus, Baronibus, & Militibus, qui pedestrando equum dicti Clementis Papæ per frænum ab utraque parte, & in circuitu dirigebant. Quumque ipse Clemens Papa cum dicto Rege Franciæ, & aliis supradictis juxta muros Civitatis Lugdunensis transiret, tunc una pars dicti muri antiqui, super qua erat gentium multitudo, corruit, & ipsa cecidit penitus in terram. Cujus lapides equum dicti Clementis Papæ percusserunt taliter, quod equus suus in terram cecidit, & thiara seu corona de capite suo, in qua erat unus carbunculus valde pretiosus, & ad sex millia Florenorum communiter æstimatus, cujus botus, ut dicitur, postea non fuit in terra inventus. Et deinde omnes Milites & Barones, qui in circuitu dicti Papæ destrabant, læsi fuerunt, & concussati, & taliter quod inter alios Johannes Dux Britanniæ, & Galhardus de Goto frater dicti Clementis Papæ post paucos dies decesserunt.

Item quod ipse Clemens anno primo sui Pontificatus in quatuor Temporibus ante festum Nativitatis Domini, videlicet XVIII. Kalendas Januarii fecit & creavit de novo duodecim Cardinales, scilicet Petrum de Capella Epi-

Episcopum Tolosanum, qui postea fuit Episcopus Penestrinus, Berengarium Fredelli Episcopum Biterrensem, Compilatorem Sexti Libri Decretalium, qui postea fuit Episcopus Tusculanus, Arnaldum de Cantalupo, tunc Electum Burdegalensem, Fratrem Thomam Anglicum, Magistrum in Theologia, tituli Sanctæ Sabinæ, Fratrem Nicolaum Confessorem Regis Franciæ, tituli Sancti Eusebii, ambos Ordinis Prædicatorum, Presbyteros Cardinales, Stephanum Archidiaconum Brugensem in Ecclesia Morinensi, & tunc Cancellarium Regis Franciæ, Guillelmum Aruffati, Arnaldum de Pelagrua, Raymundum de Goto nepotem suum, Petrum Arnaldi Bearnensem, tunc Abbatem Sanctæ Crucis Burdegalensis, qui infra annum decessit. Et nihilominus Jacobum, & Petrum de Columna olim Cardinales per Bonifacium VIII. depositos, ad dignitatem & Cardinalatum tunc restituit atque reintegravit.

Item quod ipse Clemens eodem anno revocavit & removit Decretales factas & editas contra Regem Franciæ per Bonifacium Papam VIII. prædecessorem suum; in quarum prima declaraverat, Regnum Franciæ tam in spiritualibus, quàm in temporalibus sibi & Ecclesiæ Romanæ fuisse & esse subjectum. Alia autem incipit: *Clericis Laicos*. Et nihilominus omnia, quæ vigore istarum duarum Decretalium fuerant subsequuta, etiam ipse penitus revocavit. Et deinde Regi Aragonum confirmavit Regnum Sardiniæ, præstito tamen prius fidelitatis juramento, sub quo tunc expresse sibi se obligavit hujusmodi Insulam Sardiniæ infra unum annum personaliter visitare. Et etiam in isto anno in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ omnes Judæi de Regno Franciæ congeati fuerunt, & eorum bona omnia exstiterunt Regi Franciæ confiscata.

Item quod dictus Clemens postea anno sui Pontificatus secundo de Lugduno recessit, & ad Civitatem Burdegalensem se contulit, in qua Curia sua stetit per unum annum. Et etiam in isto anno Fulco Magister Militiæ Hospitalariorum cum magno exercitu Christianorum cum magna sanguinis effusione ipsi ceperunt Insulam Rhodarum, quam tunc Turci sub dominio Imperatoris Constantinopolitani schismatici tenebant.

Item quod ipse Clemens anno tertio sui Pontificatus de Burdegala ivit ad Pictaviam pro pace tractanda, & concordia inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ tunc facienda. Quæ quidem finaliter fuit facta & concordata, matrimonio inter ipsos mediante. Nam Rex Angliæ tunc Isabellam filiam dicti Regis Franciæ in uxorem recepit. Propter cujus matrimonium multa scandala & infinita mala exinde in Regno Franciæ fuerunt subsequuta, quæ adhuc non sunt transacta, ut apparet de præsenti.

Item quod tempore hujus Clementis Papæ contigit, ut fertur, quod in quodam Castro regio Diœcesis Tolosanæ per Officiales dicti Regis Franciæ quidam nomine Squinus de Floriano Civis Biterrensis cum quodam Fratre Militiæ Templi apostata, pro suis maleficiis capti fuerunt, & in forti carcere ambo insimul positi exstiterunt. Quumque dictus Squinus & ejus socius Templarius propter maleficia, quæ perpetraverant, de die in diem de sua vita more navigantium se desperarent, adinvicem peccata sua confessi fuerunt. Qui quidem Templarius sibi exstitit confessus multos errores contra Deum & periculum animæ suæ, atque unitatem Fidei Catholicæ, quod in ingressu sui ordinis, & postea pluribus vicibus se communicasset: quorum maleficiorum speciem per ordinem enarravit. Quibus auditis, à Cancellaria, sequenti die, majorem Officialem alterius Castri regii ad se fecit convocari, & ad eum adduci. Qui quidem obtulit unum magnum factum Regi Franciæ revelare, de quo plures utilitates ipse Rex habere poterat, quàm si de novo acquireret unum Regnum. *Et ideo me bene captum & vinculatum ad eum perduci faciatis*, ut dixit, quia nulli de Mundo, nisi dicto Regi revelaret, esto quod ipse mortem subiret temporalem.

Item quod quum ipse Officialis regius vidisset, ut eum blandimentis, promissionibus, oblationibus, & demum quod ipse cum comminationibus præfatum Squinum inducere non poterat, quod prædictum factum sibi revelaret, ideo omnia præmissa per ordinem dicto Philippo Regi Franciæ scripsit & significavit. Qui quidem statim sibi rescripsit & injunxit, ut ipsum Squinum sub fideli custodia ad eum Parisius mitteret.

Item quod quum postea ipse Squinus juxta mandatum Regis eidem Regi Parisius fuisset præsentatus, statim ipsum traxit ad partem ob scire veritatem de præmissis, promittens sibi securitatem corporis & commodum, si illa, quæ dicebat, veritatem continerent. Quumque Squinus confessionem dicti Templarii apostatæ per ordinem sibi explicasset, confestim ipse Rex aliquos Templarios capi fecit, & super hoc cum eis informationem fieri fecit. Qua facta, & super præmissis veritate reperta, ipse Rex Franciæ scripsit multum caute & secrete omnibus Officialibus suis in toto Regno suo institutis, & cuilibet ipsorum, ut certa die ipsi cum bona societate bene armati essent parati; & deinde in sequenti nocte quasdam literas suas secretas quilibet ipsorum Officialium aperire deberet, & non ante, sub pœna capitis, quas cum aliis prædictis Rex prædictus miserat eisdem.

Item quod quum dicti Officiales Regis literas suas recepissent, statim illa die omnes bene armati & associati fuerunt, videlicet III. Idus Octobris, qui fuit dies Veneris. Et tunc in sequenti nocte apertis literis regiis supradictis, statim quilibet ipsorum Officialium per omnia loca eis commissa accesserunt, & omnes Templarios, qui inveniri potuerunt, ceperunt, & eos sub fideli custodia in fortalitiis suis posuerunt. Et deinde quilibet Officialis captiones ipsorum Templariorum dicto Regi Franciæ significaverunt, pro ut ab ipso hoc habuerunt in mandatis. De quorum captione totus Mundus fuit admiratus.

Item quod quum postea Magister Militiæ Templariorum cum multis Militibus, & viris magnis sui Ordinis captus apud Parisius coram Rege productus fuisset, tunc quidam ipsorum propter verecundiam veritatem de præmissis denegaverunt, & quidam alii ultra ipsam sibi confessi fuerunt. Sed postea illi, qui denegabant, cum tormentis ipsam tunc libenter confitebantur, & aliqui ipsorum in tormentis sine confessione moriebantur, vel com-

comburebantur. Et tunc de confitentibus ultra veritatem ipse mitiùs se habebat.

Item quod quum postmodum dictus Rex Franciæ de præmissis legitime informatus fuisset, statim omnia bona tam mobilia, quàm immobilia dictorum Templariorum, quæ in suo Regno reperta fuerunt, confiscari fecit, & ipsa tamquam rite confiscata sibi applicari pronuntiavit. Et deinde copiam omnium processuum, quos fecerat contra Ordinem Templariorum, & personas ipsorum, & confisca-tiones eorum, sub sigillo suo ad ipsum Clementem Papam, qui apud Civitatem Pictavensem tunc cum sua Curia residebat, per solemnes Nuntios transmisit. De quibus fuit valde gavisus. Nam antea ipse & Cardinales & plures alii & universi super hoc dubitabant, quum ille Ordo fuisset tam à Sede Apostolica, quàm ab omnibus Principibus Mundi summe privilegiatus, & pluribus & diversis spiritualibus & temporalibus bonis esset ditatus.

Item quod quum deinde dictus Clemens cum suis Cardinalibus dictos processus Regis Franciæ bene examinasset, & nihilominus Templarios quosdam, & eorum confessiones audivisset, videlicet, quòd omnes dicti Ordinis Templariorum in eorum ingressu Dei Filium abnegabant, & super Crucem in vituperium ipsius spuebant, & postea homagium Diabolo faciebant, ut majorem fortunam & bonorum temporalium multiplicationem ipsi haberent; & si aliquis de ingredientibus Ordinem eorum prædicta facere recusaret, postea ab ipsis interficiebatur; & deinde pro dissimulando nefandam & detestabilem vitam atque conversationem ipsorum, magnas eleemosynas Christi pauperibus erogabant, & in eorum Ecclesiis valde devote persistebant, & multa sacrificia ibi celebrari faciebant, & infra & extra valde honeste incedebant. Et ulterius contra ipsos exstitit repertum, quòd ipsi magnum consilium, auxilium, & favorem, communionem & confœderationem cum perfidis Saracenis ultra mare contra Christianos habebant. Et quod ipsi, ut fertur, fuerunt caussa perditionis Civitatis Achon, & totius terræ sibi conjunctæ, quam antea Christiani Crucesignati pro Christi Fide, & cum eorum magna sanguinis effusione acquisiverant, & eam longo tempore possederant pacifice & quiete. Quumque idem Clemens de præmissis bene fuisset informatus, statim ipse scripsit per universum Mundum omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & sub Bulla eis mandavit atque commisit, ut omnes Templarios, quos in eorum Civitatibus & Diœcesibus invenire possent, ipsos caperent, & contra ipsos juxta articulos per ipsum Papam eis transmissos inquirere & procedere deberent cum magno consilio & deliberatione, ut ipse in proximo suo Concilio generali providere posset, & iste Ordo Templariorum reformari, vel potius annullari deberet.

Item quod postea Anno Domini MCCCVIII. ipse Clemens confirmavit electionem Henrici tunc Comitis Luceburgensis in Imperatorem electi, quem postea eodem anno in Imperatorem coronari fecit. Et postea ipse cum tota sua Curia de Pictavia recessit, per Burdegalam & Agennum transivit, & deinde apud Tolosam venit. Et ibi in festo Nativitatis Domini remansit usque ad Epiphaniam.

A In quo festo ipse in Civitate Convenarum supervenit, in cujus Ecclesia Cathedrali Corpus Sancti Bertrandi Confessoris transtulit, & in quadam capsa auri & argenti, & cum lapidibus pretiosis miro modo de novo facta per eum ipsum Sanctum Corpus cum summa devotione & solemnitate reposuit ad Dei gloriam & honorem.

Item quod deinde ipse Clemens transeundo per Carcassonam, Biterrim, Montempessulanum, & Nemausum apud Avinionem devenit, & ibi remansit cum Curia sua. Quumque de novo ad suam audientiam pervenisset, quòd adversùs Deum & justitiam, Veneti ad Ferrariensem Civitatem pugnabant, & ipsam oc-

B cupare, & eorum jurisdictioni subjugare volebant, ideo ipse Clemens contra ipsos Venetos suos processus fecit. Verùm quia propter hoc desistere non curabant, ideo dictus Clemens contra eos novitèr majorem processum fecit, & ipsos aggravavit, & in die Cœnæ Domini ipsos anathematizavit, & omnes Religiosos & Clericos de toto Ducatu Venetorum ex ordinatione exire mandavit. Et nihilominus Arnaldum de Pelagrua, Diaconum Cardinalem in Italiam pro Legato, & contra dictos Venetos ipse transmisit. Post cujus adventum summa hominum strages fuit subsequuta. Et dicta Civitas tunc exstitit capta & recuperata in die festo Sancti Augustini

C anno à Nativitate Domini MCCCIX. Et in isto anno, V. die mensis Maji, Karolus II. Rex Siciliæ & Comes Provinciæ, & filius quondam Karoli I. Regis Siciliæ, anno Regni sui XXV. decessit. Cui in Regno & Comitatu supradictis Robertus filius suus successit. Qui quidem anno quo supra prima die Dominica sequentis mensis Augusti apud Avinionem per ipsum Clementem Papam inunctus & coronatus est cum magna solemnitate Prælatorum, Cleri & Populi, præsente multitudine gentium copiosa.

Item quod postea anno quo supra in mense Septembri Episcopus Ruthenensis tunc Patriarcha Hierosolymitanus & Apostolicæ Sedis

D Legatus, & Fulco de Villareto Magister Militiæ universalis Hospitalariorum, cum magno exercitu Crucesignatorum, & cum plenissima Indulgentia peccatorum ad Terram Sanctam ultramarinam perrexerunt. Sed tunc propter ventorum contrarietatem tunc regnanrem ad portum inimicorum Fidei venire nequiverunt, sed apud Brundusium per totam hyemem sequentem moram traxerunt.

Item anno quo supra, V. Idus Maji, Archiepiscopus Senonensis cum suis suffraganeis & eorum Prælatis Concilium Provinciale apud Parisius solemniter celebravit. In quo quidem Concilio inter alia cum magna deliberatione quinquaginta & quatuor Templarii ex pro-

E priis eorum confessionibus voluntariis, sed postea ab ipsis denegatis, sententiati & canonice judicati fuerunt, & postea juxta juris formam seculari Curiæ ipsi traditi exstiterunt: & deinde per ipsam secularem potestatem igne combusti exstiterunt. Et deinde post paucos dies alii quatuor Templarii eodem modo condemnati exstiterunt & combusti. Et postea alii novem Templarii in Concilio Remensi infra mensem per Archiepiscopum Remensem, & suos suffraganeos cum suis Prælatis, in Silvanecto solemniter celebrato, eodem modo & caussâ condemnati fuerunt, & seculari Curiæ traditi, & deinde per ipsam Curiam exstite-

stiterunt combusti.

Item quod postea anno à Nativitate Domini MCCCX. in die festo Assumtionis beatæ Mariæ, cum magna sanguinis Christianorum effusione Civitas Rhodarum, quæ est caput & metropolis totius illius regionis & Insularum conjunctarum, & specialis transitus in Regnum Cypri, Terram Sanctam, Achon, & alias Terras infidelium, per dictum exercitum Crucesignatorum cum magno triumpho fuit capta, & sub potestate & dominio Christianorum exstitit redacta, Turcis ab ore gladii interfectis, & deinde subjugatis.

Item quod ipse Clemens postea anno, quo supra, & sui Pontificatus anno sexto, die Sabbati Quatuor Temporum de Adventu Domini, XIV. Kalendas Januarii, apud Avinionem fecit secundam creationem quinque Cardinalium, videlicet Arnaldum de Felgeriis Archiepiscopum Arelatensem & postea Sabinensem, Bertrandum de Bordis Episcopum Albiensem & Camerarium suum, qui infra annum decessit, Arnaldum Novelli Abbatem tunc Fontisfrigidi Ordinis Cisterciensis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, Presbyteros; Raymundum de Fargiis, Bernardum de Garvo fecit Diaconos Cardinales, quamvis isti duo ultimi nondum ad sacros Ordines promoti fuissent.

Item quod iste Clemens primò apud Avinionem in Consistorio publico ad requisitionem Regis Franciæ pronuntiavit, & licentiam dedit generaliter omnibus quibuscumque accusandi Bonifacium Papam VIII. prædecessorem suum de crimine hæresis, de quo ipse erat diffamatus. Coram quo Dominus Guillelmus de Nogareto, qui eum ceperat, multa super hoc crimina in Consistorio publico contra ipsum Bonifacium proposuit & objecit. Et ex adverso quidam Cardinalis, qui erat de genere dicti Bonifacii Papæ, ipsum super ipsis criminibus objectis multipliciter excusavit, & Regem Franciæ, ad dictum Guillelmum de Nogareto, & Sciarram de Columna, cum multis aliis super captione dicti Bonifacii, & thesauri sui deprædatione, terribiliter accusavit. Pro quibus de magno scandalo quotidie dubitabatur. Nam dictus Guillelmus de Nogareto cum magna societate armata ex una parte, & dictus Cardinalis eodem modo ex altera in Consistorium Papæ pro celebrandis suis dietis conveniebant.

Item quod postea anno à Nativitate Domini MCCCXI. quinto Calendas Maji, ipse Rex Franciæ de his, quæ coram Clemente Papa super captione dicti Bonifacii Papæ & sui thesauri, fuerat accusatus, per dictum Clementem in Consistorio publico fuit purgatus, & nihilominus super iis, quæ ipse Rex contra dictum Bonifacium fecerat, probo zelo & intentione fecerat. Et sic fuit pronuntiatum & declaratum tam verbo, quàm postea, ut dicitur, sub Bulla. Et deinde quod per processus hujusmodi caussæ utriusque partis jam erat conclusum; ipse Clemens per modum tractatus pacis ad se retinuit & suscepit. Et deinde prædictum Guillelmum de Nogareto præsentem à sententia excommunicationis, quâ per dictum Bonifacium fuerat innodatus, tunc absolvit, & pro peregrinatione Terræ Sanctæ ultramarinæ in primo passagio, & per quinque annos continuos ibi stare pro poenitentia sibi dedit & assignavit, nisi aliàs per Sedem Apostolicam cum eo super hoc esset dispensatum. Et in isto anno fuit tanta mortalitas hominum in partibus Tolosanis, & circumvicinis locis, quod vix fuit domus, in qua non reperiretur aliquis defunctus. Et nihilominus fuit tanta caritas & caristia, quod nullum bladum inveniebatur ad vendendum.

Item quod postea anno Domini MCCCXI. primâ die Octobris apud Viennensem Civitatem super Rhodanum ipse Clemens Papa venit pro suo generali Concilio celebrando. Et postea celebrare incoepit XVII. Kalendas Novembris; in quo omnes Prælatos jam ante convocaverat. Et tunc eis exposuit, quare ipsos convocaverat, & dixit, quod principaliter super statu Militiæ Templi, & sancto Passagio ultramarino faciendo, & reformatione status Ecclesiæ, & conservatione libertatis, unde super iis providendis quilibet Prælatus procedere deberet. Et sic ipse Clemens Papa cum suis Cardinalibus & Prælatis per totam hyemem sequentem continue in pluribus tractatibus diversis permansit.

Item quod in sequenti anno MCCCXII. undecimo Kalendas Aprilis prædictus Papa Clemens cum suis Cardinalibus & multis Prælatis secrete in suo Consistorio privato clauso Ordinem dictorum Templariorum cassavit, & ipsum penitus annullavit, & deinde personas & bona illius Ordinis suæ, & Ecclesiæ dispositioni atque ordinationi ipse reservavit.

Item quod anno quo supra, tertiâ die mensis Aprilis, præfatus Clemens Papa in Consistorio publico, præsente Philippo Rege Franciæ cum tribus filiis suis, videlicet Ludovico, Philippo, Carolo, ac etiam alio Carolo fratre dicti Regis, cum magna Militia, quibus hujusmodi negotium erat summe cordiale, & præsente gentium multitudine copiosa, cassationem Ordinis Templariorum solemniter publicavit. Qui quidem Ordo jam duraverat per centum & octuaginta annos vel circa. Qui licèt ipsi vixerint cum multis bonis temporalibus & Sedis Apostolicæ & Principum secularium, tamen ipsi cum bonis suis universis unâ die perierunt.

Item quod in dicto Consilio generali super statu personarum & temporalium bonorum sic salubriter fuit ordinatum, ut omnia bona dictorum Templariorum pro defensione Fidei Catholicæ & infidelium persecutione essent & esse deberent cum suis privilegiis & libertatibus diversis temporibus Militiæ Hospitalis Sancti Johannis Hierusalem, cum certis tamen pactis & conditionibus super hoc solemniter impositis, & à dicta Militia gratis receptis & approbatis.

Item quod aliquæ personæ notabiles & majores dictorum Templariorum sub ordinatione & reservatione Romani Pontificis reservatæ fuerunt, & quod de ceteris aliis Templariis per Metropolitanos & alios suffraganeos in Conciliis eorum provincialibus, pro ut de ipsis ad quemlibet eorum pertinebit, disponere debeant & possint atque ordinare. Et quod etiam de illis Templariis, qui ultra errores suos confessi fuerunt corde contriti, ponentur in aliis regionibus à Sede Apostolica approbatis juxta ipsorum electionem, ut ibi Deo serviant; & de bonis olim Templariorum sua victualia habere debeant. De illis Templariis, qui fugerunt, & legitime non comparuerunt, juxta Concilia Provincialia contra ipsos canonice procederent. Super autem statu Ecclesiæ & libertate ipsius in dicto Con-

Concilio, plura statuta salubria statuta & facta fuerunt, quæ hodie Clementinæ nuncupantur. Sed ipse Clemens in multis aliis negotiis arduis impeditus, & postea morte præventus, istas Constitutiones publicare nequivit.

Item quod celebrato dicto Concilio dictus Clemens anno, quo supra, de Vienna recessit, & apud Avinionem venit. Qui quidem postea in jejunio Quatuor Temporum ante Natale Domini tertiam creationem novorum Cardinalium fecit, & de novo creavit decimo Calendas Januarii, videlicet Guillelmum de Mandagoto Archiepiscopum Aquensem Diœcesis Nemausensis, Jacobum de Oza Episcopum Avinionensem Diœcesis Caturcensis, qui postea fuit Johannes XXII. Berengarium Fredoli de Veruna Magalonensis Diœcesis tunc Episcopum Biterrensem, Arnaldum de Auxio tunc Episcopum Pictavensem, Fratrem Guillelmum Petri de Godino Bajonensem, Magistrum in Theologia Ordinis Prædicatorum, tunc Lectorem sacri Palatii Apostolici, Vitalem de Furno Ordinis Fratrum Minorum, Magistrum in Theologia Vasatensis Diœcesis, Michaëlem de Beco Gallicum, tunc Decanum Sancti Quintini, Abbatem Sancti Severi, & Guillelmum de Testa Condomiensem.

Item quod postea anno à Nativitate Domini MCCCXIII. quintâ die Maji apud Avinionem Frater Petrus de Morono, quondam Cœlestinus Papa V. per dictum Clementem Papam solemniter exstitit coronatus atque canonizatus, & sub Sancti Petri nomine catalogo aliorum Sanctorum Confessorum fuit per eum aggregatus, anno XVIII. à suo transitu computando. Cujus festum celebrari tunc fuit ordinatum XIV. Calendas Junii, qua die ad Christum migravit.

Item quod anno quo supra in festo Pentecostes venit Nicolaus tituli Sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus ex parte dicti Clementis Papæ in Franciam. A quo Philippus tunc Rex Franciæ, qui tunc tres filios suos, & quosdam alios de genere suo cum quadringentis extraneis, quos Milites de novo fecerat, apud Parisius cum magna militia pro faciendo Passagium ultramarinum, solemniter præsente fidelium multitudine copiosa, signaculum sanctæ Crucis reverenter & devote una cum Rege Angliæ ibi tunc præsente, & Rege Navarræ filio suo, & duobus aliis filiis, & etiam aliis duobus fratribus suscepit.

Item quod postea anno, quo supra, in Vigilia beati Gregorii Papæ, Magister Militiæ Templariorum cum uno alio magno de suo Ordine, Parisius publice de mandato Regis Franciæ exstitit combustus. Qui tamen cum consilio Prælatorum & peritorum ad aliam pœnitentiam peragendam prius fuerant condemnati. Nam Philippus Rex Franciæ cum consilio suo noluit pati, quod propter revocationem confessionis suæ, quam prius fecerat dictus Magister Militiæ Templi, & multi alii sui ordinis, evaderent mortem temporalem; nullo tamen super hoc judicio Ecclesiastico convocato, neque ipso exspectato, quamvis tunc apud Parisius duo Cardinales Apostolicæ Sedis Legati essent præsentes.

Item quod postmodum anno, quo supra, XII. Calendas Aprilis, quibus fuit festum Sancti Benedicti Abbatis, dictus Papa existens cum Curia sua apud Castrum de Montiliis

A Diœcesis Avinionensis, coram se in Consistorio publico suas Constitutiones Decretales, quas in Concilio Viennensi ordinaverat, publicari fecit, quæ hodie Clementinæ vocantur: sed postea infirmitate præventus, ad Studia generalia per eum transmissæ non fuerunt, sed sic publicatæ tunc remanserunt, donec per suum successorem exsequutioni demandatæ fuerunt.

Item quod ipse Clemens post multos labores, anxietates, & tribulationes apud Castrum de Rupemaura supra Rhodanum, quod est Regis Franciæ, die Veneris de nocte qua intitulabatur XII. Calendas Maji, ad Christum migravit, Anno a Nativitate Domini MCCCXIV. & apud Civitatem Carpentora- B tensem ultra Rhodanum, ubi tenebat Curiam suam, & ubi tunc erant Cardinales, suum corpus fuit deportatum, & ibi honorifice exstitit traditum Ecclesiasticæ sepulturæ; sed postea apud Vasconiam juxta ordinationem suam in quadam Villa modici valoris ipsum corpus fuit portatum, & ibi in Ecclesia Collegiata Canonicorum secularium, quæ vocatur Ecclesia Beatæ Mariæ de Usesta Vasatensis Diœcesis, cum magno honore exstitit sepultum. Qui quidem rexit Ecclesiam octo Annis, decem mensibus, & quindecim diebus, a die suæ creationis computando. Et tunc vacavit Sedes Apostolica duobus Annis, tribus mensi- C bus, & septem diebus.

Item defuncto isto Clemente, Cardinales numero viginti tres, qui erant apud Civitatem Carpentoratensem, ubi dictus Clemens suam Curiam tenebat, in Palatio Episcopali secundùm juris formam in Conclavi inclusi fuerunt, & pro electione Romani Pontificis usque ad festum subsequens Sanctæ Mariæ Magdalenæ ibi pacifice & quiete interfuerunt. Sed ex tunc instinctu diaboli, propter discordias gravissimas, quæ inter familiares dictorum Cardinalium exortæ fuerunt, & quæ per aliquem de Mundo tunc pacificari non poterant, ideo dictos Cardinales de dicto Conclavi oportuit exire. Qui quidem inter se D promiserunt & statuerunt, quod pacificatis eorum familiis, ad dictum Conclave redire deberent. Quumque ipsi exivissent de dicto Conclavi, dictos familiares pacificare nequiverunt, immo majores discordiæ & capitales inimicitiæ tam inter se, quam inter dictos familiares dictorum Cardinalium, hoste antiquo procurante, supervenerunt. Quare ipsi Cardinales præcaventes & dubitantes plura pericula & scandala, quæ supervenire poterant, ad dictum Conclave redire noluerunt, immo ipsi singulariter per Civitates & Castra per duos annos & plus dispersi exstiterunt.

Item quod quum postea pervenisset ad notitiam Philippi Regis Franciæ, tunc Comitis E Pictaviæ, statim apud Lugdunum venit. Qui quidem multùm caute & gratiose omnes prædictos Cardinales ad se in domo Prædicatorum convocavit & congregavit, & inter eos concordiam & veram pacem tractare incœpit, & eis ostendere quanta pericula propter eorum discordias in hoc Mundo esse imminebant. Quum autem dicti Cardinales post consilium ad Villam in domos proprias pro comedendo recedere voluissent, juxta ordinationem dicti Philippi Comitis Pictaviæ, ab illo loco exire non potuerunt: immò ibi inclusi pro tractanda electione Romani Pontificis futuri remanserunt in Vigilia Sanctorum

Pe-

Petri & Pauli. Et tamdem ipsum Papam elegerunt post quadraginta dies, computando à die inclusionis ipsorum, anno à Nativitate Domini MCCCXVI.

E Vitis Paparum Avenionensium apud Baluzium.

Clementis V. Papæ Vita

Auctore Johanne Canonico Sancti Victoris Parisiensis.

ANno MCCCV. in Vigilia Pentecostes, apud Perusium Cardinales degentes in Papam concorditer elegerunt Bertrandum Archiepiscopum Burdegalensem, fratrem Beraldi quondam Archiepiscopi Lugdunensis, & post Cardinalis Episcopi Albanensis, olim in Francia Legati: cui in Pictavia in sua provincia, ut moris est, caussâ visitationis existenti, allatum est Decretum cum sigillis Cardinalium. Factusque est Papa, pro ut consuetum est, & coronatus Lugduni, Cardinalibus, Rege Franciæ & Baronibus assistentibus, die Dominica post festum Sancti Martini hyemalis, Cardinalibus advocatis ad diem suæ coronationis, vocatusque est alterato nomine Clemens V. Primo anno sui Pontificatus Lugduni decem novos Cardinales creavit, & duos de Columna Jacobum scilicet & Petrum, de consilio fratrum & Regis Franciæ in statum pristinum revocavit, redditâ eis dignitate Cardinalatus. In coronatione Domini Papæ Lugduni ex casu muri & presfurâ Populi plures læsi sunt & nonnulli mortui. Ibique fuit mortuus bonæ memoriæ Johannes Dux Britanniæ, cui successit Arturus primogenitus ejus, nepos Regis Angliæ ex filia. Frater Johannes Parisiensis de Ordine Fratrum Prædicatorum, subtilis homo & expertus in multis scientiis, actuque regens in Theologia, ponens de Corpore Christi in Sacramento Altaris positionem novam, & Parisius non consuetam audiri vel poni, ab Episcopo Parisiensi Guillelmo de Orillac & Magistris & Bacalariis Theologiæ pluries auditus, tamdem ab Archiepiscopo Bituricensi Ægidio, & Episcopo Ambianensi Guillelmo, & Magistris theologicæ facultatis, & multis aliis viris discretis examinatâ ejus positione, prohibitus est amplius legere & disputare Parisius. Sed ipse ad Curiam appellavit & ivit, & postea ibidem obiit. Hoc anno per totam æstatem maxima siccitas temporis fuit per totam Franciam, fluviique nimis constricti sunt & fontes, adeo quod in profundis puteis vix aqua poterat inveniri. In mense Septembri Ludovicus primogenitus Regis Franciæ Vernone duxit uxorem filiam primogenitam Ducis Burgundiæ ex filia Sancti Ludovici, sibi cognatione conjunctam, habitâ super hoc dispensatione à Curia Romana. Tuncque datum eidem Ludovico Regnum Navarræ, quod ei competebat ex successione materna. Et filius Ducis & heres Ducatus contraxit ibidem sponsalia cum filia Domini Caroli ex herede Constantinopolitani Imperii primogenita, quæ erat quatuor vel circiter annorum, præsentibus patribus & parentibus utriusque & consentientibus. Clemens V. Papa moram faciens Lugduni, ab Episcopis & Abbatibus Franciæ, qui habebant negotiari in Curia, innumerabilem pecuniam extorsit. Sed Rex Franciæ & fratres ejus, Baronesque Francorum ipsum invenerunt propitium ac benignum. Clericis Gallicis gratias largas fecit. Circa Purificationem idem Dominus venit Cluniacum, ubi multa damna fecit. Similiter apud Bituricas & Nivernum fecit expensas immoderatas. Unde Ecclesiæ Franciæ coactæ facere subsidium, plurimùm sunt gravatæ. Postea Burdegalensem Urbem adiens, non est benigne receptus. Rex & Barones Franciæ dispositis negotiis post Natale Domini in Franciam reversi sunt. Et tunc in Martio sequenti Dux Burgundiæ obiit Vernone, & sepultus Cistercii cum honore.

In fine anni præcedentis, & in principio hujus anni MCCCVI. tres Cardinales venerunt Parisius, Gentilis Frater minor Papæ Pœnitentiarius, tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis, Nicolausque Frater Prædicator, Regis Franciæ quondam Confessor, tituli Sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, & alius quidam Anglicus natione, multique alii Nuntii ex parte Papæ, qui Gallicanam Ecclesiam non modicum gravaverunt ob petitam pecuniam, vel expensas. Eodem anno primo ver, post æstas fuerunt siccitate intemperata. Unde damna terræ fructibus provenerunt. Feriâ tertiâ post Ascensionem factum est Parisius maximum & solemnissimum festum à Prælatis Regni & Civibus Parisiensibus, qui cum maximo apparatu, & cereis innumerabilibus grossis, Rege præsente, & fratribus, & Baronibus Regni, conduxerunt caput Sancti Ludovici Regis in vase pretiosissimo collocatum à Monasterio Sancti Dionysii in Francia usque ad Capellam Regis Parisius: in qua cum ceteris Reliquiis repositum est cum honore. Quam Capellam idem Sanctus Ludovicus construi fecerat, dum regnabat. Unam quoque costam ejusdem Sancti dedit Rex Philippus IV. Ecclesiæ beatæ Mariæ Parisiensis. Diesque illa tamquam solemnis & festiva habita est à Populo Parisiensis Urbis, & deinceps sic fieri Parisius est institutum. Pro dicta autem translatione, procurante Rege, à Papa, Cardinalibus, & Prælatis data est Indulgentia maxima verè pœnitentibus & confessis. Eodem anno in die Trinitatis obiit Parisius Magister Petrus de Mornejo Episcopus Antissiodorensis, qui primo fuerat Aurelianensis, & Regis Franciæ Consiliarius, vir in multis expertus, & in utroque Jure peritus excellenter. Cujus corpus sepultum est in majore Ecclesia Antissiodorensi cum honore. Eique post aliquot menses successit Magister Petrus de Bellapertica Parisiensis Decanus, vir etiam in utroque Jure peritus, & Regis Francorum Sigillifer. Sed ipse brevi circiter uno anno præfuit, vir quidem satis favorabilis omnibus & benignus. Tunc in Julio Prælati Franciæ in pluribus locis fecerunt Concilia ad deliberandum quid possent facere sub gravaminibus quæ inferebantur à Papa & suis Ecclesiis Gallicanis, consilioque Regis & Regalium usi sunt in hoc casu. Hoc etiam anno in Augusto & Septembri, omnes Judæi, nisi fortè pauci, qui baptizari voluerunt, de Regno Franciæ sunt expulsi; eorumque bona Rex habuit, & fecit colligi per ministros, nisi quod cuilibet Judæo data est portio aliqua pecuniæ pro via extra Regnum complenda: quorum multi in itinere mortui sunt præ lassitudine vel dolore. Tunc Papa & Cardinales venerunt Pictavim: ubi longiorem moram, ut dicitur, quàm voluissent, fecerunt, Rege Francorum, & ejus com-

A complicibus & ministris illic eos quasi detinentibus violenter. Nam Papa, ut dicitur, sub alterius fictione personæ aliquando tentavit cum paucis, Sumariis tamen oneratis argento & auro præcedentibus, versus Burdegalam proficisci. Sed à quibusdam, qui pro Rege erant, agnitus, cum rebus, quas illuc volebat transferre, compulsus est Pictavim remeare. Igitur Papa de consilio Regis & Cardinalium, habito Lugduni, convocavit per Nuntios solemnes Pictavi Magistros Hospitalis & Templi transmarinos. Magisterque Templi de Cypro venit Pictavim, sed Magister Hospitalis fortuito bello impeditus est in mari, unde per Dei adjutorium obtinuit vi-
B ctoriam. Nam quamdam Insulam vi obtinuit. Ob hoc non ita citò venit, sed postea quando potuit, & bene se excusavit. In mense Januario Philippus Regis Franciæ Philippi IV. secundò genitus duxit uxorem Johannam filiam Ottonis Comitis Burgundiæ ex filia Roberti Comitis Atrebatensis, quam Dominus Ludovicus frater ejus primogenitus jamdudum fiduciaverat, sed non desponsaverat; quorum nuptiæ, Rege, & Baronibus Franciæ, Nobiliumque innumerabili comitiva præsentibus, sunt tunc Corbolii apud Hospitale cum gaudio mirabili celebratæ. Hoc anno in finibus Scotiæ apud Carlolium obiit Edoardus IV. Rex Anglorum, prudens siquidem &
C fortunatus Princeps, & in bellis expertus, in multisque bellis periculosis prosperatus, anno vitæ suæ circiter LXXX. Regni verò sui XXXVI. inchoato; sepultusque Lundoniis in Vestmonasterio cum prædecessoribus in festo Sancti Edoardi Regis. Reliquitque ingenuos & elegantes filios ex Blanca Regina Regis Franciæ Philippi IV. sorore: quorum unus Thomas nomine Cornubiæ Comitatum obtinuit pacifice, ut dicebant. Ipsi autem Edoardo in Regno Angliæ & Hiberniæ filius ejus æquivocus, scilicet Edoardus V. ex Comitissa Pontivensi successit, jam annos circiter XXV. ætatis habens. Circa Pentecostem Philippus Rex Franciæ ivit Pictavim ad Papam, illic-
D que & in via diu moram contraxit. Dominus Ludovicus Regis Franciæ frater, Comes Ebroicensis, audito quòd soror sua quondam Angliæ Regina esset orbata marito, de voluntate Regis Philippi fratris sui, & Mariæ matris suæ eodem anno ad videndum eam & consolandum, cum bona comitiva in Angliam transfretavit, satisque benigne susceptus est à novo Rege ipse & sui, & à sorore libentissime visus. Magister Bertholdus de Sancto Dionysio Episcopus Aurelianensis, vir subtilis, & in multis scientiis expertus & famosus, obiit: eique postea successit Magister Nicolaus dictus Grospármi Clericus Regis, multum expertus in Jure.

E Anno MCCCVII. quum Rex Philippus pro se & filiis suis quemdam Militem nomine Fortunium constituisset Regni Navarræ Rectorem, ipse propter absentiam longam Regis & Francorum, locorumque distantiam, ambitione & elatione commotus, paulatim cœpit aspirare ad regnum, Principum ac Nobilium, Civiumque patriæ corda allicere, ut pro se essent in hoc casu. Fueruntque ei omnes faventes, præter illos Nobiles & Cives, qui erant de Urbe, quæ Stella vocatur, vel de confiniis ejus. Fecitque omnes complices & fautores suos jurare, quod hoc secrete celarent, & nemini revelarent. Sed quidam miles patriæ innotuit Regi & ejus Secretariis hoc intentum; supplicavitque cum quibusdam aliis nobilibus fidelibus Regi, quatenus ipse vel Rex suus illuc iret, Regnum accepturus pariter & coronam. Hoc igitur anno in Julio misit Rex primogenitum suum Ludovicum in Navarram cum Galchero de Castellione Franciæ Constabulario & Comite Bononiæ, aliorumque bona & fideli comitiva. Qui habito adjutorio & conductu Senescallorum Regis Franciæ & nobilium viæ, per quam transibant secundùm præceptum Regis, post aliquantulam moram in aliquibus locis pro consilio habendo, tamdem sine bello, saltem aperto, Regnum obtinuit de facto, quod sibi de jure debebatur, & fuit solemniter, ut moris est & decens, in Regem Navarræ Pampiloniæ coronatus. Secumque rediens adduxit dictum proditorem Fortunium, & quosdam alios sui complices usque Tolosam carceri mancipandos. Sicque confirmatus in Regno ab omnibus, & receptis homagiis nobilium, Franciam reversus est prospere atque gaudenter. In Octobri decessit Episcopus Antissiodorensis Magister Petrus de Bellapertica. Cui post vacationem plurium mensium successit Magister Petrus de Gressibus Cantor Parisiensis. Sed quia non erat Sacerdos, se fecit ordinari. Tunc in crastino Sancti Dionysii apud Sanctum Audoënum juxta Sanctum Dionysium obiit Imperatrix Constantinopolitana uxor Domini Caroli Comitis Valesiæ & Andegaviæ, & apud Fratres Prædicatores Parisius cum honore sepulta est. In crastino feriâ sextâ, tertio Idus Octobris, accidit casus mirabilis, ab antiquis temporibus inauditus. Magister scilicet transmarinus Templi, qui de Pictavia, ubi diu fuerat, in Franciam venerat, quibusdam de Cardinalibus hoc jam dudum tractantibus & ordinantibus, & Regi Francorum exsequutionem tradentibus, captus est Parisius apud Templum, & omnes Templarii Regni Franciæ ex improviso capti fuerunt eadem die, & diversis carceribus mancipati. Ex quo mirati sunt universi, Curiâ Romanâ hoc ordinante, Rege præcipiente, Domino Guillelmo de Nogareto Milite, & Reginaldo de Roye exsequentibus. In domibus autem eorum ex parte Regis positi sunt custodes, qui ei & Papæ tempore & loco de bonis eorum mobilibus & immobilibus redderent rationem. Caussa autem captionis eorum fuit revera vitium hæreseos, blasphemiæ, & contemtus Christi ac Fidei Christianæ, & sodomiæ impositio. Quod fuit scitum diu ante per aliquot magnos ordinis sui, & per quosdam nobiles & ignobiles, qui Templarii fuerant, ut putatur; quos Dominus Guillelmus de Nogareto captos in diversis partibus Regni Franciæ fecit ad testificandum adduci, & Corbolii in carcere reservatos diu & secretissime custodiri. Cujus custodiæ præceptor & dispositor erat Frater Ymbertus Prædicator, & Regis Confessor. Hi se opponebant viriliter & audaciter ad probandum crimina prætacta esse in eis etiam ex eorum professione communi. Et detenti fuerunt Corbolii, usquequo Magister & alii capti fuerunt, & dicta crimina saltem pro parte recognoverunt. In crastino captionis eorum, die scilicet Sabbati, congregatione facta in Capitulo Ecclesiæ Beatæ Mariæ Parisiensis Magistrorum Universitatis, & Canonicorum ejus-

ejusdem Ecclesiæ, dictus Guillelmus de Nogareto cum Præposito Parisiensi, & quibusdam aliis Regis Ministris, ipse Dominus Guillelmus, cui principaliter commissum erat negotium, totum factum retulit, & quinque casus enormissimos, in quibus accusabantur, narravit. Videlicet quomodo in sua professione facta semper de nocte Christum abnegabant, ejus imaginem conspuebant & conculcabant, & caput quoddam cum inclinatione & reverentia adorabant. Receptorem suum in tribus locis osculabantur. Sacerdotibus ordinis præcipiebatur, ne in hora consecrationis Corporis Christi in Missa sua verba consecrationis proferrent, & ne cum mulieribus coirent, sed ad invicem hoc facerent, & alter alteri non negaret.

Item die Dominica sequenti Idus Octobris publicus sermo factus est in viridario Regis: ubi primò à Fratribus, postea à Regis Ministris caussa captionis eorum intimata est, & prædicti casus tacti, ne Populus scandalizaretur de eorum tam subitanea captione. Erant quippe potentissimi divitiis & honore. In quo sermone fuerunt Populus & Clerus omnium Parochialium Ecclesiarum Parisiensium. Postea congregatione generali omnium Magistrorum & Scholarium cujusque facultatis facta apud Templum, Magister transmarinus adductus, & quidam alii coram omnibus confessi sunt quosdam articulorum prædictorum. Et dixerunt aliqui eorum, quòd credebant hunc modum professionis suæ maledictæ cœpisse jam erant quadraginta anni & amplius, & hactenus fuerat occultatum. Item in alia Congregatione coram Universitate Magistri & alii plures totum simpliciter sunt confessi, & Magister pro toto Ordine. Item Eleemosynarius Regis Thesaurarius Templi Parisiensis hoc etiam recognovit. Unde positi sunt in carceribus sequestratim: quidam in ipso Templo, ubi fama referebat plures mortuos fuisse præ inedia, vel cordis tristitia, vel ex desperatione suspendio periisse. Alii apud Luparam ducti sunt, alii alibi, secundùm Regis imperium, & Ministrorum regalium voluntatem. Postea Magister transmarinus, & tres alii magni viri quondam ducti sunt apud Corbolium, & ibidem in ipsa domo regia in carcere sigillatim servati. Eleemosynarius autem Regis, & Magistri quidam locorum Franciæ apud Moretum sunt ducti, & alii ad alia loca destinati, donec secundùm judicium Romanæ Curiæ expedirentur. Dicebatur autem, quod Papa captione Templariorum per totum Regnum auditâ plurimorum turbatus est, quia Rex hoc videbatur nimis festinanter, & quasi præcipitanter egisse. Ob hoc ei primo impetu displicebat. Sed postea placuit, & captionem approbavit, ita tamen quod Rex absque judicio Papæ, & Curiæ Romanæ exsequutioni non præsumeret demandare. Et ob hoc Rex in suis Parlamentis Meleduni, & alibi hoc sollicite tractabat cum Principibus & Prælatis. Hoc anno venit Magister Hospitalis transmarinus Pictavim, & inde postea in Franciam venit, ut loca Hospitalis visitaret, & Fratres sibi subjectos; à Papaque & Curia similiter & à Rege Franciæ & aliis receptus est cum honore, mansitque hìc & ibi diu. Quumque Papa esset Pictavis, data est pro transfretatione Indulgentia maxima tertio Idus Augusti, de qua infra. Eodem anno in Januario, in die Conversionis Sancti Pauli, Edoardus V. Rex Angliæ desponsavit, Romanâ Curiâ consulente & procurante propter bonum pacis, filiam Regis Franciæ Philippi IV. nomine Isabellam: quæ ei ducta est honorifice, pro ut decebat, à nobilioribus proceribus usque Bononiam; ubi patre, fratribusque suis Carolo ac Ludovico Comitibus, fratribusque dictæ Isabellis Ludovico Rege Navarræ, qui redierat nuper de Navarra, Philippoque & Carolo & tota nobilitate Franciæ præsentibus, sunt nuptiæ solemniter celebratæ; pluresque Barones ipsam adduxerunt usque in Angliam, ubi à Rege Angliæ & nobilibus cum ingenti gaudio sunt recepti. Erat autem dicta Isabellis circiter duodecim annorum. Tunc etiam Rex Francorum Philippus IV. dedit uxorem Carolo tertiogenito suo alteram filiam Ottonis quondam Comitis Burgundiæ ex filia Comitis Atrebatensis Roberti, quorum nuptiæ sunt apud Hedin adstantibus amicis utriusque, Regeque præsente solemniter celebratæ. Eodem anno Domina Margareta relicta Edoardi IV. venit in Franciam, tribus filiis suis sub custodia dimissis. Mansitque cum matre sua Maria aliquanto tempore in terra suæ dotis.

Anno MCCCVIII. quum Papa Pictavi diu cum Curia resedisset, Rex se movit de Francia, ut eum visitaret, & cum eo & Cardinalibus loqueretur de multis, præcipue de negotio Templariorum. Fecitque Parlamentum nobilium & ignobilium de cunctis Regni sui Castellaniis & Urbibus, Turonis congregari; consilium habiturus, antequam ad Papam accederet, quod de Templariis fieri secundùm eorum confessionem deberet. Diesque est assignata omnibus, qui fuerant invitati Mense proximo futuro post diem Paschæ. Intendebat enim Rex sapienter agere. Et ideo volebat hominum cujuslibet conditionis Regni sui habere judicium vel assensum, ne posset in aliquo reprehendi. Unde proponebat non solùm reportare secum deliberativum judicium nobilium & literatorum, sed & civium & laicorum. Qui personaliter illuc comparentes, fere omnes dixerunt communiter eos esse meritò reos mortis, Parisiensis etiam Universitas, præcipue Magistri in Theologia, requisiti expresse suam dare sententiam vel censuram, & mittere confessionem Magistri Templi, & quorundam aliorum magnorum, Sabbato post Ascensionem Domini factâ congregatione generali, per manum Tabellionis scriptam dictam confessionem Regi mandaverunt, & copiam literarum Magistri Templi, quibus omnibus Fratribus suis intimabat, quòd hæc & hæc fuerat confessus, & quòd idem confiterentur omnes, velut antiquo decepti errore: mandaveruntque Regi standum esse Curiæ Romanæ censuræ, quæ specialiter habet de religiosorum actibus & hæresibus seu criminibus enormibus judicare. Tunc Rex ivit Pictavim, fratrum ac filiorum, & Consiliariorum discretorum comitivâ munitus. Fuitque ibi prætactum negotium, factis allegationibus, & rationibus pro parte Papæ & responsionibus pro Rege, rationibusque & replicationibus multis utrimque, coram Cardinalibus, Cleroque, & ceteris, qui aderant, morose discussum. Tamdemque conventum est inter eos, quòd Rex bona eorum omnia levaret, seu levari faceret fideliter per Ministros, & servaret ea usquequo Papa cum ipso Rege deliberasset, quid agi expediret, sed puni-

punitionem corporum Rex non faceret fine Papa, corpora tamen eorum servari faceret, sicut fecerat, & de proventibus domorum Templi sustentari usque ad Concilium generale futurum: corpora tamen eorum ex tunc ponebat Papa in manu sua. Illuc quoque antequam Rex in Franciam remeasset, ducti sunt Magister transmarinus Templi, & plures alii, qui voluntatem Papæ & Regis audierunt. Sed post breve tempus sunt ad pristinas prisiones reducti usque ad Concilium generale, quod tunc ordinatum est fore Viennæ post duos annos in Octavis omnium Sanctorum. Et ex tunc intimari cœpit à Papa quantum ad remotiores partes Orbis, in quibus Christianitas viget. Postea longâ morâ contractâ Pictavi, & eundo ac redeundo, Rex & sui in Franciam redierunt. Papa quoque circa Augustum, Concilio generali ordinato, & quibusdam aliis negotiis cum Rege Franciæ, & aliis, expeditis, aliquibusque dilatis vel suspensis, de Pictavi recessit: Curiâque solutâ, & Cardinalium pluribus licentiatis, & aliquot secum ductis, in Vasconiam ivit, habitans satis prope Burdegalensem Urbem; & Cardinales, qui secum erant, in loca vicina vel propinqua suam habitationem fecerunt. Circa hoc tempus captus est Dominus de Ulmeto prope Corbolium, Miles satis nobilis & dives, & ductus Parisius in Castelleto, districtoque carceri mancipatus. Capti sunt etiam alii pro eâdem caussâ, & ibidem incarcerati. Quæ siquidem caussa fuit, quia uxorem suam nobilem Dominam, moribus gratiosam, filiam Domini Matthæi de Tria senioris, quæ in nuptiis Regis Angliæ Edoardi V. nuper Bononiæ celebratis fere præ cunctis aliis Dominabus de morum venustate & decore corporis ab omnibus fuerat commendata, ob amorem inordinatum suæ concubinæ, procuraverat veneficiis vel maleficiis post reditum à nuptiis dictis occidi vel extingui secundùm judicium medicorum. Ob hoc igitur dicta concubina, & quædam aliæ criminis hujusmodi fautrices & reæ Parisius ductæ vitam turpiter amiserunt ignis combustione, vel subterratione, prout dignæ erant. Carolus Comes Valesiæ frater Regis duxit uxorem filiam Comitis Sancti Pauli; & primogenitus Hugonis quondam Comitis Blesensis, Comes scilicet futurus, duxit uxorem filiam dicti Comitis Caroli ex uxore sua defuncta, herede Imperii Constantinopolitani. Dominicâ ante festum Sancti Dionysii in Octobri facta congregatio Populi & Cleri in virgulto Regis, quia jam captus fuerat, & apud Luparam Parisius arcto carceri mancipatus Guichardus Episcopus Trecensis, primùm in Abbatia ejusdem Urbis de Ordine Sancti Benedicti Monachus, & post Abbas, postea factus Præsul, pro eo quod Dominus Ludovicus Rex Navarræ ob suspicionem exortam & inquisitionem postmodum rite factam invenerat eum, ut dicebatur, suspectum de obitu matris suæ, quæ dicebatur veneficiis vel invocatione defuncta. Quidquid fuerit, prædictus Episcopus Trecensis, nullius privilegii fretus vel fultus juvamine, turpiter est detentus in carcere, longoque tempore reservatus.

Anno MCCCIX. Alberto Regi Alamanniæ per electionem solitam successit Henricus Comes Lucemburgi, juvenis, sed strenuus in armis. Magister Petrus de Greffibus, quondam Cantor Parisiensis, vir nobilis genere, & in utroque Jure peritus, frater scilicet Johannis de Greffibus Militis Franciæ Marescalli, Campaniæ, Briæque Cancellarius & Navarræ, in festo Sancti Thomæ Apostoli à Guillelmo Parisiensi Episcopo fit Sacerdos apud Montem Lethericum. Et postea Dominicâ primâ Januarii, videlicet in Vigilia Epiphaniæ, cum honore Parisius est in Episcopum Antissiodorensem consecratus: illâque die fecit convivium festivum & solemne apud Fratres Minores. Circa idem tempus Indulgentia valde magna transfretantibus in subsidium Terræ Sanctæ, vel pecuniam suam largientibus, quam Papa anno Domini MCCC. VII. tertio Idus Augusti Pictavis concesserat, & Magistrum Hospitalis transmarini exsequutorem seu receptorem constituerat, est per Regnum Franciæ publicata. In principio Veris venit Papa de Burdegala, ubi hyemaverat, Avinionem. Ibique in domo Fratrum Prædicatorum pro se diligenter parata habitans, longo tempore in eadem Urbe mansit; secutique sunt eum Cardinales. Et fuit ibi Curia usquequò eundum fuit ad Concilium Generale. Quod, inquam, Concilium tunc habitâ deliberatione retardatum est usque ad annum Domini MCCCXI. Nuntiique super hoc intimando tunc per omnes provincias Christianitatis directi. Rex Siciliæ Carolus II. obiit post Pascha, anno regni sui XXI. pluribus liberis superstitibus sexus utriusque relictis; quorum primogenitus est postmodum eodem anno à Papa, Cardinalibus consentientibus, Avinione in Regem Siciliæ coronatus. Filiarum autem præfati Caroli una erat Aragoniæ Regina, Domini Jacobi uxor, alia Siciliæ Domina, uxor Frederici, & alia filii Regis Majoricarum uxor, altera Principi Tarentino de heredibus Sabaudiæ desponsata. Eodem anno in Pascha obiit Stephanus Bequart Archiepiscopus Senonensis, quum præfuisset dictæ Sedi annis circiter XVI. Et eodem anno Philippus de Marrigniaco, natione Nortmannus, de Cameracensi Episcopatu translatus est per Papam & Regem ad Metropolitanam Sedem Ecclesiæ Senonensis. Et successit ei in Episcopatu Cameracensi Petrus de Merapicio, prius Episcopus Magalonensis. Eodem tempore post Augustum fuit bellum in Hispania. Rex namque Castellæ nomine Alphonsus filius Domini Sansonis contra quosdam Reges Saracenorum pugnavit cum exercitu suo. Et quum quidam Christiani, inter quos erat Episcopus Sibilæ, cum paucis pro præda cum hostibus subitò irruentibus confligerent, à Saracenis fugati sunt & devicti. Sed brevi elapso tempore in majori prœlio habuerunt Christiani victoriam. Tuncque filius Regis Granadæ, & frater ejusdem cum multis aliis Saracenis à Christianis Hispaniæ, & præcipue à Rege Aragoniæ Jacobo, & à filio Regis Majoricarum, devicti sunt, dictis filio Regis Granadæ & fratre occisis, aliisque omnibus captis vel occisis, vel vix per fugæ subsidium liberatis. Henricus Rex Alamanniæ jam dudum à Paribus Alamanniæ in Imperatorem Romanum electus, & ab eis Papæ & Cardinalibus propter hoc implendum seu confirmandum præsentatus, pro ut moris est, hoc anno habuit consensum eorumdem habendi Imperii dignitatem, si aliorum, ad quos de consuetudine pertinebat eum recipere, posset favorem obtinere.

Anno MCCCX. Prælati Franciæ ex Papæ præ-

A præcepto quilibet in sua Diœcesi fecerunt de Templariis inquestas solemnes. Eodem anno inter Pascha & Pentecostem, inquisitione sufficienti facta de Templariis tam ab illis octo, quibus specialiter hoc erat commissum, quàm à Prælatis Franciæ in locis suis, & nullo contingentium, ut arbitramur, ommisso, sunt plurimi Templariorum in diversis partibus Regni, seu provinciis coram Clero & Populo in locis publicis, velut rei criminum supra tactorum ab Archiepiscopis traditi justitiæ seculari: quorum quidem erant Sacerdotes, sed ibidem degradati positi sunt in numero ceterorum. Sunt itaque per manum justitiæ secularis infra brevem moram Parisius combusti. B Nempe, ut ferunt, tunc fuerunt quinquagiuta quatuor incendio concremati, & similiter alibi multi, & meritò, pro ut plurimis videbatur. Eorum autem quidam sunt iterum in carcere detenti, quousque deliberatio plenior haberetur. Quidam autem vestibus illius Religionis abjectis, & secularibus assumtis, sunt absoluti & liberi dimissi. Nam illi, qui præfatos casus enormes de se & aliis publice confessi sunt, & postea negaverunt, velut prolapsi, combusti sunt. Qui autem numquam voluerunt fateri, in carceribus detinentur. Qui verò primò confessi sunt, & semper confitentur, pœnitentes & veniam postulantes, liberi sunt dimissi. Ludovicus primogenitus Regis Franciæ Rex Navarræ du- C xit in Junio validum Francorum exercitum in Burgundiam contra Archiepiscopum Lugdunensem, Regi patri ejus, pro ut videbatur, rebellem, eumque captum adduxit circa festum Mariæ Magdalenæ, coëgitque eum parere regiæ potestati. Tunc erant duo Cardinales in Francia, Frater Nicolaus Normannus quondam Regis Franciæ Confessor, & quidam alius: qui de quibusdam negotiis, puta de Templariis, & de Episcopo Trecensi, de quo supra aliqua tulimus, tractaverunt. Sed hæc & alia sunt determinationi generalis Concilii reservata. In Septembri duxit uxorem Dominus Ludovicus Clarimontis filius filii Sancti Ludovici sororem juvenis Comitis D Hannoniæ, quorum nuptiæ factæ sunt apud Pontisaram solemniter & festive.

Anno MCCCXI. ut dicitur, in die Epiphaniæ fuit Henricus Rex Alamanniæ, & jam Imperator vocatus, Mediolani, pro ut Imperatorum moris est, coronatus. Eodem anno Archiepiscopus Narbonensis Consiliarius & Magister Curiæ Regis Franciæ, de Sede Narbonensi translatus est ad Rothomagensis Ecclesiæ Præsulatum. Eodem anno duxit Guido juvenis Comes Blesensis uxorem unam filiarum Domini Caroli fratris Regis circa Magdalenam, eorumque nuptiæ cum magno festo apud Silvanectum sunt factæ. Eodem E anno venit Imperator Romam coronâ aureâ coronandus. Cui venit obviam Rex Siciliæ Robertus, obsidens eum infra Urbem. Mandaverat autem dictus Rex Imperatori petenti homagium ab ipso, quod nihil tenebat ab eo, & quod Regnum suum progenitores sui cum gladio de voluntate Ecclesiæ acquisierant, & propter defectum Imperatoris, qui tunc vivebat, qui contra Ecclesiam rebellavit, & quòd si versùs Romam procederet, ei viriliter obviaret. Fuit igitur gravis controversia & pugna inter eos, & ex utraque parte plurimi ceciderunt. Tamen plures ex parte Imperatoris. Tamen victoria sibi cessit, ita quod Regem oportuit terga dare. Quibusdam autem mediatoribus intervenientibus treugæ sunt inter eos confirmatæ. Eodem anno Papa tenuit Concilium in Vienna, in quo fuit de Templariis ordinatum, & reditus eorum Hospitalariis assignati, in subsidium Terræ Sanctæ. Ibi fuit magna altercatio de exemtis, quia Prælati petebant, quod exemta Collegia tam religiosa quàm secularia eorum regimini subderentur. Sed noluit Papa consentire. Dicitur à pluribus, quod pro extorquenda pecunia Concilium fuit factum. (*) Ibi facta fuit Constitutio de Regula Minorum ad sedandum schisma inter eos ortum. Quidam enim separabant se à modo communi vivendi, dicentes, quod Regulæ Sancti Francisci repugnabat, quum secundùm ipsam paupertas perfecta, & victus parcitas voveretur, quibus non concordabat ædificiorum & vestimentorum pretiositas, & ciborum copia. Unde tales curtos habitus & viles assumserunt. Alii autem vocabant eos Sarabaitas & excommunicatos, qui tamen à Populo dicebantur spirituales, & tantum in provincia Narbonensi prævaluerunt, quod de Conventu Narbonensi & Biterrensi alios expulerunt, Populo favente eis. Nec tamen ratione illius Constitutionis potuit illud schisma exstirpari usque ad tempus Johannis Papæ XXII.

Papa Clemens Pontificatus sui anno VIII. canonizavit Sanctum Petrum Eremitam, qui Papa Cælestinus vocatus sederat, & se deposuerat, & eum pro sanctitate vitæ, & miraculorum veritate, de quibus inquiri fecerat diligenter, Sanctorum Confessorum catalogo, de Cardinalium consilio & assensu, & omnium Prælatorum tunc apud Sedem Apostolicam existentium, supplicatione devota duxit adscribendum. Obiit autem supradictus Christi Confessor Petrus XIV. Kalendas Junii, & canonizatus est Avinioni III. Nonas Maji, Pontificatus Clementis anno VIII. In fine hujus anni Scoti cum Anglicis pugnantes sunt superati. Dominus autem Ludovicus frater Regis Franciæ, & Comes Ebroicensis, volens eos concordare, in Angliam transfretavit, & ad ejus procurationem sunt inter eos anni unius treugæ confirmatæ. Rogavit autem Princeps, ut in sequenti Pentecoste Parisius convenirent ad honorandum Regem, qui tunc debebat tres filios suos Militiâ insignire. Omnes verò Principes Anglici huic petitioni consenserunt, & præsentiam promiserunt. Sequenti igitur Pentecoste venit Parisius juvenis Rex Angliæ Edoardus, & Regina similiter Regis Franciæ filia. Non est memoria, quòd numquam fuerit in Francia tantum festum. Omnes enim Duces Franciæ, Comites, & Barones affuerunt, qui ornamenta tribus vicibus in die mutaverunt. Omnes Artifices processionaliter incedebant, & illi de singulis artificiis habebant distincta ornamenta ab aliis. Quidam cum hoc Infernum effingebant, alii Paradisum, alii processionem Vulpis, in qua singula animalia effigiata singula officia exercebant. Fuit autem tota Civitas sericis & pretiosis lineis cooperta, & erant per omnes vicos luminaria infinita. In die igitur Pentecostes fecit Rex tres filios suos

(*) Labes avaritiæ, cujus etiam columna 451. Clementem V. insimulat hic Auctor, sanctissimo optimoque Pontifici à malevolis impacta fuit cum plurium odium invenisset ob translatam in Gallias sedem, extinctosque Templarios, ut notat Rainaldus ad an. 1314. n. 15.

suos Milites, & multos Nobiles cum iisdem. Prima die fecit Rex prandium copiosum, secundâ Rex Navarræ, tertiâ Rex Angliæ solemnissimum, quod fuit factum in Hortis Sancti Germani de Pratis nobilissime coaptatis. Rex autem Franciæ omnes Dominas habuit illa die in Lupara, feriâ quartâ Ludovicus Ebroicensis Comes prandium ministravit, & in crastino Carolus frater Regis. Illâ quartâ feriâ facta fuit Crucesignatio in Insula Sanctæ Mariæ. Ubi fuit Dominus Nicolaus Sancti Eusebii Cardinalis, & Prælati plures, qui Cruces volentibus porrigebant. Igitur Rex Franciæ, & tres filii ejus, & Rex Angliæ, & omnes novi Milites, & Barones Crucem ceperunt. Quod videntes eorum uxores, omnes in crastinum Cruces similiter ceperunt, conditione apposita, quod si viri earum minime transfretarent, vel si aliqui eorum, antequam iter arriperent, morerentur, à voto liberæ essent. Quintâ feriâ omnes Artifices & Burgenses se in equis & pedites ostenderunt processionaliter ab Insula Sanctæ Mariæ per claustrum usque ad Regis Palatium incedentes, ita quod Rex cum multis Nobilibus eos vidit per fenestras. Et æstimati sunt equites vigintimille, & pedites trigintamille. Et sic horâ vespertinâ versùs Sanctum Germanum de Pratis perrexerunt. Quos videns Rex Angliæ obstupuit, & omnes sui. Vix enim credere valerent, quòd de una sola Civitate tanta & tam nobiliter parata potuerit exire multitudo. Postquam per octo dies duraverat dictum festum, Reges Franciæ & Angliæ iverunt Pontisaram, ut mutuum haberent parlamentum. Sed quadam nocte ignis in guardaroba Regis Angliæ est accensus, & multam supellectilem perdiderunt. Rex & Regina undique in camisiis de incendio aufugerunt. Eodem anno videns Imperator, quòd suo proposito frustrabatur, eo quod Rex Robertus sibi in omnibus resistebat; inde tactus dolore cordis intrinsecus lecto prosternitur, & sicut potuit ad Capellam veniens, sacro Domini Corpore se munivit. Et quia veniendo ad Capellam laboraverat ultra vires, apostema, quod latebat in corpore ex inordinatis armorum laboribus generatum, ipsum in brevi suffocavit. Multi tamen dixerunt, quod Confessor suus de Ordine Prædicatorum ei potum in Calice ministravit venenatum. Ex quo Pisani & Theutonici amici dicti Imperatoris Fratribus multas injurias irrogarunt; licèt Medici dixerint coram Papa ipsum veneno extinctum non fuisse. Obiit autem prope Pisis.

Anno MCCCXIV. Nicolaus Cardinalis de mandato Papæ ordinavit de Templariis, multis Prælatis & Clericis congregatis. Quidam autem ex Templariis dictos errores confessi sunt, & in confessione perdurantibus illis est vita tamquam pœnitentibus data. Alii semper negant, & isti in carcere detinentur. Tertii primò confessi sunt, sed dixerunt postea se mentitos propter vehementiam tormentorum. De quibus non fuit Magister Generalis, quia sine omni tormento errores plenarie recognovit. Nec est verisimile, quòd viri tam nobiles, sicut multi inter eos erant, umquam tantam vilitatem recognoscerent, nisi veraciter ita esset. Unde tales sunt ad incendium judicati. Magisterque fuit combustus in parva Insula sub Capella. Hoc etiam anno Papa Clemens feriâ tertiâ post quindenam Paschæ obiit apud Carpentras. Gascones autem, qui cum eo steterant, intenti circa sarcinas, videbantur de sepultura corporis non curare, quia diu remansit insepultum.

E Vitis Paparum Avinionensium penes Baluzium.

Ejusdem Clementis V. Papæ Vita

Auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi.

CLemens V. natione Vasco, de loco qui Vilhandrau dicitur Burdegalensis Diœcesis oriundus, ex patre Beraudo Milite, fuit electus in Papam apud Perusium in Vigilia Pentecostes, quæ fuit nonis Junii, anno Domini MCCCV. Sedit annis VIII. mensibus X. diebus XV. à die suæ electionis usque in diem sui obitus computando. Vacavit autem Sedes annis duobus, mensibus tribus, diebus septemdecim. Hic prius vocabatur Bertrandus de Gotho, fuitque primo Episcopus Convenarum, & exinde translatus in Burdegalensem Archiepiscopum, electusque est in Papam, & tunc temporis suam provinciam in Pictavia visitabat. Rediens autem de Pictavia Burdegalam in mense Julii subsequentis, receptus fuit cum ingenti gaudio & honore, ubi recepit Decretum electionis suæ in crastino Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Et sequenti die, scilicet XI. Calendas Augusti, in præsentia Prælatorum & Magnatum in Ecclesia Cathedrali Sancti Andreæ, Sede sua sedens, in cathedra Clemens vocari voluit & elegit. Et ex tunc cœpit agere & se gerere sicut Papa. De Burdegala verò recessit in fine sequentis mensis Augusti, pervenitque Lugdunum. Conveneruntque ad eum Cardinales; fuitque coronatus Lugduni in Ecclesia Sancti Justi Dominicâ infra Octavas Sancti Martini, scilicet XVII. Calendas Decembris, præsente Domino Rege Franciæ Philippo. Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno primo, in Adventu Domini subsequenti, scilicet XVIII. Calendas Januarii, fecit unam Ordinationem Cardinalium, inter quos fuerunt Petrus de Capella Episcopus Tolosanus, Berengarius Fredoli Episcopus Biterrensis, Arnaldus de Cantalupo electus Burdegalensis, Frater Thomas Anglicus Magister in Theologia, & Frater Nicolaus Gallicus Confessor Regis Franciæ, ambo de Ordine Prædicatorum, Stephanus Archidiaconus Brugensis Cancellarius Regis Franciæ, Guillelmus Atrufati, Arnaldus de Pelagrua, Raymundus de Gotho nepos Papæ, Petrus Arnaldi Bearnensis Abbas Sanctæ Crucis Burdegalensis, cui non fuerunt anni attributi in Cardinalatu, sed obiit infra annum. Item Jacobum & Petrum de Columna patruum & nepotem, quos Bonifacius Papa deposuerat, reposuit in Cardinalibus, Rege Franciæ procurante.

Anno autem Domini MCCCVI. Clemens Papa recedens de Lugduno rediit Burdegalam, ubi sedit cum sua Curia illo anno.

Deinde Anno Domini MCCCVII. Clemens Papa cum sua Curia de Burdegala vadit apud Pictavim, ubi stetit Curia anno uno & amplius. Eodem anno in festo Sancti Eduardi Regis, tertio Idus Octobris, fuerunt capti Templarii ubique in toto Regno Franciæ subitò una die.

Anno autem Domini MCCCVIII. circa finem mensis Augusti Clemens Papa cum Curia sua recessit de Pictavi versùs Avinionem dirigens gressus suos, ubi cum Curia sua sedit.

Anno

Anno autem Domini MCCCIX. venerunt Nuntii, & Ambaxatores Regis Alamanniæ Henrici apud Avinionem, petentes confirmationem electionis & coronationem Imperii ab ipso Papa sibi dari. Papa verò ejus electionem admisit & confirmavit, volens ipsum nominari Regem Alamanniæ & Romanorum, & coronationem Imperii promisit, tempus eidem assignando, ut à festo Purificationis ad duos annos Romam veniret, coronam imperii percepturus. Eodemque anno Domini MCCCIX. Idibus Septembris apud Avinionem Clemens PP. ad instantiam Regis Faanciæ Philippi, & suorum in publico Consistorio pronuntiavit, ut liceret prosequi volentibus procedere contra memoriam damnandam Bonifacii Papæ VIII. qui ab eisdem jamdudum de crimine hæresis exstiterat infamatus.

Anno autem Domini MCCCX. quinto Idus Maji per Archiepiscopum Senonensem cum suis suffraganeis in Concilio Provinciali Parisius congregatis fuerunt sententiati & judicati Templarii ex propriis confessionibus tamquam impœnitentes, super nefanda & profana professione sua. Fueruntque relicti Curiæ Seculari, & per eamdem igni traditi & combusti. Unum autem mirandum fuit, quod omnes & singuli eorum confessiones suas, quas prius jurati fecerant in judicio, retractaverunt, dicentes, se falsa fuisse confessos, nullam super hoc reddentes caussam aliam nisi vim aut metum tormentorum, quòd de se talia faterentur. Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno sexto, Dominicæ verò Incarnationis anno MCCCX. in Sabbato quatuor Temporum Adventus, scilicet XIV. Calendas Januarii, apud Avinionem fecit secundam ordinationem quinque Cardinalium. Qui fuerunt, Arnaldus de Falgueriis Archiepiscopus Arelatensis, Bertrandns de Bordis Episcopus Albiensis, qui obiit infra annum sequenti mense Septembris, Arnaldus Novelli, Abbas Fontisfrigidi Cisterciensis Ordinis, Raymundus de Fargis Nepos Papæ ex sorore, Bernardus de Garvo de Sancta Liberata.

Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno septimo, Dominicæ verò Incarnationis anno MCCCXI. in Calendis Octobris apud Viennam supra Rhodanum generale Concilium convocavit; fuitque prima Sessio Concilii inchoata XVII. Calendas Novembris. Et inter colloquia & tractatus super agendis, deductum est tempus per totam hyemem subsequentem.

In sequenti verò mense Martii, feriâ quartâ in Ebdomada Sancta, undecimo Calendas Aprilis, summus Pontifex multis Prælatis cum Cardinalibus coram se in privato Consistorio convocatis, per provisionis potiùs quàm condemnationis viam, Ordinem Militiæ Templariorum cassavit & penitus annullavit, personis ac bonis ejusdem Ordinis dispositioni & ordinationi suæ & Ecclesiæ reservatis. In sequenti verò mense Aprilis, tertiâ die ejusdem mensis, anno Dominicæ Incarnationis jam mutato, scilicet MCCCXII. fuit secunda Sessio Concilii celebrata. In qua prædicta cassatio Ordinis Templariorum fuit per summum Pontificem radiante Concilio promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo cum tribus filiis suis, cui negotium erat cordi. Sicque annullatus est Ordo Templi post annos centum octoginta quatuor, quibus militaverat, impinguatus ac dilatatus nimis. In sequenti verò mense Maji, pridie nonas ejusdem mensis, in festo Sancti Johannis ante Portam Latinam, Sabbato infra Octavas Ascensionis Domini, fuit tertia & ultima Sessio celebrata, & Concilium, quod fere septem mensibus protractum fuerat, terminatum. In quo fuerunt multæ Constitutiones editæ. Post celebrationem verò Concili Clemens Papa cum Curia sua versùs Avinionem revertitur de Vienna. Eodem verò anno Domini MCCCXII. Sabbato in jejuniis quatuor Temporum Adventus, scilicet X. Calendas Januarii, apud Avinionem Clemens Papa fecit tertiam ordinationem novem Cardinalium, quos assumsit, qui fuerunt, Guillelmus de Mandagoto Archiepiscopus Aquensis, Jacobus de Osa Episcopus Avinionensis, Berengarius Episcopus Biterrensis, Arnaldus de Auxio Episcopus Pictaviensis, Frater Guillelmus Petri Magister in Theologia, Lector Palatii, de Ordine Prædicatorum, Frater Vitalis de Furno Magister in Theologia de Ordine Fratrum Minorum, Michaël de Becco Gallicus, Decanus Sancti Quintini, Guillelmus Testa Condomiensis, item Abbas Sancti Severi Ordinis Sancti Benedicti.

Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno VIII. Dominicæ verò Incarnationis anno MCCCXIII. quintâ die Maji in Sabbato apud Avinionem canonizavit Fratrem Petrum de Murono, quondam Papam Cælestinum, & sub nomine Sancti Petri Sanctorum Confessorum catalogo annotavit, à transitu ejusdem Sancti Petri anno decimo septimo. Fuitque ejus festivitas instituta XIV. Calendas Junii, qua die transiit ex hoc Mundo. Anno autem Dominicæ Incarnationis MCCCXIII. circa finem hujus anni, in festo Sancti Benedicti Abbatis, in Castro de Montiliis prope Carpentoratem Civitatem, in qua tunc Curia morabatur, Clemens Papa fecit coram se in Consistorio publicari Constitutiones, quas prius fecerat ordinari: ex quibus decreverat fieri Librum unum, quæ dicuntur Constitutiones Clementinæ; Cœpitque exinde ægrotare. Unde post obiit tricesimâ die, scilicet XII. Calendas Maji; & sic Constitutiones illæ non fuerunt missæ ad Studia generalia, ut est moris, nec expositæ communiter ad habendum, sed remanserunt sic quadriennio in suspenso, donec postmodum per successorem ejus fuerunt publicatæ, & sub Bulla ad Studia generalia destinatæ.

Hic Clemens Papa quum de Carpentorate Civitate infirmus portatus fuisset ultra Rhodanum apud Castrum de Roccamaura, obiit ibidem XII. Calendas Majas, Pontificatus sui anno nono, Dominicæ verò Incarnationis anno MCCCXIV. Fuitque revectum corpus ejus ultra Rhodanum apud Carpentoratem Civitatem, ubi Cardinales cum alia Curia residebant. Sequenti verò mense Augusti de Carpentorate fuit transvectum Corpus ejus in Vasconiam patriam suam; fuitque sepultum, sicut elegerat, in Ecclesia Beatæ Mariæ de Usesta Diœcesis Vasatensis. Defuncto autem Clemente Papa, Cardinales numero XXIII. qui apud Carpentoratem Civitatem cum alia Curia residebant, intrantes Conclave in Palatio Episcopali pro electione summi Pontificis facienda, quum ibidem aliquandiu perstitissent, non valentes concordare, subortâ gravi & grandi turbatione & commotione exterius inter familias eorumdem, ipsum Conclave circa festum beatæ Mariæ Magdalenæ con-

concorditer exierunt, statuentes tempus, infra quod redire deberent ad eumdem locum ad electionem summi Pontificis celebrandam. Sed subortis variis quæstionibus & jurgiis in invicem, quæ stilo magis relinquenda sunt, quàm scribenda, illuc minime redierunt, sed in diversis Civitatibus & Villis dispersi sunt. Steteruntque sic divisi loco & proposito annis ampliùs quàm duobus, fueruntque tractatus plures habiti per personas medias inter eos.

Quorum finis tamdem fuit, mediante Domino Philippo tunc Comite Pictaviæ, germano Regis Franciæ Ludovici, cui successit in Regno: quòd congregati sunt in Lugduno, ubi convenerunt in Conventu Fratrum Prædicatorum in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, anno Domini MCCCXVI. Ibique diligentiâ, arte, & ingenio præfati Domini Philippi, & consilii sui, fuerunt omnes conclusi, nec exire permissi, quum priùs nescirent, nec crederent, se ibi debere concludi. Non enim potuissent in unum diversis animis aliàs congregari.

E Vitis Paparum Avenionensium apud laudatum Baluzium.

Clementis Papæ V. Vita

Auctore quodam Veneto coætaneo.

CLemens V. natione Vasco, sedit annos VIII. menses X. dies XV. Hic fuit Episcopus Convenarum annis quinque. Inde per Bonifacium Burdegalas translatus est. Hic recepto Decreto, Lugdunum profectus, evocatis ad se Cardinalibus, ibi coronatus est, & ibidem decem Cardinales fecit, & duos de Columna restituit.

MCCCIX. electionem Henrici confirmavit de mense Junii. Eodem anno misit Nuntios ad Regem Rasiæ, qui ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ promiserat se venturum, quia Veneti cum Carolo Sine-Terra concordaverant super recuperando Constantinopolitano Imperio. Videns autem propter mortem uxoris dicti Caroli, quæ Imperatrix vocabatur, tractatum non procedere, Papales Nuntios vacuos remisit.

MCCCX. fecit aliam ordinationem quinque Cardinalium, XIV. Calendas Januarii.

MCCCXI. congregavit Concilium apud Viennam, & in prima Sessione XVII. Calendas Novembris proposuit de agendis, videlicet de Ordine Templariorum, qui graviter culpabatur: de Passagio transmarino; & generaliter de reformatione totius status Ecclesiæ, & conservatione Ecclesiasticæ libertatis.

In sequenti Martio, XI. Calendas Aprilis, multis vocatis Prælatis cum Cardinalibus in privato Consistorio, Ordinem Templariorum cassavit. Tertiâ autem die Aprilis MCCCXII. fuit Secunda Sessio Concilii, & prædicta cassatio coram omnibus publicata est. Tertia Sessio fuit pridie nonas Maji. Fuitque Concilium prædictum quasi mensibus septem. Pro Passagio congregata fuit pecunia, & armorum ac aliarum rerum copia, offerentibus fidelibus viris ac mulieribus jocalia, & quæ habebant carissima, Hospitalariis ad hoc missis, qui vili pretio distrahebant. De Passagio verò nihil sequutum est. Propter quæ magnum scandalum in Christiano Populo sequutum est. Eodem anno, X. Kalendas Januarii fecit tertiam ordinationem novem Cardinalium.

MCCCXIII. ad Consistorium produxit Constitutiones priùs editas: & intendebat Septimum Librum Decretalium componere, sed morte præventus non potuit.

De ceteris emergentibus.

HEnricus ex Comitibus de Lucemborch, operibus quàm opibus memorabilioribus in festo Sanctæ Catharinæ electus, & in sequenti Epiphania Aquisgrani coronatus est. Sequenti verò anno, idest MCCCIX. ad Papam Clementem Nuntios misit Episcopos duos & Comites tres, coronam petens Imperii. Ille verò de Julio confirmavit electum, assignans coronationis diem post biennium, festum Purificationis Virginis. Hic strenuus in agendis, pacatis usque ad Oceanum Alamanniæ finibus, & primogenito in Regem Bohemiæ coronato, quòd tunc Romano vacabat Imperio, Carinthiæ Duce summoto, ad partes Italiæ divisione concussas venire dispoñit, pollicentibus subsidia non paucis, qui à concivibus in Lombardia ac Tuscia pulsi erant. Igitur præmissis Episcopis & legatis, ut Populorum sibi favorem conciliet, denuntians in pace degentibus se eorum . , . . . biles approbare monitiones, injuriam passis restitutionem, universis pacem, Alpes transgressus Italiam adiit. Taurinum ingresso nonnulli ex Tusciæ & Lombardiæ partibus obviavere. Inde Astem properans, cunctis pacificatis, Vicarium instituit, & meram tradidit regiminis potestatem. Tunc cœperunt oppressi bene sperare. Qui verò concives propulerant territi, in fomentum suum cogitant Cæsari adulari. Quorum Philippus Papiæ Comes, Simon de Colubiano Vercellarum, & Antonius de Fisiraca Laudi Rectores, paribus votis status Urbium salubres esse civibus persuadere conati sunt, pollicentes auxilia ad partes reliquas obtinendas. His Cæsar suisque Populis pacem pollicitus, jussit bono animo esse & bene sperare. Consequenter Nuntii Alboini & Canis de Scalis, deinde Pisani grandia obtulerunt. Interea Gallis, Germanis, Italisque ad eum confluentibus, Guido de la Turre Mediolani Præpositus milites infra districtus sui limites continuit, & munitionum ac Urbium vigilem curam egit, veritus ne . . . . Matthæi de Vicecomitibus sibi contraria moliretur. Uno mense hinc Rex commotionem Urbis exspectat. Inde Guido instabilem fieri Regis exercitum, & Lombardiæ ac Tusciæ præstolabatur auxilium. Deinde Cæsar Mediolani appropiat, ut Guidoni fiat formidini, factiosis audacia, & Guidonem interpellans, ut Imperialibus jussis obtemperet, Vercellas intravit. Annuit Guido. Auxit verò tam valide Mediolani deditio Regis famam, ut omnis Lombardia, demtâ Alexandriâ, fidelitatis juramenta præstiterit. Bononia autem ad rebellionem se præparat. Padua verò in proposito vacillat.

Anno MCCCXI. Cæsar unam de Coronis Imperii, Mediolani à Diœcesano sumit. Quod Modoëtia ægre tulit, ubi hoc fieri consuevit. Parvo autem post tempore, dum omnia viderentur pacata, gravis emersit turbatio. Quum enim in Regis adulationem hinc Guido inde Matthæus majorem suadent Regio Fisco

Fisco contributionem fieri, centum millium Florenorum summa taxata est. Hoc verò audito, cœpit Populus palam Regi detrahere, servitutem asserens se commutasse, non evasisse, & Theotonicorum importabilem esse furorem. Et dum acriùs colligendæ instatur pecuniæ, in foro vox clamantis ad arma insonuit, quæ facile universam commovit Urbem. Tunc Cæsaris principes prosiliere cum suis. Quorum nonnulli ad Turrianorum loca, quæ magis suspecta, concurrentes, triginta hastatos reperiunt, qui priùs victores, regiorum tamdem equitum non potuerunt sustinere concursum. Jungitur exinde Theotonis Galeaz Matthæi filius, & sævit in hostes. His auditis, prima ubique revixere diffidia. Crema & Cremona pulsis Vicariis excussere jugum. Regini expulerunt fautores Imperii. Macii Brixiæ paulo ante dominatores in Tebaldum de Brusatis, & suos paulò ante Imperatorio jussu receptos insurgunt, atque succumbunt. In Parma Rubei per Cæsarem introducti cum Gilberto de Corrigia initam pacem frangentes, victi Urbe diffugiunt. His eventibus stupefactus Cæsar, perquirens salubria audit consilia, ut regii corripiantur domestici; Mediolanensium reconciliatio fiat; commotionum hujusmodi caussæ dulciter perquirantur; pecuniarum moderentur exactiones. Primò igitur ad se vocatis familiaribus suis, ait: *Deum obtestor, commilitones, pernecessarii, atque propinqui, quòd nulla me bonorum ac temporalium rerum affectio ad has turbines commotionum adduxit. Deum sursum, Clementem Papam deorsum intueor. His ducibus vehor, eorum de proximi dilectione & cura mandatis adstringor. Quis, oro, primus est, Germanus vel Gallus, Longobardus vel Tuscus, Guelfus vel Gibelinus, cui hoc impendam caritatis mandatum? Proh nefas! ad quid veni? Num incensor schismatum antiquorum? Si quos vestrum delectant talia, retrorsum abite, aut vobis sævite auctoribus, non me principe vel auctore. En Italia diu talibus concussa vulneribus, justa indignatione hujusmodi refugit, quum viventia quæque, monente natura, perniciosa devitent.* Post hæc Missi ad reconciliandam Cremonam audiunt, Populum inediâ afflictum, impotentem esse ad gravem contributionem, & Theotones datâ licentiâ in Latinos sævire, Vicarios institui Gibellinos ut Guelfum abradant, proinde amicorum communicato consilio respondebant. Interea verò Nuntii Januensium subjectionem professi sunt, & ad coronationis conductum propriis sumtibus navigia spondent. Cæsar Cremonenses ut Imperii rebelles damnat, & Ameus Sabaudiæ Comes eorum depopulationem indixit. Traditâ enim Cæsari Civitate Laudi, omnis Cremonensium virtus emarcuit, & Cæsari Civitas tradita est. Brixienses verò propter replicatos contemtus omni spe reconciliationis abjectâ segetes & quæque viridia colligunt, imbelles abjiciunt, pro defensione cuncta disponunt. Interea Cæsar suæ coronationis dilationem accepit. Et Nuntii Paduani Civitatem illi subjiciunt. Legati verò Cæsaris à Venetis, nulla quæsita fidelitate solam navigii petunt copiam, si necesse fuerit, ad coronationis progressum. Inde Tarvisium profecti, à Ricardo de Camino Domino Oppidi honorifice suscepti sunt. Jam enim Cæsari dato tributo subnixus erat. Postea Paduam redierunt ad tollendum qui orti erant inter Paduanos & Vicentinos lapides

A scandalorum. Consequenter post bellorum & cladium hinc inde jacturas varias, Brixia, mediante Cardinale Domino Luca de Flisco, Cæsari se tradidit. Inde digressus Cremonam, ex subditis Civitatibus ad coronationem vocat. Placentini ei obviam facti, claves Civitatis ei offerunt, Albertum Scotum de tyrannide accusantes, nec ipso in Civitate manente, possibile ajunt pacem rebus dari. Igitur Vicario instituto discessit. Albertus verò parvo post tempore bellum Urbi intulit.

Congregatis Nuntiis Yporegiæ, Novariæ, Vercellarum, Cumarum, Mediolani, Papiæ, Pergami, Placentiæ, Brixiæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, Cremonæ, Laudi, Mantuæ, Vero-
B næ, Vicentiæ, jubente Cæsare concionatum est, quia pro pacanda Lombardia non modò vigilasset consiliis, sed & armis etiam decertasset, nec ad plenum valuisset civilia odia exstirpare, & veterum factiones, id suo tempore adimpleret. Poscebat interim super hoc à prædictis Nuntiis secreta ab unoquoque dari consilia. Et quum paratus esset ad iter, pulsi Urbibus, lamentabili vociferatione conquesti, nil aliud quàm benigna responsa consequuti sunt. Rex autem versùs Terdonam iter arripuit, & Gabii colles transgressus, Januam descendit. Ibi Cives longævis accensi discordiarum schismatibus afflictitant Regem querelis. Cæsar verò, Potestate summoto, Vi-
C carium instituit: Abbati ipsi præfecto, solo nomine dimisso, satellites abstulit, & Urbem ad sexaginta millium aureorum largitionem coëgit. Interea Lombardia solitis inquietatur motibus; nuntiaturque Cæsari, quòd Gibertus de Corrigia cum Tuscis atque Lombardis conjurasset; quòd Marchiones de Cavalcabo cum Tuscorum, Bononiensium, & Longobardorum cohortibus bellum intulissent Cremonæ, & Vicarium expulissent: quòd inter G. de la Turre, & Philipponem Comitem de Langusco nova intervenissent sponsalia; quòd Macii adversarios Brixiâ expulissent: quòd Placentiæ res novæ tractarentur; quòd in Asta, Vercellis, ceterisque locis in Gibelli-
D nos Guelfi sævissent. Tunc Canis de la Scala, Alboino fratre defuncto Veronæ, de Janua redire coactus est. Cæsar autem Guarnerium de Ohemborch instituit Præsidem Lombardiæ, misitque dato præsidio, ut emergentia coërceret. Sed vix obtinuit recipi cum centum infra Placentiam, & audit ubilibet per Vicarios Guelfis injurias irrogari, & hoc impatientiæ caussam esse. Hacque repulsa Guarnerius ad Cæsarem rediit. Tuncque Margarita Augusta moritur MCCCXI. in festo Beatæ Luciæ, & in loco Fratrum Minorum tumulata est. Venerunt deinde quasi ad Augusti solatium Nuntii Pisanorum plurima pollicentes. Venit & Rizardus Gambatesa Regis Ro-
E berti Secretarius, & introductus est magna principum ambitione. Paucis tractitus innotuit, infectoque negotio rediit. Interea Romam Johannes germanus præfati Regis ingressus est cum armatorum caterva. Cæsar autem Ludovicum de Sabaudia ad Urbem transmittit: qui per Columnenses introductus Lateranum conscendit. Statimque Urbs in varia divisa vota, ubique patet discrimini: ubique propugnacula eriguntur. Hoc autem omnem Italiam varie sperare suasit. Admiratus etiam Friderici Regis aliqua tractaturus ad Cæsarem venit, & post dies paucos in Siciliam rediit. Florentia autem cum suis complicibus, ex Civita-

vitatibus Senarum, Perusii, Civitatis Castelli, Lucæ, aliorumque locorum, simulque Bononia, Degonem Marescalcum Regis Roberti cum præsidio militum venientem suscipiunt. Jam imminutæ erant ad danda stipendia Cæsaris facultates. Jam gravati Januenses contributione sexaginta millium Florenorum publice clamitant, sine caussa collum submisisse jugo, qui Friderici dominium speraverant: amisisse divitias, nec posse vacare mercationum lucris; quin nec licere vivere corrupto aëre. Tunc Cæsar pro suis mittit Pisanis, ut ferant subsidia. Tunc Paduani, redeuntibus Nuntiis, & adversa narrantibus, è muris pictas Aquilas detrahunt.

Egressus Januâ Cæsar, in Portu Veneris quadraginta pæne diebus perstitit, tempestate suborta. Inde Pisas profectus, Curiam auxit, concurrentibus de Tuscia & Romandiola Gibellinis: & multa tractavit. Deinde per Plumbinum ac maritimam paucis comitatus, solâ Romanorum factione confisus, Viterbium petiit, & manipulum militum per Pontem, qui Molis dicitur, in Urbem transmisit. Ipse verò in tuto extra Civitatem mansit. Venerunt autem ei obviam cum Clero, qui ei favebant, Romani, & in Lateranense Papale introduxerunt Palatium. Et continuo disposuit, munitâ Urbe, præoccupare loca. Vocavitque quasi ad familiare convivium absque differentia Nobiles, eisque completo convivio sic fatus est: *Quid me, o Quirites, huc attraxit, nisi exstollendi animo Imperii, cui quasi defectione Romanus pæne ut barbarus erat ignotus? Quid frequentes literæ, quid Nuntii celebres toties petiere, nisi ut meum carum visitem Senatum, Populumque Romanum, quo exsultante in Capitolium vehar? Venio-ne violentus invasor? A Clemente Papa missus, Cardinales tres testes adduxi. Frustra-ne ergo missus adsum, vocatus adveni? Sciam igitur in hac caritate convivii, quæ vos vota alliciant, quæ vobis fulcientibus adjuverunt. Id edat optio singulorum.* Tunc Stephanus de Columna se, suos, ac sua obtulit, nec defecturum etiam in mortis periculo. Nicolaus de Comite se ait decus Militiæ a Rege Carolo suscepisse, suique fuisse propositi, numquam ejus posteris adversari. Anibaldus de Anibaldis, & Johannes de Sabello, & Theobaldus de Campofloris, se obtulerunt in omnem eventum contra omnes Cæsari parituros, suæ cognationis viris dumtaxat exceptis. Erant enim Ursinorum affines. Hanc conditionem Cæsar ægre tamdem admisit, & in scriptis redigi imperavit. Postea Stephanum, receptis obsidibus, liberum ire permisit. Ceteros verò comprehensos retineri jussit, & fortalitia reddi. Hinc protinus oriuntur insultus, vituperationes, & cædes: privata odia publice deteguntur. Vincuntur primùm Cæsaris partes, postea debellantur; & crescente Ursinæ fama victoriæ fautores Cæsaris penitus subtrahuntur. Admiratus Regis Roberti vocatos à Cæsare Pisanos balistarios invadens, nonnullis mortuis, ceteros duxit Neapolim. His Cæsar agitatus angustiis, soli expediendæ coronationi intentus, quum id in Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli obtinere non posset, vix cunctantibus Cardinalibus, ne quasi transgressores Apostolici rescripti redargui valeant, in Laterano aureum Imperii diadema suscipere valuit. Artatus denique pecuniarum & victualium inopiâ, & turbato Romano Populo
A ob quæsitam contributionem, Tiburim Cæsar abiit, relicto in Urbe cum Columnensibus trecentorum militum præsidio. Ad Johannem verò Regis Roberti germanum milites undique confluebant. Interea verò Papalibus rescriptis tam Cæsaris, quàm Regis copiæ pelluntur ab Urbe. Bellum exinde Tuscis illaturus Cæsar abiit; & Perusinis territis, Viterbium petiit. Florentinos verò multipliciter læsit. Tamdem in castris cum fame, peste suborta, Pisas contendit. Eo tempore Rex Robertus R. Gambatesa Florentiam mittit, ut Civitatem quinquennio sibi commissam pro se gubernet. Cæsar verò contra Regem quasi contra hostem sententiam tulit, quæ in
B Septimo Decretalium multipliciter reprehenditur. Fortunam postea in mari experiri voluit, & Fridericum Admiratum suum fecit, pollicente eo Galêas viginti octo, Januensibus viginti & unam, Pisanis duodecim. Summus autem Pontifex Philippi Regis Franciæ, literis excitatus, excommunicationis tulit sententiam in quemlibet invasorem Regni, etiamsi Pontificali, Imperiali, vel Regali præfulgeat dignitate. Cæsar autem nil minus per Tusciam, urbem, & regnum, sedulus erat tractare varia, polliceri multa. Certa denique dies navigii constituta est, ut quum Terracinam applicuerint, viginti septem millibus distantem ab Urbe, Cæsarem exspectent
C cum mille quingentis militibus. Profectus itaque usque Origiam fluvium, duodecim distantem à Senis millibus, peractâ cœnâ, in fluvii ripa consedens, tinctis ob refrigerationem in amne cruribus, subeuntem sensit languorem: & compertâ sub dextri cruris genu pustulâ, quæ Antras vocatur, noctem duxit insomnem. Summo autem diluculo signo dato tollendorum castrorum, ad Bonconventum transiit, Pagum duodecim millibus à Senis distantem. Ibique viam universæ carnis ingressus est, Regni sui anno V. Imperii anno I. mense I. & diebus XXIV. in festo Sancti Bartholomæi.

D

EX AMALRICO AUGERIO.

DE JOHANNE XXII.

JOHANNES XXII. de Caturco Civitate oriundus, ex patre Arnaldo de Oza filius, post dictum Clementem Papam V. apud Lugdunum in Domo Prædicatorum, VII. Idus Augusti in Romanum Pontificem fuit assumtus, & postea in Ecclesia Cathedrali fuit coronatus in die Nonarum Septembris. Et post Beatum Petrum Apostolum exstitit Papa CCVI. Anno à Nativitate Domini MCCCXVI.

Item iste Johannes ante suam promotionem
E Jacobus de Oza Cardinalis Portuensis vocabatur. Qui quidem primò fuit Cancellarius Roberti Regis Siciliæ, & postea ad sui instantiam fuit Episcopus Forojuliensis, & deinde ad Episcopatum Avinionensem exstitit translatus, & postea Cardinalis factus, & deinde in Papam electus.

Item iste Johannes post suam coronationem secunda die mensis Octobris apud Avinionem venit ad tenendum ibi Curiam suam, quam ibi antea publice præconizari fecerat. In qua quidem Civitate in sequentibus quatuor Temporibus Adventus Domini fecit Cardinales, videlicet Bernardum de Castaneto tunc Episcopum

scopum Aniciensem, quem etiam fecit Episcopum Portuensem, & nihilominus Episcopatum Aniciensem sibi commendavit. Item Jacobum de Via de Caturco nepotem suum tunc Avinionensem Episcopum, cui titulum Sanctorum Johannis & Pauli Presbyteri Cardinalis dedit, & nihilominus Ecclesiam Avinionensem sibi commendavit: item Gaucelmum Johannis de Caturco Legum Doctorem, tunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, cui titulum Sanctorum Marcellini & Petri ipse assignavit: item Bertrandum de Pogeto Legum Doctorem Castrinovi Caturcensis Diœcesis, cui titulum Sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis ipse dedit: item Bertrandum de Montefaventio Legum Doctorem Castrinovi Diœcesis prædictæ Caturcensis, cui titulum Sanctæ Mariæ de Aquiro Diaconi Cardinalis ipse assignavit: item Petrum de Riblaya Legum Doctorem de Britannia tunc Cancellarium Regis Franciæ, cui titulum Sanctæ Susannæ Presbyteri Cardinalis ipse dedit: item Galhardum de Mota Vasconem quondam Clementis Papæ V. nepotem, cui titulum Sanctæ Luciæ Diaconi Cardinalis ipse assignavit: item Johannem Gaytani Romanum de genere Ursinorum, cui titulum Sancti Theodori Diaconi Cardinalis ipse assignavit.

Item quod postea ipse Johannes apud Avinionem VII. Idus Aprilis anno Domini MCCCXVII. solemniter præsente fidelium multitudine copiosa canonizavit Sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum filium Caroli II. Regis Siciliæ, & ipsum Sanctum & gloriosum coram Deo in sua gloria pronuntiavit, & postea catalogo omnium aliorum Sanctorum Confessorum ipse eum aggregavit.

Item quod ipse Johannes à Berengario Fredelli Episcopo Tusculano Cardinali publice apud Avinionem præsente gentium multitudine copiosa deponi fecit per ordinem, prout infra sequitur, Hugonem Geraldi, tunc Episcopum Caturcensem, ab omnibus insigniis Episcopalibus atque Doctoralibus: & primò videlicet annulo, mitra, camisia Romana cum capa, & ultimò birreto suo Doctorali, quum esset Legum Doctor. Et sic tantùm remansit in suo habitu Clericali. Qui quidem postea perpetuo carceri tunc fuit judicatus anno, quo supra, quarto die mensis Maji. Sed postea per dictum Cardinalem de mandato ipsius Johannis Papæ solemniter exstitit degradatus, & deinde secundùm formam juris Seculari Curiæ traditus & remissus, per quam postea in parte ipse fuit excoriatus, & deinde per Villam usque ad palliam pertractatus, & demum combustus anno, quo supra, in mense Julii. Pro ut tunc dicebatur, ipse conspiraverat, & machinatus fuerat in personam, seu mortem dicti Johannis Papæ, postquam ad Sedem Apostolicam fuerat assumtus.

Item quia anno, quo supra, circa festum Sancti Johannis Baptistæ decesserat Jacobus de Via Cardinalis nepos ejusdem Johannis Papæ, ideo post octo dies in loco ipsius idem Johannes Papa de novo fecit, & creavit in Cardinalem Arnaldum de Via germanum fratrem dicti Jacobi de Via jam defuncti, cui titulum Sancti Eustachii Diaconi Cardinalis assignavit.

Item quòd postea anno, quo supra, tam in mense Julii quàm Augusti Ecclesiam Tolosanam tunc Episcopalem in Ecclesiam Metropolitanam de novo erexit, & certos reditus sibi assignavit, & limitavit. In qua quidem Ecclesia Johannem fratrem Comitis Convenarum tunc Episcopum Magalonensem transtulit, & Galhardo antea Episcopo Tolosano de Ecclesia Regensi, quæ est modici valoris, providit & transtulit ad ipsam, quam Ecclesiam Regensem acceptare noluit.

Item quod ipse Johannes postmodum Diœcesim Tolosanam in sex Episcopatus divisit, & cuilibet certos & limitatos reditus assignavit. Quorum quidem ipsi pro suffraganeis Archiepiscopo Tolosano exstiterunt deputati, & in certis locis solemniter fuerunt assignati. Et primò Villam Montisalbani, secundò Villam de Rivis, tertiò Villam & Abbatiam de Lomberiis, quarto Villam de Sancto Paulo, quinto Villam de Mirapisce, sexto & ultimo Villam de Vauro. In quibus Ecclesias Cathedrales ipse temporibus perpetuis constituit & ordinavit.

Item postea in Villa Sancti Pontii Thomeriarum in Abbatia, & deinde in Villa de Electo in Abbatia cum auxilio aliquorum redituum Ecclesiæ Narbonensis & Diœcesis, ipse Johannes posuit Sedes Episcopales, & cuilibet ipsorum certos & limitatos reditus assignavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Narbonensi subjecit.

Item quod iste Johannes postmodum Episcopatum Albiensem in duos Episcopatus divisit, & apud Villam Castrarum in Abbatia Ecclesiam Cathedralem constituit, & de reditibus Ecclesiæ Albiensis ipsam in parte dotavit atque fundavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Bituricensi Ecclesiam Castrarum subjecit, pro ut Ecclesia Albiensis erat ab antiquo.

Item quod ipse Johannes deinde Episcopatum Agennensem in duas partes divisit, & apud Villam Condomiensem de novo Episcopum constituit in Abbatia illius loci, & cum auxilio redituum Diœcesis Ecclesiæ Agennensis ipsum Episcopatum dotavit & assignavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Burdegalensi ipsam Ecclesiam subjecit, pro ut Ecclesia Agennensis ab antiquo sibi erat subjecta.

Item quod ipse Johannes exinde Ecclesiam Lemovicensem in duos Episcopatus divisit, & apud Villam Tutellensem de novo Episcopatum constituit in Abbatia ibi posita, & cum auxilio redituum Diœcesis Lemovicensis ipsum Episcopatum dotavit, & jure metropolitano Ecclesiæ Bituricensi subjecit, pro ut etiam Ecclesia Lemovicensis sibi erat ab antiquo subjecta.

Item quod ipse Johannes postmodum Ecclesiam Petragoricensem in duos Episcopatus divisit, & apud Villam de Sarlato in sua Abbatia de novo Ecclesiam Cathedralem constituit, & cum auxilio redituum Diœcesis Petragoricensis ipsum Episcopatum dotavit, & jure metropolitano Ecclesiæ Burdegalensi tunc subjecit, pro ut dicta Ecclesia Petragoricensis sibi ab antiquo subjecta erat.

Item quod postea ipse Johannes Ecclesiam Claromontensem in duos Episcopatus divisit, & apud Villam Sancti Flori in sua Abbatia Ecclesiam Cathedralem constituit, & Episcopatum ibi erexit, & cum auxilio redituum Ecclesiæ Claromontensis eam dotavit, & jure metropolitano Ecclesiæ Bituricensi, sicut est Ecclesia Claromontensis, ipsam Ecclesiam deputavit, pro ut dicta Ecclesia Claromontensis

sis prius erat ab antiquo subjecta.

Item quod ipse Johannes deinde Ecclesiam Ruthenensem in duos Episcopatus divisit, & apud Villam de Vabro in Abbatia Ecclesiam Cathedralem constituit, & cum auxilio redituum Diœcesis Ruthenensis ibi Episcopatum dotavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Bituricensi, sicut antiquitus dicta Ecclesia Ruthenensis erat subjecta, ipse sibi subjecit & deputavit.

Item quod ipse Johannes postea Ecclesiam Pictavensem in tres Episcopatus divisit atque limitavit: quorum unum de novo constituit in Villa de Malhesio in sua Abbatia, & alium in Villa de Lucionio in Abbatia. Quos quidem Episcopatus cum auxilio redituum Ecclesiæ Pictaviensis & Diœcesis ipsius dotavit atque fundavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Burdegalensi, sicut Ecclesia Pictavensis ab antiquo sibi erat subjecta, suppofuit atque subjecit.

Item quod ipse Johannes postmodum in pluribus & diversis Civitatibus, Castris, & Villis fecit, & constituit multas Ecclesias Collegiatas cum dignitatibus & præbendis certis & congruis cum reditibus eis assignatis, prout sequitur. Et primò apud Civitatem Montisalbani unam de ipsis fecit, & ibi Decanum constituit, qui cum suis Canonicis vacante Ecclesia Cathedrali in electione novi Pontificis una cum Monachis Ecclesiæ Cathedralis interesse, & ipsum Episcopum eligere deberent. Item aliam Ecclesiam consimilem fecit & constituit in Castronovo de Arrio Sancti Papuli Diœcesis. Item aliam consimilem in Castro de Burlacio Castrensis Diœcesis. Item aliam consimilem in Castro Sancti Felicis de Caramano Tolosanensis Diœcesis. Item in Castro Montisregalis Carcassonensis Diœcesis. Item aliam consimilem in Villa Sancti Pauli de Fenolhedesio Electensis Diœcesis.

Item quod ipse Johannes postea anno Domini MCCCXVII. fecit de novo tres Constitutiones seu Decretales Extravagantes. Quarum prima incipit *Sedes Apostolica*, secunda incipit *Suscepti regiminis*, tertia *Exsecrabilis quorundam*. Quas quidem aliqui Decretorum Doctores jam glossaverunt, seu ipsas exposuerunt.

Item deinde anno, quo supra, in mense Novembris, præfatus Johannes Papa Constitutiones factas in Concilio Viennensi, & ante & post per Clementem Papam V. apud Avinionem publicavit, & postea ipsas sub Bulla ad Studia generalia transmisit in Scholis legendas & judiciis nostris. Quæ tamen diu steterant in suspenso.

Item quod quum magna discordia exorta fuisset inter Monachos Abbatiæ Ordinis Grandimontensis ex una parte & Priores conventuales ejudem Ordinis ex altera super electione Abbatis eorum, ideo dictus Johannes declaravit super hoc & ordinavit, ut de cetero vacante eorum Abbatia, Monachi ipsius Abbatiæ tantùm ipsum Abbatem eligere possent, & ad ipsos totaliter electio Abbatis pertinere censeatur, & quod ad Monachos singulorum Prioratuum conventualium ejusdem Ordinis electio Priorum suorum dumtaxat pertinere noscatur, quamvis aliàs omnes Monachi & Priores conventuales dicto Abbati tamquam capiti eorum remaneant & existant subjecti. Et nihilominus voluit & addidit tribus eorum Visitatoribus alium, ita quod sint de cetero quatuor Visitatores, quia reformatio ipsius melius & utilius consilio plurium fieri potest quàm paucorum.

Item quod quum in Regno Aragoniæ tempore hujus Johannis Papæ non esset nisi unica Ecclesia Metropolitana valde lata & diffusa, ideo prædictus Johannes Ecclesiam Cæsaraugustanam in metropolitanam erexit & ordinavit. Cui quinque Ecclesias Cathedrales jure metropolitano assignavit & limitavit, ex illis undecim Cathedralibus, quas Archiepiscopus Taraconensis jure metropolitico habebat subjectas sibi, & prius remanere debere, anno Domini MCCCXVIII.

Item quod postea anno Domini MCCCXIX. præfatus Johannes Papa canonizavit Sanctum Thomam Episcopum Herfordensem virum nobilem, vitâ & moribus præclarum, scientiâ & doctrinâ perornatum, in sacra Pagina & Jure Canonico Magistrum, atque Doctorem profundissimum, & multis virtutibus fultum: & ipsum esse Sanctum, & coram Deo in sua gloria constitutum pronuntiavit, & catalogo aliorum Sanctorum Pontificum & Confessorum aggregavit.

Item quod postea anno Domini MCCCXIX. præfatus Johannes Papa de consilio fratrum suorum instituit & ordinavit novum Ordinem Militiæ, qui vocari deberet Militia Christi, in Regnis Portugalliæ & Algarbiæ ad resistendum Saracenis in partibus illis, & etiam pro defensione Fidei Catholicæ Christianæ. Cujus caput seu domum principalem constituit in Castro Marino Silvensis Diœcesis. Et nihilominus ipsi Militiæ dedit & assignavit omnia bona cum omnibus juribus & pertinentiis universis, quæ antea fuerunt in dictis Regnis Templariorum, maxime quum omnia prædicta procederent de assensu & beneplacito dictorum Regum, qui olim donaverant Templariis supradictis. Qui quidem Ordo debet vivere & militare pro Fidei & fidelium defensione secundùm regulam & instituta Ordinis Calatravæ; & quando opus fuerit, quòd ipse Ordo possit visitari, corrigi & reformari per Abbatem Monasterii de Alcobacia Cisterciensis Ordinis Diœcesis Ulixbonensis: ut constat de omnibus præmissis per literas Apostolicas exinde confectas, quas ipse Ordo noscitur habere hinc ad æternam rei memoriam.

Item quod postea anno, quo supra, dictus Johannes Papa antiquam Abbatiam Montis Casini ob reverentiam & honorem illius sanctissimi Patris beati Benedicti Abbatis & Confessoris & patris atque institutoris omnium Monachorum in Ecclesiam Cathedralem erexit atque sublimavit.

Item quod postmodum anno Domini (a) MCCC.

(a) *Muratorius*. Subsequentem hanc periodum in editione Baluziana desiderari, contendit Johannes Georgius Eccardus, Tomo secundo Corporis Historici medii Ævi, ubi Historiam Pontificum Romanorum ab Augerio exaratam typis evulgavit. Ita enim legitur paginâ 1820. *Item quod postmodum anno Domini MCCCXX. præfatus Johannes Papa canonizavit Sanctum Thomam Episcopum Cifondensem, virum nobilem vitâ & moribus, scientiâ præditum, & doctrinâ perornatum, in sacra Pagina, & Canonum Magistrum atque Doctorem profundissimum, & miraculis multùm circumfultum. Et ipsum esse Sanctum, & coram Deo in sua gloria constitutum pronuntiavit, & in catalogo Sanctorum Pontificum & Confessorum aggregavit*. Verùm Eccardus minime observavit, canonizationem Sancti Thomæ Episcopi Herfordensis, non Cifodensis, relatam & descriptam fuisse totidem fere verbis ab Augerio supra ad annum MCCCXIX. ac ipsam in Editione Baluziana anni 1693. Tom. primo haberi, & extare.

CCCXX. tempore ipsius Johannis Papæ, quædam terribilis pestis in Regno Franciæ fuit exorta, in tantùm quod nisi Altissimus super hoc providisset, magna pericula & scandala Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, & aliis Christi fidelibus finaliter supervenissent. Quare ad æternam rei memoriam pro ut Ecclesiæ aliàs hoc idem accidit est denotandum. Nam anno Domini MCCCXX. subitò surrexit quædam congregatio hominum simplicium utriusque sexus, qui se Pastorellos vocari faciebant, confingentes & asserentes se habere bonum zelum & animum ultra mare transfretandi pro recuperanda Terra Sancta, invadendo Saracenos, nullum tamen habentes ducem nec principem, nec alicujus navigii apparatum, nec etiam victualia, nisi quantum à Christi fidelibus eis amore Dei administrabantur. Immo ipsi pro majori parte erant male induti & calceati. Qui quidem quotidie numero crescebant & augmentabantur, & bini processionaliter cum Vexillo Sanctæ Crucis præcedente sine aliquo verbo per Civitates, Castra, & Villas incedebant. Et omnes Ecclesias Majores eodem modo ipsi visitabant, petendo subsidium eis dari sub specie pietatis atque paupertatis, in tantùm quòd victualia eis dabantur abundanter Dei amore. Item quod quum postea dicti Pastorelli vel majores ipsorum vidissent tantam multitudinem seu multiplicationem, conceptâ fraude & malitia in cordibus eorum, ut Populus in factis ipsorum confidentiam & fidem adhiberet, ideo ipsi contra Judæos irruerunt, & omnes, quos invenire potuerunt, qui baptizari refutabant, non expectato judicio interficiebant, & omnia bona eorum ipsi occupabant, atque sibi appropriabant. Quorum persecutio & commotio tanta fuit, quod Rectores & Communitates Civitatum, Castrorum, & Villarum, nec non etiam Prælatorum, Clericorum, & Dominorum Secularium valde dubitare inceperunt: maxime quia Castrum de Verduno Tolosanæ Diœcesis, quod est Regis Franciæ, jam tunc obsederant de facto propter aliquam catervam Judæorum, qui ad hujusmodi fortalitium præ timore ipsorum confugerant; ut etiam in Civitate Tolosana omnes Judæos, non obstantibus Officialibus Regis & capitolii Civitatis, interfecerunt, & ipsorum bona sibi appropriaverunt. De quibus non est multùm admirandum, quum similia & pejora in Civitate Parisiensi fecerunt, & in partibus illis. Item quod quum postea dicti Pastorelli incœpissent bona dictorum Judæorum sic occupare & deprædari sine alicujus contradictione & resistentia, nunc tam in Civitatibus, Castris, Villis bona ipsorum locorum, & Ecclesiarum ut latrunculi furati fuerunt, & multa alia mala facere incœperunt. Propter quæ Rectores locorum, Civitates, & singulares personæ, atque Prælati Ecclesias & fortalitia contra ipsos custodierunt, & ea victualibus muniverunt, & victualia eis vendere denegaverunt; & omnes passus viarum seu itinerum stabiliri & custodiri fecerunt, & tantùm & taliter contra ipsos processerunt, quòd multi de ipsis interfecti & suspensi & alii effugati exstiterunt. Et sic ipsi dispersi fuerunt, & tamquam umbra evanuerunt. Et deinde Civitas Avenionensis, in qua dictus Johannes Papa cum suis Cardinalibus suam Curiam tenebat, quam invadere ipsi nitebantur, gratiâ divinâ suffragante sic ab ipsis liberata fuit.

Item deinde anno à Nativitate Domini MCCCXX. in quatuor Temporibus ante Natale Domini, XIV. Calendas Januarii, præfatus Johannes Papa fecit & de novo creavit septem solemnes Cardinales: & primò Reginaldum LaPorta de Alassaco, Lemovicensis Diœcesis, tunc Archiepiscopum Bituricensem, cui datus fuit titulus Sanctorum Nerei & Achillei: item Bertrandum de Turre de Chambolacio, Diœcesis Caturicensis, Ordinis Fratrum Minorum: item Petrum de Pratis, Diœcesis Caturcensis, tunc Archiepiscopum Aquensem: item Simonem de Archiaco, Xanctonensis Diœcesis, tunc electum in Archiepiscopum Viennensem: item Pilum Fortem de Rapistagno Castri de Sancto Georgio, Albiensis Diœcesis: item Petrum Textoris de Sancto Antonio, Caturicensis Diœcesis, tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium: item Raymundum Ruffi de Civitate Caturcensi.

Item quod anno Domini MCCCXXI. tempore hujus Johannis Papæ, fuit inventa & de novo detecta summa & inenarrabilis & nefanda proditio, Leprosorum universorum nequitia. Et quia ipsa tangit Ecclesiam & Ecclesiasticas personas, ideo non est prætermittenda, immo ad perpetuam rei memoriam heic est inferenda. Nam universi Leprosi in Regno Franciæ constituti, instinctu diaboli & sua fraude inducti contra universum Dei Populum tam Ecclesiasticum quàm Secularem conspiraverunt, & in personas ipsorum summe machinati fuerunt: & in tantùm quòd ipsi convenerunt, quòd in omnibus fontibus, puteis, & stagnis pulveres venenosos, & alias potiones ponere deberent, ut exinde Christiani sani, & illo morbo nec infecti nec corrupti, qui de illis aquis potarent, dictum morbum ipsorum incurrere vel saltem mori deberent, ad finem quòd aut ipsi leprosi, aut alii sani essent in eorum morbo, vel quòd Domini ipsius Franciæ Regni leprosi remanerent. Unde propter hoc jam inter se ordinaverant pro Rege, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis Castrorum & Villarum, pro ut fertur. Sed quia *Domini est Terra, & plenitudo ejus*, idcirco tantam detestabilem machinationem, & Ecclesiæ ac Populi sui destructionem pati noluit, immo detegi, & Christi fidelibus voluit revelari. Quumque hujusmodi eorum iniquitas detecta & inventa exstitisset, statim ipsi Leprosi, qui reperiri potuerunt, combusti publice exstiterunt. Et in quibusdam aliis partibus in domibus suis propriis ipsi & eorum mulieres in detestationem tanti criminis concremati etiam fuerunt. Et sic coronam Franciæ, & Regni dignitates, quas habere sperabant, unico actu ipsi perdiderunt. Illi autem, qui culpabiles inventi non fuerunt, in domibus suis propriis perpetuò inclusi fuerunt, & ipsorum conjuges & filii in alia domo ab eis saparate positæ & inclusæ fuerunt, ne ipsi alicui nocere possent de cetero nec multiplicari. (*)

(*) *Muratorius*. Atque hactenus Amalricus Augerius. In fine MSti Codicis Augeriani hæc adnotata leguntur: *Explicit hujusmodi nova Compilatio facta apud Avinionem anno à Nativitate Domini MCCCXCVI. & die prima mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Benedicti divinâ providentiâ Papæ XIII. anno VIII. Johannes Antissiodorensis Diœcesis scripsit*.

Ex Johanne Canonico Sancti Victoris Parisiensis, apud Baluzium.

Cardinales apud Carpentras, ut de Pastore providerent Ecclesiæ, convenerunt. Sed effusa est contentio super principes, nec poterant concordare. Italici talem eligere intendebant, qui ad Romanam Sedem Curiam revocaret. Quod Cardinales Gascones facere formidabant; quia quum sui de Guasconia Italicis multas injurias irrogassent, certi erant, quod si in manibus Romanorum inciderent, æquipollentiam sustinerent. Fuerunt ergo diu in tali discordia, licèt inclusi multa incommoda sustinerent, quia cibaria eorum subtrahebantur, & domus eorum desuper dissipatæ. Tamdem hæc VVascones non ferentes, ignem in Palatio posuerunt, per quem combusta est pars maxima Civitatis, & sic dispersi Cardinales. Et licèt secundùm statutum, in urbe, qua moritur Papa, debeat electio celebrari, tamen Italici omnino discordabant, volentes quòd electio ad Curiam Romanam transferretur, & alii alibi. Ideo sunt dispersi.

Anno MCCCXV. Ludovicus cognomento Hutinus Franciæ Rex novus misit solemnes Nuntios ad Regem Siciliæ, ut sibi mitteret Clementiam neptem suam, filiam Regis Hungariæ fratris sui, proponens eam accipere in uxorem. Quam dum diutius expectaret, juvenili ardore accensus fræna incontinentiæ laxavit. Largus erat & prodigus, & admodum puerilis, licèt à patre super hoc fuisset pluries, dum viveret, castigatus. Dicta autem Clementia per mare veniens, passa est naufragium, ut vix ipsa & sui maris periculum evitarent. Multis autem jocalibus perditis pretiosis, tamdem in Franciam est advecta. Rex autem tunc versùs Remis, ubi debebat coronam Regni recipere in Assumtione Sanctæ Mariæ, festinabat. Et dum esset in quodam manerio prope Trecas, quod dicitur Sanctus Lætus, duxit dictam Clementiam in uxorem. Nec curavit, quòd pro hoc magnus fieret solemnitatis apparatus. Remis autem coronatus versùs Flandriam properavit cum exercitu magno, & Regni sui Baronibus, qui sponte ad ejus rogatum cum apparatu congruo convenerunt. Pacificaverat enim omnes, dum esset apud Nemus Vicennarum, promiseratque quòd subditos in pace regeret sine extorsionibus & gravaminibus, sicut Sanctus fecerat Ludovicus.

Anno MCCCXVI. misit Rex fratrem suum Comitem Pictavensem ad congregandum, si posset fieri, Cardinales, & ad tractandum de loco, in quo posset Papæ electio celebrari. Hoc tempore Comes Pictavensis venerat Lugdunum, ubi congregaverat hoc pacto Cardinales, quòd nulla eis violentia inferretur, nec cogerentur, ad eligendum carcerem introire. Sed dum hæc agerentur, circa Pentecostem Rex frater suus valde gravem ægritudinem incurrit in nemore Vincennarum hoc modo, ut refertur. Quum sicut puer ad jactum pilæ diu laborasset, admodumque fuisset calefactus, indiscrete sequens sensibilem appetitum, in quamdam frigidissimam caveam est adductus, & sine mensura bibens vinum, frigus eum usque ad viscera penetravit. Et statim decumbens in lecto obiit in Vigilia Trinitatis, & ita vix per triennium Miles fuit. Sepultus est igitur cum corona duplici Franciæ & Navarræ apud Sanctum Dionysium in Francia juxta patrem. Remansit autem Regina vidua impregnata. Comes autem Pictavensis audiens mortem fratris, admodum fuit stupefactus. Non enim utile videbatur ulterius trahere moram in Lugduno, nec electionis Papæ negotium dimittere imperfectum. Consilio igitur habito judicatum exstitit per prudentes, quòd de non includendis Cardinalibus erat illicitum quod fecerat juramentum, & ideo non servandum. Tunc eos omnes in domo Prædicatorum ad colloquium convocavit. Quibus dixit, quòd inde non recederent, donec de Papa Ecclesiæ providissent. Positis ergo custodibus, qui eos exire non permitterent, ipse in Franciam est reversus. Tunc Regina apud nemus erat desolata. Sed Dominus Carolus Comes Valesii erat ei in solatium, promittens quod eam & fructum suum fideliter conservaret. Veniens autem Comes Pictavensis habuit consilium, quod tamquam Regem se gereret, & in possessione Regni se poneret, donec per Barones esset aliud ordinatum. Venit ergo Parisius, & posuit se in regali Palatio, & fecit claudi omnia ostia præter unum. Regina autem Clementia se prægnantem ei certitudinaliter nuntiavit. Convocatis itaque Baronibus Regni, sic fuit finaliter ordinatum, quòd Comes Pictavensis esset Regni Franciæ Gubernator, & omnes proventus reciperet, & Reginæ necessaria ministraret. Et si masculum pareret, Comes Regni gardiam usque ad annos XXIV. retineret. Et bella & missas alias ministraret, & Reginæ viginti millia Librarum reditus assignaret, de quibus quatuor millia hereditarie possideret. In anno autem vigesimo quinto Regnum puero tamquam vero heredi libere resignaret, & ei tamquam Domino obediret. Si autem femina oriretur, Comes ex tunc pro Rege ab omnibus haberetur, & puellæ, pro ut jus & consuetudo requireret, provideret. Quo pacto & promisso, tamquam Gubernatori fecerunt ei homagium Principes & Barones, excepto Duce Burgundiæ, qui neptem filiam sororis suæ Reginæ Navarræ, quam Rex Ludovicus, dum viveret, pro filia legitima recognovit, voluit habere pænes se, ne fraus aliqua fieret contra eam, quæ ad nutriendum sibi tradita fuit. Eodem anno Cardinales ad concordiam pervenerunt, & in Sabbato festum Sancti Laurentii præcedente Dominum Jacobum de Portu Cardinalem, quondam Avinionensem Episcopum in summum Pontificem elegerunt, virum non multùm magnum in staturâ, sed in scientiâ magnum, & habentem testimonium bonæ vitæ. Johannes XXII. nominatus. Hic post coronationem suam & moram aliquantulum in Lugduno, transtulit apud Avinionem Sedem suam. Tunc Papa Fratres Minores, qui schisma habebant inter se, voluit ad concordiam revocare. Citatique sunt ad Curiam Fratres, qui se à communitate separaverant, & Conventum Biterrensem & Narbonensem occupabant, ut supra dictum est. Qui venientes ductorem habuerunt Fratrem Bernardum de Montepessulano. Qui dum pro dictis Fratribus spiritualibus allegaret, per Dominum Papam, & etiam per duos Cardinales arrestatus est, & traditus Camerario, carceri mancipandus. Quod scientes Regales procuraverunt, quod fuit traditus Dominis Apamiensi & Sancti Pauli Episcopis examinandus super iis, & super proditione contra Regem attentata; scilicet quòd Ferrandus filius Regis Majoricarum ad ejus prædicationem reciperetur Dominus in Albia & Cordua

dua & etiam in Carcassone. Quæ omnia vera sunt inventa tam per confessionem ejus, quàm per testes. Ideo fuit degradatus, & carceri in pane & aqua & vinculis ferreis condemnatus. Permansitque in dicto carcere Carcassone in custodia Inquisitoris Ordinis Prædicatorum, quos fuit persequutus, ut dicitur, & sic obiit. Anno decimo nono sequenti Dominus Papa dictos Fratres remisit ad Prælatos Communitatis Ordinis memorati, & quædam contenta in dicta Regula declaravit. Quidam verò illorum noluerunt in hoc summo Pontifici obedire, dicentes, quod Papa dictas declarationes facere non poterat, tamquam hæreticus, & vitæ evangelicæ dissipator: quorum quatuor per Inquisitores Ordinis Minorum in Aquensi provincia traditi sunt justitiæ Seculari, & apud Massiliam sunt combusti. Quidam verò ex ipsis fugæ præsidio se dederunt.

Eodem tempore hæresis illa in tantùm invaluit in provincia Narbonensi, quòd multi tam Minores quàm Begardi de tertio Ordine Sancti Francisci publice asserebant Dominum Papam & omnes ei obedientes hæreticos esse & de Secta Antichristi, non de Ecclesia Christi, sed de synagoga Satanæ, pertinentes ad meretricem magnam Babylonem per Dominum reprobatam, & in illis solis Christi Ecclesiam remanere, qui vitam Christi pauperem & humilem observabant. Dicebant Papam mysticum Antichristum ac præcursorem verbi Antichristi. Et pro isto errore tuendo multi permiserunt se comburi, & multi ad ignem ultronei se offerebant, vocantes jam combustos martyres gloriosos. Habuit autem ortum hæc hæresis ex doctrina cujusdam Fratris Minoris, qui Petrus Johannis Biterrensis Dioecesis dicebatur, qui quandam Postillam composuit super Apocalypsim, in qua per octo Magistros in Theologia plusquam sexaginta hæreticales articuli sunt inventi. Fuit autem dicta hæresis multum periculosa & multorum simplicium infectiva propter illorum simulatam sanctitatem in verbis, victu, & vestitu. Sed per diligentiam Prælatorum & Inquisitorum in illis partibus dicta hæresis est extincta. Hoc tempore Flamingi in tanta angustia erant, quod nec per terram nec per mare poterant eis victualia deportari. Unde communis erat opinio, dum tamen passus fideliter servarentur, quod fine omni bello ipsi infra breve tempus tabe & inedià defecissent. Mittentes autem Pontifaram nuntios solemnes ad Regales, quædam occulta consilia tractaverunt, multa, quæ non intendebant facere, promittentes, sicut eventus postea comprobavit. Fuit autem publice divulgatum, quòd quædam matrimonia tractabantur, ut filius Comitis Nivernensis Ludovici contraheret cum filia Comitis Ebroicensis Domini Ludovici, & quòd Comes Flandriæ ei dimitteret dominium Comitatus, retento dum viveret usufructu; & sic, si Comes Nivernensis decederet ante patrem, puer non posset amittere Comitatum. Et sub hac spe delusi regales, treguas Flamingis concesserant. Et Comes Nivernensis, qui tot mala Regno intulerat, in regalem gratiam est receptus, & sui sibi redditi Comitatus. Tunc Flamingi per mare & per terram libere sibi de victualibus providentes, infra tempus breve melius forum habebant de pane & vino, quàm in Francia haberetur. Et satis citò post Bajonenses confœderati sunt cum Flamingis: & in mari facientes impetum contra Gallicos, quatuor de navibus eorum combusserunt. Regina Clementia incidit in quartanam, qua longo tempore laboravit; & tenello fœtui in ejus utero nocuit ægritudo. Peperit igitur circa festum Sancti Martini puerum masculum, qui Johannes in baptismate vocatus est. Sed modico tempore supervixit. Post cujus mortem Comes Pictavensis regimen obtinuit. Sed Dux Burgundiæ contradixit. Dicebat enim, quod neptis sua, tamquam Regis filia ex fratre suo defuncto propinquior deberet succedere ipso jure. Cui in oppositum dicebatur, quod in Regno Franciæ mulieres succedere non debebant. Hoc tamen probari non poterat evidenter. Et ideo Dux & mater ejus Ducissa ad diversos Barones literas transmittebant, rogantes quòd coronationi dicti Comitis minime consentirent. Ipse tamen Comes armata manu in festo Epiphaniæ Remis veniens, Civitatis portis firmiter obseratis, fecit se ab Archiepiscopo consecrari & coronari. Comes autem Valesii noluit præsens esse. Frater autem ejus Carolus Comes Marchiæ in mane de Urbe recesserat indignatus. Rex igitur novus Parisius veniens, à civibus receptus est cum honore.

Anno MCCCXVII. tractatus est habitus cum Flamingis. Et Comes Valesii malens filiam suam fieri Flandriæ Comitissam, quàm fratris sui filiam, Comitis scilicet Ebroicensis, tractavit quomodo illud matrimonium mutaretur. Et ad tantum negotium est deductum, quòd jam dies nuptiarum erat assignata, & necessaria jam parata, quando mandavit novus Rex totum differri, quia una de filiabus suis debebat cum dicto filio maritari. Quum ergo Rex ageret de concordia cum Flamingis, in omnibus pactionibus non poterant convenire. Propter hoc ordinatum fuit, quod ad Papam recurreretur pro punctis, super quibus erat dissensio, concordandis. Unde ex utraque parte Nuntii missi sunt solemnes. Et quum Papa vellet eos super omnibus concordare, dixerunt Nuntii Flamingorum, quòd mandatum non habebant aliquid confirmandi, sed suis referrent omnia, si vellent, quod ordinatum fuerat approbare. Tunc Papa misit in Franciam Archiepiscopum Bituricensem, & Magistrum Ordinis Prædicatorum, qui partibus auditis concordiam confirmarent. Flamingi igitur quærentes occasiones frivolas discordandi dicebant, quod libentissime consentirent, dummodo daretur eis firma securitas, quod Regales non infringerent pacem factam. Et dum Rex hoc annueret, tamen recipere noluerunt. Et ita Nuntii Papæ infecto negotio redierunt. Habuerunt autem parlamentum Rex Franciæ, & Dux Burgundiæ discordantes, & amicis intervenientibus ad concordiam sunt adducti. Rex autem filium non habebat, quia unicus, quem de uxore habuerat, quum esset in Burgundia pro Cardinalibus congregandis, obierat paulo ante. Habebat autem plures filias, quarum majorem natu dedit Duci Burgundiæ in uxorem. Et quum guerra de Flandrensibus timeretur, fuerunt usque ad Pascha sequens treugæ ordinatæ: quæ postea usque ad Pentecostem prolongatæ, tamdem ad Pascha futurum in antea protenduntur. Quum Papa Clemens in Concilio Viennensi aliqua suspensa reliquisset, donec ad Studia generalia sub Bulla mitterentur, sperans, ut credo, quod ad limam iterum devenirent, Johannes XXII. Papa hoc anno sub Bulla publicari fecit. Pro quo Beguinæ specialiter sunt turbatæ, quoniam fine omni

omni distinctione status Beguinagii condemnatur.

Anno MCCCXVIII. in festo Trinitatis Dux Burgundiæ duxit filiam Regis primogenitam in uxorem, sicut ibi fuerat ordinatum. Et de voluntate Regis & Ducis neptis eorum filia Regis juvenis Ludovici data est filio Ludovici Comitis Ebroicensis. Et quum tamen esset impubes, nihilominus per verba de præsenti fuit matrimonium solenniter celebratum. Unde multi potuerunt meritò admirari. Eodem anno in quindena Assumtionis Beatæ Mariæ citatus fuit solenniter ad comparendum coram Rege Ludovico Comes Nivernensis, de quo supra, protestatione habita, quod sive veniret, sive non, fieret ei justitia pro excessibus retroactis. Quum enim à principio guerræ Flandriæ ipse fecisset homagium Regi Philippo patri hujus pro Comitatu Nivernensi, & pro Baronia de Donziaco, pro Comitatu etiam Restellensi, quem ratione uxoris tenebat, se transtulit ad Flamingos Domino Regi rebelles, quantumque poterat contra eum machinando, tractatus pacis impediendo, & Communitates Flandriæ in sua malitia confortando. Propter quæ Rex in manu sua omnia posuerat supradicta, de Comitatu Restellensi ejus uxori pro provisione sua duo millia librarum reditus assignando. Intervenientibus autem amicis, sub certis pactionibus, quas apud Gisortium promisit, sunt ei omnia, ut dictum est, restituta. Posito autem dominio Restellensi, statim uxori suæ subtraxit, tamquam crudelis, provisionem suam antea assignatam, nec non etiam quædam arreragia, quæ pro præterito tempore debebantur, immisericorditer occupavit, ita quod bona illa Domina cogebatur jocalia sua & vestes vendere pro necessariis ad vivendum. Quum autem Nobiles de Picardia quamdam colligationem fecissent, quæ Regi contraria videbatur, & dictus Comes Nivernensis sciret discordiam inter Regem & Ducem Burgundiæ inchoatam, statim caute & malitiose tractare cœpit cum Duce, ut similis colligatio fieret in Campania & Burgundia contra Regem, & munire cœpit Villam de Maceriis, & alia fortalitia in Restellensi Comitatu. Quod minime Regem latuit, & Regales. Propter hæc & alia multa, quæ, quando facta est pax inter Regem & Ducem fuerunt declarata, & quia pactiones, quas apud Gisortium fecerat, minime tenebat, ideo prædicta citatio emanavit. Ipse autem nec per se nec per alium in die comparuit assignata; sed se & liberos suos transtulit ad Flamingos. Papa iterum alios Nuntios in Flandriam misit, Fratrem Petrum de Palude Ordinis Prædicatorum, & alios duos Fratres Minores, portantes literam Papalem bullatam, cujus series continebat, quod securitates, quas Rex offerebat Flamingis, sufficientes reputabat, consulens quod eas pacifice acceptarent. Sin autem, eos reputabat perjuros & impeditores Passagii transmarini. Qui responderunt: *Papa nihil nobis præcepit, sed tantùm consulit. Unde non nos reputamus in aliquo obligatos*. Tamen acceptaverunt diem in Compendio ad tractandum in Octavis Assumtionis Beatæ Mariæ. Redeuntes autem Nuntii Papæ, quod audierant, retulerunt. Qui misit Procuratorem Ordinis Prædicatorum, & quemdam Magistrum in Theologia Ordinis Fratrum Minorum, qui in tractatu prædictæ diei personaliter interessent. Ad quam Rex misit solennes Nuntios ad tractandum. Sed venientes

A Compendium, neminem pro parte Flamingorum invenerunt, nisi duos juvenes, qui dixerunt, se non esse missos ad aliquid ordinandum, sed dixerunt. *Animalia perdidimus, & venimus ad quærendum*. Et sic delusi tam Papales Nuntii, quàm Regales ad propria sunt reversi. Tentaverant autem Flamingi conjungere se colligatis simili juramento, ut contra Regem fierent fortiores: sed alligati eos recipere noluerunt.

Eodem anno Rex Siciliæ Robertus volens Summum Pontificem visitare, veniens per mare, Januam applicuit; cujus cives divisi ab invicem, pars una expulit aliam extra urbem. Erant autem Guelfi intranei, qui pro dicto
B Rege erant, & extranei Gibellini, qui eidem contrarii existebant, & adventu Regis cognito, intraneos obsederunt. Et dum Rex vellet prosequi iter suum, & ad Papæ Curiam se transferre, dixerunt intranei, quod si eos dimitteret indefensos, opbrobrium ei esset sempiternum. Et sic eum ibidem oportuit remanere. Mandavit autem Reginæ Clementiæ nepti suæ, quod ad Papam, qui in Avinione posuerat sedem suam, veniret satis cito. Venit ergo dicta Regina Avinionem, avunculum videre cupiens: & recepta curialiter à Papa, de ejus consilio ivit Aquis, & ibi diu avunculum exspectavit. Transacta hyeme, & ad navigandum tempore opportuno Rex Robertus fecit armari circa XXIV. Galêas, & misit eas præcipiens,
C ut prope Civitatem Sagonam, quam munierant Guibellini, portum acciperent, & obsidionem ponerent contra eam, & statim igneam flammam accenderent copiosam, qua visa Rex ad eas multitudinem mitteret armatorum. Et quum in portu vellent descendere Civitatis, intranei adventu eorum cognito obviam exeuntes, portum accipere prohibentes, non potuerunt ad terram descendere, sed retrocedere sunt compulsi. Venientes igitur ad portum cujusdam Castri, quod dicitur Sancti Andreæ, quod munierant, ut dicitur, Guibellini, & obsidentes Castrum, in brevi ipsum capientes copiosam flammam accenderunt. Quam videntes Rex, & in Janua habitantes, & scientes,
D quod extraneos non lateret, & reputantes eos non immeritò stupefactos, exierunt armati cum magna multitudine contra eos. Et factâ pugnâ gravissimâ inter eos, multi mortui sunt hinc & inde. Superveniente autem noctis caligine clamatum est, quod in crastino reverterentur in idipsum. Et mane facto quum armati intranei exivissent in campo, neminem invenerunt. Forenses enim Sagonam amittere metuentes, tota nocte ad succursum ejus currere non cessarunt, portantes secum in suis sarcinulis quicquid tollere potuerunt. Venientes
E intranei ad castra, quotquot invenerunt ibi homines occiderunt, & multa cibaria, & aliam suppellectilem rapuerunt. Sed Rex ad obsidendam Sagonam misit multitudinem armatorum, mandans Clementiæ Reginæ, quod in Pentecostes festo sequenti proponebat esse apud Massiliam, ubi frater suus Ludovicus, qui jam canonizatus fuerat, debebat solenniter elevari. Interim tamen dum esset Civitas Sagona sic obsessa, Dominus Petrus de Sancto Genesio Miles, Capitaneus exercitus obsidentis cum pluribus armatis progrediens ad prædandum, ut exercitui de victualibus provideret, dum à castris per longum spatium esset elongatus, ipsum multi de adversariis insequentes, & inter cuneum ejus & tentoria se ponentes, ne ab

ab ea rediens salvaretur, ipsum viriliter sunt aggressi, & conserta pugna gravissima inter eos, licèt multi fuerint de hostibus interfecti, ipse tamen succubuit, & ipso capto ab hostibus omnes, ut dicitur, ejus socii sunt occisi.

Anno MCCCXIX. post Ascensionem Domini obiit vir illustris Comes Ebroicensis Ludovicus Regis Franciæ Philippi & Dominæ Mariæ Reginæ filius; & feriá tertiâ post in Ecclesia Fratrum Prædicatorum honorifice est sepultus. Interfuerunt ejus sepulturæ Rex & Regina cum multis Baronibus & Nobilibus; Missamque celebravit Dominus Gaucelmus tituli Sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis. Hic missus erat a Papa in Franciam cum Trecensi Episcopo ad tractandum de pace inter Regem Franciæ & Flamingos. Qui Cardinalis versùs Flandriam proficiscens, imposuit Episcopo Tornacensi, in cujus diœcesi Flandria situatur, ut adventum suum Flandrensibus nuntiaret. Qui Episcopus non audens illuc ire, misit duos Fratres Minores. qui fuerunt de mandato Comitis captivati. Comes autem congregavit exercitum, ut intraret terminos Insulenses, habens secum Communiam de Gandavo. Quum autem tentaret Lisæ fluvium pertransire, dicti Gandavenses noluerunt contra Regem proficisci, dicentes quod de treuga servanda fecerant juramentum. Indignatus Comes multavit eos in magna pecuniæ quantitate, quantam solvere noluerunt. Quare Comes passus & vias, per quas erat transitus in Gandavum, cautius faciebat observari, ingredientes & egredientes occidendo aut carceri mancipando. Gandenses verò ipsum & suos viriliter impugnabant. Tamdem dictus Cardinalis obtinuit, quod Comes & ejus filii in terræ suæ confinio ad ejus colloquium accesserunt. Affuerunt etiam Nuntii Regales. Et ibi fuit ordinatum, quod Comes veniret Parisius in medio Quadragesimæ, facturus Regi homagium, & conventiones prius habitas firmaturus. Qui tamen die non comparuit assignatâ, excusationes frivolas allegando. Eodem anno Rex Robertus ad Papam venit, auxilium petiturus. Qui Papa decem Galeas fecerat præparari cum sufficienti armatura. Quibus quemdam probum præfecerat Admiraldum, paratum ad partes iter arripere transmarinas, & ibi portum accipere opportunum, quem exercitus, quum esset Passagium, inveniret. Sed Rex Robertus dictas Galeas in suum auxilium impetravit, & adjunctis aliis quatuordecim, misit omnes in succursum Januensium obsessorum. Quorum adventum Guibellini præscientes, extranei ipsi viriliter occurrerunt. Quibus captis, & adversariis interfectis, Civitati gravissimum fecerunt insultum, portum cum suburbiis capientes. Dictus autem Rex cum Papa moram faciens ita cum suis negotiis occupabat, quod nihil aut parum expediebatur in Curia, immo etiam negotia Papæ personalia totaliter infecta remanebant.

Anno MCCCXX. venit Comes Flandriæ Parisius ad instantiam Cardinalis. Qui de ejus voluntate & aliorum consilio fecit homagium Regi Franciæ. Qui secum adduxerat filiam suam, sagacem Dominam, uxorem quondam Domini de Cuciaco Enjoranni. Affuit & Comes Nivernensis, & Procuratores Communiarum Flandriæ cum potestate pacem pro eis cum Rege Franciæ faciendi. Erat autem unus Advocatus nomine Balduinus, qui semper ipsum fovebat in suis rebellionibus, rationes pro eo frivolas allegando. Qui procurationi prædictæ conficiendæ noluit interesse, & apponi fecit in ea clausulam quamdam fraudulenter, quod ipsi in pace cum Domino Comite concordarent, per quam videbatur innui, quod ipsi pacem non possent cum Rege sine Domino suo Comite confirmare. Facto igitur homagio ab omnibus exstitit æstimatum, quod pax esset penitus confirmata, quia non erat verisimile, quod Dominum Vassallus aut Dominus Vassallum impugnaret. Fuit igitur dies assignata ad firmandos pacis articulos. Comes autem noluit consentire, nisi Rex redderet sibi Bethuniam, Insulam, & Duacum, dicens quod per Enjorannum Procuratorem Regis fuerat hoc promissum. Quum enim dictus Enjorannus diu ante tractasset cum Comite de pace facienda, quia Comes nondum Regi assignaverat reditus, sicut in prima concordia fuerat ordinatum, Rex pro dictis reditibus Villas suas illas detinebat. Suasit ergo Enjorannus Comiti, quod pro honore Regis quittaret Villas illas, promittens se facere apud Regem quod sibi restitueret de gratia speciali. Concessit ergo Comes quod de quittatione fierent literæ, sed Regi minime traderentur, donec de prædicta restitutione facienda securitas haberetur. Confectis igitur literis, ad sigillandum Cancellario Comitis præsentatis, noluit ille sigillare, dicens, quod videret exheredationem Comitis in dictis literis contineri. Et projecto sigillo, fuerunt per alium sigillatæ, & traditæ Enjoranno. Qui in Franciam rediens, literas dedit Regi, nulla facta securitate de restitutione præhabita facienda. Quod quum ad dicti Comitis notitiam devenisset, & reputans se deceptum, ad dictas Villas recuperandas modis quibuscumque poterat, aspirabat. Hac ergo de caussa noluit dictis pactionibus consentire. Unde Rex non modicùm provocatus juravit per animam patris sui, quod Comes dictarum Villarum dominium in perpetuum non haberet, rogans avunculum suum Comitem Valesii, & fratrem suum Comitem Marchiæ, & Barones, qui aderant, ut juramentum hujusmodi confirmarent. Qui protinus consenserunt. Comes autem contra voluntatem filiæ exire de Parisiis festinavit, versùs Flandriam proficiscens, antequam tempus securi conductus à Rege sibi traditi exspiraret; & per tres leucas procedens post prandium, ibi cum famulo pernoctavit. Prædicti igitur Procuratores Communitatum videntes pacis negotium perturbatum, miserunt de suis ad Comitem, qui sibi dicerent in hæc verba: *Domine, licèt procuratio nostra innuere videatur, quod sine vobis pacem cum Rege Franciæ non firmemus, de hoc tamen certi sumus, quod si ad mittentes nos redierimus pace non firmata, non remanebunt nobis capita, quæ in nostris capuciis ponere valeamus. Unde constat nobis, quod numquam de Francia recedemus, donec inter nos & Regem concordia sit firmata.* Comes autem hoc audito obstupuit, sciens quod si Rex haberet pro se Communias, statim perderet Comitatum. Et Parisius rediens, omnes pactiones præhabitas confirmavit, & vallata sunt omnia juramento. Habebat autem Rex quatuor filias, quarum primam habebat Dux Burgundiæ uxorem, aliam Delphinus juvenis Viennensis, tertiam debebat habere juvenis Rex Castellæ, quartam Regina mater apud Longumcampum fecerat Minorissam: de qua credeba-

debatur, quod educta de Monasterio, Comitis Nivernensis filio traderetur. Sed noluit mater sustinere. Et ideo tertia fuit dicto filio in uxorem data. Et dicto Comiti fuerunt Comitatus Nivernensis & Restellensis sub conditione restituti, quod supra Nobiles & Religiosos Nivernenses judicium non haberet, quoniam ab eo gravati ad Regem appellaverant; nec caussa fuerat adhuc terminata; & quod in Comitatu Restellensi Comitissa, quæ erat heres, quam Dominus Comes repudiarat inique & sine caussa, provisionem trium millium Librarum haberet annis singulis cum arreragiis retroactis. Quo facto, fuit dies ad dictum complendum matrimonium assignata; ad quam dictus Comes veniens cœpit subterfugia frivola quærere & ambages. Propter quæ fuit fere totum negotium dissipatum. Sed Cardinalis, qui ad hoc venerat, timens ne in vacuum laborasset, totis egit viribus, quod veniret dictum negotium ad effectum. Unde in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ fuit matrimonium celebratum.

Eodem anno circa principium orta est quædam commotio, cujus caussa penitus ignoratur. Nam quidam divulgarunt malitiâ exquisitâ, quod Pastorelli debebant acquirere Terram Sanctam. Inter quos erat quidam Presbyter, qui propter maleficia sua fuerat Parochiâ suâ spoliatus, & quidam alias Apostata à Sancti Benedicti Ordine; ad quorum exhortationem multi irrationabiliter concurrentes, etiam pueri sexdecim annorum & quatuordecim, custodes ovium & porcorum, dimissis pecoribus in campis & invitis parentibus, cum baculis & sine pecunia confluebant. Et facta est talium maxima multitudo: quorum aliqui propter eorum maleficia in carcere ponebantur. At alii cum multitudine venientes aperiebant carceres violenter, & eos contra justitiam liberabant. Venerunt igitur Parisius, ubi quum eorum aliqui in Sancti Martini de Campis carcere propter eorum maleficia tenerentur, per eorum violentiam sunt extracti. Ad Castellettum postea venientes, Præpositum sibi resistere attentantem, per quosdam gradus eum præcipitaverunt, unde graviter fuit collisus. Inde ad Sanctum Germanum de Pratis recepti sunt curialiter, & comperto quod nullus ibi de sociis eorum tenebatur, recesserunt, & in Prato, quod dicitur Scholarium, se receperunt. Audierant enim, quod Miles vigilum cum multitudine armatorum contra eos venire debebat, & ipsi ibi tutius se custodirent. Miles autem non venit, nescio quo consilio impeditus. Recesserunt itaque de Parisius, versùs Aquitaniam procedentes, nec fuerunt in Francia per aliquem arrestati, ex quo Parisienses eos recedere permiserant sic immunes. Ad partes verò venientes Aquitaniæ passim omnes Judæos, quotquot invenire poterant, occidebant, & bonis propriis spoliabant. Judæi autem, qui evadere poterant; de Villa in Villam ab eorum facie fugiebant. Tamdem ad quoddam Castrum, in quo turris erat alta & fortis, cum multitudine venientes, & à custode Castri, quod erat Regis Franciæ, protectionis auxilium postulantes, in turri dicta de ejus licentia sunt recepti. Pastorelli verò protinus eos obsederunt, & illi se viriliter defendebant, ligna super eos & lapides jacientes; sed propter hoc obsidio non cessavit. Quum autem eos ligna & lapides defecissent, pueros loco lapidum projecerunt. Quod videntes Pastorelli, ignem in porta turris posuerunt, cujus fumus Judæos miserabiliter affligebat. Videntes autem, quod evadere non poterant, malentes se occidere, quàm ab incircumcisis sibi mors inferretur, dixerunt uni de suis, qui fortior videbatur, quod omnes gladio jugularet. Qui fere quingentos protinus interfecit, quibusdam tamen pueris reservatis. Qui descendens, quod fecerat, Pastorellis nuntiavit, petens cum pueris baptizari. Cui illi: ***Tu in gentem tuam tantum flagitium perpetrasti, & effugies ita mortem?*** Statim membratim exstitit laniatus. Parcentes pueris, ipsos fecerunt à fidelibus baptizari. Inde versùs Carcassonam processerunt. Sed Custos patriæ his auditis fecit præconizari per Villas in eorum itinere constitutas, ut Judæos tamquam Regis servos à Pastorellorum violentia defensarent. Sed multi de interitu Judæorum gaudentes dixerunt, quod pro infidelibus contra fideles se opponere non debebant. Quod videns Custos, exercitum congregavit, imperans subditis sub pœna capitis, ne præstarent favorem aliquem Pastorellis. Quotquot autem de ipsis potuit invenire, carceri mancipavit. Alii autem fugientes ab ejus facie sunt dispersi. Et procedens versùs Tolosam, per loca, in quibus flagitia sua fecerant, heic viginti, & illic triginta, heic plus, heic minùs, patibulis & arboribus sunt suspensi. Et sic evanuit illa congregatio indiscreta.

Anno MCCCXXI. Rege Franciæ in Pictavia existente, exstitit ei nuntiatum maleficium, propter quod in Aquitania omnes Leprosi sunt combusti. Ipsi siquidem sunt confessi, quod fontes & puteos infecerant illo fine, ut omnes Christiani aut leprosi fierent, aut citius morerentur, intendentes per totam Franciam & Germaniam suum maleficum dilatare. Et ad hujus confirmationem Dominus de Parteniaco sub sigillo suo misit Regi confessionem cujusdam magni leprosi, qui de hoc in terra sua fuerat accusatus, & recognovit; quod quidam dives Judæus ad hoc eum induxerat, & tradiderat potiones, & datis sibi decem Libris promisit ei, quod ad corrumpendos aliquos Leprosos magnam sibi pecuniam ministraret. Et quum quæreretur ab eo Recepta talium potionum, dixit, quod fiebant de sanguine humano & urinâ & tribus herbis, quas noluit aut nescivit nominare. Ponebatur etiam in eis Corpus Christi. Et quum essent omnia desiccata, usque ad pulverem terebantur, qui missus in sacculis ligatis cum aliquo ponderoso, in puteis & fontibus jactabatur. Quapropter omnes Leprosi sunt in Francia carceribus mancipati, donec deliberatum esset, quid fieret de eisdem. Et sic fuit ordinatum, quod culpabiles igni traderentur, alii in Leprosariis collocarentur, numquam exituri. Unde autem ortum habuerit error iste à diversis diversimode dicebatur. Verior tamen opinio videbatur, quod Rex Granatæ, qui frequenter per Dominum Petrum avunculum Regis Castellæ fuerat debellatus, volens se de Christianis sibi adversantibus vindicare, habuit colloquium cum Judæis, si per eos posset tale maleficium commode promoveri, promittens eis pecuniam infinitam, & copiam potionum. Qui dixerunt, quod hoc per eos non poterat commode procurari, quia si fontes Christianorum & puteos frequentarent, suspecti protinus haberentur: sed per leprosos eorum, qui dejecti ab eis faciliter consentirent ad talia, donis & promissis inclinati. Judæi igitur majores Leprosos ad colloquium vocaverunt. Qui promissis,

A missis, & diaboli suggestionibus consenserunt, Catholicam Fidem abnegare; & Corpus Domini dictis potionibus miscuerunt, sicut plurimi eorum sunt confessi. Dicti igitur Leprosi majores per omnes provincias & Leprosarias Christianitatis nuntios miserunt, ut de qualibet aliqui ad certa loca mitterentur, eorum consilium audituri. Fuerunt igitur per eos in quatuor partibus quatuor consilia congregata, nec fuit aliqua Leprosaria, de qua non adesset aliquis, qui ceteris nuntiaret, exceptis duabus in Anglia, ut aliqui sunt confessi. Inter ea verò, quæ Leprosis promittebant, hoc erat, quod Christianis interfectis aut infectis, principatus & regna inter eos dividerentur. Et jam erant aliqua aliquibus assignata. Et quia multi Judæi B sunt inventi culpabiles in hoc facto, in pluribus partibus omnes sine differentia sunt combusti. Parisius autem soli culpabiles, & alii sunt exilio perpetuo condemnati, quibusdam ditioribus reservatis, donec debita omnia recuperaverint, & centum quinquaginta millia Librarum solverint Fisco, & postea perpetuò extra Regnum exulabunt. Hoc anno per summum Pontificem quædam nova Positio fuit reprobata, & auctor vel principalis positor hujus ad Curiam Papalem vocatur. Qui cum aliis quibusdam asserebat, quod illi, qui confessi erant Fratribus Prædicatoribus & Minoribus & ab eis absoluti, eadem peccata propriis Sacerdotibus confiteri iterum tenebantur. C Et hoc determinaverat in Scholis publicis Magister Johannes de Polliaco, Doctor in Theologia, natione Picardus, & in publico prædicavit. Quapropter multi a dictis Fratribus declinabant. Papa igitur ad omnes Prælatos Ecclesiæ misit Literas bullatas in hæc verba: *Johannes Episcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis electis, ad quos præsentes Literæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Vas electionis Doctor eximius & egregius prædicator* &c. ut in extravag. comm. Eodem anno circa principium Augusti Dominum Regem Franciæ Philippum duplex D gravis arripuit ægritudo, scilicet dyssenteria & quartana: quæ numquam potuerunt curari auxilio medicorum; sed per quinque menses jacuit continue in languore. Tamdem tertia die sequentis Januarii ante noctis medium expiravit, receptis prius devote omnibus Ecclesiasticis Sacramentis. Et die Epiphaniæ sequenti in Abbatia Sancti Dionysii est sepultus. Mortuo Rege, ut dictum est, successit ei in Regno sine controversia aliqua Dominus Carolus Comes Marchiæ, frater ejus. Eodem anno Papa commiserat Episcopis Parisiensi & Belvacensi & Magistro Gaufrido de Plesiaco Notario Romanæ Curiæ & Decano Parisiensi, ut ipsi inquirerent de matrimonio, quod olim E dictus Rex novus Franciæ cum Blanca filia Comitissæ Atrebatensis, quæ in Castro Gaillardi tenebatur, contraxerat, utrum inveniretur aliquod in contractu impedimentum per quod posset judicari matrimonium nullum esse. Quam inquestam diligenter factam summo Pontifici transmiserunt.

Et Anno MCCCXXII. in vigilia Ascensionis, Papa sufficienter informatus quod dicta Comitissa Atrebatensis dictæ Blanchæ mater de Fonte levaverat dictum Regem, quare fuit spiritualis cognatio contracta inter Regem & prolem dictæ spiritualis matris, pro qua sine dispensatione non poterant matrimonialiter copulari, etiam quia in dicto contractu fuit dispensatio prætermissa. Papa sententiavit in publico Consistorio, nullum esse. (*a*) Papa Johannes in Avinione moritur quartâ mensis Decembris, Pontificatus sui anno decimo nono. Vacavitque Sedes diebus XVI.

Ex Bernardo Guidonis, apud laudatum Baluzium.

JOhannes XXII. de Caturco Civitate natus, electus fuit in Summum Pontificem, in Conventu Fratrum Prædicatorum Lugduni VII. Idus Augusti in Sabbato, Dominicæ Incarnationis MCCCXVI. Erat autem Cardinalis Episcopus Portuensis. Fuitque coronatus more Pontificum Romanorum Lugduni in Ecclesia Cathedrali Nonis Septembris, Dominica prima ejusdem mensis. Hic prius vocabatur Jacobus, & exinde Johannes vocatum est nomen ejus. Fuerat autem prius Episcopus Forojuliensis in Provincia Aquensi, & inde translatus factus fuit Episcopus Avinionensis, & inde assumtus factus est Cardinalis, & sic gradatim ascendendo, tamdem assumtus est ad Papatum. Hic de Lugduno circa finem mensis Septembris recedens pervenit Avinionem secunda die mensis Octobris in Sabbato, ubi cum Curia sua sedit. Et in sequentibus jejuniis quatuor Temporum in Adventu Domini, feriâ sextâ, scilicet XVI. Calendas Januarii, fecit unam ordinationem octo Cardinalium, quos assumsit. Qui fuerunt, Bernardus de Castaneto dudum Albiensis, tunc verò Aniciensis Episcopus, Jacobus de Via nepos ipsius Papæ ex sorore; Gaucelmus Johannis de Caturco Vicecancellarius; Bertrandus de Pojeto Diœcesis Caturcensis; Petrus de Reblayo Gallicus, Cancellarius Regis Franciæ; Bertrandus de Montefaventio Caturcensis; Galhardus de Mota Vasco natione; Johannes Gajetani Romanus de Ursinis.

Hic Dominus Johannes Papa Pontificatus sui anno primo apud Avinionem canonizavit, & Sanctorum Confessorum catalogo annotavit Sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum, filium quondam Caroli II. Siciliæ Regis, septimo Idus Aprilis Dominicæ Incarnationis anno MCCCXVII. Eodemque anno defuncto prædicto Domino Jacobo de Via Cardinali, fecit Cardinalem Dominum Arnaldum de Via germanum ejusdem circa festum Sancti Johannis Baptistæ. Eodem quoque anno tam in mense Julii quam Augusti, Ecclesiam Cathedralem Sancti Stephani erexit in Archiepiscopalem Sedem, primumque Archiepiscopum instituit in eadem Dominum Johannem de Convenis. Diœcesim verò Tolosanam, quæ in reditibus Episcopalibus plurimum abundabat, in sex Episcopatus divisit, quorum Episcopi essent suffraganei Archiepiscopi Tolosani; sexque Villas in novas Civitates erexit, videlicet Villam Montis-albani, Villam de Rivis, Villam & Abbatiam de Lomberiis, Villam cum Abbatia de Sancto Papulo, Villam de Vauro, Villam de Mirapisce, Episcopos ac Episcopales Sedes constituens in singulis earumdem. Fueruntque consequenter jussu & ordinatione ejusdem Summi Pontificis Diœceses certis terminis limitatæ. Item in Archiepiscopatu Narbonensi

(*a*) *Baluzius*. Postea quidam addidit hanc finalem periodum.

bonenſi duos Epiſcopos fieri ordinavit, quorum primum & prius poſuit in Limoſo, & Epiſcopum inſtituit in eodem; ſed paulo poſt Sedem inde tranſtulit ad Abbatiam de Electo. Secundum verò Epiſcopatum inſtituit infra annum, & Sedem ejus poſuit in Abbatia Sancti Pontii, fueruntque Diœceſes limitatæ conſequenter. Item Epiſcopatum Albienſem diviſit in duos, Epiſcopalem Sedem inſtituens in Abbatia Monachorum apud Caſtras, Villam Caſtrenſem in novam erigens Civitatem, Epiſcopatum Agennenſem diviſit in duos: Villamque Condomienſem in novam erigens Civitatem, Epiſcopalem Sedem poſuit in Abbatia Sancti Petri de Condomio, fuitque conſequenter Diœceſis limitata. Item in Epiſcopatu Lemovicenſi alium fieri ordinavit, Epiſcopumque & Sedem Epiſcopalem conſtituit in Abbatia Tutellenſi, novam ibidem erigens Civitatem. Item in Epiſcopatu Petragoricenſi in Villa de Sarlato, modo conſimili, in novam erigens Civitatem in Abbatia inſtituit novam Sedem. Item in Epiſcopatu Clarimontis in Villa Sancti Flori novam inſtituens Civitatem, conſimiliter inſtituit novam Sedem. Item in Epiſcopatu Ruthenenſi Epiſcopatum alium ordinavit, Sedemque ejus poſuit in Abbatia ac Villa de Vabro, eamdem in novam erigens Civitatem. Item in Epiſcopatu Pictavienſi duos Epiſcopatus alios inſtituit, Sedem propriam & Diœceſim novam cuilibet aliquando. In Abbatia ſiquidem de Marleſio Sedem eſſe conſtituit, & Malleacenſis Diœceſis appellatur. In Villa verò de Lucionio in Abbatia Sedem poſuit, & Lucionenſis Diœceſis nominatur. Item in nonnullis Villis in Toloſano, Carcaſſeſio, Albigeſio, & alibi inſtituit Collegiatas Eccleſias Canonicorum Secularium cum dignitatibus & præbendis, reditibus ſingulis Eccleſiis aſſignatis. In Montealbano ſiquidem Collegiatam Eccleſiam inſtituit cum Decano & Canonicis, qui una cum Monachis Abbatiæ dicti loci, ubi Sedes eſt Epiſcopalis, ad electionem de Epiſcopo faciendam convenirent. Item in Caſtronovo de Arrio Collegiatam Eccleſiam inſtituit cum Decano & Canonicis, qui una cum Monachis Sedis Epiſcopalis Sancti Papuli concurrerent ad electionem Epiſcopi celebrandam. Item in Eccleſia Sancti Pauli de Fenolhedeſio Diœceſis Electenſis Collegiatam Eccleſiam inſtituit cum Decano, Canonicis & præbendis, qui una cum Monachis Sedis Electenſis concurrerent ad electionem Epiſcopi celebrandam. Item in Villa de Burlato Albigeſii Collegiatam Eccleſiam inſtituit cum Decano & Canonicis, qui una cum Monachis Sedis Cathedralis Caſtrenſis concurrerent ad electionem Epiſcopi celebrandam. Item in Villa de Inſula Jordani Diœceſis Toloſanæ, & in Villa Sancti Felicis ejuſdem Diœceſis, & in Caſtro Montisregalis Carcaſſonenſis Diœceſis, Collegiatas Eccleſias inſtituit cum Decanis & Canonicis & Præbendis. Item anno Domini MCCCXVII. in menſe Novembris, Pontificatus ſui anno ſecundo fecit publicari, & cum bulla Papali ad Studia generalia deſtinari Conſtitutiones, quas Clemens prædeceſſor ejus fecerat, quæ Clementinæ vocantur, & nondum fuerant ad generalia Studia deſtinatæ, ſed uſque tunc ſteterant in ſuſpenſo. Item anno Dominicæ Incarnationis MCCCXVII. idem Dominus Papa poſt gravem diſſenſionem & turbationem ſubortam in Ordine Grandimontis, ad ſedandam eamdem ordinavit & ſtatuit, ut ipſe Prioratus

A Grandimontis, qui totius Ordinis noſcitur eſſe caput, Abbatia deinceps cenſeatur, & Abbatis ejuſdem electio pertineat ad Conventum, & in triginta novem domibus ejuſdem Ordinis ſint Prioratus collegiati, & Priores à collegio eligantur, & ad Abbatem pertineat confirmatio eorumdem. Actum eſt hoc elapſis jam tunc temporis annis ducentis quadraginta ab exordio Ordinis computando.

Hic Dominus Johannes anno Domini MCCCXVIII. in menſe Auguſti Archiepiſcopatum Tarraconenſem, qui unus tantùm erat in Regno Aragoniæ diviſit, & conſtituit eſſe duos, ſedem Cæſarauguſtanam Epiſcopalem in Archiepiſcopalem erigens pro ſecundo, quinque
B ſibi ſuffraganeis Epiſcopis deſignatis ex illis undecim, quos prius Tarraconenſis metropolis obtinebat, ſex priori ſuffraganeis reſervatis.

Item anno Domini MCCCXIX. pridie Idus Martii inſtituit novum Ordinem, qui diceretur de Militia Jeſu Chriſti in Regno Portugalliæ ad reſiſtendum in regione illa infidelibus Saracenis, ſecundùm regulam & inſtituta Calatravenſis Ordinis. Item anno Domini MCCCXIX. æſtatis tempore veterem Abbatiam Montis Caſini Sancti Benedicti Abbatis in novam ſedem Epiſcopalem erexit, primumque Epiſcopum inſtituit in eadem.

Hic Dominus Johannes Papa anno Domini MCCCXX. quintodecimo Calendas Maji, Pon-
C tificatus ſui anno quinto, apud Avinionem canonizavit Sanctum Thomam Anglicum quondam Epiſcopum Herfordenſem, à felici ejus tranſitu ex hoc Mundo anno trigeſimo octavo. Hic quoque Dominus Johannes anno Domini MCCCXX. tertiodecimo Calendas Januarii, feriâ ſextâ in jejuniis quatuor Temporum Adventus, fecit ordinationem unam ſeptem Cardinalium, quos aſſumſit, videlicet Reginaldum La Porta de Alaſſaco Lemovicenſis Diœceſis, Archiepiſcopum Bituricenſem; Fratrem Bernardum de Turre de Cambolico Caturcenſis Diœceſis, de Ordine Fratrum Minorum, Magiſtrum in Theologia, Archiepiſcopum Salernitanum; Petrum de Prato Diœceſis Caturcen-
D ſis, Archiepiſcopum Aquenſem; Simonem de Archiaco Diœceſis Sanctonenſis, electum Viennenſem; Pilum Fortem de Rapiſtagno de Sancto Georgio prope fluvium Tarni Diœceſis Albienſis, Epiſcopum Rivenſem; Petrum Textoris de Sancto Antonino Diœceſis Caturcenſis, Vicecancellarium Curiæ; Raymundum de Ruſo de Caturco Civitate.

Anno verò Dominicæ Incarnationis MCCCXXII. in menſe Auguſti, idem Dominus Papa ſuſpendit ſententiam excommunicationis ac pœnas alias contentas in Conſtitutione Nicolai Papæ III. edita ſuper Regula Fratrum Minorum, quæ incipit *Exiit, qui ſeminat*, Extra de Ver-
E bor. Significat. Libro Sexto, contra gloſſantes vel aliter exponentes niſi grammaticaliter, aut determinantes in Scholis, ſeu prædicantes aut docentes.

Hic Dominus Papa Pontificatus ſui anno ſeptimo, Dominicæ verò Incarnationis MCCCXXIII. quintodecimo Calendas Auguſti apud Avinionem canonizavit, & Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit Sanctum Thomam de Aquino de Ordine Fratrum Prædicatorum, Doctorem egregium, anno quinquageſimo decurrente à felici ejus tranſitu de hoc Mundo. Item eodem anno Domini MCCCXXIII. pridie Idus Novembris, ad perpetuam rei memoriam perpetuo declaravit edicto, quod pertinaciter

affir-

affirmare, quod Christus & ejus Apostoli nihil A habuerunt in speciali, nec etiam in communi, hæreticum sit censendum, assertionemque hujusmodi pertinacem deinceps esse erroneam & hæreticam diffinivit, quum contradicat Scripturæ sacræ, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse testatur. Item pertinaciter affirmare, quod Christo ejusque Apostolis in his, quæ ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec vendendi illa seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, deinceps fore erroneum & hæreticum declaravit, quum Scriptura sacra testetur ipsos præmissa fecisse, seu facere potuisse supponat expresse, quum talis assertio usum ipsornm evidenter includat in præmissis B fuisse non justum. Quod utique de Salvatore nostro sentire nefas est, & Scripturæ sacræ contrarium & Doctrinæ Catholicæ inimicum. Prædictamque declarationem & difinitionem Apostolicam cum Bulla sua ad generalia Studia destinavit.

Hic quoque summus Pontifex anno Domini MCCCXXV. Sabbato primo Quadragesimæ, videlicet sexto Idus Februarii, reprobavit & sententialiter condemnavit in Consistorio quamdam pestiferam Postillam Fratris Petri Johannis de Serinhano Diœcesis Biterrensis, de Ordine Fratrum Minorum, continentem dogma pestiferum, & articulos erroneos & hæreticos, e qua sumebat fomentum Secta quædam pe- C stifera illorum, qui Beguini vulgariter appellantur, qui se Fratres pauperes de tertio Ordine Sancti Francisci communiter nominabant. Ex quibus plures fuerunt tamquam hæretici condemnati & combusti.

Hic Dominus summus Pontifex Pontificatus sui anno duodecimo, Dominicæ Incarnationis MCCCXXVII. feriâ sextâ in jejuniis quatuor Temporum Adventus, videlicet XV. Calendas Januarii, fecit tertiam ordinationem decem Cardinalium, quos assumsit, videlicet Johannem de Convenis Archiepiscopum Tolosanum; Anibaldum Gaitani Romanum, Archiepiscopum Neapolitanum; Jacobum Cistercienfis Ordinis, Magistrum in Theologia, Episcopum D Mirapiscensem; Raymundum Ruthenensis Diœcesis, Episcopum Sancti Papuli; Petrum de Mortuomari Lemovicensis Diœcesis, Episcopum Autissiodorensem; Petrum de Capis Episcopum Carnotensem: Fratrem Matthæum de Ursinis Romanum, de Ordine Prædicatorum, Magistrum in Theologia, Archiepiscopum Sipontinum; Petrum de Toleto Hispanum, Episcopum Carthaginis vel Murciæ; Johannem de Columna Romanum; Imbertum de Puteo de Montepessulano. Hic summus Pontifex plures Constitutiones edidit utiles & salubres. Hic quoque contra Ludovicum Ducem Bavariæ, qui in contradictione in Imperatorem electus fuerat, sed ejus electio per Sedem Apo- E stolicam, sicut est moris & juris, non fuerat approbata, & pro Imperatore se gerebat, multos fecit processus per temporum debita intervalla cum publicis & peremtoriis citationum edictis. Qui tamen non duxit comparendum, nec juri parendum; fuitque tamdem per eumdem summum Pontificem privatus jure, si quod sibi ratione talis electionis competierat aut competebat, nec non excommunicatus, & fautor & defensor hæreticorum adjudicatus. Qui Ludovicus pravo usus malorum consilio, contra eumdem summum Pontificem Vicarium Domini Jesu Christi, & adversùs Apostolicam Sedem, & Ecclesiæ unitatem, multipliciter & barbarice se erexit. Veniensque Romam, quemdam PseudoAntipapam Romæ fieri fecit legibus & ordine perversis, & exsecratis orationibus exsecrari potius quàm sacrari sub anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXVII. in mense Maji. Cui Antipapato ipse Ludovicus reverentiam exhibuit tamquam summo Pontifici, & tamquam Papam manutenuit & deduxit in grave scandalum Ecclesiæ Domini Jesu Christi.

Præfatus Pseudoantipapa fuit Frater Petrus Rainallucii de Corbario Reatinæ Diœcesis, de Ordine Fratrum Minorum; qui antequam habitum ejusdem Ordinis assumeret, uxorem habebat Johannam Matthæi de Corbario, cum qua cohabitaverat conjugaliter annis quinque, & rupto fœdere conjugali, ipsa vivente & invitâ, spretâ fide conjugii, ad Fratres Minores se contulit, & habitum eorum sumsit, & beati Francisci Regulam est professus. Hic Petrus de Corbario, spretâ tam Religionis quàm Catholicæ Fidei professione, profanæ & insanæ electioni in Antipapam manum dedit & animum, & se Nicolaum Papam V. suæ partis consortibus voluit nominari. Cœpitque sinuando agere, & se gerere tamquam Papa Romanus in ipsa Urbe in opprobrium dictæ Urbis. Fecitque Cardinales secum complices in vesania, & conatus est scindere Ecclesiæ unitatem, utpote minister & membrum Antichristi. Præfata autem Johanna uxor ejus ipsum repetiit in judicio coram Episcopo Reatino oblato libello. Pro qua Johanna contra prædictum Petrum per Dominum Johannem Episcopum Reatinum lata fuit sententia publice, servato juris ordine, penultima die mensis Novembris, anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXVIII. sicut in transumto sententiæ plenius legimus contineri.

Quoniam autem tam præfatus Ludovicus Bavarus, quàm æternâ miseriâ dignus prædictus Petrus de Corbario de Secta Nicolaitarum, quam Johannes in Apocalypsi odibilem describit, adhuc in malitia perseverat, & debacchatur in pejus, & nondum venit finis malorum suorum, idcirco in præsenti, scilicet inchoante jam anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXIX. distulimus scribere longiorem narrationis seriem suo post tempore scribendorum.

Præfatus itaque Frater Petrus Rainallucii de Corbario, à patre suo rustico & paupere sic agnominatus, postquam per dictum Ludovicum Bavarum fuit inthronizatus in Urbe, sicut præmissum est, stetit in eadem Urbe Romana à Calendis Maji usque ad quartam diem sequentis mensis Augusti cum eodem Bavaro. Qua die idem Bavarus compulsus Urbem exivit cum suo Antipapa, gressus suos ad Civitatem Viterbiensem tamquam fugitivi pariter dirigentes. Tandem per maritimam cum multis infortuniis ad Civitatem Pisanam pervenerunt, receptique fuerunt à Pisanis. Ubi dictus Petrus Antipapa resedit, & Curiam suam tenuit in Palatio Archiepiscopali, donec prædictus Bavarus civibus Pisanis odiosus effectus inde exivit. Qui ibidem dimisit Vicarium loco sui quemdam Tarlatum nomine. Qui post recessum dicti Bavari de Civitate Pisana callide cogitans sibi appropriare dominium Civitatis, de voluntate civium Pisanorum, qui erant de tyrannide Bavari gravati multipliciter & afflicti, cœpit tractare de pace cum parte Ecclesiæ & civibus Florentinis. Et tunc dederunt commeatum prædicto Petro Antipapæ, ut inde recederet & abiret. Quumque peteret à prædicto Tar-

Tarlato, ut sibi provideret de securo conductu, donec pervenisset ad Bavarum, qui adhuc erat in partibus Lombardiæ, denegavit Tarlatus. Et tunc prædictus Antipapa secretius dedit se ipsum in manibus Bonifacii Comitis Novelli de Donairatico Pisani. Et ipse Bonifacius fecit eum de nocte occulte duci cum quodam suo Anticardinali Fratre Paulo de Ordine Fratrum Minorum ad unum Castrum suum in maritima, quod vocatur Castrum de Bargari, quod distat à Civitate Pisana per triginta quinque millia- ria. Ubi cum prædicto Paulo Anticardinali occultus latuit circiter per tres menses. Verùm quum cives Florentini quacumque ex causa duxissent exercitum gentis suæ versùs partes illas, dubitans & timens dictus Bonifacius Comes, ne hoc facerent, ut prædictum Antipapam scirent ibi latêre, & quærerent ipsum habere, fecit eum quantò potuit occultius reduci ad domum suam in Civitate Pisana. Ubi tenuit eum absconditum & occultum usque ad quartam diem mensis Augusti sub anno Domini MCCCXXX. Dum autem sic teneretur occultus per dictum Bonifacium, per quamdam personam cœpit paulatim negotium detegi, & secretius illis qui erant pro parte Ecclesiæ revelari. Et obstetricante manu Episcopi Lucani, actum fuit cum præfato Bonifacio multis modis, ut ipsum detegeret & redderet. Qui à principio negavit penitus, se ipsum eumdem habere. Sed tamdem post multos tractatus habitos cum eodem & amicis suis, expositis sibi malis & periculis, quæ, nisi, ipsum detegeret & redderet, sibi & suæ domui imminebant, saniori usus consilio aquievit ipsum reddere. Et intimavit Domino Papæ, se eumdem Antipapam redditurum juxta suum beneplacitum & mandatum. Et tunc Dominus Papa per certum Nuntium suas transmisit Literas Apostolicas Archiepiscopo Pisano, & præfato Episcopo Lucano, quatenus dictum Antipapam reciperent à Bonifacio supradicto. Et si certos articulos in Literis Apostolicis expressos abjuraret, & vellet redire ad Ecclesiæ unitatem, ipsum possent absolvere à sententiis excommunicationum, quibus erat ligatus. Quod & factum est. Sicque fuit positus in Galea in portu Pisano; & traditus Clerico Domini Papæ ad hoc destinato cum pluribus armatis, & conductu securo in Vigilia beati Dominici, anno Domini MCCCXXX. Sicque deductus est tam per mare usque Massiliam, quàm per terram; per provinciam Provinciæ transeundo, errores suos in Villis publice recognoscendo. Ubique autem in toto itinere ab omnibus Populis in Villis & Civitatibus maledicebatur eidem Antipapæ. Perductus est igitur prædictus Antipapa anno & mense immediate præscriptis apud Avinionem ad præsentiam Domini Johannis Papæ XXII. & Cardinalium. Et coram eodem summo Pontifice & Cardinalibus publice in Consistorio pluribus adstantibus confessus est & recognovit in judicio ore proprio & in scriptis, & etiam cum publicis Tabellionum instrumentis, errores suos devios, in quibus inciderat. Quos, ut proprius explicemus, verbis confessionis suæ utentes, in sequentibus duximus explicandos, non ad sequendum eos, sed magis ad abhorrendum eosdem, & præcavendum futuris temporibus cunctis fidelibus, pro ut ex Litera Apostolica sub vera Bulla plumbea Prælatis directa eos collegimus & vidimus contineri, quibusdam paucis verbis recisis studio brevitatis.

Confessio Antipapæ. „ In nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti. Quoniam juxta doctrinam Sapientis occultanti scelera sua denegatur benedictio, pure autem confitenti, & ea penitus deserenti est misericordia repromissa, idcirco Ego Frater Petrus de Corbario, de Ordine Fratrum Minorum, sceleratissimus peccatorum, hoc considerans & attendens, volens in viam veritatis, quam inique deserui, dirigi, & misericordiam & gratiam invenire, quamvis nuper Pisis existens coram Reverendis Patribus Domino Simone Archiepiscopo Pisano, & Domino Guillelmo Episcopo Lucano, & discreto viro Magistro Raimundo Stephani Clerico Papalis Cameræ, & Apostolico Nuntio, præsentibus quoque multis Prælatis aliis, ac Religiosis, & Nobilibus, ac Popularibus Civitatis Pisanæ, errores meos & scelera spontanee cum ingenti cordis amaritudine confessus fuerim, & à præfatis Archiepiscopo & Episcopo, auctoritate Apostolica per Literas Apostolicas patentes eis in hac parte concessa, recepta prius confessione mea, & abjuratione errorum meorum, & præstito juramento de stando & parendo mandatis Apostolicis, beneficium absolutionis habuerim ab omnibus sententiis juris & hominis, nihilominus tamen adhuc errores meos, & scelera mea in præsentia Sanctitatis vestræ Domini Johannis, superna providente clementia, summi Pontificis, veri & unici Domini nostri Jesu Christi in terris Vicarii, ac Ecclesiæ sacrosanctæ Catholicæ; & in præsentia sacri vestri Collegii Dominorum Cardinalium constitutus, intendo & volo recognoscere & abjurare errores meos, & alia facere, quæ vestra Sanctitas duxerit ordinanda. In primis itaque confiteor, & cum ingenti amaritudine animi recognosco, quod quum seductor ille schismaticus & hæreticus manifestus Ludovicus de Bavaria, dudum jure, si quod sibi quæsitum fuerat ex electione discordi de ipso in Regem Romanorum celebrata, juste privatus fuisset per Sedem Apostolicam, & eamdem Sanctitatem vestram, ac ut hæreticus & fautor hæreticorum notorius de multis hæresibus & fautoriis hæreticorum ac schismatibus condemnatus, ad Urbem Romanam imbutus diabolico spiritu pervenisset, religiosus vir Minister Romanæ provinciæ Ordinis Fratrum Minorum, ac Dominus Johannes, Dei gratiâ Sancti Theodori Diaconus Cardinalis, Sedis Apostolicæ, & Sanctitatis vestræ Legatus, pro majori observatione Interdicti, cui tunc erat per vos, Sanctissime Pater, supposita Urbs prædicta, ejusdem Ludovici adventu percepto, mihi & aliis Fratribus in eadem Urbe morantibus sub virtute obedientiæ, & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipso facto incurrerent, publice injunxissent, ut dictam Urbem omnes & singuli exiremus; Ego infelix peccator præceptis hujusmodi, non obstantibus in eadem Urbe præsente dicto pessimo hæretico & schismatico Ludovico, & assistentibus ei pluribus aliis schismaticis & hæreticis, condemnatis, & reprobatis per Sanctitatem vestram, & Ecclesiam sanctam Dei, pertinaciter remanere præsumsi; & in ea, licèt juste & sancte per vos Ecclesiastico Interdicto suppositâ, celebravi divina sæpius: immo

A immo quantum in me fuit, verius profanavi. Deinde quum idem perfidus Ludovicus datus in sensum reprobum, se de facto fecisset in Imperatorem à certis perfidis coronari, & contra vos, beatissime Pater, diabolicam & iniquissimam depositionis, immo verò abusionis, promulgasset sententiam, & processus diversos falsos & temerarios & injustos, meque ad quorumdam infidorum principalium Romanorum Clericorum & Laicorum instantiam, ejus sequacium, una cum certis de Clero & Populo perfidis ejus complicibus & fautoribus, ad hoc secum vocatis, in Papam & summum Pontificem, immo verius Antipapam dam-
B natum & pestiferum elegisset; Ego miser inductus, immo seductus fui suis & multorum tam Clericorum quàm Laicorum ejus fautorum & sequacium dictæ Urbis precibus & perniciosis instantiis ac infestis, falsò & erronee asserentium, quod Papam Imperator deponere poterat, & loco depositi alium ordinare: & quod per consequens eidem hæretico & schismatico Ludovico, qui tunc in futurum & falsum Imperatorem denuo se coronari de facto fecerat, & vos, Pater beatissime, abusive deposuerat, hoc licebat, mea superbissima elatione more Luciferi, ambitioneque damnabili excœcatus, hujusmodi electioni tam nefandæ, quàm reprobæ, immo nulli malitiose con-
C sensum meum temerarium, & omni pœna dignissimum, non erubui adhibere, ac subsequenter consecrari, immo exsecrari, ab hæretico & schismatico Jacobo dudum Castellano Episcopo excommunicato & deposito; & coronari à dicto Ludovico de Bavaria hæretico me permisi, licèt ad eum, etiamsi verus Imperator existeret, sicut revera non erat, egoque verus Papa essem, sicut in veritate non eram, sed Antipapa potius schismaticus, hæreticus, & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret.

„ Item quod Cardinales, immo verius Anticardinales, & omnes Officiales, quos verus Papa est habere solitus, de facto ordi-
D nare præsumsi, Bullamque more Papæ, licèt essem reprobus & damnatus, fieri feci & habui, eâque falsò usus fui temere & inique. Et ut statum meum pravissimum, & Ludovici prædicti damnati, ac falsas opiniones hæretici & schismatici Michaëlis de Cæsena, dudum Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum, scilicet, quòd Christus & ejus Apostoli in his quæ habuisse dicuntur, non habuerunt nisi tantùm usum facti simplicem, possem fortius & promtius stabilire, Dei timore postposito, extendens ad omnia illicita manus meas, processus & depositionis sententiam Ludovici prædicti hæretici manifesti contra vos,
E Sanctissime Pater, habitam & etiam fulminatam, supplens omnem defectum, si quis esset in ipsis, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, non solùm confirmare, & mei scripti communire patrocinio non erubui, sed etiam denuo sententiare, pronuntiare, declarare publice omnia & singula in processibus promulgata præsumsi. In quibus quidem processibus Ludovicus prædictus pronuntiabat, fore hæreticum, & sacræ Scripturæ contrarium dicere, quod Christus & Apostoli in his, quæ habuisse leguntur, habuerunt aliud, quàm simplicem usum facti. Ex qua quidem pronuntiatione evidenter concluditur, ipsum & me etiam ex confirmatione, pronuntiatione, & prædicatione prædictis, in damnatam hæresim per Constitutionem vestram Apostolicam, de Fratrum vestrorum promulgatam consilio incidisse. Et nihilominus ad diversos Reges & Principes meas literas destinavi, per quas ad eorum notitiam deducebam, quomodo vos, Pater beatissime, cui multa falsa, hæretica, & erronea in eisdem literis imponebam, suggerentibus dictis hæreticis sceleratis Ludovico ac Michaële, ac juxta votum suum ordinantibus, per eumdem Ludovicum ac per me fueratis depositus, & sententialiter condemnatus, eosdem Reges & Principes exhortando nihilominus & rogando, quod vobis tamquam Papæ non parerent in aliquo, nec favores aliquos exhiberent; sed contra vos potius mihi & dicto Ludovico præberent auxilium, consilium, & favorem. Nec his contentus, tam in Urbe quàm in pluribus Civitatibus & locis aliis, Clericos seculares & regulares compuli, ut non obstante Interdicto, cui per vos, sanctissime Pater, erant supposita loca ipsa, in eisdem celebrarent, immo verius, quantum erat in me, profanarent divina. Tallias quoque in Ecclesiis imposui tam in Urbe, quàm alibi, pro quibus Calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus aliis ipsas Ecclesias spoliavi. Fideles insuper Prælatos nonnullos ac alios Clericos in dignitatibus & beneficiis aliis constitutos, suis privavi prælationibus, dignitatibus, & beneficiis aliis Ecclesiasticis, in illis præficiendo vel hæreticos, vel schismaticos, vel eorum fautores, & plerumque non absque simoniaca pravitate. Quibus etiam, illis scilicet, quorum hæc prælatio requirebat, de facto, quum de jure non possem, per me vel per alium munus consecrationis, immo verius exsecrationis impendi. Contra Fratres quoque Minores non parentes Michaëli prædicto, tamquam Generali Ministro, qui tum depositus erat juste & condemnatus de hæresi, hæreticus ac schismaticus declaratus, & alius per generale Capitulum in Generalem concorditer assumtus, & contra servantes Interdicta per vos, vel Legatos, seu Officiales vestros alios promulgata, utroque spirituali videlicet & temporali gladio procedere non expavi, eidem Michaëli & sequacibus suis hæreticis & schismaticis impertiendo injuste & temere auxilium, & favorem, Indulgentias insuper & dispensationes Sedi Apostolicæ reservatas, concedendo de facto, & etiam faciendo. Nonnullis quoque qui pro Pontificibus se gerebant, commisi, ut sacros Ordines celebrarent. In quibus ordinibus plures, ut credo, ad sacros Ordines promoverunt temere, quum eis virtute præfatæ licentiæ non liceret. De Patrimonio quoque beati Petri in nonnullis locis ad tempus & interdum in perpetuum disponere non expavi. Hæc omnia & plura alia contra Deum & Sanctam Catholicam Ecclesiam, ac vos, beatissime Pater, verum & unicum Jesu Christi Vicarium, recognosco & confiteor nulla fore & cassa, & inania, velut ab illo, cui ea faciendi non competebat jus aliquod, attentata; quodque quantum ad me spectare potest, qua-

„ quatenusque processerunt de facto, revoco „ & nulla fore & fuisse pronuntio & declaro. „ Confiteor insuper me credere & tenere fi„ dem illam, quam Sancta Romana Ecclesia „ tenet, ac vos, Pater beatissime, tenetis, „ prædicatis, atque docetis.

Post hæc autem, facta confessione prædicta in judicio, abjuravit omnes & singulos errores & articulos erroneos supradictos expressim & singulatim, & juravit parere mandatis Ecclesiæ & Domini Papæ, petens misericordiam & absolutionem à vinculis excommunicationum, & reintegrari Ecclesiasticæ unitati, à qua deviaverat. Fuitque per eumdem Dominum Papam absolutus & reintegratus Ecclesiasticæ unitati, reservata ordinatione & declaratione pœnitentiæ sibi injunctæ pro præmissis. De quibus omnibus & singulis fuerunt ad æternam rei memoriam facta publica Instrumenta, *Datum Avinioni VIII. Idus Septembris, Pontificatus præfati Domini nostri Papæ Anno XV. Dominicæ Incarnationis MCCCXXX.* Quibus peractis præfatus Petrus fuit clementer & misericorditer susceptus ad pœnitentiam, & positus in decenti custodia ad cautelam, ut probaretur, an ambularet in tenebris vel in luce. Ibique hodie quo hæc scribuntur, tractatur ut familiaris, sed custoditur ut hostis.

ADDITAMENTUM

Ad alteram Vitam Johannis XXII. auctore Bernardo Guidonis desumtum ex editione Baluziana, & omissum in Tomo Tertio Rerum Italicarum pag. 684. in fine.

ITem postea eodem Anno (*a*) feriâ sextâ Quatuor Temporum Decembris, fecit Cardinalem Dominum Petrum tunc Episcopum Æduensem, & nullum alium illa vice, nec postea.

Obiit autem idem Dominus Johannes Papa Anno Domini MCCCXXXIV Dominica prima Decembris, summo mane, quod fuit II. Nonas Decembris, Pontificatus sui Anno XIX. apud Avinionem, & elegit ibidem sepeliri in Ecclesia Beatæ Mariæ de Domps in Capella omnium Sanctorum. Vacavit Sedes XVI. diebus. Et die XVII. fuit electus Dominus Benedictus tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis, de Ordine Cisterciensi, Magister in Theologia, oriundus de Savarduno Diœcesis Rivensis. Et fuit coronatus Avinioni octava die Januarii proxime sequentis, quæ fuit Dominica post Epiphaniam in Domo Prædicatorum.

Ex quodam Veneto coætaneo apud Baluzium.

JOhannes natione Caturcensis Lugduni electus est VII. Idus Augusti, ubi viginti tres Cardinales, postquam recesserunt à Carpentorate ob gravem ibi turbationem subortam, & in diversis locis dispersi erant annis plus duobus, tamdem diligentiâ Domini Philippi tunc Comitis Pictavensis, postea Regis Franciæ, inclusi sunt in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, quam inclusionem minime suspicabantur. Et quadragesimo primo die ab inclusione in hunc Pontificem consenserunt, virum ardentis ingenii, & in jure Ecclesiastico ac Divino valde peritum. Hic fuit primò Forojuliensis Episcopus in Aquensi provincia annis XI. Inde per Clementem in Avinionensem translatus MCCCX. & in MCCCXII. ad Cardinalatum promotus in Quatuor Temporibus Adventus. Factus Summus Pontifex plura fecit & grandia, multa emendare nisus. Post fecit unam ordinationem octo Cardinalium, XVI. Calendas Januarii. A Pontificali dignitate & Sacerdotali ordine, ceterisque deposuit Episcopum Caturcensem: qui degradatus, & seculari brachio traditus, ex parte excoriatus est, deinde combustus.

MCCCXVII. ad titulum Sancti Eustachii promovit Dominum Arnaldum de Via suum ex sorore nepotem. Eodem anno Tolosanam Sedem fecit Archiepiscopalem, & Diœcesim Tolosanam, quæ nimis affluebat divitiis, in sex Episcopatus divisit. Item in Archiepiscopatu Narbonensi de duabus Abbatiis fecit duos Episcopatus. Item Episcopatum Albiensem divisit in duos: Idem fecit in Episcopatibus Agennensi, Lemovicensi, Petragoricensi, Claromontensi, Rutenensi, Pictavensi. Eodem anno catalogo Sanctorum adscripsit Sanctum Ludovicum Ordinis Minorum, Episcopum Tolosanum. Ejus enim Magister fuerat, & ex continua conversatione cum eo de ipsius sanctitate certior, puta qui ejus gesta & acta vir subtilis indaginis, & oculis & experientiæ manibus contrectavit. Eodem anno fecit Septimum publicari, & sub Bulla ad generalia Studia transmisit.

MCCCXVIII. Archiepiscopum Tarraconensem unicum in Regno Aragoniæ divisit in duos, secundam Sedem Archiepiscopalem ponens in Cæsaraugusta.

MCCCXIX. Ordinem militarem instituit, qui vocatur de Militia Jesu Christi in Regnis Portugalliæ & Algarbii, ad resistendum in illis partibus Saracenis. Cujus domum principalem constituit in Castro Marino Silvensis Diœcesis; illisque Templariorum bona concessit in Regnis prædictis. Eodem anno veterem Abbatiam Montis Casini in Episcopatum convertit. Eodem anno fecit aliam ordinationem Cardinalium, & inter ceteros promovit Fratrem Beltrandum Ordinis Minorum, quem prius fecerat Archiepiscopum Salernitanum, & ad Regem Franciæ transmiserat.

MCCCXX. canonizavit Sanctum Thomam Episcopum Herfordensem à transitu ejus anno XXXVIII. Qui nobilis fuit genere, sed nobilior moribus, & scientiæ ac vitæ splendoribus. Doctor fuit in sacra Pagina & Decretis. Pluribus miraculis claruit, & mortuos suscitavit.

MCCCXXIII. Fratrem Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum, Doctorem egregium, similiter adscripsit catalogo Sanctorum.

MCCCXXVIII. fecit aliam (*b*) ordinationem.

De

(*a*) *Muratorius*: Idest anno Christi MCCCXXXI.
(*b*) *Muratorius*: Idest ordinationem Cardinalium, quam tamen alii Scriptores factam ajunt Anno MCCCXXVII.

De ceteris contingentibus.

ANno MCCCXXX. congregatio multorum facta est in partibus Gallicanis, valde periculosa, qui Pastorelli vocabantur. Hi omnis superioris potestatis jugum abjecerant. Et ut suis non solùm necessitatibus, sed etiam avaritiæ consulerent, Judæorum baptizari renuentium bona rapiebant, & nonnullos interimebant. Locis & Castris, per quæ transibant, violentias inferebant & damna, & maxime in bonis Clericorum & Ecclesiarum. Et quum dicerentur versùs Avinionem declinare, Camerarius Domini Papæ contra eos, eorumque fautores per Religiosos prædicari mandavit. Citò autem incomposita & agrestis illa multitudo evanuit.

Ex Petro de Herentals Canonico Præmonstratensi, & Priore Floreffiensi, apud Baluzium.

JOhannes XXII. fuit electus in Papam anno Domini MCCCXVI. Lugduni, ubi Cardinales vigintitres numero, postquam à Carpentorate Civitate ob gravem turbationem commotam à Conclavi, quod priùs intravetant, discesserant, & dispersi in diversis Civitatibus, & Villis steterant annis amplius quàm duobus, tamdem congregati fuerunt pariter & inclusi diligentiâ Comitis Pictavensis germani Regis Franciæ Ludovici. Et ibi omnes in dictum Johannem consenserunt, qui priùs vocabatur Jacobus, & fuerat Cardinalis Episcopus Portuensis, sed antea erat Episcopus Avinionensis. Hic recedens de Lugduno venit Avinionem, & ibi mansit Curia. Hic Sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum filium quondam Caroli Regis Siciliæ, canonizavit VII. Idus Aprilis anno Domini MCCCXVI.

Dictus etiam Papa anno Pontificatus sui IV. instituit novum Ordinem Militum, qui dicerentur de Militia Jesu Christi in Regno Portugalliæ ad resistendum in illis partibus Saracenis pro defensione Fidei Christianorum.

Item anno Domini MCCCXIX. usus conversationis Beghinarum deletus & prohibitus est per Constitutionem Clementis Papæ V. prædecessoris dicti Johannis Papæ, ex eo quod suggestum fuerat dicto Clementi, quod dictæ Beghinæ intromittebant se disputare de summa Trinitate contra articulos Fidei, pro ut habetur in dicta Constitutione, quæ incipit: *Ad nostrum qui desideranter*, de Hæreticis in Clementinis. Quam Constitutionem moderando revocavit Johannes Papa per unam, quæ incipit: *Recta ratio non patitur, ut innocentes ad parta eum nocentibus judicentur.*

Item Anno Domini MCCCXX. sextodecimo Calendas Maji apud Avinionem dictus Johannes Papa canonizavit Sanctum Thomam Episcopum Herefordensem à transitu ejus anno XXXVIII. Qui fuit vir nobilis genere, sed nobilior moribus & vitâ, scientiâ & doctrinâ, Doctor in Decretis, & Magister in Theologia, præclarus in miraculis, tam in beneficiis sanitatum, quàm in resuscitatione mortuorum. Anno quoque Domini prædicto surrexit in Regno Franciæ quædam nova pestis, cui similis reperitur in Chronicis elapsis jam septuaginta annis aliàs contigisse. Subitò quidem surrexit quædam congregatio hominum simplicium promiscui sexus, qui se Pastorellos vocare cœperunt, confingentes se zelum habere transfretandi mare ad recuperandam Terram Sanctam, nullum habentes conductorem, neque aliquem navigii apparatum. Multiplicabantur cotidie euntes de loco ad locum, subsidium sibi præstari sub specie pietatis petentes; quibus Populus multum favebat, non prævidens pericula in futurum. Nam sic multiplicati commune fecerunt votum, ut omnes Judæi, nisi baptizari vellent, ubique interficerentur ab eis, nullo alterius potestatis judicio præcedente. Quod & opere impleverunt, bona Judæorum occisorum diripientes, & suis usibus applicantes. Sicque de malo in pejus proficientes, profugi & latrones eis adjuncti sunt. Tamdem fuit per nonnullos ex eis decretum, quòd in Clerum & Religiosos insurgere, nec non bona eorum diripere disponebant. Unde plurimi ex ipsis fuerunt capti, & suspendio occisi. Sicque ceteris fugientibus, & ultra non comparentibus dissipati sunt.

Item anno Domini MCCCXXI. Leprosi in Regno Franciæ convicti & confessi fuerunt, quòd in suis conventiculis, quæ sua capitula ad tractandum vocabant, simul conspiraverant, quod aquas fontium & fluviorum ubique inficerent, appositis venenosis pulveribus, ut homines sani bibentes ex dictis aquis infectis efficerentur Leprosi aut morbidi, aut necarentur, sic numerus Leprosorum augeretur in tantùm quod dominationes Nobilium & Baronum obtinerent. Propter quod omnes inventi culpabiles combusti fuerunt, & reliqui sic inclusi, quod vitâ eorum durante non exirent, viris à mulieribus separatis.

Anno Domini MCCCXXIII. dictus Papa Johannes canonizavit apud Avinionem in Consistorio Sanctum Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum à die transitus sui de hoc Mundo anno quinquagesimo. Hic siquidem Sanctus Thomas Doctor egregius, nobilibus ortus natalibus, ex illustri prosapia Comitum Aquinorum traxit originem, virgo mente & corpore, puer apud Neapolim missus ad studium, habitum Fratrum Ordinis Prædicatorum suscepit, & in brevi tempore sic vitâ, scientiâ, & moribus profecit, quod adhuc ætate juvenis ad Theologiæ Magisterium Parisius exstitit promotus; cujus scripta & opera laude sunt digna. Hic propter ejus eminentem scientiam vocatus à Gregorio Papa X. ad generale Concilium Lugdunense, veniens ad quoddam Monasterium Fossæ Novæ Ordinis Cisterciensis in Campania, ibidem obdormivit in Domino, clarus miraculis in vita, & post mortem ejus. Eodem anno damnavit opinionem quorumdam asserentium, quod Christus & ejus Apostoli nihil habuerint commune vel speciale, misitque super hoc declarationem ad Studia generalia sub sua Bulla. Hic Papa Johannes plures fecit Constitutiones utiles & salubres, quæ Johanninæ vocantur. Item dictus Papa coram se in Consistorio fecit comparere Magistrum Johannem de Polliaco Magistrum sacræ Theologiæ, qui tenuerat publice prædicans, quod confessi Fratribus Mendicantibus, habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri suo proprio Sacerdoti. Secundò tenuit & prædicavit, quod Papa Romanus non

non poteſt facere, quod Parochianus non teneatur ſuo Curato ſemel in anno confiteri, ſtante illa Decretali de Pœnitentiis & Remiſſionibus, *Omnis utriuſque ſexus*. Quæ opiniones reprobatæ fuerunt in Conſiſtorio, & præceptum dicto Magiſtro Johanni, quod publice in ſcholis & ſuis prædicationibus revocaret prædictos articulos, tamquam contrarios veritati. Super quo fecit unam Conſtitutionem, quæ incipit: *Vas electionis*. Item iſte Papa Johannes propter quædam verba per ipſum allegata in Sermone ab ipſo facto in feſto omnium Sanctorum, quæ beato adſcribuntur Bernardo, prædicavit, & prædicare fecit, animas Sanctorum non videre divinam Eſſentiam clare ante generalem diem Judicii & corporis Reſurrectionem. Et quod viſio, quam nunc habent animæ de divina Eſſentia evacuabitur in extremo judicio. Unde Dominus Durandus Epiſcopus de Ordine Fratrum Prædicatorum fecit tractatum de hac materia contra opinionem Johannis Papæ prædicti. Propter quod fuit citatus, ſed per Regem Franciæ defenſatus.

Item anno Domini MCCCXXXIV. tertio nonas Decembris, die Dominica, horâ diei primâ, ipſe Johannes anno Pontificatus ſui XIX. quadam infirmitate depreſſus, quum ſe moriturum videret, ad exhortationem amicorum ſuorum ſubmiſit ſe & doctrinam ſuam judicio Eccleſiæ Romanæ in hæc verba: „ Credimus, quod animæ ſeparatæ à corporibus & purgatæ, ſunt in cælorum regno „ ſeu Paradiſo, & cum Chriſto in conſortio „ angelorum congregatæ, vident Deum & „ divinam Eſſentiam facie ad faciem clare in „ quantum ſtatus & conditio animæ ſeparatæ „ patitur. „ De qua revocatione ſcripſit pulcram Literam ſub hac forma. „ Johannes „ Epiſcopus, ſervus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ne ſuper iis, quæ „ de animabus ſeparatis à corpore & purgatis „ ante reſumtionem corporum divinam Eſ- „ ſentiam viſione illa videlicet, quam vocat „ Apoſtolus facialem, videant, tam per non „ nullos alios in præſentia noſtra recitando „ & allegando ſacram Scripturam ac origina- „ lia, & dicta Sanctorum, illis alias ruminando ſæpius dicta ſunt, aliter per nonnul- „ los, quàm per nos dicta & intellecta auribus fidelium inculcabantur. Ceterum noſtram intentionem, quam circa ſtatum animarum ſeparatarum habemus & habuimus, „ ſerie præſentium declaramus. Fatemur ſi „ quidem & credimus, quod animæ ſeparatæ „ & purgatæ à corporibus ſint in cælo cælorum regno & Paradiſo cum Chriſto in „ conſortio Angelorum congregatæ, & vi- „ deant Deum facie ad faciem, & divinam „ Eſſentiam clare, in quantum conditio & „ ſtatus patitur animæ ſeparatæ. Si verò alia „ & alia contra materiam hujuſmodi per nos „ dicta & prædicata vel ſcripta fuerunt, quæ „ quoquo modo illa prædicavimus vel ſcrip- „ ſimus contra præmiſſa vel alia, quæ Fidem „ concernant Catholicam, ſacramque Scrip- „ turam, aut bonos mores, illa abnegamus, „ & determinationem Eccleſiæ & ſacræ Scripturæ approbamus. Aliàs autem dicta vel „ ſcripta illa habemus, & habere volumus „ pro non dictis & ſcriptis, eaque revoca- „ mus expreſſe, ac prædicta omnia & quæ- „ cumque dicta & prædicata fuerunt vel „ ſcripta per nos, de quacumque materia ubi- „ cumque & in quocumque loco, & in quo- „ cumque ſtatu, quem habuimus & habemus „ vel habuerimus, omnia ſubmittimus deter- „ minationi Eccleſiæ ac ſucceſſorum noſtro- „ rum. Nulli ergo omnino hominum liceat „ hanc paginam noſtræ declarationis infringe- „ re, vel eam auſu temerario contraire. Da- „ tum Avinione, tertio nonas Decembris „ Pontificatus noſtri anno XIX. „ Hac ſiquidem revocatione facta, ſtatim die & hora ſupradictis exſpiravit.

Ex Appendice Ptolomæi Lucenſis, apud Baluzium.

JOhannes XXII. hujus nominis, natione Caturcenſis, ſedit annis XVIII. menſes IV. & vacabat Sedes diebus XVI. Hic in Lugduno eſt electus anno Domini MCCCXVI. ſeptimo Idus Auguſti. Ubi etiam XXIII. Cardinales poſtquam à Carpentorate receſſerant ob gravem turbationem ſubortam, & in diverſis locis diſperſi fuerant annis pluſquam duobus, tamdem diligentiâ Domini Philippi tunc Comitis Pictavienſis, poſtea Regis Franciæ, incluſi ſunt in Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli. Quam incluſionem minime ſuſpicabantur. Et quadrageſimoprimo die ab incluſione in hunc Pontificem conſenſerunt, virum ardentis ingenii, & in Jure Eccleſiaſtico & Divino valde peritum. Qui primò fuit Forojulienſis Epiſcopus in Aquenſi provincia: inde per Clementem V. in Avenionenſem translatus, ubi Curia reſidebat. Factus ſummus Pontifex plura conceſſit, & ſtatum Alamanniæ perturbavit cum ſuis proceſſibus factis contra Ludovicum; qui tamen male ſervabantur, & grandia multa emendare niſus. Primo anno fecit unam ordinationem Cardinalium apud Avinionem, XVI. Calendas Januarii. A Pontificali dignitate & ſacerdotali Ordine depoſuit Caturcenſem Epiſcopum: qui poſtea degradatus & ſeculari brachio traditus, in parte excoriatus & combuſtus eſt.

Anno MCCCXVII. ad titulum Sancti Euſtachii promovit Dominum Arnaldum de Via, ſuum ex ſorore nepotem. Eodem anno Toloſanam Sedem fecit Archiepiſcopalem. Diœceſim autem Toloſanam, quæ nimis affluebat reditibus, in ſex Epiſcopatus diviſit. Item in Archiepiſcopatu Narbonenſi duos Epiſcopatus in duabus Abbatiis de novo conſtituit. Item Epiſcopatum Albienſem in duos diviſit. Idem fecit in Epiſcopatibus Agenenſi, Lemovicenſi, Petragoricenſi, Claremontenſi, Ruthenenſi, Pictavienſi. Eodem anno canonizavit Ludovicum Fratrem Ordinis Minorum, Epiſcopum Toloſanum, cujus fuit magiſter, ex continua converſatione cum eo de ipſius ſanctitate certior, puta quod ejus geſta & acta vir ſubtilis indaginis & oculis vidit, & experientiæ manibus contrectavit.

Eodem anno, qui eſt MCCCXVIII., Septimum Librum Decretalem fecit publicari, & ad Studia generalia ſub Bulla, ut moris eſt, deſtinavit. Archiepiſcopatum Tarraconenſem unicum in Regno Aragoniæ diviſit in duos, ſecundam Sedem Archiepiſcopalem in Cæſarauguſta ponens.

Anno MCCCXIX. Ordinem Militarem inſtituit, qui vocatur de Militia Jeſu Chriſti, in Regnis Portugalliæ & Algarbii, ad reſiſtendum in illis partibus Saracenis. Et domum principalem eſſe conſtituit in Caſtro Marino Sil-

Silvensis Diœcesis; illisque Templariorum bona concessit in Regnis prædictis. Eodem anno veterem Abbatiam Montis Casini Ordinis Sancti Benedicti ad Episcopalem dignitatem erexit.

Anno MCCCXX. canonizavit Sanctum Thomam Herfordiensem à transitu ejus anno trigesimo octavo, cũ gloria secundùm quemdam Prophetam ab utero & à ventre, sed major à moribus & scientiæ ac vitæ splendoribus. Doctor namque fuit in sacra Pagina & Decretis. Pluribus miraculis claruit, ita ut etiam mortuos suscitaverit.

Anno MCCCXXIII. Fratrem Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum, Doctorem egregium & præclarum catalogo Sanctorum adscripsit.

Anno autem Domini MCCCXXXIII. duodecimo Calendas Augusti, in publico Consistorio, quod habuit Johannes Papa apud Avinionem in Palatio suo, ad petitionem Regis Philippi Francorum, Passagium generale prædicavit, constituendo eum ducem illius exercitus, & Decimas Regni sui sibi per sex annos concessit in subsidium Terræ Sanctæ & Passagii prædicti: Ecclesiæ autem Romanæ per sex annos Decimas universalis Ecclesiæ reservavit similiter pro Passagio, quod incipiendnm disposuit à Calendis Augusti per tres annos proximos subsequentes. In prædicto etiam Consistorio Petrus Archiepiscopus Rothomagensis, & Johannes Episcopus Morinensis & Decanus Parisiensis, & Henricus Miles de Avalgoria, habentes procuratorium sufficiens, in animam prædicti Regis juraverunt, quod iret in propria persona ultramare, vel filius suus Johannes, si caussa legitima patrem impediret, quòd Passagium perficere non posset; & quod Decimas prædictas sibi per sex annos concessas in alios usus non converteret, quàm in subsidium Terræ Sanctæ. Quam personaliter visitare juravit per Procuratores prædictos, ut supra est prælibatum.

Anno autem Domini MCCCXXXIV cœpit movere quæstionem circa Visionem beatificam, in qua sibi Rex Francorum & Studium Parisiense restiterunt una cum Magistris Theologiæ. Unde Papa tunc motus in Consistorio fuit coram Cardinalibus, Prælatis, & Capellanis, quod in prædicta quæstione nihil definiendo sed recitando dixerat. Et quod paratus esset revocare, si qua erronea dixisset, & plures auctores pro & contra collegerat. Quæ fecit tunc legi in Consistorio quinque diebus à festo Innocentium usque ad Epiphaniam Domini, & conclusit ut supra. Eodem anno circa Quadragesimam incœpit tractare cum septem Cardinalibus ex procuratione Regis Bohemiæ, quod Ludovicus, qui se Imperatorem intitulabat, deberet cedere, & quidam Henricus Dux Bavariæ, consanguineus prædicti Ludovici deberet eligi in Regem, & promoveretur ad Imperium. Quod tamen fuit contra Regem Robertum, qui ex hoc cœpit Papæ indignari. Cui Rex Hungariæ favit cum Gibellinis tyrannis, qui jura Imperii usurparant, & cum Guelfis, maxime Florentinis, qui super hoc impediendo suos ambassiatores una cum ambassiatoribus Regis Roberti & Regis Hungariæ ad Papam Johannem direxerant, ne ipse creationi novi Imperatoris consentiret. Rex autem Francorum una cum Johanne Rege Bohemiæ laborabat, ut eligeretur Henricus Dux Bavariæ, in Imperatorem promovendus.

Item eodem anno Domini MCCCXXXIV. in Vigilia Paschæ, dum Papa Johannes officium celebraret, & communione facta, vellet unum Diaconum Cardinalem, qui sibi ministraverat, communicare, scilicet Dominum Jacobum Gaitani, quum porrigeret sibi partem Hostiæ, & crederet se ori ejus imposuisse, ille respondit se nihil percepisse. Et ideo per horam quæsita fuit pars illa hinc inde in sede Papæ, ubi steterat. Et tamdem fuit inventa in plica Casulæ Papalis, & data prædicto Cardinali. Officio autem finito, Papa dixit, se visibiliter vidisse, quòd Corpus Domini de manibus suis descendendo comparuit, & Casulam videre non poterat, ubi se reservavit, nisi post inquisitionem factam diligenter, inventa est pars Hostiæ in plica Casulæ, ut supra. Et Papa hoc pro miraculo factum reputavit. Et factum est hoc anno XVIII. Pontificatus sui. Illo etiam anno, & in septimana illa expulsus fuit Dominus Ostiensis Episcopus Cardinalis de Bononia, qui fuit Legatus per totam Lombardiam bene sexdecim annis; & amissis quasi omnibus, reversus fuit in festo Pentecostes. Reversus fuit etiam Dominus Johannes Gaytani Diaconus Cardinalis post mortem Johannis Papæ, & ante electionem Papæ Benedicti XII. Qui fuit Legatus in Tuscia, & similiter ibi nihil profecit. Sed ambo infinitum thesaurum expenderunt, & vacui recesserunt. Item prædictus Pontifex Dominus Johannes instituit, quòd Festum Trinitatis solemniter celebrari deberet singulis diebus Dominicis post Festum Pentecostes. Instituit etiam, ut post orationem Dominicam in Canone Missæ, in sua Capella flexis genibus Sacerdos dicat Psalmum *Lætatus sum* cnm aliquibus certis Collectis contra hostes Ecclesiæ. Et hoc etiam non fuit de antiqua Constitutione, quæ prohibet Dominicis diebus fieri publice genuflexiones, ut in Decretis patet.

Anno autem prædicto MCCCXXXIV. quum Papa Johannes arduis caussis valde diligenter intenderet, scilicet creationi Imperatoris novi, in quo facto Rex Philippus Francorum & Johannes Rex Bohemiæ filius Henrici Imperatoris sibi multùm favebant, & determinationi quæstionis Visionis, an scilicet Sancti in patria ante Resurrectionem haberent Visionem Essentiæ divinæ; & dum prædictis & aliis caussis sollicitus intenderet, & quarto nonas Decembris Consistorium mandasset, ut aliquas provisiones quibusdam faceret, in nocte præcedenti nonas prædictas post cœnam & primum galli cantum, invasit eum morbus. Et sic omisso Consistorio, illa die IV. nonas Decembris nihil fecit. Sed III. nonas, die sequenti post Vesperas fecit vocari omnes Cardinales, qui erant in Avinione. Hoc dicto propter Johannem Gaytani, qui non erat præsens tunc in Civitate, & propter Dominum Neapolionem Romanum Diaconum Cardinalem, qui erat in Cardinalatu antiquior omnibus Cardinalibus. Qui licèt in Civitate esset, & vocatus per Papam, ipse tamen noluit venire nec interesse obsequiis, nec testamento Papæ. Et præsumitur, quod ex eo fecerit, quia Papa in sua electione, quæ apud Lugdunum celebrata fuit, juravit, se numquam ascensurum equum vel mulum, nisi iret Romam. Quod & servavit, quia navigio ivit usque ad Avinionem, & pedes ascendit Palatium:

tium: de quo postea nisi intrando Ecclesiam majorem, quæ contigua Palatio est, non exivit. Et sic suum sacramentum servavit, quia post sacramentum præstitum, sicut fecit, numquam equitavit. Unde prædictus Cardinalis sibi non favit. Sed Papa nihilominus coram aliis Cardinalibus dispofuit rite & legitime testamentum suum, recommendans sanctam Ecclesiam & Nepotes suos Cardinalibus. Et sic II. nonas Decembris post auditam Missam in aurora diei, & Communione percepta, orando migravit de hoc Seculo horâ tertiâ, & Dominica die, quæ erat tunc II. nonas Decembris. Sepultus est autem Avinioni in Ecclesia Cathedrali nonis Decembris. Sedit autem annis XVIII. & mensibus IV. minùs duobus diebus. Et vacavit Sedes sexdecim diebus.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem ex Codice MSto Patavino.

ANno Domini MCCCXVI. septimo Idus Augusti Johannes XXII. de Caturcensi Civitate oriundus, patre Arnaldo, fuit electus in Summum Pontificem in Conventu Fratrum Prædicatorum Lugduni, ubi Cardinales XXIII. numero, postquam à Carpentorato Civitate ob gravem & grandem turbationem commotam, à Conclavi, quod priùs intraverant, exeuntes discesserant, & dispersi in diversis Civitatibus & Villis steterunt annis amplius quàm duobus. Tamdem congregati pariter & inclusi, diligentiâ, arte, & ingenio Domini Philippi tunc Comitis Pictaviensis, germani Regis Franciæ Ludovici, cui successit in Regno Francorum, qui ad hæc antea anno ferè dimidio laboraverat multis modis, quum non potuissent in unum locum aliàs congregari. Et quadragesimo die ab inclusione ipsorum, quæ facta fuit in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, ipsis tamen, quod tunc deberent includi penitus nescientibus, pariter & invitis; tamdem tractatu præhabito in præfatum Dominum Johannem omnes pariter assenserunt. Erat autem Cardinalis Episcopus Portuensis, & Jacobus vocabatur; sed Johannes exinde vocatum est nomen ejus; fuitque coronatus more Pontificum Romanorum cum honore solenni Nonis Septembris, Dominicâ primâ ejusdem mensis, Lugduni in Ecclesia Cathedrali. Hic fuit primò Episcopus Forojuliensis, tum Aquensis Annos XI. & exinde translatus factus Episcopus fuit Avinionensis per Papam Clementem V. Anno Domini MCCCX. Ac inde assumtus fuit in Cardinalem per eumdem Clementem Papam, Sabbato in jejuniis Quatuor Temporum Adventus, Anno Domini MCCCXVI. apud Avinionem, ubi tunc Curia morabatur. Et tamdem ex Cardinalatu assumtus est ad Papatum. De Lugduno circa mensem Septembris Sabbato recedens pervenit Avinionem secundo die mensis Octobris in Sabbato, ubi publicam priùs fecerat Curiam proclamari futuram. Hic Summus Pontifex sedit annos XVIII. menses IV. Cessavit Episcopatus, vel Pontificatus annos II. menses IV. dies XVII. Mortuus est autem in Avinione Anno Domini MCCCXXXIV. pridie Nonas Decembris ætatis suæ anno ..... relinquens in thesauro ingentem auri & argenti quantitatem, cujus recta computatio fuisse dicitur aurearum dragmarum XXV. A hoc est millies vigintiquinque millia; quod scripsisse arduum videtur; nec legitur aliis temporibus Ecclesiam Romanam locupletiorem fuisse.

Fecit etiam dictus Pontifex unam ordinationem octo Cardinalium, quos assumsit apud Avinionem feriâ VI in jejuniis Quatuor Temporum Adventus Domini, Anno MCCCXVI. quorum nomina hæc fuisse dicuntur: Dominus Bernardus de Castaneto dudum Albiensis, tunc verò Aniciensis Episcopus, quem fecit Episcopum Portuensem, & nihilominus Episcopatum Aniciensem commendavit eidem Anno XLI. Episcopatus sui tunc fere completo. Item Dominus Jacobus de Via de Caturco Civitate nepos Papæ ex sorore, electus B tunc Avinionensis, quem fecit Presbyterum Cardinalem tituli Sanctorum Johannis & Pauli, & sibi Episcopatum Avinionensem commendavit. Item Dominus Vancelmus Johannis de Cadurco Civitate, quem tunc Vicecancellarium Presbyterum Cardinalem tituli Sanctorum Marcellini & Petri creavit. Item Dominus Bernardus de Porto de Castronovo Rhoterii Diœcesis Caturcensis Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Marcelli. Item Dominus B. de Monte Faventio de prædicto Castronovo Rhoterii Diaconum Cardinalem tituli Sanctæ Mariæ in Aquiro. Item Dominus Petrus de Acebaldo publicus C Cancellarius Regis Franciæ tituli Sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem. Item Dominus Gilardus de Mota, Vasco natione Domini Clementis V. quondam ex nepote nepos, Diaconum Cardinalem tituli Sanctæ Lucinæ. Item Dominus Johannes Gajetani, natione Romanus de Ursinis, Diaconum Cardinalem tituli Sancti Theodori.

Item canonizavit, & Sanctorum Confessorum catalogo annotavit Sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum, filium quondam Caroli II. Regis Siciliæ VII. Idus Aprilis apud Avinionem Anno Domini MCCCXVII. Item degradavit & deposuit à Sacerdotali & Pontificali ordine & dignitate Episcopum Catur- D censem Hugonem Geraldi Abbatis, ab eodem omnibus Pontificalibus insigniis, videlicet annulo, cum mithra, cappa, cum Cemaria, & camisia, & bireto. Remotus sicque relictus primò in simplici habitu Clericali fuit adjudicatus perpetuo carceri, quarto die mensis Maji apud Avinionem, Anno Domini MCCCXVII. Degradationem verò cum solemnitate juris, qua decuit, fecit Cardinalis Episcopus Tusculanus; sicque ultimò degradatus, fuit traditus Curiæ Seculari, per cujus mandatum fuit tractus, & in aliqua parte corporis excoriatus, deinde combustus in mense Julii sequenti, quia sicut fuit dictum, in mortem Summi Pontificis fuerat machina- E tus.

Anno Domini MCCCXVII. circa festum Beati Johannis Baptistæ fecit Cardinalem Diaconum Sancti Sixti Dominum Arnaldum de Via ex sorore nepotem loco Domini Jacobi de Via germani sui Presbyteri Cardinalis, qui quasi octava die præcedente obierat. Eodem anno tam in mense Julii, quàm Augusti, Cathedralem Ecclesiam Sancti Stephani Tolosani erexit in Archiepiscopalem Sedem, & primum Archiepiscopum instituit in eadem Johannem de Corneis, quem transtulit de Magolonensi sede in novam metropolim Tolosanam. Episcopus verò Tolosanus sine Episcopatu

scopatu remansit, cui postmodum de Regensi Episcopatu Dominus Papa providit, quem noluit acceptare. Diœcesim verò Tolosanam, quæ reditibus Episcopalibus plurimùm abundabat, in sex Episcopatus divisit, quorum Episcopi essent suffraganei Archiepiscopi Tolosani, sexque Villas in novas Civitates erexit; videlicet Villam Montis Albani; Villam de Riviis; Villam & Abbatiam de Lamboriis; Villam de Sancto Paulo; Villam de Vauro; Villam de Mirapisce. Episcopos, ac Episcopales Sedes constituit in singulis earumdem; fueruntque consequenter jussu Summi Pontificis Diœceses certis de caussis, & terris limitatæ.

Item in Archiepiscopatu Narbonensi duos Episcopos fieri ordinavit, quorum primum prius posuit in Limose, & Episcopum constituit in eodem, inde transtulit ad Alectum, secundum verò Episcopatum infra Limum, & sedem ejus posuit in Abbatia Sancti Pontii, fueruntque limitatæ Diœceses consequenter. Item Episcopatum Albiensem divisit in duos, Episcopum constituens apud Castras, Villam Castrensem in novam erigens Civitatem. In Abbatia Monachorum Episcopalem Sedem posuit in Abbatia Sancti Petri de Condomo, fuitque consequens Diœcesis limitata. Item in Episcopatu Lemovicensi fieri ordinavit Episcopum, & Sedem Episcopalem constituit in Abbatia Tutellensi, novam ibidem erigens Civitatem. Item cum Episcopatu Petragoricensi in Villa de Sarlato modo consimili novam erigens Civitatem, in Abbatia instituit novam Sedem, Sedemque ejus posuit in Abbatia, ac Villa de Fabrio, eamdem in novam erigens Civitatem. Item in Episcopatu Pictaviensi duos Episcopatus alios instituit, Sedem propriam, & Diœcesim novam cuilibet designando. In Abbatia scilicet de Malesio Sedem etiam constituit, & Maliacensis Diœcesis appellatur. Item etiam in nonnullis Villis de Tolosano, & de Tartasesio, & alibi fecit, & constituit Collegiatas Ecclesias Canonicorum Secularium cum dignitatibus, & præbendis, congruis reditibus assignatis singulis Ecclesiis. In Monte Albano Collegiatam Ecclesiam instituit, cui præesset Decanus; & tam ipse, quàm Canonici ejusdem Ecclesiæ, una cum Monachis Abbatiæ ad electionem faciendam de Episcopo convenirent. Item in Castronovo de Atri Collegiatam Ecclesiam instituit, quæ Decanum habet, & tam ipse, quàm Canonici ejusdem una cum Monachis Sancti Pauli concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam. Item in Villa de Bursato Albagesii Collegiatam esse constituit, pari modo cum Canonicis & Decanis eligendi Episcopum Castrensem, una cum Monachis contulit jus & concessit. Item in Villa Sancti Felicis Diœcesis Tolosanæ Ecclesiam Collegiatam instituit, quæ Decanum habet, & Canonicos cum præbendis. Item in Ecclesia Sancti Pauli de Seneldehesto Diœcesis Elestensis instituit Collegiatam Ecclesiam cum Decano & Canonicis & præbendis, jusque eligendi Episcopum Elestensem una cum Monachis de Elesto eos habere voluit & decrevit. Item in Villa de Insula Jordani Collegiatam Ecclesiam instituit, quæ Decanum habet & Canonicos, & præbendas. Item in Villa Montis-Regalis Carcassonensis Diœcesis Collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano & Canonicis & præbendis.

Item Anno Domini MCCCXVII. mense Novembri fecit præfatus Pontifex sub Bulla sua publicari, & ad generalia Studia destinari Constitutiones, quas prædecessor ejus Dominus Clemens fecerat tam in Viennensi Concilio, quàm de post, quæ nondum fuerant ad generalia Studia destinatæ, & usque tunc steterant in suspenso. Item eodem Anno Domini MCCCXVII dictus Pontifex post gravem dissensionem subortam in Ordine Grandimontis, ipsum in unum Ordinem reformando in aliquibus, prout sequitur, innovavit. Ordinavit siquidem & statuit, ut ipsa Domus Grandimontis, quæ totius Ordinis noscitur esse caput, Priorisque ac Prioratus nomine à suo initio regebatur, deinde Abbatis ac Abbatiæ titulo & vocabulo conferretur, & Abbatis electio pertineat ad Conventum. De reliquis verò domibus totius Ordinis, quæ in diversis partibus & regionibus plures erant, sic exstitit ordinatum; ut triginta novem Prioratus collegiati in locis seu domibus potioribus fierent (& facti sunt) ex eisdem, in quorum singulis eligerentur Priores singuli à supradicto Collegio, & ad Abbatem Grandimontensem tamquam ad superiorem suum, eorum confirmatio pertineret. Reliquæ verò domus fuerunt unitæ singulis Prioratibus & subjectæ, nonnullis tamen Abbati & Abbatiæ Grandimontensi sine medio reservatis. Item tribus Visitatoribus Ordinis ab antiquo institutis unum superaddidit, & quatuor esse deinceps statuit & decrevit. Hæc autem cum quibusdam aliis circa prædictum Ordinem ad ejus reformationem rationabiliter sunt præmissa, ut obviaretur frequentibus scandalis, & in distribuendis domibus, & in instituendis Rectoribus earumdem maturiùs, gravior & major æqualitas servaretur, quando non per unius hominis voluntatem, sicut priùs, sed communem electionem plurium, canonicè fieret provisio de personis, & in beneficiorum distributione personarum merita pensarentur, & vigeret ampliùs correctio in Ordine tam in capite, quàm in membris, ubi plures essent oculi vigilantes. Acta sunt hæc Anno Domini prætaxato, Pontificatus verò Domini Johannis Papæ memorati Anno II. elapsis jam tunc temporis Annis CCXL. ab exordio Ordinis computando, quo beatus Stephanus primus ejus institutor & fundator primùm advenit ad eremum de Mureto, quod fuit Anno Domini MLXXVI. sicut in gestis ejusdem Stephani præscribitur & habetur.

Anno Domini MCCCXVIII. in mense Augusti memoratus Dominus Johannes Papa Archiepiscopatum Tarraconensem tunc unicum in Regno Aragoniæ divisit, & constituit esse duos, Episcopalem sedem Cæsaraugustanam in Archiepiscopalem erigens, cui secundo quinque sibi suffraganeos designavit Episcopos ex illis undecim, quos prius Tarraconensis Metropolitanus obtinebat; primo septem tantùm suffraganeis sibi reservatis.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXIX. pridie Idus Martii idem Dominus Papa Pontificatus sui anno tertio de Fratrum consilio instituit novum Ordinem Militum, qui dicuntur de Militia Jesu Christi, in Regno Portugalliæ, & Alcarbii, ad resistendum in illis partibus Saracenis pro defensione Fidei, & Christianorum; cujus Ordinis caput, seu domum principalem constituit esse in Castro Va-

Varino Salnensis Diœcesis; concessitque, & donavit Dominus Papa Militibus bona omnia cum pleno jure, quæ fuerunt Ordinis quondam Templariorum in prædictis Regnis, accedente ad præmissa beneplacito & consensu Regis Portugalliæ & Alcarbii, qui prædictum Castrum eidem Ordini munificentia Regia contulit & concessit, Sede Apostolica confirmante. Ordo verò prædictus debet vivere & militare Deo pro defensione Fidei, & infidelium impugnatione, secundùm regulam & instituta Ordinis Calatrensis; & quando opus fuerit, debet visitari & corrigi & reformari tam in capite, quàm in membris per Abbatem Monasterii de Alchoasia Cisterciensis Ordinis Ulixbonensis. De præmissis verò, & de forma juramenti præstandi pro tempore Regi Portugalliæ per Magistrum ejusdem Ordinis, nec non præfato Abbati, nomine Ecclesiæ Romanæ; ac etiam de aliis conditionibus & circumstantiis appositis & reservatis in literis Apostolicis inde confectis seriosiùs & pleniùs continetur. Actum Avinioni ad perpetuam rei memoriam.

Item anno Domini MCCCXIX. Calendis Maji apud Avinionem canonizavit, & Sanctorum Confessorum catalogo annotavit cum solemnitate in hujusmodi re consueta Sanctum Thomam Episcopum Herferdensem à transitu ejus anno XXXVIII. Qui fuit vir nobilis genere sed nobilior vitâ & moribus, præditus scientiâ & doctrinâ, Doctor in Decretis, & Magister in Theologia, cujus præclara & ingentia merita ingens fama virtutum tam præcedentium, quàm sequentium miraculorum longe lateque declarat, non solum in beneficiis & remediis sanitatum, verùm etiam in pluribus mortuis ejus meritis suscitatis, quibus mirificavit Dominus Sanctum suum, & colendum tribuit universis.

Hic quoque Dominus Papa anno Domini MCCCXX. feriâ sexta in jejunio quatuor Temporum Adventus Domini fecit ordinationem unam VII. Cardinalium, quos assumsit, videlicet: Raynaldum La Porta de Albasaco Lemovicensis Diœcesis Archiepiscopum Bituricensem; & Fratrem Bernardinum de Turre de Cambaliaco Caturcensis Diœcesis de Ordine Fratrum Minorum, Magistrum in Theologia, Archiepiscopum Salernitanum; Petrum de Pretio Diœcesis Sanctionensis electum Viennensem; Pilumfortem de Capistranno de Sancto Georgio prope fluvium Carim Diœcesis Albiensis Episcopum Rurensem; Petrum Textoris de Sancto Antonio Diœcesis Caturcensis.

Anno verò Dominicæ Incarnationis MCCCXXII. in mense Augusto idem Papa suspendit sententiam excommunicationis, ac alias pœnas contentas in Constitutione Nicolai Papæ III. edita super Constitutione & regula Fratrum Minorum: quæ incipit: *Exiit, qui seminat*. Extra *de Verbor Significat.* Lib. VI. contra glossantes, vel aliter exponentes nisi grammaticaliter, aut determinantes in Scholis, seu prædicantes aut docentes. Hic Dominus Papa Pontificatus sui anno septimo, Dominicæ verò Incarnationis anno MCCCXXIII. quintodecimo Calendas Augusti apud Avinionem canonizavit, & Sanctorum Confessorum catalogo adscripsit Thomam de Aquino de Ordine Fratrum Prædicatorum Doctorem egregium, anno quinquagesimo decurrente à felici ejus transitu de hoc Mundo. Item eodem anno Domini MCCCXXIII. pridie Idus Novembris ad perpetuam rei memoriam perpetuo declaravit edicto: quòd pertinaciter affirmare, quòd Christus, ac ejus Apostoli nihil habuerunt in speciali, nec etiam in communi, hæreticum sit censendum: assertionem hujusmodi pertinacem deinceps esse erroneam & hæreticam. Idque diffinivit, quum contradicat Scripturæ Sacræ, quæ in plerisque locis nonnulla habuisse testatur. Item pertinaciter affirmare, quòd Christo, ejusque Apostolis in his, quæ ipsos habuisse testatur Sacra Scriptura, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, deinceps fore hæreticum & erroneum declaravit; quum Scriptura Sacra testetur, ipsos præmissa fecisse, seu facere potuisse; apponens expresse, *quum talis assertio evidenter doceat, usum ipsorum in præmissis fuisse injustum: quod utique de Salvatore nostro sentire nefas est, & Scripturæ Sacræ contrarium, & Doctrinæ Catholicæ inimicum*. Prædictam quoque declarationem & diffinitionem Apostolicam cum Bulla sua ad generalia Studia destinavit.

Hic quoque summus Pontifex anno MCCCXXV. Sabbato primo Quadragesimæ, videlicet VI. Idus Februarii, reprobavit, & sententialiter condemnavit quamdam pestiferam Postillam Fratris Petri Johannis de Destruilino Diœcesis Bituricensis de Ordine Fratrum Minorum, continentem dogma pestiferum, & articulos erroneos & hæreticos; ex quo sumebat fomentum Secta quædam illorum, qui Bigini vulgariter appellantur, qui se Fratres de Tertio Ordine Sancti Francisci communiter nominabant. Ex quibus plures fuerunt hæretici condemnati & combusti.

Hic Dominus Johannes summus Pontifex, Pontificatus sui anno XII. Dominicæ Incarnationis anno MCCCXXVIII. feriâ septimâ in jejuniis quatuor Temporum fecit quartam ordinationem decem Cardinalium, quos assumsit; videlicet Dominum Johannem de Convenis, Archiepiscopum Tolosanum: Annibaldum Gajetani Romanum, Archiepiscopum Neapolitanum: Jacobum Cisterciensis Ordinis, Magistrum in Theologia, Episcopum Mirapicensem: Raymundum Ruthenensis Diœcesis, Episcopum Sancti Pauli: Petrum de Mortuomari Lemovicensis Diœcesis, Episcopum Autissiodorensem: Petrum de Capis Episcopum Coruchensem: Fratrem Matthæum de Ursinis Romanum de Ordine Prædicatorum, Magistrum in Theologia, Archiepiscopum Sipontinum: Petrum de Toleto Hispanum Episcopum Carthaginensem vel Murciæ: Johannem de Columna Romanum: Humbertum de Puteo de Monte Pessulano.

Hic Summus Pontifex plures Constitutiones edidit utiles & salutares. Hic contra Ludovicum quondam Ducem Bavariæ, qui in contradictione in Imperatorem electus fuerat (sed ejus electio, sicut est moris & juris, per Sedem Apostolicam non fuerat approbata,) & pro Imperatore se gerebat, multos fecit processus per temporum debita intervalla, cum publicis & peremtoriis citationum edictis. Qui inde non duxit comparendum, nec juri parendum, fuitque tamdem per eumdem Summum Pontificem privatus jure, si quod sibi ratione talis electionis competierat

rat aut competebat; nec non excommunicatus, ac fautor & defensor hæreticorum adjudicatus. Qui Ludovicus pravo usus malorum consilio contra eumdem Summum Pontificem Vicarium Domini nostri Jesu Christi, & adversùs Sedem Apostolicam, & Ecclesiæ unitatem multipliciter & barbare se gessit. Veniensque Romam, quemdam Pseudopapam Romæ fieri fecit, legibus & ordine perversis, & exsecratis orationibus exsecrari potiùs fecit, quàm ordinari aut sacrari Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXVIII. in mense Maji; cui Antipapæ Ludovicus ipse reverentiam exhibuit tamquam Summo Pontifici, & tamquam Papam manutenuit, & deduxit in magnum scandalum Ecclesiæ Domini nostri Jesu Christi. Præfatus Pseudo-Papa fuit Frater Petrus Remallutii, de Corbario Reatinæ Diœcesis de Ordine Fratrum Minorum. Qui antequam habitum ejusdem Ordinis assumeret, uxorem habebat Johannam Matthæi de Corbario, cum qua habitavit conjugaliter annis quinque, & rupto fœdere conjugali ipsâ vivente & invitâ & spretâ, de conjugio ad Fratrum Minorum Ordinem se contulit, & habitum eorum sumsit, & Beati Francisci regulam est professus. Demum spretâ tam Religionis, quàm Catholicæ Fidei professione, profane & insane electus in Antipapam, manum dedit & animum, & se Nicolaum Papam V à suæ partis consortibus voluit nominari; cœpitque agere, & se gerere tam quam Papa esset, in ipsa Urbe in obprobrium dictæ Urbis; fecitque Cardinales secum complices in vesania. Et conatus est scindere Ecclesiæ unitatem, utpote minister & membrum Antichristi. Præfata autem Johanna ipsum repetiit in judicio coram Episcopo Reatino, oblato libello; & pro Johanna contra prædictum Petrum per Dominum Johannem Episcopum Reatinum lata fuit sententia publice, servato juris ordine, penultima die mensis Novembris, Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXVIII. sicuti in transumto sententiæ plenius legimus contineri. Dictusque Antipapa fuit per Bonifacium Comitem de domo antiqua de Pisis dicto Domino Johanni præsentatus, & ibi per Papam prædictum in publico ad misericordiam & gratiam receptus, & sub fida custodia detentus curialiter in Arce Avinionensi; & ibidem diem clausit extremum; & ejus corpus in Ecclesia Fratrum Minorum de Avinione honorifice traditum fuit sepulturæ.

Anno Domini MCCCXXXIV. Papa Johannes obiit in Avinione, die quarta mensis Decembris, quæ fuit Litera Dominicalis illius Anni B. Pontificatus sui Anno XIX. Ejus corpus fuit in Ecclesia Majori Avinionensi cum honore debito traditum sepulturæ. Vacavitque Sedes post mortem ejus diebus XVI. Deinde Jacobus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Priscæ, Magister in Theologia Ordinis Cisterciensis in Papam est electus, elegitque vocari Benedictus.

IN DILUCIDATIONEM FR. MICHAELIS DE CÆSENA In Psalmum *Miserere*

MONITUM LUDOVICI ANTONII MURATORII.

J*Amdiu accepit Lector in Tomo XIV. Rerum Italicarum* Annales Cæsenates *à me editos. Ibi verò pag.* 1147. *agitur de* Fratre Michelino *Ministro Generali Ordinis Minorum, qui à Johanne XXII. legitimo, atque orthodoxo Romano Pontifice, ad Ludovicum Bavarum, ejusque Idolum defecit, propterea depositus, atque diris Pontificiis perculsus. Immo Epistolam illic habes ab ipso ad Fratres sui Ordinis scriptam, in qua defectionem suam dealbare contendit. Pejora illius deliramenta refert Odoricus Raynaldus in Annalib. Ecclesiastic. qui ejus deinde mortem ad Annum* 1344. *referens, non sine suorum criminum pœnitentia, atque errorum abjuratione, ipsum obiisse tradit. Verùm Raynaldo minime notum fuit Opusculum, hoc est* Expositio Psalmi Quinquagesimi, *ab eodem Fratre Michelino composita, quam veluti luculentum testem pœnitentiæ ab ipso susceptæ nunc exerere statui. Debeo illam Clariss. Viro Rogerio Calbio Ravennati Medico, cujus elegans ingenium Rempublicam Literariam non uno fœtu illustravit. Is autem pro sua humanitate eam mihi impetravit à doctissimo Viro Petro Paullo Ginannio Ravennate Priore Benedictino, qui in Monasterio Sancti Vitalis Ravennæ Theologiæ Professor, sperare etiam nos facit aliquot eruditionis suæ experimenta. Notas etiam ab ipso Ginnanio appositas adjeci.*

Expositio Michaëlis (*a*) de Cæsena, Generalis olim Ministri Ordinis Minorum, quam Anno MCCCXLIII. (*b*) mense Novembri luctans (*c*) cum morte, pœnitentiâ perfidiæ in Johannem XXII. Pontificem Maximum subiit Monachii in Bavaria (*d*) serò, sed seriò.

M*Iserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*. Deus absconditus, qui videri non potest oculis corporeis, nec linguis (*e*) hominum nec Angelorum explicari, tolle miseriam meam, tolle peccata mea mea, quibus Te & Ecclesiam tuam Catholicam Apostolicam Romanam, & ejus caput Vicarium tuum Johannem XXII. Petri legitimum successorem offendi. Abyssus peccatorum meorum invocat abyssum gratiarum. Abyssus miseriæ meæ magna est certe; major tamen est abyssus misericordiæ tuæ. Absorbeat ergo abyssus misericordiæ tuæ abyssum miseriæ meæ. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*, non secundùm misericordiam hominum, quæ parva est, sed secundùm tuam, quæ magna est, quæ immensa est, quæ incomprehensibilis est. Secundùm misericordiam tuam, qua sic (*f*) dilexisti Mundum, ut Filium tuum Unigenitum dares. Quæ major esse potest misericordia? Quis despicere poterit. Docui certe malitias apostaticas, schisma-

Notæ P. Domni Petri Pauli Ginannii Prioris Benedectini S. Vitalis Ravennæ.

(*a*) Michaël de Cæsena fere ab omnibus, qui de illo verba faciunt vocatur, & ab Anonymo Annalium Cæsenæ edito à Cl. Viro Ludovico Muratorio Tom. XIV. Scriptor. Italicor. *Michilinus* dicitur, & à Johanne Villano Lib. X. Histor. cap 113. *Michelinus*.

(*b*) Pœnitentiæ Michaëlis tempus heic designatur, nempe mensis Novembris anni 1343. dum gravi morbo laborans, futuram mortem sibi imminere agnoscebat, quam eodem mense atque anno contigisse, ex Chronico Saxonico colligit Lucas VVadingus Tom. III. Annal. Minor. ad annum 1343. & post ipsum Bernardinus Manzonius Cæsenas in compendio Vitæ Fratris Michaëlis post Librum XV. Histor. Cæsen. Scipionis Claramontii. Dies emortualis in Chronico Saxonico concurrit cum Vigilia Sancti Andreæ Apostoli, nempe cum III. Calendas Decembris. Et quoniam in hac retractatione dies non designatur, quo fuit perfecta, sed solus mensis, eâ re incertum est, an immediate postquam pœnituit, obierit, an ad aliquos dies supervixerit.

(*c*) Alter Codex legit *luctamen*; & priorem, sicut in ceteris, lectionem sequutus sum tamquam magis propriam. Judicet tamen Lector.

(*d*) Post suam apostasiam, quum accessit ad Ludovicum Bavarum Imperatorem tunc Pisis commorantem. Qui quum in Germaniam redierit, ut Michaël suæ libertati, vitæque consuleret, Monachium elegit, ubi Ludovici fretus auctoritate ac præsidio, tranquilliores dies ageret, & Johannis XXII. Pontificis iram declinaret. Quod Anonymus Cæsenas laudatus testatur pag. 1148. dicens: *Veniens Pisas, adhæsit Bavaro supradicto, & cum eo, & in locis ei subditis est postea conversatus*; ubi etiam, Monachii scilicet, supremum clausit diem.

(*e*) Alter Cod. *linguâ*.

(*f*) Johann. III. ib.

A maticas, & hæreticas (g) ad quærendam dilectionem, & ut ostenderem bonam viam meam. Sed tu illumina me, instaura me secundùm magnam misericordiam tuam, ut me ad te in fine vitæ meæ convertas, ut peccata mea deleas, ut per gratiam tuam justifices me; quia in faciem Johannis Summi Pontificis restiti, dum ambitione dicebam & asserebam, id me facere Johanni, sicut olim Paulus Petro (h). Quid feci miser? me superbissimum superbissime comparavi humillimo (i) Apostolo, qui dicebat: *non audeamus nos comparare quibusdam, qui se ipsos commendant*; me comparavi (k) vasi electionis & gratiæ, qui semper fui vas reprobationis & iræ. Ego quidem reprehensibilis multipliciter exstiti, non Dominus Johannes Papa XXII. sanctæ recordationis Vicarius tuus. Ego namque de paupertate Christi & Apostolorum ejus, decisione (l) Sedis Apostolicæ, tunc temporis actu pendente, determinare ausu (m) nimis temerario præsumsi. (n) De qua temeritate mea dignus reprehensio-

---

(g) Sequentibus verbis: *docui malitias apostaticas & c. propria Deo pandit delicta*, ut justificetur. Quænam autem fuerint, ne actum agere videamus, recensent Viri doctissimi Spondanus
B ad annum 1331. num. 2. Nicolaus Eymericus Director. Inquisit. p. II. q. 9. & Franciscus Penia in Comment. XXXIV. ad laudatam Quæst. 9. & Comment. XL. ad Quæst. 15. Confutant verò Bzovius in Annal. Eccles. ad ann. 1329. & 1331. ac Odoricus Rainaldus in Annal. Eccles. ad ann. 1328. & 1331.

(h) Restitit Paulus in faciem Petri Antiochiæ, ut ipsemet in Epistola ad Galatas cap. II. fatetur. Huic se comparasse Michaëlem, dum contra Johannem XXII. insurrexit testatur etiam Spondanus in Annal. Eccles. ad ann. 1331. num. 2.

(i) Alter Cod. *humilissimo*.

(k) Alter Cod. *comparui*.

(l) Alter Cod. *divisione*.

(m) Alter Cod. *ausus*.

C (n) Exhibet Michaël caussam suæ defectionis à Romano Pontifice, nempe exortam Controversiam de Christi, & Apostolorum Paupertate, & de germano sensu Regulæ Sancti Francisci. Excitata fuerat hæc quæstio à Fratribus Minoribus, occasione rectæ intelligentiæ suæ Regulæ sub Nicolao III. Pont. Max. non Nicolao IV. quemadmodum post VVadingum ad annum 1279. testatur Pagius in Breviar. Romanor. Pontific. in Nicolao III. num. 22. ut nonnulli existimabant. Propterea Nicolaus III. in Decretali, quæ incipit *Exiit*, *qui seminat*, declaravit permissum esse Fratribus solum usum rerum, dominium verò Sedi Apostolicæ reservavit. Quam Constitutionem Bonifacius VIII. corpori Juris inseruit inter Extravagantes Communes in Sexto, sub titulo *De verborum significatione*. Eamdem Constitutionem Clemens V. explicavit, confirmavitque in Concilio
D Viennensi, editâ Decretali *Exivi de Paradiso*, inter Clementinas *De verbor. significat.* In qua declaravit nullam bonorum seu mobilium seu immobilium proprietatem, aut dominium Fratribus tam in speciali, quàm in communi Regulam permittere, sed tantùm usum simplicis facti. Ad superos Clemente V. translato, ejus Constitutioni non acquieverunt Fratres strictioris observantiæ, qui Generali Ordinis Ministro obedire renuebant, ut tradit VVadingus ad ann. 1317. Michaël autem, licèt abens, in Generalibus Comitiis Ordinis anno 1316 Neapoli celebratis, pridie Calendas Junii, Minister Generalis fuerat electus, propterea ut in tanti muneris exercitio commendaretur digne, ac mereretur, atque Ordinis quieti, tranquillitatique consuleret, Johannem XXII. Pontificem exoravit, ut gliscenti malo opportune
E occurreret. Qui editâ Constitutione, quæ incipit, *Quorumdam exigit*, turbas compescere studuit.

Altera tamen Quæstio anno 1321. de Christi Paupertate ex Natali Alexandro Histor. Ecclesiast. Secul. XIII. & XIV. cap. II. art. 3. agitari cœpit. Quidam enim Beguinus, seu Fraticellus ex Pagio in Breviar. Roman Pontif. in Johanne XXII. num. 39. publice docebat: *Christum & Apostolos viam perfectionis sequentes nihil habuisse jure proprietatis & dominii in speciali nec etiam in communi*. Quam propositionem nonnulli etiam Orthodoxi catholicam, atque conformem Nicolao III. in Cap. *Exiit*, de Verb. Significat. sunt arbitrati. Et præcipue Berengarius Minorita Taloni Lector; qui ut Fidei Inquisitorum judicium effugeret, ad Johannem Pontificem appellavit. Pontifex autem omnibus Academiis, atque doctissimis Viris proposuit, ut maturo examini subjiceretur, donec ipse, quid tenendum esset, definiret. Colliguntur hæc ex Nicolao Minorita apud Rainaldum anno 1322. num. 13. ex Baluzio in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium, col. 598. & ex Bernardo Guidonis in Secunda & Tertia Vita Johannis XXII. apud eumdem Baluzium. Sequenti anno 1322. Perusii celebratum est Capitulum Generale Minorum, ubi de hac controversia disceptatum fuit. Manzonius autem putat, Minores per literas à Cardinalibus quibusdam de hac re interrogatos. Ut ut sit, Michaël cum primariis Theologis sui Ordinis declaravit, Catholicam esse Beguini assertionem. Propterea Avenionem misit totius Ordinis Procuratorio nomine Fratrem Bonagratiam Bergomatem, qui & Doctrinam Minorum tueretur, & oppositis rationibus satisfaceret. Encyclicas item Literas ad reliquos Ordinis Superiores ac Theologos dedit, quibus singulos hortabatur, ut declarationi Capituli inhærerent, ne Nicolai III Clementis V. ac Johannis XXII. summorum Pontificum Constitutionibus adversarentur. Quas refert Alvarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ Lib. II. Cap. 62.

Id ægre tulit, jure quidem ac merito, Pontifex: nempe quòd Minores ausu nimis temerario judicium ferre non dubitaverint de controversia, quæ in Sedis Apostolicæ discussione tunc temporis actu pendebat: idque etiam contra Nicolai III. Constitutionem, qua se tueri arbitrabantur. In illa quippe decreverat: *Si quid pœnes aliquem in his ambiguitatis emerserit, ad culmen prædictæ Sedis Apostolicæ deducatur, ut ex auctoritate Apostolicâ sua in hoc manifestetur intentio: cui soli concessum est in his Statuta condere, & edita declarare*. Michaëlem ac socios redarguit Gerardus Minister Generalis apud Rainaldum ad ann. 1322. num. 55. Atque ipsemet Michaël delictum suum agnoscens, sibi à Deo postulat indulgere. Quamobrem Pontifex duas Constitutiones emisit, primam quæ incipit, *Ad conditorem Canonum*, pro solvendis difficultatibus circa Paupertatem à beato Francisco Fratribus Minoribus injunctam: alteram, cujus exordium est: *Quum inter nonnullos*, de Christi Paupertate & Apostolorum; in qua II. Idus Novembris anni 1323. hanc propositionem, quæ asserit Christum Apostolosq; in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, erroneam esse atque hæreticam pronuntiavit. Pontifici restiterunt Michaël Cæsenas, Okamus, Bonagratia, aliique Minores, verbis quidem ac scriptis. Propterea Johannes XXII. quarto Idus Novembris anni 1324. alteram evulgavit Constitutionem, quæ incipit: *Quia quorumdam mentes*, in qua præcedentes confirmat, & pertinaces tamquam hæreticos damnat. Habentur autem inter *Extravagantes* Johannis XXII. titulo de Verbor. Significatione. Et quoniam reliquorum dux Michaël, propterea anno 1327. Literis, quæ incipiunt: *Quum pro certis*, huic Pontifex mandavit, ut quamprimum ad Avenionensem Civitatem se transferret, ad quam Calendis Decembris pervenit. Cui Johannes præcepit, ne sub pœna excommunicationis & exauctorationis à Generali ministerio Ordinis discederet, donec quid de ipso futurum esset, per Sedem Apostolicam decerneretur. Michaël sane nec auctoritatem nec præsentiam Vicarii Christi veritus,

hensione & confusione certissime fui. Unde rationabiliter Pontifex ejecit me à facie ejus præsentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Sed tu hodie *miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: Qua Cæsenam Patriam meam inquinatus sum (*o*), & Sancti Francisci Ordinem, cujus à teneris annis alumnus fui, & tamdem Anno MCCCXVI. mihi commissum gravi exposui periculo (*p*) Ecclesiam universalem replevi scandalo, tantam iniquitatem meam dele, bone Jesu. Venit Maria Magdalena ad pedes tuos (*q*) lacrymis lavit, capillis tersit, & tu indulsisti ei, & in pace eam remisisti. Hæc una miseratio tua, Domine. Petrus negavit (*r*), iterum negavit, & cum juramento detestatus est Te, & Tu respexisti eum. Amare flevit, & Tu nedum indulsisti ei, sed Priucipem Apostolorum eum confirmasti. Hæc iterum misericordia tua, Domine. Paulus (*s*) in persequutionis fervore vocatus, statim repletus est Spiritu Sancto. Hæ (*t*) sunt misericordiæ tuæ, Domine. Ideo *secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*, qua recessi à Johanne Vicario tuo, & accessi ad Petrum de Corbario (*u*), olim Assistentem meum, deinde operâ meâ (*x*) Antichristi Vicarium. Recessi à Johanne, qui per ostium intraverat Pastor: accessi ad Petrum, qui aliunde ascenderat, ut latro; accessi ad eum, qui nomine proprio venerat, & recessi ab eo, qui venerat nomine tuo. Accessi ad Civitatem Pisanam, ubi tunc (*y*) erat sedes Sathanæ, & ibi Fratres meos faciebam ab (*z*) Antipapa Officia & Dignitates Ecclesiasticas accipere. Quorum consecrationi, vel potius exsecrationi, inunctioni, vel verius fœdationi Ego tamquam Cardinalis Ostiensis (*a*), sic ab Antipapa pronuntiatus, sed ut melius dicam impudicus leno fornicationum & fœditatum spiritalium, assistebam. Immo ego ipse in Primitiali Ecclesia Fratrem Berengarium Boverium (*b*) Pisanum in Archiepiscopum Januensem, & Fratrem Amisinum de Cæsena (*c*) Ordinis Generalem Procuratorem

---

ritus, totus fuit, ut propriam sententiam à Pontifice improbatam tueretur. Cujus tanta fuit impudentia, ut edito Libello, qui incipiebat: *Ego Frater Michaël attendens*, illam publiee propugnavit. Quibus commotus Johannes XXII. eum in Curia detineri jubet, adeo ut si à damnata sententia non recederet, illum tamquam hæreticum debitis pœnis coërceret. Imminens sibi periculum agnovit Michaël: propterea clam die XXV. Maji cum Okamo ac Bonagratia aufugit, & Pisas ad Ludovicum Bavarum accessit; qui eodem anno 1328 Fratrem Petrum de Corbaria Romæ Antipapam, Nicolai V. nomine declaraverat. Quibus à Pontifice auditis, Michaëlem excommunicavit, suâque dignitate privavit. Hæc ex VVadingo in Annalibus Minorum, Spondano ad annum 1327. & 1328. Manzonio, Natali Alexandro, aliisque.

(*o*) Alter Cod. *in qua natus sum*.

(*p*) Gravi sanc exposuerunt periculo Ordinem Minorum Michaël, Antipapa, Okamus, aliique Schismatici, quoniam propter hæc scandala plures suaserunt Pontifici, ut Sancti Francisci Ordinem supprimeret, quemadmodum Clemens V. in Viennensi Concilio sustulerat Templarios. Restiterunt profectò Vitalis de Furno & Bertrandus de Turre Cardinales ex eodem Ordine Minorum assumti, Reges etiam Franciæ, Castellæ, Aragoniæ, ac Siciliæ, se interposuerunt, ostendentes majorem ac saniorem Ordinis partem Decretis Pontificiis adhærere, cujus in Sedem Apostolicam, universamque Ecclesiam præclara merita postulabant, ut illius hostes nullatenus audiret sicut, & contigit. Hæc prosequitur Sanctus Antoninus III part. Chronicor. titul. XXIV. & Rainaldus ad annum 1329. num. 69.

(*q*) Lucæ Cap. VII.

(*r*) Matthæi Cap. XXVI. 70. & seqq.

(*s*) Actorum Cap. IX.

(*t*) Alter Codex, *Hæc*.

(*u*) Petro de Corbaria adhæsisse Michaëlem omnes laudati Scriptores testantur. Quibus addi potest Albertinus Mussatus in Ludovico Bavaro, pag. 775. Tom. X. Rer. Italicarum. At Michaël in hac sua retractatione aliquid majus addit, videlicet Petrum de Corbario ejus operá factum fuisse *Antichristi Vicarium*. Quæ sane verba non ita accipienda sunt, ac si ipse suâ præsentiâ ac consiliis apud Bavarum Romæ egisset, ut Antipapa crearetur. Etenim Petrus de Corbariâ, ut habet Ciacconius ad annum 1316. in Johanne XXII. Pseudo-Pontifex declaratus fuit III. Idus Maji anni 1328. vel IV. Idus Maji, ut post Johannem Villanum Lib. X. Histor. Cap. 71. tradit Natalis Alexander. Michaël verò die tantùm XXV. Maji fugit ab Urbe Avenionensi, & Pisas profectus est, ubi Antipapam invenit. Dicendum itaque est, in hac electione Michaëlem operam suam contulisse per proprios discipulos ac sectatores, qui erant à penitioribus consiliis Bavari. Erant autem Guillelmus Okamus, Johannes de Janduno, Marsilius de Menandrino, aliique à Francisco Pernia in Comment. 40. ad Eymerici Director Inquisit. part. II. Quæst. 15. memorati.

(*x*) Alter Cod. *opere malo*.

(*y*) Alter Cod. *tum*.

(*z*) Alter Cod. *ut Antipapa*.

(*a*) Discimus nos etiam Michaëlem a Pseudo-Pontifice declaratum fuisse Cardinalem Ostiensem, quem tamen inter Cardinales hujus Antipapæ Ciacconius non recenset. Nec mirum, quum etiam omiserit septem illos laudatos a Johanne Villano Lib. X. Histor. Cap. 73. nempe Episcopum Venetum, Abbatem Sancti Ambrosii Mediolanensis, Abbatem quemdam Germanum, Fratrem Nicolaum Fabrianensem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Petrum Oringhium, Johannem Arlottum, & Archiepiscopum Mutinensem. Circa Cardinales a Petro de Corbaria electos diffident inter se Historici. Chronicon Veronense Tom. VIII. Rer. Italicar. pag. 645. sex Cardinales Romæ electos asserit. Ludovicus Monaldescus in Annalib. multos tradit Cardinales declaratos, sed numerum non designat. Gregorius Lætus in Theatro Histor Pol. Chron. Sed Apostol. pag. 1. ubi de hoc Pseudo-Pontifice loquitur, duodecim Cardinales effectos putat. Ipse tamen arbitror neminem ex recensitis Cardinalibus fuisse Michaëlem, quum de Cardinalibus Romæ designatis loqui videantur. Michael autem inter illos fuit, quos Pisis Petrus de Corbaria elegit, & fortè quando Cardinalitiâ dignitate distinxit Johannem Vicecomitem, de qua Villanus Lib. X. Hist. Cap. 117. Agnoscimus etiam Fratrem Berengarium Boverium ab ipso consecratum Pseudo-Episcopum Januensem, quem Berengarium Bochusim vocat Manzonius, cui commissam Ecclesiam Januensem & ipse testatur; tunc autem legitimus vivebat Januensis Pastor Bartholomæus Regiensis ex Ughellio in Italia Sacra, ubi de Januensibus Episcopis. Fuit igitur Berengarius intrusus, quales fuerunt alii Episcopi per Etruriam a Nicolao V. constituti, quod colligitur ex Historiis Pistoriensibus editis in Collectione Rerum Italicarum: ubi hæc habentur: *Antipapa Bavari instantiâ deponit plures Episcopos & Prælatos, Johanni XXII. addictos, & pro illis Sectatores suos, ac Ludovici eligebat, consecrabat, vel consecrari faciebat, potissimum a Michaële Cardinali Ostiensi*.

(*b*) Alter Cod. *Boerium Episcopum in Archiepiscopum*.

(*c*) Frater Amisinus de Cæsena erat unus ex Sectatoribus Michaelis. De quo legatur VVadingus Tom. III. Annal. ad ann. 1329.

rem, in Epiſcopum Lucanum conſecrari, alioſque inunxi Urbium Epiſcopos in Etruria, A intruſos ab Antipapa Petro de Corbario. Propterea, ut *ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum* deleas tot iniquitates meas, indigeo.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Qui Petro interroganti (*d*) *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Septies?* reſpondiſti. *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*, (*e*) numerum finitum pro infinito accipiens. Numquid igitur indulgentiâ ſuperaberis ab homine? Nonne major Deus homine? Nonne melior homine? Quinimmo Deus magnus; & univerſa vanitas omnis homo vivens, & ſolus Deus bonus, omnis autem homo mendax. (*f*) Peccavi in B cœlum, & coram Te, peccavi contra auctoritatem & perſonam Summi Pontificis, dum appellavi Piſis (*g*). Quid feci! Perſona, contra quam appellavi, ille erat, qui non habebat ſuperiorem in terris, propter quod ab ipſo de jure appellare (*h*) non potui. (*i*) Paulus enim Apoſtolus (*k*) appellavit à Feſto Præſide (*l*) volente eum judici tradere, appellavit, (*m*) ſed non à Nerone Imperatore volente (*n*) eum morti tradere, appellavit, quia nullus Nerone, ſed Nero Feſto tunc temporis ſuperior apparebat (*o*). At nunc ego agnoſcens ſuperbiam meam ingemiſco, & miſer (*p*) factus & curvatus uſque in finem. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Non venio ſicut Phariſæus (*q*), ſed ſicut Publicanus. Dum enim tot peccata mea penſo, non audeo ad cœlum oculos levare; ſed in hac infirmitate animæ meæ & corporis mei, cum Publicano humiliatus dico: *Deus propitius eſto mihi peccatori*; quia contremiſco & ingemiſco, quando multiplicatæ ſunt infirmitates corporis mei, ſcio nimis tardam eſſe pœnitentiam meam. (*r*) Tu tamen in hoc fine vitæ meæ implere potes confeſſionem meam.

Tibi

(*d*) Matthæi XVIII. 21. 22.
(*e*) Alter Cod. *Numerum finitum pro infinitum*.
(*f*) Lucæ XV. 21.
(*g*) Pluries a Johanne XXII. appellavit Michael: quas omnes Manzonius hiſce verbis complectitur: *bis appellavit Avenione, ter Piſis, quater Monachii, a Johannis Decretalibus & gravaminibus*.
(*h*) Alter Cod. *Appellari*. C
(*i*) Actorum XXV. 10.
(*k*) Pontificis ſupremum eſſe tribunal, a quo nemo jure appellare poteſt, agnovit Michael fortè ex Gelaſii Pontificis Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, relatâ in Can *Cuncta*. IX. Quæſt. 3. *Ad Sedem Apoſtolicam de qualibet Mundi parte appellandum eſt. Ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus*.
(*l*) Alter Cod. *Præſidente*.
(*m*) Factum hoc Feſti Præſidis enarrat Lucas Actor. XXV. Statim ac enim Porcius Feſtus Hieroſolymam ingreſſus eſt, Optimates Judæorum eum rogaverunt, ut vinctum Paulum, quem in carcere Cæſareæ Palæſtinæ reliquerat, Hieroſolymam duci mandaret, quum prius ipſi decreviſſent, opprimere Paulum in itinere. Renuit Feſtus Apoſtolum inauditum damnare dicens, ſi contra reum D aliquid haberent, Cæſaream ſe conferrent, ut contra ipſum agerent. Venerunt ſane Judæi non poſt multos dies. Sed quum Paulus intellexiſſet, Feſtum à Judæis fuiſſe corruptum, ut ſingulorum conatus irritos redderet, ad Imperatorem appellavit. Vide Calmetum in dict. Biblic. verb. Feſtus & Paulus.
(*n*) Alter Cod. *volenti*.
(*o*) Alter Cod. *parebat*.
(*p*) Pſalmo XXXVI. 6.
(*q*) Lucæ XVIII. 11. & ſeqq.
(*r*) Miſeratione profectò dignus videbatur, cujus error fuit nimius zelus Seraphici Ordinis, & inſipiens Paupertatis affectus. Nimius, inquam zelus, quoniam Romano Pontifici obedire, & ab ejus communione numquam ſe debebat ſeparare. Quippe, ut optime Sanctus Auguſtinus Lib. II. Contra Epiſtol. Parmen. Cap. 11. ait, *non eſt gravius quicquam* E *ſacrilegio Schiſmatis, quia præcidendæ Unitatis nulla eſt juſta neceſſitas*. Meritò poſtea heic conqueritur nimis tardam eſſe pœnitentiam ſuam. Perſeveravit enim in Schiſmate & erroribus ab anno 1328. ad annum 1343. Et quoniam omnibus manifeſta fuit ejus prævaricatio, privata verò extitit retractatio, licèt apud Deum fuerit juſtificatus, propriæ tamen famæ apud homines conſulere non potuit, ut ſingulis ejus innoteſceret pœnitentia. Hæc cauſſa fuit præcipua, cur Scriptores, qui de Michaële verba faciunt, vel ipſum tradunt in errore pertinacem fuiſſe uſque ad mortem, quos inter Henricus VVarthon in Appendice ad Hiſtoriam Literariam Gulielmi Cave pag. 14. dicens: *Obiit Monachii in Bavaria anno* 1343. *in Vigilia Sancti Andreæ Generalatus titulo ad uſque extremum ſpiritum mordicùs retento*, & Caſimirus Oudin Tom. III. de Script. Eccleſ. col. 789. *Secedens ergo in Bavariam cum potioribus partium ſuarum columnis, Generalatus titulo ad extremum uſque ſpiritum mordicùs retento, Monachii anno* 1343. *in Vigilia Sancti Andreæ obiit*. Alii verò communiter ejus improbant defectionem, prætereunt pœnitentiam. VVadingus poſt Chronicam Saxonicam, & Manzonius ſtuduerunt Michaëlis pœnitentiam oſtendere: quibus ſane non acquieſcit Gravedonius in Colloq V. de Vir Illuſtr. Secul. XIII. & XIV. ubi hæc habet: *Multa alia ſcripſerunt Guilielmus Okamus, & Michaël Cæſenas, de quibus legendus eſt VVadingus in Annalib. & in Bibliot. Fratrum Minorum, ubi etiam probare nititur, Guilielmum Okamum, & Michaëlem Cæſenatem ad meliorem frugem ſe ſe recepiſſe, & pœnitentes obiiſſe, quod licèt ipſe inficias ire nolim, incertum tamen eſſe puto &c*. Quoniam nempe, ut docet Auguſtinus, qui ab Eccleſia receſſerunt, ſatis difficiliter ad ipſam ſincero corde revertuntur. Ipſe tamen exiſtimarem, indubiam prorſus eſſe Michaëlis pœnitentiam, quum hæc ejuſdem retractatio de hac re ancipites nos amplius eſſe haud permittat, quæ in veteri Codice MSto Bibliothecæ Sancti Franciſci Cæſenæ ſervatur; cujus nonnulla Ravennæ etiam exemplaria ab Originali Cæſenæ deſumpta reperiuntur. Quam ſi edidiſſet VVadingus, aut Manzonius, Eruditi vix de illa dubitarent. Mirari tamen non poſſum ſatis Oudinum & VVarthonium, qui poſt VVadingum ſcripſere, eumdemque laudant, in pertinacia defunctum tradere, quum contra qui VVadingum præceſſere, excuſatione ſint digni, ſi id inexploratum habentes minime aſſerere potuerunt. Neque etiam Graveſonii motivum tanti faciendum eſt, ut incertam reddat Michaelis retractationem; hi ſane perduelles magna cum difficultate ad bonam frugem convertuntur: quandoque tamen contingere plurima ex Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ exempla ſuadent, quæ in medium adferre poſſem. Nonnulla autem laudabo, ut appareat, nec primum nec poſtremum Michaelem fuiſſe. Quis profectò ignorat Berengarii errores, inconſtantiamque poſt ejuratas hæreſes? pluribus enim vicibus ad vomitum redibat. Attamen pœnituiſſe, & in Catholicæ Eccleſiæ gremio ultimum clauſiſſe diem, luculenter probat Mabillonius in Præf. II. ad Secul. VI. Benedict. §. 5. Petrus etiam Abaelardus poſt evulgatos errores Cluniacum ſe contulit, ubi pœnitentiâ priora delicta expiavit, & ſancto fine quievit, ut oſtendit Pagius in Critic. ad an. 1142. num. 6. Et ut unum ex recentioribus exemplum adferam, laudabo Iſaacum Peirerium, Præadamitarum ducem, quem ſua falſa dogmata Romæ anno 1657. ejuraſſe teſtatur Guilielmus Bonojurius, in Diſſertat. II. de anno Diluvii Univerſ. §. 5. num. 45. Non itaque pertinacia diuturna Michaelis,

veræ

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas quum judicaris. Tibi enim soli injuriam feci, dum contra Summum Pontificem peccavi. Cæcus tunc eram in opinione mea, & cæcitatem amabam; ideo nec videbam, nec considerabam te. Verùm tu omnia peccata mea intuebaris, & enumerabas ea, ideo nec ea celare te, nec fugere à facie tua potero. (*s*) Quò igitur ibo à spiritu tuo? Non fugiam a facie tua, sicut fugii à facie Pontificis temerarie. Ostende in me misericordiam tuam, *ut justificeris in sermonibus tuis*, & vince tuâ pietate & dulcedine judicium rigidum hominum, ut discant homines peccatoribus misereri, & sic vinces misericordiâ tuâ homines, quum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ideoque cognosce figmentum meum: recordare, quoniam pulvis sum, & omnis caro fœnum. Mater mea carnalis ex concupiscentia me concepit, & in ea peccatum originale contraxi; peccatum, quod radix omnium malorum fuit. Vides itaque Domine quid sum, & unde sum: in peccato enim originali, sicut omnes homines (unicâ Mariâ Virgine Matre tuâ exceptâ) conceptus sum, & in eo concepit me mater mea. Quis enim non misereatur (*t*) infirmo? Veni dulcis Jesu, & vulneratum peccato originali & actuali, vulneratum infirmitate lethali, semivivum subleva, vulnera mea cura, vinum & oleum (*u*) infunde, pone me super jumentum tuum, duc in stabulum, commenda stabulario, profer duos denarios, & dic ei, *quidquid supererogaveris, ego, quum rediero, reddam tibi.*

Ecce enim veritatem dilexisti, interna & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Innumerabiles fuere promissiones tuæ, in quibus semper fidelis fuisti. Quare? Quia veritatem dilexisti. Filius ille Prodigus (*x*), qui abiit in regionem longinquam, & dissipavit universam substantiam suam vivendo luxuriose, ad se reversus venit ad te dicens: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te*, & (*y*) quum adhuc longe esset, oculis tuæ pietatis respexisti eum, occurristi ei, cecidisti super collum eius, osculatus es eum, protulisti stolam primam, annulum in manu ejus (*z*) & calceamenta in pedibus ejus posuisti, vitulum saginatum occidisti, totam domum lætificasti. Cur hæc Domine Deus? quia veritatem dilexisti. Dilige ergo Pater mi misericordiarum, hanc veritatem in me, qui non abii post carnis concupiscentias, sed nimio zelo Seraphici Ordinis (*a*), cujus eram Generalis Minister, & insipiente affectu paupertatis, quam profitebar; zelum Dei habui, sed non secundùm scientiam, meum judicium prætuli interpretationi & definitioni Summi Pontificis, ad quem uti caput Ecclesiæ spectat Canones condere, ita & interpretari. Dilige hanc misericordiarum tuarum veritatem in me, qui in hac regione longinqua, longe à salute mea, longe à Cæsena patria mea, longe à Summo Pontifice Vicario tuo sum; in hac ultima fortè infirmitate mea occurre mihi, & osculo oris tui redde prima ornamenta, trahe me in domum tuam, & in gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Occide vitulum saginatum, & in me (*b*) lætentur omnes, qui sperant in te.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Hyssopus est herba humilis, calida, & odorifera, quæ nihil aliud significat, quàm Dominum Jesum Christum (*c*), qui humiliavit semetipsum usque ad mortem; qui calore immensæ suæ caritatis dilexit nos, qui odore bonitatis suæ totum Mundum replevit suavitate. Hoc igitur hyssopo asperges me, quando virtutem sanguinis ejus effundes super me. Tunc mundabor ab omnibus peccatis meis, toto tempore vitæ meæ commissis, & præcipue à die, qua mihi Tibure apud Fratrem Johannem de Cæsena meum coætaneum & condiscipulum, ejusdem Civitatis Episcopum, ex infirmitate decumbente Epistola Johannis Papæ tradita fuit (*d*). Tunc enim (verum fateor) intravit in me Sathanas, & perditissimus nebulo, & reprobus homo effectus sum. Sed si me hyssopo nunc asperseris, super nivem dealbabor, & tua maxima luce perfundar, quæ nivem superat candore.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exsultabunt ossa humiliata: Quum audiam, quod audivit Maria, (*e*) de illa loquor, quæ flevit secus pedes tuos. Quid igitur hæc audivit? *Fides tua te salvam fecit. Vade in pace.* Audiamque quod audivit Latro: (*f*) *hodie mecum eris in Paradiso*, gaudium mihi erit de remissione peccatorum, lætitia de promissione bonorum; numquid non gaudebo, quando reddes duplicia pro omnibus peccatis meis; & exultabunt ossa humiliata, quæ carnem moribundam sustinent?

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Facies tua cognitio tua est. Averte cognitionem à peccatis meis, non cognitionem simplicis apprehensionis, qua semper vides, sed cognitionem reprobationis, qua

veræ conversionis difficultas reddere debent incertam ejus pœnitentiam, quam in hac sua Retractatione proponimus.

(*s*) Psalmo XXXVIII. 6.
(*t*) In altero Cod. *non miseretur*.
(*u*) Lucæ X.
(*x*) Lucæ XV.
(*y*) In altero Codice deest *&*.
(*z*) In altero Cod. desideratur *Annulum in manu ejus*.
(*a*) Ut Ministerio suo laudabiliter fungi videretur, putavit Regulam Sancti Francisci rectius explicari non posse post Decretalem Nicolai III. Hinc ut quamcumque relaxationem a proprio Ordine removeret, suumque zelum pro disciplina servanda ostenderet, restitit Johanni Pontifici. Ceterum vir fuit doctrinâ ac pietate insignis; propterea Regibus ac Principibus carus. Id prosequitur Manzonius ex VVadingo ad ann. 1329. num. 21. *Erat autem Michaël Cæsenas propter eminentem doctrinam & vitam exemplarem notus & dilectus optimis quibuscumque, & Regibus. Ut enim audierunt, ab Officio Generalatus depositum, missis Nuntiis & literis, ejus personam, Ordinemque universum commendaverunt Pontifici Philippus Rex, & Johanna Regina Franciæ, Alphonsus Rex Aragoniæ, Jacobus Rex Majoricæ, Robertus & Sancia Reges Siciliæ, Rex & Regina Angliæ, & alii plures, ad quos data responsa leguntur in Registro Vaticano &c.*
(*b*) Psalmo V. 15.
(*c*) Epistol. ad Philippenses II. 8.
(*d*) In Urbe Tiburtina tunc infirmitate correptum Michaelem fuisse, dum accepit Johannis Pontificis Literas, testatur Spondanus ad ann. 1328. num. 9. eratque annus Christi 1327. Tunc etiam Fratrem Johannem fuisse Tiburtinum Episcopum tradit Ughellius de Episcopis Tiburtinis num. 28. cujus patriam ignoravit idem Ughellius. Ex hoc tamen Michaelis loco Cæsenatem fuisse colligimus.
(*e*) Lucæ VII.
(*f*) Lucæ XXIII. 43.

qua me impium reprobando condemnasti, quando à veritate recessi sub vespertinum crepusculum, & cum Gulielmo & Bonagratia Assistentibus meis (*g*) à facie fugi summi Pontificis: quando Pisis appellavi ab ejusdem Pontificis gravaminibus irrationabiliter ad futurum Concilium. Noli igitur peccata mea, Apostasiam meam ita cognoscere, ut mihi imputes ea, sed faciem tuam averte à peccatis meis, ut per misericordiam tuam deleantur. A

Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Cor humile, cor mansuetum, ut quale non potest esse per naturam, fiat tale per gratiam; innova in visceribus meis spiritum rectum, ut numquam amplius possit evelli. Da spiritum rectum, non quæ sua, sed quæ tua sunt, quærentem. B Innova spiritum rectum in visceribus meis, spiritum, quem mhi dedisti, dum Sancti Francisci Habitum recepi.

Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum ne auferas à me. Quis rogavit faciem tuam, & vacuus abiit? Certe abundantiâ pietatis tuæ, & merita supplicum excedis & vota. (*h*) Chananæa te (*i*) sequebatur, & clamabat: Discipulos tuos ad compassionem provocabat, & tu tacebas. Ipsa perseverabat pulsans, te adorabat, dicens: *Domine, adjuva me:* nec tu respondebas. Discipuli rogaverunt pro ea, ut dimitteres eam. Frustra laborabat ipsa, frustra rogabant Discipuli. Dixisti enim, C Te non esse missum nisi ad oves, quæ perierant Domus Israël. Nec ipsa desperabat, sed iterum rogabat: *Domine, adjuva me.* Cui importune insistenti (*k*) tu respondisti, non esse bonum tollere panem filiorum & mittere canibus. Ipsa repetebat importune. Nec tu de ejus importunitate iratus, sed gavisus de illius virtute dixisti: *O mulier, magna est fides tua.* Didici ab ea Ego, infelix Michaël, in te sperare, ut mihi des regnum Cælorum, (*l*) quod vim patitur. Violenti enim pœnitentes rapiunt illud. *Ne ergo projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Si enim de Apostasia mea, de inunctione, seu potius fœditate mea, qua inunctus sum, & D prænuntiatus fui atque consecratus in Episcopum Gardinalem Ostiensem, si de sacrilegio meo, quo Petrum de Corbario sub nomine Nicolai Papæ V. coronavi Pisis; (*m*) si de tot & tantis peccatis meis, publice & privatim commissis doleo, si veniam peto, hoc certe facio in Spiritu Sancto. Nemo enim potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Rem magnam peto, quia Rex magnus es tu, & Deus meus super (*n*) omnes Deos. Injuriam tibi facerem, si pauca à te peterem. Quid est enim salutare tuum, nisi Jesus Filius tuus? Cur ergo à te Patre immenso hoc salutare non petam? Nonne pro me illum tradidisti super Lignum? Si filius à patre carnali petierit piscem, numquid porriget ei serpentem? (*o*) Si petierit panem, numquid dabit ei lapidem? Si ergo patres carnales, quum mali sint, norunt bona eis à te data dare filiis suis, quanto magis Tu, Pater cœlestis, dabis spiritum bonum petentibus te? Si Petrum Minoritam Bavari fretus consilio statui in Ecclesia tamquam petram scandali contra Johannem maximum Pontificem, verum Petri successorem, nam (*p*) tanta fuit virtus mea, ut pugnare potuerim cum antiquo serpente, & ei prævalere; Petrus me docuit, quanta sit infirmitas nostra. Ipse te vidit Domine Jesu, & tecum familiarissime conversatus est. Gloriam tuam in Monte (*q*) gustavit, quando (*r*) transfiguratus es, & vocem Patris audivit. Mira opera tua oculis suis conspexit. Ipse quoque (*s*) virtute tua miracula pulcra fecit. Super aquas (*t*) pedibus ambulavit. Verba tua tam potentia, tam suavia quotidie audivit. Ferventissimus Fidei videbatur, dicebatque se paratum tecum, & in carcerem & in mortem ire, & quum denuntiares (*u*) negationem ipsius, (*x*) sibi non tibi credebat: in virtute sua confidebat, magis sibi homini, quàm tibi Deo fidem adhibebat. At quum Ancilla dixit ei: *Tu de illis es?* illico te negavit. Et venit alia Ancilla, & dixit ei: *Verè ex illis es?* (*y*) iterum negavit. Non poterat coram muliercula stare. Quomodo stetisset coram Regibus & Tyrannis? Et quum iterum ab adstantibus interrogatus, cœpit jurare & detestare, quod te non novisset. Deo gratias, quod cessavit interrogatio. Si enim non cessasset, ne quidem cessasset negatio. Si mille interrogationes, mille fuissent negationes. Sed hæ (*z*) interrogationes fuerunt verba. Quid si Judæi venissent ad verbera? Tu autem, pie Domine, respexisti eum, & statim peccatum suum cognovit: nec tamen (*a*) ausus est in medium prosilire, & confiteri te Filium Dei esse, quia nondum firmatus erat spiritu principali, & virtute ex alto. Nam procul dubio iterum negasset, si flagella sibi parata vidisset. Ideo

(*g*) Hic erat Guilielmus Okamus Anglus, & Bonagratia Bergomas, qui simul cum Michaele fugerunt. Et quum pervenissent Pisas, atque Michael intellexisset, se a Pontifice Johanne depositum die XVIII. Julii solemniter, appellavit a gravaminibus Johannis ad Ecclesiam Catholicam, & futurum Concilium.

(*h*) In altero Cod. *excedisset vota.* E

(*i*) Matthæi XV. 22.

(*k*) Alter Cod. *importune assistenti.*

(*l*) Matthæi XI. 12.

(*m*) Observatione dignum est, quod heic habet Michael: se nempe Petrum Corbarium sub nomine Nicolai Papæ V. Pisis coronasse, quum Petrum Romæ consecratum fateatur Ptolomæus Lucensis Hist. Ecclesiast. Cap. 41. ab Episcopo quidem Veneto, seu Castellano, & coronatum Romæ tradat Ludovicus Monaldescus in Annalib. pag. 531. Tom. XII. Scriptor. Rer. Italicar. Propterea commentitia nova hæc Coronatio reputari posset. Ipse tamen puto, id revera contigisse, ex eo quod licèt Antipapa fuerit Romæ inunctus & coronatus, quia tamen usque ad Seculum XIV. inclusive perseveravit mos, ut Pontifex à tribus Episcopis Ostiensi, Albanensi, ac Portuensi consecraretur, quemadmodum ostendit Franciscus Pagius in Præfat. num. VII. & VIII. Breviar. Roman. Pontif & in Vita S. Leonis II. num. 2. ea propter Pisis Petrus de Corbaria alios Cardinales creavit, inter quos Michaelem Ostiensem Episcopum constituit. Et tunc more solito putandum est, voluisse cum debitis solemnitatibus coronari, ne quicquam ejus electioni defuisse videretur.

(*n*) Psalmo XCIV. 2.

(*o*) Alter Codex, *scorpionem.*

(*p*) In altero Cod. *non tanta.*

(*q*) Alter Cod. *in morte.*

(*r*) Matthæi XVII.

(*s*) Matthæi VI. 13.

(*t*) Matthæi XIV.

(*u*) Alter Cod. *denunciara.*

(*x*) Marci XIV.

(*y*) Lucæ XXII.

(*z*) Alter Cod. *hæc.*

(*a*) In altero Cod. *autem.*

Ideo maturiori consilio egressus est foras, (*b*) & flevit amarè. Vidit te in Cælum ascendentem, nec tamen adhuc in publicum prosilire audebat. Sed quando Spiritu principali confirmasti eum in Festo Pentecostes, (*c*) tunc virtute magna testimonium Resurrectionis tuæ reddidit, tunc Principes, Sacerdotes, & Reges non timuit. Si enim Petrus, quem tot muneribus & gratiis donaveras, ita mirabiliter cecidit, quid Ego, bone Jesu? qui nec te in carne vidi, nec gloriam tuam in Monte gustavi, nec miracula tua conspexi, nec te in Passione respexi, nec tecum post Resurrectionem ad Mare Tiberiadis manducavi, nec te gloriosum palpavi, nec ascendentem in Cælum te vidi, sicut fecit Petrus; quinimmo opera tua mirifica vix à longe intellexi, tuamque vocem audivi, sed in peccatis semper fui. *Spiritu ergo principali confirma me.*

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Non enim hoc difficile tibi est, qui de lapidibus potes suscitare filios Abrahæ. Si enim Spiritu principali confirmaveris me, si supervixero, docere potero, sicut aliàs feci, (*d*) iniquos vias tuas. Nec præterita peccata possent obstare tibi, si volueris hoc facere, quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia.* Nam Paulus, tunc Saulus, spirans (*e*) minarum & cædis, in Discipulos Domini potestatem accepit, ut si quos tuam Fidem confitentes inveniret, vinctos perduceret in Hierusalem. Ibat ergo furiis (*f*) invectus, sicut lupus rapax, ut oves tuas disperderet, (*g*) perterrefaceret, raperet, & occideret. Et dum esset in via in furore persequutionis, in actu (*h*) peccati, dum nulla ei inesset ad Gratiam præparatio, nullaque peccati cognitio, quando totis viribus tibi adversabatur, te blasphœmabat, teque (*i*) detestabatur: ecce vox tuæ pietatis super eum dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ille prostratus corpore, erectus mente, dormiens excitatur, surrexit mortuus, oculos aperuit, & vidit te. Misisti eum ad Ananiam. Baptizatus est. Et repente Spiritu Sancto repletus, factus est vas electionis, ad portandum nomen tuum coram Regibus & Gentibus & Filiis Israël. Et continuò ingressus Synagogam, intrepidus te prædicabat, & disputabat, & confundebat Judæos. Ecce, Domine, quia statim de persecutore fecisti eum prædicatorem. Oh mira virtus tua! Si volueris me Spiritu principali confirmare, Ego *docebo iniquos vias tuas*, si supervixero, *& impii ad te convertentur.*

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, & exsultabit lingua mea justitiam tuam. Libera me, quia gurgites sanguinum,

A videlicet peccatorum meorum, & Censurarum Ecclesiæ me trahunt ad Inferos. Libera me, Deus, in quo solo est (*k*) salus mea. Libera me, sicut liberasti Noë (*l*) de aquis Diluvii, Jonam (*m*) de ventre Ceti, Petrum (*n*) de periculo maris, & Paulum (*o*) de profundo pelagi. Libera me de portis mortis, *& exultabit lingua mea justitiam tuam*, magnificando pietatem tuam, quæ me tam magnum peccatorem dignata sit justificare, ut cognoscant homines, quod salvas sperantes in te.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Tu enim habes claves David, qui claudis, & nemo aperit, aperis, & nemo claudit. Tunc enim aperies labia mea sicut infantium, qui te simplici & puro
B corde laudabunt (*p*), non autem sicut Philosophi & Oratores, qui dixerunt (*q*), *linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt.* (*r*)

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Offeram tibi laudem potiùs quàm sacrificium: *quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.* Numquid sanguine hircorum aut vitulorum placari poteris? an fortè aurum quæris, qui carnes taurorum, aut sanguinem hircorum non curas, qui cœlum terramque possides? Non vis, ut corpus meum sacrificem tibi, qui (*s*) *non vis mortem peccatoris, sed ut*
C *magis convertatur & vivat.*

Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies. Spiritus quidem contribulatus, non caro contribulata tibi placet. Spiritus meus de Apostasia, de Inobedientia, de Temeritate, & de Scandalis datis contristatur, dolet te (*t*) suum Creatorem & Redemtorem offendisse, ab (*u*) Ecclesia Romana recessisse, Ludovico Bavaro adhæsisse, Ministri Generalis Ordinis (*x*) Minorum nomen & auctoritatem tanto tempore jam officio depositus mihi usurpasse, & Pontificiis decretis pertinaciter usque ad hanc horam restitisse (*y*), tum retentione Sigilli Ordinis, quod solùm hodie Fratri Gulielmo socio
D meo resignavi. Hic ergo spiritus contribulatus meus sacrificium est tibi odoris purissimi ex aromaticis amarissimis (*z*), idest ex memoria tot peccatorum meorum confectum. Dum enim peccata in mortariolo cordis colliquuntur, & pistillo compunctionis contunduntur, in pulverem rediguntur, atque aquis lacrymarum humectantur. Inde fit unguentum sacrificium suavissimum, quod oblatum tu numquam (*a*) despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem. Rogo, te,

(*b*) Lucæ XXII. 62.
(*c*) Actorum II.
(*d*) Fuit enim Michael Parisiensis Magister, qui tum in sacros Codices, tum in Magistrum Sententiarum plura conscripsit ex Manzonio.
(*e*) Actorum IX.
(*f*) Alter Cod. *fautiis*.
(*g*) Alter Cod. *disperdet*.
(*h*) Alter Cod. *in acta*.
(*i*) In altero Cod. *atque detestabatur*.
(*k*) In altero Cod. *es*.
(*l*) Genescos VII.
(*m*) Jonæ II.
(*n*) Matthæi XIV.
(*o*) II. ad Corinth. XI. 25.
(*p*) In altero Cod. *laudabant*.
(*q*) Psalmo XI. 4.
(*r*) Alter Codex: *lingua nostra a nobis est.*
(*s*) Ezechielis XXXIII. 12.
(*t*) In altero Cod. *se suum*.
(*u*) Alter Cod. *&*.
(*x*) In altero Cod. deest *Ordinis*.
(*y*) Okamus socius fuit Michaelis in prævaricatione, & præ ceteris plura conscripsit contra legitimum Pontificem, atque Michaelis partes ac caussam suscepit, dum Bullam Johannis, quæ incipit: *Quum vir reprobus Michaël Cæsenas*, confutavit Libello inscripto, *Opus nonaginta dierum*: quem cum aliis Okami & Michaelis Operibus edidit Goldastus Tom. II. Monarchiæ. Okamo itaque dedit Religionis Sigillum, legitimo Ministro Generali Ordinis restituendum, quod ipse præstitit. Et qui sequutus fuerat Michaelem errantem sequutus est postea pœnitentem, quoniam & ipse ante mortem resipuit, ut testatur Trithemius de Viris Illustribus, probatque VVadingus ad annum 1347. num. 22. & Manzonius.
(*z*) Alter Codex. *amarissimus*.
(*a*) In altero Cod. *oblatum tamen numquam despicies*.

te, Domine, *benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem*. Sion enim Ecclesia tua. Quæ utilitas enim, Domine, in damnatione tot millium hominum? Infernus impletus, Ecclesia quotidie evacuatur. Exsurge, & ne repellas me, Domine, in fine vitæ meæ, per intercessionem famuli tui beati Francisci Patris mei, cujus in terris vices, meritis licèt imparibus, per duodecim annos legitime gessi. (*b*)

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta. Tunc imponent super altare tuum vitulos. Fiat obsecro, Domine, nunc mihi, ut miserearis mei secundùm magnam misericordiam tuam, ut suscipias me in sacrificium justitiæ, in oblationem (*c*) sanctimoniæ, B in holocaustum Religiosæ vitæ, & in vitulum Crucis tuæ, per quam transire merear ab hac valle miseriæ (*d*) ad gloriam illam, quam præparasti diligentibus Te.

DE BENEDICTO XII.

Prima Vita Benedicti XII.

Ex editione Bosqueti apud Baluzium.

BENEDICTUS Papa XII. natione Tolosanus, de loco Savarduno Appamiarum Diœcesis oriundus, post dictum Johannem Papam XXII. immediate fuit electus in Papam C in Avinione, die XVI. mensis Decembris Anno Domini MCCCXXXIV. Die verò XX. fuit coronatus. Hic prius fuit vocatus Jacobus Furnerii, aliàs cognominatus Novelli, qui in juventute sua sub habitu Regulari & Monastico decrevit Domino famulari; fuitque receptus & indutus in Monachum in Monasterio Bolbonæ, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Mirapiscensis. Ubi postquam fuit edoctus in Regularibus observantiis & claustralibus disciplinis, diutius circa studia literarum insudavit tam Parisius, quàm alibi permanendo. In quibus adeò profecit, quòd tamdem fuit effectus sufficiens & notabilis Magister in sacra Theologia. Deinde primò ad Monasterium D Fontisfrigidi Diœcesis Narbonensis, secundò ad Appamiarum, tertiò ad Mirapiscensem fuit promotus Ecclesias. Demùm verò per dictum Papam Johannem XXII. fuit assumtus in Presbyterum Cardinalem, habuitque titulum Sanctæ Priscæ. Et exinde fuit, ut præmittitur, electus in Papam. Seditque annis VII. mensibus IV. & diebus XV. Hic Decretalem condidit, quæ incipit: *Benedictus Dominus Deus in donis suis*, ad decisionem quæstionis inter Theologos diutius agitatæ, de Dei faciali visione Sanctorum, & aliorum Beatorum ante diem Judicii: quam dictus Papa Johannes XXII. prædecessor suus, morte præventus non determinaverat, licèt hoc facere disposuisset. E Unde declaravit idem Benedictus Papa, quod animæ sanctæ, quæ non egent Purgatione, statim faciem Dei vident, mandans sub pœna anathematis ac incursionis hæresis, ne quis contra hujusmodi determinationem suam dogmatizaret aut crederet. In Consistorio etiam publico primo vel secundo, quod tenuit, revocavit omnes Commendas factas per prædecessores suos de Ecclesiis Cathedralibus, &

A Abbatiis, quibuscumque personis, Cardinalibus & Patriarchis dumtaxat exceptis. Hic etiam Papa in sui Pontificatus principio misit Nuntios suos ad Ludovicum Ducem Bavariæ rebellem & inobedientem Romanæ Ecclesiæ, occupatoremque Imperii; qui ipsum monerent, & exhortarentur sui parte, ut ab incœptis & attentatis desistendo ad dictæ Ecclesiæ obedientiam humiliter redire vellet, credens & sperans erga eum potius proficere tali modo, quàm si continuaret processus contra ipsum inchoatos per Dominum Johannem Papam XXII. prædecessorem suum. Tamen nec sic cum ipso profecit, quum induratus & pertinax permanserit sicut prius. Non tamen aliter Papam persequutus est, nec etiam Papa ipsum, sed sic in tali quali quiete suo tempore remanserunt. Ipse etiam Papa eodem tempore deliberavit transferre Curiam suam ad partes Italiæ, moramque suam facere in Civitate Bononiensi, dummodo ipsum debite & honorifice ejus incolæ & cives vellent recipere, & tractare, sibique obedientiam vellent præstare & fidelitatem servare. Et hoc ipse dixit in publico Consistorio, voluitque ut divulgaretur, & publicaretur ubique, præsertim in partibus Italiæ supradictis. Volensque experiri & scire, an ita facere vellent, misit ad dictam Civitatem certos Nuntios suos ad eis intimandum hujusmodi voluntatem, intentionem, & deliberationem suam, deditque eis in mandatis, ut si ipsi viderent dictorum civium voluntatem conformari pro mansione sua, ibi Palatium præpararent, libratasque pro Cardinalibus dividerent & ordinarent. Nuntii verò hujusmodi illuc accedentes invenerunt Civitatem prædictam ad hoc male fore dispositam, quum adhuc Cives ipsius essent in rebellione & inobedientia contra Romanam Ecclesiam, pro ut etiam erant tunc fere omnes aliæ Terræ ad eamdem Ecclesiam in illis partibus pertinentes, quæ non diu ante (scilicet tempore Johannis Papæ XXII.) suum Legatum vituperose & violenter expulerant de Civitate memorata. Quod dicti Nuntii videntes redierunt Avinionem, Papæque retulerunt. Qui de hoc doluit. Sed videns, quia tunc aliud facere non poterat, mutato proposito deliberavit manere Avinione cum dicta Curia sua. Incœpitque ibi à solo ædificare Palatium in loco, ubi tunc erat domus Episcopalis. Et tamdem hujusmodi ædificium quasi quamdiu vixit continuavit, in tantum quod suo tempore, & per ejus ministerium factum est dictum Palatium valde solemne miræque pulcritudinis in mansionibus, & immensæ fortitudinis in muris & turribus, pro ut hodie luculenter apparet. Demum pro tempore ordinavit, quòd Episcopus Avinionensis haberet pro mansione sua ac in recompensam alterius, in cujus loco & solo dictum Palatium erat ædificatum, domum, quæ nunc Episcopalis appellatur, quæ est valde notabilis & solemnis. Monasterium etiam Bolbonæ, in quo, ut prædicitur, prius Monachus exstiterat, magnis & altis muris claudi & circui fecit cum suis magnis sumtibus & expensis. Ecclesiam insuper Beati Petri de Urbe pro tunc in tectis valde demolitam & destructam fecit miro & sumtuoso opere reparari, pro ut ad ejus memoriam perpetuam in ea

(*b*) Electus fuit Michael Minister Generalis Ordinis anno 1316. Exauctoratus fuit a Johanne XXII anno 1328. Optime itaque asseruit, per duodecim annos legitime hoc munere functum esse.

(*c*) Alter Codex: *& oblationes*.

(*d*) In altero Cod. *Lacrymarum*.

ea literis grossis & patentibus scriptum reperitur.

Eodem tempore, scilicet in Autunno, circa festum Apostolorum Simonis & Judæ, insurrexit subitò tam validus & fortis ventus in diversis Mundi partibus, quòd multam domorum fecit ruinam. Tecta etiam plumbea Ecclesiarum & domorum diversarum ad magnam distantiam asportavit. Quod multis attulit stuporem pariter & timorem. Item Philippus Rex Franciæ jam à diu deliberaverat Crucesignari, facereque Passagium generale versùs partes ultramarinas pro recuperatione & acquisitione Terræ Sanctæ. Miseratque ad Johannem Papam XXII. Nuntios suos solemnes ea de caussa sui parte ista sibi intimandum, & nihilominus petendum ab eo ad hoc subsidium Decimarum Regni sui; quod post multas instantias dictus Papa sibi concesserat. Sed quia dictum Passagium non habuit effectum, dictus Benedictus Papa concessionem Decimarum hujusmodi revocavit. Propter quod dictus Rex ad ipsum venit personaliter cum filio suo primogenito Johanne Duce Normanniæ, causâ ipsum visitandi, ac etiam remediandi circa revocationem prædictam. Sed satis citò. Demum contigit, quòd dictus Rex occupavit, seu ad manum suam recepit Ducatum Aquitaniæ, cujus superioritas seu dominium ad ipsum spectabat, tenebaturque in feudum ab ipso per Regem Angliæ, qui de tunc ipsum pro majori parte possidebat. Cujus occasione fuit orta guerra inter ipsos Reges, videlicet dictum Philippum tunc Franciæ, & Edoardum tunc Angliæ Reges. Propter quod dictum Passagium ultramarinum conceptum, ordinatum, & promissum per dictum Philippum Regem Franciæ, ut dictum est, potissime fuit impeditum, & turbatum. Nam idem Philippus voluit plus intendere ad dictam guerram prosequendam, quàm ad dictum Passagium faciendum, suspicans & verisimiliter dubitans, quòd si ipse à Regno suo tam in longiquum se absentaret, dictus Rex Angliæ suus inimicus Regnum suum invaderet & damnificaret. Et sic revocatio prædicta in suo robore permansit. Per idem insuper tempus orta hujusmodi guerra inter Reges memoratos, dictus Edoardus Rex Angliæ intravit in Alamanniam, venitque in Frankeford oppidum Imperiale ad dictum Ludovicum Bavariæ Ducem, petens ab eo auxilium, & juvamen contra dictum Philippum Regem Franciæ. Fueruntque ad invicem contra dictum Philippum confœderati & colligati; dictusque Ludovicus, qui, licèt falsè, se gerebat pro Imperatore, talemque se nominabat, ipsum Regem Angliæ quantùm in ipso fuit, fecit & constituit Vicarium Imperialem in partibus Galliæ, & nonnullis aliis Terris. Cujus occasione & prætextu idem Rex Angliæ Cameracensem Civitatem, quæ est Camera Imperii, voluit intrare. Sed negato sibi aditu, eam obsedit; civibus tamen ejusdem sibi viriliter resistentibus, oportuit quod ab inde recederet non mediocriter confusus. Eodem etiam tempore dictus Ludovicus Raynaldum tunc Comitem Gueldriæ in Ducem, & Guillelmum tum Comitem Juliacensem in Marchionem sublimavit. Quum autem ad notitiam dicti Benedicti Papæ pervenisset, quòd guerra inter Reges prædictos crescebat & continue invalescebat, damnaque quamplurima hinc inde inferebantur, circa ipsorum pacificationem, prout etiam suo statui congruebat, partes suas interponere decrevit.

A Destinavitque ad ipsos causâ tractandi ac ineundi pacem & concordiam inter eos suos Nuntios, Legationis officio fungentes, Dominos Petrum Gomecii Hispanum, tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum & Bertrandum de Montefaventio Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinales. Qui per dictum Regem Franciæ in Regno suo fuerunt honorifice recepti, & gratiose ac favorabiliter tractati. Regnum autem Angliæ per ejus Regem intrare nullatenus sunt permissi, sed citra mare idem Rex misit Nuntios, qui cum eis loquerentur & tractarent vice & nomine suis super pace & concordia memoratis. Fueruntque in variis locis & terminis ad hoc ordinatis & procuratis per medium & ministerium Cardinalium prædictorum B multa præloquuta & tractata inter ipsas partes. Sed tamdem, Domino sic permittente, effectus fuit nullus, quum nullatenus potuerit via conveniens inveniri per quam partes prædictæ valuerint ad pacem inclinari. Sicque post labores multos, moramque diuturnam redierunt ad dictum Papam Cardinales prædicti super illis, pro quibus missi fuerant, satis cum modico fructu, saltem quo ad firmam pacem aut concordiam duraturam.

Fecerunt tamen dicti Cardinales per idem tempus opus admodum laudabile, & memoriâ dignum. Primus enim Bastitam, quæ Hispaniæ appellatur, secundus etiam aliam satis con- C tiguam, quæ de Montefavenaio nuncupatur, prope Avenionem, de bonis à Deo eis datis à solo ædificaverunt. In quibus sunt mansiones pulcherrimæ, & omni amœnitate decoræ; habentque viridaria, vineas, & pascua, & alia delectabilia infinita. Quæ potius fecisse & ordinasse censentur pro animarum suarum salute, quàm complacentia corporali. Primus enim in sua instituit Conventum notabilem Dominarum sub Regula seu Ordine Prædicatorum degentium; pro quarum, & certorum Fratrum ejusdem Ordinis eis assistentium sustentatione, bona & sufficientes reditus & proventus circumquaque acquisivit, earumque usui deputavit: voluitque in Ecclesia valde solemni ibidem D ædificata finaliter tumulari. Secundus verò in alia certum numerum Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini instituit: pro quorum etiam sustentatione convenienti emit reditus & proventus complures, & multa alia bona sua disposuit & ordinavit, elegitque etiam in Ecclesia ibidem fabricata postremò sepeliri. Eodem etiam tempore fuit ædificata, fundata, & dotata Ecclesia Collegiata beatæ Mariæ Villanovæ prope Avenionem per Dominum Arnaldum de Via Sancti Eustachii Diaconum Cardinalem, qui etiam ibi instituit certum numerum Canonicorum, & Decanum, qui ipsis præsideret. Voluitque quod collatio Præbendarum alternatis vicibus ad Regem Fran- E ciæ pertineret. Dicto etiam durante tempore surrexit quidam in partibus Alamanniæ, qui adunatâ sibi multitudine rusticorum Judæos quoscumque reperiri poterat, trucidari ordinabat sub colore zeli Fidei Christianæ. Sed demum hoc in perniciem & damnum Christianorum redundare incœpit. Nam etiam tales sic coadunati in Christianos sævire tentarunt. Propter quod fuit eis obviatum, & præsertim per Ludovicum Ducem Bavariæ memoratum. Qui licèt aliàs esset admodum perversus, pro ut sua facta demonstrant, tamen in hoc bene egit. Procuravit namque & operatus est, quòd Capitaneus seu ductor prædictorum occisus est, &

& ſic demum illa congregatio diſperſa & confuſa diſparuit. Eodem tempore ad dictum Papam venit Avenionem Petrus Rex Aragonum, fecitque ei homagium, & præſtitit juramentum fidelitatis in forma debita pro Regno Sardiniæ, quod tenet in feudum ab Eccleſia Romana. Fuitque idem Rex honorifice receptus per dictum Papam, licèt die introitus ſui in Curia magnum incendium fuerit in coquina, ubi parabantur cibaria pro prandio dictorum Papæ, Regis, & Cardinalium, pro ut eſt fieri conſuetum. Sed hoc non obſtante omnia fuerunt bene diſpoſita & parata ſic & taliter, quod omnes remanſerunt bene contenti. Venit etiam cum dicto Rege, qui tunc ſatis juvenis erat, Jacobus Rex Majoricarum; qui quaſi dicti Regis pro tunc regimen & gubernationem habebat, ſaltem quoad perſonam. Tempore etiam iſtius Papæ Alfonſus Rex Caſtellæ condicto prœlio contra Regem Marrochiæ Saracenum & infidelem triumphavit, & in ſignum victoriæ Vexillum ſeu Banderiam dicti Regis unà cum ſua eidem Papæ miſit: quæ uſque ad longa tempora in Capella Papali appenſæ permanſerunt.

Item anno Domini MCCCXXXVI. die IV. menſis Junii obiit Dominus Frater Guillelmus Petri de Godino Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis, qui diu fuerat Legatus in Hiſpania, ubi multa bona & ſalubria ordinavit, Conſtitutioneſque fecit quamplurimas, præſertim contra Concubinarios Eccleſiaſticos, qui pro tunc erant in illis partibus infiniti. Hic quamquam eſſet modicæ, immo quodammodo deformis ſtaturæ, fuit multùm literatus & cordatus ac virtuoſus in omnibus factis ſuis: deditque etiam ſibi Deus multa bona temporalia, de quibus fecit opera mirabilia, quæ ſequuntur. Conſtruxit enim tres Eccleſias mirabilis pulcritudinis, adeo quod Ordo ſuus non creditur habere pulcriores & ſolemniores ubicumque, unam videlicet in Conventu Avenionenſi, aliam in Conventu Toloſano, in qua jacet tumulatus, & aliam in Conventu Bajonenſi, in quo fuerat veſtitus & educatus. Fecit etiam tam in dictis Conventibus quàm in aliis dicti Ordinis multa alia bona admodum commendabilia & memoriâ digna.

Item tempore dicti Papæ, videlicet anno Domini MCCCXXXVII. die III. menſis Junii, Venetiis fuit tamquam hæreticus condemnatus, brachioque ſeculari traditus, & deinde crematus igne, Frater Franciſcus de Piſtorio Ordinis Minorum, pro eo quia pertinaciter aſſerebat, quòd Chriſtus & ejus Diſcipuli nihil habuerunt in proprio nec in communi; cujus contrarium determinaverat Johannes Papa XXII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Quum inter nonnullos*. Dictus ſummus Pontifex Benedictus multùm fuit curioſus & intentus tempore ſuo circa reformationem Ordinis & ſtatus Monachorum Nigrorum & Ciſtercienſium, qui, pro ut ſibi videbatur, in multis erant laxati & collapſi. Deputavitque certos notabiles & valentes Religioſos tam Abbates quàm alios in Theologia & Jure Canonico Doctores, qui de mandato ſuo ut plurimum Cœnobia ſeu Monaſteria dictorum Monachorum ubicumque viſitarunt, informaveruntque ſe, quantum potuerunt, quomodo & qualiter ſe gerebant, ac in quibus deficiebant. Qui hujuſmodi informatione facta, eidem Papæ retulerunt ea, in quibus ipſos defectuoſos invenerant, ac in quibus reformatione indigebant. Qui eorum informatione audita & recepta, habitaque deliberatione matura circa ordinem & ſtatum Monachorum prædictorum, certas edidit Conſtitutiones, quas perpetuò & inviolabiliter per eos voluit & præcepit obſervari. Et inter cetera ſtatuit, quod in ſingulis provinciis, quas in ſuis Conſtitutionibus nominavit & limitavit de triennio in triennium per Abbates Monachorum Nigrorum earumdem provinciarum Concilium provinciale celebraretur; in quo interſint omnes Abbates cujuslibet provinciæ. Et ibi referantur & audiantur illa, quæ concernent ſtatum ipſorum tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus. Quæ etiam tum reformentur, ſi & pro ut reformatione indigebant. Item conſtituit, quod de ſingulis Monaſteriis & Prioratibus Conventualibus tenentibus certum numerum Monachorum, certi Monachi mittantur ad Studia generalia literarum cauſsâ ediſcendi, & quòd eis in Libris, victu & veſtitu, de proventibus dictorum Monaſteriorum vel Prioratuum certo modo per ipſum ordinato & limitato provideatur. Item voluit, conſtituit, & ordinavit, quod annis ſingulis Ciſtercii celebretur Capitulum generale, in quo omnes Abbates ejuſdem Ordinis per ſe vel per ſuos Procuratores teneantur intereſſe. In quo reformentur reformanda, & fiant & ordinentur alia, quæ ipſis fuerint neceſſaria ac etiam opportuna. Item quod mittantur etiam ad Studia generalia per Abbates ſuos de quolibet Monaſterio certi Monachi, pro ut de Monachis Nigris ordinavit. Voluit tamen, quod tales, qui mittentur, & ad hoc deputabuntur per Ordinem, & expenſis ejuſdem, non in Jure Canonico, & multo minus in civili, ſed ſolùm in primitivis aut Philoſophica vel Theologica facultate ſtudeant: & contra oppoſitum attentantes excommunicationis ſententiam fulminavit & promulgavit. Item conſtituit ac etiam ordinavit, quod ad Ordines prædictos venientes de quibuſcumque Religionibus, etiam Mendicantium, nullatenus recipiantur ſeu admittantur ſine expreſſa licentia & diſpenſatione Papæ, etiam de Conſtitutione ſua hujuſmodi expreſſam mentionem faciendo.

Item ad reprimendum gravamina, quæ per Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac alios, quibus de jure vel conſuetudine competit & pertinet viſitare ſubditos ſuos Eccleſiaſticos, talibus viſitatis inferebantur in exigendo & levando procurationes debitas ratione viſitationis hujuſmodi, Conſtitutionem edidit, in qua procurationes tales in pecunia numerata ſolvi voluit, certo tamen modo limitato & ordinato per ipſum in dicta Conſtitutione, quæ incipit *Vas electionis*. Plures etiam alias Conſtitutiones fecit ad reformationem morum diverſorum ſtatuum, & ſpecialiter Curialium, ſecundùm quod ſunt Advocati & Procuratores Curiam Romanam ſequentes, quæ tamquam Extravagantes permanent in Cancellaria. Florebant iſto tempore in Italia, videlicet in Studio Bononienſi, primò Johannes Andreæ Decretorum Doctor eximius, qui Librum Sextum Decretalium gloſſavit, & ſuper eo & Decretalibus lecturam utiliſſimam fecit, quæ Novella appellatur. Clementinas etiam gloſſavit, & Speculum Juris additionavit. Item Paulus de Liazariis etiam Doctor profundiſſimus Decretorum, qui ſuper Clementinis valde notabilem lecturam compoſuit. Item Jacobus de Butrigariis Doctor mirabilis Legum, qui in jure civili multa notabilia & profunda

funda scripsit. Citra Montes verò Parisius clarebat Frater Nicolaus de Lyra Normannus Ordinis Minorum, Magister in Theologia profundissimus, qui totam Bibliam profundissime & subtilissime postillavit. Item Tolosæ Guillelmus de Montelauduno Abbas Monasterii Novi Pictaviensis, Doctor elegantissimus Decretorum, qui super Clementinis lecturam perutilem edidit & Sacramentale composuit. Item in Montepessulano Genselinus de Cassanhis Doctor notabilis Decretorum, qui super Clementinis scripsit notabiliter, & Extravagantes Johannis Papæ XXII. glossavit. Eodem tempore ad dictum Papam præfatus Edoardus Rex Angliæ, ortâ jam guerrâ inter ipsum & Philippum Regem Franciæ memoratum, misit certos Nuntios: qui Avinioni existentes, de nocte clam & occulte fuerunt capti per certos Officiarios dicti Regis Franciæ, & ultra Rhodanum ad partes Regni Franciæ captivi adducti, scientibus & consentientibus, immo etiam faventibus aliquibus Officialibus Papæ & specialiter Marescallo suo. Quod quum ad notitiam ipsius pervenisset, sibi summe displicuit, reputans se ex eo offensum, quum Curia Romana debeat esse omnibus communis & secura. Et ob hoc pro honore sui, ac jurisdictionis Romanæ Ecclesiæ conservatione statim fulminavit sententias, suosque fecit processus contra captivatores & detentores dictorum Nuntiorum, supposuitque Ecclesiastico Interdicto omnia loca, in quibus essent, aut ad quæ eos contingeret declinare. Sicque viriliter in hoc processit, quòd intra paucos dies Nuntii prædicti deliberati fuerunt, & Avinionem reducti. Ipse etiam volens de suis, qui in hoc delinquentes exstiterant, justitiam facere, omnes illos, qui de eo fuerunt inventi culpabiles, duris carceribus fecit mancipari, statui, seu conditioni nullius deferendo. Quorum aliqui demum fuerunt ante valvas hospitii, à quo dicti Nuntii fuerant extracti, suspensi, alii verò alibi seu aliàs trucidati. Et idem, ut dicitur, fieri mandaverat de dicto suo Marescallo; sed in carcere detentus, præ nimio dolore præmortuus est, se ipsum interimendo. Fuitque palam publice lata sententia contra ipsum jam mortuum tamquam culpabilem, decretumque & ordinatum, ut cadaver suum Ecclesiasticâ sepulturâ careret. Fuitque positum in campis in loco, ubi ponuntur malefici, inclusum in una theca lignea inter duas bigas appensa ad terrorem aliorum.

Anno Domini MCCCXXXVIII. die XVIII. mensis Decembris, quæ fuit Feria sexta quatuor Temporum, dictus Benedictus Papa unam fecit creationem sex Cardinalium, quos in Presbyteros assumsit, qui fuerunt isti: videlicet Dominus Gocius de Arimino Italicus, tunc Patriarcha Constantinopolitanus: Dominus Bertrandus de Deucio Diœcesis Uticensis, tunc Archiepiscopus Ebredunensis: Dominus Petrus Rogerii Diœcesis Limovicensis, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiscopus Rotomagensis: Dominus Guillelmus Curti Diœcesis Tolosanæ, Ordinis Cisterciensis, tunc Episcopus Albiensis: Dominus Bernardus de Albia, Diœcesis Appamiarum, etiam Episcopus Ruthenensis: & Dominus Guillelmus de Aura Diœcesis Carcassonensis, tunc Abbas Monasterii Montisolivi, Ordinis Sancti Benedicti. Fuitque reputata creatio hujusmodi multum notabilis. Nam omnes prænominati erant famosi & profundi Doctores in Jure Canonico vel Civili, aut Magistri in Theologia.

A Hic Summus Pontifex fuit maximus zelator Fidei, ac in omni statu suo fervidus Hæreticorum expugnator & rigidus persequutor. Fuit insuper bonæ immo sanctæ intentionis in omnibus factis suis. Et inter cetera, quantum in ipso fuit, dedit operam efficacem, ut in Beneficiis, Dignitatibus, & Prælaturis, suo tempore vacantibus ponerentur & præficerentur bonæ & honestæ personæ, providæque & discretæ ac sufficientes in literatura, ac maturæ in moribus, essentque ætatis provectæ juxta statum & conditionem ac qualitatem Beneficiorum, Dignitatum, & Prælaturarum, ad quæ, vel quas essent assumendæ. Et in hoc voluit, quod præferrentur meliores & sufficientiores, aliter ad quascumque personas aspectum specialiter non
B habendo. Et in hoc multoties se decipi formidavit. Et ob hoc antequam provideret de talibus suæ dispositioni reservatis, inquirebat summa cum diligentia de meritis & sufficientia illorum, qui ad hoc sibi nominabantur. Et quum eos non reperiebat juxta gustum suum bene idoneos & sufficientes, potiùs volebat, quòd vacarent & remanerent in manibus suis, quàm si aliter provideret. Propter quod suo tempore multa Beneficia, Dignitates, & Prælaturæ quamplures diutius in vacatione permanserunt. Dicebat enim, quòd *melius & securius erat, quod vacarent, quàm si haberent malos vel minus idoneos præsidentes*. Ipse enim
C de suis consanguineis vel propinquis exaltandis vel promovendis nullatenus curavit. Non enim invenitur, quod aliquem de genere suo ad quamcumque Prælaturam promoverit, nisi unum solum, quem præfecit Ecclesiæ Arelatensi. Qui tamen ad hoc aliàs erat bene dignus & sufficiens. Et hoc fecit etiam quodammodo precibus & instantia Cardinalium devictus. De Laicis verò nullum exaltavit; immo nec voluit, quòd statum suum, qui satis erat parvus & infimus, propter ipsum immutaretur. Unicam enim neptem, quam habebat, per plures Magnates pro conjugio petitam eis dare expresse negavit, dicens in vulgari suo, quòd *non decebat talem equum hanc habere sellam*;
D sed demum ipsam nuptui tradidit filio unius Mercatoris simplicis Tolosæ, dotem sibi secundùm statum ejusdem Mercatoris constituendo. Fuit etiam ipse multùm cordatus, constans, & rigidus in evitando illa, quæ in offensam Dei, & animæ suæ periculum, seu damnationem cadere posse existimabat, nec ad ea aliquatenus flectebatur. Fertur enim, ipsum dixisse Philippo Regi Franciæ memorato, quum ad ipsum, ut supra recitatum est, venit, essentque ambo caussâ audiendi & exponendi illa, quæ idem Rex secum habebat agere, ac per ipsum fieri petere disponebat, quod ipse ad eum in tantum afficiebatur, sibique complacere cupiebat, quòd si ipse haberet duas animas,
E unam sibi libenter daret, & eam pro ipso exponeret; sed non habebat nisi unam, quam unice & summe diligebat, eamque volebat posse tenus conservare. Quibus præsuppositis & præmissis dixit eidem Regi, quòd secundùm hoc suas petitiones sic disponeret & limitaret, quod in eis non esset aliquid ad Dei offensam, & per consequens in suæ animæ periculum seu damnationem tendere videretur: quia si sic esset, nullo modo ipsum exaudire intendebat. Quod verbum licèt prima facie dicto Regi aliqualiter durum & extraneum exstiterit, tamen ipso bene intellecto & ponderato, ipsum bene gratum habuit, & rationabile & sanctum judicavit,

cavit, pro ut etiam in rei veritate fuit. Ipse insuper mente, verbo, & opere totus exstitit intentus ad ea, quæ Dei erant, posse tenus exsequenda. Non tamen propterea illa, quæ etiam mundiale regimen sibi commissum concernebant, neglexit, immo in ipsis bene & utiliter agendis & gubernandis debitam adhibuit diligentiam, provideque se gessit, nihil de contingentibus omittendo. Mundanam pompam & vanam gloriam in se & in suis omnino contemsit. Sicque fuit re & nomine Benedictus, benedictus, inquam, à Deo, & bene dictus, hoc est bene nominatus & reputatus à Mundo, quum fere omnes saltem boni, qui in Mundo erant, de ipso bene dicerent & æstimarent, & meritò. Nam sine cujusque præjudicio loquendo, considerando omnes alios sui nominis, qui ipsum in statu Papali præcesserunt, non reperitur, quod ipsum in meritis excesserint, immo nec per ea quæ de ipsis scribuntur, attigerint, & si fas sit scribere, post Martyres & alios, quos Ecclesia veneratur & colit ut Sanctos, inter meliores ipse unus fuit, & est meritò reputandus. Qui plenus magnis meritis post multa opera virtuosa & laude digna, spiritum reddidit Salvatori anno Domini MCCCXLII. die XXV. mensis Aprilis, Pontificatus sui anno VIII. Fuitque sepultus in Ecclesia majori Avinionensi, in qua adhuc jacet in Capella pro ipso specialiter fabricata, etiam miraculis coruscando.

Secunda Vita Benedicti XII. ex Baluzio.

Benedictus XII. ex patre Guillelmo, de Castro Savarduno Rivensis Diœcesis Tolosanæ provinciæ oriundus, assumtus est ad summi Pontificatus Ministerium anno Domini MCCCXXXIV. in Vigilia beati Thomæ Apostoli, de mense Decembris, in Episcopali Palatio Avenionensi, ubi Conclave Dominorum Cardinalium, tunc viginti quatuor, ordinatum exstiterat. Vacavit itaque Sedes post obitum felicis recordationis Domini Johannis Papæ XXII. (qui mortuus fuerat quartâ die Decembris ejusdem) diebus sexdecim.

Recepit suæ Coronationis honorem in loco Fratrum Prædicatorum de Avinione die octava mensis Januarii tunc immediate sequentis de anno Domini MCCCXXXV. cum magna solemnitate & ceremoniis consuetis. Sedit annis VII. & mensibus III. & diebus XVII. Hic primò vocatus fuerat Jacobus de Furno, Monachus Monasterii Bolbonensis, Cistercienfis Ordinis, quod fuerat tempore pubertatis ingressus, & Magister in Theologia; & ab ipso suo Religionis ingressu fervidus erat Fidei cum severitate zelator. Et in Tolosanis partibus ferventer officium Inquisitionis exercens, multas in illis hæreses exstirpavit. Tamdem in Monasterio Fontisfrigidi Narbonensis Diœcesis præficitur in Abbatem, & spiritualiter ac temporaliter in illo profecit. Demum efficitur Appamiarum & deinde Mirapiscensis Episcopus per Dominum Johannem Papam XXII. ac postmodum in tituli Sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem in Jejuniis Sanctæ Luciæ de mense Decembris, anno Domini MCCCXXVII. per eumdem Papam assumitur; & subsequenter in Papam eligitur, ut præfertur. Et sibi rectissime nomen assumsit Benedicti, quia tam in agro quàm in civitate benedictus exstiterat, & tam solidæ sinceritatis & constantis conscientiæ benedictionem habuit & vigorem, quòd Reges & Principes orbis terræ modicùm appretiatus est, & æqualiter pertractavit. Hic publicæ collationis lora continuit, & quos minùs habentes in examinis districti statera comperit, Apostolicæ gratiæ decrevit esse indignos, & quosdam hujusmodi privavit beneficiis, quæ habebant, quod non erat primitus consuetum. A seculi dissensionibus manus servavit innoxias, & quosdam rebelles de Italia sub titulo successionis Imperii, tunc de jure vacantis, sub annuo certo censu pro iis, quæ tam ab Imperio, quàm ab Ecclesia Romana tenebant, ad suum & Ecclesiæ gremium revocavit. Prælatos omnes ad eorum Ecclesias redire coëgit, volens eorum ambitiosis pravitatibus obviare: & Commendas Ecclesiarum, præterquam Dominis Cardinalibus, factas, exspectationes omnes secundùm formam Juris Canonici revocavit. Et fugavit realiter Simoniam: & aures ad posse mendacibus obturavit. Hic quoque primus Registrum supplicationum signatarum induxit, multas removens fraudes, quæ fiebant. Errorem Bavaricum emendandum affirmans palliavit. Pro Dominorum Franciæ & Angliæ Regum concordia Dominos Petrum tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum, & Bertrandum Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinales, ut Sedis Apostolicæ Nuntios, qui non pacem fecerunt sed treguam, destinavit. Inter Reges Castellæ ac Navarræ tunc æmulos pacem & concordiam reformavit. Similiter etiam in multis provinciis idem fecit. Nam primò misit Dominum Bertrandum tunc Archiepiscopum Ebredunensem, & secundariò Dominum Gotium Patriarcham Constantinopolitanum ad Dominos Robertum Hierusalem & Siciliæ Regem, ac Fridericum Trinacriæ Regem, pacem inter ipsos facere, ut fecerunt. Item misit eosdem, diversis tamen ab invicem vicibus, in Romaniam, aliasque circumstantes Urbi provincias, & in ipsam Urbem, ac tamdem per treugarum formam in aliquibus provinciis profecerunt. Ecclesiæ fluenti thesauro frena dedit: sed illa diu tenere non potuit, quia domus quam ædificare desiderat, magna est. Episcopale namque Palatium Avinionense prædictum, per modum permutationis cum Avinionensi Episcopo celebratæ, ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam applicatum à fundamentis instituit, & illud mirabiliter ampliavit, magnum in illo thesaurum expendens. Hic Pastor bonus gregis infirmitati compatiens, pro eo quod sui Pontificatus tempore fames valida in Civitate Romana & partibus vicinis invaluit, de novem millibus Florenorum ad frumentum emendum per alium modum in Romanorum cibum juxta ipsorum ordinationem & indigentiam convertendis ex ejus compassivis affectibus eidem Urbi seu Populo Romano subvenit. Similiter autem & per diversas Mundi provincias, occultas & pingues, nesciente sinistrâ quid dextra faceret, eleemosynas largitus est, ex terrestribus opibus thesaurum sibi thesaurizans in cælis.

Hic Pontifex Benedictus anno Nativitatis Domini MCCCXXXVIII mense Decembri, die XVIII. quo tempore Ordinatorum jejunia celebrat Ecclesia, fecit promotionem sex Dominorum Cardinalium; in qua reverendos Patres & Dominos Gotium de Arimino de Marchia

Marchia Anconitana, Juris utriusque Doctorem, Constantinopolitanum Patriarcham, in tituli Sanctæ Priscæ: Bertrandum de Deucio Juris civilis & canonici Professorem, tunc Archiepiscopum Ebredunensem, & Auditorem Contradictarum, in tituli Sancti Marci, qui postea fuit Episcopus Sabinensis: Petrum Rogerii, Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiscopum Rothomagensem, sacræ Theologiæ Magistrum, in tituli Sanctorum Nerei & Achillei, qui postea fuit Papa Clemens VI. Bertrandum tunc Episcopum Ruthenensem, Juris Doctorem, in tituli Sancti Cyriaci in Thermis, qui postea fuit Episcopus Portuensis: Guillelmum Monachum Ordinis Cistercienfis, Magistrum in Theologia, tunc Abbatem Bolbonensem, in tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, qui postea fuit Episcopus Tusculanus: & Guillelmum Monachum Monasterii Lesati, Ordinis Sancti Benedicti, tunc Abbatem Monasterii Montisolivi, Juris canonici Professorem, in tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte, Presbyteros Cardinales assumsit, & columnas illos Ecclesiæ statuit bene dignos. Hic Pontifex audiens, quod tegumentum seu tectum Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe propter trabum antiquissimarum putredinem diu non poterat sustentari, cum novis & veteribus trabibus illud pristinæ soliditati restituit. Hic ad Villam Pontis Sorgiæ Avinionensis Diœcesis zelo Fidei fervens quadam æstate se transferens, multis ad se sacræ Theologiæ Professoribus accersitis, quæstionem illam de Visione Divina, quam Dominus Johannes Papa XXII. in Romana Curia disputando diu ventilaverat, de dictorum Magistrorum consilio & Cardinalium concordia diffinivit: & Avinionem rediens, diffinitionem ipsam in solemni Missarum celebritate satis ceremonialiter publicavit, & ex hoc sub Bulla novam Constitutionem edidit perpetuò valituram. Hujus Pontificis tempore, quasi anno ultimo Pontificatus ipsius, die Veneris, summo mane, gentes Domini Philippi, qui antea dicebatur de Valesio, tunc Regis Franciæ, sine sua conscientia penitus & consensu in quodam hospitio sito in carreria, quæ dicitur Currateria infra Civitatem Avinionensem, prædicto Papa ibidem cum tota Romana Curia existente, ceperunt nobilem Nicolinum dictum Cardinalem de genere quondam Domini Innocentii IV. Papæ, de Flisco, Civem Januensem, à Rege Angliæ tunc, & de Anglia redeuntem, in lecto repertum. Et ipsum extra Romanam Curiam in Regnum Franciæ per vias inaquosas & invias transduxerunt. Cujus captioni quidam juris peritus, sed in hac parte nec juris nec facti, Johannes nomine, civis Tolosanus, qui per ipsum Papam pro Romanæ Curiæ reformatione vocatus, Marescallatus Curiæ officium exercebat, consensum præstitit & favorem. Propter quod, nec immeritò, dictus Papa spiritu furoris accensus, processus fecit terribiles, & sententias fortissimas fulminavit, ad eumdem Regem Franciæ repetitas literas & diversos Nuntios destinavit. Tamdem dictum Nicolinum recuperavit, quia dictus Rex statim mandavit illum restitui, quia ejus captio summe sibi displicuit, tum etiam quia desiderabat dicto summo Pontifici complacere. Dictumque Johannem Marescallum cum quibusdam ex publicis servientibus captionis hujusmodi consciis capi jussit. Qui Marescallus in reprobum sensum datus, numquam cibo vel potu nedum affluentissime sed fidelissime sibi dato voluit refici, sed nequissimâ propriâ conscientiâ morsus, se ipsum proditoris laqueo non suspendit, ut Judas, sed veneno per suos recepto ei propinato se sponte peremit, & velut diversis excommunicationum sententiis involutus, suumque non recognoscens in ultimis Redemtorem, tamquam ejusdem Papæ, Curiæque Romanæ, nec non & Curialium omnium proditor manifestus & condemnatus, de carcere mitratus educitur, & videntibus omnibus circumquaque per Civitatem super fidelium servientium humeros ad Rhodanum fertur. Cujus in litore volatilibus cæli & reptilibus terræ non humandus exponitur. Et memoria ejus cum sonitu periit, & nomen ipsius in secula pudori erit. Servientes autem illi, qui servabantur in carcere, in trabe quadam foras tunc per fenestras emissa in eodem hospitio, quo dictum Nicolinum ceperant, velut Aman ille comprimens, suspenduntur. Et multi, qui proditionis hujusmodi complices & conscii fuerant, sententiarum hujusmodi justa severitate perterriti, Romanam Curiam deserunt, & exilio profugi pro voluntate vagantur.

Pontifex iste pie considerans, quod quammulti Religiosi sanctorum statuta Patrum & eorum Ordinum Regulas, aut insolentes aut desides negligebant, humerisque suis sentiens reformationis eorum onus incumbere, more galli se ipsum priùs alis excutientis quàm cantet, à perfecta caritate non discrepans, Cistercienfis & Sancti Benedicti Ordines ex dicta jam negligentia reformandos inspexit, per quasdam Constitutiones, quas ad perpetuam rei memoriam edidit, reformavit. Et nisi mors eum, pro ut Domino placuit, prævenisset, ceteros Mendicantium Ordines, velut habetur, in pluribus negligentiâ deformes suâ justâ judicii limâ similiter reformasset. Eorumdem tamen Ordinum Fratres sine speciali & justa caussa limina Curiæ Romanæ terentes non redituros absque Sedis Apostolicæ licentia vel mandato jussit recedere de eadem. Huic autem sanguis & caro non revelavit amorem. Vix namque Nepotem suum Archiepiscopum Arelatensem effecit. Alios autem vel non habuit, vel non novit. Cuidam Civi Tolosano, quem & ego videram in Tolosa, divitem Mercatorem, Neptem ejus, ut asserebat, habenti, ad ejusdem Pontificis gratiam cum eadem uxore venienti respondit, se Jacobum illos agnoscere, sed Papam consanguineos non habere. Sed quoniam, ut eum viderent, ad Curiam venerant, jussit eis pro adventu & reditu de sumtibus provideri, & cum suæ dumtaxat benedictionis gratia Benedictus hic Pontifex remisit.

Hic Pastor bonus ex quadam antiqua tibiarum infirmitate fluenti cœpit plus solito infirmari. Et volentibus medicis infirmitatis fluxum hujusmodi refrenare, supervenerunt & alia, propter quæ in die Beati Marci Evangelistæ de mense Aprilis, XXV. die, Anno Nativitatis Dominicæ MCCCXLII. migravit ad Christum in Palatio, quod fundaverat. Et sepultus est in Ecclesia Cathedrali Beatæ Mariæ Avinionensis in sepulcro quodam pro eodem constructo, ubi nondum quisquam positus fuerat.

Tertia

Tertia Vita Benedicti XII. apud Baluzium.

ANno Domini MCCCXXXIV. Idibus Decembris Cardinales omnes includuntur, numero XXIV. per Comitem Novalium in Palatio Avinionensi, in quo Papa Johannes decessit. In Vigilia autem Thomæ Apostoli, XIII. Calendas Januarii, Anno Domini MCCCXXXIV. Cardinales prædicti, numero XXIV. elegerunt in Papam unum ex se, videlicet Dominum Jacobum Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Priscæ, natum de Provincia Tolosana, Monachum Ordinis Cisterciensis, Magistrum Theologiæ, & vocatus est Benedictus XII. Qui in primo Consistorio quod habuit, scilicet XII. Calendas Januarii, mandavit reparari Ecclesiam Romanam Sancti Petri, item Ecclesiam Lateranensem, & alias Ecclesias, & Palatia ibidem desolata. Et ad fabricam donavit quinquaginta millia Florenorum. Item ad subveniendum necessitatibus suorum Fratrum collegio Cardinalium, donavit centum millia Florenorum. Dixit etiam quod vellet pacem reformare in tota Ecclesia. In die autem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in publica Missa, quam celebravit Dominus Petrus Episcopus Prænestinus, fecit gratiam omnibus, qui interfuerunt, septem annos & septem quadragenas de injunctis Pœnitentiis; diebus autem Sanctorum Stephani & Johannis, tres annos, & tres quadragenas.

Anno autem Domini MCCCXXXV. Benedictus XII. descendit de Palatio, in quo electus fuit, & ivit associatus cum Cardinalibus, ut moris est, ad locum Fratrum Prædicatorum, VII. Idus Januarii, & VI. Idus Januarii in crastinum ibidem coronatus est per Dominum Neapolionem Cardinalem Diaconum. Et V. Idus Januarii reascendit suum Palatium. Et petitiones sibi oblatas primo die post coronationem recipere recusavit. Voluit enim nosse conditionem personæ supplicantis & summam redituum, & si impetrans ante fuerit beneficiatus. Item IV. Idus Januarii in Consistorio suo, quod habuit, licentiavit omnes Prælatos & Curatos, ut post Festum Purificationis irent ad sua Beneficia; alioquin juris remediis uteretur erga eos, nisi caussam legitimam standi haberent in Curia, quam insuper scire volebat ab eis. Item ab XI. Calendas Februarii usque ad III. Calendas ejusdem mensis vacavit circa petitiones Cardinalium expediendas. In Purificatione Beatæ Virginis, primo anno Pontificatus sui, celebrem fecit sermonem, & erat suum thema: *Ecce Sponsus venit*, Matthæi XXV. In quo publice dixit, quod Sancti viderent clare essentiam Dei contra opinionem prædecessoris sui, qui de hoc dubium fecerat, ut supra dictum est de eo. Item pridie Nonas Februarii fecit vocari omnes illos ad suum Consistorium, qui prædicaverunt opinionem sui prædecessoris, quod Visio non esset essentialis Dei, volens scire ipsorum motivum. Item Rex Franciæ ad Papam misit suos Ambasciatores, & petiit thesaurum Ecclesiæ pro Passagio faciendo. Sed Papa dare recusavit, nisi intraret mare, & Passagium initiaret, & promissionem impleret, quam fecerat sub Johanne Papa XXII. Anno MCCCXXXV. quarto Calendas Maji, venit Comes Ludovicus de Oëtingen ad Papam Benedictum cum tribus Clericis, & Militibus, & ambasciatis Domini Ludovici, qui se pro Imperatore gerebat, licèt per Dominum Johannem Papam depositus & excommunicatus fuisset. Ipsis autem in Curia existentibus, Ambassiatores Mediolani, & aliarum Civitatum eis confœderatarum, Papæ obedientiam faciunt, & absolutionem obtinent à sententiis, quibus per Johannem fuerant irretiti, promittentes se numquam aliquem pro Imperatore recepturos, nisi prius per Papam esset appellatus. Item pridie Calendas Junii Benedictus Papa revocavit in Consistorio omnes Commendas per suos prædecessores factas; exceptis Cardinalibus, quorum nondum Commendas revocavit. Insuper Legati Romanorum petebant instanter, ut iret ad Urbem. Quibus respondit, se iturum, sed diem certum super hoc non assignavit eis. Item III. Nonas Julii recesserunt Ambassiatores prædicti Domini Ludovici de Avinione portantes quæ Papa petebat pro emenda suorum excessuum. Quibus adimpletis, sperabatur eorum concordia. Item pridie Nonas ejusdem mensis, scilicet sequenti die proxima, Papa Benedictus ivit ad Pontem Sorgiæ, volendo ibi vacationes deducere. Et habuit secum plures Magistros in Theologia, & coram illis & Dominis Cardinalibus, quibus placuit interesse, fecit legere Librum, quem ipse Benedictus Papa composuit de Visione, & auctoritates ibi positas fecit per dictos Magistros examinari, an essent pertinentes. Et ibi quæstiones Visionis examinavit. Mortuus est autem Dominus Johannes Gaytani in Vigilia Sancti Augustini, Diaconus Cardinalis & Legatus. Et sepultus est apud Fratres Minores, in die Sancti Augustini. Eodem anno in mense Septembri, secunda die ejusdem, iterum misit Dominus Ludovicus, qui se pro Imperatore gessit, prædictum Comitem de Oëtingen, & Eberhardum de Thumenowen, Magistrum Marquardum de Randegge, Canonicum Augustensem, & Magistrum Ulricum de Augusta Notarium suum, & Fratrem Henricum de Cyphingen, ad Papam Benedictum pro concordia cum pleno mandato, omnia faciendi, quæ Papa petiit pro emenda. Et intraverunt die prædicta similiter Avinionem. Et dum exspectarent reversionem Papæ ad Villam Avinionensem, Papa intellexit, quod quidam è suis familiaribus tam Clericis, quàm Laicis petitiones signabant, ut Papa, & eas sic signatas cum aliis per Papam signatis miscuerunt, & sic in Cancellaria transibant cum veris petitionibus, quas mandavit Papa mense prædicto circa festum Exaltationis Sanctæ Crucis. Item IV. Calendas Octobris reversus est Papa Benedictus, associatus Cardinalibus & Ambassiatoribus prædictis. Item VII. Idus Octobris in publico Consistorio, quod Benedictus super hoc habuit, propositum fuit per Dominum Marquardum de Randegge Canonicum Ecclesiæ Augustensis, qui unus fuit de Ambassiatoribus prædictis Domini Ludovici, & legatio talis fuit, qualiter petiit absolvi à processibus factis contra eum per Johannem Papam, offerens se satisfacturum Ecclesiæ. Et Papa super hoc respondit se deliberaturum cum fratribus suis, qualiter hoc perduceret ad bonum finem, licèt grande esset quod petebatur ab eo, quia in multis excessit prædictus Ludovicus. Sed per Benedictum Papam de absolutione prædicti Ludovici nihil peni-

tus fuit determinatum. Et fuit thema proponentis: *Eripies me à contradictionibus Populi, & constitues me in caput gentium*, Psalmo XVII. Item Dominus Eberhardus filius Comitis de Oëtingen decessit, sexto Idus Octobris anno primo Domini Papæ Benedicti. Item XV. Calendas Januarii Papa Benedictus revocavit omnes gratias factas à suis Prædecessoribus illis, qui nondum jus in re habebant. Item XIV. Calendas Januarii in publico Consistorio investivit Procuratorem Regis Aragonum de Regno Sardiniæ, percepto ab eo homagio consueto.

Anno Domini MCCCXXXVI. Pontificatus sui anno secundo Benedictus Papa in publico Consistorio, quod habuit in Palatio Avinionensi, quarto Calendas Februarii, determinavit opinionem Visionis essentialis, videlicet quod Sancti in patria tunc clare vident & gaudent illa Visione faciali, & eâdem numero, de quo loquitur Paulus in Epistola sua: *Tunc autem facie ad faciem*. Et contrarium sentientes puniri decrevit, ut hæreticos. Revocavit etiam Papa Benedictus Decimas Decimarum quibuscumque concessas, ex quo Passagium vidit neglectum esse per Philippum Regem Francorum; qui hoc juraverat, ut superius est dictum. Decrevit insuper, ut percepta de Decimis prædictis restituerentur Ecclesiis, excepto Rege Francorum. Et facta est prædicta revocatio anno Domini MCCCXXXVI. decimo septimo Calendas Januarii. Item anno MCCCXXXVI. quinto Nonas Martii Rex Philippus Francorum venit ad Papam Benedictum; & ibi exclusis omnibus solus cum Papa habuit colloquium super Passagio, quod debebat incœpisse Calendis Augusti proxime præteriti. Et sic remansit inexpletum. Ex quo multa mala inferebantur Christianis per Saracenos, & maxime Armeniis, qui eodem anno fuerunt superati, & planiciem amittentes petebant montana, sperantes subsidium Ecclesiæ & Regis Philippi.

Anno Domini MCCCXXXVII. Henricus Dux Bavariæ per Procuratores suos, quos ad hoc misit, petiit se absolvi à sententiis, quas incurrit communicando cum prædicto Ludovico. Et Papa Benedictus anno Pontificatus sui tertio ipsum absolvit. Item anno prædicto, ultima die Januarii, iteratò misit Dominus Ludovicus Dominum Robertum filium Domini Rodulfi fratris sui Ducis Bavariæ & Comitis Palatini, una cum Comite Conrado Juliacensi ad Dominum Benedictum Papam. Qui eos bene recepit die prædicta, qua ingressi fuerunt Avinionem; licèt ante fuerunt cum Philippo Rege Francorum, & de illo venerunt die supradicta ad Papam Benedictum. Qui Duci Bavariæ prædicto, tertio Calendas Aprilis, Dominicâ, qua cantatur *Lætare*, dedit Rosam post Missam. In qua quatuor consecravit Episcopos, & duos benedixit Abbates in sua Capella Avinionensi. Prima autem die Aprilis venerunt Ambassiatores Domini Regis Franciæ ad eum super caussa prædicta. Item III. Idus Aprilis respondit prædictis Nuntiis, quòd Dominus eorum non esset pœnitens, & idcirco ad præsens ipsum non posset absolvere. Et sic numquam absolvit eum Papa Benedictus XII. quia moriebatur sub anno Domini MCCCXLII. A tempore autem suæ creationis, videlicet Benedicti Papæ XII. usque ad annum septimum completum, præter præmissa nihil dignum relatione fecit, nisi quod Capellam sui Palatii ampliavit, & quod Turrim magnam conjunctam suo Palatio construxit, & quasi perfecit: quæ etiam ad sui similitudinem magna & quadrata existit.

Quarta Vita Benedicti XII. ex Baluzio.

Benedictus XII. natione Tolosanus, de Savarduno Appamiarum Diœcesis, prius nominatus Jacobus, Abbas Fontisfrigidi Ordinis Cisterciensis, Magister in Theologia, deinde Episcopus Appamiarum, post Episcopus Mirapiscensis, demum per Dominum Johannem XXII. prædictum creatus fuit tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis. Deinde mortuo Domino Johanne quarta die Decembris anno Domini MCCCXXXIV. iste in Papatu eligitur anno eodem, mensis ejusdem die vigesima, coronatus apud Prædicatores Avenionenses. Sedit autem annis VIII. diebus XVII. Hic primus cœpit construere Palatium Apostolicum Avinioni, in loco, ubi solebat esse Palatium Episcopale, in quo Dominus Johannes Papa residere consuevit. Hic justus & durus per Constitutionem *Ad regimen* erat. Beneficia, quæ dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit, vix conferre voluit, timens, ut dicebatur, ne conferrentur indignis. Hic multum thesaurum Ecclesiæ congregavit. Hic nihil dare voluit alicui de suo genere vel consanguinitate. Iste verò neminem timebat, quin justitia fieret. Bonos dilexit, & malos odio habuit. Hic diversas Extravagantes fecit. Hic Mareschallum suum propter traditionem, quam ipse fecisse dicebatur tradendo quosdam Anglicos Avinioni tunc moram facientes in manus Domini Philippi Regis Francorum, inter quem & Regem Angliæ tunc guerra orta fuit, quæ multis annis duravit, suspendi fecit ante domum, de qua Anglici proditi & educti fuerunt, fecitque illum in campo sepeliri. Sed Dominus Clemens VI. postmodum fecit illum extumulari, & in cimiterio locari in favorem Regis Franciæ, sicut famabatur. Hujus tempore cœperunt Cardinales ædificia ultra Pontem facere, in quibus æstivo tempore morabantur. Hic Papa aliquando moram fecit in Ponte Sorgiæ. Iste sententias latas per Dominum Johannem prædecessorem suum contra Ludovicum Ducem Bavariæ, se pro Imperatore gerentem, numquam aggravavit. Sed ei Legatos suos misit, monens & hortans, ut ad Ecclesiæ rediret unitatem.

Anno secundo sui Pontificatus, in festo Sanctorum Simonis & Judæ, die XXVIII. mensis Octobris, circa horam Vesperorum, Ventus improvise surgens in diversis Mundi partibus, aërem adeo fortiter commovit turbinosum, nec tamen diu durans, ut multis in locis tecta Ecclesiarum & domorum etiam plumbea ad magnam distantiam transportarent, magnaque & multa fieret domorum & Ecclesiarum & Monasteriorum ruina. Hic anno Domini MCCCXXXVI. & Pontificatus sui anno II. prædicto, IV. Calendas Februarii, Decretalem, quæ incipit, *Benedictus Deus in Sanctis suis*, decisoriam Quæstionis, seu altercationis tempore Domini Johannis inter Theologos agitatæ de Visione faciali Dei ante diem Judicii, quam idem Dominus Johannes morte præventus non determinavit, sed indecisam reliquit, edidit & declaravit: videlicet quod Animæ Sanctæ nihil ha-

habentes purgabile statim ut decedunt, faciem Dei vident; mandans sub pœna anathematis & incursionis hæresis, ne quis contra hujusmodi determinationem dogmatizaret aut crederet.

Anno Domini MCCCXXXVII. tertia die Junii combustus fuit in Venetiis anno Pontificatus Domini Benedicti tertio Frater Franciscus de Pistorio Ordinis Minorum propter opinionem, quam Ecclesia reprobabat de Paupertate Evangelica. Iste suo tempore creavit sex Cardinales. Hujus temporibus Eduardus Rex Angliæ jam factus inimicus Philippi Regis Franciæ, venit in Frankenford Maguntinensis Diœcesis ad Ludovicum Bavariæ gerentem se pro Imperatore, pro auxilio sibi ferendo. Qui Ludovicus eumdem fecit Vicarium Imperii. B Cujus Vicariatus prætextu renitentem sibi Populum Cameracensem & Civitatem, quæ est Camera Imperii in Francia, obsedit, sed non cedit. Idem etiam Ludovicus Raynaldum Comitem Gelriæ, & VVillelmum Comitem Juliacensem, illum Ducem & istum Marchionem creavit in Frankenfordia, cœtu Principum congregata, anno Domini MCCCXXXVI. Circa idem tempus surrexit quidam in partibus superioribus, qui se Regem Armileder nominabat. Qui adunatâ multitudine minorum & rusticorum, Judæos quoscumque reperire poterat, trucidabat. Sed demum per Ludovicum Bavarum prædictum captus, occidi jussus est, & tota illa congregatio dispersa est. C Hujus Papæ temporibus, Dominus Alphonsus Rex Hispaniæ contra Regem Marocchiæ conserto prœlio triumphavit. Et in signum victoriæ idem Rex Vexilium suum Domino Papæ misit, quod usque hodie in Capella Papæ Avinioni conservatur. Idem Dominus Papa multas Constitutiones & ordinationes fecit circa Ordines Monachorum Nigrorum & Cisterciensium.

Obiit autem anno Domini MCCCXLII. quintodecimo die Aprilis, Pontificatus sui anno octavo. Et vacavit Sedes diebus XIII.

Quinta Vita Benedicti XII. *penes Baluzium.*

Benedictus XII. ex patre Guillelmo de Castro Savarduni Rivensis Diœcesis fuit electus in Papam Avinione, in Palatio Apostolico, ubi Cardinales habitaverant in communi, anno Domini MCCCXXXIV. in Vigilia Sancti Thomæ Apostoli. Hic primitus Jacobus vocabatur, fuitque coronatus in Ecclesia Prædicatorum Avinionensium VI. Idus Januarii anno Domini MCCCXXXV. more Pontificum Romanorum. Vacaverat Sedes diebus XVII. Hic autem tempore pubertatis Monasterium Bolbonæ Mirapiscensis Diœcesis, Ordinis Cisterciensium ingressus, professionem fecit ibidem. Deinde ad Monasterium Fontisfrigidi ejusdem Ordinis, Narbonensis Diœcesis se transtulit. E Cujus Monasterii erat Abbas tunc recolendæ memoriæ Dominus Arnaldus avunculus ipsius. Qui postea factus fuit sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis. Hic existens Parisius sacræ Theologiæ Bacallarius, electus fuit Abbas Monasterii Fontisfrigidi supradicti. Deinde factus Parisius sacræ Theologiæ Magister, idem Monasterium per sex annos religiose gubernavit. Qui postea factus Episcopus Appamiarum, dictum Episcopatum prudenter rexit annis novem, eumdemque hospitiis, jurisdictionibus, & nonnullis juribus ampliavit. Hæreticos, qui in partibus illis ob negligentiam Præsulum pul-

A lulaverant, exstirpavit. Post hæc creatus Mirapiscensis Episcopus, ipsi Ecclesiæ præfuit mensibus XXII. Deinde per Dominum Johannem Papam XXII. prædecessorem suum factus sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis in Jejuniis quatuor Temporum mensis Decembris. Octo annis in Cardinalatu stetit. Deinde eodem Domino Johanne Papa viam universæ carnis ingresso, propter vitam laudabilem ipsius, scilicet Benedicti, creatus exstitit Papa tempore supradicto. Hic animadvertens cupiditatem & carnalitatem nimiam in Ecclesia Dei esse, ipsam nisus est penitùs amovere. Quærens in Papatu quæ sunt Christi, non cupiditati neque carnalitati deserviens, largitus est eleemosynas, fecitque multa opera pietatis. Episcopos, eorumque superiores, Abbates, Prioratus, Dignitates, Personatus, & Curata Beneficia obtinentes in Curia commorantes, compulit de ipsa Curia recedere, mandavitque eosdem etiam invitos in eorumdem Ecclesiis & Beneficiis residere. Insuper Commendas per Dominum Johannem prædecessorem suum præfatum de Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis factas nonnullis Prælatis, & aliis Clericis transgredientibus Patrum terminos, ab omnibus revocavit. Et quia Ecclesiæ erant de multis exspectantibus, auctoritate dicti prædecessoris sui quamplurimum oneratæ, omnes revocavit secundùm juris formam Extravag. de Concess. Præb. Cap. ultimo. Preces etiam importunas Principum secularium, & personarum Ecclesiasticarum totaliter sprevit. Habentibusque Beneficia congrua secundùm decentiam eorumdem multiplicare seu conferre alia denegavit. Et quando habentibus Beneficia alia majora contulit, eosdem compulit dimittere priora Beneficia, quæ habebant. Hic fugavit à Romana Curia simoniacam pravitatem. Fecit assistentes sibi, quòd munera seu exenia non reciperent, præstare corporaliter juramentum. Rursus quum tempore prædecessoris sui præfati multa erronea de faciali & beatifica Dei visione prædicata fuissent, & exinde plurima scandala suscitata, quæstionem præfatam cum consilio fratrum suorum Dominorum Cardinalium, multorumque Magistrorum sacræ Theologiæ cum laboribus multis ad exaltationem Fidei Catholicæ laudabiliter terminavit, pro ut in Constitutione sua super hoc edita seriosius continetur. Item quum multi inhabiles & indigni ante ipsum Beneficia à Sede Apostolica impetrabant, ordinavit, quod omnes quibus de Beneficiis Ecclesiasticis gratiam faciebat, deberent secundùm Beneficiorum ipsorum conditionem per unum de suis ad hoc specialiter deputatum de idoneitate & scientia examinari; & reperti inhabiles privabantur gratiis impetratis, quod ante ipsum non fuerat consuetum. Pueris quoque minoribus quatuordecim annis non contulit Canonicatus in Cathedralibus Ecclesiis, nec cum minoribus in Dignitatibus & Prioratibus dispensavit. Item Ordinem suum Cisterciensem bonis & justis ordinationibus reformavit. Sacram beati Benedicti Regulam Monachorum nigrorum in multis quasi collapsam ab observantia regulari reduxit ad observantiam debitam regularem cum nonnullis justis ordinationibus & statutis. Portatores novarum, mendacia confingentes, ab ipsorum vesania refrenavit. Item monuit secundò Prælatos, & compulit sub excommunicationis pœna ad suas redire Ecclesias, & ad residentiam in eisdem

eisdem faciendam. Libenter beneficia contulit viris Literatis, etiam absentibus à Curia, interdum etiam ignorantibus, de quibus sibi laudabile testimonium perhibebatur.

Porro, quia temporibus retroactis, quando per Papam gratiæ, seu supplicationes gratiarum signabantur, ipsæ supplicationes præsentabantur per Camerarios Domini Papæ, aut per alios de ipsorum mandato, unde frequenter quæstus illicitos ab eis fieri contingebat, ordinavit idem Dominus Benedictus, quod petitiones hujusmodi signatæ per eum, integraliter in Palatio Apostolico regestrarentur per regestratorem ad hoc specialiter deputatum, & eisdem supplicationibus regestratis bene auscultatis & correctis, supplicationes originales per Clericum suum juratum ad hoc specialiter deputatum portarentur ad Cancellariam in quodam sacculo sub sigillo suo secreto clauso & signato. Hic volens providere statui personarum inferiorum, nequeuntium ad ipsum habere aditum de facili pro justitia obtinenda, ordinavit, quòd unus de Assistentibus sibi ad hoc per ipsum specialiter deputatus reciperet supplicationes justitiæ, & illas bene cerneret & examinaret. Et repertæ justæ, committebantur caussæ, sibi relatione facta. Per quemmodum providebatur spoliatis, & aliis oppressis, qui in suis partibus non poterant justitiam obtinere. Item statuta Ecclesiarum, fundationis Capellarum & Ecclesiarum, renovationes privilegiorum firmabantur & fiebant, & multa alia utilia expediebantur ad Dei servitium & honorem in Curia vel in partibus, pro ut justitia suadebat. De quibus quidem & aliis potest de eo dici veridice, quòd Ecclesiam Dei, quæ erat facta Agar, Sarram fecit, & de servitute ad libertatem perduxit. Hic videns Cathedrales Ecclesias, maxime regulares, à Clericali & regulari observantia deviare, direxit viros prudentes, providos & honestos ad illas pro reformatione ipsarum. Item in tantum creverat ambitio Monachorum & Canonicorum Regularium, quòd de uno Monasterio vel Ecclesia ad aliud se transferri cum instantia postulabant, & Beneficia impetrabant & Dignitates in illis. Quos quidem idem Dominus Benedictus in Monasteriis, in quibus professi fuerant, voluit remanere, nec ipsis Monasteria vel habitum mutare permisit. Religiosos Mendicantes, qui in Curia morabantur absque justa & rationabili caussa, compulit recedere de eadem. Item ad Ecclesias Cathedrales regulares misit Reformatores: quæ circa numerum Canonicorum, & multa alia honesta & utilia reformatæ fuerunt. Item quum Hospitalia & Leprosariæ detinerentur à multis indebite & injuste, nec in illis hospitalitatis seu pietatis opera servarentur, mandavit ab ipsis hospitalibus seu Leprosariis amoveri hujusmodi detentores, & in eisdem hospitalitatem servari. Hospitalia quoque & Leprosarias prædictas personis idoneis conferri secundùm formam Concilii Viennensis, extra de Relig. Dom. Cap. *Quia contingit*. Item animadvertens, quod pro multis necessitatibus interdum Curia citra montes habet morari, hospitia nobilissima nomine Romanæ Ecclesiæ Avinioni construxit. Item Romæ Ecclesiam beati Petri, & hospitia principalia fecit reparari, quæ erant in ruina, in Dei, & beatorum Petri & Pauli servitio & honore. Hic quoque advertens, Officiales prædecessoris sui præfati multa per impressionem & aliàs indebite extorsisse, commisit personæ idoneæ querelas quorumcumque contra ipsos extortores: qui tamdem compulsi sunt restituere multa, quæ indebite reperti fuerant extorsisse. Item pro pace tractanda inter Reges Robertum & Fridericum, & ad provincias Romanæ Ecclesiæ pacificandas, ad Reges præfatos & dictas provincias Ebredunensem Archiepiscopum destinavit. Unde pax in Benevento & Campania facta fuit; Romæ inter Ursinos & Columnenses æmulos & ad invicem inimicos treugæ annorum plurium factæ fuerunt. Item in Patrimonio beati Petri, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana & Romandiola, pax & B concordia in multis facta fuit inter gentes partium prædictarum. Hic fecit inquiri contra Rectores & Officiales ad præfatas provincias destinatos; & nonnulli ipsorum, qui indebite extorserant, restituere sunt coacti. Misit etiam ad tractandam pacem inter Reges Angliæ & Scotiæ, & inter Reges Castellæ & Navarræ, Nuntios solemnes, viros prudentes, providos & honestos. Unde inter dictos Reges Castellæ & Navarræ fuit pax & concordia reformata. Item in domo seu hospitio suo duodecim Capellanos absque Rochettis habere voluit, qui decantabant quotidie Horas diurnas pariter & nocturnas. Item Prioratus regulares vacantes in Curia ad Regulares suos reverti voluit & C mandavit. Item Prælaturis vacantibus in Curia providit de viris providis & Literatis absque ipsorum scientia & procuratione.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem è Cod. MSto Patavino.

Benedictus XII. de partibus Tolosanis electus est Anno Domini MCCCXXXIV. XII. Kal. Januarii. Hic anno quarto Pontificatus sui in Temporibus jejunii ordinavit sex Presbyteros Cardinales, videlicet Ebredunensem Album nomine; Guillelmum Montis Olivarum; Dominum Gotium de Ariminis; Dominum Rotomagensem; Dominum de Rhode. D Hic confirmavit atque roboravit sententias contra Ludovicum de Bavaria asserentem se Romanorum Imperatorem. Hic constituit Dominum Luchinum de Vicecomitibus tyrannum Mediolani, & multarum aliarum Civitatum & Terrarum Pedemontium & Lombardiæ in Vicarium pro Ecclesia, tamquam Romano Imperio vacante, & ad Sedem Apostolicam spectante. Item simili modo Dominum Mastinum de la Scala in Veronam & Vicentiam. Item Dominos de Gonzaga in Mantuanam, & Reginam Civitates. Item Marchionem Ferrariensem in Mutinam, (*a*) Comaclum, atque Argentam. Anno illo Pontificatus sui prædicto guerræ mortales & crudeles incipiebant inter Reges Philippum Franciæ, & Eduardum An- E gliæ. Pro pace vel treuga inter ipsos ponenda duos Nuntios Cardinales dictus Papa transmiserat, sed modicum relevavit. Item suo tempore Rex Angliæ cum sua armata debellavit armatam Regis Franciæ in die Sancti Johannis (*b*) Evangelistæ supra Sclusam portum Flandriæ, in quo bello mortui fuerunt XXX. millia Gallici & Normanni, & amiserunt VIII. (*c*) naves. Item Dominus Papa fieri fecit totum magnum Palatium, ubi ipse residentiam faciebat Avinione, cum turribus circumcirca atque

(*a*) *Muratorius*: depravate apud Baluzium: *Constantiam atque Argentinam*.

(*b*) *Idem*: Johannis Baptistæ, *apud Baluzium*.
(*c*) *Idem*: octingentas naves, *penes eundem*.

atque Viridario bene fabricatis cum veronibus circumcirca. Hic fuit homo durus & constans, magnus Magister in Legibus & Divinitate; ac adeo justus & durus, ut Beneficia Apostolicæ Sedi reservata vix conferre vellet, timens ne conferret indignis. Hic multum thesaurum Ecclesiæ congregavit. Hic nihil dare voluit alicui de suo genere vel consanguinitate. Ipse verò non timebat quemquam, quando jus & justitia non observaretur ubique per universum. Hic nimis bonos dilexit, & malos odio habuit. Hic primus cœpit construere Palatium Apostolicum Avenione in loco, ubi solebat esse Palatium Episcopale, in quo Dominus Johannes residere consueverat. Hoc tempore surrexit quidam in partibus superioribus, qui se Regem Artellender (*d*) nominabat; Qui adunata multitudine minorum & rusticorum, Judæos quoscumque reperire poterat, trucidabat. Sed demum per dictum Ludovicum de Bavaria captus occidi jussus fuit; & tota illa congregatio est dispersa. Tamdem Anno Domini MCCCXLII. in die Sancti Marci Evangelistæ Avenione in Palatio, quod construi fecerat, ad Christum migravit. De cujus morte tota Curia, & Christianitas condoluit; sepultusque est in Ecclesia Cathedrali Avenionensi.

Vita Benedicti XII. Auctore Petro de Herentals, apud Baluzium.

Benedictus XII. qui prius vocabatur Jacobus, Cisterciensis Ordinis Abbas, & postea Cardinalis, fuit electus in Papam anno Domini MCCCXXXIV. Seditque annis VIII. in Civitate Avinionensi. Multa in principio sui Pontificatus ordinavit & statuit. Inter quæ hoc unum fuit, quòd Capellani sui dicerent Horas Canonicas cum Nota, & quòd omnes dormirent in uno dormitorio, nec haberent alios reditus, quàm mensæ Papalis victum & vestitum.

Item anno Domini MCCCXXXV. dictus Papa Benedictus Decretalem edidit, quæ incipit: *Benedictus Deus in Sanctis suis*. In qua doctrinam supradictam in titulo Johannis Papæ hæreticam ostendit, & damnavit sub tenore, qui sequitur: *Auctoritate Apostolicâ diffinimus, quod secundùm communem Dei ordinationem Animæ Sanctorum hominum, qui de hoc Mundo ante Passionem Domini nostri Jesu Christi decesserunt, nec non sanctorum Apostolorum, Confessorum, Martyrum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum, post sacrum eorum Baptisma susceptum, in quibus nil purgabile fuit, quando decesserunt, nec & quando decedant in futurum, vel si tunc fuit, aut erit purgabile aliquid in eisdem, quum post mortem purgatæ fuerunt, aut quòd animæ puerorum Christi Baptismate renatorum & baptizandorum, quum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam & post purgationem præfatam in illis, qui purgatione indigebant, etiam ante resumtionem suorum corporum, & Judicium generale, post Ascensionem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in cælum fuerunt, & erunt in cælo cælorum regno & paradiso cum Christo, Angelorum sociatæ consortio, ac post Domini nostri Jesu Christi Passionem & Mortem viderunt, vident, & videbunt Divinam Essentiam Visione intuitiva & etiam faciali, nullâ mediante creaturâ in ratione objecti se habente, sed Essentiâ Divinâ se nudè & clare & aperte eis ostendente: quòdque sic videntes eâdem Divinâ Essentiâ perfruuntur. Necnon quod ex tali visione & fruitione eorum Animæ, qui jam decesserunt, sunt verè beatæ, & habent requiem æternam, & animæ illorum, qui postea decedent, eamdem videbunt Divinam Essentiam, ipsâque perfruentur ante Judicium generale; ac etiam quod hujusmodi Divinæ Essentiæ Visio, ejusque fruitio actus fidei & spei in eis evacuat, prout Fides & Spes propriè sunt theoricæ virtutes; quodque postquam inchoata fuit vel erit talis intuitiva & facialis Visio & fruitio, in eisdem visio & fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis & fruitionis contrariata existit, & continuabitur usque ad finale Judicium, & ex tunc & usque in sempiternum. Diffinimus insuper quòd secundùm Dei communem ordinationem, Animæ decedentium in actuali mortali peccato mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur. Et quod nihilominus in die Judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut recipiat unusquisque, pro ut gessit in corpore suo, sive bonum sive malum. Contrarium istorum, & omnium singulorum scienter & pertinaciter tenens, asserens, vel defendens, sicut hæreticus habetur.*

Anno Domini MCCCXLII. Papa Benedictus moritur, & in Avinione sepelitur, de quo tale metrum scribitur:

Iste fuit Nero, Laicis mors, vipera Clero,
Devius à vero, cuppa repleta mero. (*)

Vita Benedicti XII. auctore Anonymo, penes Baluzium.

Benedictus XII. de Castro appellato Savarduno provinciæ Tolosanæ, oriundus ex humili genere, fuit electus in summum Pontificem inopinate, in anno Domini MCCCXXXIV. die XXI. mensis Decembris. Hic primò in Ordine Cisterciensi Magister in Theologia, deinde Episcopus Mirapiscensis, ad Cardinalatum per Dominum Johannem, tamdem ad Papatum in Avinione fuit assumtus.

Anno primo Pontificatus ejusdem ad perpetuam rei memoriam declaravit quandam opinionem à Fide Catholica satis extraneam, super qua prædecessor ipsius fecerat disputari; Utrùm Animæ hominum videant Deum, vel visuræ sint solùm post Judicium. Et sub Bulla Apostolica publicavit, quòd affirmare pertinaciter, quod Animæ Beatorum non videant Deum, sit hæreticum, quum hoc sacræ Scripturæ & Fidei Catholicæ contradicat. Eodem quoque anno fecit unam Constitutionem de Apostatis, satis piam, quæ incipit, *Pastor bonus*. In qua concessit, quod omnes Apostatæ, qui transiverunt non licite (aliàs vagabantur in seculo) deberent ad Ordines redire, à quibus apostataverant; & quod Prælati deberent ipsos recipere & legitime tractare, & super irregularitate, si quam contraxissent, dispensarent misericorditer cum eisdem. Eodem insuper anno fecit multas reformationes circa statum Monachorum Nigrorum, & de modo vivendi, & de regimine, & de multis aliis, ut patet intuenti reformationes illas, quæ communiter Abbatum illius Ordinis dominium ampliarunt,

(*d*) *Idem*: Arculeder, Baluzio.

(*) Distichon istud compositum fuisse ab invidis evincit Leonardus Coqueus in suo Anti-Morneo T. II. p. 209 cum Benedictus XII. omniū commendationē meruerit ob vitæ sanctitatē, quam etiam miracula post mortem comprobavere.

pliarunt, & subditos coarctarunt. Harum reformationum promotor & compilator fuit Dominus Petrus Carnotensis Cardinalis, Ordinis Monachorum nigrorum, qui dictas reformationes incœperat tempore Domini Johannis Papæ XXII Huic Domino Benedicto maxime insitum cordi fuit Clericos & religiosorum Ordinum Professores & status reformare, & ut dicatur veriùs, infirmare. Paucos enim, vel nullos, bonos credebat, & omnes à via mandatorum Domini & consiliorum semita declinasse dicebat. Nullos vel paucos dignos promotionibus vel gradibus Ecclesiasticis æstimabat. Hic Dominus Benedictus Papa avarus, durus, & tenax, in conferendis gratiis, remissus, tardus & negligens in providendo statum Ecclesiarum supra modum fuit; & in excusatione duritiæ suæ paucos ad hæc dignos vel sufficientes dicebat. Omnes Dominos Cardinales fore deceptores sui credebat. Raro supplicationes ipsorum recipere volebat, ipsosque non modicùm suspectos habebat. Ordines Mendicantium supra modum per facti evidentiam exosos habebat. Paucos vel nullos de ipsis Ordinibus ad Prælationes promovebat. Dissensiones eorum libenter audiebat, & subditis contra Prælatos favere videbatur mirabiliter. In propositionibus turpibus & inhonestis plusquā in virtuosis complacentiam habere ex risibus & motibus aliis, omnibus notum erat. Potator vini maximus ab omnibus Curialibus dicebatur, adeo ut versum sit in proverbiū consuetū dici: *Bibamus Papaliter*.(*)

Anno secundo Pontificatus ejusdem ad instantiam Philippi Regis Franciæ fecit prædicari Passagium Terræ Sanctæ futurum ab inde ad triennium. Quod tamen effectum non habuit, quum etiam propter delusiones præteritas minime fiendum communiter crederetur.

Anno tertio Pontificatus ejusdem, fecit processus contra Bononienses, & privavit Civitatem Studio & privilegiis Apostolicis & Imperialibus, propter expulsionem Domini Bertrandi Cardinalis olim in partibus illis Legati. Et tamdem aliquibus pactis præmissis, restituit dictam Civitatem ad gratiam Apostolicæ Sedis. Et constituit Thaddæum de Pepulis Rectorem ibidem ad tres annos pro sancta Romana Ecclesia sub annuo censu, videlicet octomillium Florenorum auri, non absque admiratione multorum. Eodem anno tertio ejusdem Pontificatus venerunt Ambassiatores Ludovici de Bavaria, qui se pro Imperatore gerebat, petentes reconciliationem dicti Ludovici cum Ecclesia; quam sibi promissam, ut dicebatur, agente Philippo Rege Franciæ prædicto cum pluribus Cardinalibus, non potuit obtinere.

Anno quarto Pontificatus ejusdem mota est guerra non modica inter Regem Franciæ Philippum & Regem Angliæ Edovardum super juribus Regni Franciæ, dicto Edovardo Rege Angliæ dicente, jus Regni Franciæ sibi competere. Propter quod dictus Dominus Benedictus Papa ad hoc sedandum misit illuc Legatos Petrum Hispanum Sabinensem, & Bertrandum de Montefaveso, tituli Sanctæ Mariæ in Aquiro Presbyterum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Qui post multos tractatus habitos modicùm profecerunt, dicto Rege Angliæ multa damna & opprobria per terram & mare coronæ Franciæ inferente, Flandrensibus & Scotis, & nonnullis aliis amplis Terris sibi ac Regno Angliæ pariter colligatis. Anno eodem quarto ejusdem Pontificatus, Grandis Dominus Tartarorum misit Ambassiatores, literas, & exenia ad dictum Papam Benedictum. Quos dictus Papa habitis multis tractatibus cum Cardinalibus honorifice pertractavit, & unum Scutiferum Tartarorum ipsorum Ambassiatorum, servientem armorum suorum creavit; & dicto Domino Tartarorum literas continentes articulos Catholicæ Fidei & exhortationes bonas, & plura exenia destinavit. Anno eodem quarto Pontificatus ejusdem fecit unam ordinationem Cardinalium sex, quos assumsit Feriâ sextâ quatuor Temporum mensis Decembris: quorum nomina sunt hæc, scilicet; Dominus Gochius de Ariminis Patriarcha Constantinopolitanus, tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis; Dominus Bertrandus Archiepiscopus Ebredunensis, tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis; Dominus Petrus Rogerii Archiepiscopus Rothomagensis, tituli Sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis, ordinis Sancti Benedicti; Dominus Bernardus de Albia Episcopus Ruthenensis, tituli Sancti Cyriaci in Thermis, Presbyter Cardinalis; Dominus Guillelmus Curti, Ordinis Cisterciensis, Magister in Theologia, Episcopus Albiensis, tituli Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis; Dominus Guillelmus de Aura, Abbas Montisolivi, tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyter Cardinalis.

Anno verò . . . . . . Pontificatus ejusdem Domini Benedicti, Armeni fuerunt delati à quibusdam Fratribus, qui in Italia vocantur Fratres Armeni.

DE CLEMENTE VI.

Prima Vita Clementis VI.

Ex Editione Bosqueti, penes Baluzium.

CLEMENS Papa VI. natione Aquitanus, de loco de Malomonte Lemovicensis Diœcesis, post dictum Benedictum Papam XII. immediate fuit electus in Papam in Avinione die VII. mensis Maji, anno Domini MCCCXLII. & die XIX ejusdem mensis fuit coronatus. Hic prius vocatus est Petrus Rogerii, fuitque Monastico habitu indutus in Monasterio Casæ Dei in Arvernia, Diœcesis Claromontensis, Ordinis Sancti Benedicti, in suæ flore juventutis; ubi primùm edoctus exstitit in regularibus observantiis. Demum ivit ad studia literarum, in quibus adeo profecit, quod fuit effectus profundissimus & solemnis Magister in Theologia. Post verò primò ad Monasterium Fiscannense in Normannia, & ab inde ad Ecclesiam Atrebatensem fuit promotus. De qua demum successive translatus exstitit primò ad Senonensem, secundò ad Rothomagensem Ecclesias. Et postremò per dictum Benedictum assumtus in Presbyterum Cardinalem, habuitque titulum Sanctorum Nerei & Achillei; & tamdem ut præmittitur electus fuit in Papam; Seditque annis X. mensibus VII. & diebus V. Et vacavit Sedes diebus XII. Hic summus Pontifex satis cito post creationem suam optans, quod guerra jam à diu exorta inter Reges Franciæ & Angliæ sedaretur, misit ad ipsos suos Nuntios, legationis officio fungentes, Dominos Petrum de Pratis Prænestinum, & Hannibaldum Tusculanum Episcopos Cardinales causâ reformandæ pacis inter eos. Qui diutius circa hanc laboraverunt & institerunt, non tamen ad pacem per-

(*) Malignas hasce obtrectationes contra optimum integerrimumq; Pontificem explosas vide in superiore adnotatione, easque fusius refellunt Rainaldus, & Franciscus Pagius in Bened. XII. Vita.

pervenire potuerunt. Sed tamen finaliter, Domino cooperante, eos inclinaverunt ad treugas, quas pro tunc inierunt ad quatuor annos postea sequuturos. Eodem tempore, æstate jam inchoata fuit maxima aquarum inundatio fere in toto climate nostro à pluviis exorta, sic quod etiam in montium cacumine scaturire viderentur, & loca inconsueta occuparent, pontesque & turres diruerent. Et quod est mirum dictu, in Civitate Coloniensi navibus ad muros scanderetur, & in Civitate Avinionensi navigio transiretur. Dictus Papa die XX. mensis Septembris, quæ fuit feria sexta quatuor Temporum, anno prædicto MCCCXLII. fecit creationem decem Cardinalium, videlicet octo Presbyterorum, & duorum Diaconorum. Presbyteri autem fuerunt, Dominus Frater Helias de Nabilanis, Ordinis Minorum, Diœcesis Petragoricensis, tunc Archiepiscopus Nicosiensis; Dominus Guido de Bolonia, frater Comitis Boloniensis, tunc Archiepiscopus Lugdunensis; Dominus Aymericus de Castro-Lucii, Diœcesis Lemovicensis, tunc Episcopus Carnotensis; Dominus Andreas de Florentia Italicus, tunc Episcopus Tornacensis; Dominus Stephanus Alberti, Diœcesis Lemovicensis, tunc Episcopus Claromontensis; Dominus Hugo Rogerii, Monachus Ordinis Sancti Benedicti Diœcesis Lemovicensis, tunc electus in Tutellensis, frater ipsius Papæ; Dominus Ademarus Roberti, Diœcesis Lemovicensis, tunc Sedis Apostolicæ Notarius; & Dominus Frater Geraldus de Guardia, Diœcesis Lemovicensis, tunc Generalis Magister Ordinis Prædicatorum, consanguineus ejusdem Papæ. Diaconi verò fuerunt Dominus Bernardus de Turre in Arvernia Diœcesis Claromontensis, tunc Subdiaconus Papæ; & Dominus Guillelmus Judicis, legum Doctor, Diœcesis Lemovicensis, Nepos ipsius Papæ ex sorore. Item Dominus Papa audiens guerras, dissensiones, & turbationes, quæ erant & vigebant quasi communiter in partibus Italiæ, ex quarum occasione subversio earum verisimiliter poterat evenire, & etiam ex aliis rationabilibus caussis ad hoc animum suum moventibus, per idem tempus misit Legatum suum de Latere ad partes memoratas Dominum Guillelmum Curti, tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem. Qui aliquandiu ibidem permansit, & in multis complevit sibi commissa, & quo ad dissensiones & guerras prædictas, ipsas per bonas treguas sedavit.

Eodem tempore obiit Robertus Rex Siciliæ nullis liberis masculis relictis: sed Regnum suum hereditario jure devenit ad Johannam dicti Roberti neptem ex filio defuncto Johanne Duce Calabriæ, adhuc in ætate pupillari constitutam; quam per prius nuptui tradiderat Andreæ fratri Regis Hungariæ. Et quia pro tunc regimen & administratio dicti Regni ad Ecclesiam pertinebat, donec dicta Johanna ad ætatem perfectam pervenisset, pro regimine & administratione hujusmodi dictus Papa misit Legatum suum de latere ad Regnum prædictum Dominum Aymericum de Castro Lucii, tituli Sancti Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem, qui ibi vel circum circa permansit per aliquod tempus. Sed circa regimen & administrationem Regni memorati modicum facere potuit, per dictam Johannam jam doli capacem impeditus. Processu verò temporis dum dictus Andreas se disponeret ad coronam regiam recipiendam, fuit nequiter & proditionaliter interfectus, operantibus & consentientibus tam aliquibus Cubiculariis suis, quàm multis etiam domesticis suis, de quibus specialiter confidebat. Modus autem necis suæ fertur fuisse, quòd dum quadam nocte in Aversana Civitate disponeret se ad eundum ad lectum cum dicta Conjuge sua, fuit fraudulenter subitò & proditionaliter per ipsos vocatus ad quoddam deambulatorium, & ibidem eum fune in collo suo ligato strangulatus, & deinde præcipitatus ad viridarium, quod erat subtus illud deambulatorium. Quæ res fuit magni scandali, & iniquitatis inauditæ: fuitque in hoc verificatum illud vulgare dictum: *Nulla pejor pestis, quàm familiaris inimicus &c.* Occasio autem hujus sceleris specialiter fuisse dicitur, quia ipse tamquam virtuosus & audax, verbo & facto monstrabat, se velle punire aliquos, quos videbat criminosos, & male se habentes, quamprimum per coronationem plenũ dominium dicti Regni ad ipsum pervenisset. De quo male sibi conscii, & meritò formidantes, cogitaverunt adversùs eum modo præmisso sibi præcavere. In quo discant nova dominia assumentes, quod à principio non exasperent, molestent, aut terreant subditos, etiam quantumcumque demeritos, neque pandant interiora cordis sui, sed dissimulent, & potius tales alliciant, eisque blandiantur, donec habeant dominii sui firmitatem, dederintque ordinem, per quem adversùs eos procedere valeant absque sui periculo & scandalo aliorum: quia ex opposito multi modo simili aut crudeliori periisse, aut à dominiis suis dejecti fuisse leguntur. Fuerunt etiam, qui capi & comprehendi potuerunt, neci traditi interfectores dicti Andreæ, eorumque complices & fautores. Contra alios verò dictus Papa fecit processus, & fulminavit sententias, quantum ratio dictabat & justitia suadebat. Per idem etiam tempus suscitata fuit guerra inter Petrum Aragonum & Jacobum Majoricarum Reges occasione homagii Regni Majoricarum, & aliarum Terrarum suarum, quas dictus Rex Aragonum prætendebat ad se pertinere, alio hoc simpliciter denegante. Sed pro sedatione ejusdem dictus Papa misit Nuntium suum legationis officio fungentem Dominum Bernardum de Albia, tituli Sancti Cyriaci Presbyterum Cardinalem. Qui quo ad pacem nihil profecit, sed ad certum tempus inter eos iniit & firmavit treugam. Item eodem tempore dictus Papa ad instantiam & supplicationem Romanorum, qui hac de caussa ad eum suos Nuntios miserant, mutavit Annum Jubilæum de quinquagesimo in quinquagesimum: qui juxta ordinationem Bonifacii Papæ VIII. erat de centesimo in centesimum. Voluitque & ordinavit, quod visitantes limina Apostolorum Petri & Pauli illo anno quinquagesimo, quem de cetero voluit esse Jubilæum, habeant plenariam Indulgentiam suorum peccatorum, cum modis & conditionibus, quæ in dicta Ordinatione Bonifacii continentur. Item dictus Papa renovavit processus per prius inchoatos per Johannem Papam XXII. contra Ludovicum Ducem Bavariæ, eumque aggravavit, & finaliter ipsum ab Imperio reprobavit: mandavitque Electoribus Imperii, ut ad electionem alterius procederent, alioquin Sedes Apostolica, à qua jus eligendi ad ipsos pervenerat, de alio Imperatore provideret. Deposuit etiam Henricum tunc Archiepiscopum Maguntinensem, tamquam fautorem & defensorem dicti Ludovici, & Gelracum fratrem Comitis de Nassov loco ejus Archiepiscopum ordinavit. Non tamen hoc

hoc suum potuit sortiri effectum. Nam ipse Henricus pertinax & induratus sententias parvipendens, quamdiu vixit, dictum Archiepiscopatum tenuit & occupavit. Item latis dictis sententiis contra dictum Bavarum per dictum Papam, ad mandatum ipsius Wolmarus Coloniensis, Balduinus Treverensis, & dictus Gerlacus novus Maguntinensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, & Johannes Rex Bohemiæ, in Villa dicta Rense Diœcesis Treverensis congregati, Carolum tunc Comitem de Luxemborch dicti Regis Bohemiæ filium in Imperatorem seu Regem Romanorum elegerunt, aliis Electoribus absentibus, & fortè non vocatis, tamquam adhærentibus Bavaro supradicto. Dictum autem Carolum sic electum Archiepiscopus Coloniensis memoratus in Oppido suo Bunnensi supra Rhenum coronavit Coronâ ferreâ pro eo quod locus Aquisgrani, & Villa de Frankefort, ubi consueverat fieri tam electio, quàm coronatio Regum Romanorum, tunc Bavaro favebant & adhærebant. Per idem tempus Dominus Frater Guillelmus de Lauduno Diœcesis Uticensis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Tolosanus, jam cœcus effectus, videns se non posse Pontificalia officia exercere, renuntiavit Ecclesiæ suæ in manibus dicti Papæ, qui ad ipsam promovit Dominum Raymundum de Canillaco Præpositum Magalonensem Ordinis Sancti Augustini. Pro sustentatione tamen dicti Guillelmi cœci sibi assignavit certam pensionem super proventibus dictæ Ecclesiæ, per ipsum, quamdiu viveret, percipiendam. Qui etiam post vixit pluribus annis, fecitque multa opera bona ad Dei servitium, præsertim Ordini suo, & loco, unde originem traxit. Fecit enim Claustrum miræ pulcritudinis cum domibus pro recolligendis hospitibus in Conventu Avinionensi, & in dicto loco suæ originis Ecclesiam valde solemnem, etiam dato quòd exi steret Cathedralis: in qua certas Capellanias fundavit & dotavit, ad quarum servitium etiam Presbyteros certos in perpetuum deputavit.

Anno Domini MCCCXLIV. die XXVI. mensis Februarii, in qua fuerunt quatuor Tempora, dictus Papa creavit duos novos Cardinales, videlicet Dominum Petrum Bertrandi juniorem de Columbariis, Diœcesis Viennensis, tunc Episcopum Atrebatensem; & hic fuit in Presbyterum assumtus, eratque Nepos alterius Domini Petri Bertrandi senioris, qui adhuc in Collegio superexstabat; secundum verò fecit Diaconum, videlicet Dominum Nicolaum de Bessia, tunc electum Lemovicensem, de qua Diœcesi oriundus erat, nepotem suum ex sorore. Eodem anno Dominus Eduardus Rex Angliæ mare transiens applicuit in portu Clusæ patriæ Flandriæ. Cui ibidem occurrit memoratus Philippus Rex Franciæ cum magno exercitu bellatorum. Fuitque maximus conflictus inter eos, & strages hominum subsequuta tanta, quòd aqua maris in dicto portu per plures dies sanguine intincta vel rubrata permansit. Victoriam tamen obtinuit Rex Angliæ supradictus: qui eâ potitus, velut turbo per Picardiam more barbarico omnia cæde & incendio vastans, ad postremum Tornacum obsedit. Ubi quum nihil pro sua voluntate proficere posset, abinde recessit. Tamdem venit ante Calesium portum maris, ubi obsidionem posuit, & tamdiu tenuit, quod finaliter ipsum obtinuit. Nec in hoc sibi resistere potuerunt dicti Regis Franciæ potentia, nec illorum, qui erant ab intra, magnanimitas & constantia. Quæ fuit non mediocriter laude digna, quum, ut fertur, longo tempore steterint equis, muribus, & aliis animalibus usui humano insolitis vescendo in fame, & siti, & aliis penuriis maximis, antequam voluerint se reddere, continue auxilium ab extra exspectantes. Circa obviandum autem malis, quæ ex guerra Regum prædictorum assidue contingebant, dictus Papa, quantum in ipso erat, continue vacabat & insistebat, pacemque inter ipsos reformari procurabat. Et ideo per idem tempus ad dictos Reges destinavit Nuntios suos legationis officio fungentes, Dominos Hannibaldum de Ceccano Episcopum Tusculanum, & Stephanum Alberti, tituli Sanctorum Johannis & Pauli Presbyterum Cardinalem; qui diu circa hoc institerunt; non tamen ad pacis fœderationem dictos Reges inducere potuerunt, sed tamen treugas ad certum tempus inter eos inierunt. Eodem fere tempore Willelmus Comes Hollandiæ magna suorum multitudine amissa, à Frisonibus, nullo sibi herede superstite, interficitur. Propter quod Ludovicus Dux Bavariæ, qui se, licèt falsò, pro Imperatore gerebat, Comitatum hujusmodi dedit filio suo Willelmo, quem usque ad tempora nostra pacifice tenuit posteritas sua. Paulo post dictus Ludovicus Dux Bavariæ adhuc pertinax & in suis malitiis induratus moritur. Quo mortuo, & Carolo memorato jam in discordia electo, Henricus depositus Archiepiscopus Maguntinensis, Marchio Brandeburgensis, & Comes Palatinus noviter convenientes, Guntherium Comitem de Narzemburg in campis Frankfordiæ, ubi Reges Alamanniæ eligi consueverunt, in Regem Alamanniæ & Romanorum elegerunt, atque armis, ne dictus Carolus ipsum perturbaret, defenderunt, quinimmo ipsum Carolum, licèt verum Regem, vi armorum repulerunt. Carolus autem sentiens se pro tunc armis adversùs eos prævalere non posse, dicitur procurasse, quod dictus suus adversarius satis citò mortuus est. An autem toxico sive alio modo, varii varia sunt loquuti. Sed qualitercumque fuerit, non est sibi ad culpam imputandum juxta illud dictum vulgare:

Non refert an armis habeatur palma dolisve. (*)

Mortuo autem dicto Guntherio, idem Carolus per dictum Archiepiscopum Coloniensem fuit iterum Aquisgrani coronatus, ut aliàs erat fieri consuetum; & demum pacifice, & cum honore, tamquam verus Rex Romanorum & Alamanniæ à Civitatibus Imperii receptus. Cujus electio fuit per dictum Papam cum solemnitatibus debitis processu temporis approbata.

Per idem tempus Engelbertus de Marcha Episcopus Leodiensis habens in sui adjutorium dictum Carolum Regem Romanorum, & Johannem Regem Bohemiæ patrem suum cum multis aliis Principibus Alamanniæ, Leodiensibus guerram movit, & cum eis bello congressus est. Sed tamdem Leodienses victores fuerunt, dictusque Carolus, qui prius ibidem aquilam in vexillo erexerat, cum ea per fugam salvatus est illa die. Sed eodem anno dictus Episcopus cum eisdem Leodiensibus iteratò bellavit, & extitit victor, & demum fuit inter ipsos pax reformata. Per idem tempus dictus Papa ad instantiam dicti Regis Bohe-

(*) Quod Carolus Lucemburgicus mortem adversarii sui veneno, aut occulta alia via procuraverit, historiæ res est; at vero quod illi non sit ad culpam imputandum ex vulgari proverbio, dogma est non ita facile admittendum.

Bohemiæ Ecclesiam Pragensem suffraganeam Ecclesiæ Maguntinæ in Archiepiscopalem erexit, & Abbatiam Luthomussensem Ordinis Præmonstratensis Episcopalem Ecclesiam constituit, quam unà cum Olomucensi & Mussinensi Ecclesiis, prius de Magdeburgensi provincia, pro suffraganeis dictæ novæ Metropolis Pragensis ordinavit. Erexit etiam ad instantiam Regis Castellæ Villam Algesiræ noviter acquisitam, & de manibus infidelium ereptam, in Episcopalem Ecclesiam, dictam Villam Civitatem constituendo. Hoc etiam durante tempore Johannes de Vicecomitibus Mediolani, tunc Archiepiscopus Mediolanensis, tyrannice occupavit Civitatem Bononiensem, ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentem. Propter quod dictus Papa contra eum fecit processus suos ac sententias fulminavit. Sed tamdem ad cor rediens fuit Ecclesiæ & Papæ reconciliatus, fuitque sibi dimissa Civitas sub annuo Censu duodecim millium Florenorum, & servitio quadringentorum hominum armatorum suis sumtibus, quoties Ecclesia haberet agere citra vel ultra Montes. Item per idem tempus Ludovicus Rex Hungariæ intravit Regnum Apuliæ, occupavitque tam Civitatem Neapolitanam, quàm alias dicti Regni. Nec fuit, qui ausus fuerit sibi resistere: fecitque magnas & aspe ras punitiones de illis, qui adhuc restabant culpabiles super nece Andreæ fratris sui Regis Siciliæ. Et fecisset majora, sed multi, qui se culpabiles sentiebant, se absentantes ab illa patria fugerunt à facie ejus. Ad mitigandum tamen eum & pacificandum, ac ut Johanna dicti Andreæ relicta, ad quam dictum Regnum jure hereditario pertinebat, ipso non privaretur, sed potius sibi restitueretur, dictus Papa misit ad dictum Regem & Regnum memoratum Legatos suos de Latere, primò Dominum Bertrandum de Deucio, tituli Sancti Marci, & demum successive Dominum Guidonem de Bolonia, tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyteros Cardinales, qui post multos tractatus, Deo eis favente, sic operati sunt, quod dictus Ludovicus Rex Hungariæ retrocessit, & dictum Regnum in pace remansit per dictam Johannam in posterum possidendum. Quæ venerat Avinionem ad dictum Papam, dicti Regis tamquam hostis sui fugiens furorem. Quam dictus Papa grate & honorifice recepit, & demum secum dispensavit, ut contraheret cum Ludovico Principe Tarenti, qui sibi secundo gradu consanguinitatis jungebatur. Filius enim erat Philippi Principis Tarentini defuncti, fratris dicti Roberti Regis, avi dictæ Johannæ. Inter quos postquam matrimonium fuit contractum, dictus Papa misit Neapolim Dominum Guillelmum de Guardia Archiepiscopum Bracarensem consanguineum suum. Qui de ejus mandato dictum Ludovicum Regem Siciliæ & Apuliæ coronavit, & dicti Regni regimen & administrationem sibi commisit. Circa idem tempus Philippus Franciæ, & Edoardus Angliæ Reges prope locum de Cressi inter se bellum habuerunt. In quo victoriâ Anglicis cedente, Johannes Rex Bohemiæ, qui jam cœcus effectus ibidem bellaturus advenerat, & plures alii notabiles & magni viri interemti sunt.

Anno Domini MCCCXLVII. die XXVI. mensis Maji, dictus Clemens Papa canonizavit, & Sanctorum Confessorum catalogo annotavit Sanctum Yvonem Hallory Presbyte-

A rum de Britannia oriundum, dudum Advocatum pauperum, & tam in vita, quàm in morte multis & magnis miraculis coruscantem. Eodem tempore fuit in Regno Franciæ, & præsertim in Lingua Occitana, caristia validissima, & cum hoc fames pestifera, adeo quod quandoque, quod est horrendum auditu, præ nimia fame repertum est, quod matres suos natos morsibus lacerabant & comedebant, ut de herbis crudis, & immundis animalibus, & aliis comedi insolitis taceamus; quum talium usus eo tunc eis pro gratia speciali haberetur. Et hoc fuit initium mortalitatis maximæ, quæ satis citò est subsequuta.

B Anno Domini MCCCXLVIII. incœpit tanta mortalitas fere generaliter in universo Orbe, quòd vix est aliàs similis audita. Vivi enim ad mortuos sepeliendos vix sufficere poterant, aut ad hoc intendere abhorrebant. Tantus enim timor fere omnes invaserat, quod statim dum ulcus seu bossa, quod, vel quæ, ut in pluribus, in inguine aut sub axella apparebat cuique, dimittebatur ab assistentibus etiam quantumcumque propinquis. Pater enim filium & filius patrem in grabato relinquebat. Nec mirum. Nam quum in domo aliqua persona tali infirmitate detinebatur & demum moriebatur, sæpissime repertum est, quòd alii omnes inficiebantur, & pari modo subitò moriebantur. Immo, quod est terribile C audiri, etiam canes, catti, galli & gallinæ, cum ceteris animalibus ibidem morantibus quibuscumque. Propter quod qui sani erant, timore perterriti fugiebant. Et sic multi propter incuriam moriebantur, qui forsitan aliàs evasissent. Multi etiam qui arrepti hac infirmitate indubie credebantur statim morituri, non habitâ discretione ad foveam pro sepultura portabantur. Et sic quamplures sepeliebantur vivi. Et huic malo superadditum est aliud. Nam insurrexit quædam vox, quòd erant aliqui malefici & specialiter Judæi, qui in aquis & fontibus potiones immittebant; cujus occasione pestis prædicta sic incrassabatur. Propter quod multi tam Christiani quam D Judæi innocentes & inculpabiles fuerunt cremati & trucidati, & aliàs in personis male tractati, quum revera hoc non esset nisi ratione constellationis, aut divinæ ultionis. Et duravit hæc pestis ultra annum prædictum, immo & per duos subsequentes in diversis partibus, ubi non fuerat, se dilatando. Et hac durante tempestate dictus Papa in Avinione rem fecit maximæ caritatis. Nam pro pauperibus visitandis & alendis certos ordinavit Medicos & alios, qui eis in suis necessitatibus subvenirent in vita; & quum decedebant, etiam necessaria ad sepulturam ministrabant. Et quia pro tunc cimiteria ordinaria non sufficiebant ad mortuorum corpora E capienda, emit unum magnum campum, in quo Cimiterium fecit consecrari, ubi generaliter omnes possent sepeliri. In quo infinitæ personæ ex tunc sepultæ fuerunt. Fuitque ei nomen impositum, quod usque in diem hodiernum durat, *Campus floridus*. Anno prædicto MCCCXLVIII. die Maji extra quatuor Tempora dictus Papa assumsit in Diaconum Cardinalem Dominum Petrum Rogerii nepotem suum ex fratre tunc Sedis Apostolicæ Notarium, qui tunc erat valde juvenis & teneræ ætatis, quum judicio communi nondum annum decimum octavum complevisset. Erat

tamen totus humilis & benignus, bonæque indolis, aptus, ingeniosus, & subtilis, ac ad studium literarum multùm intentus, & jam in Jure civili secundùm tempus, quo circa ipsum versatus fuerat, bene sapiebat. Eodem fere tempore durante populares Romani quemdam Nicolaum Laurentii Notarium Urbis elegerunt & assumserunt in Tribunum, spreto regimine Nobilium & aliorum, quorum consilio & auctoritate per prius regebantur. Hic autem Nicolaus assumto hujusmodi officio, coadunatis sibi aliis quamplurimis, hostiliter persequutus est Nobiles Urbis, & præsertim Columnenses, de quibus una die multos interfecit. Quo facto, die sancto Pentecostes in Concha Constantiniana lotus, & Miles factus, talem sibi titulum assumpsit, seu usurpavit: *Candidatus aquâ Spiritus Sancti Nicolaus Miles, severus & clemens, liberator Urbis, zelator italiæ, amator Urbis, & Tribunus Augustus*. Hic Carolum Regem Romanorum & suos Electores coram se citari fecit. Tamdem post multa fatua, quæ gessit, alienum habitum induens, dicti Regis Curiam adiit, ipsius statum & animum scrutaturus. Sed cognitus captus est, atque eidem Regi præsentatus. Qui demum ad Avinionem eum Papæ transmisit, sibi diutius incarceratus permansit. Sed tamdem comperto, quòd contra Ecclesiam nihil specialiter attentasset, relaxatus exstitit, vel secundùm aliquos carceres fregit. Et Romam rediens, paulo post à Populo tumultuose occisus fuit.

Per idem tempus obiit Johanna Regina Franciæ dicti Philippi conjux, quæ Ducis Burgundiæ fuerat filia. Post cujus obitum, & non multo tempore lapso, dictus Philippus recepit in uxorem Blancam filiam Philippi Regis Navarræ, cum qua modico tempore mansit. Nam infra annum à tempore contractus, videlicet anno Domini MCCCL. mortuus est, dictâ Blancâ gravidâ remanente. Cui successit in Regno Johannes Dux Normanniæ, suus filius primogenitus. Qui demum, pro ut moris est, confestim fuit Remis coronatus & unctus. Et in sui regiminis principio fecit capite truncari Radulfum de Fulcardimonte Comitem Augi Conestabularium Regni sui, pro eo, ut dicitur, quia de proditione fuerat culpabilis & reus inventus. Eodem anno, qui jam erat per dictum Papam Jubilæus ordinatus, fuit maximus concursus Populorum peregre Romam proficiscentium caussâ lucrandi Plenariam Indulgentiam, propter quam erat peregrinatio hujusmodi generaliter constituta. Fuerunt tamen quamplurimi per prædones, latrones, & piratas in itinere tam terræ quàm maris bonis suis spoliati, & aliàs multis modis damnificati. Propter quod multi ab iis præcavere volentes, in habitu dissimulato dictam peregrinationem arripuerunt, & per Dei gratiam prospere compleverunt, practicantes illud metrificum:

Tutius ut peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit, ut finerem luxuriare comam.

Eodem anno obiit Dominus Hannibaldus de Ceccano Episcopus Tusculanus Cardinalis, qui Romam per prius missus fuerat per dictum Papam Legatus, & Vicarius, ut ibi loco & vice suis pro illo tempore præsideret, ac si, & ubi expediret, peregrini ad ipsum pro suis necessitatibus recursum haberent. Dicitur autem quod toxico interemtus est. Ipse autem diu ante ædificaverat locum de Gentiliaco juxta pontem Sorgiæ prope Avinionem, in quo constituerat, & fundaverat cœnobium Fratrum Cælestinorum: pro quorum sustentatione condecenti tam in vineis, pratis, molendinis, domibus, & censibus circumquaque, & etiam Avinioni existentibus multa acquisierat, & ipsorum usui perpetuò deputaverat de bonis à Deo sibi datis pro suorum remissione peccatorum. Eodem etiam anno memoratus Jacobus Rex Majoricarum per Petrum Regem Aragonum tam à Regno suo, quàm à Comitatu Rossilionis prius totaliter expulsus, Avinioni existens, & per dictum Papam aliquandiu sola humanitate sustentatus, vendidit locum & Baroniam Montispessulani Regi Franciæ, à quo etiam per ipsum in Feudum tenebatur. Et de pretio inde habito aggregavit gentes armigeras in numero satis magnas. Cum quibus intravit Terras, à quibus fuerat expulsus, eas vi recuperare intendens. Cui occurrit dictus Rex Aragonum, belloque secum congressus est. In quo dictus Jacobus victus exstitit & interemtus, suusque filius captus, & demum diu in carceribus detentus. Et sic qui injuriam, quam sibi prætendebat illatam, vindicare tentavit, eam supra & contra se duplicavit, dum post Terras & bona perdidit & personam. Hoc etiam durante tempore Turci cum magno exercitu appropinquabant partes Romaniæ & circumvicinas, in tantum quòd verisimiliter timebatur, quod ulterius progrederentur, & ibi transirent, & demum tam illas quàm partes Neapolitanas invaderent & vastarent. Et quia pro eis obviando fuerat prius per dictum Papam missus cum magno exercitu Patriarcha Constantinopolitanus, sed, Domino sic disponente, negotio imperfecto mortuus erat, idem Papa deliberavit, fore expediens, immo & necessarium, ut alius cum magna potentia illuc eâ de caussâ mitteretur. Fuitque ad hoc per eum deputatus & ordinatus Imbertus Delphinus Viennensis, hoc jam à diu cum instantia postulans & requirens. Qui negotium hujusmodi cum magno apparatu navigiorum, & armatorum exercitu aggressus est, direxitque vires suas contra Turcos memoratos. Sed Deo sic permittente, nihil potuit proficere: sed vacuus rediens deliberavit relinquere Mundum & statum mutare, elegitque in habitu regulari Domino deservire. Prius tamen disposuit & ordinavit de suo Delphinatu modo subsequenti, videlicèt quòd eo ipsum relinquente, sibi in eo succederet Rex Franciæ, & sui perpetuò in Regno successores: hac adjectâ etiam conditione, quod semper remaneret in manibus & regimine Regis, vel filii sui primogeniti, qui erit, vel sperabitur esse in Regno successurus. Facta autem hujusmodi ordinatione, Religiosus effectus est, & habitum Prædicatorum assumsit. Dictus verò Papa ipsum demum, instante & procurante Johanne Rege Franciæ memorato, jam suo successore effecto, fecit Patriarcham Alexandrinum, & Ecclesiam Remensem sibi perpetuò commendavit. Et caussâ ipsum magis honorandi, ne fortè à præmissis inposterum posset resilire, in propria nocte Natalis Domini ipsum ad omnes sacros ordines uno contextu ordinavit.

Dicto etiam anno præfatus Papa fecit creationem duodecim Cardinalium, videlicet decem Presbyterorum, & duorum Diaconorum. Et hoc die XVII. mensis Decembris, quæ fuit feria sexta quatuor Temporum. Presbyteri autem fuerunt isti: Dominus Ægidius Alvari Hispanus, tunc Archiepiscopus Toletanus: Do-

Dominus Frater Pastor de Sarescuderio Diœcesis Vivariensis, Ordinis Minorum, tunc Archiepiscopus Ebredunensis: Dominus Raymundus de Canillaco Diœcesis Mimatensis, Canonicus Regularis Ordinis Sancti Augustini, tunc Archiepiscopus Tolosanus: Dominus Pictavinus de Montesquino, Vasco, tunc Episcopus Albiensis: Dominus Nicolaus de Capocia Romanus, tunc Episcopus Urgellensis: Dominus Petrus de Crosso Diœcesis Lemovicensis, tunc Episcopus Antissiodorensis: Dominus Pontius de Villamuro, Vasco, Canonicus Ordinis Sancti Augustini, tunc Episcopus Appamiarum: Dominus Guillelmus de Agrifolio, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, tunc electus Cæsaraugustanus, consanguineus, & cubicularius ipsius Papæ: Dominus Ægidius Rigaudi, tunc Abbas Sancti Dionysii in Francia prope Parisius, Ordinis Sancti Benedicti: & Dominus Frater Johannes de Molendino Diœcesis Lemovicensis, tunc Generalis Magister Ordinis Prædicatorum. Diaconi verò fuerunt Dominus Raynaldus de Ursinis Romanus, tunc Sedis Apostolicæ Notarius, & Dominus Johannes filius Vicecomitis de Caramanno, pronepos Johannis Papæ XXII. tunc Sedis Apostolicæ Notarius. Et isto durante tempore insurrexit quædam Secta pessima Crucis Flagellatorum, qui sub specie pœnitentiæ & boni, multa mala perpetrabant occulte. Quam dictus Papa interdixit, & contra ipsam sequentes excommunicationis tulit sententiam, & alias pœnas promulgavit. Et sic satis citò Secta hujusmodi totaliter extincta evanuit. Fuit insuper eodem tempore durante quidam rusticus baratator in Marchia Brandeburgensi, qui aliquandiu se asseruit & simulavit VValdemarum Marchionem dictæ Marchiæ, qui diu ante mortuus fuerat, sed in remotis tanto tempore exstiterat causâ pœnitentiæ peragendæ. Et quia fortassis aliquibus videbatur, quòd dicto VValdemaro in effigie aut statura vel aliis assimilabatur, Octo Archiepiscopus Magdeburgensis, & multi Nobiles sibi adhærere cœperunt. Sed tamdem publice comperto quòd erat falsum & confictum, ipsum turpiter & ignominiose repulerunt. Dicto etiam tempore currente Frater Hugo Fabri, origine Tutellensis, Abbas tunc Cluniacensis, libere suo Monasterio renuntiavit, & ad serviendum Deo liberius Ordinem Carthusiensem est ingressus. In quo post conversationem laudabilem processu temporis vitam finivit. Et Dominus Frater Androinus frater Comitis de Rocha Comitatus Burgundiæ per dictum Papam fuit sibi in dicto Monasterio immediate subrogatus. Præfatus insuper Papa laxavit, seu verius mutavit Constitutionem Gregorii Papæ X. *Ubi majus*, de Elect. lib. VI. editam super illis, quæ Cardinales habent observare, quando sunt inclusi in Conclavi pro electione Romani Pontificis celebranda. Voluit enim, constituit, & ordinavit, quòd dicti Cardinales possint à cetero in dicto Conclavi existentes habere cortinas, cum quibus clauduntur eorum logiæ, quando dormient seu quiescent. Item quod habeant duos servitores Clericos, vel Laicos, pro ut eis magis placebit. Item quod elapsis tribus diebus post suum introitum haberent ultra panem & vinum, fructus, caseum, & electuaria, & unum ferculum carnium vel piscium dumtaxat in prandio, & aliud in cœna. Super quibus edidit Constitutionem perpetuò duraturam, quæ incipit *Licèt*. Cujus contrarium quo ad prædicta continebat caput

A prædictum *Ubi majus*, quod quo ad alia omnia voluit in sua remanere firmitate.

Ipse etiam Palatium Avinionis amplificavit recte de media parte, quum per prius per Benedictum Papam XII. prædecessorem suum licèt solemne factum fuisset de duobus angulis, ipsum tamen perficiendo fecit quadrangulare, totam plateam muris altis & turribus aliis primis æqualibus claudendo & circumeundo. In hac autem parte licèt omnia ædificata seu constructa sint ad modum solemnia, & aspectu valde decora, tria sunt tamen, quæ reliqua specialiter excedunt, videlicet Capella Major, Audientia, & Terraciæ superiores, quum quo ad id pro quo constitutæ & ordinatæ sunt, B fortè non est in Mundo Palatium, in quo, non dicam solemniores, immo nec pares existant, attentâ præsertim eorum contiguitate, quum de una ad aliam sine medio ascensus vel transitus facilis existat. Consistorium insuper in alia parte per dictum prædecessorem suum multùm solemniter ædificatum, quia remanserat tamquam tabula rasa, in qua nihil depictum erat, miris picturis decoravit, & scripturis mirabilioribus adornavit. In quo considerationem habendo, quod locus ille solùm ad justitiam poscendam & reddendam deditus & ordinatus exstitit, in pingendo per pictorem hunc ordinem voluit, & in propria descripsit observari, videlicet, quod Divina C Majestate in supremo throno depicta, circumquaque literaliter effigies Sanctorum & Sanctarum, ac aliorum, qui in veteri vel novo Testamento aliqua notabilia in judicio, jure, justitia, & æquitate, aut veritate scripsisse vel dixisse leguntur, pingerentur, & sub cujuslibet effigie seu figura, aut in rotulis, quos suis gestare videntur in manibus, sua dicta seu scripta super præmissis aut altero eorumdem literis grossis & legibilibus scriberentur, Libros & Capitula, in quibus continentur, rubeis literis designando. Quæ omnia videntibus & legentibus non modicùm proficere, eosque allicere debent, ut ab ipsis non devient, sed potius ad eorum observationem D intendant. Ipse præterea Monasterium Casæ-Dei, in quo à principio professus exstiterat, multis & magnis dotavit honoribus, & privilegiis decoravit, ac proventibus ampliavit, ejusque Ecclesiam quasi vetustate consumtam, ac satis ruinæ proximam à solo ædificavit, tamen in multo solemniori statu quàm prius. Civitatem etiam Avinionensem cum suo territorio à Johanna Regina Siciliæ, ad quam per prius spectabat, tenebaturque in feudum ab Imperio, pro Romana Ecclesia dato magno pretio emit, consensu tamen & voluntate memorati Caroli Regis Romanorum in Imperatorem electi. Qui etiam auctorizando, approbando, & confirmando emtionem hujusmodi, E voluit & concessit, quòd in perpetuum pertinerent ad jus & proprietatem dictæ Ecclesiæ & præfati Papæ, suorumque successorum canonice intrantium, quodque per eos libere teneantur & possideantur in franco allodio, nec pro ipsis homagium seu fidelitatem, servitium seu recognitionem cuiquam in posterum facere teneantur. Et in signum adeptæ possessionis & translationis dominii eorumdem de domo communi sita juxta Ecclesiam Sancti Petri Avinionensis, arma dictæ Reginæ in ea affixa amota fuerunt, & in ipsorum loco arma ipsius Papæ apposita & affixa. Quod quantùm eidem Romanæ Ecclesiæ utile & fru-

fructuosum exstiterit, inæstimabile est, quum hodie non habeat locum alium in toto Orbe, in quo liberius & securius commoretur, ut de ipsius solemnitate ac situs commoditate taceatur. Hic Summus Pontifex toto tempore suo valde fuit intentus ad procurandum statum pacificum & tranquillum suorum omnium subditorum, & præsertim Regum & Principum ac aliorum Potentum, ex quorum discordiis inferiores habent commoveri & turbari. Quod satis demonstravit in quasi assidua missione Legatorum, & Nuntiorum suorum, de qua supra sæpe fecimus mentionem. Nec curavit se cum eis aut aliis in guerris involvere aut aliter dissentientibus intricare, nisi in quantum conservatio jurium & honoris Ecclesiæ sibi commissæ ipsum præcise arctarunt quandoque ad oppositum, & adhuc tunc per viam justitiæ processit, factum posse tenus evitando. Propter quod satis pacifice & quietè vixit cum omnibus, considerata temporis tunc vigentis qualitate, & ob hoc liberius vacavit & perfectius intendit ad actus Papales exercendos. In iis enim multum solemniter se habuit, utpote Consistoria & Consilia debitis temporibus indefectibiliter tenendo, divina officia celebrando, sermones & collationes excellentissime & sæpe faciendo. In quibus etsi retroactis temporibus forte quandoque habuerit sibi pares, excedentes tamen raro, pro ut talium tenor penes plures permanens indicat manifeste.

Fuit insuper sicut nomine ita & re clemens, misericors & benignus. Non enim invenitur contra aliquem pro interesse proprio, quantumcumque sibi inimicus aut contrarius exstiterit, aliquam ultionem exercuisse, aut expetiisse vindictam. In cujus rei exemplum est heic notabiliter inferendum, quod unus, qui per prius, eo in minoribus existente, sibi aliquas injurias irrogaverat, etiam personales, qui æstimans ipsum aliis variis & magnis occupatum, de ipso, aut de ipsis injuriis non recordari, sibi quadam die supplicationem unam porrexit, in qua petiit aliqua pro se ipso. Qui licèt supplicationem hujusmodi benigne receperit, tamen in suo secreto existens, dum eam perlegisset, super vindicta de ipso assumenda per petitionis denegationem, aut alias quodammodo tentabatur, ipsam projecit ad terram, pedibusque conculcavit. Quam demum reassumsit, & secundò simile prius fecit, & eâ postremò reassumtâ, ipse sibi loquendo, audientibus tamen aliquibus suis Cubiculariis ibidem adstantibus, dixit: *Vade, Diabole, quia hodie facere non poteris, quòd me vindicem de quocumque*. Et hoc dicto supplicationem prædictam illico, ut petebat, signavit: nec aliàs molestiam umquam intulit ipsam offerenti. Habuit præterea hanc humanitatem, pietatem, seu benignitatem, ac liberalitatem generaliter ad omnes ad ipsum recurrentes, seu suum præsidium aut juvamen implorantes, quod numquam vel raro aliquem à se emiserit sine consolatione reali aut verbali, sæpius tamen ad rem, quàm ad verba intendens. Pauperum etiam & egenorum, præsertim illorum, qui aliàs abundabant, & mendicare erubescebant, necessitatibus largissime subvenit, considerans in iis omnibus, quod *beati mites, & beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur*. Quàm pie igitur sperandum ipsum jam misericordiam consequutum, vel consequuturum in futurum, si humana fragilitate ipsum ad hoc impellente, in eo aliquid culpabile exstiterit, ratione eorum, quæ sequuntur. Suos enim fratres, nepotes, consanguineos, propinquos, compatriotas, & servitores valde dilexit. Plurimos namque ex eis, qui tempore suæ promotionis erant in statu Ecclesiastico, aut demum esse voluerunt, in altis & magnis Prælaturis & Dignitatibus sublimavit: multos verò inferioribus beneficiis fere ubique terrarum existentibus collocavit. Et quamquam inter eos fuerint multi idonei & sufficientes, quia tamen quandoque ipsos prætulit ceteris, magis, aut æque sufficientibus, alios verò sic passim & indistincte, & quasi ubique collocavit, fortassis aliquid ultra debitum caro & sanguis sibi revelasse censentur. De laicis & præsertim de domo sua paterna prodeuntibus, quid dicendum? Suo enim tempore, suoque favore, ac propter eum multas divitias, magnos reditus, plurima dominia, honores & status sublimes sunt multimode consequuti; fueruntque per affinitates confœderati cum multis & magnis. Sicque generaliter actum est, quod in utroque statu post eum altero ex modis prædictis ipsum contingentium remanserunt paucissimi, qui suam magnificentiam non senserint sibi & suis, & in posteris etiam fuisse, & esse utilem & fructuosam. Ipse tamen finaliter infirmitate gravatus, humilis, pœnitens de commissis, devoteque receptis Ecclesiasticis Sacramentis, in veritate & sinceritate Fidei, ac unitate Sanctæ Matris Ecclesiæ, spiritum Domino commendavit Anno Domini MCCCLII. die VI. mensis Decembris, Pontificatus sui anno undecimo. Fuitque sepultus in Ecclesia Majori Avenionensi, demum transferendus ad dictum Monasterium Casæ-Dei, in quo vivens suam perpetuam elegerat sepulturam. Vacavitque Sedes diebus duodecim.

Secunda Vita Clementis VI. penes Baluzium.

CLemens VI. ex patre ac matre .... natus est Lemovicensis ex Castro Malimontis, & in Parochiali Ecclesia Sanctæ Crucis, videlicet de Roseriis, baptizatus. Hic vocabatur Petrus, & à suis teneris annis Monasterium Casæ Dei in Claromontensi Diœcesi situatum ingreditur, & in illo Beati Benedicti Regulam est professus. Quem vitæ venerabilis Aniciensis Episcopus, & Abbas ejusdem Monasterii Casæ-Dei, apprehensivæ mirabilis, discreti judicii, nec non memoriæ mirabilioris, esse videntes, ipsum ad studendum Parisius destinarunt; ibique dictus Abbas paternis subventionibus eum nutrivit. Ubi puer ipse benedictionis & gratiæ tantum in artibus & philosophia & demum in theologia studendo, repetendo, atque libros omnes solitos ordinate legendo, profecisse comperitur, quod in tricesimo primo anno ætatis suæ, non per precum instantiam, aut per Bullæ Papalis tempus anticipantis gratiam, sed solùm virtutis merito in sacra pagina magistratur. Hic expresso mandato Reverendi Patris bonæ memoriæ Domini Petri de Mortuomari, tunc tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyteri Cardinalis, qui eum ut filium diligebat, ad Curiam Romanam venit; & primùm Sancti Baudilii Nemausensis, Ordinis Sancti Benedicti, à Domino Johanne XXII. Papa obtinet Prioratum. Deinde verò per ejusdem Cardina-

lis

lis & aliorum quamplurium Cardinalium auxilium ab eodem Papa in Abbatem Fiscannensem, & subsequenter in Atrebatensem Episcopum ordinatur. Propter quod quum illa Sedes inter Pares Franciæ signa regia deferendo computetur, in Regis Franciæ Consilium & Parlamentum inducitur. Ac demum in Senonensem, ac paulo post in Rothomagensem Archiepiscopum promovetur. Et quia nullam habebat amaritudinem conversatio ejus, sed lætitiam & gaudium, cum eodem Rege Philippo tam ferventis amoris vinculo jungitur, quòd eum ab oblato sibi per dictum Dominum Johannem Papam Cardinalatu compescuit, nolens ejus carere consilio & conversatione dulci. Sed eodem Papa universæ viam carnis ingresso, & eidem præfato Domino Benedicto XII. succedente, per eumdem Dominum Papam Benedictum ad apicem Cardinalatus assumitur, & demum post obitum Domini Benedicti XII. memorati, qui obiit XXV. die mensis Aprilis de anno Nativitatis Domini MCCC-XLII. in Conclavi Palatii Avinionensis, quod die Dominica, V. mensis Maji sine medio sub sequentis, eo computato, decem & septem Domini Cardinales intraverunt, solo dumtaxat Domino Bertrando de Montefavencio Sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinali extra Conclave prædictum propter morbum podagræ remanente, die Martis VII. ejusdem mensis Maji confestim ante Vigiliam Ascensionis Domini, horâ Tertiæ, in summum Romanum Pontificem concordia mirabili sublimatur. Vacavit Sedes diebus duodecim. Nam in festo Pentecostes, quod tunc celebrandum fuit XIX. die Maji, apud Ecclesiam Fratrum Prædicatorum de Avinione cum maxima solemnitate exstitit coronatus, adstantibus & servientibus ei Dominis Johanne primogenito Regis Franciæ, tunc Duce Normanniæ, qui postea patri suo successit in Regno, Jacobo Duce Borbonii, Philippo Duce Burgundiæ, Imberto tunc Dalphino Viennensi, & multis aliis. Et in crastinum de mane omnibus addextrantibus, honorifice fuit reductus; ita quod sicut in Apostolos singulos in illa die pro ut lingua ignis apparuit, sic hunc summum Pontificem per carbunculum lapidem pretiosum lucentem ignis adinstar in tiaræ seu diadematis culmine positum descendisse seu apparuisse monstratur.

Hic anno primo Pontificatus sui, à Nativitate Domini MCCCXLII. ad Reges Franciæ & Angliæ misit Nuntios pro triennali treuga tractanda, videlicet Reverendos Patres & Dominos Petrum Penestrinum, & Annibaldum Tusculanum, Episcopos Cardinales: qui tamquam industres & providi concordarunt. Hic idem Reverendum Patrem Guillelmum tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem Legatum de Latere in Italiam & Lombardiam præcipue destinavit. Idem Reverendum Patrem Dominum Andream tituli Sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem misit pro reformanda pace inter Dominos Aragoniæ & Majoricarum Reges ut Legatum; qui in Perpiniano diem suum clausit extremum. Et anno secundo Pontificatus sui Dominum Bertrandum tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem ad dictos Reges pro eorum facienda concordia Legatum similiter destinavit. Qui velut in patria notorum, & eisdem fortè Regibus magis gratus, de treugis biennalibus eas concordans, statim in Romanam Curiam remeavit. Idem Pontifex contra Ludovicum de

A Bavaria Dei & Ecclesiæ inimicum ad Ecclesiæ gremium redire nolentem sententias aggravavit & processus.

Hoc eodem Pontificatus ejus anno Secundo Dominum Henricum Patriarcham Constantinopolitanum Legatum mittit in partibus Romaniæ, & fideles hujus atque devoti in illis partibus negotia Fidei prosperantur. Per Christianos etenim in illis partibus militantes pro nomine Jesu Christi, Civitas Smyrnensis acquiritur. Qui quum solemniter celebraret in campestri quadam Ecclesia pro reddendis gratiis de dicta victoria Smyrnarum, qui constantiore animo factus, infidelium armis corpore cæso intrepidum spiritum Domino, & se ipsum humiliter obtulit in holocaustum.

B Hoc eodem anno Pontificatus ejus Tertio, in Regnum Siciliæ Legatum ex latere destinavit, scilicet Reverendum Dominum Aymericum tituli Sancti Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem, non ex eo quòd Væ, cujus regno Rex puer est, vel vacillanti sæpius sexui muliebri regnum subjiceret, verùm & ex hoc maxime, ne sacrosancta Romana Ecclesia ejusdem regni gubernationis de jure pertinentis ad eam in eo casu titulum perderet. Et dum dictus Legatus inibi diu stetisset, & prudenter ac provide se gessisset, tamdem in Romanam Curiam anno Quarto Pontificatus ejusdem est reversus infra annum legationis suæ, per Urbem almam transiens, ibidem & ubique per

C singulos honoratus. Et quia commissionem exsequi non poterat, qui jam de regno discesserat, Domino Guillelmo Amici Episcopo Carnotensi commisit, quòd Dominus Andreas in Regem, & uxor sua in Reginam coronentur. Sed quum dictus Rex (proh dolor!) Bullam suæ coronationis expectat, bellum suæ destructionis ingreditur, quod incautus ignorat. Nam ex nonnullorum nequissimis machinationibus præviis in camera sua, dum cum Regina prædicta in Civitate Aversæ Castro regio moraretur, noctis tempore capitur, & foras cameram detestabiliter trahitur, & martergiis ad collum ligatis, non sine effusione

D sanguinis per nares & oculos fortiter stringendo suffocatur. Et sic per suspendendos & dilaniandos juridice, Rex juvenis & innocens morti horrendi suspendii subjicitur atque datur. Post hæc dictus Episcopus Regnum illud in maxima dilaceratione dimittens, in Romanam Curiam remeavit, & dicto Domino Papæ informationem de omnibus plene dedit. Qua quidem informatione concepta, & consilio maturo digesta, dictus Pontifex anno Domini MCCCXLV. Pontificatus sui anno Quarto, contra tanti sceleris patratores, consocios & fautores, & eorum quomodolibet valitores, processus rigorosissimos publicat, terribilesque profert sententias, & tam in illis quàm in ser-

E mone, quem super hoc luculentissime fecit, cujus thema fuit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, debitam compassionem & justam mentis turbationem ostendit.

Eodem anno Quarto Pontificatus ipsius, egregius Princeps Dominus Imbertus Dalphinus Viennensis efficitur Vexillifer & Capitaneus contra Fidei hostes in partibus Romaniæ, & Crucis etiam prædicatione suffultus, & armigerorum copiis ad partes illas accessit. Nec primis ejus ultima responderunt; quoniam post paucum temporis rediens, sequejam ad procreandam sobolem impotentem inspiciens, & militiam secularem abjiciens, Cle-

ricalem

ricalem amplexus est, & per eumdem Papam Alexandrinus Patriarcha efficitur, & sibi Remensis Ecclesia commendatur. Qui suorum, ut dicitur, allectorum pecuniâ seductione devictus, primogenitum serenissimi Principis Domini Johannis Francorum Regis illustris Carolum nomine, vivens adhuc, & ut solebat, incolumis de toto Dalphinatu sibi fecit heredem. Quod an ad virtutem ei, vel vilitatem adscribam, nescio. Deus scit. Eodem anno Pontificatus ipsius dictus Dominus Rex Hungariæ, frater Domini Andreæ Regis mortui supradicti, armata manu dictum Regnum ingreditur, & occupando devastat, & quasi totum suæ subjicit ditioni. Tamdem Dominum Carolum Ducem Duracii, qui mortis Domini Andreæ Regis prædicti culpabilis dicebatur, in dicto Castro Civitatis Aversæ, ac in eodem loco, ubi suspensus exstiterat frater suus, coram se captum & genuflexum decapitari mandavit; & statim fuit jussus regius exsequutioni mandatus. Fratres autem Ducis ejusdem, videlicet Dominos Ludovicum atque Robertum, necnon & Dominos Carolum & Philippum germanos filios olim Domini Philippi Imperatoris Constantinopolitani, ac Principis Tarentini fratris germani dicti Domini Regis Roberti, Regnum ipsum, quia non propter illud, sed ad fraternam vindictam propter sanguinem venerat, dissipatum quasi dimittens, secum in Hungaria captos ducit. Reginam autem & Dominum Ludovicum filium prædicti Principis Tarentini, qui se simulatum nutriens in pectore zelum, cum eadem Regina in regio Castronovo Neapolitano reduxit, eam in uxorem satagens desponsare, captos habere non potuit. Et sic de Regno prædicto cum honore discessit. Demum non post multos eos dies auctoritate propria inter se dicti Dominus Ludovicus & Regina matrimonio contracto, & effectualiter consummato, venerunt ambo simul in Curiam. Et cum eis dictus Pontifex Clemens, volens clementer animabus eorum, & dicti Regni tribulationibus providere, misericorditer dispensavit, quoniam in secundo consanguinitatis gradu se invicem ex duabus stirpibus contingebant. Post hanc autem non parvæ misericordiæ gratiam ab eo, qui cunctos vult fieri salvos, obtentam, iidem Dominus Ludovicus atque Regina de redeundo in Regnum sedulâ semper inter se ac suos consultatione revolvunt. Sed fine qua mundana quæque deficiunt, eis deficiente pecunia, cogitabant consilia, quæ stabilire non poterant. Nam propter hujusmodi Regni guerras & intestinas discordias, quibus res etiam maximæ dilabuntur, gravi nimis inopia gravabantur. Et quoniam caritas ubique frigescit, nullum in Curia poterant recipere subsidium. Quod dictus Pontifex circumspectus & providus, velut Argus, advertens, tamquam ille, quem zelus domus Domini comedebat, opportunis exquisitis tractatibus & cautis intermediis viis Civitatem Avinionensem, qua præter Urbem ad Romanam Curiam opulenter alendam, & decenter pensatis omnibus sustinendam nullam protinus aptiorem agnovit, omni modo, jure, & meliori, quo potuit, emit a Regina prædicta pro pretio invicem concordato, & Civitatis ejusdem Romanus Antistes temporaliter & spiritualiter dominatur. Quod quidem bonum opus atque laudabile meritò laudabitur in æternum. Et dicti Dominus Ludovicus atque Regina per venditionem hujusmodi pecuniâ redundantes, simul in Regnum postea redierunt. Hoc eodem anno quarto Pontificatus ejusdem, dictus Pontifex fide ac spiritu plenus concedit Decimas triennales ad exaltationem Fidei Christianæ pro subsidio Terræ Sanctæ.

Anno verò Quinto Pontificatus ipsius, anno Nativitatis Domini MCCCXLVI. Reverendus Pater Dominus Bertrandus tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis de mandato summi Pontificis, totiusque Collegii pro Urbis & Patrimonii beati Petri gubernatione in Tuscia, necnon & Regni Siciliæ citra Pharum, ut de latere Legatus accedit, & Papa inter Regnum & Insulam Trinacriæ treuguas indicit. Summus hic Pontifex eisdem annis, Pontificatus videlicet sui Sexto, & Nativitatis Domini MCCCXLVII. canonizavit beatum Yvonem provinciæ Britanniæ oriundum, innumeris miraculis coruscantem. Ejusque festum velut Confessoris instituit celebrandum XIX. die mensis Maji, quæ, pro ut supra scriptum est, dies exstitit Coronationis ejusdem. Iisdem temporibus, & anno prædicto Dominus Eduardus Rex Angliæ Regnum Francorum invadit hostiliter, & per Provinciam Picardiæ venit usque Parisius, Rege tunc Francorum absente. Quo subitò redeunte, dictus Rex Angliæ retrocessit, & multa Villis & hominibus inferens damna in Castro Calesii se reduxit. Eodem quoque tempore, Dominus Henricus Dux Lencastriæ filius Regis Angliæ supradicti Burdegalæ tunc existens, Ducatum Aquitaniæ vastat, & provinciam Tolosanam ferventer impugnat. Hoc eodem tempore, Pontificatus videlicet ejusdem anno Sexto, Nativitatis verò Dominicæ MCCCXLVII. in multis Mundi provinciis successive ac in Romana Curia tam civium quàm curialium omnis gradus ab oriente progrediens tanta supervenit mortalitas, quòd, ut in Libro Sapientiæ legitur, ad sepeliendos mortuos vix vivi sufficerent, nec Ecclesiarum cimiteria satis erant. Propter quod Papa prædictus emit extra Civitatem Avinionensem agrum, qui usque hodie dicitur ager sacer; ubi foveis profundissimis & largissimis fossis operiebat ut pecora gregatim terrâ defunctos. Et ibidem fundari fecit unam Capellam in honorem beatæ Mariæ, quam dotavit decenter, & de Campo Sancto vulgariter cognomen accepit. Et duravit hæc Epidemia usque ad annum Septimum Pontificatus sui, Nativitatis verò Dominicæ MCCCXLVIII. inclusive, sed totaliter non completum. Fecit autem Pontifex iste pius multa pietatis opera illis annis. Nam ut eorum, quos illis temporibus mortis morsus tam rapidus rapiebat, citius possent corpora sepeliri, nec plus aër inficeretur, quàm esset infectus, duos Grossos argenteos portantibus corpora pro quolibet corpore deputavit, & omnibus & singulis morientibus, qui tali subsidio indigerent, mandavit & fecit sudaria ministrari. In Catalonia verò Dominus Petrus Rex Aragonum Dominum Jacobum Regem Majoricarum cognatum suum cum filiis & uxore sorore sua de Regno Majoricarum violenter expellit. Quo pro restitutionis fiendæ sibi remedio ad Romanam Curiam veniente, Papam prædictum satis favorabilem reperit. Sed quoniam induratum est cor dicti Regis Aragonum, nihil omnino profecit. Demum Regina consors dicti Regis Majoricarum in hoc exilio moritur. Et Rex ipse tunc uxore indigens, Dominam Violantem consanguineam

guineam suam, à se primò cognitam, pro ut fertur, recepit in uxorem; & cum eis per Papam eumdem nolentem addere turbationem afflictis, & pro macula tollenda fuit dispensatum. Deinde verò Rex ipse classem modicam præparat, & versùs Majoricas per cives clam vocatus accedit. Sed Rex Aragonum ista præsentiens, Civitatem illam munivit, & navigio venienti Regi restitit, & descendentem illum cum primogenito suo & suis gentibus, quas habebat, in conflictu posuit & occidit; & primogenitum ejus nepotem suum, virtuosæ indolis juvenem, percussum in facie, captum & in Aragoniam ductum, adhuc hodie nutrit ut filium, sed eum de restituendo sibi dominio Regni paterni obaudit.

Anno Nativitatis Dominicæ MCCCXLVIII. Pontificatus ejus Septimo, Clemens hic Pontifex in Vigilia Ascensionis Domini assumsit Dominum Petrum Nepotem suum ex fratre suo germano Domino Guillelmo Rogerii Comite Bellifortis, Notarium tunc Apostolicæ Sedis, in Sanctæ Mariæ Novæ Diaconum Cardinalem, qui nondum vigesimum annum ætatis attigerat. Sed qui motiva Papæ nosse desiderat, Sermonem videat, quem de illo fecit in publico, cujus thema fuit verbum, quod in Actibus scribitur, scilicet: *Videntibus illis elevatus est*. Quod licèt de Christo tunc ad Patrem ascendente sit dictum, convenienter tamen de dicto Domino Petro Cardinali tunc dictum est. Quia, sicut alibi legitur, tunc ascendit Petrus in superiora domus, & etiam quia dici poterat, quod ad Patrem, quoniam ad patruum suum, patrem Sanctum & summum Pontificem ascendebat. Et utinam ætatis ejus ultima primis respondeant. Virtus enim in illo, faciente Domino, supplet ætatem; & ut spes mihi firma suadet, filius hic sapiens gloria patris sui erit.

Anno Nativitatis Domini MCCCXLIX. Pontificatus autem ejus anno Octavo, Dominus Guido Portuensis Episcopus, qui Cardinalis Boloniensis vulgariter dicitur, per eumdem Pontificem Legatus de latere in Hungariam mittitur, habens etiam, quia erat inde in anno quinquagesimo transiturus . . . . autem in Urbe, per quam anno prædicto quinquagesimo propter Indulgentias transiens in Curiam rediit, ubique multipliciter honoratus. Eodem anno & Pontificatu supradictis, IX. videlicet die Septembris, circa primam horam, terræmotus maximi fuerunt in Regno Siciliæ, in Urbe, ac partibus convicinis usque ad Civitatem Pisanam exclusive, ac multa & magna ædificia palatiorum, Ecclesiarum, & turrium corruerunt, & multi fontes exsiccati sunt, & multis in locis, ubi non erat aqua, fontes affluentes adhuc usque hodie scaturizant. Hic summus Pontifex Decretalem illam, quæ distinguit vitam Dominorum Cardinalium in Conclavi tenendam, quum pro futura summi Pontificis electione clauduntur, de singulorum & omnium Dominorum Cardinalium digesto consilio & expresso consensu, quinimmo ad eorum instantiam, districte modificat & modeste reformat, pro ut in Constitutione sua, quam ad perpetuam rei memoriam, & sub Bulla super hoc noviter edidit, clare liquet.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCL. Pontificatus autem ejusdem Pontificis anno nono, Serenissimus Princeps Dominus Philippus Rex Franciæ illustris, qui fuerat primò Comes Valesii, & primus ad quem extra

A lineam Beati Ludovici quondam Regis Franciæ, Regnum Franciæ est devolutum, sicut Domino placuit, die XXV. mensis Augusti legem, qua statutum est homini mori semel, adimplens, Regnum hoc temporale relinquens, & æternum accipere sibi regnum accelerans, viam est universæ carnis ingressus. Et ejus primogenitus ante regnum, videlicet Dominus Johannes, ei statim in Regno successit, & die XXVI. mensis Septembris ejusdem anni coronatus est Remis. Huic Summo Pontifici tantùm propitiatus est Dominus, quòd præter dictorum Regum concordiam cuncta sibi quasi prospere successerunt, & juxta suæ largifluæ liberalitatis clementiam multa suæ
B collationi subjecit. Nam propter mortalitatis epidemiam supradictam quasi cunctas Orbis Ecclesias Prælatis atque Rectoribus renovavit. Sed & Collegium Dominorum Cardinalium, quod ex mortalitate prædicta, quæ multos ex eis viros conscientiâ quidem & scientiâ reverendos absorbuit, admodum remanserat diminutum, laudabiliter instauravit. Nam & eodem Anno Nativitatis prædictæ, & Pontificatus ejus nono, in Temporibus jejuniorum beatæ Luciæ de mense Decembris, sicut scriptum est, assumsit sibi duodecim, quos vocavit Apostolos, Reverendos videlicet Patres Dominos Ægidium juris Canonici Doctorem, & omnes alios,
C quorum nomina ignoro. Et sic in vita sua vigintiquinque Cardinales fecisse comperitur. Plurésque fecisset, ut verisimiliter conjecturâ tenetur, nisi mors celerius eum, quàm crederet, prævenisset.

De Anno Nativitatis Dominicæ MCCCLI. qui fuit decimus annus Pontificatus ipsius, ego Romæ tunc residens, gesta non scribo, quia nec ab aliis digna memoratu percepi, nec ipse memini.

Anno verò MCCCLII. Pontificatus ejus undecimo, Summus hic Pontifex clementiâ totus & liberalitate respersus, ut Romanus Populus, devotissimi & peculiares ejus & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filii quædam
D eis incumbentia possent non minùs faciliùs quàm celeriùs expedire prædicto Populo de quatuordecim millium Florenorum auri quantitate subvenit. Eodem anno sui Pontificatus undecimo, venerabilis Pater Dominus Guillelmus de Guardia Bracarensis Archiepiscopus in Regnum Siciliæ citra Pharum cum pleno legationis titulo per eumdem Pontificem destinatur, & de commissione specifica sibi facta prædictus Dominus Ludovicus in Regem, & dicta Domina Johanna, dicti quondam Domini Roberti neptis, uxor ipsius, in Reginam dictorum Regnorum Hierusalem & Siciliæ per eumdem Archiepiscopum auctoritate Apostolica in Ecclesia majori
E Neapolitana solemniter juxta ritum sacrosanctæ Romanæ matris Ecclesiæ coronantur. Adhuc Pontifex iste casus Mundi considerans, ante prædictum Benedictinum palatium aliud valde mysteriosum & pulcrum, & Capellam amplissimam, nimiumque decoram, sub qua modò caussarum & contradictoriarum audientiæ tenentur, à fundamentis grossissimis fecit ædificare. Pontem insuper lapidum & lignorum, per quem de Civitate Avinionensi in Regnum Franciæ pertransitur, de quatuor arcubus, qui deficiebant in illo, plusquam pulcherrime compleri mandavit, & factum est. Sacrosanctam insuper Lateranensem Ecclesiam, quæ

mater

mater & caput est Ecclesiarum Urbis & Orbis, sedesque propria Romani Pontificis, atque prima, tecto, quod deficiebat in illa, honorabiliter & pulcherrime restauravit. Videns autem & audiens hæc & omnia supradicta manuum suarum opera perfecte completa, benedicens Dominum in vita sua, in dicta nova sua magna Capella semel dumtaxat, in omnium Sanctorum festo videlicet, solemniter celebravit, & facundissime prædicavit, ac de votis ejus utcumque completis dignas Deo laudes exsolvit. Sed quia necessarium est, quum venitur ad summum, ex illo descendere, quoniam ulterius ascendi non potest, & natus homo de muliere, numquam in eodem statu permanet, quumque nil sit in hac vita perpetuum, dictum summum Pontificem diebus ultimis mensis Novembris de dicto Dominicæ Nativitatis anno MCCCLII. sui Pontificatus Undecimo, circa medium ejus anni, visitans manus Domini tetigit eum; visitatio cujus ejus spiritum custodivit. Illum enim quædam tunc invasit infirmitas, propter quam sexto die mensis Decembris tunc immediate sequentis, in festo videlicet beatissimi Nicolai, spiritum Domino reddidit, & memoria ejus in benedictione semper erit. Exsequiæ verò dicti summi Pontificis in Cathedrali Ecclesia beatæ Mariæ Avinionensis fuerunt in crastinum solemniter celebratæ. Et demum exinde corpus ejus, juxta dispositionem ipsius, ad prædictum Casæ-Dei Monasterium, quod ipse Pontifex in Ecclesia & domibus mirabiliter ampliavit, & possessionibus augmentavit, fuit portatum per Dominos fratrem & nepotes ipsius Cardinales, & Comitem Bellifortis, aliosque nepotes & consanguineos ejus, simul & dolentissime nec minùs ceremonialitèr quàm honorabiliter sociatum, sed virtutis ejus honorum obsequium non attingit, & in sepulcro novissimo, quod ipsemet vigens & vivens in Villanova Avinionensis Diœcesis sibi fecerat fabricari, quodque pretiosissimi & politissimi operis est, illuc delato, & in Capella, quam præter illas supradictas construi fecerat, sepultus est clementissimus ille Clemens, anno Domini MCCCLII. Pontificatus sui Undecimo, die VI. mensis Decembris. Anima cujus in pace requiescat. Amen.

Tertia Vita Clementis VI. ex Baluzio.

CLemens VI. in patria Lemovicensi, & Castro Malimontis, ex patre & matre Guillelma natus est, & in parochiali Ecclesia dicti loci, Sanctæ Crucis videlicet de Roseriis, baptizatus. Nec sine felici forsitan eventus præsagio ab ipso fonte baptismatis vocatus est Petrus, ut clarus omnibus intellectus existeret, quod in ea petra Deus homo Christus Jesus sanctam foret Ecclesiam suæ cuncta cernentis immensæ benignitatis clementiâ fundaturus, & quod in re, pro ut in nomine, ejusdem Christi Vicariatus officio successurus esset meritò Petro Petrus. Et digne nimis in Sanctæ Crucis Ecclesia baptisma recepit, qui Crucem erat coram se tribus vicibus ascendendo continue, pro tribus prælationum fastigiis, in individuæ Trinitatis honorem super alios portaturus. Recteque rosas in clypeo suæ generationis, ut rosa flos florum floridus, iste suorum in suavitatis odorem & signum protectionis assumsit, qui de dictis Roseriis Fidei scutum salvationis accepit. Sed verè nil aliud rosarum numerus voluit indicare senarius, nisi quod, sicut per arithmeticos ipse perfectior reputatur, sic ob suorum dona virtutum super ceteros homines iste perfectior haberetur, & quòd sextum erat summi Pontificis fastigium inter Clementes Pontifices obtenturus. Hic à suis teneris annis Monasterium Casæ-Dei in Aniciensi Diœcesi situatum ingreditur, & in illo beati Benedicti Regulam est professus, ibique religiosis & scholasticis disciplinis imbuitur: adeo quod sicut puer iste crescebat in annis, sic multiplicabatur in virtute. Quem vitæ venerabilis Aniciensis Episcopus, & Abbas ejusdem Monasterii Casæ-Dei, apprehensivæ mirabilis, districti judicii, nec non memoriæ mirabilioris esse videntes, ipsum ad studium Parisius destinarunt. Ibique dictus Abbas paternis subventionibus nutrivit. Ubi puer ipse benedictionis & gratiæ tantum in artibus & Philosophia, & demum in Theologia studendo, repetendo, atque Libros solitos ordinate legendo profecisse comperitur, quòd in tricesimo anno ætatis suæ, non per pretii, seu precum instantiam, aut per Bullæ Papalis tempus anticipantis gratiam, sed solo virtutis merito in Sacra Pagina magistratur. Et tam velox apud cunctos, ac in tantum profundissimæ suæ scientiæ fama percrebuit, quòd in omnem terram exivit sonus ipsius; & quia temporibus suis numquam homo ita facunde loquutus est, in fines Orbis terræ verba illius. Hic &c. (*a*) Sed eodem Papa (*Johanne XXII.*) viam universæ carnis ingresso, & eidem præfato Domino Benedicto XII. succedente, per eumdem Dominum Benedictum Papam ad apicem Cardinalatus assumitur, & de Parisius ad Romanam Curiam tunc Avinione manentem, Capellum nigrum in rubeum commutaturus accedit. Ubi simul cum Domino Goso, qui velut Apostolicus Nuntius factus Cardinalis de Italia redibat, cum debita solemnitate per Papam & Cardinales excipitur, & juxta Sedis Apostolicæ morem, post sumtum cum omnibus Cardinalibus prandium, Capelli rubei flamine decoratur. Sub quo per annos quasi tres in tanta consiliorum, prædicationum, gratiarum, conversationum, ac exemplarium operationum fama resplenduit, quòd virtutibus hujusmodi præviis, & clementiâ sibi divinâ favente, post obitum Domini Benedicti XII. memorati, qui obiit die XXV. mensis Aprilis anno Domini MCCCXLII. in Conclavi Palatii Avinionensis, quod die Dominica, V. mensis Maji sine medio subsequentis, eo computato, decem & septem Domini Cardinales intraverunt, solo Domino Bertrando de Montefaventio, Sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinali extra Conclave prædictum propter morbum podagricum remanente, die Martis ejusdem mensis Maji septimâ, statim ante Vigiliam Ascensionis Domini, horâ Tertiæ, in summum Romanum Pontificem sublimatur, & thronus ejus eo ipso clementiâ roboratur. Nam petitus, ut moris est, quo nomine vocari placeret, clementissimus ille disponens in omnes exercere clementiam, nomen sibi Clementis assumsit. Quod magis ac magis in dies per effectum operis demon-

(*a*) *Heic totidem verbis repetuntur illa, quæ superius descripta leguntur in Secunda Vita ejusdem Pontificis. Quare omittenda satius duxi.* Muratorius.

A demonstravit. Nam recte, sicut scriptum est, lex clementiæ in lingua ipsius: quæ sibi tantum naturaliter inerat, quod Cæsarianum illud memorabile verbum coram semper habebat, quempiam non decere videlicet de præsentia Principis non contentum abire. Habebat insuper doctrinam illam, quam & alios docuerat, menti semper impressam, quod videlicet *dum tempus habemus, ad omnes & maxime domesticos fidei bonum operari tenemur*. Horum igitur semper, nec umquam, nisi cogente justitia, quam æquitatis & misericordiæ perfusus in pluribus mitigabat, usus est negativâ. Vacavit igitur, ut apparet, Ecclesia diebus duodecim, & ministeriose nimis tunc in Papam assumitur.
B Nam quum Dominus noster Jesus Christus ad Patrem esset ascensurus ad biduum, quo sine sponsi Vicario sponsam suam, vel absque dispensatore domum, aut sine remige navem dimitteret, ne gubernatoris terrestris auxilio carens, maris hujusmodi collideretur ad scopulos, non decebat, sed ut coronationem ejus Spiritus Sanctus in sua celeberrima die, quo promissus in filios adoptionis effusus est, non sine mysterio forsitan solemniter consummando perficit. Nam in festo Pentecostes, quod tunc celebratum fuit XIX. die mensis Maji, apud Ecclesiam Fratrum Prædicatorum de Avinione cum maxima solemnitate celebritatis, & adstantibus ac servientibus eidem Domino Johanne primogenito Regis Franciæ supradicti,
C Duce autem Normanniæ, qui postea patri suo successit in Regno, Jacobo Duce Borbonensi, Philippo Duce Burgundiæ, Humberto tunc Delphino Viennensi, & multis aliis tam Franciæ quàm Vasconiæ, ac partium aliarum Comitibus, innumerisque Baronibus, exstitit coronatus, & in convivio ibi facto permaximo multipliciter honoratus, & ad Palatium Apostolicum eisdem omnibus addestrantibus eum sequenti die Lunæ honorifice nimium & quiete reductus. Ita quod sicut in Apostolos singulos illa die Spiritus Sanctus pro ut lingua ignis apparuit, sic in hunc summum Pontificem per carbunculum lapidem pretiosum lucentem ignis adinstar in tiaræ seu diadematis
D culmine positum descendisse seu apparuisse monstratur.

Hic primo anno Pontificatus ipsius, Nativitatis Domini MCCCXLII. juxta quod bene noverat Verbum Dei, quo Discipulos docuit pacem primùm optare, Dominorum Philippi Franciæ, & Edovardi Angliæ tunc Regum illustrium discordiam ægre ferens, solemnes duos Nuntios ad prædictos Reges quamprimò potuit eadem æstate destinavit, videlicet Reverendos Patres Dominos Petrum Penestrinum, & Annibaldum Tusculanum Episcopos Cardinales. Qui tamquam industres & providi prudentes atque viriliter laborantes, eosdem
E Reges, non de pace, quum nondum essent maturata negotia, sed de triennalibus treugis, quæ non plene servatæ sunt, postea concordarunt. Hic idem Summus Pontifex rectissime Clemens vocatus, volens pauperibus Clericis universis de eo, quod gratis acceperat, gratis dare Bullam gratiæ suæ clementer aperuit, ut infra duorum mensium spatio, anno & æstate prædictis, de suæ clementiæ plenitudine gratiam pro gratia cuncti reciperent, & de non avaro dispensatore, sed largo quidem atque munifico cunctis dato largifluum Deum, qui dat omnibus affluenter & non improperat, devotas illi gratias agentes humiliter collaudarent. Eadem æstate, Pontificatus sui primâ, cunctis Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis & aliis, quas prædecessor ejus immediatus zelo forsitan justitiæ, Rectoribus viduatas dimiserat, quarum numerum brevis hæc scriptura non clauderet, Episcopos & Rectores restituit, singulis singulas conferendo, ne per Prælatorum aut Rectorum carentiam cultus divinus deficeret in eisdem, sed per cœlestis influentiam gratiæ continue reflореret, & fructum salubrem afferens, gratum Domino redderet suavitatis odorem, quamvis lucide nosceret, quòd proventus non modicos Apostolicæ Cameræ defalcabat. Benedicta sit igitur, si qua fuerit in Benedicto Papa XII. præfato justitia, quæ habenti contulit, & abstulit non habenti, quòdque tam largo, tam libero donatori tantam donandorum copiam conservavit. Et quum scriptum sit, *misericordiam volo & non sacrificium; & quod melior est misericordia super vitas, labia mea laudabunt te*, in Clemente VI. clementia, quæ per ejus prædecessorem rigorose retenta, misericordiæ liquore condita, dispergens omni petenti se tribuit gratiosum, & pauperes Domini panibus saturavit. Nec damnanda est ejus circumspecta prudentia: quæ volens quod prudentiæ suæ semper de gratiis conferendis clementiæ, de qua posset, materia non deesset, dignitates omnes, & illas etiam, ad quas per electionem ascenditur, reservavit, quum voluntas & impotentia magnanimæ soleant generare. Eodem anno Pontifex idem Constitutionis per dictum Dominum Benedictum Papam XII. prædecessorem suum editæ super reformatione Monachorum nigrorum rigorem attendens, illam oleo suæ clementiæ misericordis aspergens modificavit in multis, & eam discretionis limâ reformans, ad jugi dominici suavitatem & levitatem omnes cum æquitate reduxit. Hic idem Pontifex universi gregis dominici se Pastorem universalem advertens, adinstar illius veri Pastoris, cujus Vicariatum exercet, fratres & discipulos suos ad diversa Mundi climata misit ad pacem inter discordes quoslibet reformandam. Nam in Italiam, & potissime Lombardiam anno sui Pontificatus Primo, & æstate prædictis, Reverendum Patrem Dominum Guillelmum tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem destinavit. Qui velut homo Dei, justitiæque zelator, bonum ad omnes operatus est.

Iste Papa volens domum Dei pluribus Cardinalibus roborare, ut multas, quæ in illa sunt, mansiones tutius & accuratius custodiret, eodem sui Pontificatus anno Primo, in occurrentibus tunc primò Jejuniorum Temporibus, de mense Septembris, post festum Sanctæ Crucis, decem in domo Domini supradicta statuit Cardinales orbis terræ. Nam Reverendos Patres Dominos Fratrem Heliam de Ordine Fratrum Minorum, tunc Archiepiscopum Nicosiensem, Magistrum in Theologia, tituli Sancti Vitalis: Guidonem de Bolonia Archiepiscopum Lugdunensem, in tituli Sanctæ Cæciliæ, qui postea fuit Episcopus Portuensis: Aymericum Episcopum Carnotensem, profundissimum Juris utriusque Doctorem, in tituli Sancti Martini in Montibus: Andream de Florentia Episcopum Tornacensem, Juris utriusque Doctorem, in tituli Sanctæ Susannæ: Stephanum Episcopum Claromontensem, Juris civilis Doctorem, in tituli Sanctorum Johannis & Pauli, qui postea fuit Episcopus Ostiensis, & deinde Papa:

Papa: Hugonem tunc electum Tutelensem, ejusdem Domini Papæ germanum, Monachum Ordinis Sancti Benedicti, in tituli Sancti Laurentii in Damaso: Ademarum tunc Sedis Apostolicæ Notarium, Juris utriusque Doctorem, in tituli Sanctæ Anastasiæ: & Fratrem Geraldum, Generalem Magistrum Ordinis Prædicatorum, & sacræ paginæ professorem, in tituli Sanctæ Sabinæ Presbyteros: & Bernardum de Turre in Sancti Eustachii; ac Guillelmum Judicis, ejusdem Pontificis ex una sorore nepotem, Doctorem in jure civili, in Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diaconos Cardinales assumsit. Ad gratum hunc Domino & omnibus Pontificem Summum cuncti Reges & Civitates & Populi mittunt solemnes Nuntios. Sed Romanus Populus eos solemniores destinavit, videlicet decem & octo Cives eorum: sex videlicet de quolibet statu Urbis majori, medio & minori; per quos, licèt illis plura commiserint, de tribus tamen principaliter supplicarunt. Primò videlicet quod Senatum, Capitanatum, ceteraque Urbis Officia, quæ sibi tunc ad ejus dumtaxat vitam, tamquam Domino Petro Rogerii, non ut Clementi VI. Summo Pontifici, per eorum Procuratores & Syndicum præsentabant, acceptare benigniter dignaretur. Secundò autem quod sibi placeret, Civitatem Romanam, & sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam, quæ mater Ecclesiarum omnium Urbis & Orbis existit, ac prima & propria sedes ejus, tam longè (proh pudor!) sessore privatam, seu quæ tamdiu sponsi sui visione caruerat, visitare. Tertiò verò, quum propter statum fragilem humanæ creaturæ rarò quis valeat ad annum suæ vitæ pervenire centesimum, annum, quem Dominus Bonifacius VIII. Papa visitantibus peregre prædictam Civitatem, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ecclesias per certum dierum numerum peccatorum omnium statuit remissionem, commutare, sive ad annum quinquagesimum misericorditer reducere dignaretur. Ad quas quidem petitiones per tres dictorum Ambassiatorum, scilicet per magnificum virum Stephanum de Columna Senatorem dictæ Urbis illustrem, ac venerabilem virum Dominum Franciscum de Vico, & nobilem virum Lellum Petri Stephani de Chosecis Syndicum dictæ Urbis, ac Magistrum Ostiariorum dicti Papæ, procuratorem ad hæc per dictum Populum specialiter constitutum, plusquam eleganter expositas idem Papa ad duos menses postea multùm grate respondit, præterquam ad visitationem Urbis, quam multis & coloratis rationibus prolongavit, vel verius denegavit. Urbis enim Officia, quòd non præjudicaret eidem, conditionaliter acceptavit. Accessum ejus ad Urbem non posse tunc, licèt velle, se afferens, ad tempus possibile reservavit. Quinquagesimum verò tunc & in posterum per Decretalem illam, quam Papa tunc noviter edidit & dictavit, quæ incipit *Unigenitus Dei Filius*, firmiter in perpetuum ordinavit: pro ut in suo Sermone, cujus thema fuit illud, quod scribitur ad Romanos: *primò* videlicet *desidero vos &c.* usque *fidem vestram atque meam* inclusive; per quem modum, & in quo per facundam eloquentiam, & profundam scientiam, ac abundantiam seu clementiam, vicit & transcendit clarissime semetipsum, poterit, scire hoc desiderans, intueri. Post paucum verò temporis, adeo quòd hoc etiam Decretalis illa complectitur, Lateranensem Ecclesiam Sedem suam in

A eadem Indulgentia prædictis Apostolorum Ecclesiis aggregavit, & omnium eam peccatorum remissionis plenissimo privilegio in Quinquagesimo visitantibus decoravit, & ipsos Ambassiatores multipliciter munificus Dominus honoravit. Hoc anno Primo dictus Pontifex prædictum Reverendum Patrem Dominum Andream tituli S. Susannæ Presbyterum Cardinalem pro reformanda pace inter Dominos Aragonensem & Majoricarum Reges destinat, ut Legatum. Qui bonum faciens legationis principium, tamdem vocatus à Domino in Perpiniano Regni Majoricarum Castro viam est universæ carnis ingressus. Anno ipso Pontificatus ejusdem dictus Pontifex ad pacem semper intentus, Dominum Bertrandum tituli Sancti

B Marci Presbyterum Cardinalem ad dictos Reges pro eorum facienda concordia Legatum similiter destinavit. Qui licèt satis vellet, & multa sciret, Reges ipsos de pace, vel treugis concordare nequivit. Quo postea Curiam repetente Romanam, idem Papa non quietus in mente, Dominum Bertrandum tituli Sancti Cyriaci in Thermis Presbyterum Cardinalem ad eosdem Reges destinavit. Et tamdem eos de treugis biennalibus concordans, statim in Romanam Curiam remeavit. Idem Pontifex contra Ludovicum de Bavaria, Dei & Ecclesiæ inimicum, ad Ecclesiæ gremium redire nolentem, sententias aggravat & processus.

C Hoc eodem Pontificatus ejus anno Secundo, anno Domini MCCCXLIII. moritur vir inclytæ conversationis Dominus Robertus Siciliæ Rex. Cui successit in Regno Domina Johanna neptis ejusdem Regis ex primogenito filio suo quondam Duce Calabriæ, quam idem Rex Domino Andreæ quondam Regis Hungariæ filio dederat in uxorem. Quod matrimonium per ipsum Regem ad statum tam Regni quàm hominum ordinatum ad instar virgæ Moysi, quæ in colubrum est conversa, dissensionis & turbationis exstitit, & destructionis per consequens caussativum. Quod nisi prolixitatis frenum stilus abbreviet, forsitan infra patebit. Hoc eodem Pontificatus ejus anno Secundo, Nativitatis verò Dominicæ MCCCXLIII. Pon-

D tifex idem in jejuniorum Quadragesimalium tempore, ultra Rhodanum in domibus quondam Domini Neapolionis Cardinalis existens, duas in domo Domini pro firmiori sustentatione Fidei columnas erexit, seu juxta thema propositum per eumdem, pro dirigendo securius grege sibi commisso duas sibi virgas assumsit, quia Reverendos Patres Dominos videlicet Petrum Bertrandi de Columberio Viennensis provinciæ, tunc Atrebatensem Episcopum, Licentiatum in Jure Canonico & Civili, sani consilii virum, tituli Sanctæ Susannæ Presbiterum Cardinalem, & Nicolaum ejusdem Pontificis nepotem, tunc electum Lemovicensem, in Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconum

E Cardinalem elegit, & eos in medio fratrum in honore locavit. Qui quidem Dominus Petrus de Columberio factus est postmodum Ostiensis & Velletrensis Episcopus juxta cursum Collegii; fuitque tantæ virtutis, tantumque zeli fervorem habuit ad Ecclesias suas, quod pro jurisdictionibus & honoribus Ostiensis Ecclesiæ conservandis labores mentis & corporis, expensasque non metuit, sed hæc omnia constans & intrepidus animo cum liberalitate subivit. Et de Avinionensi Civitate, ubi tunc Romana Curia residebat, usque Romam pro benedictionis, inunctionis, & coronationis Impera-

A peratoris & Imperatricis Romanorum solemniis, quæ ad Ostiensem, Portuensem, & Albanensem Episcopos Cardinales, distinctis singularibus actibus inter eos, pro ut est in Libro, qui Pontificalis dicitur, & in Ostiensis Summa describitur, pertinent, celebrandis, aliis remanentibus, ipse solus accessit. Et ubique vadens & rediens honoratus, usus insuper pallio, prærogativâ ejusdem Ecclesiæ Ostiensis fungens, omnium ibi prædictarum solemnitatum ministeria laudabiliter & solemniter adimplevit. Propter quod exemplariter nomen suum ejus fratribus est narrandum, & ipse in seculum in medio Ecclesiæ collaudandus.

B Clemens hic Pontifex in anno Domini MCCCXLIV. Pontificatus ejus verò tertio generosum virum Dominum Ludovicum de Hispania Insularum Fortunatarum de novo Principem statuit. Hoc eodem anno Pontificatus ejus Tertio, in dictum Regnum Siciliæ, non ex eo quod Væ terræ, cui Rex puer est, & ne vacillanti sæpius muliebri regimini subjaceret, verùm ex hoc maxime ne sacrosancta Romana Ecclesia ejusdem Regni gubernationis de jure pertinentis ad eam in eo casu titulum perderet, per eumdem Pontificem Legatus unus de latere destinatur, scilicet Aymericus tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis. Qui infra annum legationis suæ, C anno scilicet Quarto Pontificatus Pontificis prædicti, per Urbem ad Romanam Curiam est reversus. Et utinam ibidem diutius stetisset, quia fortè ea, quæ postmodum facta fuerunt, facta non fuissent. Et sibi Dominus Guillelmus Amici Carnotensis Episcopus, sicut in Episcopatu prædicto, sic in hujusmodi commissione successit. Cujus tempore Papa decrevit, & eidem Cardinali Legato gubernatori primò, quod quidem exsequi non potuit, quia jam de Regno discesserat, ac demum secundò eidem Episcopo Carnotensi commisit, quòd prædictus Dominus Andreas in Regem, & uxor sua in Reginam coronentur. Sed quum dictus Rex (proh dolor!) bullam suæ coro- D nationis expectat, bellum suæ destructionis ingreditur, quod incautus ignorat. Nam ex nonnullorum nequissimis machinationibus præviis in camera sua, dum cum Regina prædicta in Civitatis Aversæ Castro regio moratur, noctis tempore capitur, & foras cameram detestabiliter trahitur, & injuriis, martyriisque diversis afflictus, per suspendendos juridice Rex juvenis & innocens, suspendii morti datur. Et sic cecidit corona de capite ejus. Væ autem illis, qui peccaverunt. Post hæc dictus Episcopus Carnotensis ad Curiam Romanam rediens, dedit plenam informationem super præmissis Romano Pontifici. Tamdem Romanus Pontifex habito consilio cum fratribus suis, in E patratores & fautores sceleris antedicti processus rigorosissimos publicavit, & sententias fulminavit.

Anno Quarto Pontificis ejusdem, scilicet MCCCXLV. egregius Princeps Dominus Humbertus Dalfinus Viennensis efficitur Vexillifer & Capitaneus contra Fidei hostes in partibus Romaniæ, & Crucis etiam prædicatione suffultus, & armigerorum copiis ad partes illas accessit. Nec primis ejus ultima responderunt: quoniam post paucum temporis rediens, seque jam ad procreandam sobolem impotentem sentiens, militiam secularem abjiciens, Clericalem amplexus est, & per eumdem Papam in Alexandrinum Patriarcham præficitur, & sibi Remensis Ecclesia commendatur. Qui &c. (*a*) Eodem anno obstinatam jamdiu pravitatem Bavaricam satagens exstirpare, jussit Electoribus Romani Imperatoris, ut idoneum eligerent ad Imperium obtinendum. Erat enim inter ipsos Electores pecus unum infectum, quod primò ex illa congregatione removit: videlicet Henricus Maguntinus Archiepiscopus, qui infectus hæresi reputabatur. Qui tamdem ab omni Pontificali honore depositus, & ab Ecclesia Maguntina absolutus, omni beneficio, officioque Ecclesiastico privatus est.

Anno Domini MCCCXLVII. Dominus Carolus primogenitus Domini Johannis Regis Bohemiæ illustris, adhuc suo patre vivente, cum ejusdem Pontificis voluntate & tractatu conscio omnium Cardinalium præhabito, per omnes Electores Imperii concorditer in Romanorum Regem & futurum Imperatorem eligitur, & in eodem anno per eumdem Pontificem coram multitudine fidelium copiosa publice prædicantem confirmatur. Summus hic Pontifex &c. (*b*) Post hæc autem, post aliquod temporis intervallum Ludovicus de Bavaria, qui se pro Imperatore gerebat, dum per saltum apros eques non currens insequitur, insidens equo subitò moritur. Sic igitur contradictore cessante, prædictus Dominus Carolus peramplius prosperatur. Iisdem temporibus Edoardus Rex Angliæ &c. (*c*)

Hoc tempore, anno Domini MCCCXLVIII. in multis mundi provinciis ac in Romana Curia tam Civium &c. (*d*) Sed adhuc majorem Clemens iste misericors clementiam & misericordiam omnibus est largitus. Universis enim & singulis Metropolitanis Orbe terrarum toto diffusis per se ipsos & eorum suffraganeos & Rectores Ecclesiarum impendendi beneficium absolutionis omnibus & singulis in parochiis eorum ex epidemia tunc morientibus & supplicantibus de eodem plenam concessit & liberam in forma Ecclesiæ per ejus literas potestatem. Anno Domini MCCCXLVIII. Clemens Papa in Vigilia Ascensionis Dominicæ assumsit Dominum Petrum &c. (*e*)

Anno Domini MCCCXLIX. nona die Septembris, circa horam primam terræmotus &c. (*f*) Anno eodem obiit Domina Johanna Regina Franciæ, uxor quondam serenissimi Principis Domini Philippi de Valesio Regis Franciæ.

(*a*) *Muratorius*: Heic repetuntur ea ipsa, quæ superiùs in Secunda Vita leguntur de cessione Delfinatus facta ab Umberto Dalfino Viennensi: nec non & illa, quæ de vindictâ susceptâ à Rege Hungariæ post mortem fratris sui, & de matrimonio Reginæ Johannæ cum Ludovico Principe Tarentino, ac demum de emtione Avenionensis Civitatis facta à Romano Pontifice, superius descripta habentur.

(*b*) *Idem*: De Canonizatione Sancti Yvonis superfluum est repetere id, quod supra in Secunda Vita legitur totidem verbis.

(*c*) *Idem*: Hostilem invasionem Anglici Regis in Regnum Franciæ habes descriptam ibidem.

(*d*) *Idem*: Heic iterum describitur pestilens epidemia, de qua jam actum supra in Secunda Vita.

(*e*) *Idem*: De Cardinalatus dignitate collata Pontificio Nepoti eadem heic narrantur, quæ superiùs referuntur.

(*f*) *Idem*: Ita & de terræmotibus in Regno Siciliæ & alibi.

ciæ. Hic summus Pontifex Decretalem illam, quæ distinguit vitam Cardinalium in Conclavi &c. (*g*)

Anno Domini MCCCL. serenissimus Princeps Philippus de Valesio Rex Franciæ moritur. Et successit ei in Regno Johannes ejus primogenitus Dux Normanniæ. Dominus Clemens Papa omnes Ecclesias, quæ propter epidemiam suis Pastoribus fuerant destitutæ, de personis idoneis restauravit, atque de Pastoribus novis renovavit. Sed & Collegium Cardinalium, quod ex mortalitate prædicta, quæ multos ex eis viros conscientiâ quidem & scientiâ reverendos absorbuit, admodum remanserat diminutum, laudabiliter instauravit. Nam & eodem anno in Temporibus jejuniorum Sanctæ Luciæ, sicut scriptum est, assumsit sibi duodecim, quos vocavit Apostolos, videlicet Ægidium Juris Canonici Doctorem, tunc Archiepiscopum Toletanum, in tituli Sancti Clementis; Fratrem Pastorem Ordinis Fratrum Minorum, Magistrum in Theologia, tunc Episcopum Ebredunensem, in tituli Sanctorum Marcellini & Petri; Raymundum tunc Archiepiscopum Tolosanum, in tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem; Pictavinum Juris Civilis Doctorem, tunc Episcopum Albiensem, in tituli Sanctorum duodecim Apostolorum; Petrum sacræ Theologiæ Magistrum, tunc Episcopum Altisiodorensem, qui primò fuerat Silvanectensis, in tituli Sancti Martini in Montibus; Arnaldum Juris Canonici professorem, tunc Appamiarum Episcopum, in tituli Sancti Sixti; Nicolaum Civem Romanum, Juris utriusque peritum, tunc Episcopum Urgellensem, in tituli Sancti Vitalis; Guillelmum Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Cæsaraugustanum electum, quem Dominus Papa à sua juventute nutriverat, in tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim; Ægidium Monachum ejusdem Ordinis, Magistrum in Thelogia, tunc Abbatem Monasterii Sancti Dionysii prope Parisius, in tituli Sanctæ Praxedis; & Fratrem Johannem tunc Generalem Migistrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ professorem, in tituli Sanctæ Sabinæ, Presbyteros; nec non & Raynaldum de Ursinis Civem Romanum, tunc Notarium Apostolicæ Sedis, in Sancti Adriani; & Johannem pronepotem felicis recordationis quondam D. Johannis Papæ XXII. tunc similiter Notarium Apostolicæ Sedis, in Sancti Georgii ad Velum-Aureum Diaconos Cardinales. Et sic in vita sua viginti quatuor Cardinales fecisse comperitur.

Anno MCCCLII. Pontificatus ejus Undecimo, hic Papa clementiâ totus ac liberalitate respersus &c. (*h*) Sunt & alia quædam, quæ si certo describi possent inchoationis ingressu, longum atque arduum exsequutionis haberent progressum. Illa igitur, quorum maxime recolo, sine cujusquam temporis expressione describam. Ac in primis occurrit Capella, quæ magnæ turri, de qua cameram faciebat, annexa est: quam usque à fundamentis usque ad primum girum turris ejusdem in honorem Sancti Michaëlis erexit, illamque fecit picturis pulcherrimis exornari. Deinde magni Consistorii locus, & parvæ Capellæ Papalis Palatii, quæ prædecessor ejus fundaverat. Nam illum & illas nimium scientifice fecit, & mysteriose depingi. Nec abscedunt ab oculis opera multa, quæ in Atrebatensi, Senonensi, & Rothomagensi Ecclesiis Clemens iste clementiæ puteus, & fons irriguus pietatis exercuit: quia bene redituatas Capellanias in earum qualibet ordinavit, multasque secretas ibidem & alibi nec tenues eleemosynas est largitus, & maxime in Papatu, in quo per alium modum etiam Pontifex iste misericordiæ pater domum sibi præparavit in cælis. Nam pro derelictis, orfanis, maritandis, & pauperibus viduis sustentandis, nec non & indigentibus nobilibus adjuvandis, & oppressis debitoribus omnibus relevandis, per mundissimas manus Reverendi Patris Domini Guillelmi tunc Archiepiscopi, nunc tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim Presbyteri Cardinalis, quem de tenendo secreto sacramento pariter & mandato perstrinxit, ultra centum millia Florenorum misericorditer erogavit. Adhuc Pontifex iste casus Mundi considerans, ante prædictum Benedictinum Palatium, aliud valde mysteriosum &c (*i*) Et demum exinde Corpus ejus juxta dispositionem ipsius apud prædictum Monasterium Casæ-Dei, quod ipse Pontifex in Ecclesia & domibus ampliavit, & Capellaniis bene dotavit, & possessionibus augmentavit quampluribus, decoravit honorifice, portatum fuit per Dominos fratrem & nepotes ipsius, Cardinales superius nominatos, nec non per alterum fratrem ejus Dominum Comitem Bellifortis, aliosque nepotes & consanguineos ejus, quos in Papatu bene noverat, nullo spreto, devotissime simul & dolentissime, nec minus ceremonialiter quam honorabiliter sociatum; sed virtutes ejus honorum obsequium non attingit, & in sepulcro novissimo, quod ipse in Villanova Avinionensis Diœcesis fieri sibi fecerat fabricari, quodque politissimi & pretiosissimi operis est, illuc delato, & in Capella, quam præter illas supradictas pinguissime redituatam ad hoc à fundamentis ibi construi fecerat, situato, sepultus est clementissimus ille Clemens, clementiæ speculum, caritatis hospes, misericordiæ pater, pietatis alumnus, liberalitatis minister, justitiæ pugil, æquitatis athleta, concordiæ sator, & pacis amator, modestiæ norma, religionis exemplar, amicitiæ fomes, anchora spei, fidei basis, complacentiæ mos, eloquentiæ flos, honor generis, & patriæ decus. Anima cujus requiescat in pace. Amen. Sedit annis XI. mensibus VI. & diebus XVI.

Ex additamentis ad Ptolemæum Lucensem, è Cod. Msto Patavino.

ANno Domini MCCCXLII. nona die Maji Avenione ad locum Prædicatorum Clemens VI. natione Lemovicensis de quodam loco, dicto Mestrio Lemovicensis Diœcesis, fuit in Romanum Pontificem assumtus, & coronatus XIV. Kal. Junii. Hic primò vocatus Petrus Rogerii, postmodum Monachus cujusdam Monasterii nuncupati *La Casa de Dio*, postmodum Abbas Fiscanus in Normandia, deinde Archiepiscopus Rothomagensis, deinde in Cardinalem, & ultimo loco in Papam vocatus, sedit annis decem, mensibus sex, diebus

(*g*) *Idem*: Ipsissimis verbis, ut supra, mentio heic fit iterum de Decretali spectante ad Vitam Cardinalium in Conclavi.

(*h*) *Idem*: Reliqua vide supra in Secunda Vita ejusdem Pontificis.

(*i*) *Idem*: Ita & hæc alia, quæ omitto, ne jam descripta denuo exscribam.

bus XXVIII. ab electione. Hic fuit vir magnæ divinitatis, scientiæ, atque fons sermocinorum. Hic largissimus fuit, atque in omnibus placidus & affabilis nec non conversabilis. Hic anno primo Pontificatus sui, temporibus jejunii Septembris, ordinavit Presbyteros Cardinales octo, & Diaconos Cardinales duos, videlicet Dominum Tutellensem suum fratrem germanum, primo Monachum Tutellensem; Dominum Guillelmum suum nepotem ex parte sororis germanæ; Dominum de Gardia suum consanguineum; Dominum de Turre de Avergnia; Dominum de Nicosia Archiepiscopum; Dominum Tornacensem de Florentia; Dominum Bononiensem; Dominum de Ciartis de Lemovicinio; Dominum Claromontensem de Lemovicinio, qui postea Innocentius VI. Papa; Dominum Ademarum Roberti Lemovicensem. Anno sequenti unum Presbyterum, & unum Diaconum Cardinales, videlicet Dominum Lemovicensem suum nepotem ex parte suæ sororis germanæ Diaconum Cardinalem, & Dominum Atrebatensem nepotem alterius Domini Petri Bertrandi quondam Episcopi Autissiodorensis Cardinalem Presbyterum. Hic concessit Romanis rogantibus, ut sicut eis Bonifacius Octavus quolibet anno Domini centesimo plenam Indulgentiam & remissionem peccatorum concesserat visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli, tantùm obtinerent in quolibet quinquagesimo quotiens eveniret. Hic instituit Episcopum Pragensem in Archiepiscopum Metropolitanum Bohemiæ. Postquam reconciliaverat Ecclesiæ prædecessor suus domum de Vicecomitibus Mediolanensibus, ex quibus unum fecerat Archiepiscopum Mediolanensem, & alterum in temporalibus Vicarium Ecclesiæ, licèt esset Tyrannus in pluribus Urbibus Lombardis, hic etiam acceptavit eosdem. Hic etiam Dominum Eloisium fecerat, atque coronaverat de Regno Insularum deperditarum, sed possessionem numquam habuit. Hujus tempore fere omnes Civitates, Terræ, & Castra Patrimonii Sancti Petri, Marchiæ Anconitanæ, & Romandiolæ se rebellaverunt Sedi Apostolicæ, & ipsius in illis partibus Rectoribus & Officialibus; & omnes devenerunt in manibus Tyrannorum. Videlicet Patrimonium in manibus Johannis de Vico Præfecti Urbis; Marchia in manibus Dominorum de Malatesta, & Galeotti de Arimino, Nolfii & Galassii, & ejus fratrum, nepotum Comitis Guidi de Montefeltro; Domini Alogiti de Fabriano nepotis Burgarutii de Mathelica; Sinudarii de Sancto Severino nepotis Domini Gentilis de Varano, nepotis Michaëlis de Monte Milano, nepotis Domini Pagani de Cingulo, Nicolai de Boscareto, filiorum D. Raymundi de Esio, & quampluriorum aliorum Tyrannorum. Romandiola verò in manibus prædictorum de Malatestis, Francisci Sinibaldi Capitanei Fori Livii, Domini Johannis de Manfredis de Faventia, & Bernardini de Polenta. Quas provincias prædicti Tyranni cum eorum sequacibus occupatas tenuerunt per tempora, ipso Papa vivente.

Anno Pontificatus sui quarto, Comes de Arbis Anglicus cum ejus alligatis Vasconibus guerram mortalem & durissimam invexerat manu potenti per Vasconiam Petragoricensem & Pictavensem provincias, & fecerat ferro & igne pæne illas partes devastari. Nec non simili modo Comes de Noratono Anglicus cum suis alligatis Britonibus in dicto Ducatu Britanniæ faciebat. Hujus tempore, & sub M. CCCXLVI. de mense Augusti Rex Oduardus Angliæ cum octingentis navibus bene munitis guerram in Normanniam illaturus applicuit, & viribus armorum Villam Caën, & innumerabiles Villas, Castra & loca in dicto Ducatu occupavit; ferro & igne pæne devastavit usque ad Sanctum Cloum prope Parisius, in quo loco dictus Rex Angliæ cum suo exercitu per diem totam & noctem sequentem castrametatus est. Post paucos verò dies, sequenti videlicet die Sabbati XXVI. mensis Augusti antedicti, Rex Franciæ una cum Rege Bohemiæ, Rege Navarræ, & Rege Majoricæ, cum innumerabilibus Ducibus, Comitibus, Baronibus, ac Nobilibus, nec non Communitatibus, armorum prœlium cum dicto Rege Angliæ & suis gentibus habuerunt. Denique dictus Rex Angliæ & suæ gentes bellum prædictum obtinuerunt, & dictus Rex Franciæ cum paucis apud Ambianum est receptus. Dictus autem Rex Angliæ per duos dies postea subtus tentoria diu noctuque in loco, qui dicitur Cresci, in quo fuit bellum, castrametatus est cum suo exercitu. In quo bello mortuus est Rex Bohemiæ, Dux Lotharingiæ, Comes de Lansano frater dicti Regis Franciæ germanus, Comes Flandriæ, & alii multi Comites & Barones, atque Nobiles Francigenæ; nec non, ut dicitur, plusquam duodecim millia hominum Gallorum in dicto bello ciciderunt mortui. De Anglicis verò pauci mortui fuerunt. Obtento bello prædictus Rex Angliæ cum suo exercitu versùs Villam Calesii iter assumsit, & dictam Villam obsedit, & ibi personaliter ipse Rex cum Regina, & filiis, atque suo posse in dicta obsidione stetit per XI. menses & XXVI. dies, donec ex vi, & ex compulsione famis dictam Villam liberam, & ad suam voluntatem & mandatum habuit; illò tunc progresso Rege Philippo Franciæ, & suis gentibus. Item durante dicta obsidione, gentes Regis Angliæ debellaverunt Regem Scotiæ, & suam gentem in territorio Eboracensi, in quo bello plusquam decem millia Scotorum mortui ciciderunt, & ipse Rex Scotiæ vulneratus, & captivatus, & conductus, & positus in Turri Londoniarum. Et hoc fuit de mense Octobris anno Domini MCCCXLVI.

Item durante dicta obsidione gentes dicti Regis Angliæ, quæ erant in Ducatu Britanniæ, habuerunt prœlium cum Duce Britanniæ, & suis gentibus. Ultimate dictum bellum Anglici obtinuerunt, & CCC. milites de gentibus dicti Ducis in dicto prœlio mortui ciciderunt, & dictus Dux vulneratus, atque conductus in Angliam, est positus in Turri Londoniarum. Item in MCCCXLVI. Comes de Arbi, qui erat Locumtenens dicti Regis Angliæ in Vasconia, cum suis Vasconibus, Anglicis, & aliis, quos de Anglia conduxit, habuit bellum in mense Octobri cum Comitibus & Baronibus, Nobilibus & Communitatibus pæne totius illarum partium Linguæ Auxitanensis, loco dicto de Albarano. Ultimate dictus Comes de Arbi, & suæ gentes dictum bellum obtinuerunt; in quo bello mortui fuerunt Comes Aimoneus de Pictavo, Comes & Capitaneus Francorum, cum multis aliis nobilibus; & circa tria millia inter mortuos & captivos de Francigenis. In dicto bello capti etiam fuerunt Comes de Insula Riconetus filius Comitis Pictavi, & quamplures

Plures alii Comites, & Milites, & Nobiles. Ceperunt dicti Anglici vi armorum post hujusmodi bellum Civitatem Pictavensem, Villam Sancti Johannis de Angelis, Tutellam, Bregeryatum, & multas alias Villas, & loca, die noctuque huc & illuc per illas provincias discurrentes, ferro & igne pæne omnia consumentes, cum infinitis captivis & spoliis in Civitatem Burdegalensem se cum honore postmodum recipientes. Hic Papa miserat Delphinum Viennensem cum Crucesignatis ad partes ultramarinas; sed modicùm relevavit Christianos. Item misit Dominum Hannibaldum Neapolitanum, & Claromontensem Cardinales ad tractandum pacem vel aliquam treugam cum Regibus Franciæ, & Angliæ. Qui Cardinales in tantùm studuerunt, quòd eorum operâ treuga triennalis inter dictos Reges ordinata exstitit; sed parùm observata specialiter in Vasconia & Britannia. Hujus tempore fames validæ fuerunt pæne per totum Universum. Item Anno Quinto sui Pontificatus etiam per universum Orbem terribilis mortalitas incœpit, adeo ut in illius fine de centum utriusque sexus personis juvenibus & senibus in aliqua vix decem, in aliqua verò Orbis parte vix quinque superviverent. Hujus tempore incœptum fuit Palatium novum cum Audientia magna, & Capella, atque turribus, & quasi completum; necnon magna Turris, quæ postmodum cremata exstitit.

Hic Anno VI. sui Pontificatus XVI. Kal. Junii canonizavit Sanctum Yvonem Presbyterum & Confessorem Britannicum. Item Anno VII. sui Pontificatus ordinavit Dominum Bellifortis suum nepotem germanum Diaconum Cardinalem. Hic approbavit processum & sententias latas contra Bavarum; & illo vivente ordinavit cum suis fratribus Cardinalibus de novi Imperatoris creatione: quod & factum est, privato Archiepiscopo Maguntino, qui dicto Bavaro hæretico adhæserat. Electores quoque, ad quos electio Romani Imperatoris pertinebat, de consensu & voluntate Sedis Apostolicæ elegerunt & nominaverunt in Regem Romanorum & Alemanniæ, ac Imperatorem, Dominum Carolum tertium filium Regis Bohemiæ. Quam electionem dictus Papa ratificavit & approbavit. Hic etiam Domino Philippo Regi Franciæ, & Johanni Duci Normandiæ de thesauro Ecclesiæ in eorum ~~guerris~~, ut dicitur, mutuavit, aliqui dicunt, quod donavit (k) circa VIII. millia Florenorum auri. Hic ditavit omnes fratres suos cujuscumque conditionis & status essent, tam de beneficiis Ecclesiasticis, quàm de thesauris & honoribus, atque officiis, & divitiis mundanis. Huius tempore Comes Aynoniæ pæne cum omnibus suis nobilibus in bello habito cum Frisonibus mortui ceciderunt in ipso territorio. Item Leodienses bellum habuerunt cum Brabantinis, in quo circa decem millia Leodiensium perierunt. Hujus tempore Rex Hispaniæ vi armorum Regem Bellemarinum Saracenum debellavit, cepitque per obsidionem Villam Seveliæ, supra quam fuerat subtus tentoria Rex Hispaniæ cum suo exercitu per duos annos vel circa. Hujus tempore etiam Dominus Luchinus de Vicecomitibus Tyrannus Mediolanensis, quasi omnes Civitates & Terras Pedemontis occupavit, & paulò post moritur. Dominus verò Johannes suus germanus, Archiepiscopus Mediolanensis, efficitur Dominus Mediolani & omnium Terrarum occupatarum per suos tyrannide. Hic Papa dictum Archiepiscopum & ejus nepotes excommunicavit propter occupationem factam per ipsos de Civitate & Comitatu Bononiensi, & Pedemontis; ipsosque postea pro pecuniis absolvit, ac ipsis dominium & regimen dictæ Civitatis Bononiensis pro XII. futuris annis nomine Ecclesiæ concessit, solvendo duodecim millia Florenorum anno quolibet Ecclesiæ Romanæ. Et simili modo concessit Civitatem & districtum Ferrariensem Marchionibus Estensibus, solvendo dictæ Cameræ anno quolibet decem millia Florenorum auri. Hujus tempore Andreas Rex Siciliæ & Apuliæ, & frater Regis Hungariæ, occiditur à suis domesticis de dicto Regno, consentientibus, ut dictum est publice, aliquibus Regalibus dicti Regni, & Reginâ suâ uxore Johannâ: propter quam mortem pæne Regnum totum fuit desolatum & destructum. Paulò post Rex Hungariæ cum infinitis gentibus armorum de consensu omnium Italicorum, & Communitatum, atque aliquorum Nobilium de dicto Regno prædictum Regnum manu potenti intravit, & pæne totum ad suas manus pervenit, capiendo Ducem Durachii, & ipsum decollari faciendo, dictamque Reginam cum Domino Loysio de Taranto, quem asserebat suum virum esse, in Provinciam ex timore dicti Regis fugando. Quod Regnum Apuliæ prædictus Rex obtinuit, & paulò post in Hungariam recessit, dimittendo in prædicto Regno aliquos Capitaneos suos cum gentibus armorum. Item præfato tempore dictus Papa duos Legatos ex latere, unum in Italiam & alterum in Hungariam, Cardinales pro pace inter dictos Regem Hungariæ & Reginam ac Ludovicum facienda, transmisit: Bolonienfem videlicet, & Neapolitanum. Qui Cardinales pacem inter ipsos posuerunt, & dictum Regnum Siciliæ & Apuliæ in manibus dictæ Reginæ, & Domini Ludovici nomine Ecclesiæ Romanæ possidendum, & in possessionem posuerunt dictum Dominum Ludovicum in Regem per Archiepiscopum Bracharensem Apostolicæ Sedis Commissarium in hac parte de dicto Regno coronatum. Hujus tempore Archiepiscopus Mediolanensis Tyrannus transmisit circa termille barbutas, ac totidem pedites cum consensu & adjutorio nobilium Gibellinorum de Tuscia ad occupandas Civitates & loca Tusciæ, quæ erant in communi. Sed ultimate profecit eis modicùm; nam prædictæ Civitates pacem cum prædicto Archiepiscopo habuerunt.

Hic Pontifex Anno IX. sui Pontificatus, tempore jejunii de mense Decembri ordinationem fecit de infrascriptis Cardinalibus, videlicet Ægidio Hispalensi Archiepiscopo; Guillelmo Cæsaraugustensi; Raymundo Tolosano; Pastore Ebredunensi, Archiepiscopis, & de Domino Episcopo Albiensi; & Nicolao Capoci Romano; Urgellensi Episcopo; Domino Appamiarum; & Raynaldo de Ursinis, etiam Romano Protonotario Papæ; Johanne de Caramagnia Protonotario; Abbate Sancti Dionysii; & Domino de Morino Generali Præ-

(k) *Muratorius*: circa octingenta millia, *apud Baluzium*.

Prædicatorum; ac de Petro Episcopo Autisiodorensi. Hujus tempore Philippus Rex Franciæ moritur, & coronatur primogenitus suus Johannes Dux Normandiæ de eodem Regno. Hujus tempore Dominus Guido Boloniensis Cardinalis de consensu Papæ, & motu proprio, ivit in Franciam suis expensis ad tractandam pacem cum dicto Rege, & Edoardo Rege Angliæ. Veneruntque certi Duces & Ambasciatores postmodum Avenionem tempore Innocentii VI. Anno Pontificatus sui primo ad perficiendum ea, quæ ordinata erant per dictum Dominum Cardinalem circa dictam pacem. Sed ultimate concordare non valentes ad eorum Regna recesserunt. Et hoc propter defectum partis Regis Franciæ denegantis observare, ut communiter dicebatur, ea quæ tractata, scripta, & sigillata, & per ipsos in manibus dicti Cardinalis jurata fuerant. Hujus tempore Rex Majoricæ ejectus fuit de suo Regno, & de Comitatu Rossillonis per Regem Aragonum. Qui Rex & Regina cum filiis suis Avinionem venit, & plures annos in Curia cum competenti statu permansit. Paulò post dictus Rex Majoricæ una cum suo posse Civitatem Majoricarum manu armata intravit; sed resistere non potuit gentibus Regis Aragonum, & captus exstitit per ipsos, & decollatus fuit; nec non omnes sui sequaces perierunt in manibus Regis Aragonum. Hujus tempore Rex Johannes de Francia fuit in Curia ad visitandum dictum Papam, quem Dominus Papa honorificè recepit, & per tres dies Bulla in forma pauperum aperta fuit generalis. Hic non modicùm diminuit jura, jurisdictiones, libertates, thesaurum, atque patrimonium Beati Petri, & Ecclesiæ Romanæ. Hujus tempore Pisani debellaverunt Florentinos super territorio Civitatis Lucanæ, & obsederunt dicti Pisani eamdem Civitatem per octo menses; & fame compulsi illam detinentes reddiderunt se dictis Pisanis, & Civitas fuit totaliter in eorum manibus. Hujus tempore quidam nomine Nicolaus Rentii de Urbe Romana Notarius sui industriâ, & sine consensu dicti Papæ, sed motu ipsius, & Populi Urbis, factus Tribunus & Dominus Urbis, regnavit per aliquod tempus in Urbe. Pugnavit ille tunc cum Columnensibus, & eorum sequacibus ad portam Sancti Laurentii dictæ Urbis, quos debellavit; & mortui ciciderunt Stephanus de Columna cum Johanne filio suo & tribus suis consobrinis, & quampluribus eorum sequacibus. Qui Tribunus post hæc aliqua præsumsit contra jurisdictionem Ecclesiæ facere: propter quod dictus Papa cum consensu suorum Fratrum Cardinalium, nec non aliquorum Nobilium de Urbe, dictum Tribunum in suo officio exclusit, ipsumque fugavit de Urbe. Ille verò se receptavit in Alamanniam apud Bohemiam, qui captus exstitit per Nuntios Caroli electi in Imperatorem Romanorum; & Avinionem dicto Papæ conductus, captivatus exstitit per tempora. Et per suum successorem Innocentium relaxatus & transmissus est post per dictum Papam ad suum officium reassumendum: quod & factum est. Ultimate paulò post per suos æmulos captus est in Capitolio, & ibidem trucidatus.

Hujus tempore Civitas Avinionis emta fuit pro Ecclesia à Regina Johanna, consentiente viro suo Domino Ludovico de Taranto, postea coronato in Regem Siciliæ & Apuliæ de consensu dicti Papæ, & Cardinalium. Hic die VI. Decembris in die Sancti Nicolai Anno Domini MCCCLII. Avinione in Palatio Apostolico ad Christum migravit. Sepultus est in Monasterio *de la Casa di Dio* Claromontanæ Diœcesis. Corpus portatum fuit in Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis Cathedralem, ubi stetit usque ad æstatem. Deinde asportatum in Monasterium Casæ Dei, ubi pridem fuit Monachus, quodque Cardinalibus comitantibus, in Capella ab ipso constructa compositum & tumulatum.

Ex Petro de Herentals Priore Floreffiensi apud Baluzium.

Clemens VI. qui prius Petrus Rogerii est nuncupatus, primò existens niger Monachus, deinde factus est Magister in Theologia, & postmodum Episcopus Rothomagensis, post Cardinalis & ultimò factus est Papa. Cœpit anno Domini MCCCXLII. Qui quum eodem anno circa Pentecostem faceret gratias generales in Avinione, tanta convenit multitudo Clericorum volentium in gratià pauperum impetrare, quod numerus Clericorum pauperum tunc in examinationibos diœcesum per universum Orbem fuit computatus ad centum millia Clericorum, pro ut ego personaliter ibidem tunc existens veridicorum relatione intellexi. Hic Papa in principio sui Pontificatus quum faceret reservationes Abbatiarum & Prælaturarum, electiones Conventuum & Capitulorum irritas habens, & super hoc sibi fuerit intimatum, quòd hujusmodi reservationes a suis prædecessoribus minime fuerint factæ, ipse fertur respondisse: *Prædecessores nostri nesciverunt esse Papa*. Ipse sontuosissimum tenuit statum, & multùm pomposum ac secularem, ut audivi, & pro parte cognovi. Fertur quidam tunc suam dicto Clementi dedisse supplicationem, addens eidem quosdam versus: qui, si ejus supplicatio admitteretur, ipsi versus legerentur recto ordine in laudem Papæ; si verò ejus supplicatio refutaretur, dicti versus legerentur ordine retrogrado in dicti Papæ vituperationem. Et sunt tales:

Laus tua, non tua fraus, virtus non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, numquam stat janua clausa.
Fundere res quæris, nec tua multiplicas.
Conditio tua sit stabilis, non tempore parvo
Vivere te faciat hic Deus Omnipotens.

Anno autem MCCCL. fuit annus Jubilæus per dictum Papam ordinatus & constitutus in Roma tamquam in loco dignissimo, in quo, ut ait Beatus Gregorius, ultro sex millia Corpora Sanctorum in qualibet die anni requiescunt, pro ut in prologo dicti Jubilæi dictus Papa Clemens asserit, qui sic incipit: *Ad memoriam*. Hic Papa Clemens dedit Romanis Bullam de dicto Jubilæo, in qua de consensu fratrum suorum Cardinalium, claves gerens cælestis Ecclesiæ universis & singulis pro prima vice, qua infrascripta dictæ Bullæ audient vel legent, largitur misericorditer quadraginta annos Indulgentiæ.

Clemens Episcopus servus servorum Dei &c. Quum natura humana ad statū magnæ senectutis minime perveniat, & hoc ratione suæ grandis fragilita-

gilitatis, qua incessanter vexatur, & de centum in centum annis in sancta Civitate Romæ sit Indulgentia plena, & remissio peccatorum, & pauci sint, quibus ad decrepitam ætatem liceat pervenire, propter quod a desiderio prædictæ Indulgentiæ quamplurimi remanent frustrati, auctoritate nostra, & potestate Apostolorum Petri & Pauli, qua fungimur, ex parte Dei omnipotentis, omnibus Christianis venientibus ad sanctam Civitatem patriarchalem, numerando a die, quâ alia Indulgentia fuit, & ab ipsa die completis quadraginta novem annis, totum Quinquagesimum annum Indulgentiæ & remissionis damus, & ut sequitur, impertimur. Quicumque igitur, qui peregrinandi caussa ad sanctam Civitatem patriarchalem antedictam accedere proposuerit, illa die qua de hospitio suo viam arripere voluerit, eligere possit Confessorem seu Confessores & in via & in locis aliis quibuscumque: quibus quidem Confessoribus auctoritate prædictâ concedimus plenam potestatem absolvendi omnes casus Papales, ac si persona nostra personaliter ibi esset. Item concedimus, quod si verè confessus in via moriatur, ab omnibus peccatis suis sit immunis & penitus absolutus. Et nihilominus prorsus mandamus Angelis paradisi, quatenus animam illius à Purgatorio penitus absolutam in paradisi gloriam introducant. Item volumus & ordinamus, quod omnes Archiepiscopi & Episcopi, absque hoc quòd à nobis vel superioribus licentiam eis petere oporteat, possint suas provincias exire, quum ad prædictam voluerint accedere Civitatem. Item concedimus de gratia speciali omnibus Rectoribus & Curatis, in exemplar sanctarum animarum datis, desiderantibus venire ad præfatam Civitatem Patriarchalem, quod ipsi possint suas Ecclesias, vol sua Beneficia per annum integrum arrendare. Et si contigerit eos in via ab hac luce migrare, volumus quòd titulus nostræ donationis illo anno roboris habeat firmitatem, & quod nullus impetrans generaliter aut specialiter aliquod impedimentum inferre audeat sub amissionis suæ impetrationis pœna, & maledictionis æternæ, & nihilominus ex tunc pro ut ex nunc suam gratiam annullamus. Item sancto Ordini Monachorum nigrorum & altorum concedimus privilegium speciale, videlicèt quòd moti devotionis affectu, volentes visitare dictam Sedem nostram, prædictam Indulgentiam assequantur; & si eorum Abbas nollet eos ad hoc licentiare, Monachus hujusmodi devotione ductus coram tribus antiquis possit eum requirere & repetere ab eodem, ut ad prædictam Indulgentiam, Sanctamque Sedem visitandam, licentiam sine difficultate conferat veniendi, nec non pretium sui victus, vestitus, & calceamenti ratione accessûs & regressus totius anni habeat dare. Quòd si hujusmodi ordinationis nostræ contemtor fuerit, prædictum ire volentem impediendo, maledictionem Petri & Pauli Apostolorum eidem imprecamur, & eum ab omni officio suo perpetuò deponimus & privamus. Item Moniales, si tamen illis, qui eas regunt, visum fuerit, eas fore licentiandas, licentiam habeant antedictam. Si verò Rectores earum aliquas ex eis ratione aliqua remanere judicaverint, unum psalterium qualibet septimana dicant, ut Deus eos, qui prædictam Indulgentiam acquisierint, dignetur in sua gratia conservare. Volentes quòd hujusmodi Moniales Indulgentiam habeant supradictam. Item illi, qui in decrepita senectute, vel alia incurabili infirmitate fuerint prægravati, si pro itinerantibus ad dictam sanctam Indulgentiam qualibet septimana tres Pater noster dixerint, prædictam Indulgentiam habeant pari modo. Si verò, quod absit, aliqui prædones, vespiliones, vel aliquis fur, vel cujuslibet alterius rei custos vel consors, vel etiam quicumque alii euntibus ad sanctam Civitatem, vel repatriantibus ab eadem impedimentum vel gravamen directè vel indirectè, juvando vel consulendo, ausus vel ausi fuerint opponere, propter quod obedienti filio, eundo vel redeundo molestia inferatur, maledictionem Apostolorum Petri & Pauli, quam eis imprecamur, se noverint incurisse. Et nihilominus, ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, volumus, quod qui hujusmodi devotionis sanctæ fractor exstiterit seu violator, nisi ad nos, seu nostros Pœnitentiarios Cardinales velocem habuerit recursum, & nisi in mortis articulo dumtaxat, præmissâ tamen damni illati satisfactione, absolutionis beneficio gaudeat quoquo modo.

Volumus insuper, quod omnes Romipetæ patriæ Romæ, Campaniæ, Tusciæ, Apuliæ, Calabriæ, Principatus, Terrælaboris, Italiæ, usque ad Pedemmontis, in prædicta Civitate per unum mensem sequentem residentiam faciant, qualibet die visitando Sanctum Petrum, Sanctum Johannem de Laterano, Sanctam Mariam vocatam le Majour, *Sanctum Laurentium extra muros, Sanctam Crucem in Hierusalem, Sanctum Sebastianum, ubi fuit dictum, & in Romana Curia scriptum:* „ In loco isto est divina promissio „ & peccatorum remissio, & claritas perpe„tua meritis Sancti Sebastiani, & propter „ catacumbas sanctas Apostolorum Petri & „ Pauli, & ratione Cimiterii Sancti Calixti, „ quod ibi est, & ratione centum septuaginta „ quatuor millium Martyrum, qui ibi sepulti „ sunt cum sexdecim summis Pontificibus, qui „ pro Cristi Fide martyrium pertulerunt. „ *Visitent etiam & Sanctum Paulum, qui veritatis exstitit lucidissimus prædicator. Provinciales verò & Gallici, Aragonenses, Castellani, & Catalani, Portugallenses, Navarri, Anglici, Hungarii, & ceteræ nationes, per quidecim dies in dicta Civitate continue resideant, prædictas Ecclesias visitando. Quum autem fideles prædicti ista devotione compleverint suas peregrinationes, ostendetur eis ex mandato nostro Sudarium Domini nostri Jesu Christi. Quo viso, ab omnibus peccatis suis sint absoluti, & Indulgentias habeant ab eisdem. Nosque ex parte Domini nostri Jesu Christi, cujus sumus in terra Vicarius, reducimus eos ad statum, in quo erant die illo, quo Baptisma susceperunt, de gratia speciali. Confirmamus insuper, & virtutis robore solidamus omnes gratias & Indulgentias quascumque ducentorum trium Pontificum, qui fuerunt ab Apostolo Petro citra, ab eisdem dictæ Civitati patriarchali erogatas: quæ gratiæ seu Indulgentiæ sunt innumerabiles, prout nobis constat per authenticas scripturas Doctorum, & originalia earum approbata. Volumus insuper, & de consensu fratrum nostrorum ordinamus, quod si aliqua persona de prædicta Indulgentia rediens, instigante diabolo consentiat alicui peccato, & in peccatis perseverando contingeret eam mori, ratione peccatorum, quæ de antea commiserat, quæ sub virtute Anni Quinquagenarii fuerunt ablata & indulta, nolumus quod pœna inferni sibi aliquatenus inferatur nisi ratione illorum, quæ postea fuerint perpetrata. Istam Indulgentiam auctoritate Petri & Pauli Apostolorum de quinquaginta in quinquaginta annis, præfatæ concedimus Civitati. Istud enim est jocale mirabile & pretiosum, ac etiam ab omnibus fidelibus deside-*

desiderandum, quod nos per manus dictorum Legatorum, videlicet Jacobi Savil, Bonifacii & Jacobi de Columna, & ceterorum Civium Civitatis Romanæ eidem Civitati misericorditer destinamus. Si quis autem temeritatis arrogantiâ ausus fuerit infringere prædicta, vel contra ea imprecari, excommunicationis sententiam & æternam maledictionem se noverit incurrisse.

Datum Avinione IV. Calendas Julii, Pontificatus nostri anno Tertio.

Prædicto autem anno, ut præfertur, instituto & publicato per totam Christianitatem, innumerabilis Populus utriusque sexus perrexit turmatim ad Romanam Civitatem pro prædictis Indulgentiis impetrandis & habendis. Cujus tanta fuit multitudo, quod, pro ut quidam Romipeta homo veridicus mihi narravit, cotidie infra dictum annum ad quinque millia peregrinorum intrantes & euntes Romam bene poterant computari. Anno autem Octavo Pontificatus dicti Clementis, videlicet anno Domini prædicto, discurrebant per diversas Alamanniæ provincias congregationes hominum utriusque sexus, se mirabiliter flagellantes, de quibus feci mentionem in titulo de Carolo Magno ultimo Imperatore. Horum verò Sectam dictus Clemens auctoritate Apostolicâ compescuit, & annullavit per suam Constitutionem, cujus tenor talis est, ut sequitur: *Clemens Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Maguntinensi, ejusque suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem. Inter solicitudines innumeras & immensas, quibus ultra vires ex Apostolicæ servitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissime insidet, & ad hoc attentius studia nostra convertimus & conatus, ut apud omnes Christi nominis professores orthodoxa Fides fulgeat, & sic catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ norma sine quocumque fictionis, simulationis, seu velaminis pallio pure & laudabiliter observetur, quòd à vinea Domini Sabaoth, cujus cura nobis licèt immeritis est commissa, vepres & urticæ tam periculosæ quàm damnabiles succrescentes evellantur radicitus & vulpeculæ, quæ ipsam demoliri nituntur, per Apostolicæ Sedis providentiam abigantur. Sane molesti nobis &c.* (a) Postquam verò prædictus Clemens Papatum tenuerat per decem annos, percussus apostemate in dorso, quum familiares sui ivissent prandere, solo Camberlano secum relicto, ipsius apostema erumpens, & cor ejus submergens, subitò exspiravit.

Ex Anonymo Scriptore, penes Baluzium.

Clemens VI. natione Lemovicensis electus in Papam anno MCCCXLII. in Cathedra Petri sedit annis XI. Anno primo sui Pontificatus in æstate fuit tanta aquarum inundantia fere per totum Mundum non à pluviis orta, sed undequaque scaturire, etiam in montium cacumine, videbatur, adeo quod loca mansueta occuparet, & in Civitate Avinionensi navigio iretur, & per muros multarum Civitatum, & præsertim Civitatis Coloniensis, à manibus scanderetur. Pontes & turres plurimæ ruerunt ab aquis suffossæ. Eodem anno de mense Januarii præfatus Papa, præsentibus Ambaxiatoribus Romanorum, in anno quinquagesimo futuro omnibus visitantibus Urbem concessit Indulgentiam plenariam, & annum illum instituit Jubilæum in perpetuum, quem olim Bonifacius VIII. statuerat de Centesimo in Centesimum, iste de Quinquagesimo commutavit in Quinquagesimum.

Dictus summus Pontifex anno secundo sui Pontificatus, Idibus Aprilis, processus contra Ludovicum Ducem Bavariæ innovans, ipsum penitùs reprobavit, monuitque Electores, ut ad electionem procederent. Eodem anno de mense Junii, Edoardo Rege Angliæ contra Philippum Regem Franciæ mare transituro prope Sclusam portum Flandriæ obviante, exercitus Francorum confligitur tanta strage, quod aqua maris plerisque diebus tincta sanguine videretur.

Dicti Pontificis tempore, anno MCCCXLVII. inter Philippum Franciæ & Edoardum Angliæ Reges prope Cressy confligitur. Ibidem Rex Bohemiæ, Comes Flandriæ, & quamplures Terrarum Domini propter Regem Franciæ advenientes occisi sunt, victoriâ cedente Anglis.

Subsequenti anno circa Purificationem beatæ Mariæ Virginis cœpit mortalitas Avinioni, durans ibi fere per annum. Et deinde per partes alias serpendo per totam Franciam, Italiam, & Alamanniam crassabat tam vehemens, ut vivi vix sufficerent mortuos præ multitudine sepelire, & multæ Villæ & loca multo tempore deserta manerent. Nascebantur hominibus ulcera sub axellis & in inguine. Ex iis natis post tertium diem supervivere non poterant. Aliqui etiam proprio sanguine suffocabantur. Hanc pestilentiam aliqui asserebant ex conjunctione aliquarum Planetarum ortum habuisse in signo Aquarii, cujus effectus viginti annis erat duraturus, & ex aëre corrupto, ita quod homines se mutuò inficiebant, sicut ad hoc erant dispositi secundùm complexiones.

Anno sequenti Judæi per totam Alamanniam fuerunt combusti, quibus impingebatur, quod fontes & puteos intoxicassent, & aliqui torti, id confessi fuerant esse verum.

Subsequenti anno, & septimo die Septembris, terræmotus fuit Romæ, & in multis Civitatibus Italiæ; tuncque Ecclesia Sancti Pauli Romæ ac plura alia ædificia ceciderunt. Hoc tempore Dalphinatus Viennesis venit ad manus Caroli primogeniti Johannis Regis Franciæ, ex ultimi Dalphini renuntiatione, qui ex Milite factus Patriarcha fuit Alexandrinus.

Anno Domini MCCCLI. visum fuit in Provincia portentum ignis in Cælo, quod à Philosopho appellatur Candela rotunda. Quo anno in Alamannia surrexit quædam Secta pestifera gentium, qui se pœnitentes Cruciferos seu Flagellatores appellabant. Confluebant hujusmodi ex diversis doctis cum indoctis, nobilibus cum ignobilibus, sine delectu personarum congregatis; & peregre euntes sub vexillo Crucifixi, triginta duobus diebus cum dimidio peractis, numquam in loco uno præterquam diebus Dominicis bina nocte quiescentes. Faciebant autem pœnitentiam mane & sero, nudantes corpora; solis femoralibus relictis, se flagellabant flagellis nodosis, acubus infutis cum tribus chordis ictus dantibus. Hæc Secta cœpit in superiori Alamannia, & ad inferiora descendens, demum ad partes Gallicanas. Et si prohibiti fuissent à Clero, minabantur se violentiam facturos. Fina-

(a) *Baluzius*: Reliqua vide apud Odoricum Raynaldum ad annum 1349. §. 20.

Finaliter verò nisi quia Dominus Papa sub sententia anathematis id prohibuit, mala plurima per eos attentata fuissent. Et quia ut præmissum est dictus Summus Pontifex Electores Imperii monuerat, ut ad electionem procederent, ideo Coloniensis, Treverensis, & Maguntinensis Archiepiscopi, Dux etiam Saxoniæ, & Johannes Bohemiæ Rex, in Villa Renso Treverensis Diœcesis, Dominum Carolum dicti Regis Bohemiæ primogenitum in Regem Alamanniæ elegerunt, qui postea in Oppido Bunnensi Coloniensis Diœcesis circa festum Sanctæ Catharinæ Coronâ Ferreâ exstitit coronatus, eo quod Urbs Aquensis, ubi hoc fieri est consuetum, & Frankenfordia, ubi electio celebrari consuevit, Bavaro tunc viventi adhærebant. Hic Imperator Anno MCCCLV. descendens in Italiam, Coronam Imperialem suscepit, & uxor ejus cum eo in Basilica Sancti Petri Romæ in die sancto Paschatis, statimque Romam exiens, Vicarium fecit Marchionem Montisferrati in Italia, & Episcopum Augustensem in Civitate Pisana. Verùm quia Populus Romanus per prius, Anno scilicet MCCCXLVII. nobilium Urbis regimine tyrannico conculcatus, quemdam Nicolaum Laurentii Notarium Urbis in Tribunum elegerat, qui Populi fretus auxilio, multos nobilium occidit, seque lavare faciens in concha, qua olim Constantinus Imperator mundatus est à lepra, ipso die sancto Pentecostes Miles factus, talem titulum sibi usurpavit: *Candidatus Spiritus Sancti Miles Nicolaus, severus, clemens, liberator Urbis, zelator Italiæ, amator Urbis, & Tribunus Augustus*. Iste gubernando Urbem, pacem multam in ea & in viciniis ejus fecit. Dominum Carolum electum & Electores coram se citari mandavit, docturos de jure suo. Et alia multa egit, quæ dignitati & juri Imperii derogabant. Tamdem habitum ignotum induens, Curiam quidem Domini Caroli in Bohemia adiit stuistaturum; sed ipsum agnitum, sibique præsentatum idem Imperator Papæ misit; qui ipsum Avinioni in carcere aliquandiu reclusit. Sed comperto quod adversùs Ecclesiam nihil attentasset, relaxatus dimittitur, & Romam rediens, à Populo tumultuante perimitur. Dictus Imperator vir fuit peritus literarum, & multarum linguarum, astutus, sagax. Qui Regnum Bohemiæ optime reformavit. In Italiam cum maximo veniens potentatu, ope & favore Urbani V. terribilis primò apparuit. Sed citò cum magna pecunia, sed majori infamia, reversus est ad patriam ad lares proprios. Obiit senex, quum imperasset annis triginta.

DE INNOCENTIO VI.

Prima Vita Innocentii VI. ex editione Bosqueti apud Baluzium.

INNOCENTIUS Papa VI. natione Aquitanicus, de loco de Monte, Diœcesis Lemovicensis, post dictum Clementem VI. immediate Avinioni fuit electus in Papam, decima octava die mensis Decembris, anno Domini MCCCLII. & die vigesima tertia dicti mensis fuit coronatus. Hic prius vocatus est Stephanus Alberti, fuitque Doctor Legum, existens Judex major Senescalliæ Tolosanæ; ab inde verò promotus ad Ecclesiam Noviomensem, deinde translatus ad Ecclesiam Claromontensem, demum per dictum Clementem Papam VI. assumtus in Presbyterum Cardinalem, habuitque titulum Sanctorum Johannis & Pauli. Postea autem fuit factus Episcopus Ostiensis & Velletrensis, & Pœnitentiarius Major. Postremò verò, ut præmittitur, electus in Papam; seditque annis IX. mensibus VIII. & diebus XXV.

Hic factus Papa, die XV. mensis Februarii, quæ fuit feria sexta quatuor Temporum, anni MCCCLIII. jam inchoati, fecit Presbyterum Cardinalem Dominum Audoinum Alberti Diœcesis Lemovicensis, nepotem suum ex fratre, tunc Episcopum Magalonensem; cui assignavit titulum Sanctorum Johannis & Pauli, quem per prius habuerat ipse. Hoc eodem anno tempore Paschali fuit translatum corpus Clementis Papæ VI. de Ecclesia Majori Avinionensi, in qua commendatum fuerat, ad Monasterium Casæ-Dei in Alvernia Diœcesis Claromontensis; quod etiam concomitati sunt usque ad sepulturæ suæ perfectionem quinque Cardinales, videlicet frater, tres nepotes, & unus consanguineus sui, quos ipse consortio & collegio Cardinalium aggregaverat, dum vivebat. Eodem etiam tempore fuit magnus concursus Populorum peregre venientium ad Monasterium Sancti Petri Montismajoris Diœcesis Arelatensis, ubi esse dicebatur Indulgentia magna, immo secundùm aliquos plenaria. Est autem talis Indulgentia anno illo, quo festum Inventionis Sanctæ Crucis occurrit feriâ sextâ, quemadmodum fuit anno prædicto. Hoc ipso tempore fuit aquarum inundatio maxima circum circa Avinionem, in tantum quod tam in Rhodano quàm in aliis aquis adjacentibus multi ex dictis peregrinis perierunt & submersi fuerunt. Tunc temporis omnes fere Civitates cum Castris & locis, quæ spectabant ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ, erant extra manus ipsius, tenebanturque, seu verius detinebantur & occupabantur per Tyrannos aut alios in dictæ Ecclesiæ præjudicium, detrimentum, & jacturam. Circa quod volens dictus Innocentius Papa providere, dareque ordinem, ut ad dictam Ecclesiam reducerentur, in sui regiminis principio misit ad partes illas Legatum suum de latere Dominum Ægidium Alvari Hispanum tituli Sancti Clementis Presbyterum Cardinalem, ut circa reductionem & recuperationem prædictorum intenderet & vacaret. Qui quum ad partes prædictas pervenisset, non invenit in omnibus Terris & Dominiis dictæ Ecclesiæ loca sub regimine ejus consistentia, in quibus caput suum tute posset reclinare, nisi in Patrimonii provincia locum & Castrum Montisflasconis, & in Ducatu Spoletano locum de Montefalco. Sed ab inde per Dei gratiam successivis temporibus satis dilatavit fimbrias suas, pro ut ex sequentibus apparebit. Dicto etiam anno, scilicet MCCCLIII. Carolus Rex Romanorum & Alamanniæ, Metis existens cum Curia sua, Comitatum Lucemburgensem, quem Wencezlao fratri suo dederat, constituit & ordinavit in posterum esse Ducatum. Eo etiam tempore duo Fratres minores, pro eo quia male sentiebant in Fide, & præsertim super articulo altæ paupertatis, Avinione combusti fuerunt. Anno verò eodem, scilicet XVII. die mensis Decembris, fuit eclypsis Solis, & duravit quasi per duas horas: quamdemum sequuta est tanta hyemis asperitas, ut fluvii magni per plures dies steterint congelati, & suc-

& successive tanta aquarum inundatio, quòd pontes, immo & turres quamplures subvertit. Præterea dictus Papa desiderans reformationem pacis inter Reges Franciæ & Angliæ, circa ipsam tractandam & prosequendam intendere voluit in propria persona, credens plus proficere, quàm si per alios fieret. Et ob hoc operatus est, quòd dicti Reges pro tunc ad ipsum hac de caussa miserunt Duces Borbonii & Lencastriæ, qui aliquandiu super hoc secum fuerunt. Sed post multa nihil factum est quo ad effectum, de quo agebatur, & quærebatur.

Dicto etiam durante tempore Petrus Rex Castellæ Blancam filiam dicti Ducis Borbonii duxit in uxorem: quam à principio tenerrime B dilexit, & meritò, quum esset pulcherrima corpore & moribus admodum adornata. Sed demum satis citò, dæmone operante, ipsam mirabiliter habuit ingratam & exosam; & hoc procurante, ut dicitur, quadam muliere, quam per prius dictus Rex adamaverat: quæ videns se per dictum Regem propter ipsam haberi contemtui, immo & totaliter derelictam, machinata est odium supradictum. Et hoc per medium seu ministerium unius Judæi, qui etiam adversùs dictam Reginam specialiter conspiraverat, pro eo quia ipsa videns, quod tam ipse quàm plures alii Legis suæ multipliciter frequentabant dictum Regem, habebantque multos favores & honores in Curia sua, C jam tractabat & disponebat, quod ab his retraherentur, immo & à Regno totaliter expellerentur. In quo eadem Regina minus se caute habuit, quum talia à principio debuerit aut ad tempus dissimulare, aut sic caute & occulte tractare, quòd omnino lateret eos, qui tangebantur, ne sequerentur quæ postea sunt subsequuta: modus autem apertionis & inchoationis odii & ingratitudinis hujusmodi fuit, ut dicitur, quòd dicta Regina dederat eidem Regi unam zonam auream pulcherrimam. Quam ipse admodum gratam habens, sæpius pro sui ornatu deferebat. Dicta autem mulier ipsius Reginæ æmula callide operata est, quod tam ipsa quàm dictus Judæus zonam ipsam habuerunt, & arte D magica sic fecerunt, quod unâ die festivâ & solemni, dum Rex ipsâ zonâ præcinctus esse crederetur, quasi totâ suâ præsente Curiâ visus est tam ab ipso quàm ab omnibus loco zonæ uno serpente magno & terribili præcinctus & circundatus. Qui hoc aspiciens, nec immeritò, fuit admodum territus & conturbatus. Dumque quæreret, quod hoc erat, fuit sibi responsum per circumstantes, inter quos erant forsitan aliqui consentientes in præmissis, quod hoc erat zona sibi pro munere & jocali data per Reginam conjugem suam. Propter quod ipsam ab illa hora in antea sic exosam habuit, quod noluit eam ulterius videre, aut secum conversari; præsertim quia illi, qui præmissa E tractaverant, Regi per ampliùs confœderati sibi continue assistebant, & ipsius animum adversus eam continue fortiùs inflammabant & concitabant. De quo nimiùm turbati fuerunt Magnates & Proceres Regni utriusque status, Ecclesiastici scilicet & secularis, honorem & statum dictæ Reginæ, quam sciebant fore innocentem, adversùs prædictos æmulos & alios quoscumque defendere & manutenere etiam manu armata contendentes. Quocirca Rex exarsit in iram nimiam, cœpitque tales immaniter persequi; & de facto multos ex eis trucidavit; aliquos etiam Prælatos de suo Regno

A fugere & exire coëgit; sicque totum suum Regnum terribiliter conturbavit. Quibus ad notitiam dicti Papæ deductis, ipse pro ut ad suum spectabat officium, circa eorum sedationem decrevit interponere partes suas; destinavitque ad dictum Regem Legatum suum de Latere Dominum Guillelmum Judicis Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, ad hoc ut dictum Regem cum dicta Regina conjuge sua pacificaret, regnicolas verò in Regno pacificato cum eodem Rege retineret. Qui ipsum Regem pertinacem reperit & ferocem, ac in nullo flexibilem ad alterum præmissorum. Reginam enim nec reconciliare voluit, nec admittere suas excusationes. Quæ etiam B non multo post lapso tempore dolore & tristitiâ obiit, vel secundùm aliquos dolose exstitit interemta. Fautores verò sui, inter quos erant tres naturales fratres dicti Regis, cum aliis multis, qui a facie ejus fugerant, & Regnum totaliter exiverant, pro tunc exules remanserunt. Et quia per prius eis in Regno manentibus, Rex occasionem sumserat, ipsos & alios, immo & totum Regnum conturbandi, ipsorum visâ absentiâ, præsertim dicto Legato ad hoc cooperante, satis pro tunc pacificatus exstitit & quietus. Quibus expeditis dictus Legatus processu temporis rediit ad Papam supradictum. Eodem etiam tempore currente fuit incendium terribile in Civitate Bituricensi, in tantùm quòd vix remansit in ea do- C mus integra ultra Ecclesiam Majorem. Quo durante fuit res mirabilis, quod quater ventus mutatus est, flatus suos validissimos dirigens versùs partem, ubi fortius ignis erat accensus: & illâ totaliter consumtâ mutabatur ad aliam, ac si humano opere mutaretur. In loco etiam Montis pessulani fuit tempestas validissima grandinis & lapidum grossorum ad modum unius magni ovi: fueruntque fructus, qui exstabant, consumti, arbores evulsæ, & tecta domorum quamplurimarum totaliter destructa, præsertim quæ tegulis cooperiebantur.

Anno autem MCCCLV. in Mense Octobris, D Edoardus Princeps Valliæ, primogenitus Regis Angliæ, mari transito venit Burdegalam, & ab inde cum magno exercitu bellatorum per Wasconiam transitum faciens, venit ad partes Tolosanas, & ulterius usque ad Capistagnum, amplius etiam progredi disponens, donec fuisset in capite Pontis Avinionensis. Quod, ut creditur, fecisset. Sed exercitus Regis Franciæ ipsum circum circa sequebantur, sic quod non poterat se juxta suum velle secure dilatare. Cæde autem & igne transeundo omnia vastabat, præsertim in regressu, quo aliquibus diebus cum suis gentibus mansit in Burgo Carcassonæ, & Civitatem obsessam tenuit satis strictè, in tantum quòd si diutius stetisset, fuisset magnum periculum de captio- E ne dictæ Civitatis, quæ tamen est fortissima & inexpugnabilis communiter æstimata. Hoc tamen erat propter carentiam aquæ. Putei enim vacui ab intra propter multitudinem occupantium & habitantium in ea erant, & quasi jam arefacti, & ab extra non erat, qui auderet egredi ad hauriendum aquas de fontibus aut fluvio, qui etiam propter temporis siccitatem pro tunc satis modicùm in aqua abundabant. Quæ ipse non advertens aut ignorans, æstimansque se nihil ibi posse proficere, sua castra ab inde movit, dictum Burgum incendio totaliter consumendo. Et idem fecit fere de omnibus aliis locis, ad quæ declinavit,

quæ pro tunc in via sua erant quasi aperta & sine clausura, licet ex tunc ut plurimùm multùm solemniter reædificata fuerint & fortificata. Et sic prædictus Edoardus, dictis & aliis damnis quamplurimis illatis, absque alio præliali congressu regressus est Burdegalam, ubi & in circumjacentibus locis mansit per illam hyemem & usque ad tempus veris. Eodem anno Petrus Rex Aragonum venit Avinionem ad dictum Papam, fuitque secum in festo Natalis Domini. In cujus nocte in Matutinis certos nobiles suos, qui secum venerant, in præsentia dicti Papæ militavit. Fecit insuper homagium eidem, & recognitionem in forma debita de Regno Sardiniæ, quod in feudum tenet a Romana Ecclesia. Eodem etiam tempore Carolus Rex Romanorum in Imperatorem electus de voluntate & consensu dicti Papæ intravit Italiam, Romam proficiscens, coronam Imperialem ibidem recepturus: pro qua sibi imponenda fuit missus per eundem Papam Dominus Petrus Bertrandi junior Episcopus Ostiensis Cardinalis, qui cum solemnitatibus debitis & consuetis ipsum coronavit. Quo facto, dictus Imperator in Alemanniam redit; sed transitum faciens per Pisas, habuit rumorem cum Civibus, qui contra ipsum & gentes suas hostiliter insurrexerunt; sed per Dei gratiam dato per ipsum bono ordine, licèt strages hinc & inde fuerint subsequutæ, tamen cum suis gentibus remansit ipse victor; fecitque justitiâ mediante magnam ultionem de his, qui in caussa & culpa fuerant prædictorum. Dum autem ad Alamanniam pervenisset, vocatis Principibus in Norembergh, multas leges edidit, & Constitutiones fecit, statum & utilitatem Imperii concernentes, ac tendentes ad pacem & concordiam inter ipsum & Ecclesiam conservandas; procuravitque quòd ad ipsius instantiam dictus Innocentius festum solemne ordinavit de Lancea & de Clavis Christi in Alamannia & Bohemia observandum & colendum temporibus successuris. Ipse enim Imperator mul um fuit curiosus & solicitus in Reliquiis undecumque congregandis: quas demum in magna veneratione habuit & eas magnifice adornando in Ecclesiis & Monasteriis Civitatis Pragensis honorifice collocavit. Eodem insuper tempore obiit Johannes Dux Brabantiæ, cujus filiam cum Ducatu recepit in conjugem Wencezlaus Dux Lucemburgensis frater dicti Imperatoris, licèt satis senem & in ætate provectam. Pro tunc etiam fuit Parisius crudeli neci traditus Carolus de Hispania Conestabularius Regni Franciæ, procurante & ordinante, pro ut dicebatur, Carolo Rege Navarræ ac consentiente Comite de Haricuria; cujus occasione Johannes Rex Franciæ fuit contra illos plurimum indignatus & commotus, ipsosque ambos cepit & captivavit; sed tamdem primum relaxavit, Terris tamen suis, quas habebat in Normannia, in arresto sub manu regia manentibus; & secundum capite truncavit.

Eodem etiam anno, qui pro tunc erat MCCCLVI. memoratus Edoardus Princeps Valliæ, tempore vernali de Burdegala recedens, Ducatum Aurelianensem invadit, ac cæde & igne omnia consumens, ibidem infinita intulit damna. Ad cui obviandum & resistendum dictus Johannes Rex Franciæ se mirabiliter disposuit, & cum magno & notabili exercitu sibi paulatim occurrit cum intentione & proposito ipsum debellandi. Quod

A quum ad notitiam Domini Innocentii Papæ pervenisset, misit ad eos Nuntios suæ legationis officio fungentes Dominos Taylarandum de Petragoriis Episcopum Albanensem, & Nicolaum de Capucia, tituli Sancti Vitalis Presbyterum Cardinalem ad hoc, ut si in quantum possent, eos pacificarent, vel saltem impedirent, quod bellum non committeretur inter eos. Qui ad ipsos pervenientes tractaverunt, & fecerunt quidquid potuerunt super ipsorum pacificatione. Sed tamdem nihil proficere potuerunt, nec etiam bellum impedire. Adeo enim dicto Regi assistentes pacificationem dissuadebant, & belli congressum consulebant, quod de opposito verbum audire re- B nuebat, immo per aliquos ex adstantibus tam dictis Cardinalibus, quàm aliis ad pacificationem tendentibus notam falsitatis & proditionis impingere non verebantur, minime considerantes, quod eventus belli dubius est, in belli congressu assertive se tenebant debere esse victores pro eo maxime, quia erant in numero multo plures, erantque quasi in medio dicti Regni; & sic si & ubi expediret, adventus majoris succursus erat ipsis opportunus & facilis, suo verò adversario quodammodo impossibilis videbatur. Qui etiam hoc perpendens bene & considerans, ad bonam pacem & concordiam flectebatur, offerebatque se velle recipere & facere multa & magna, C quæ etiam justa & rationabilia tractatoribus videbantur. Sed eis repulsis, Domino sic permittente, die XVIII. mensis Septembris anni prædicti juxta Civitatem Pictavensem bellum inter eos commissum est. Cessitque victoria Edoardo Principi, dicto Rege & suis fere omnibus captivatis, cæsis, aut in fugam conversis. Quod fuit admodum mirabile & stupendum, attento maxime quod pro uno ex victoribus victi erant decem & ultra. Eorum etiam apparatus tam in armis, quàm equis, & aliis ad bellum necessariis & opportunis erat multò solemnior & validior, & ad vincendum alios magis dispositus in cunctis. Sed talis fuit voluntas Dei seu ordinatio, cui resistere D nemo potest. Hoc autem expedito, dictus Rex captivus ductus est Burdegalam cum sua nobili comitiva, & ab inde transvectus in Angliam. Dicti verò Cardinales multo tempore, magnoque labore intenderunt circa dicti Regis liberationem, & cum suis adversariis pacificationem tam citra Angliam, quàm intra. Qui ipsam hac de caussa demum intraverunt, dictum Regem processu temporis subsequuti. Sed tamdem in nullo effectualiter proficere potuerunt. Eodem anno in festo Beati Lucæ Evangelistæ fuit magnus terræmotus in Civitate & territorio Basiliensi; unde Civitas ipsa pæne tota corruit & fere octoginta Castra, & turres circum dictam Civita- E tem ex hoc ad terram sunt prostrata; duravitque quasi per totum illum annum, licèt non continue, sed per dilucida intervalla, circa Argentinam, Spiram, & Treverim, ac alias Civitates prope Rhenum descendendo. Fuitque terra in pluribus locis aperta, ex qua alba aqua fervens & sulphurea abundanter emanavit. Quæ etiam loca admodum fortia ad terram prostravit. Et ex hoc demum subsequuta est aliarum aquarum abundantia maxima, turres & muros diruens: & deinde fames valida & pestilentia magna, ex quibus Alamannia passa est damna infinita. Præterea eodem anno die XXIII. mensis Decembris dictus

ctus Innocentius Papa VI. creavit sex novos Presbyteros Cardinales, videlicet Dominos Petrum de Foresta Gallicum, tunc Archiepiscopum Rothomagensem & Cancellarium Regis Franciæ; Heliam de Sancto Aredio Diœcesis Lemovicensis, Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Episcopum Uticensem; Franciscum de Tuderto Italicum, tunc Episcopum Florentinum; Petrum de Monteruco Diœcesis Lemovicensis, nepotem suum ex sorore, tunc electum Pampilonensem; Fratrem Guillelmum Farinerii de Gordonio Diœcesis Caturcensis, tunc Generalem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum; & Fratrem Nicolaum Rosselli Catalanum tunc Inquisitorem hæreticæ pravitatis Provinciæ Aragoniæ.

Circa idem tempus insurrexit quidam Frater Ordinis Minorum de Conventu Aureliaci Diœcesis Sancti Flori, dicens se habere spiritum prophetiæ, qui de futuris dicebat, & in scriptis redigebat multa, vocatus Frater Johannes de Rupescissa. Qui quia potius vaticinator quàm propheta meritò erat censendus, ad dictum Innocentium Papam fuit adductus, per quem fuit carceribus mancipatus, in quibus permansit per totum tempus ipsius. Et licèt in dictis & scriptis suis reperta fuerint multa, quæ processu temporis contigerunt, propter quæ plures sibi fidem dabant, tamen etiam multa defuerunt. Et sic apparebat, quia non erat verè propheta, quia in illis, si talis fuisset, nullus fuisset defectus. Circa idem etiam tempus multæ contigerunt turbationes ac commotiones insurrexerunt inter diversos, ac in terris & regionibus multis. Et inter cetera fuit mota dissensio inter multos Fratres Ordinis Prædicatorum, & Fratrem Simonem de Lingonis, tunc Generalem Magistrum dicti Ordinis; ipsumque in quodam Capitulo generali à dicto magisterio de facto absolverunt illi, qui dicto Capitulo tunc præsidebant. Sed demum quia visum est dicto Papæ Innocentio, quod injuste ac indebite, ac mala intentione processerant, ipsum ad dictum Magisterium reponi ordinavit. Eodem tempore inter Ducem Brabantiæ, & Comitem Flandriæ orta fuit guerra occasione infeudationis Villæ Machliniæ factæ per Capitulum Leodiense dicto Duci. Fuitque bellum inter ipsos consertum. In quo victor exstitit dictus Comes. Cujus occasione Bruxella se reddidit eidem, & fere tota Brabantia idem fecit. Sed tamdem paulo post dictus Dux dictum locum cum tota terra sua etiam sine gladio recuperavit. Tolosæ etiam insurrexerunt Populares contra Magnates, & præsertim in Officiarios regios; inter quos erat Johannes Comes Armaniaci, Locumtenens regius in Lingua-Occitana. Quem occasione capitaggii noviter per ipsum impositi dicti Populares hostiliter insequuti sunt, ipsum cum aliis Officiariis trucidare quærentes. Sicque de facto fecissent, nisi se subitò in Castro regio Tolosæ, Narbonensi vulgariter vocato, pro sui tuitione reclusissent. In quo etiam ipsos per unum diem tenuerunt obsessos, igne ingenti supposito loco, ad quem se reduxerant pro majori sui securitate. Nec fuisset remedium, quin in eorum manibus incidissent, nisi nox, quæ ipsos retraxit, supervenisset. Ipsa autem adveniente & ipsi se reduxerunt ad propria, & prædictum Castrum & Villam confestim exiverunt. Duravit tamen dictus rumor in crastinum, & per plurimos dies post, in quo & multi innocentes mortui sunt, & domus quamplurimæ dirutæ. Facta tamen demum debita ultione de illis, qui talia perpetrarunt, fueruntque caussa commotionis prædictæ, ipsa cessavit, & dicta Civitas pacificata remansit. Eodem etiam quasi contextu contra Carolum Ducem Normanniæ & Delphinum Viennensem primogenitum Regis Franciæ, qui dicto patre suo tunc in captivitate detento regimen Regni tenebat, insurrexerunt Cives & Populares Parisienses, adhærentibus sibi, & consentientibus fere omnibus aliis ejusdem status Linguæ Gallicanæ. Et facto sibi quodam Capitaneo dicto *Jaques Bon-homme*; ipsum Ducem, ac sibi assistentes deliberaverunt interficere. Et hac de caussa una die iverunt ad Palatium regale, ubi ipse tutus esse credebat, pluresque ex dictis sibi assistentibus in sui præsentia interfecerunt; idemque de ipso, ut creditur, fecissent; sed pro sui securitate dato sibi unius ex eis capucio, subitò & occulte eorum manus evasit, & exivit Civitatem, quæ per aliquos dies sequentes in magna turbatione permansit. Et ex tunc memoratus Rex Navarræ ipsius dominium sibi conatus est usurpare; sed nequaquam iidem Populares sibi obtemperare voluerunt, sed in suo furore persistentes tam ibi, quàm fere per totam illam patriam cædes quamplurimas Magnatum & Nobilium fecerunt, & eorumdem Castra & fortalitia innumera totaliter diruerunt. Duravitque ista maledictio per aliqua tempora. Sed tamdem Domino disponente dictus Delphinus, aggregatis sibi gentibus armigeris, dictam Civitatem ad sui obedientiam redegit, & præfatos insolentes viriliter compescuit, pluribus ipsorum interemtis. Inter quos fuit eorum dictus Capitaneus: qui quia per prius se Regem Jaqueorum nominabat, fuit cum uno tripode ferreo candenti seu ignito coronatus, & demum pro ut meruerat occisus. Et sic cessavit hujusmodi tempestas.

Qua etiam durante provinciam Provinciæ invaserunt quidam sociales, nullum titulum habentes ipsam debellandi aut damnificandi, nisi tamquam prædones publici, & agrorum depopulatores, quorum ductor fuit & Capitaneus quidam Vasco, dictus Arnaldus de Servola, vulgariter Archipresbyter de Verniis nominatus; fueruntque quamplurimi nationum & regionum diversarum: & complentes illa, pro quibus venerant, fecerunt ibi damna infinita, Castra, fortalitia, loca, & Villas occupando, personas captivando, mutilando, verberando, & interficiendo, segetes & vineas & alia fructifera demoliendo. Et quum aliquandiu talia perpetrando ibidem stetissent, nec pro tunc ibi esset, qui eis resistere posset, tamdem gentes illius patriæ se unanimiter congregantes deliberaverunt inter se super modo, quem tenerent, ut sociales præfati ab inde expellerentur. Et quia per vim armorum visum fuit ipsis hoc non fore possibile, alium modum conceperunt, videlicet, quòd ipsis victualia & alia eis necessaria sic subtraherentur & vetarentur, quod necessitate arctati ab inde exire cogerentur. Feceruntque edictum generale sub formidabilibus pœnis, quod bene & diligenter omnes custodirent munitiones suas, victualia quæcumque, & pecora in eis introducerent: quæ verò custodiri, servari, aut introduci non possent, diruerentur, cremarentur, aut alias consumerentur sic & taliter, quod prædicti se de aut cum ipsis aliqualiter juvare non possent, quodque pro redemtione captivorum, & si

si juxta qualitatem ipsorum pecuniæ eis darentur, victualia tamen, aut quodcumque genus armorum aut vestium, equitaturæ evectores, ferra, seu clavi, aut alia instrumenta apta seu disposita ad aliorum offensionem, sive eorum tuitionem seu conservationem nullatenus traderentur, etiamsi talia eis ministrando, & non aliter, captivi hujusmodi sperarentur liberari. Quod quidem edictum tali modo servaverunt, quod non multis lapsis temporibus fame & inedia ac multis aliis miseriis lacessiti, post perditionem & ruinam equorum nimiam, ac interitum plurimorum ex se ipsis, dictam patriam deserere & exire sunt coacti. Intraveruntque Regnum Franciæ, unde prius exiverant. Et ab istis primò sumsit originem nomen Socialium, quod saltem citra montes per prius ignorabatur. Habueruntque ex tunc usquequaque quamplurimos re & nomine satellites & sequaces. Qui in pluribus partibus dicti Regni per plures annos post vagantes, in eis damna infinita intulerunt tam in personarum captivatione, quàm locorum occupatione. His etiam pendentibus, ad obedientiam dicti Innocentii Papæ & Romanæ Ecclesiæ reducta est Civitas Bononiensis cum aliis pluribus tam locis, quàm Castris ac eorum detentoribus; inter quos fuit Malatesta de Malatestis, qui illis, quæ per prius de pertinentibus ad dictam Ecclesiam occupabat, ejus voluntati submissis, venit Avinionem ad prædictum Innocentium, cum quo fuit plenariè reconciliatus. Et hæc facta sunt per ministerium memorati Domini Ægidii Alvari Cardinalis Legati in illis partibus existentis, qui tam per vim armorum, quàm aliàs virtute sua ad dictam obedientiam præfatos reduxit. Præterea Petrus Rex Castellæ guerram movit & suscitavit adversùs Petrum Regem Aragonum; suumque Regnum hostiliter intravit cum magno exercitu, igne & gladio cuncta consumens. Captâque Civitate Tirasonensi, multisque ex ejus civibus trucidatis, ac membris inhumaniter truncatis, obsedit Civitatem Valentinam. Evulsisque vineis & arboribus fructiferis, demolitisque segetibus ac viridariis & maneriis circumcirca ipsam existentibus, quæ admodum grata & delectabilia existebant, totaliter destructis, adeo eam arctavit, quod fuit in procinctu ipsam totalitet capiendi. Et de facto ut dicitur, sic contigisset, nisi Deus quodammodo miraculose obsessis de succursu satis inopinato providisset. In ipsius tamen adventu obsidionem levavit, & ad alia loca se convertit. Ad horum autem malorum sedationem procurandam præfatus Papa Innocentius destinavit ad partes illas Legatum suum de latere Dominum Guidonem de Bolonia Episcopum Portuensem Cardinalem, qui diu circa hoc laboravit & institit, & tamdem post multa dictos Reges ad pacem & concordiam reduxit. Et sic dictis malis pro tunc fuit impositus finis. Memorati etiam Sociales, seu alii eorum vitam sectantes, locum de Sancto Spiritu occupaverunt, impedire & turbare intendentes per terram & aquam, quod provisiones necessariæ pro Civitate Avinionensi & Curia ibidem existente, quæ ut plurimum per dictum locum aut ejus districtum habent transitum facere, ad eam nullatenus devenirent. De quo dictus Innocentius Papa cum tota sua Curia, nec immeritò, fuerunt plurimùm conturbati. Et ob hoc, ad obviandum eorum malitiæ, per ipsum Papam tamquam contra hostes Dei, Fidei, & Ecclesiæ, fuerunt facti processus, & data Cruciata, concessaque Indulgentia plenaria omnibus expugnantibus & persequentibus ipsos. Quibus per varias partes divulgatis, venerunt quamplurimi Crucis signaculo insigniti adversùs eos dimicare & certare disponentes. Quibus idem Innocentius constituit Capitaneum & ductorem Dominum Petrum Cardinalem Ostiensem superius nominatum. Sicque per Dei gratiam actum est, quod dicti malefici locum prædictum satis citò post dimiserunt.

Eâdem insuper tempestate durante, contra Johannem Comitem Pictavensem filium Regis Franciæ deputatum per eum ad regimen patriæ Linguæ Occitanæ, tunc in partibus Tolosanis existentem, insurrexit hostiliter Gasto Comes Fuxi, ipsum suosque sequaces & adjutores expugnando & persequendo. Inter quos fuere specialiter cives Tolosani; quorum quamplurimi una die incaute contra suum exercitum irruerunt. Fuerunt tamen devicti, multis ex ipsis immaniter trucidatis, reliquis captivatis aut fugæ remedio liberatis. Sed tamdem multis damnis & injuriis hinc inde illatis, licèt non æqualiter, quum dictus Gasto continue fortior extiterit, ad invicem pacificati fuerunt. Per idem tempus venit Avinionem Dominus Ricardus Archiepiscopus Armachanus in Hibernia secularis habitus, magnus & profundus Magister in Theologia. Movitque quæstionem & litem generaliter contra omnes Ordines Fratrum Mendicantium & eorum statum, tendens finaliter ad eorum exstirpationem, aut eorum in multis damnationem, pro eo quia, secundùm eum, in multis extendebant falcem suam in messem alienam, hoc est plusquam à jure eis permittitur seu conceditur, de pertinentibus ad Ecclesias parochiales earumque Rectores, sibi usurpando. Duravitque quæstio hujusmodi per aliquod tempus. Sed tamen indecisa remansit propter obitum suum, qui supervenit. De quo dicti Fratres potius de *Gaudeamus*, quàm de *Requiem* cantaverunt. Pro tunc insuper Rex Angliæ cum magno exercitu Regnum Franciæ multimode devastabat. Nec erat qui suæ posset resistere potestati. Et licèt per prius super pace & concordia inienda inter Regem Franciæ & ipsum se interposuerit Carolus memoratus Imperator & Metis existens, ac ibi suas tenens curias, certos pro parte cujuslibet ad sui præsentiam evocaverit, tractaveritque inter eos per aliquot dies ac fecerit quidquid potuerit circa ipsorum pacificationem, tamen quia nihil proficere valuit, habuit hoc relinquere imperfectum; sicque dormivit, seu cessavit labor circa tractatum hujusmodi per aliqua tempora; quibus durantibus, non mediocriter crescebant mala & damna memorata. Ad quæ nonnulli aspectum habentes, & specialiter Dominus Androinus de Rocha tunc Abbas Cluniacensis, ad id intendere & vacare decrevit. Et tamdem Domino sibi assistente post multos & varios labores in tantùm operatus est, quod dictos Reges ad hanc concordiam inclinavit & induxit. Videlicet quod Terris tunc tentis & possessis ubicumque citra mare per Regem Angliæ pænes eum remanentibus, jure superioris dominii Ducatus Aquitaniæ salvo remanente pænes Regem Franciæ, si & in quantum sibi per prius competebat, Ducatus ipse limitatus sub modo & forma infra descriptis, à cetero ad dictum Regem Angliæ

Angliæ pertineret, ipsumque possideret & teneret in perpetuum hereditario jure. Quòdque pro exsequutione hujusmodi concordiæ illa, quæ in dicto Ducatu pro tunc per dictum Regem Franciæ tenebantur & possidebantur, libere traderentur in manibus dicti Regis Angliæ seu deputandi per eum. Item quod dictus Johannes Rex Franciæ, qui pro tunc in Anglia captivus existebat, liberaretur pro certa summa pecuniæ in certis terminis exsolvenda. Quibus concordatis & appunctatis, & per partes ac illos, quorum intererat, approbatis, ad eorum exsequutionem isto modo fuit processum. Videlicet quod dictus Rex Franciæ ante omnia tradidit pro redemtione sua unam magnam summam pecuniæ dicto Regi Angliæ; quam quia pro tunc non habebat bene in promtu, recipere habuit nomine mutui sive doni â Galeazio de Vicecomitibus Mediolani, cujus occasione data fuit Bernabovi filio suo in conjugem filia dicti Regis cum Comitatu Virtutum sibi constituto & ordinato pro dote. Pro residuo verò dictæ summæ, ac complemento aliorum prædictorum, dati sunt per eumdem Regem obsides omnes filii sui, primogenito excepto, & quamplures alii Principes, & Magnates Regni sui, ac alii Nobiles statuum diversorum. Et his expeditis idem Rex fuit liberatus; venitque in Franciam, ac dedit ordinem circa traditionem & liberationem Ducatus supradicti; ad quod faciendum fuerunt certi deputati per eum & per Regem Angliæ alii, qui de mandato suo haberent ejus possessionem recipere vice & nomine Edoardi sui primogeniti, cui ipsum dederat, ac per eum volebat teneri & gubernari. Commissarii autem Regis utriusque processerunt ad integram & realem exsequutionem præmissorum: fuitque positus per ministerium prædictorum, dictus Edoardus pro tunc Princeps Valliæ in possessionem Civitatum & Diœcesum Agennensis, Condomiensis, Vasatensis, Pictavensis, Malleacensis, Lurionensis, Engolismensis, Petragoricensis, Sarlacensis, Lemovicensis, Tutellensis, Ruthenensis, Vabrensis, & Caturcensis, cum Civitate Montisalbani, & parte Diœcesis ejusdem, quæ per flumen Tarni dividitur à Comitatu Tolosano. Quibus expeditis dictus Edoardus Princeps venit in propria ad Ducatum memoratum. In quo, mutato nomine Ducis, Princeps Aquitaniæ voluit nominari. Dominatusque est cum maximo potentatu, cunctaque disposuit pro suæ libito voluntatis. Nec fuit qui adversùs eum cervicem erexerit, quantumcumque magnus, ex omnibus subditis suis; quos tamen in pace & quiete ac tranquillitate tenuit; & per septem vel octo annos principatus est inter eos.

Circa idem verò tempus (quo currebat Annus MCCCLX.) Engelbertus de Marcha Episcopus Leodiensis cepit Castrum Scacheyn Comitatus Lossensis, aliàs de Loven: cumquo etiam totus Comitatus prædictus ad Ecclesiam Leodiensem pervenit, Theodorico Comite dicti Comitatus sine herede defuncto. Raynaldus etiam Dux Gueldriæ commisso prœlio cum Edoardo fratre suo juniore capitur, & ipso in carcere detento, Ducatus ejus per capientem obtinetur. Fratres insuper Ordinis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Prussia, Kayscot Regem Lituanorum in bello capiunt: sed tamen captum retinere seu custodire nesciverunt. Nam de carcere eorum evadens, multa ipsis damna post intulit, & injurias irrogavit.

A

Anno sequenti, qui fuit MCCCLXI. fuit mortalitas magna quasi universaliter, sed præcipue in Regno Franciæ. Mortuæque sunt personæ quamplurimæ de bossis, antraxibus, carbunculis, & similibus ulcerationibus & inflaturis. Regnavitque hujusmodi pestis permaxime in locis & regionibus montanosis, quibus naturaliter consuevit esse purus aër. Quæ loca ut plurimùm non invaserat pestis alia, quæ regnavit Anno MCCCXLVIII. In hac etiam dicuntur esse mortuæ plures personæ notabiles & magni status quàm in alia, durationis ipsius tempore compensato. Non enim ultra sex vel septem menses duravit hæc: alia verò per annum & ultra. Isto etiam eodem anno, die XVII. mensis Septembris, quæ fuit feria sexta Quatuor Temporum, præfatus Innocentius Papa fecit ordinationem octo Cardinalium, videlicet quinque Presbyterorum & trium Diaconorum. Presbyteri autem fuerunt Dominus Frater Fortanerius Vassalli, Diœcesis Caturcensis, Ordinis Fratrum Minorum, tunc Patriarcha Gradensis; Dominus Petrus Iterii Diœcesis Petragoricensis, tunc Episcopus Aquensis; Dominus Johannes de Blandiaco Diœcesis Uticensis, tunc Episcopus Nemausensis; Dominus Ægidius Ayssellini de Monteacuto Arvernigena tunc Episcopus Morinensis, & Cancellarius Regis Franciæ; & Dominus Androinus de Rocha, natione Burgundus, tunc Abbas Cluniacensis. Diaconi verò fuerunt Dominus Stephanus Alberti, Diœcesis Lemovicensis, tunc electus Carcassonensis, pronepos Papæ; Dominus Guillelmus Bragose, Diœcesis Mimatensis, tunc electus Vabrensis; & Dominus Hugo de Sancto Martiali, Diœcesis Tutellensis, legum Doctor, Præpositus Doacensis. Tempore hujus Summi Pontificis, duo magni & illustres Principes Mundum & ejus pompam, seu vanitates reliquerunt: videlicet Dominus Petrus Infans Aragoniæ, patrinus Regis Aragoniæ, Comes de Pratis, qui Ordinem Fratrum Minorum ingressus est, & Dominus Carolus Comes Alenconii, consanguineus germanus Johannis Regis Franciæ, qui habitum suscepit Fratrum Prædicatorum. Dictus etiam Papa suo tempore fecit claudi & circuiri totam Civitatem Avinionensem muris ac turribus altis & fortissimis, ac vallibus seu fossatis ad extra. Ex quibus dicta Civitas, quæ per prius erat omnino aperta, effecta est fortissima, & ad resistendum quibuscumque eam expugnare volentibus multum bene disposita & parata: voluitque quod clausura hujusmodi haberet magnum ambitum, ad hoc ut processu temporis infra ipsam possent fieri nova ædificia, ex quibus dicta Civitas ampliaretur, includerentur etiam infra eam multa viridaria & loca amœna circa ipsam tunc existentia, ac etiam Hospitale miræ pulchritudinis, pro tunc noviter ibidem ædificatum & dotatum per Bernardum Rascasii legum Doctorem Civem Avinionensem. Ædificavit insuper idem Pontifex & dotavit in Villanova prope Avinionem domum Carthusiensem, Vallis Benedictionis nominatam, constituens in ea certum numerum Fratrum, seu Monachorum ejusdem Ordinis, pro quorum sustentatione multa bona deputavit. In Tolosa etiam, ubi à principio studuerat, fundavit notabile Collegium pauperum Scholarium, quod Sancti Martialis

voluit

voluit appellari. Pro cujus dotatione multa bona exposuit à Deo sibi data. Ipse fuit valde solicitus & curiosus circa recuperationem Terrarum Ecclesiæ in partibus Italiæ existentium. Pro qua expendit & exposuit pecunias infinitas, & per Dei gratiam non in vanum. Nam ut supra tangitur, pro majori parte suo tempore recuperatæ fuerunt, & in ipsis pro earum tuitione multa Castra seu fortalitia noviter constructa, & antiqua reparata. Circa etiam bonam & debitam expeditionem & prosecutionem aliorum omnium sibi incumbentium ac pertinentium ad officium sibi creditum cum magna diligentia vacavit & intendit, processitque in omnibus cum deliberatione & consilio tam Cardinalium, quàm aliorum peritorum; nihilque de contingentibus omisit, quamdiu potuit laborare. Fuit tamen multum oppressus & gravatus gutâ & podagrâ. Propter quod multoties fuit impeditus in prædictis, & præsertim in suis ultimis diebus; in quibus fuit admodum debilitatus & valetudinarius, quum esset satis annosus, immo & senio confractus. Semper tamen habuit bonam & rectam intentionem in suis omnibus agendis. Dilexit etiam pauperes, & eis libenter subvenit. Viros insuper literatos fovit, eisque bene fecit, & multos promovit. Justitiam manutenuit & conservavit, & in Curia specialiter voluit & ordinavit malos & insolentes puniri. Suo enim tempore insurrexit in Avinione quædam Societas, quæ Damperica vocabatur. Cujus sectatores de nocte incedentes, furta, stupra, & maleficia multa committebant. De quibus idem Papa justitiam satis rigidam fieri mandavit, sic quod multi ex eis, etiam qui se nobiles æstimabant, erantque apparenter satis magni status, submersi fuerunt, aut aliàs trucidati. Quorum exemplo alii perterriti aut fugerunt, aut à prædictis destiterunt. Et sic dicta Societas evanuit satis citò. Idem etiam Papa plures ex suis tam nepotibus, quàm consanguineis in Ecclesia promovit & exaltavit. Ad quod faciendum caro ipsum aliqualiter traxit & inclinavit. Tamen ut plurimùm boni & sufficientes fuerunt, & in statu eis dato bene & laudabiliter se habuerunt. Paucos habuit in statu laicali sibi multùm propinquos. Illis tamen sic bene fecit, quod post ipsum bene & honorifice cum eorum posteris vivere & stare potuerunt. Non tamen aliàs ipsos magnis dignitatibus aut honoribus sublimavit.

Tamdem verò post labores multos & anxietates innumeras, quas habuit tam in corpore quàm in mente, propter varias & plurimas infirmitates & turbationes, quæ suo tempore tam sibi, quàm toti Mundo, ut præmittitur, contigerunt, in pace quievit anno Domini MCCCLXII. die duodecima mensis Septembris, Pontificatus sui anno Decimo. Fuitque sepultus in Ecclesia Majori Avinionensi, demum transferendus ad dictam domum Cartusiensem Villænovæ, in qua vivens suam perpetuam elegerat sepulturam. Vacavitque Sedes diebus XLV. Et circa idem tempus paulo ante obierat Ludovicus Rex Siciliæ, Johanna Regina conjuge ejus remanente sine quacumque prole.

Secunda Vita Innocentii VI. Auctore synchrono quodam, Canonico Ecclesiæ Bunnensis in Diœcesi Coloniensi, penes Baluzium.

INnocentius VI. natione Lemovicensis, prius dictus Stephanus Alberti per Dominum Clementem primò factus Noviomensis, deinde Episcopus Claromontensis, ultimò tituli Sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis, & deinde Ostiensis Episcopus, & summus Pœnitentiarius. Mortuo Domino Clemente in die Sancti Nicolai, Cardinales intrarunt Conclave Dominicâ post S. Luciæ, & die Martis proxima hunc elegerunt. Qui coronatus fuit in Palatio Apostolico Avinionensi Dominica die infra Octavas Nativitatis Domini. Et statim eodem anno mittitur Legatus in Italiam Dominus Cardinalis Ægidius Hispanus ad recuperandum omnes Terras Ecclesiæ de manibus Tyrannorum. Et in subsidium recuperationis, indixit Decimas per totum Mundum. Sola Alamannia solvit subsidium loco Decimarum. Pro quo missus fuit Dominus Philippus Episcopus Cavallicensis, postea Cardinalis.

Hujus anno secundo duo Fratres Ordinis Minorum propter hæresim de Paupertate, & alia quæ male senserunt, Avinioni combusti sunt, feriâ tertiâ post Pentecostem. Eodem anno Dominus Carolus Alamanniæ & Bohemiæ, Metis curiam suam servans, Wenceslaum fratrem suum Ducem creavit Lucemburgensem de Martii mense. Circa idem tempus fuit ventus validissimus in partibus istis circa Mosam & Rhenum. Eodem anno die XVII. Septembris, horâ Tertiæ, fuit Eclipsis Solis durans quasi duabus horis. Hyems tam aspera fuit, ut fluvii quasi septem septimanis congelati starent, & carri magnis onusti ponderibus per glacies transirent. Egoque circa festum Sanctæ Agnetis eques bis transivi. Carolus de Hispania Conestabulus Franciæ occulte occiditur anno tertio Pontificatus.

Anno verò Domini MCCCLV. circa medium Martii tanta fuit aquarum inundantia, ut pontes & turres subverteret. Eodem anno Dominus Carolus Rex Alamanniæ & Bohemiæ descendens in Italiam, Coronam Imperialem de manibus Domini Petri Episcopi Ostiensis ad hoc missi, in Basilica Sancti Petri Romæ in die sancto Paschæ honorabiliter suscepit, & uxor ejus cum eo, statim Romam exiens eo die. Et Vicarium fecit Marchionem Montisferrati in Italia, & Episcopum Augustensem fecit Vicarium in Civitate Pisana. Eodem anno duo milites Avinionem venientes de Gasconia pœnitendi causâ, coram Pœnitentiario trucidati fuerunt per suos æmulos, nepotes quorumdam Cardinalium. Et non longe post Cardinalis Appamiarum, cujus nepos id perpetrasse dicebatur, obiit insperate. Eodem anno, die undecim millium Virginum, obiit Dominus Bertrandus Episcopus Sabinensis Cardinalis, qui fundavit Ecclesiam Sancti Desiderii Avinionensis, & dotavit pro Clericis, licèt post ejus obitum fuerit consummatum. Eodem anno captum proditorie Castrum Baucii Comitis Avellini prope Avinionem per quemdam Robertum Comitem Duracii. Qui tamen, licèt Cardinales foverent eum, coactus fuit illud reddere Comiti supradicto. Eodem anno Rex Angliæ, quum tractatus pacis cœptus per Cardinalem Boloniensem in Francia coram Papa perfici non posset, impugnare cœpit

cœpit Regnum Franciæ graviter circa Tolosam, ita quod studium in Montepessulano suspensum fuit ad tempus. Mense Octobris obiit Johannes Dux Brabantiæ. Cujus filia cum Ducatu data fuit uxor Domino Venceslao fratri Domini Caroli Imperatoris. Eodem anno tanta nix cecidit in Avinione, quod à festo Conceptionis beatæ Virginis usque post Nativitatem Domini perduraret (a). Mense Decembri excommunicatus fuit in publico Consistorio Franciscus de Ordelaffis invasor & occupator rerum Ecclesiæ. Eodem mense venit ad Curiam Dominus Petrus Rex Aragoniæ brevissimæ staturæ & deformis, caussâ componendi cum Ecclesia super Regno Sardiniæ, quod ab ipsa Ecclesia tenebat. Circa hæc tempora ad petitionem Regis Rassiæ missus fuit Episcopus Pactensis de Ordine Fratrum Carmelitarum, ad baptizandum ipsum & Populum. Sed illuc veniens, vacuus revertitur, eo quod non sincere petiit idem Rex, sed ut alleviaretur ab incursu Regis Hungariæ ipsum invadentis. Hoc tempore fundatum fuit Hospitale sanctæ Trinitatis Avinione per Dominum Bernardum Rascasii Militem Avinionensem. Fuit etiam erecta Capella extra Avinionem prope Ecclesiam de Miraculis, in loco qui dicitur Campusfloritus: ubi tempore Epidemiæ infinita corpora tumulata erant, quia non poterant in cimiteriis infra Civitatem reponi. Hic Papa fundavit in Villanova Avinionensis Dioecesis Monasterium Cartusiense. Et ad petitionem Domini Imperatoris festum Lanceæ & Clavorum Christi instituit per Alamanniam & Bohemiam, die Veneris post Octavas Paschæ celebrandum.

Anno Domini MCCCLVI. Pontificatus verò Quarto, Dominus Carolus Imperator, convocatione facta Principum in Nuremberga, multas Leges condidit. Eodem anno obsessam Papiam per Mediolanenses Dominus Marchio Montisferrati liberat. Eodem anno Dominus Johannes Rex Franciæ Dominum de Haricuria, & quosdam alios Nobiles Regni decollari fecit, asserens, eos traditionem tractasse cum Rege Angliæ, licèt ipse Rex excusaret eosdem. Unde credebatur veriùs, quod propter mortem Conestabuli supradicti, cujus dicebantur conscii, fecisset eos occidi. Eodem tempore infra Octavas Pentecostes Nuntii Imperatoris Constantinopolitani cum parva Galea applicantes juxta Ecclesiam beatæ Mariæ de Miraculis Avinionensis, offerentes, Dominum suum esse rediturum ad Ecclesiæ unitatem, ut sibi ab Ecclesia subsidium fieret contra Turcos. Eodem anno, die Martis post Octavas Pentecostes, mittuntur in Franciam Legati à latere Cardinales Petragoricensis qui & Albanensis, & Nicolaus de Capociis qui & Urgellensis dicebantur, pro sedandis discordiis inter Reges. Postea circa festum Palmarum Dominus Comes Flandriæ infeudatus per Capitulum Ecclesiæ Leodiensis de Machlinia ad Ecclesiam ipsam spectante; Dux Brabantiæ ex adversò se Comiti opposuit. Et castrametati sunt juxta Bruxellas: ibique conserto prœlio, Comite triumphante, Brusellenses se reddiderunt, & tota Brabantia cessit. Sed eodem anno Dux recuperavit totam Terram sine gladio. Eodem anno Dominus Papa Regem Hungariæ Vicarium Ecclesiæ constituit in Italia. Idemque Rex Venetos impugnans obsedit Tervisium, sed non profecit. Eodem anno Eduardus primogenitus Regis Angliæ Princeps Walliæ vastavit Ducatum Aurelianensem, Duce Lancastriæ Britanniam devastante, & Redonum obsidente. Eodem anno die Lunæ Decembris XVIII. Edoardo Principe prædicto primogenito Regis Angliæ, & Johanne Rege Franciæ prope Pictaviam cum suis exercitibus congregatis, ipso Rege, quum esset fortior, pacis fœdera, ad quæ se Princeps obtulit, & quæ Domini Cardinales præfati tractabant, admittere renuente, conflictum exstitit; & victoria cedente Principi, Rex ipse cum juniore filio suo Philippo captus est, omnibus aliis aut fugientibus aut occisis. Carolus verò filius senior, & Dux Aurelianensis frater Regis de prœlio evaserunt. Qui Carolus postea fuit Rex Franciæ post obitum patris sui. Anno eodem in superiori Alamannia fuit terræmotus in die Sancti Lucæ & pluribus diebus, adeo quod Civitas Basileensis tota periit in ruina, & castra circa eam circa octoginta ciciderunt, & montes & rupes hiulcis aperturis patuerunt, quæ toto anno ad clausuram minime pervenere. Homines illis diebus vagi in campis currebant, non audentes in Civitatibus & locis, ubi erant domus lapideæ permanere. Eodem anno fuit mortalitas & pestilentia cum caristia in multis locis Alamanniæ. Eodem anno Dominus Papa creavit sex Cardinales in Vigilia Nativitatis Domini, inter quos erat Episcopus Florentinus; & eodem tempore Rhodanus inundans, alveum suum exiens, loca plurima occupavit. Et similiter in Alamannia, & in partibus aliis fuit aquarum inundantia diu durans. Eodem tempore Dominus Carolus Imperator Parlamentum statuit Metis de pace tractanda inter Reges, sed non conclusit. Ibique Clerus Alamanniæ loco Decimarum subsidium obtulit se daturum. Circa hæc tempora in die Sancti Bartholomæi fuit terræmotus in Regno Portugalliæ, fortalitia subruens atque Castra.

Anno Domini MCCCLVII. Pontificatus Domini Innocentii anno Quinto inter Reges Castellæ & Portugalliæ ortâ guerrâ, Civitas Tirasonensis capta est per Regem Castellæ. Eodem tempore in Cœna Domini iterum fuit in Terra Basileæ gravissimus terræmotus. Et postea de mense Maji circa Spiram, Argentinam, & Treverim, ita quod in multis locis terra hiulca albam aquam & fœtentem evomens, Castra & loca fortia casui dedit & ruinæ. In festo Nativitatis Sancti Johannis Cardinales præfati, Calesii de pace tractabant inter Reges, Johanne Rege in Angliam captivo traducto. Mense Julio Miles quidam Gasco, dictus Archipresbyter, collecta Societate intravit Provinciam, & plurima damna fecit & strages: propter quæ totâ Curiâ Romanâ stupefactâ, Papa datâ pecuniâ, pro qua se Provinciales obligaverunt, ipsum abire fecit, & transitum per Avinionem concessit. Sed interim Papa stipendiarios multos tenuit, Civitatemque muris, & portis, ac fossatis munivit; ad quæ omnes Clerici in Curia Romana degentes contribuere cogebantur. Mittitur hoc anno die Sabbati XIV. die Octobris in Alamanniam Dominus Philippus Episcopus Cavallicensis, postea per Urbanum Papam factus Cardinalis, qui

(a) Baluzius: *in alio Codice legitur*; a festo Sancti Andreæ usque ad festum Nativitatis Domini perduravit.

qui promissum subsidium à Clero Alamanniæ sustulit & recepit. Et Episcopus quidam Gurcensis ad provinciam Salseburgensem mittitur pro eodem subsidio extorquendo. Die Lunæ XXIV. Octobris Dominus Sabinensis Legatus Italiæ revertitur, remanente pro eo ibidem Abbate Cluniacensi; & Malatestam Tyrannum secum duxit ad præsentiam Domini Papæ. Novembris die V. provisum Ecclesiæ Monasteriensi de persona Domini Adolphi de Marcha nunc Comitis Clivensis. Ejusdem mensis die VIII. Dominus Armachanus Archiepiscopus Primas Hiberniæ quæstionem cœpit coram Domino Papa contra omnes Ordines Mendicantium. Sed postea defunctus est, & quæstio consopita, nullo ulterius prosequente. Eodem tempore fuit pestilentia per Alamanniam, Bohemiam, & Turingiam; & guerræ quasi universales per totum Mundum. Rex Aragoniæ cum Rege Marrochiæ confœderatus est ad resistendum Regi Castellæ. Eodem tempore Dominus Petrus Episcopus Prænestinus Cardinalis Ecclesiam Sancti Petri Avinionensis erigi fecit in Collegiatam, & Choram & Claustrum novum fecit, & pro Canonicis reditus comparavit.

Anno Domini MCCCLVIII. anno Pontificatus sui Sexto, indictæ fuerunt Talliæ per Civitatem Avinionensem, pro quolibet capite medius Florenus. Et processus facti contra prædones Provinciæ. De mense Martii Archipresbyter cum Societate reversus in Provinciam, non obstante pecuniâ sibi solutâ, Civitatem Aquensem oppugnat. Dominus Papa tam pro defensione quàm munitione Civitatis, Gabellas imposuit, & concessit, quod pro qualibet butta vini solveretur unus Florenus. Et ne Tabernarii nimis perderent, mensuræ diminutæ fuerunt ad mensuram unius vitri, quorum octo faciebant unum picerium. De mense Aprilis Civitas Avinionensis Domino Papæ obedientiam promisit, quam à tempore venditionis distulerant. Et promissum fuit eis, antiquas libertates servandas. In festo Sancti Georgii Dominus Rex Angliæ solemnissimam curiam fecit suis Principibus. A qua reversus Willelmus Dux Hollandiæ, amens effectus & alienatus à sensu, clausus tentus est; venitque frater ejus Albertus pro Terra gubernanda. Circa hæc tempora propter violationem libertatum factam in Flandria mercatores circa litus maris Oceani, scapellum removentes à Brugis in Dordrato posuerunt, quem Brugenses postea cum difficultate rehabuerunt. Hoc tempore Rex Navarræ concordiam faciens cum Anglicis, Civitates Franciæ impugnans, Altissiodorum cepit, & loca multa vastavit. Fuitque his temporibus pestilentia per totam Alamanniam a Basilea usque ad mare, & per Saxoniam & litora maris Oceani. De mense Octobris Dominus Sabinensis Cardinalis revertitur in Italiam. Dominus Boloniensis mittitur Legatus in Hispaniam. Novembris die VI. Canonici Sancti Petri Avinionensis intraverunt Ecclesiam suam novam.

Anno Domini MCCCLIX. mense Aprilis, Petragoricensis & Urgellensis Cardinales revertuntur de Francia sine fine. Et Rex Navarræ cum Anglicis vastavit Terras usque ad Diœcesim Anicienseṁ. Fuitque Civitas Avinionensis, quæ muris & fossatis carebat, amplius fortificata in muris & fossatis. Et collecti impositi civibus, & cortesanis, ac Clericis. Mense Julii surrexit Avinioni Societas nocturnalis, dicta Alperughe; qui nocturno tempore furabantur in armis, & stupra commiserunt. Contra quos Papa justitiam fecit fieri, plerisque notabilibus occulte submersis. Circa hæc tempora Dominus Carolus primogenitus Regis Franciæ capti & Rex Navarræ pacem mutuam firmabant. Circa festum Sancti Matthæi, Canonici Ecclesiæ Sancti Desiderii Avinionensis novam suam Ecclesiam per Dominum quondam Bertrandum Sabinensem fundatam intraverunt, quam antea consecraverat die XX. mensis Septembris Dominus Raynaldus Episcopus Æduensis Domini nostri Papæ Thesaurarius. Fuitque corpus dicti Cardinalis translatum & humatum in ipsa. Mense Octobris lata fuit sententia per Dominum Cardinalem Florentinum pro Domino Archiepiscopo Rigensi contra Fratres Ordinis beatæ Mariæ Theotonicorum. Novembris die XIII. Durentia fluvius prope Avinionem tantùm excrevit, ut portam Civitatis novam prope Hospitale sanctæ Trinitatis Avinionensis dirueret & subverteret. De mense Decembris Rex Angliæ devastavit terras Campaniæ circa Remis.

Anno Domini MCCCLX. Innocentii anno Octavo, Dominus Mediolanensis obsedit Boloniam. Fuitque etiam nova Tallia indicta Clericis Avinionensibus pro complendis muris Civitatis. Restituta fuit eodem anno Ecclesiæ Bononia per Dominum Johannem de Olegio, & Dominus Papa Firmanam Civitatem, & aliquas Terras in Marchia assignavit eidem. Et inter Mediolanenses & Ecclesiam gravis guerra orta est. Circa Ascensionem Domini Gerardus Comes de Monte in conflictu insperate mortuus est. Mense Junii Dominus Boëmundus regimini Ecclesiæ Trevensis cessit. Cui Cono de Falkestein successit cedenti reditibus assignatis. His temporibus caristia fuit Avinioni, & circa partes Lugdunenses pestilentia. Et in provincia Narbonensi die ultima Augusti, fulminati fuerunt processus Apostolici contra Bernabovem invasorem Terrarum Ecclesiæ. Circa hæc tempora pax reformata est inter Brugenses & Mercatores, & scapellus reductus Brugis. His temporibus Johannes Rex Franciæ, receptis à Tyrannis Mediolanensibus multis millibus Florenorum, filiam suam tradidit uxorem filio Domini Galeatii. Dominus Carolus Imperator Comitem de Wirtemberg sibi rebellem perdomuit. Hoc tempore Johannes Rex Franciæ pro tribus millionibus Florenorum à carcere liberatus est, & à Regni sui Populo receptus.

De mense Januarii anno Domini MCCCLXI. Societas Anglicorum cepit Villam Sancti Spiritus prope Avinionem. Contra quos Dominus Papa prædicavit Crucem. Fuitque factus Capitaneus Crucesignatorum Dominus Ostiensis. Et sæpe congressiones factæ per Anglicos de Villa prædicta contra gentem Ecclesiæ stantem in Villa Montis Draconis, & circa. Finaliter gentes Ecclesiæ, cæsis ex eis plurimis & occisis, vacuæ redibant Avinionem. Et Anglici receptâ à Papâ multâ pecuniâ, idest trigintatribus millibus Florenorum, recesserunt de Villa prædicta, ipsâ totaliter spoliatâ. De mense Februarii magnus ignis, quasi totus aër arderet, visus est in Alamannia, me tunc Bunnæ residentiam faciente in Præbenda mea, & vidente, die videlicet XVIII. ipsius mensis. Eodemque tempore Dux Juliacensis mortuus est in Villa Durensi, qua decubuit. Eo tempore fuit hyems aspera, ita quod multæ vites fri-

frigore perditæ amputatæ fuerunt in partibus Rheni. Eo tempore in æstate mortalitas reincipit in Avinione, ita quod æstate illa octo Cardinales mortui sunt, & Populus innumerabilis. Et caristia magna fuit in tantùm quod Saumata bladi octo Florenis vendebatur. Eo tempore Dominus Engelbertus Leodiensis Episcopus obsedit Castrum Schoten de Comitatu Lossensi, fuitque sibi redditum seu traditum in festo Sancti Viti. Et per consequens totus Comitatus cessit Ecclesiæ Leodiensi, Theoderico Comite Lossensi absque herede defuncto. Hoc tempore Eduardus junior natus Ducis Gelriæ, conferto prœlio cum seniore Raynaldo fratre suo jam Duce, ipsum cepit, & Ducatum obtinuit. Hoc anno per Fratres Ordinis beatæ Mariæ Theotonicorum captus fuit Kuystud Rex Lituwanorum, & positus in carcere Castri beatæ Mariæ. Et eodem anno fugâ lapsus evasit. Hoc anno de mense Septembris, Dominus Innocentius creavit octo Cardinales, tres Diaconos & quinque Presbyteros: quorum tres absentes intraverunt die Jovis post festum omnium Sanctorum. Eodem die Dominus Boloniensis Cardinalis tribus annis Legatus in Hispania, reformata pace inter Reges Hispaniæ & Aragoniæ, rediit ad Curiam.

Eodem anno MCCCLXII. anno Decimo Domini Innocentii, de mense Martii, visus fuit Cometa in Provincia inter Orientem & Aquilonem ante ortum diei, comas suas versùs aquilonem protendens. Eodem tempore Societas circa Lugdunum congregata, prædis & damnis circa Sagonam omnes Terras lacessivit. Contra quos boni homines Franciæ venientes victi fuerunt, victoria cedente prædatoribus: qui usque ad æstatem in Francia permanserunt. De mense Martii, Fratres prædicti ceperunt Castrum Regis Lutuwanorum Kuystud in Vigilia Paschæ, in quo filium Regis & sociorum ejus circa triginta septem ceperunt, & circa duo millia occiderunt. Eodem anno mortuus est Ludovicus Rex Siciliæ. Cujus exsequias fecit fieri Dominus Papa de mense Junii die XX. mittens ad partes illas Nuntium Dominum Guillelmum Grimoardi tunc Abbatem Massiliensem, Ordinis Sancti Benedicti, qui postea electus est ibidem existens in Papam, & Urbanus V. appellatus. De mense Augusti Societas prædicta, quæ depopulata est Franciam, & Burgundiam, receptâ pecuniâ à Rege Franciæ, recesserunt de Francia, & transitum faciebant per Villamnovam Avinionensis Diœcesis, ituri in auxilium Regis Aragonum contra Petrum Regem Hispaniæ. Contra quem fuerunt eodem tempore processus publicati, & portis Ecclesiarum affixi, quos Dominus Cardinalis Boloniensis fecerat, eo quod pacta per ipsum Cardinalem, quum esset Legatus, ordinata non servavit. Post hæc Dominus Innocentius modicùm decumbens, quum esset senio & infirmitatibus confectus, die XII. mensis Septembris obiit, & XIV. sepelitur in Ecclesia beatæ Mariæ de Donis. Ibique mansit usquequo translatus fuit, sicut infra dicetur. Hoc tempore vacante Ecclesiâ Romanâ, obiit Dominus Willelmus Archiepiscopus Coloniensis. Cui successit Adulphus frater Comitis de Marcha. Et eo sponte cedente, quia ad laicatum aspirabat, successit Engilbertus patruus ejus, tunc Episcopus Leodiensis, translatus ad Ecclesiam Coloniensem per Dominum Urbanum Papam V.

DE INNOCENTIO VI.

Ex additamentis ad Ptolomeum Lucensem, e Cod. MSto Patavino.

INNOCENTIUS VI., Stephanus nomine, natione Lemovicensis, de Villa . . . . . ex patre . . . . . . Hic primum Procurator, Judex postea fuit, necnon doctoratus in Jure Canonico, postea Clericus, & Episcopus Claramontensis, & inde Cardinalis, electus est in Papam per Cardinales Anno Domini MCCCLII. die Martis XVIII. Decembris, horâ Tertiarum; & coronatus Dominicâ penultimâ dicti mensis Avinione in Apostolico Palatio. Sedit Annos IX. menses VIII. (a) dies VI. & vacavit ejus Episcopatus mense uno, diebus XIX. Hic fuit vir justus, & durus in concedendo Benefitia, & jura Ecclesiastica. Subitò post suam coronationem multas reservationes factas per Clementem suum Prædecessorem suspendit; & constituit Prælatos, & alios beneficiatos in Curia, illic tunc morantes, unumquemque ad suum beneficium personaliter applicare, & ibi facere residentiam sub pœna excommunicationis: quod & factum est. Hic diminuit expensas, & familiares suos, & etiam omnium Cardinalium. Hic ordinavit stipendia Auditorum sacri Palatii. Hic parcus, & gothosus fuit; fortis & robustus ad recuperandas Provnicias, Terras, & jura sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ diu temporibus suorum prædecessorum fuerant per Tyrannos occupatæ in partibus Italiæ, quas pæne omnes ad mandata Ecclesiæ reduxit manu potenti. Hic ordinavit, & transmisit anno primo suæ coronationis Dominum Ægidium Hispanum Cardinalem in Legatum ex latere in istis partibus Italiæ ad recuperandas prædictas Provincias, Terras, & jura Ecclesiæ occupata per tyrannides. Et facta est exsequutio manu potenti per Dominum Cardinalem præfatum infra quatuor annos cum multis laboribus & expensis thesauri Ecclesiæ. Hic transmisit quamplurimos Prælatos Regibus Franciæ & Angliæ pro pace, vel treuga ponenda inter ipsos, & eorum Regna; sed modicum relevavit. Hic anno secundo suæ coronationis transmisit Dominum Petrum Cardinalem Ostiensem in Legatum Romam ad coronandum Dominum Carolum Quartum, filium Regis Bohemiæ in Romanum Imperatorem: quod & factum est. Anno primo suæ coronationis, XXV. Augusti Januenses fuerunt debellati in Sardinia in mari per Venetos, & Catalanos. In quo bello dicti Januenses XXXIII. Galeas perdiderunt, & submersæ fuerunt cum hominibus. Hujus tempore dicti Januenses cum omnibus eorum Castris & jurisdictionibus submiserunt se Archiepiscopo Mediolanensi Tyranno, & paulo post dicti Januenses debellaverunt Venetos in mari Magno; ubi dicti Veneti amiserunt Galeas XL. & alia navigia, necnon homines, qui erant in dictis navigiis. Hujus tempore facta fuit inter ipsos Januenses & Venetos pax, & exclusi fuerunt Catalani à dicta pace.

Item sub anno MCCCLVI. de mense Julii Dominus Tholarandus Petragoricensis, & Dominus Nicolaus Capoccii Cardinales transmissi fuerunt ut Nuntii Apostolici per dictum Papam

(a) *Muratorius*: dies XXVI. Baluzio.

Papam ad ponendum pacem finalem, vel treugam fiendam inter Reges Johannem Franciæ, & Eduardum Angliæ, ipsorumque Regna. Qui Cardinales de mense prædicto de Curia recesserunt, & continuando ipsorum dietas in Regno Franciæ applicuerunt pro pace vel treuga inter ipsos Reges ac Regna ponenda.

Item sub prædicto Anno dictus Papa unam ordinationem fecit in die Veneris XXIII. Decembris; & ordinavit infrascriptos in Cardinales, videlicet Petrum Archiepiscopum Rothomagensem; Dominum Franciscum de Tuderto Episcopum Florentinum; Petrum Episcopum Pampilonensem suum nepotem; Eliam Episcopum Uticensem; (b) Fratrem Guillelmum Generalem Ordinis Prædicatorum de Aragonia; Fratrem Nicolaum Generalem Ordinis Minorum Lemovicensem.

Item eodem tempore, & sub MCCCLVII. ordinavit Dominum Androinum de Burgundia Abbatem Cluniacensem in Rectorem & Gubernatorem omnium Terrarum Ecclesiæ in Italia; dum dictus Dominus Hispanus Legatus ibidem moram traheret. Et recessit de Curia die ultima Februarii, & sub die quinta dicti mensis fuit ordinatus. De mense verò Augusti dicti anni dictus Legatus apud Berthonorum totaliter vices suas in spiritualibus & temporalibus dicto Domino Abbati commisit, & in paucos dies versùs Tusciam cum suis familiaribus, & Dominis de Malatesta de Arimino, & aliis Nobilibus de Marchia & Romandiola, caussâ applicandi ad Curiam, iter assumsit.

Die verò Lunæ XXIV. mensis Octobris in Curia dictus Dominus Legatus Ægidius à Domino Papa, & omnibus Dominis Cardinalibus, & morantibus in Curia benevole receptus est. Hujus tempore, & sub MCCCLVII. Dominus Arnaldus de Servilla de Verna oriundus de Petragoricensi Comitatu, ex tractatu Domini Amedei de Baucio Domini Raymundi de Baucio, Comitis de Avellino, Domini Caroli de Picerio, Domini Carmoti de Atrio, Domini Bertrandi de Vidossio, & Domini Johannis de Rubussello, & fere omnium Nobilium de Provincia fecerunt, ordinaverunt, & congregaverunt maximam partem equitum & peditum uniuscujusque Christianæ nationis, qui fuerunt in summa quatuor millia hominum, & vocabatur Societas dell'Acquisto, & coadunaverunt se in Lemovicino in Arvernia, & per illas partes circa Rhodanum. Et sub die Jovis XIII. Julii dicti anni de consensu Domini de Rossillon transiverunt Rhodanum, & applicuerunt continuatis eorum dietis, in Comitatu Venaissensi, de consensu, ut publice dicebatur, Domini Papæ, & aliquorum Cardinalium de Lemovicino. Nec non prædicta omnia dicebantur ordinata fuisse per Dominum Talayrandum.

Ex Petro de Herentals Priore Floreffiensi, penes Baluzium.

INnocentius Papa VI. qui prius dicebatur Stephanus, primò fuit Episcopus Claromontensis, deinde Cardinalis & summus Pœnitentiarius, post Ostiensis Episcopus, postremò autem Papa, & cœpit anno MCCCLII.

A Primo anno istius Papæ quidam de Ordine Fratrum Prædicatorum existens incarceratus in Avinione, quia de hæresi suspectus habebatur, multa prophetizabat de Antichristo, & de summis Pontificibus futuris. Et incœpit prophetizare anno Domini MCCCXLV. tempore Clementis VI. Multa de suis prophetiis visa sunt evenisse.

Secundo autem anno Papatus dicti Innocentii, quum ipse Innocentius, dum adhuc esset summus Pœnitentiarius, habuit unum Capellanum præ ceteris sibi dilectum, & in septem Ecclesiis beneficiatum. Quum ergo idem Dominus esset in summum Pontificem creatus, prædictus Capellanus adduxit sibi suum nepotulum, ad alliquod Beneficium ab eo impetrandum. Cui Dominus Papa, tamquam vir B justus, justissime respondit: *Tu habes septem bona Beneficia. Melius inter ea isti puero resigna*. Hoc dicto quum Papa videret eum de hoc verbo contristatum, ait: *Adhuc tu habes sex Beneficia, & tibi sufficerent pro expensis tuis pauciora. Eligas ergo tibi de his tuis Beneficiis tria meliora, & alia sine contradictione resigna, quæ dabo tribus Clericis pauperibus propter Deum*. De quo facto dictus Papa apud quamplurimos non modicùm est laudatus, qui potius spiritualis quàm carnalis affectionis viam est sequutus.

C

DE UBANO V.

Prima Vita Urbani V.

Ex editione Bosqueti apud Baluzium.

URBANUS Papa V. natione Gabalitanus de loco de Grisaco diœcesis Mimatensist post dictum Innocentium VI. Avinioni fui, electus in Papam die XXVIII. mensis Octobris anno Domini MCCCLXII. & die VI. mensis Novembris immediate sequentis consecratus & coronatus. Hic prius vocatus est Guilelmus Grimoardi, cujus pater fuit Grimoardus Miles. Et in adolescentia sua sub habitu D Monastico Domino voluit famulari. Fuitque receptus in monachum in Prioratu de Chiriaco dictæ diœcesis a Monasterio Sancti Victoris Masiliensis dependente. Ubi postquam fuit instructus in regularibus observantiis, se transtulit ad studia literarum. In quibus adeo diligenter institit & insudavit, quod demum fuit effectus solemnis Doctor Decretorume legitque ex tum multis annis tam in Mont pessulano quàm in Avinione. Tamdem verò suis suffragantibus meritis, primò ad Monasterium Sancti Germani Autisiodorensis, postea verò ad Monasterium prædictum Sancti Victoris Massiliensis, sub quo primitus Ordinem Sancti Benedicti professus exstiterat, promotus fuit, E & ab inde assumtus in Papam: seditque annis octo, mense uno, & diebus novemdecim. Modus autem suæ assumtionis seu electionis magis a Deo, quam ab homine videtur processisse: attento præsertim quod dicta Sede Apostolica tunc vacante erant in Collegio Cardinalium multi valentes & sufficientes viri, qui tamen ut creditur, Deo sic disponente, concordare nequiverunt, ut ipsorum aliquis eligeretur. Sed post satis diuturnam vacationem habentes aspectum ad merita, virtutes, & sufficientiam, de quibus magnam experientiam

(b) *Muratorius*: Fratrem Nicolaum, Provincialem Ordinis Prædicatorum de Aragonia; Fratrem Guillelmum, Generalem Ordinis Minorum. *apud Baluzium*.

tiam habuerant, quum inter ipsos in plerisque officiis deputatus, longis temporibus fuisset conversatus, in eum pro tunc absentem, & in partibus Neapolitanis pro negotiis Ecclesiæ Romanæ existentem sua vota direxerunt. Non tamen ea publicaverunt donec & quousque ipse personaliter ad ipsos venit, hæsitantes an electioni suæ hujusmodi suum vellet præbere consensum, quem, licèt cum tremore & timore, præstitit, nolens divinæ & eorum contraire voluntati. Fuitque per eos inthronizatus debitis & solitis solemnitatibus observatis. In hac autem electione fuit præsens, & tamquam in ipsa vocem habens admissus, & in Conclavi cum aliis Cardinalibus introductus Dominus Androinus de Rocha prius Abbas Cluniacensis, qui per dictum Innocentium Papam VI. factus fuerat Presbyter Cardinalis: tamen quum nondum haberet titulum, nec vivente dicto Innocentio in Consistorio fuerat installatus. Intravit enim primo curiam, dum dictus Innocentius laborabat in extremis, immo & quasi horâ quâ moriebatur. Quod ideo heic notanter inserendum duxi, ut appareat, quòd sola assumtio seu promotio ad Cardinalatum dat vocem in electione Papæ, & non tituli assignatio. Et hoc expresse denotat regularis, seu communis observantia, quæ habet, quòd noviter promoto ad dictum statum per Papam clauditur os, antequam sibi titulus assignetur. Sicque manet ore clauso, & vocem in nullo habens, donec demum sibi aperiatur, & tunc sibi titulus assignatur. Per quod ut imposterum loquatur, vocemque liberam habeat tam in dicta electione, quàm in aliis actibus ad statum hujusmodi pertinentibus, tribuitur eidem & conceditur facultas, quæ per dictam oris clausuram suspensa fuerat, & effectualiter interdicta. Hoc etiam denotat verbum *claudere*, quod non potest locum habere, nisi in re jam aperta. Et ita pro vero & indubitato & de jure tunc tentum, habitum, & determinatum exstitit concorditer per Dominos Cardinales. Dictus autem Urbanus Papa modo præmisso electus, consecratus, & coronatus, satis citò post Dominum Guillelmum Bragose, Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconum Cardinalem, ac majorem Pœnitentiarium, virum utique satis grandævum, qui per prius in Studio Tolosano Doctor solemnis Decretorum existens, annis pluribus cathedram Doctoralem ad perutilem instructionem seu informationem plurimorum rexerat, in Presbyterum Cardinalem ordinavit, sibique titulum Presbyteralem assignavit, videlicet Sancti Laurentii in Lucina. Ad quod faciendum præcipue motus exstitit ratione officii Pœnitentiariæ quod Presbytero magis quàm Diacono convenire judicavit.

Ad Ecclesiam insuper Avinionensem, quæ diu Pastore caruerat, quum per duos prædecessores suos pro suis, & Ecclesiæ necessitatibus vacans quasi continue retenta fuisset, promovit Domiuum Anglicum Grimoardi Priorem Diensem fratrem suum: de quo quasi communiter dicebatur, quòd in omni probitate, honestate, religionis observantia, ac discretione, seu circumspectione naturali, cum literatura convenienti, Ordo suus, scilicet Canonicorum Regularium, sibi pares haberet, paucos tamen, excedentes verò nullos. Qui etiam suo tempore & successive, ultra bona multa, quæ fecit in Ecclesia memorata, in Avinione a solo ædificavit Monasterium cum officinis & habitationibus necessariis pro Monialibus de Furnis, Ordinis Sancti Benedicti, quæ prius erant ab extra collocatæ in loco campestri & aperto: deditque eis multa bona & Reliquias aliquorum Sanctorum, & specialiter Brachium Sanctæ Luciæ, munitum & incassatum in argento. In Aptensi etiam Civitate a solo ædificavit, & etiam dotavit Monasterium Monialium Ordinis Cisterciensis, & in Montepessulano Collegium Canonicorum Regularium sub nomine Sancti Rufi, in quo constituit certum numerum Canonicorum, qui Deo ibi servirent, & nihilominus intenderent circa studia literarum. Dotavitque Collegium hujusmodi de reditibus & proventibus satis sufficientibus ad sustentationem dictorum Canonicorum. Quibus etiam providit de pluribus bonis libris ac aliis ornamentis pro divino servitio, & sui continuatione studii necessariis & opportunis. Et eodem currente tempore fuit prœlium inter Gastonem Comitem Fuxi & Johannem Comitem Armaniaci. In quo idem Gasto exstitit victor, habuitque captivos tam dictum Johannem, quàm fere omnes majores & notabiliores bellatores suos. Fuerunt etiam multi ex utraque parte interemti. Post dictam etiam promotionem Urbani Papæ, ad ipsum satis citò venerunt Johannes Francorum, Petrus Cypri, & Daciæ Reges, causâ ipsum visitandi, sibique reverentiam exhibendi. Qui demum cum suis voluntate & deliberatione & consilio ad faciendum generale Passagium ultramarinum, & specialiter contra Turcos, se mutuò adstrinxerunt: fueruntque cum multis aliis magnis & notabilibus viris Crucesignati per dictum Papam; qui etiam pro tunc Crucem contra dictos Turcos prædicavit, ordinans dictum generale Passagium, cujus Capitaneum constituit præfatum Johannem Francorum Regem, personaliter onus hujusmodi in se suscipientem. Cui etiam adjunxit Dominum Talayrandum de Petragorio Episcopum Albanensem Cardinalem, quem Legatum de latere ordinavit secum profecturum pro Passagii hujusmodi prosequutione. Fuitque pro tunc de consensu unanimi prædictorum missus dictus Petrus Rex Cypri ad partes occidentales, causâ exhortandi & inducendi earum Principes, ut vellent se accingere ac disponere ad Passagium memoratum. Circa idem verò tempus Johanna Regina Siciliæ nupsit cum Jacobo Rege Majoricarum verbo tenus, quum Regnum suum totaliter teneretur per Regem Aragonum. Eodem tempore dictus Urbanus processus suos fecit contra Bernabovem & Galeatium de Vicecomitibus Mediolani, qui pro tunc occupabant aliquas Terras ad jus & dominium seu proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentes. Sed demum interponentibus se aliquibus, actum est de concordia inter eos. Pro cujus tractatu & etiam regimine dictarum Terrarum, & aliquarum aliarum Terrarum, missus est ad partes Italiæ Legatus de latere præfatus Dominus Androinus de Rocha tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, per cujus ministerium facta fuit pro tunc dicta concordia inter eumdem Papam & dictos Mediolanenses, fueruntque ipsi sibi & Ecclesiæ reconciliati. Pro tunc etiam fuit quidam nobilis Alamannus, dictus Adulphus de Marcha, qui mirabiliter & inaudite Romanam Ecclesiam decepit atque illusit. Fuerat enim per eam primò ad Monasteriensem, & demum ac successive ad Coloniensem promotus Ecclesias.

Quibus

Quibus quum aliquandiu præfuisset, licèt nondum in sacris constitutus, se ad laicalia vota transferens, præfatæ Coloniensi Ecclesiæ, cui ultimò præsidebat, renuntiavit libere, matrimonium contrahendo: cui per dictum Urbanum datus fuit in successorem Engilbertus tunc Episcopus Leodiensis.

A Anno MCCCLXIV. in mensibus Januarii, Februarii, & Martii fuerunt quasi generaliter frigora intensissima, geluque fortissimum, adeo quod tam Rhodanus quàm alia flumina, ita constricta fuere, quod super eis equites & quadrigæ etiam multùm oneratæ transitum haberent solidum & securum: duravitque in tantum quòd ejus nimia rigiditate seu fortitudine vites & arbores fructiferæ, & præsertim amigdali, & olivæ quamplurimæ fuerunt perditæ, & totaliter mortificatæ seu desiccatæ, immo & multæ per medium scissæ & confractæ. Eodem tempore Sociales quamplurimi totum fere Regnum Franciæ & præsertim in Lingua Occitana occupabant, discurrebant, & totaliter destruebant, quum in ipso detinerent loca multa; immo & de die in diem alia noviter capiebant pro suæ libito voluntatis. A quibus nec expelli poterant, nec etiam erat, qui eorum posset resistere potestati; fiebantque per ipsos mala & damna infinita in personis, locis, & rebus tam Ecclesiasticis quàm mundanis. De quibus dictus Urbanus Papa, prædictis ad sui notitiam & auditum perductis, valde stupuit, doluitque, ac Regno, locis, & personis ex his afflictis & turbatis pio affectu compatiens, eis posse tenus, quantum ad suum spectabat officium, obviare & occurrere decrevit. Fecitque processus, ac fulminavit sententias contra ipsos, eorumque fautores & receptatores, ac eis qualitercumque verbo aut facto participantes, sive dantes consilium vel juvamen, ministrantesque ipsis quæcumque victualia aut necessaria, quocumque titulo seu caussa. Hortatusque est, & induxit omnes fideles, ut adversùs eos insurgerent, tamquam hostes Christi & Fidei: immo & totius generis humani, certas Indulgentias spirituales eos persequentibus concedendo. Quibus ubicumque divulgatis, ipsis per prius faventes ut plurimùm se ab ipsis retraxerunt, ac omnes per eos oppressi & conturbati adversùs eos adeo animati sunt, quod alter alterum non exspectando, in eos & loca, quæ occupabant, unanimiter ac sic viriliter & subitò irruerunt, quòd plura loca, ad quæ se reduxerant, quamquam ut plurimùm fortia, immo & aliqua inexpugnabilia, satis faciliter & cum modicis insultibus per eos capta sunt & demolita, ac demum in eis inclusi trucidati: alii verò per longam obsidionem fame & siti in eis existentes macerati, exire & deserere sunt coacti. Sicque per Dei gratiam, & ut creditur, ob merita dicti Summi Pontificis actum est, quòd in satis brevi tempore Sociales hujusmodi terras & loca, quæ sic per eos opprimebantur, cum maximo discrimine dimittere, & se ad alia divertere sunt compulsi, non tamen omnes, quum eorum quamplurimi gladio, fame, igne, ac inedia fuerint interemti, pro ut eorum demerita exigebant. Et sic regio prædicta satis vel saltem plus solito tunc in pace quievit. Anno eodem, die XVII. Januarii, obiit Johannes Rex Francorum in Anglia, ad quam redierat, postquam semel fuerat liberatus, & Regi Angliæ suo adversario pacificatus, caussâ perficiendi & totaliter exsequendi ea, quæ inter ipsos ordinata fuerant & conventa, quum inter ipsos pax & concordia facta fuerat. Successitque sibi in Regno Carolus suus filius primogenitus, tunc Dux Normanniæ & Delphinus Viennensis. Qui eodem anno die XIX. Maji, qua fuit solemnitas Trinitatis, Remis exstitit coronatus. Eodem fere tempore Nuntii Romanorum venerunt Avinionem ad prædictum Urbanum Papam, petieruntque inter alia, ut Romam cum sua Curia se transferret. Qui eorum petitioni benigniter annuit, dixitque eis circa eam taliter Deo duce se facturum, quod ipsi deberent meritò contentari. Pro tunc tamen circa illud eis aliquid aliud non specificavit.

B Anno sequenti, qui fuit MCCCLXV. mense Maji, Carolus Romanorum Imperator venit Avinionem ad dictum Urbanum Papam cum magna comitiva Principum & nobilium Alamannorum; & ornatus insigniis Imperialibus, per ipsum Papam & Cardinales fuit valde notabiliter & honorifice receptus. Et die sancto Pentecostes tunc occurrente, dicto Papa solemniter celebrante, adstitit in habitu Imperiali, diademate coronatus, in manu dextra sceptrum gestans. Deinde ivit Arelatem, cujus regnum ad ipsum spectabat, ubi se fecit in Regem per Archiepiscopum coronari. Tamdem verò habitis multis colloquiis inter Papam & ipsum tam super statu Ecclesiæ, quàm Imperii, rediit ad propria cum bonis, pace, amore & favore Urbani Papæ prædicti. Paulo verò post recessum dicti Imperatoris Arnaldus de Servola, vulgariter Archipresbyter de Verniis nominatus, natione Vasco, coadunatis sibi quamplurimis tam propriæ, quàm aliarum diversarum nationum, tamquam Sociales, Alsaciam partem Alamanniæ intraverunt, personas captivando, igne & gladio omnia consumendo. Ex quo inter Principes & incolas Alamanniæ commotio seu turbatio fuit non modica exorta, præsertim quia suspicati sunt, quòd hæc fiebant de consensu seu conniventia dicti Imperatoris. Aggregatique fuerunt ad invicem, & disposuerunt se ac eis viriliter resistendum, ac eis impediendum, ne ulterius progrediendo flumen Rheni possent transire. Quod prædicti audientes, sentientesque adversùs eos se prævalere non posse, retrocesserunt, multis tamen damnis illatis & etiam receptis, & se ad partes Galliæ reduxerunt: ubi satis citò post per aliquos ex suis crudeliter interfectus est Archipresbyter memoratus, prout etiam ejus demerita bene exigebant. Et heic notanter inserendum est, quòd Capitanei talium Societatum ut plurimùm morte similiaut crudeliori tam per prius quàm ex post mortui fuisse referuntur. In quo Deus signanter ostendit, quod malam vitam sectantes seu ducentes, ad eam similiter finiendam disponuntur juxta illud Evangelicum: *Qui gladio feriet, gladio peribit*. Eodem etiam tempore quum Leopoldus Dux Austriæ secundogenitus inter suos fratres filiam Bernabovis de Vicecomitibus Mediolani desponsasset uxorem, Radulphus ejus frater primogenitus Mediolani existens, de fluxu ventris satis inopinate mortuus est. An autem naturaliter vel dolose, varii varia sunt locuti. Hoc tamen Dei judicio relinquatur. Pro tunc etiam Petrus Rex Cypri videns, quòd Passagium ultramarinum per priùs ordinatum cum Johanne Rege Franciæ & aliis supra nominatis progressum seu effectum habere non poterat propter dicti Johannis Regis

A gis & etiam Cardinalis Legati ad hoc ordinati obitus, qui paulo ante supervenerant, coadunatis sibi quamplurimis notabilibus personis ad arma doctissimis, aggressus est Alexandriam Civitatem, eamque vi armorum cepit die XI. mensis Octobris anni prædicti MCCCLXV. Considerans tamen, quod ipsam diutius tenere non poterat, quum suus exercitus esset satis modicus & impotens ad resistendum infidelibus, qui in manu forti & innumera multitudine adversùs eum se disponebant, ipsam dimittere decrevit, & prius bonis ipsius datis in prædam suis commilitonibus, eam pro majori parte incendio concremavit, & sic retrocessit ad propria. Per idem tempus Philippus junior inter filios præfati Johannis Regis Franciæ Margaritam
B filiam Ludovici Comitis Flandriæ, relictamque Philippi Ducis Burgundiæ, duxit in uxorem. Qui etiam jure sui partagii a dicto Johanne patre suo in donum habuerat Ducatum Burgundiæ, qui ad ipsum patrem ratione propinquitatis seu successionis devenerat per obitum dicti Philippi ultimi Ducis, qui obierat nulla ex se sobole relicta. Suam autem dictam uxorem respiciebat universalis successio paterna & avitina: in qua veniebant Comitatus Flandriæ, Burgundiæ, Artesii, Nivernensis, & Restellensis, ac Baronia de Salinis. Et idem erat de materna, in qua veniebat Ducatus Brabantiæ post decessum amitæ suæ Ducissæ, de cujus poste-
C ritate spes nulla erat. In istorum autem matrimoniali copulatione necessaria fuit Apostolica dispensatio propter consanguinitatem, qua satis de proximo jungebantur. Quam memoratus Urbanus Papa gratiose & favorabiliter concessit, licèt eam per prius Regi Angliæ in personam unius ex suis filiis denegasset. In quo nullam sibi fecit injuriam, quum hoc non a justitia, sed a suas mera gratia dependeret. Et sic sibi licuit, pro ut placuit, alteri concedere, & sibi denegare. Et quod sic factum fuerit, a Deo creditur ordinatum. Si enim Domus Angliæ ad successiones venisset memoratas, quæ admodum potentes sunt, adeoque latæ, quod majorem partem Regni cir-
D cumeunt aut contingunt, aut Domus Franciæ statim ex toto absorta fuisset, aut in tribulationibus, turbationibus, guerris, & dissensionibus Domus utraque perpetuò remansisset. Ex quibus quot mala sequuta fuissent, indicant illa, quæ hucusque sequuta sunt occasione Ducatus Aquitaniæ, super quo tamdiu ad invicem disceptarunt. Quibus si modo præmisso dictus Urbanus Papa occurrere & obviare decrevit, quod debuit, fecit; primo obviando destructioni Regni Franciæ, cujus Reges hactenus continue fuere Romanæ Ecclesiæ manutentores, & speciales defensores: secundò occurrendo turbationibus, guerris, & dissensionibus jam prætactis, quum ad suum spe-
E ctaret officium talibus viam præcludere, & eam nullatenus aperire. Per idem fere tempus fuit prælium inter Carolum de Blesis & Johannem Comitem de Monteforti super Ducatu Britanniæ contendentes: in quo dictus Johannes victor exstitit, & fuit præfatus Carolus occisus. De cujus canonizatione demum instantissime actum est ad Regis Franciæ procurationem; quum fuerit homo multùm virtuosus, honestæ conversationis, & laudabilis vitæ: ferebaturque tam vivus quàm mortuus multis miraculis coruscare. Ducatum tamen prædictum per ipsum tunc usque pro majori parte possessum ab inde obtinuit Johannes memoratus per Regem Angliæ suffultus & adjutus. Dicto etiam tempore currente Amedeus Comes Sabaudiæ cepit Gallipolim, ipsam eripiens de manibus Turcorum, quam demum tradidit Imperatori Græcorum consanguineo suo. Per idem etiam tempus præfatus Urbanus Papa publicavit seu manifestavit suam intentionem super accessu suo & translatione Curiæ versùs Romam destinavitque certos Nuntios tam Viterbium, ubi primò declinare, & aliquandiu morari intendebat, quàm Romam, causâ disponendi & ordinandi necessaria, reparandique sua palatia & libratas pro Dominis Cardinalibus dividendi. Et ad hoc assignavit seu ordinavit terminum tempus Paschale immediate post sequuturum.

Eodem anno, qui pro tunc currebat MCCCLXVI. dictus Urbanus Papa die XVIII. mensis Septembris, quæ fuit feria sexta quatuor Temporum, tres creavit novos Presbyteros Cardinales, videlicet Dominos Fratrem Guillelmum Sudre Tutellensis Diœcesis, Ordinis Prædicatorum, tunc Episcopum Massiliensem; Anglicum Grimoardi fratrem suum, tunc Episcopum Avinionensem supra nominatum, & Fratrem Marcum de Viterbio Italicum, tunc generalem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum.

Postea verò circa principium anni MCCCLXVII. ivit ad Montepessulanum causâ videndi & visitandi Monasterium, quod in honore Sanctorum Benedicti & Germani à solo suis magnis sumtibus ædificaverat, & solemniter dotaverat pro sustentatione certi & notabilis numeri Monachorum jam per eum ibidem instituti & ordinati, partim ut divinis insistant officiis, & partim in literarum studiis vacent pariter & intendant. Ipse enim tunc in propria Altare majus hujus Monasterii consecravit, ac magnis privilegiis decoravit, & multis Reliquiis, ornamentis, & jocalibus pretiosis adornavit. Per eadem tempora quum Petrus Rex Castellæ in suos inhumaniter desæviret, nunc unum jugulando, nunc alium mutilando, & aliàs generaliter eos persequendo, ejusque furore perterriti quamplurimi à suo Regno exularent, essetque odium innatum, immo & irradicatum inter eos, saltem pro majori parte, fuit tractatus habitus, ut expellerent eum à Regno suo. In quo consentientibus multis tam Nobilibus quàm Ecclesiasticis & Popularibus, fuit vocatus, introductus, receptus & admissus in Regem Henricus Comes de Trastamara suus frater naturalis; qui pro tunc à facie ejus fugiens tamquam profugus hinc inde vagabatur: qui satis citò sequaces multos habuit, & quasi ex toto obtinuit dictum Regnum. Et quum dictum Petrum Regem persequeretur, & ille pro tunc non haberet ad quem confugeret, quum per prius fere omnibus fuisset plusquam hostis & capitalis inimicus, clam habuit Regnum ipsum deserere. Venitque ad Regem Angliæ & Edoardum Principem Walliæ & Aquitaniæ primogenitum suum, thesauros innumerabiles secum ferens, petens eorum consilium & juvamen. Qui mediantibus thesauris prædictis secum confœderati sunt, sibique favoribus & auxiliis opportunis assistere promiserunt. Pro quorum majore firmitate dedit duas filias suas, quas secum duxerat, in conjuges duobus filiis Regis Angliæ memorati: ordinavitque earum primogenitam, quam recepit Johannes Dux Lencastriæ, sibi debere succedere in suo Regno, ubi ipsum

ipsum

ipsum decedere contingeret sine masculo legitimo & naturali. Quibus peractis, Edoardus Princeps prædictus cum magno exercitu armatorum ipsum secum ducens, dictum Regnum intravit, dictoque Henrico victo in prælio, fugæ tamen præsidio liberato, vi armorum intra paucos dies ipsum ad statum suum, dictique Regni sui regimen restauravit. Et sic ipso ibidem relicto, triumphator gloriosus ad propria remeavit. Circa idem tempus vacavit Ecclesia Casinensis, quam dictus Urbanus Papa ad Abbatiam reduxit, prout antiquitus fuerat usque ad tempus Papæ Johannis XXII. qui eam in Sedem Episcopalem erexit. Ad quod faciendum dictus Urbanus motus fuisse dicitur, ut religio Monachorum nigrorum, quæ ibidem exordium habuit, ibi meliùs servaretur. Quod æstimavit posse fieri sub Abbatis regimine, quàm Episcopi convenientiori modo.

Eodem anno, scilicet MCCCLXVII. die ultima mensis Aprilis præfatus Urbanus Papa recessit de Avinione, gressus suos dirigens versùs Romam. Et quum applicuisset Massiliam, declinavit ad Monasterium Sancti Victoris, cui dudum præfuerat: quod quum priùs esset vetustate consumtum, minareturque ruinam in multis, ex quo ad Papatum assumtus fuerat, multimode fecerat renovari & reparari, murisque ac turribus altis claudi, circui, & fortificari; magnis etiam privilegiis decoraverat, & multis adornaverat Reliquiis, jocalibus, & ornamentis pretiosis. Ibidem insuper existens, die videlicet XII. mensis Maji anni prædicti, assumsit in Presbyterum Cardinalem Dominum Guillelmum de Agrifolio, Decretorum Doctorem, tunc Sedis Apostolicæ Notarium, jam Sacerdotem. De quo non modicùm quamplurimi fuerunt admirati, quum esset satis juvenis, nondum attingens annum vigesimum octavum ætatis suæ, & de ejus promotione, saltem ad illum statum, pro tunc nullatenus speraretur. Sed ad hoc faciendum motus fuisse dicitur consideratione Domini Guillelmi de Agrifolio senioris, tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim Presbyteri Cardinalis, cujus ipse Papa socius & familiaris fuerat, quum in minoribus existebat, & qui post Deum dictæ suæ assumtionis in Papam dicebatur fuisse præcipuus promotor & auctor, cujus dictus Dominus Guillelmus nepos existebat. Qui etiam in studio, in quo à sua adolescentia usque tunc versatus fuerat, bonæ famæ, vitæ laudabilis, & conversationis honestæ, ac inter alios suos coætaneos satis esse sufficiens communiter ferebatur; eratque speciosus formâ, staturâ decorus, & aliàs bene dispositus ad omne bonum. Die verò XX. dicti mensis idem Urbanus Papa de Massilia exiens intravit mare cum mirabili apparatu Galearum & aliorum navigiorum, de quibus honorifice valde sibi providerant Johanna Regina Siciliæ, Veneti, Januenses, & Pisani. Iterque suum persequens, die quarta sequenti prospere applicuit Januæ, ubi fuit tam in portu quàm Civitate per Ducem & Cives solemniter receptus & debite honoratus. Et quia pro tunc erant dies Rogationum, instabatque dies Ascensionis Domini, ibidem per illos remanere decrevit: & interim equitando per dictam Civitatem, Ecclesiam majorem visitavit, & demum pro sua mansione descendit ad domum Sancti Johannis Hierosolymitani, in cujus Ecclesia in dicta die Ascensionis Domini solemniter celebravit. Et in crastino iter suum continuando ab inde discessit, relicto ibidem Domino Fratre Marco de Viterbio tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali pro sedandis guerris & dissensionibus, quæ pro tunc vigebant inter dictam Civitatem & Bernabovem de Vicecomitibus Mediolani. Et divino sibi assistente præsidio pervenit feliciter ad portum, seu plagiam Corneti, die IV. Mensis Junii subsequentis circa ortum solis. Ubi mari exiens, obviam habuit Dominum Ægidium Alvari Hispanum Episcopum Sabinensem Cardinalem, tunc Sedis Apostolicæ Legatum in provinciis illis, concomitatum fere omnibus notabilibus & magnatibus Terrarum Ecclesiæ, ac Prælatis, & aliis quamplurimis armatis aut inermibus, pro ut eorum cujuslibet conditio seu qualitas exigebat. In litore autem parata fuerunt tentoria tam de pannis sericis quam de frondibus seu ramis arborum virentium magna amœnitate decora: quæ quum dictus Pontifex fuisset ingressus, ac in ipsis aliqualiter quievisset, parato ibidem Altari Missam cum notâ solemniter fecit coram se decantari. Qua finita equum ascendit, venitque Cornetum horâ prandii, ad domum Minorum declinando, ubi mansit usque in crastinum diei instantis Pentecostes, in qua ipse ibidem solemniter celebravit. Veneruntque ad eum solemnes Nuntii Romanorum pro eorum parte sibi plenum dominium Urbis offerentes, ac claves Castri Sancti Angeli per ipsos prius detenti secum deferentes. Ab inde autem recedens die IX. dicti mensis intravit Viterbium, ubi fuit cum magno gaudio & solemnitate receptus. Veneruntque ad eum ibidem paulo post tam Domini Cardinales quàm universaliter nobiles & Magnates, Prælatique, & Communitates partium Italiæ, de suo adventu gaudentes.

Die autem XXIV. Mensis Augusti immediate suum dictum adventum subsequente, obiit in Viterbio præfatus Dominus Ægidius Alvari Episcopus Sabinensis Cardinalis, vir utique vitæ laudabilis, immo etiam indelebilis in æternum. Fuit namque Legatus in dictis partibus continue fere per quatuordecim annos. Et licèt à principio repererit Civitates, Loca, Castra, & Terras, quæ ad dominium, jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ spectabant, sub manibus consistere Tyrannorum, Castris Monteflasconis & de Montefalco dumtaxat exceptis, tamen divino fretus auxilio sic operatus est, nunc per tractatus amicabiles, nunc per insultus hostiles, quod fere omnia ad obedientiam dictæ Ecclesiæ suo tempore suoque ministerio sunt reducta. In quibus etiam Castra, Rochas, & alias munitiones ut plurimùm aut noviter fecit ædificari, aut quæ hactenus fuerant, renovari, ut essent in posterum in defensionem fidelibus, rebellibus verò ad offensionem & terrorem. Fuit insuper homo admodum virtuosus, literarum scientiâ præditus, in agibilibus multùm circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus ac in factis armorum, non omissa pontificali decentia, valde doctus & expertus; scivitque in omnibus sic & taliter se gerere, quòd in tota Italia vivens amabatur, aut saltem timebatur. Ipse verò de bonis à Deo sibi datis constituit, dotavit, & fundavit Bononiæ unum solemne Collegium pro pauperibus Scholaribus regionis suæ: pluraque alia bona fecit pro salute animæ suæ. Ejusque obitus fuit multùm toti Ec-

A Ecclesiæ damnosus, & præfato Urbano Papæ displicibilis & onerosus atque dolorosus, præsertim in sui dicti adventus principio, quum speraret in suis agendis per eum ut plurimum dirigi & juvari. Post verò paucis elapsis diebus fuit rumor in Viterbio. Insurrexerunt enim Cives contra Curiales, domúsque aliquorum Cardinalium hostiliter invaserunt. Propter quod tam illi quàm fere omnes alii, Italicis exceptis, pro sui securitate se reduxerunt in Palatio cum Papa, ubi manserunt per tres dies, quibus duravit dictus rumor. Tamdem verò dicti Cives se male egisse cognoscentes, misericordiæ & voluntati Papæ se submittentes, in signum emendæ & culpæ recognitionis omnia arma dictæ Civitatis, cum catenis, quibus carreriæ claudebantur, ad dictum Palatium portaverunt: erectisque patibulis in locis in quibus hujusmodi rumor ortum habuerat, aut magis invaluerat, in eis culpabiliores suspenderunt. Et sic Papa cum ipsis mite agens eis pepercit, rumorque cessavit, nec ex tunc aliquid mali contra dictos Curiales egerunt. Dicto etiam tempore currente Dominus Sugerius Gomecii Archiepiscopus Compostellanus concertans cum vassallis suis super juribus Ecclesiæ suæ, fuit per eos crudeliter interfectus cum aliquibus Officiariis suis. Dicto Urbano adhuc Viterbii existente, venerunt ad ipsum memoratus Amedeus Comes Sabaudiæ, & Patriarcha Constantinopolitanus, & aliqui alii viri notabiles missi pro parte Imperatoris Constantinopolitani, pro sui parte eidem Papæ promittentes ipsum rediturum ad Romanæ Ecclesiæ unitatem, & super hoc breviter personaliter venturum ad ipsum Papam. Qui Papa de Viterbio recedens die XVI. mensis Octobris Romam intravit, occurrentibus sibi Clero & Populo Romanis, ipsumque solemniter recipientibus cum magno gaudio, ac Deum laudantibus de jucundo adventu suo. Postquam verò in Ecclesia beati Petri fecit suam orationem, ac in cathedra Papali fuit more solito collocatus, declinavit ad Palatium suum, dictæ Ecclesiæ contiguum, quod prius vetustate ac inhabitatione quasi consumtum ac dirutum saltem quo ad tecta, opere mirabili fecit renovari. Die vero ultima dicti mensis, quæ fuit dies Dominica in Vigilia omnium Sanctorum, primùm in Altari beati Petri Missam solemniter celebravit, & ibidem consecravit in Episcopum Sabinensem prænominatum Dominum Guillelmum de Agrifolio, qui longis temporibus ante non consecratus tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim Presbyter exstiterat Cardinalis. In dicto autem Altari à tempore Bonifacii Papæ VIII. non fuerat celebratum propter diutinam absentiam summorum Pontificum, qui in ipso tantùm sunt soliti celebrare. Satis citò post introitum suum in Roma præfatus Urbanus Papa constituit Vicarium generalem pro regimine Terrarum Ecclesiæ præfatum Dominum Anglicum Grimoardi fratrem suum jam per ipsum factum Episcopum Albanensem Cardinalem, quem hac de caussa destinavit Bononiam, voluitque quòd ibi suam continuam faceret mansionem. Destinavit insuper dictum Dominum Guillelmum Sabinensem Episcopum Cardinalem ad partes Neapolitanas caussâ sedandi discordias & guerras pro tunc vigentes inter Principem Tarenti & Ducem Andriæ, ex quibus fere tota illa regio mirabiliter turbabatur.

Anno Domini MCCCLXVIII. jam inchoato, die prima mensis Martii dictus Urbanus Papa venit ad Ecclesiam Lateranensem: ubi quum in crastinum in Sancta Sanctorum Missam celebrasset, Capita beatorum Petri & Pauli, quæ annis multis fuerant recondita, & sub Altari, in quo Missam celebraverat, clausa servata, ascendens amphitheatrum dictæ Ecclesiæ, ad communem plateam aspectum habens, toti Romano Populo ibi adstanti exhibuit & ostendit. Et quum thecæ seu capsæ, in quibus pro tunc erant reposita, essent satis modici & parvi valoris, ex tunc alias novas ordinavit fieri pretiosiores. Ab inde vero ad Palatium remeavit pacifice & quiete per Urbem equitando, rectamque viam tenendo. Nec obliquavit hinc vel inde, etiam occasione illius fatuæ mulieris, quæ aliquandiu Papatum dicitur occupasse, & in eadem via abortum faciendo peperisse refertur, quemadmodum aliàs nonnulli ex suis prædecessoribus fecisse leguntur. Præterea eodem mense ad ipsum Romam venerunt Johanna Regina Siciliæ, & Petrus Rex Cypri, superiùs memorati. Et quum tunc occurrerit Dominica *Lætare Hierusalem*, in qua consuevit dari per Papam Rosa aurea viro notabiliori tunc in Curia existenti, dictam Rosam memoratæ Johannæ, tamquam notabiliori, majori, & excellentiori, licèt vir non existeret, dedit, Regi prædicto ipsam in hoc præferendo: quæ more solito demum cum Cardinalibus & aliis Nobilibus per Urbem equitavit. Eodem anno, tempore æstivo instante, idem Urbanus deliberavit, se transferre ad Montem Flasconis, ubi aër purus est & sanus: fecitque ejus Palatium, utique satis pro tunc ruinosum, collapsum, & deforme, reparari, renovari, & mirabiliter adaptari ac novis officinis decorari. Et quum locus ipse non haberet aquas potabiles nisi cisternales ab intra, in medio Villæ puteum magnum & altum fodi & fieri fecit, aquam abundanter proferentem. Quumque ad dictum locum pervenisset, adeo in ipso delectatus est, quod moram suam in eo se velle facere etiam in æstatibus futuris ordinavit, audientiâ tamen caussarum in Viterbio residente, quum locus ipse pro tota Curia non existeret bene capax. Volens insuper locum ipsum per amplius honorare, Sedem Episcopalem in ipso constituit, & Ecclesiam Collegiatam in honorem beatæ Margaritæ dedicatam, ejusdem loci matricem in Cathedralem erexit, & à jurisdictione & subjectione Episcopi Balneoregensis, de cujus Diœcesi per prius existebat, ipsam eximendo subtraxit, eidem novum Episcopum præficiendo. Eodem anno die XXVI. mensis Julii obiit in dicto loco Dominus Nicolaus de Capocia Episcopus Tusculanus, Cardinalis Romanus, vir utique magnæ literaturæ, zelator maximus justitiæ, & pauperum continuus sustentator. Diebus enim singulis per hospitalia panem, vinum, & alia cibaria de & in domo suâ præparata abundanter faciebat distribui & pauperibus ministrari. Ultra quæ de ipso duo laudabilia notanter referuntur. Primò quod in Consistorio & consiliis sic libere & intrepide loquutus est, quod propter neminem sive præsentem sive absentem omisit dicere illud, quod sua conscientia sibi dictabat. Secundò quum esset valde practicus in decisione & prosequutione caussarum, amore Dei, pietatis intuitu, pauperibus litigantibus, quos sciebat justas fovere caussas, consilia dabat, eorum processus videbat, positiones & articulos ac alia eis ad

ad hoc opportuna dictabat; salaria etiam Notariorum, Procuratorum, & Advocatorum de proprio ministrabat; & etiam quandoque victui necessaria, secundùm quod eorum inopia exigebat. De bonis etiam à Deo sibi datis in Studio Perusiensi fundavit & dotavit notabile Collegium pauperum Scholarium, quod Sanctæ Sophiæ voluit nominari. Fecitque etiam multa bona Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, ubi jacet miraculis coruscando.

Eodem anno ex ordinatione Apostolica, & voluntate dicti Urbani Papæ, Corpus Sancti Thomæ de Aquino, quod a tempore obitus sui tumulatum remanserat in Monasterio Fossænovæ Ordinis Cisterciensis, ubi decessit, translatum fuit ad Conventum Prædicatorum Tolosæ. Ubi per ministerium Fratris Heliæ Raymundi tunc Generalis Magistri dicti Ordinis (qui dictum Corpus a præfato Monasterio, licèt cum inani gloria, priùs extiterat) fuit sibi sepulcrum miræ pulcritudinis præparatum, habeturque ibi usque in præsens tempus in magnis devotione & veneratione. Eodem etiam anno in die Nativitatis beati Johannis Baptistæ, dictus Urbanus Papa de consilio Cardinalium Fratrum suorum ordinavit, quòd in Missa dictæ festivitatis, & per Octavas ejusdem, diceretur in antea *Credo in unum Deum*; quod per prius non fiebat secundùm antiquas regulas. Licèt enim non fuerit de numero Apostolorum, non tamen reputandus est ipsis fuisse minor; & sic ejus festivitas in hoc non debet minùs honorari. Eodem anno die XXII. Mensis Septembris, quæ fuit feria sexta quatuor Temporum, præfatus Urbanus Papa in Monte Flasconis Dominos Guillelmum Judicis Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Stephanum Alberti Sanctæ Mariæ in Aguiro, antiquos Diaconos Cardinales in Presbyteros ordinavit. Et eadem die septem alios in Presbyteros Cardinales noviter assumsit, videlicet Dominum Philippum Cabasole Avinionensem, tunc Patriarcham Hierosolymitanensem: Simonem de Langan Anglicum tunc Archiepiscopum Cantuariensem, Monachum Ordinis Sancti Benedicti: Bernardum de Bosqueto Caturcensem, tunc Archiepiscopum Neapolitanum: Johannem de Dormannis Gallicum, tunc Episcopum Beluacensem, & Cancellarium Regis Franciæ: Stephanum de Parisius Gallicum, tunc Episcopum Parisiensem: Petrum de Banhaco diœcesis Lemovicensis, tunc Abbatem Montismajoris; & Franciscum de Tebaldeschis Romanum, tunc Priorem Basilicæ Sancti Petri de Urbe. Eodem anno Leonellus filius secundogenitus Regis Angliæ Dux Clarentiæ duxit in uxorem filiam Galeatii de Vicecomitibus Mediolani: venitque ad Civitatem Papiensem in qua modico tempore post supervixit. Eodem anno de mense Octobris Carolus Romanorum Imperator venit Viterbium ad dictum Urbanum Papam; ad cujus requestam cum magno exercitu intravit Italiam, invasores & occupatores Terrarum Ecclesiæ & oppressores debellaturus. Veniensque Veronam cum Nobilibus de Scala pecuniis & pactis intervenientibus concordavit. Deinde contra Mediolanenses acies suas direxit, sed tamdem nihil profecit. Propter quod iter suum continuare habuit versùs dictum Papam. Quem quum Viterbii, ut præmittitur, adiisset, ex ordinatione inita versùs Romam eum præcessit, ipsumque post sequentem expectavit in introitu Urbis; ibique, scilicet in porta, quæ est juxta Castrum Sancti Angeli, de suo equo descendens, stratoris vicem gessit, ac usque ad Basilicam Beati Petri pedester equi Papæ frænum tenens, ipsum adextravit, ac demum usque ad Altare majus deduxit. Mansitque in Roma exspectando adventum Imperatricis. Quam demum die omnium Sanctorum in altari Beati Petri dictus Urbanus Papa per prius inunctam per Episcopum Ostiensem Cardinalem, pro ut moris est, coronavit. Quo facto dictus Imperator satis citò post recessit de Urbe, versùs Bononiam dirigens gressus suos, secumque duxit ex ordinatione Papæ Dominum Guidonem de Bolonia Episcopum Portuensem Cardinalem. Quem discedendo de Italia suum Vicarium constituit, & in Luca suam mansionem ordinavit. Dicto etiam anno die III. mensis Decembris, quæ fuit prima Dominica Adventus Domini, natus est Carolo V. Regi Francorum filius, cui nomen suum, scilicet Carolus, impositum est; fuitque in ejus nativitate magnum gaudium toti Regno, quum pro tunc nulla spes esset, quod ipse prolem esset habiturus.

Anno Domini MCCCLXIX. die XV. mensis Aprilis, Romæ dictus Urbanus Papa canonizavit & Sanctorum Confessorum catalogo annotavit Sanctum Alziarium quondam Comitem Ariani, natione Provincialem, multis & magnis miraculis coruscantem, in cujus commendationem fecit sermonem valde solemnem, & audientibus multum utilem & ædificativum. Eodem currente tempore contigerunt multa magnalia, immo & terribilia fere in toto Mundo. Nam Ludovicus Dux Andegavensis, tunc Locumtenens Regis Francorum in partibus Occitanis, conatus usurpare Provinciæ Comitatum hostiliter invasit, ac per Rhodanum obsedit, & demum cepit locum de Tarasco, ab inde ulteriùs progredi & procedere intendens in usurpatione memorata; per mediationem dicti Urbani Papæ, qui per Nuntios suos circa hoc se interposuit, à suo hujusmodi proposito totaliter destitit, & locum prædictum dereliquit. Henricus etiam Comes de Trastamara frater naturalis Petri Regis Castellæ, qui, ut supra scriptum est, bello victus, in fugamque conversus, Regnum Castellæ, quod semel usurpavit, fuerat compulsus exire, viribus resumtis, coadunatis sibi quampluribus ad bella doctissimis, præsertim illis, quos dictus Carolus Rex Francorum sub ducatu Militis incliti Bertrandi de Clakin Conestabularii sui in ejus subsidium & adjutorium ordinaverat, Regnum prædictum reintravit, dictumque Regem Petrum, qui propter sui tyrannidem ac atrocitatem maximam, quas inhumaniter in suos diutiùs exercuerat, paucos sibi fideles habebat, adeo viriliter & intrepide persequutus est, quod satis citò ipsum cepit & manibus propriis interfecit, & ab inde Regnum ipsum obtinuit & possedit, nomenque Regis sibi etiam assumendo: nec fuit qui in his sibi tunc non applauserit, vel saltem attentaverit suæ resistere potestati. Et sic hereditas Isaac ad Ismaëlem est perducta. Quod an juste vel injuste, Dei est discernere, cujus judicia sunt abyssus multa. Petrus insuper Rex Cypri supra sæpius nominatus, qui ultra omnes Reges & Principes suos contemporaneos ad recuperationem & acquisitionem Terræ Sanctæ aspiraverat, & ad hoc alios multos incitaverat & induxerat, pro viribusque suis infideles multimode expugnaverat,

gnaverat, totus etiam bonus, virtuosus & animosus, velut alter Abel, vel Joseph innocens, per operationem & machinationem fratrum suorum fuit malitiose & crudeliter interemtus. Fuit præterea denuo suscitata guerra inter Reges Franciæ & Angliæ occasione ressorti seu superioritatis Ducatus Aquitaniæ, in quo absque hujusmodi recognitione pro tunc dominabatur Edoardus Princeps Valliæ, qui in signum denegationis superioritatis hujusmodi etiam se Principem Aquitaniæ faciebat nominare. Quumque etiam per ipsum, aut Officiarios suos in dicto Ducatu gravamina inferrentur, non erat qui provocare præsumeret, aut quomodolibet appellare. Si quis enim hoc attentaret, gravissime puniebatur personaliter vel in bonis. Ex quo Prælati, Magnates, Nobiles, Communitates, & generaliter omnes dicti Ducatus se meritò gravatos æstimantes, & ampliùs in posterum gravari formidantes, quasi communicato consilio, saltem pro majori parte deliberaverunt præmissis posse tenus obviare: habueruntque recursum ad Regem Franciæ, petentes ut pro sui & eorum juris conservatione ipsorum appellationes vellet admittere, eosque appellantes protegere & defendere loco & tempore opportunis. Qui eorum votis annuens, eorum appellationes admittere, eosque protegere ac tueri promisit. Quibus ad sui notitiam perductis, dictus Edoardus fuit turbatus vehementer: indignatusque graviter contra suos subditos memoratos, quos occasione hujusmodi incœpit multimode persequi & hostiliter impugnare. Qui sibi resistere non valentes, adversùs eum consilium & auxilium expetierunt dicti Regis, nolentes etiam sub dominio ipsius amplius remanere, ne fortè in posterum eis deteriora contingerent, se ex toto sibi submiserunt, reddiderunt, & tradiderunt. Quos ipse gratiose recepit, & ad eorum defensionem se disposuit & paravit per ministerium Ludovici Ducis Andegavensis fratris sui supra nominati. Fueruntque occasione hujusmodi in dicto Ducatu hinc inde insultus varii, Locorum captiones, cædes hominum, & alia mala & discrimina infinita. Anno etiam prænominato, scilicet MCCCLXIX. ad dictum Urbanum Papam Romæ existentem accessit Johannes Palæologus Imperator Græcorum. Fuitque receptus honorifice ac tractatus per dictum Papam & Cardinales paulominùs quemadmodum si fuisset Imperator Romanorum. Qui demum fuit reductus ad Romanæ Ecclesiæ unitatem, juravitque eidem perpetuò obedire, ac fidem ipsius servare in futurum. Super quo certam Bullam Græce & Latine conscripsit, & suâ bullâ aureâ sigillavit, quam in archivis Ecclesiæ conservandam dicto Papæ assignavit. Quo expedito, paulo post ad propria remeavit, de dicto Papa, a quo gratias & favores multos reportaverat, valde bene consolatus & contentus. Per idem tempus præfatus Urbanus Papa tam spiritualiter processus & sententias fulminando, quàm temporaliter ipsos manu armata expugnando, processit contra Perusinos, eorumque territorium, pro eo quod sibi & Romanæ Ecclesiæ obedientiam denegando, se ab ejus dominio, ad quòd pertinebant, malitiose subtrahebant. Cujus occasione etiam ipsi multa mala passi sunt, & etiam certis Terris & locis dictæ Ecclesiæ eis convicinis intulerunt, & præsertim quum per satellites suos discurrerent ante Viterbium, dicto Urbano ibidem existente. In cujus opprobrium multa ignominiosa & aliàs fere inaudita perpetraverunt. Deus tamen eorum demum justus vindex exstitit. Nam ipsorum patratores tandem mala morte perierunt.

Memoratus etiam Urbanus Papa, anno MCCCLXX. currente volens, quòd in Monasterio Casinensi, in quo, ut supra memoratum est, religio Monachorum nigrorum ex institutione & ordinatione Beati Benedicti suum quasi sumsit exordium, vigeret præcipue, essentque religiosi in ipso vitam exemplarem ducentes, quemadmodum aliàs exstiterant, postquam de Episcopali dignitate ipsum ad Abbatialem reduxit, tria fecit. Primò, quia erat collapsum in ædificiis, quæ propter terræmotum erant pro majori parte diruta, ipsum fecit reparari & reædificari, & in hoc voluit exponi proventus ipsius quamdiu vacavit. Secundò advocavit & collegit Monachos religiosos & devotos de diversis aliis Monasteriis, in quibus sciebat vitam monasticam melius & strictius observari, quos ibidem instituit & ordinavit perpetuò residere, amotis ab inde pluribus vagabundis & insolentibus, qui vitam secularem potiùs quàm regularem erant ibi soliti observare. Tertiò deliberavit eidem in Abbatem præficere aliquem, qui juxta regulam præfati Beati Benedicti vivens, ad sic vivendum Monachos suo exemplo alliceret, & etiam compelleret, ubi ad contrarium eos inclinatos inveniret. Et quum licet diutius perquisitum talem juxta suum votum in cœnobiis Monachorum nigrorum non inveniret, ne in suo hujusmodi sancto desiderio frustraretur, ad eremum Fratrum Camaldulensium sub Regula eadem Domino servientium seu famulantium, aspectum habuit. In quo quod optabat, adinvenit; virum videlicet qui totus erat devotus, orationi & lectioni assidue deditus, & aliàs Dei servitio semper intentus, beneque morigeratus, & in agendis circumspectus. Qui etiam omni tempore ab esu carnium abstinebat, alias insuper abstinentias, ordinationesque Monasticas juxta præcepta & instituta dictæ Regulæ indefectibiliter observabat. De quibus ipse plene informatus, eum ad se vocavit, & licèt satis invitum & renitentem eidem Monasterio præfecit in Abbatem, & ad perseverantiam in bonis operibus, ac ut cum timore Domini officium sibi traditum solicite & debite exerceret, ipsum caritative & dulciter admonuit & induxit. Qui tam onus sibi impositum quàm monita hujusmodi humiliter suscipiens, Monachos sibi subditos ad similiter vivendum induxit, & in debitis religione & obedientia tenuit, Monasteriumque ipsum pro tunc satis in spiritualibus & temporalibus reformatum in statu debito conservavit, deditque formam & aperuit viam suis successoribus & posteris, ut similiter facerent in futurum. Eodem anno quum dictus Urbanus Papa jam fecisset fieri seu fabricari imagines seu statuas pro conservandis Capitibus beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ erant de auro & argento mirabiliter operatæ, ornatæque multis gemmis & magnis notabilibusque lapidibus pretiosis, valorque earum communi æstimatione esset ad triginta millia Florenorum & ultra, devote & solemniter adstantibus multis & magnis notabilibusque personis, Capita dictorum Sanctorum reponi & includi fecit infra ipsas: quæ etiam demum fuerunt processionaliter & publice universis Clero & Populo Romanis ad hoc con-

convocatis, præsentibus etiam aliquibus Dominis Cardinalibus & Prælatis multis, per Urbem deportatæ, & demum collocatæ super Altare Lateranense in loco, seu alto & eminenti Ciborio super quatuor columnas marmoreas ad hoc specialiter miro opere præparato magnisque & fortibus januis ferreis circumdato. Adveniente insuper tempore æstivo, anno prædicto, idem Urbanus recedens de Urbe, vadensque ad Montemflasconis, declinavit Viterbium. Ubi primùm palam & publice manifestavit, se velle redire de proximo ad Civitatem Avinionensem, & ut omnes Curiales ad hoc se disponerent, ferias indixit à principio mensis Junii tunc instantis usque ad principium mensis Octobris postea sequentis. Et ad hoc faciendum dixit se esse motum, inclinatum præcipue & inductum pro eo quòd videbat ab una parte regionem illam pro tunc esse satis in pacifico & tranquillo statu. Et si quid fortassis esset dissensionis, illud sperabat breviter & ante discessum suum per tractatum aut aliàs debite terminari. Ab alia verò audiebat mala, quæ continue fiebant, & majora fieri sperabantur occasione guerræ noviter suscitatæ & exortæ inter Reges Franciæ & Angliæ memoratos; quibus ut obviare posset, multùm inerat menti suæ, eratque intentionis suæ, Domino favente, circa hujusmodi guerræ sedationem totis viribus laborare & intendere, etiam in propria ad dictos Reges accedendo hac de caussa, ubi aliàs super hoc se non posse proficere reperiret.

Eodem annò, die VI. mensis Junii, quæ fuit feria sexta quatuor Temporum post Pentecostem, in Monteflasconis idem Urbanus creavit duos novos Presbyteros Cardinales, videlicet Dominos Petrum de Stagno Diœcesis Ruthenensis Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiscopum Bituricensem, & Petrum de Corsinis Florentinum tunc Episcopum Florentinum. Dicto autem Domino Petro de Stagno, cui jam titulum Sanctæ Mariæ in Transtiberim assignaverat, Vicario in Patrimonio & aliquibus circum adjacentibus provinciis ordinato, idem Urbanus Papa iter suum arripiens mare intravit in Corneto die V. Septembris. Ubi invenit Galeas & navigia ad sufficientiam, de quibus cum magnis excellentia & apparatu sibi providerant Reges Franciæ, & Aragonum, Regina Siciliæ, Civitas Avinionensis, & Provinciales. Sicque divino sibi assistente præsidio iter suum continuando, Massiliæ feliciter applicuit die XVI dicti mensis, & XXIV. Avinionem. Ubi cum gaudio & exsultatione maximis receptus est. Eodem tempore Civitas Lemovicensis, quæ noviter subtrahendo se ab obedientia & dominio Edoardi Principis Valliæ & Aquitaniæ, dominio Regis Franciæ se submiserat, secundum quod fecerant fere omnes aliæ Civitates & Loca notabilia dicti Ducatus, obsessa fuit per dictum Principem, & tamdiu viriliter expugnata, quòd tamdem vi & potentiâ armorum per eum fuit capta cum omnibus in ea existentibus tam incolis, quàm aliis, qui pro sui tuitione ad eam confugerant, ac multis notabilibus viris, qui pro ejus succursu & adjutorio illuc advenerant. Fuitque demum totaliter demolita & destructa, ac ædificia ejus ad terram prostrata, & exinde effecta inhabitabilis & deserta, solâ Ecclesiâ Cathedrali dumtaxat remanente. Di-

A ctus etiam Urbanus Papa quasi a principio sui Pontificatus in plerisque locis continue ædificavit. Et primò in palatio Avinionensi, quod in magna parte ampliavit, in illa videlicet, quæ hodie vulgariter *Roma* appellatur, In qua factæ sunt cameræ, habitationes, deambulatoria, & viridarium miræ pulcritudinis & amœnitatis, habentia in se majorem delectationem, quàm etiam quæcumque aliæ in toto palatio existentes. In loco etiam de Bedeosco diœcesis Mimatensis, ubi erat Ecclesia baptismalis & parochialis loci suæ originis, spectabatque ad Domum suam paternam, a solo ædificavit pulcram & satis notabilem Ecclesiam, quam muris altis & turri-

B bus ad modum castri circumdedit. In qua constituit collegium certorum Canonicorum secularium & Decani, qui ibi haberent Deo perpetuò deservire, in memoriam sui & parentum suorum, quorum sepultura est & erat ibi ab antiquo. Dotavitque dictum Collegium tam de bonis paternis quàm aliis bene & sufficienter. In Ecclesia etiam de Quesaco dictæ Diœcesis, ubi est Oratorium spirituale & devotum Beatæ Mariæ Virginis, Collegium novum instituit certorum Canonicorum secularium & Decani, qui ipsis habeat præsidere: pro quorum sustentatione sufficienti reditus & proventus multos acquisivit & ordinavit; fecitque dictam Ecclesiam muris & tur-

C ribus altis circumdari. Idemque fecit in plurimis aliis locis & Ecclesiis Dei servitio deputatis in dicta diœcesi constitutis, de quibus dubitabat quod tempore guerræ faciliter possent capi aut hostiliter impugnari. In Roma etiam existens Ecclesias Lateranensem & Sancti Pauli, quarum tecta erant totaliter demolita, fecit mirabiliter & sumtuose reparari. Et idem fecit de Ecclesia Sancti Petri in ea parte in qua reparatione indigebat. Ibidem etiam juxta palatium suum fodi & aptari fecit unam Vineam maximi ambitus, de qua communiter, si bene & debite colatur & operetur, annuatim colligentur tercenta dolia vini. In qua etiam noviter plantari fecit multas vites & ar-

D bores fructiferas, quas de diversis & longinquis terris & partibus fecit asportari. Ipse insuper tam in Urbe quàm in aliis Ecclesiis ac locis religiosis & Ecclesiasticis, pro ut eorum necessitas exigebat, vestes sacras, calices, ornamenta Ecclesiastica, & Libros ad Officium divinum opportunos, innumerabiliter distribuit atque dedit, Reliquiasque multorum Sanctorum auro & argento, gemmis ac lapidibus pretiosis adornatas reposuit in eisdem.

Ipse præterea fuit multùm diligens & intendens Consistoriis & consiliis, diebus & horis ad ea debitis & ordinatis. Vacavitque cum omni solicitudine circa debitam & celerem expeditionem negotiorum Ecclesiæ & aliorum

E sibi incumbentium, & præsertim illorum, quæ pauperes concernebant; quæ etiam sæpius aliis prætermissis expedivit. Justitiam permaxime fovit & dilexit, deditque ordinem, quo mediante suo tempore in Curia mirabiliter fuit observata. Et hoc specialiter ne fierent brigæ, dissensiones, aut insultus, pro ut alias fieri solebant, per familiares Cardinalium & alios Curiales. De quibus, quum talia attentarunt, per suos Officiarios ordinavit sic fieri justitiæ complementum, quòd ceteri eorum exemplo perterriti à similibus se multimode retraxerunt Abusus etiam & observantiam seu verius corruptelam advocatorum & procuratorum Cu-

riæ,

riæ, ex quibus caussæ ibidem vertentes plurimùm protrahebantur, & ne ad expeditionem venirent impedimenta præstabant, una cum exactionibus indebitis, quæ in magnum gravamen & præjudicium litigantium antea per ipsos fiebant, cassavit, annullavit & interdixit, & ne à cetero servarentur aut fierent, prohibuit, certas ordinationes etiam pœnales super iis specialiter faciendo. Concubinarios & alios vitam inhonestam publice ducentes, quammaxime Ecclesiasticos, rigide compescuit, & ad correctionem & emendationem venire coëgit. Usurarios admodum persequutus est, adeo quod justitia mediante suo tempore de male allatis in Curia occasione hujusmodi restituta dicuntur ultra ducenta millia Florenorum. Simoniacos autem exsecratus est. Ementes & vendentes Beneficia sive spirituales gratias, aut super eis mercimonia illicita facientes, tractantes aut procurantes, aut etiam occasione talium exactiones indebite facientes, puniri multimode ordinavit; immo & eorum quamplurimos Curiam exire coëgit. Beneficiorum multiplicationem, præsertim incompatibilium, in eamdem personam concurrentium invitissime toleravit; immo multos ex illis, qui plurima obtinebant, privavit, relictis eis tantummodo illis, quæ suis statui & sufficientiæ congrue convenire judicavit. Super quo etiam Constitutionem edidit, quæ incipit, *Horribilis*: in qua quod suo tempore licere sibi non passus est, suis successoribus indicavit. Viros literatos valde dilexit, multosque ex ipsis promovit & exaltavit. Et ut daret ceteris addiscendi materiam & opportunitatem, quamdiu vixit in Papatu, suis expensis tenuit mille Studentes in diversis Studiis. Ex quibus quum aliqui jam erant provecti, aut aliàs deficiebant, illorum loco alios continuò subrogavit. Libros necessarios tam eis quàm aliis pluribus, quos scivit studio esse intentos, ipsisque indigere, etiam ministravit. In Montepessulano, ubi specialiter solet vigere scientia Medicinæ, instituit unum Collegium duodecim Scholarium, qui studerent in dicta facultate, & in ipsa haberent residere. Pro quorum sufficienti sustentatione reditus certos acquisivit & ordinavit. Libertates & jura Ecclesiarum posse tenus manutenuit & conservavit; & si qui essent eis derogantes, ubi post admonitiones & exhortationes debitas se non proficere vidit, contra ipsos processus & sententias faciendo viriliter & rigide insurrexit, cordatum, constantem & animosum, licèt benignus cum quibuscumque existeret, in hoc se mirabiliter demonstrando, sic & taliter quod suo tempore Ecclesiæ satis ubique in quiete & libertate permanserunt. De pauperibus & egenis, aliisque miserabilibus personis semper sibi singulariter cura fuit, adeo quod ubi ipsos pauperes esse cognovit, ipsorum inopiæ liberaliter & gratiose subvenit, præsertim illorum, qui aliàs abundantes exstiterant, & demum ad paupertatem deducti erubescebant mendicare. Sciens etiam plures de Clero multimode fore vexatos propter guerras, talliasque, & deveria, quæ hactenus earum occasione eis imposita exstiterant, ipsisque pio affectu compatiens, in diversis provinciis tam Regni Franciæ quàm aliorum, eorum Decimam ad mediam reduxit, ut si in posterum eam ipsis indici contigerit, ex ejus solutione minùs gravarentur. Non etiam nova subsidia imposuit, nec aliàs impositis usus est, nisi in quantum necessitas

A Ecclesiæ ad hoc ipsum artavit. Non enim curavit coacervare pecunias; & si quas aliquando habuit, ipsas feliciter aut in negotiis Ecclesiæ exposuit, aut in piis operibus erogavit.

Ad Beneficiorum collationes, provisionesque Ecclesiarum & Monasteriorum habens procedere, magnam inquisitionem, solertemque examinationem fieri semper fecit super meritis & sufficientia illorum, de quorum provisione aut promotione actum fuit. Per quas quum benemeriti & sufficientes inventi sunt, ipsos liberaliter & gratiose promovit, etiam quandoque inscios & non procurantes. Ubi verò inventum est oppositum, præsertim si fuerunt in vita vel conversatione maculati,
B aut scientia vel ætate notabiliter defectuosi, etiam quarumcumque precum seu intercessionum obtentu eos nullatenus, saltem scienter, admisit. Toto tempore suo diligentiam maximam adhibuit inquirendo mores & vitam generaliter omnium suorum subditorum, & præsertim Ecclesiasticorum. Super quo modum tenuit valde notabilem & honestum. Secretissime namque fere de omnibus nationibus advocavit ad se aliquas personas devotas & discretas, Deum & suam conscientiam ρe timescentes, quas super inquisitione hujusmodi per earum quamlibet in suis locis seu regionibus occulte fienda, & demum sibi referenda specialiter oneravit. Sicque actum est, quòd saltem notabilium fere omnium morum & vitæ
C satis notitiam habuit. Qua habita, bonos in bono confirmavit, malos verò a malo cohibuit, aut corrigi & emendari procuravit per visitatores aut reformatores, quos ad hoc demum specialiter deputavit. Volensque Curiales Ecclesiasticos sic honeste vivere, quod essent ceteris in exemplum, a principio suæ creationis pœnaliter ordinavit, quod omnes generaliter & indistincte in Adventu Domini, & duobus diebus quartam Feriam Cinerum immediate præcedentibus, ab esu carnium abstinerent, & in dictis duobus diebus seculares sive laicos in Curia existentes etiam voluit comprehendi. Affectum carnalem nequaquam
D ad suos habere se demonstravit. Nullum enim ex eis ad quamcumque Prælaturam promovit, nisi duos dumtaxat, videlicet memoratum fratrem suum, & unum nepotem ex consanguineo germano, Doctorum Decretorem, aliasque bonum & sufficientem, quem Ecclesiæ Sancti Pauli in Episcopum præfecit. Alios autem, quamquam essent boni & idonei, aut beneficiis satis simplicibus, aut officiis Curiæ voluit remanere contentos. De laicis etiam nullum exaltavit, immo nec per alios exaltari permisit. In cujus evidentiam expresse recusari ordinavit per patrem suum sexcentas Libras renduales, quas Rex Franciæ sibi dederat ob sui favorem. Nepotem etiam suum
E unicum, ad quem paterna hereditas pertinere debebat, non cum altiori immo nec cum æquali sibi in genere voluit matrimonialiter copulari. Suscepit namque sibi in uxorem filiam cujusdam Mercatoris Montispessulani satis simplicis, sui generis respectu; quam tamen, ut creditur, ipso adhuc in minoribus existente, dictus Nepos minime recepisset. Ipse etiam paternaliter & caritative omnes dilexit. In his tamen, quæ pertinent ad Deum, neminem timuit nisi eum cujus gratiâ suffultus sic & taliter rexit, quòd universaliter amabatur a bonis & verebatur a malis. Fuit enim sanctæ, & justæ intentionis faciendi in omnibus

quæ

quæ Deo credebat fore placitura, & contraria evitandi. Habuitque in mente constantiam, veritatem in ore, & efficaciam seu virtuositatem in operatione. Postquàm rediit de partibus Italiæ, totaliter mente disposuit in propria laborare circa pacificationem dictorum Regum Franciæ & Angliæ, ad quod etiam certa præparativa ordinavit. Sed satis citò magna infirmitas ipsum arripuit. Ex qua sentiens se gravari, mortemque sibi propinquam existimans, ad ea vacare destitit, sed ad illa quæ animæ suæ salutem concernere poterant, totaliter se convertit: humiliterque & devote sæpius confessus est, & cetera Ecclesiastica sacramenta suscepit. Præsentibus etiam Camerario, Confessore, pluribusque aliis familiaribus suis, ac aliis multis notabilioribus personis dixit & asseruit, se tenere & credere firmiter, sicque confessus & simpliciter quidquid sancta Ecclesia Catholica tenet, docet, & prædicat, & si per prius docendo, legendo, conferendo, prædicando, aut disputando, vel aliàs aliud quovis modo prædicaverat vel dixerat, totum id revocavit, voluitque haberi pro non dicto, submittens se & dicta sua hujusmodi correctioni & determinationi dictæ sanctæ Matris Ecclesiæ, à qua asseruit numquam se deviasse scienter. Tamdem verò post multa bona & virtuosa opera in Domino requievit die XIX. mensis Decembris anno Domini MCCCLXX. Pontificatus sui anno IX. Fuitque sepultus in Ecclesia Majori Avinionensi, demum transferendus ad Monasterium Sancti Victoris Massiliensis, ubi vivens suam perpetuam elegerat sepulturam, magnis & stupendis miraculis coruscando. Vacavitque Sedes diebus undecim.

Secunda Vita Urbani V. Auctore synchrono, Canonico Ecclesiæ Bunnensis, apud Baluzium.

PEractis exsequiis Domini Innocentii more solito novem diebus, die decimo Cardinales numero viginti intraverunt Conclave, die videlicet beati Mauricii. Et quum inter se concordare non possent, in Dominum Guillelmum Grimoardi tunc Abbatem Sancti Victoris Massiliensis absentem, in Regno Siciliæ Nuntium Sedis Apostolicæ, vota sua major & sanior pars direxit. Qui decreto electionis recepto, in Vigilia Omnium Sanctorum reversus est Avinionem. Interim verò quod Cardinales erant in Conclavi, Prælati quolibet die Missas celebrabant, & Sermones faciebant, rogando Deum pro felici & celeri Pontificis provisione, quodam speciali officio Missæ ad hoc ordinato, quod incipit: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem &c.* Die verò XXVIII. quum Dominus Guillelmus Papa futurus applicuisset Massiliam, eodem die misit Dominis Cardinalibus adhuc in Conclavi existentibus consensum electionis de se factæ. Tanta verò fuit inundatio Rhodani & Durantiæ, quod usque ad fossata pertingeret Civitatis; & Dominus Papa intrare non potuit usque in Vigilia Omnium Sanctorum. Tuncque inthronizatus fuit. Et facta insinuatione ad Populum, quod Urbanus V. vocaretur, mox ab omnibus cantatum fuit *Te Deum laudamus*. Die quoque Dominica sequenti, videlicet in festo Sancti Leonardi, post festum Omnium Sanctorum fuit in palatio coronatus per Dominum Magalonensem, qui tunc fuit Ostiensis Episcopus. Sed

A post coronationem non equitavit per Villam, ut moris est, licèt omnia parata fuissent, fastum vitans, pro ut dicebatur. Hoc tempore Rex Angliæ quasi totam Aquitaniam recuperavit de manibus Regis Franciæ, videlicet Johannis supradicti. Idemque Rex Johannes mensis hujus die XX. intravit Curiam. Et mane pransus cum Domino Papa, moram traxit apud Villamnovam in domo, quam Dominus Clemens inhabitare consuevit. Eoque præsente & totâ frequentiâ Curiæ, corpus Domini Innocentii fuit portatum ad Monasterium Cartusiense, ibique tumulatum in die Sanctæ Cæciliæ. Circa hæc tempora Comes Fuxi cepit in bello Comitem Armaniaci cum

B multis Nobilibus, pluribus interfectis. Mensis hujus die XXVIII. Dominus Papa citari fecit coram se Dominum Bernabovem, termino sibi præfixo ad primam diem Martii, ad audiendum sententiam condemnationis, quòd esset hæreticus. Et per alias literas mandavit citationem publicari per Prælatos sub aliâ datâ. Item fertur sententia contra eum in termino, & contra ad partem conceditur contra eum. Item proceditur contra communicantes, item contra faventes eidem. Demum lapso termino mandatur inquiri contra inobedientes præmissis, & iterum datur contumacia contra omnes per alias literas. In die Sancti Nicolai fuit duellum inter duos Milites ultra pontem

C Rhodani in præsentia Regis Franciæ & plurium Nobilium, neutro tamen interfecto. Die Lunæ XII. Decembris Papa providit Ecclesiæ Avinionensi de persona fratris sui nomine Anglici Canonici Regularis in Monasterio Sancti Ruffi prope Valentiam; quæ vacaverat temporibus duorum Pontificum prædecessorum suorum. Fecit etiam Dominum Vabrensem, qui Diaconus Cardinalis fuerat creatus per Dominum Innocentium, & Pœnitentiarius summus, Presbyterum Cardinalem.

Januarii die VIII. Dominus Papa sacra generalia celebrans, fratrem suum consecravit Episcopum cum aliis tam Abbatibus quàm Prælatis numero XXVIII. Die XXVI. Februa-

D rii Rex Daciæ intravit Curiam. Qua de caussa ignoratur. Martii die III. in Consistorio publico declaratus fuit hæreticus Dominus Bernabos Madiolanensis, & non longe post conflictum habuit, & bellum perdidit prope Bononiam. Mensis hujus die V. fuit Eclipsis Solis horâ Nonæ quasi duabus horis. Ejusdem mensis die Mercurii XXIX. Petrus Rex Cypri intravit Curiam, & in die Veneris sancta Crucesignatus est per Dominum Papam una cum filio Regis & multis Nobilibus contra Turcos. Anno Domini MCCCLXIII. & die XIV. Papa prædicavit Crucem contra Turcos, ordinans Passagium generale. Cujus Capitaneum constituit Johannem Regem Franciæ

E tunc præsentem, qui ibidem juravit Passagium facere à Martio præterito ad duos annos. Anno Domini MCCCLXIII. prædicto missus fuit in Italiam Dominus Cluniacensis Cardinalis. Maji die IX. recessit Rex Franciæ de Avinione versùs Parisius. Et nocte sequenti obiit Dominus Cardinalis Magalonensis. Maji die ultima recessit Rex Cypri de Avinione iturus ad Principes Mundi, eosque ad Passagium inducturus. Hoc anno fuit pestilentia gravissima quasi per omnes partes Mundi. Et circa festum Sanctæ Luciæ cœpit gelu fortissimum, ita ut omnia flumina congelata essent, me tunc Leodii morante, & Mosam sæpius transeunte.

eunte. Et duravit usque ad mensem Martii. Circa hos dies Dominus Bernabos reconciliatus fuit Ecclesiæ.

Obiit Dominus Petragoricensis Cardinalis Avinione anno Domini MCCCLXIV. mensis Januarii die XVII. Dominus Johannes Rex Franciæ reversus ad captivitatem in Angliam obiit, & fuerunt ejus exsequiæ in Capella Papæ celebratæ die Martis VII. Maji. Maji die III. reversus fui Avinionem prosequuturus litem contra Capitulum Bunnense, eo quod me a fructibus Præbendæ meæ suspenderunt. Hoc mense intraverunt Ambasiatores Romanorum supplicantes Papæ, ut ad Urbem se transferret. Dominus Engelbertus Leodiensis Episcopus hoc tempore transfertur ad Ecclesiam Coloniensem. Die XIX. Maji, Dominicâ Sanctæ Trinitatis, coronatus fuit Remis in Regem Carolus primogenitus Domini Johannis Regis Franciæ supradicti defuncti. Die XI. Julii Dominus Papa ivit ad Pontem Sorgiæ, & modicum stetit Avinioni, die XVI. Carpentorato & aliis locis quibusdam de Comitatu Venaysſini visitatis. Hic fecit processus contra Societates in Regno Franciæ existentes, concedens euntibus contra eas plenam Indulgentiam in mortis articulo. Circa finem hujus mensis magnæ Langustæ turmatim in tanta multitudine videbantur volare in aëre, ut Sole lucente umbram facerent super terram, nocte campos germinata depascendo cooperiebant, de quo multi multa præsagiebant; sed finaliter evanuerunt. (a) „ Mense Julii cœperunt „ in partibus Orientis nasci animalia sine cauda, similia gliribus, aut magis muribus, „ quæ Corchæ vulgariter dicebantur, blada „ omnia mirabiliter destruentia. Et paulo post „ bruchi cum grossis capitibus similes locustarum in tanta multitudine ab Oriente venerunt, ut omnem viriditatem usque ad „ radices vel duras fustes devorantes, terram „ sterilem albam relinquerent, & Solem quodammodo ad terram descendere impediret „ nubes multitudinis eorundem. Nullæque carnes porcinæ tunc essent in usu, sed propter esum bruchorum quasi venenatæ prohibebantur, ovaque gallinarum, quia eis similiter vescebantur, erant omnia rubea ultra modum, & quodammodo similiter venenata. Nec poterant hominis prohibere „ quovis remedio, quin per ostia & tecta „ replerent domos & tectos earum. Hi faciebant foramina in terram, quæ horum semine replebantur. Ex quo pestis desolatoria „ putabatur. Sed superveniens Favonius, dum „ volarent, eos in mari dejecit. „ Idem Dominus Urbanus V. misit ad Imperatorem Constantinopolitanum dictos Episcopos ad sciendum, an esset firmus in Fide jurata per eum Romæ in manibus sui prædecessoris omnibus Magnatibus & Populis suis. Qui respondit ei gratam responsionem, dicens omnes progenitores in Fide Catholica vixisse & obiisse, & se similiter agere & semper facturum, nihil discrepando a Fide Romanæ Ecclesiæ.

Anno MCCCLXV. Urbanus revocat omnia domanialia Regni Siciliæ tam vendita, impignorata, & perpetuò donata, quàm alias distracta. Et mandat restitui instrumenta inde confecta cum gravissimarum pœnarum illatione. Et hoc fecit motu proprio, & ad excusationem Reginæ in solemnissima forma. Anno Domini MCCCLXV. Pontificatus verò Domini nostri Papæ tertio, & die XXIII. Maji, Carolus IV. Imperator Romanorum venit Avinionem ad Papam cum magna comitiva, & cum Imperialibus insigniis intrando, à Domino Papa & Cardinalibus cum gaudio & honore receptus. Qui quidem visitata Civitate Arelatensi, antiqua sede regni sui, reversus est Pragam, recedens de Avinione die Lunæ II. mensis Junii. Eodem anno Rodulfus Dux Austriæ, habens filiam Bernabovis in uxorem, Mediolani moritur. Hoc tempore magna pestilentia fuit Coloniæ tanta, quod infra quatuor menses obierunt viginti duo millia hominum. Fuit etiam in Marchia Anconitana, & aliis diversis provinciis. Eodem anno die XI. Octobris, capta fuit Alexandria per Petrum Regem Cypri. Sed eam non fuit ausus tenere, dubitans de inimicis Christi: prædamque faciens, & ignem immittens, eam dimisit. Eodem anno & mense Dominus Papa existens in Massilia consecravit majus Altare in Monasterio Sancti Victoris Massiliensis. Die XXIV. dicti mensis reversus est Avinionem, & die sequenti intraverunt Ambaxiatores Romanorum. Hoc tempore vir magnanimus & magnæ virtutis Ægidius Episcopus Sabinensis, Apostolicæ Sedis Legatus in Terris Ecclesiæ, missus per Urbanum ad parandum vias ipsi venturo, contra Tyrannos occupatores Terrarum ipsius Ecclesiæ mirabiliter triumphavit, eosque subjugavit modis, quos in aliis Chronicis habes extense, & tamdem personaliter venit ad Regnum Apuliæ, & egit quod Regina dicti Regni tunc potentissima venit ad eum Aversam, & recepit ab ipsa homagium. Deinde congregavit Neapolim concilium Cleri & Populorum Regni, in quo actum est ut universi Magnates in suis manibus fidelitatem jurarent. Quod obtinere nequiverunt, quum ad id Regi pro tempore tenerentur. Ex quo recessit non bene contentus, licèt alios fructus magnos egisset. Anno Pontificatus Domini Papæ quarto, mense Novembris, Dominus Papa, ut Societates, quarum Capitaneus erat Dominus Bertrandus de Cliquino, exirent de Regno Franciæ, multam pecuniam promisit eidem, pro quibus solvendis Decimas indixit in Francia.

Eodem anno Pontificatus Domini Papæ quarto, Henricus Comes Transtamaræ, frater naturalis Regis Petri Castellæ, fretus auxilio Domini Bertrandi & Societatum suarum, intravit Regnum Castellæ, & coronam regni suscepit de manu Episcopi Burgensis, vivente adhuc Rege Petro, de cujus sævitiâ & malâ vitâ horribilia dicebantur. Et postea cepit Hispalim, & consequenter totam Hispaniam obtinuit, prædicto Rege Petro interfecto per eumdem Henricum. Hoc tempore Philippus frater Regis Franciæ duxit uxorem filiam Ludovici Comitis Flandriæ viduam relictam Ducis Burgundiæ, & eumdem Ducatum obtinuit cum ipsa Domina. Eodem anno in mense Junii, Dominus Papa concessit Regi Hungariæ prædicationem Crucis contra Turcos. Die VI. Augusti Admiratus Regis Cypri banderiam, quæ capta fuit Alexandriæ, Domino Papæ præsentavit Avinione. Circa idem tempus Amedeus Comes Sabaudiæ cepit Gallipolim de manibus Turcorum, & reddidit Imperatori Græcorum, cujus consanguineus erat. Eodem anno

(a) *Baluzius*: In alio Exemplari hæc Historia sic enarratur.

anno de menſe Septembris Dominus Papa creavit tres Cardinales, videlicem fratrem ſuum, & alios duos, Epiſcopum Maſſilienſem Prædicatorum, & Miniſtrum Generalem Minorum Ordinum, qui erat de Civitate Viterbienſi, ubi poſt mortuus fuit. Eodem anno die XVII. Octobris moritur Dominus Guillelmus de Griſaco grandævus Miles, genitor Domini Papæ. Hoc menſe fuerunt indictæ Decimæ per Alamanniam in ſubſidium Domini Imperatoris ituri cum Domino Papa in Italiam.

Anno Domini MCCCLXVII. & die VII. Januarii, Dominus Papa ivit ad Montepeſſulanum, ubi cum gaudio & honore receptus conſecravit Monaſterium novum per eumdem fundatum. Et ſequenti menſe Martii reverſus eſt Avinionem. Eodem anno die ultima Aprilis Dominus Papa receſſit de Avinione versùs Italiam, pergens Maſſiliam; ubi modicùm ſtetit, & ubi in præſentia quinque Cardinalium, ceteris Avinione morantibus, Cardinalem de Agrifolio fecit. Et poſt intrans mare, eundo versùs Italiam, die XXIII. Maji, quæ fuit die Dominicâ ante Aſcenſionem Domini, intravit Januam cum magna ſolemnitate & lætitia Populi receptus, ibique manſit uſque ad diem Veneris. Et relicto ibi Fratre Marco Cardinali Ordinis Minorum prædicto tractaturo pacem inter Dominos Bernabovem & Galeatium de Mediolano cum Civibus Januenſibus diſſidentes, cœpit navigare; ita quod die III. Junii, quæ fuit die Veneris ante Pentecoſten, intravit Cornetum. Ubi manſit uſque ad diem Pentecoſtes incluſive, qua die celebravit in Eccleſia Fratrum Minorum. Et die IX. dicti menſis intravit Viterbium cum magna jocunditate Populi, receptus in Rocha conſtituta pro Eccleſia per Dominum Ægidium Epiſcopum Sabinenſem, Legatum valentem, qui Terras Eccleſiæ quaſi ex toto perditas recuperavit; qui die XXIV. obiit, ſepultus in Aſſiſio, in Eccleſia Sancti Franciſci. Eodem menſe Septembris orto rumore inter Cives Viterbienſes & familiares aliquorum Cardinalium . . . . . de civibus & quatuor de familiaribus mortui ſunt, & facta fuit juſtitia de civibus aliquibus, ita quod decem fuerunt ſuſpenſi ante domos ſuas. Eodem menſe filius Bernabovis de Mediolano prædicti, qui cum magna Societate gentium armorum intravit Regnum Apuliæ, per Dominum Guillelmum nepotem dicti Legati, miſſum per Dominum Papam contra dictam Societatem, fuit in bello devictus, ipſo capto & ſuis omnibus vel captis vel interfectis. Eodem anno die VII. Octobris, venerunt Viterbium Amedeus Comes Sabaudiæ, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, & cum eis octo Ambaxiatores Imperatoris Conſtantinopolitani promittentis redire ad Eccleſiæ unitatem. Die Sabbati XVI. prædicti menſis Dominus Papa intravit Urbem cum indicibili lætitia Romanorum receptus. Ubi Dominus Marchio Eſtenſis, qui dextraverat Dominum Papam, in platea Sancti Petri fecit duodecim Milites, Domino Papa gradus Sancti Petri aſcendente. Die Lunæ ſequenti viſitavit Eccleſiam Lateranenſem. Die Dominica, quæ fuit Vigilia Omnium Sanctorum, celebravit in Altari Sancti Petri, in quo a Bonifacio VIII. non fuerat celebratum. Hoc tempore Dominus Cardinalis Albanenſis frater Papæ factus fuit Vicarius in Terris Eccleſiæ, & ivit Bononiam ibi moraturus.

Anno Domini MCCCLXVIII. die V. Januarii Luna eclipſata eſt quaſi circa tertiam horam noctis. Die prima Martii Dominus Papa ivit Lateranum, & ſequenti die Capita Apoſtolorum, quæ pluribus annis in Conclavi retenta fuerant, oſtenſa ſunt Populo innumerabili: quibus Dominus Papa fecit fieri thecas pretioſas de argento & gemmis, & ea in ipſis reponi fecit. Hoc tempore Rex Cypri Petrus venit Romam, & Domina Johanna Regina Siciliæ Dominum Papam viſitavit, & habuit Roſam de manu Papæ tamquam nobilior. Dominicâ, qua cantatur *Lætare Hieruſalem*, circa finem menſis Aprilis, viſa eſt Cometa in Occidente, comas ad Meridiem protendens; quam ſequuta eſt cariſtia anno ſequenti. Eodem anno in menſe Maji Dominus Papa ivit ad Monteflaſconem, moraturus ibidem de æſtate. Hoc tempore Dominus Carolus Imperator prædictus cum multis armorum gentibus intrans Italiam, obſedit Veronam, quam non cepit. Eodem anno die V. Julii, Dominus Papa Montemflaſconem, quæ antea erat Balneoregienſis diœceſis, in Civitatem erexit, ponens ibi Epiſcopum, menſæ cujus reditum deputavit. Eodem anno de menſe Auguſti Dominus Papa declaravit canonizandum Sanctum Alziarium olim Comitem Arriani, cujus Corpus eſt in Civitate Aptenſi in Provincia, & claret miraculis multis. Die II. Septembris, Viterbii combuſti ſunt duo Fratres Minores propter hæreſim. Die XXII. dicti menſis, creavit octo Cardinales, inter quos Prior Baſilicæ Sancti Petri fuit unus. Die IX. Octobris, rediturus ad Urbem receſſit de Monteflaſcone, & intravit Viterbium. Ubi Imperator exiens de Civitate Senenſi venit ad Papam. Die XVII. dicti menſis & ſequenti die iter arripiens præceſſit Papam ad Urbem cum gaudio & honore receptus per Romanos. Die Sabbati XXI. dicti menſis Dominus Papa venit Romam, quem idem Imperator vice ſtratoris adextravit a porta Collina, quæ eſt prope Caſtrum Sancti Angeli, uſque ad Baſilicam Sancti Petri, pedeſtris eundo & tenendo frenum equi. Deinde deſcendendo Dominus Papa, idem Imperator ipſum deduxit uſque ad Altare. Manſitque in Urbe infra Canonicam habitando, exſpectans adventum Dominæ Imperatricis uxoris ſuæ, quæ venit Romam die XXIX. dicti menſis cum decenti comitiva. Et die prima Novembris Domino Papa celebrante in Altari Sancti Petri Dominus Oſtienſis Cardinalis inunxit eam, & idem Dominus Papa impoſuit ſibi diadema, ac comitantibus eam duobus Epiſcopis Cardinalibus poſt prandium ad Lateranum coronata perrexit in lætitia gentis, quæ eam ſequebatur. Et Dominus Imperator eodem die fecit Milites. In die Sancti Clementis Domina Imperatrix receſſit de Urbe. Hoc tempore imponitur Decima omnibus Monaſteriis ſub Regula Sancti Benedicti viventibus pro reparatione Monaſterii Caſinenſis de terræmotu olim collapſi. Hoc tempore Dominus Papa fecit reparare multas Eccleſias in Urbe, ſpecialiter Eccleſiam Sancti Johannis de Laterano, & Eccleſiam Sancti Pauli. Hoc anno ſupradictus Rex Cypri per nobiles ſui Regni fuit interfectus.

Anno Domini MCCCLXIX. die Dominica, XV. Aprilis, adſcripſit Sanctorum catalogo Sanctum Alziarium prædictum, ſtatuens ejus feſtum celebrandum XX. die Septembris. Eodem anno, & die XVIII. dicti menſis, receſſit

sit ab Urbe Dominus Papa, eundo versùs Viterbium. Hoc tempore Perusini ceperunt movere guerram Ecclesiæ. Die primâ Julii venerunt Archiepiscopus Tharsensis, & alii Ambaxiatores Januensium & Venetorum. Qui concordes in liga contra Soldanum, obtinuerunt Indulgentiam absolutionis pro transfretando ad impugnandum Saracenos. Eodem anno die VIII. Augusti, Dominus Papa publicari fecit processus contra Perusinos. Et eodem die recessit de Monteflascone, ubi fuerat de æstate, & ivit Viterbium. Stante ibidem, & vidente de Rocha, exercitus Perusinorum intravit Patrimonium manu hostili. Et Johannes Aucuti Miles Anglicus ductor exercitus venit ante Viterbium, & inde recessit cum exercitu quasi statim, cremando vineas civium Viterbiensium, pergens versùs Montemaltum. Ubi in suburbiis aliquibus diebus mansit. Contra quos pugnantibus Dominus Papa concessit Indulgentiam. Hoc tempore Monasterium Casinense de Ecclesia Cathedrali reduxit in Abbatiam. Similiter hoc tempore Viterbii fuit mortalitas transmontanorum, in qua mortui fuerunt quinque vel sex Cardinales. Eodem anno, die XIII. Octobris, Dominus Papa venit ad Urbem, ubi jam Dominus Imperator Græcorum, nomine Johannes Palæologus exspectabat eum. Qui in die Sancti Lucæ in domo Sancti Spiritus de Urbe professionem fecit in præsentia quinque Cardinalium & duorum Protonotariorum. Et juravit, se perpetuo servaturum. Postea subscripsit manu propria cum sanguine conchylii, & bullâ aureâ sigillavit chartam scriptam Græce & Latine, repositam in archivis Ecclesiæ. Et deinde Dominicâ, XXI. dicti mensis, Dominus Papa veniens ad gradus Sancti Petri, eumdem Imperatorem obvium ascendentem excepit, & simul euntes ad Ecclesiam, Dominus Papa in ejus præsentia celebravit. Hoc tempore Dominus Carolus de Duracio cum Domina Margareta matrimonium contraxit.

Anno Domini MCCCLXX. de mense Januarii renovatum fuit Altaris Lateranensis Ecclesiæ Ciborium. In cujus cacumine locata sunt Capita Apostolorum per Dominum Cardinalem Bellifortis, qui postea factus est Papa, in duabus statuis argenteis, quas Papa, ut est dictum, fecit fieri. Hoc tempore concessa est Ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem de Urbe Fratribus Cartusiensibus. Eodem anno de mense Martii, recessit Dominus Imperator Græcorum cum quatuor Galeis, cum quibus venerat. Tunc de novo Præfectus Urbis movere cœpit guerram contra Ecclesiam. Die Lunæ crastino Paschæ, XV. Aprilis, facta Processione per Clerum Romanum de mandato Domini Papæ, à Sancto Petro usque ad Lateranum portare fecit........ fuerunt ibidem repositæ statuæ argenteæ supradictæ datæ unà cum Capitibus Apostolorum Petri & Pauli positis infra Ecclesiam Lateranensem per eumdem Dominum Papam. Die Mercurii sequenti Dominus Papa recessit de Roma, & venit ad Montemflasconem, crastino Sancti Marci Evangelistæ. Hoc tempore exercitus Ecclesiæ obsedit Vetrallum, locum dicti Præfecti. Qui postea fuit reconciliatus per Dominum Papam, & venit ad eum apud Montemflasconem. De mense Maji Dominus Papa rediturus Avinionem indixit vacationem à principio Junii usque VI. Octobris, & tunc privavit plures Scriptores, qui eum non fuerunt sequuti in Italiam. Die ultima mensis Maji Dominus Cardinalis Hierosolymitanus factus est Sabinensis Episcopus. Die Veneris VI. Junii fecit duos Cardinales, Petrum Episcopum Florentinum, & Petrum de Stagno Archiepiscopum Bituricensem. Qui Bituricensis fuit factus Vicarius, & antea erat missus pro Ecclesia Romana contra Perusinos in Ducatu Spoletensi. De mense Julii eodem anno fuit apud Sedem Apostolicam Domina Brigida de Regno Sveciæ, petens confirmari Regulam sibi revelatam à Deo, secundùm quam volebat vivere Moniales, & Fratres in Monasterio à se fundato in dicto Regno in loco de Ventena. Et obtinuit quòd secundùm Regulam Sancti Augustini viverent. Hæc Domina de pueritia revelationes divinas habuit. Et claruit in vita & post mortem. Eodem anno, die XXVI. Augusti Dominus Papa recessit de Monteflascone, iturus versùs Avinionem, manens Corneti usque ad diem V. Septembris. Tuncque intravit mare, & applicuit Massiliam die XVI. dicti mensis. Et post ivit Avinionem. Post ejus recessum Perusini pacem facientes, se dederunt Ecclesiæ, & per Syndicos suos missos Bononiam ad Dominum Legatum fratrem Domini Papæ recognoverunt Civitatem & districtus eorum ad Ecclesiam Romanam pertinuisse ab antiquo & pertinere. Tuncque pronuntiata est pax, & Dominus Bituricensis Vicarius intravit Perusium, & possessionem recepit pro Ecclesia. Cœpitque ædificare Citadellam. Eoque post recessum Domini Albanensis de Bononia eunte Bononiam mittitur Dominus Philippus Hierosolymitanus Cardinalis Sabinensis per Dominum Gregorium Papam XI. qui operi cœpto finem imposuisset, nisi quòd morte præventus fuit ibidem. Et post eum missus fuit Dominus Geraldus Abbas Majoris-monasterii prope Turonis. Qui quum opus cœptum quasi complevisset, Perusinis rebellantibus expulsus aufugit, ut infra dicetur. Eodem anno, de mense Novembris, Dominus Papa exiens Avinione, infirmitate arreptus portari se fecit de Palatio Apostolico ad domum fratris sui Cardinalis Albanensis, adhuc commorantis Bononiæ. Ubi die XX. Decembris, anno Domini MCCCLXX. migravit ad Dominum. Et corpus ejus locatum in Capella Papæ Johannis XXII. quæ est in Ecclesia beatæ Mariæ de Dompnis: ibique mansit usque ad ultimam diem Maji anni sequentis. Ubi Deus multa miracula operatur pro illis, qui ipsum invocant devotè. Et de dicta die ossa ejus translata fuerunt cum innumerabili multitudine gentium laudantium Deum in omnibus, quæ de ipso audierant, ad Monasterium Sancti Victoris Massiliensis, cujus pridem Abbas fuerat. Per quem Deus multa miracula facit, ut testantur infinitæ imagines cereæ appensæ ante Sepulcrum, & quasi per totam Ecclesiam dicti Monasterii, apportatæ per liberatos à diversis periculis & infirmitatibus ad invocationem nominis ejus. Vix est Ecclesia in Mundo in locis solemnibus, quin sit imago ejus depicta, & cum vigiliis & oblationibus honorata. Sedit autem in Papatu annis VIII. mense I. diebus XVII. Vacavit Sedes diebus XIII.

Anno (*b*) Domini MCCCLXVI. idem Urbanus publicavit suum accessum ad Urbem & pro-

(*b*) *Baluzius*. In alio exemplari hæc leguntur.

propriam Sedem, quæ diu caruerat gaudio præsentis Præsulis. Et tamdem impedimenta Galliæ superans, tam à fratribus procurata, quàm à rogantibus adhibita solerter, ultima die Aprilis MCCCLXVII. iter arripuit, Avinione relictâ, ad dictam Urbem cum LX. Galeis & pluribus navigiis, adeo quod una maxima Civitas ejus stolus videretur. Ipse in propria persona cum Galea Antonicorum mirabiliter fabricatâ, & nobilibus & aliis ornamentis ornatâ (præ omnibus aliis numero singularissima in toto Mundo fuit reputata) ad Civitatem Ostiensem se deponi fecit. Et quamcitò ibi fuit, misit diversos Nuntios ad tractandum pacem in Hungaria, Sicilia, & cum Bernabove, cum potestate monendi renitentes, ut revocarent gravamina Cleri. Sed contra Perusinos publicantur processus facti sub datâ Idus Augusti anno septimo. Huic nuntiavit devota Domina Brigida de Svecia per Nicolaum Comitem Nolanum, quòd si recederet, esset incipiens, & non perficeret iter suum. Et sic contigit. Obiit autem XIV. Calendas Januarii, Pontificatus sui Nono.

Tertia Vita Urbani V. auctore Petro de Herentals Canonico Floreffiensi, apud Baluzium.

URBANUS Papa V. primò fuit Abbas Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Antisiodorensi: deinde translatus fuit ad Abbatiam Marsiliæ; ipsoque apud Lombardiam existente in legatione, defuncto Innocentio Papa prædicto, Cardinales inter se discordantes in Conclavi apud Avinionem, tamdem mentio inter ipsos facta de dicto Urbano, qui vocabatur Grimoaldus; subitò in ipsum direxerunt vota sua, atque eum elegerunt in summum Pontificem. Hic homo strictus fuit, pompositates odio habens, & maxime sumtuosos status Cardinalium, quos invenit. Proposuit ergo ire Romam, sicut & fecit. Nam veniens Marsiliam, dum Cardinales recusarent eum sequi, statim ibidem duos ordinavit Cardinales, asserens quod in capillo capucii sui sufficientes habebat Cardinales. Unde Cardinales ejus constantiam videntes, suam audaciam prius habitam mutaverunt in timorem, & sequuti sunt eum. Veniens itaque Romam, primò constituit reparari Ecclesias Romanas. Fertur autem Abbas Ecclesiæ Sancti Pauli dicto Papæ magnam summam Florenorum obtulisse ad finem, quòd ad Cardinalatum posset promoveri. Accipiens itaque Papa hanc oblationem, de eadem constituit reparari Ecclesiam Sancti Pauli, & Abbatem in suo statu reliquit absque promotione. Sicque factum est, quòd Papa de dicti Abbatis pecunia fecit quod ipse Abbas facere debuit. Hic Romæ Imperatricem, uxorem Caroli de Bohemia, coronavit. Multa bona in Roma fecit, & tamdem reversus est. Et non multum post ibidem clausit diem extremum. Post cujus mortem multa dicuntur evenisse miracula circa ejus Corpus tam in Avinione, ubi obiit, quàm in Marsilia, ubi ipsum corpus translatum fuit in Ecclesia, ubi prius fuerat Abbas. Sed nondum propter dicta miracula extat canonizatus.

Quarta Vita Urbani V. auctore synchrono Aymerico de Peyraco Abbate Moyssiacensi, penes Baluzium.

URBANUS V. Monachus felicis recordationis & bonæ memoriæ, multa construxit pro Ecclesia & Ordine sanctissimi Benedicti, & pulcherrimam domum & Ecclesiam & Monasterium in Montepessulano fieri fecit. Et audivi ab eis, qui dicti operis faciendi erant commissarii deputati, quòd in septem millia Francorum & ultra in opere illo expensa fuerant cum dependentibus subsequutis. Et de maximis donis & jocalibus ditavit dictum locum, & de Reliquiis pretiosis. Ubi constituit perpetuò Monasterium Monachorum studentium & claustralium. Et dicebatur, quod si diu vixisset, Episcopatum vel Abbatiam erexisset. Marsiliæ, ubi præfuit Abbas, in Sancto Victore multa ædificavit, reparavit, & donavit. Et inibi quasdam Abbatias subjugavit, muros pulcherrimos & fortes cum vallatis Avinionensis Civitatis, & quamplurima alia citra montes & ultra sumtuosa construxit, quæ quasi incredibilia reputantur, facta in parvo tempore suo. Clericos diligebat, & libentissime dignos promovebat, & expensis suis & Ecclesiæ plures in diversis Studiis tenebat. Et pro speciali dilectione septem pueros unà cum Magistro suo in scientia Musicali peritissimo destinavit studio Tolosano, qui in Missa Majori studii voce dulci harmonizarent, atque in aliis facultatibus proficerent & erudirentur. In Studiis universis quosdam viros notabiles tenebat in habitu difformato, pro explorandis meritis studentium & labore, quos affectabat dignos nimium promovere. Simoniæ vitii fuit maximus exstirpator, & omnium bonorum & virtutum propagator. A cunctis Mundi Principibus timebatur. Et si diu vixisset, scientia Christianitatis incrementum habuisset. Erat magnanimus & valde robustus. Patrem carnalem habebat tempore sui Papatus bonum Militem: cui parum dedit & assignavit, dicens quod bona Ecclesiæ sunt pauperibus dispensanda, & quod genitor suus de propriis suis redditibus antiquis valebat congrue sustentari. Et qaando prædictus pater ejus obiit, præsens fuit, & eidem concessit plenariam Indulgentiam peccatorum, & eumdem benedictione Papali sanctissima manu propria sanctificavit & benedixit. Fuit maximus Clericus; & in Montepessulano, ubi specialem gerebat devotionem, legit ordinarie Decreta. Et vocabatur Guillelmus Grimoardi de diœcesi Mimatensi in Gavaldano. Et ad ipsius pedum oscula beatorum fere cuncti Christiani Principes accesserunt, vel excusationes legitimas cum honorabilibus & notabilibus Ambaxiatoribus transmiserunt. Et in eo refulserunt quasi omnium dona Spiritus Sancti gratiarum. Cum magna precum Dominorum Cardinalium instantia fratrem suum promovit ad Cardinalatus fastigium, licet probissimus esset, ex eo quia scientiam eminentem non habebat. Qui fuit devotissimus & maximus pauperum & Clericorum revelator, & etiam multa construxit in Montepessulano, Avinione, & multis locis. Et supervixit Papæ prædicto bene per viginti annos. Dictus Dominus Urbanus fuit in Marsiliensi Monasterio debitæ traditus sepulturæ, quam in vita sua fecit non minimùm sumtuosam de lapidibus ædificari. Et ibi

ibi per universum Orbem miracula Deus pro ipso intercedente clementissime operatur. Et audivi sæpius, quod in vita sua etiam frater suus Dominus Albanensis in quibusdam miraculis fuit gloriosissime exauditus. Ejusdem Papæ tempora universalis Ecclesia maximâ pace & libertate plenissime fruebatur. Et Dominum de Milano, Tyrannum crudelissimum, qui ipsum in minoribus constitutum Nuntium Apostolicum . . . . demum ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ compulit devenire.... magnæ Societatis fere inhonestetractavit. Totum Regnum Franciæ dissipabant, & quos ferro nec potentiâ Rex domare non poterat, subitò censurâ Ecclesiasticâ & orationibus institutis per eundem exterminati fuerunt. De isto enim Rege Franciæ Carolo, primitus receptis novis de nativitate ejusdem Regis nuntiis destinatis, prædixit, quod erat natus Ecclesiæ & Orbi universo præsignans in futurum quæ de misericordia Dei erant profutura.

Anno Secundo Pontificatus ejusdem Urbani, qui fuit MCCCLXIII. hyems solito acerbior & nimis horrida & importuna fuit. Multi enim pauperum, infantium, & mulierum nimietate frigoris defecerunt, & in multis aquis pisces sub glacie absorpti sunt. Glacies enim adeo spissa erat & valida, ut vehicula onusta super eam ducerentur, & quasi super solum equitaretur. Acciditque eo tempore, quòd magnæ Societates pervagantes & destruentes Regnum Franciæ properantes capere quemdam locum de nocte, quoddam magnum stagnum illæsi transiverunt, existimantes se supra terram ambulare. Rigore dicti frigoris quidam equitans supra equum frigore nimio tactus interiit: quem equus mortuum detulit in quodam hospitio Carcassonæ, in quo consueverat commeare; hospesque æstimans ipsum vivum, quia per apparentia vivus putabatur, ex rigore frigoris, volens ipsum tangere, recipiendo per manus, indilate & subitò cecidit. Qui quidem homo judicatus fuit per expertos per spatium unius leucæ obiisse. Dictusque Papa excommunicavit omnes transeuntes supra Rhodanum sic congelatum, pro eo quia Arelati quidam submersi fuerunt, confidentes de fortitudine glaciei. Nam tunc dicebatur, quòd Rhodanus continebat in spissitudine quindecim pedes glaciei. Propter quod prædicta vehicula onusta super glaciem ducebantur, & Rhodanum sic congelatum tam pedes quàm eques homines pertransire non verebantur.

Pontificatus etiam Domini Urbani anno tertio, anno Domini MCCCLXV. fuit factus Doctor Tolosæ sub Domino Guidone de Maleficco, nunc Cardinale Penestrino, Dominus Guillermus de Agrifolio Protonotarius Papæ. Et eadem die, quod admirabile & inauditum fuerat temporibus retroactis, dictus Dominus Gullermus doctoravit, videlicet Dominum Bertrandum de Pelejano Abbatem Sancti Severi de Bigorra, postque Abbatem de Monteolivo, Ordinis Sancti Benedicti, Petrum Olerii Abbatem Calesii, Ordinis Cisterciensis, Bernardum de Maloduino Priorem Beatæ Mariæ Deauratæ Tolosæ, vitâ, religione, doctrinâ, prædicatione, pietate ac multis aliis virtutibus insignitum (cujus memoriam dum recolo, vix lacryma conquiescit, sub cujus magisterio gradum Licentiæ & Doctoratus assumsi) Petrum de Cosnaco Priorem de Briva nunc Episcopum Tutellensem, Johannem Alberti Priorem Sancti Orientii diœcesis Auxitanensis, post Abbatem Mansi Agenesii, Guillermum Noveleti postmodum Cardinalem Sancti Angeli, Guillermum Sabbaterii Canonicum Agathensem, Rigaldum Astergii Canonicum Lingonensem, Officialem Biterrensem, Bertrandum de Gregiis Canonicum Agenensem. Qua die fuit etiam Doctor in Jure civili Dominus Guido Lesteria, dein Miles & Senescallus Ruthenensis. Et anno Domini MCCCLXVII. Dominus Urbanus prædictus, de cujus mandato, ut æstimo, prædictus actus excellentissimus factus fuit, dictum Dominum Guillermum de Agrifolio Protonotarium in Presbyterum Cardinalem motu proprio promovit in Civitate Marsiliensi, anno vigesimo septimo ætatis dicti Domini Guillermi. Dictus Dominus Urbanus privilegiavit Studium Tolosæ legendi & studendi, & gradus utrosque recipiendi in facultate Theologiæ: de quo Civitas & Studium magno jubilo exultavit. Idemque Dominus Urbanus Corpus Beati Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum in jocale Theologiæ ordinavit in Ecclesia Prædicatorum Tolosæ perpetuò persistere. Quod quidem Corpus fuerat pridem sublatum furtive de Monasterio Fossænovæ Cisterciensis Ordinis, in quo ab olim fuerat depositum: & idem Doctor gloriosus plenus miraculis in magna devotione ibi colitur, mirabili sepulturâ artificioso opere, & valore auri, argenti, & lapidibus pretiosis dignissime perornata, quòd Mausolæum potest dici. Tempore quo dictus Urbanus fuit Viterbii prope Romam, fuit maximus Populi tumultus in prædicta Civitate contra Papam & totam Curiam, dicentes: *Vivat Populus. Ecclesia moriatur*. Dictusque tumultus exordium habuit propter inhonestam spectationem cujusdam fontis vocati *Grisfols*. Et propter hoc Dominus Guillermus Bragose Cardinalis Vabrensis, maximus Canonista, & homo magni cordis, fuit à Populo male tractatus. Idemque Papa dictum tumultum malum fedavit, & dixit, quòd hoc erat initium malorum, & Ecclesia debebat multa mala tolerare, quod per diu non differretur. Fraticellos vocatos nonnullos à Fide catholica divertentes igne fecit concremari in Roma, dum Romæ fuit. De illis Clericis, quos dictus Papa in diversis scientiis & in diversis Studiis sumtibus propriis tenebat, Ecclesia Dei multipliciter illustratur, qui columnas Ecclesiæ viriliter sustentarunt. Ideo in prædictis Studiis generalibus, considerando quod Ecclesia sancta Dei viris literatis maxime eget ad columnas Ecclesiæ sustentandas, studiosos & in ipsis scientiis graduatos multipliciter ad Beneficia & dignitates assumebat & promovebat. Et sic Ecclesiam virtuosissime & sanctissime regebat.

Anno ejusdem Pontificatus tertio, fuit maximus conflictus, sive bellum asperrimum & durissimum inter magnas Comitivas jam per ipsum Papam excommunicatas & damnatas, indebite fere totum Regnum Francorum dissipantes, & gentes armorum Regis Franciæ in plano de Villa Dei diœcesis Montisalbani. Et ex parte Societatum erat principalis Perducatus de Lebreto, & Aymarus de Duchelo, olim Presbyter, & alii usque ad numerum decem millium hominum armorum. Gallici verò strenuissime se habuerunt. Et communiter dictum fuit, quod judicio Militum plus honoris tunc in dicto bello habuerunt victi quàm victores, qualitate facti circumspecta & strenuitate Gallorum. Sed quia sub justo

clypeo quamplures Dei judicio ſuccumbunt, gentes Regis Francorum fuerunt devictæ in illo campo. Inter quos fuit captus Guido de Baſio, A. de Hiſpania, prudentiſſimus Miles, Seneſcallus Carcaſſonenſis. Interfuit etiam Seneſcallus Bellicardi, qui de genere Bauſſorum in provincia Provinciæ, Vicecomes Narbonenſis, Vicecomes de Caramanho, Dominus de Terrida, & quaſi flos Militiæ totius patriæ. Et quia granum frumenti mortuum nullum fructum producit ſeminatum, dicta victoria fuit deſtructio illarum maledictarum Societatum. Nam expoſt certis inſtitutis orationibus dicti Papæ, & maledictionibus publice contra eas fulminatis, indignationem Dei & Populi incurrerunt, & fere cuncti fuerunt interfecti, & quaſi ut fumus diſſipati, & turpiſſime diſperſi evanuerunt. Contigit tunc res mirabilis ſatis, pro ut per informationem ſufficientem fuit denuntiatum Papæ prædicto. Ex parte Societatum illi, qui interfecti & mortui fuerant, ſupino corpore & facie versùs terram everſi reperiebantur in ſignum maledictionis. Illi verò, qui ex parte Gallicorum, ſeu patriæ, facie erecta ad cælum & corpore adverſo. Ego verò interfui prope dictum campum, habito conflictu ſtatim fere per tres dies, per ibidem faciens tranſitum, de Studio rediens ad larem proprium, auditis atteſtationibus multis, prædicta veritate potiri. Glorioſus enim Deus Jeſus Chriſtus mirabilia opera propter dictum Papam faciebat. Tempore dicti Urbani V. Princeps Aquitaniæ Eduardus qui Ducatum Aquitaniæ tunc tranquille, ſtrenue & pacifice regebat, tenuit quoddam ſolemne Concilium in Civitate Petragoricenſi, ubi interfuerunt decem & ſeptem Epiſcopi dicti Ducatus. At que ſermo fuit commiſſus Domino Oſtencio Epiſcopo Sarlatenſi maximo & famoſo Theologo, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpecto, & afluenter in divitiis temporalibus communito. Qui Epiſcopus eundem Principem in ſermone in quibuſdam Filio Dei comparavit. Propter quòd quidam invidi, qui ejuſdem celebrem famam offuſcare volebant, in Curia Romana prædictum Epiſcopum abſque cauſſa rationabili niſi fuerunt diffamare, pervertendo ejus tunc catholice dicta ſanè intellecta. Et quia tela prævifa minùs feriunt, volens obviare eorum verbis malitioſis & ſuggeſtionibus falſis, ad Curiam Romanam acceſſit, ſperans ſe defendere veraciter de objectis clam contra ipſum proloquutis. Et nec ibidem intereſſendo perſonaliter quiſquam partem fecit contra ipſum publice vel occulte. Quumque vocatus fuiſſet ad prandium, in collatione Dominus Urbanus interrogavit ipſum, ſi Papa & Eccleſia debebant gaudere de morte crudeliſſima Petri quondam Regis Hiſpaniæ noviter interfecti per ſpurium fratrem ſuum, pro eo quia rebellis erat Eccleſiæ, fautor Saracenorum & Judæorum, & quaſi infidelis infidelium propagator, & patrator malorum, & Populi Chriſtiani interemtor, allegans ſibi exemplum beati Benedicti de Presbytero, qui beato Benedicto invidens, de ſolio corruit, & de ejus ſubitanea morte Maurus exſultavit. De quo pater Benedictus diſcipulo pœnitentiam impoſuit, qui de morte ejus Presbyteri gaviſus fuit, ut beatus Gregorius in ſecundo Libro Dialogorum latiùs oſtendit. Qui Epiſcopus taliter reſpondit, quòd de expiatione vitiorum ipſius exſultabat, ſed tamquam de homine condolebat: quia odio exſecrari debent peccata, non homines, pro fraternitate & dilectione caritatis: Et Papa ait: *Nonne legiſtis in Pſalmo? Lætabitur juſtus, quum viderit vindictam peccatoris.* Tunc Epiſcopus propter ſanctitatis ſuæ dignitatem ſuperſedens reſponſioni dixit, quòd totum remittebat ordinationi & diffinitioni Papali. Et taliter petitio remanſit inſoluta, ad alia verba divertendo. Et hoc mihi Dominus Epiſcopus prædictus retulit tempore, quo Prioratum de Tanerio in Eccleſia ſua exiſtens Monachus tunc habebam. Et ultra mihi adjecit, quòd dictus Princeps non gratum accepit, quod ad laudem in conſpectu ſui dixerat, ſecundùm quod ſibi retulit quidam amicus ſuus. Qui dum ſecrete confabularentur, dixit eidem Principi quid dicebat de ſermone dicti Epiſcopi coram eo pridie facto. Qui ſibi reſpondit, quod dictus Epiſcopus, quamquam eſſet eloquentiâ & ſcientiâ mirabilis, & perſpicaciſſimi ingenii, ab eo joculatorum debebat habere mercedem, quia nec magnifice in conſpectu ſuo quiſquam erat extollendus, maxime magnus Princeps, qui propter caſus ſiniſtros fortunæ inopinate conſternari, & ſic actus præcedentes famoſi poterant oſtuſcari, & ad nihilum redigi & penitus confundi. Qui quidem Epiſcopus prædicta mihi aſſeruit, comprobando ſapientiam dicti Principis Eduardi.

Ad dictum Dominum Urbanum venit Imperator Romanorum, Imperator Græcorum, Johannes Rex Franciæ, Johanna Regina Siciliæ, & fere cuncti Principes ſeculi hujus eumdem timebant. Percepique quia quidam familiaris Cardinalis Petragoricenſis eximii Clerici & potentis domini paulo poſt creationem dicti Papæ interrogavit ipſum, quid dicebat de Papa prædicto. Qui dicitur reſpondiſſe: *Modo habemus Papam. Alios ex debito honorabamus, & iſtum neceſſe eſt nobis timere & revereri, quia potens eſt opere & ſermone.* Idem Papa volebat, quod omnes Clerici & Studentes oſtenderent honeſtatem in geſtu, ut in eis nihil indecorum eſſet. Inhibuitque Monachis nigris, quod de eorum capuciis auferrent cornetas, nec in Papali palatio quemquam Monachorum cum prædictis cornetis introducere patiebatur: alioquin à capucio per Officiarios ſuos illico & in continenti, interdum cum violentia evellebantur. Cluniacenſes etiam hunc modum obſervant, & per ſtatuta habent in capuciis eorum non deferendi cornetas. Etiam ipſe certum modum & forum parvum pannorum & veſtium ſtatuit in univerſis Studiis obſervari, ne Clerici pretioſitate veſtium confunderentur, & à continuatione ſtudii penuriâ deſiſtere haberent. Quod & vidi in Studio Toloſano tunc de facto obſervari. Romæ acceſſit, ubi multa laudabilia & magnalia egit, & fere in omni Italia, ubi per tres annos moram traxit continuam. Inchoatâque noviter guerrâ inter Reges Franciæ & Angliæ, volens perſonaliter dicta Regna viſitare, & dictos Reges inſimul congregare, rediit Avinionem pro pace inter eos pertractanda. Ubi paulo poſt adventum ſuum infirmitate naturali detentus, in Domino laudabiliter obdormivit, & obiit, pace imperfecta dictorum Regum & Regnorum, anno Domini MCCCLXX.

Ex

Ex Additamentis ad Ptolomæum Lucensem, è Codice MSto Patavino.

URbanus V. natione Lemovicensis, prius vocatus Guillelmus Grisant, post mortem Innocentii VI. dum esset Abbas Massiliensis, & in legatione ad Dominos de Vicecomitibus in Lombardia, electus est in Papam anno Domini MCCCLXII. mensis Septembris. Sedit annos VIII diebus VI. Hic summus Pontifex vir sanctus & eminenti virtute habitus, libertatis Ecclesiasticæ fortissimus defensor & innocentissimæ vitæ. Veniens enim ad Italiam & Romam intrans, Capita Apostolorum Petri & Pauli, quæ ubi locata forent, in memoria hominum esse desierat, invenit, & de Altari Basilicæ Salvatoris, quæ Sancta Sanctorum dicitur, in palatio Lateranensi, ubi recondita erant, reverenter levavit, eaque auro & pretiotissimis gemmis ornavit; fabricatoque tabernaculo seu ciborio marmoreo super Altari ligneo, quod in medio Ecclesiæ Lateranensis est situatum, illa omnibus conspicienda & veneranda honorabiliter collocavit. Et fecit etiam Palatium in Monte Flascone, prospectum habens ad lacum Vulsinum. Aliud item Palatium in Urbeveteri magnæ structuræ fabricavit. Deinde rediens Avinionem, animo tamen ad Italiam, ut ferebatur, redeundi, ibi defunctus est.

Ex Archivo Monasterii Sancti Victoris Massiliensis, penes Papirium Massonium, de Episcopis Urbis.

URbanus V. antequam ad Papatum assumeretur, nominabatur Guillelmus Grimoardus filius Grimoardi Militis, & Domini de Grisaco, Mimatensis diœcesis, & Dominæ Amphelisiæ de Monteferrando ejusdem diœcesis, conjugibus ex utraque domo de antiquis nobilibus. Artes liberales didicit præsertim in Studio Montispessulani. Audivit Jura civilia in Studio Tolosano per quadriennium. Vitam Monasticam elegit, habitumque Sancti Benedicti recepit, & factus est Monachus expresse professus in Prioratu conventuali de Chiraco Mimatensis diœcesis, & ibi ad Sacros Ordines rite & canonice promotus fuit usque ad Sacerdotium inclusive. Receptus fuit in Vicarium & Officiarium Claromontensem, & postea Uticensem. Demum ad Abbatiam Antissiodorensem, & postea ad Abbatiam Massiliensem fuit promotus per summum Pontificem sine sui petitione. Per Dominum Innocentium Papam VI. pro arduissimis Romanæ Ecclesiæ negotiis ipse diversis vicibus ad partes Italiæ & Neapolitani Regni fuit commissus. Defuncto Innocentio Papa VI. cœtus Dominorum Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ apud Avinionem existens, prædictum Dominum Guillelmum Grimoardi, ætatis quinquaginta trium annorum vel circa, tunc Abbatem Massiliensem, divina gratia favente, per viam Sancti Spiritus nominarunt, & elegerunt in Christi Vicarium summum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificem atque pastorem. Monasterium Sancti Victoris fecit incastellari, in fortalitium redigi, pro ut nunc est. Apud Montempessulanum de novo fundavit, construxit & dotavit unam magnam Ecclesiam in honorem Beatæ Mariæ Virginis, & Beati Benedicti, & Germani Confessoris. De Avinionensi Urbe accessit personaliter ad Montempessulanum cum fere omnibus Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc Cardinalibus, ubi majus Altare dictæ Ecclesiæ solemniter consecravit. Plurimas alias Ecclesias & Monasteria fundavit, construxit & dotavit. Apud Montempessulanum erexit & fundavit Collegium duodecim Medicorum studentium ibidem perpetuò, & illud Collegium dotavit sufficienter. Seipsum cum tota Curia de Avinione transtulit apud Viterbium. Et demum tractu temporis Romam, & fuit in partibus illis commoratus per tres annos cum dimidio, usque scilicet quo audita dissensione illustrium Regum Franciæ & Angliæ disposuit Avinionem redire, prout reversus fuit. Romæ existens, ad obedientiam Catholicam recepit Imperatorem Constantinopolitanum, qui ad ejus pedes veniens, ante gradus Ecclesiæ Sancti Petri per ipsum Dominum Urbanum ad manum in Ecclesia intromissus, confessus processionem Sancti Spiritus simul a Patre & Filio, unitatem & superioritatem omnium Catholicorum. Magnis sumtibus reparari fecit Palatium Sancti Petri jamdiu ante dirutum, & quintam partem majoris Ecclesiæ Sancti Petri, & majorem partem Ecclesiæ Lateranensis, & Ecclesiam Sancti Pauli extra muros. Capita Apostolorum Petri & Pauli, reperta in Capella, quæ dicitur Sancta Sanctorum in vasculis argenteis satis parvis & minùs nobilibus quàm decet, statim suis sumtibus duas statuas argenteas, unam scilicet in forma mediæ personæ beati Petri, scilicet ab umbilico supra, ponderantem mille septuaginta Marcas argenti, & modo consimili aliam ad formam Sancti Pauli eodem pondere, ordinavit & fecit, & illa in Lateranensi Ecclesia collocari fecit. Apud Avinionem indixit Passagium generale ad recuperationem Terræ Sanctæ per prædicationem, quam eleganter fecit in præsentia Regis Franciæ, & Cypri, & Dominorum Cardinalium. Qui quidem duo reges tunc ibidem Crucesignati ab eo & Dominum Cardinalem Albanensem sibi Legatum Apostolicum & Crucesignatum ad dictum Passagium receperunt humiliter & devote. Circa octivum annum suæ assumtionis in Pontificatum, incidit in quamdam infirmitatem Avinione, in qua ordinavit, quod quando ab hac luce migrasset, Corpus ejus sepeliretur more pauperum apud Beatam Mariam de Donis Avinione; & dum corpus suum ibidem esset incineratum, ossa portarentur Massiliam in Ecclesia Sancti Victoris, & ibi sepelirentur ante Majus Altare, ubi adhuc jacet. A qua infirmitate obiit in dicta Civitate Avinionensi anno ætatis suæ sexagesimo primo, & die XIX. mensis Decembris, circa horam nonam, Pontificatus sui anno IX. in camera domus habitationis Domini Cardinalis Albanensis, januis patentibus & apertis omnino, ut quilibet veniens ad videndum ejus finem felicem & catholicum, intrare posset, signum Sanctæ Crucis tenens in manibus, & vestitus semper existens, nec de illa infirmitate jacuerat quomodolibet denudatus. Post ejus mortem & sepulcrum in Ecclesia Beatæ Mariæ de Donis Avinionensis, in qua fere per decem & septem menses requievit, Dominus Gregorius Papa XI. ejus successor, præcepit solemne Sepulcrum more Papali in Monasterio Sancti Victoris Massiliensis juxta voluntatem suam sibi fieri; ad quod Sepulcrum fuit translatus, & ibidem de præsenti requiescit.

E Ca-

E Calendario Monasterii Sancti Victoris Massiliensis apud eumdem Massonium.

GUillelmus Grimoardi Abbas Monasterii Sancti Victoris Massiliensis assumtus fuit ad Papatum anno Domini MCCCLXII. quinto Calendas Novembris, & vocatus Urbanus V. Obiit Avinione anno ejusdem Domini MCCCLXX. decimo quarto Calendas Januarii. Translatum fuit Corpus ejus de Avinione ad sacrum Cœnobium Sancti Victoris Massiliensis, & positum in Capella Sancti Petri prope majus Altare anno MCCCLXXII. Nonis Junii. Sedit in Papatu annis VIII. mensibus II.

DE GREGORIO XI.

Prima Vita Gregorii XI. Anonymo Auctore synchrono, ex Editione Bosqueti penes Baluzium.

GREGORIUS Papa XI. natione Aquitanicus, de loco de Malomonte, diœcesis Lemovicensis oriundus, post dictum Urbanum V. fuit Avinioni electus in Papam die penultima mensis Decembris anno Domini MCCCLXXI. & die IV. mensis Januarii subsequentis Presbyter ordinatus, in crastinum verò consecratus & coronatus. Hic prius vocatus erat Petrus Rogerii: cujus pater erat Guillelmus Comes Bellifortis. Et in adolescientia sua fuit primo Notarius Sedis Apostolicæ, & demum Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis factus per Clementem Papam VI. cujus erat nepos ex fratre. Hic quamquam esset satis juvenis, quando fuit factus Cardinalis, quum nondum attingeret octavum decimum annum suæ ætatis, tamen erat totus ingeniosus & aptus, ac studio literarum valde intentus: volensque in eis proficere ampliùs post promotionem suam ad statum hujusmodi, accersitis sibi notabilibus Clericis, quos secum continue habuit, audiendo & legendo circa Legalem scientiam diutius insudavit, & adeo in ipsa profecit, quod unus de profundioribus & sufficientioribus totius Orbis in ea fuit effectus. Demum se convertit ad Canones, ad Theologiam, ac Philosophiam moralem, in quibus se adeo notabiliter profundavit, quod in collationibus, & consiliis ac aliis actibus suo statui congruentibus, in quibus de pertinentibus ad hujusmodi facultates actum fuit, sufficientissime peroravit. Cum hoc etiam circa decisionem caussarum diligenter institit, habuitque in ipsa tam juris quàm facti experientiam tantam, quantam quicumque alius status sui. In expeditione verò negotiorum sibi commissorum aut aliorum, quæ secum aut per eum tradenda occurrerunt, adeo modum peritum, gratum, benignum & mansuetum habuit, quod de ipso universaliter omnes secum agere habentes multum remanserunt contenti. Et quum esset humilis, modestus, circumspectus, & liberalis, ac aliis multis virtutibus dotatus, omnes tam seculares Principes quàm Prælati & alii quicumque ad ipsum recursum habentes, eum piissime dilexerunt. Habuit etiam magnam gratiam in Collegio Cardinalium, adeo quod demum suis suffragantibus meritis per debitam concordiam fuit, ut præmittitur, ab ipsis electus in Papam die supradicta de mane, quam sola nox præcesserat ab introitu Conclavis eorumdem. Fuit tamen ipse in consentiendo multùm renuens & contradicens, immo difficillime ad hoc potuit inclinari. Sed tamdem cum omni humilitate divinæ & ipsorum se supposuit voluntati.

Eodem anno quasi toto tempore vernali fuit terræmotus in Avinione & in locis circumvicinis, & in partibus Tolosanis permaximus. Ex quo perierunt loca multa, & habitationes corruerunt. Dictus etiam Gregorius Papa satis citò post assumtionem suam ordinavit Nuntios suos, legationis officio fungentes, Dominos Simonem de Langan, tituli Sancti Sixti, & Johannem de Dormannis, tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyteros Cardinales, quos destinavit ad Reges Franciæ & Angliæ, caussâ tractandi pacem & concordiam inter ipsos. Sed tamen, licèt diutius circa hoc laboriose & diligenter institerint, nihil proficere potuerunt, tum quia inimicitiæ erant inter dictos Reges nimiùm induratæ, tum etiam quia ipsi Cardinales videbantur partiales potiùs existere quàm tractatores; & meritò, quum primus Angliæ, & secundus Franciæ Regum prædictorum Cancellarii & familiares per prius extitissent. Hoc etiam non obstante dictus Gregorius Papa successive simili de caussa ad dictos Reges plures alios Nuntios suos, alterius tamen status & conditionis misit, immo & quamdiu Ecclesiæ præfuit, continue aliquos notabiles inter eos habuit circa tractatum hujusmodi laborantes. Eodem anno Civitas Perusina cum suo territorio fuit reducta ad obedientiam & dominium dicti Gregorii Papæ & Romanæ Ecclesiæ, cui longo tempore per prius inobediens exstiterat & rebellis. Et intravit ipsam Dominus Petrus de Stagno, tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim Presbyter Cardinalis, Vicarius pro dicta Ecclesia in provincia illa: fuitque receptus multùm honorifice & solemniter in eadem. Cujus etiam regimen & gubernationem ab inde suscepit, & tenuit donec de alio per dictum Papam fuit ordinatum. Dicto etiam anno, die VI. mensis Junii, quæ fuit feria sexta quatuor Temporum post Pentecosten, dictus Gregorius Papa fecit ordinationem duodecim novorum Cardinalium, videlicet octo Presbyterorum & quatuor Diaconorum. Presbyteri autem fuerunt Dominus Petrus Gomerii Hispanus, tunc Archiepiscopus Hispalensis; Dominus Johannes de Crosso diœcesis Lemovicensis, tunc Episcopus Lemovicensis, consanguineus ipsius Papæ in tertio gradu; Dominus Bertrandus de Cosnaco diœcesis Lemovicensis, Canonicus Regularis Ordinis Sancti Augustini, tunc Episcopus Convenarum; Dominus Frater Bertrandus Latgerii Alvernigena Ordinis Minorum, tunc Episcopus Glandatensis; Dominus Robertus de Gebennis frater Comitis Gebennensis, tunc Episcopus Cameracensis; Dominus Guillelmus de Chanaco diœcesis Lemovicensis, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, tunc Episcopus Mimatensis; Dominus Johannes Fabri diœcesis Lemovicensis, tunc Episcopus Tutellensis, consanguineus germanus ipsius Papæ; & Dominus Johannes de Turre in Alvernia, tunc Abbas Monasterii Sancti Benedicti Floriacensis. Diaconi verò fuerunt Dominus Jacobus de Ursinis, tunc Sedis Apostolicæ Notarius; Dominus Petrus Flandrini diœcesis Vivariensis, tunc Decanus Bajocensis; Dominus Guillelmus Noëlletti diœcesis Engolismensis, tunc Archidiaconus Carnotensis; & Dominus Petrus de

Vernhio

Vernhio diœcesis Tutellensis, tunc Archidiaconus Rothomagensis. Et isti tres ultimi erant etiam Auditores sacri Palatii, & dicti Gregorii Papæ Referendarii.

Eodem insuper anno dictus Gregorius Papa destinavit ad partes Italiæ pro regimine certarum Terrarum Romanæ Ecclesiæ Dominum Philippum Cabassole Sabinensem Episcopum Cardinalem. Eodem etiam tempore currente fuit pacificatus & reconciliatus Carolo Regi Franciæ Carolus Rex Navarræ, cui in recompensam Terrarum, quas per prius habere consueverat in Ducatu Normanniæ, fuit datus locus Montispessulani cum pertinentiis. Qui etiam pro tunc venerat ad dictum Gregorium Papam caussâ ipsum visitandi, & de sua promotione sibi congaudendi. Per idem tempus, quum Ducatus Aquitaniæ jam pro majori parte rebellasset Regi Angliæ & dominio ac regimini Edoardi Principis Valliæ sui primogeniti ad hoc per ipsum constituti, qui pro tunc satis graviter infirmabatur, & ad hoc personaliter intendere non poterat, dictus Rex deputavit Johannem Ducem Lancastriæ filium suum secundogenitum, qui vice sua dictum Ducatum adiret, eumque ad ipsum si posset reduceret, aut aliàs hostiliter expugnaret. Qui accersitis secum quamplurimis bellatorum, ipsum intravit, discurrit, vastavit, & damnificavit ubi & in quantum potuit. Sed quia ejus adventus satis a tea præscitus fuerat, optatis potiri non potuit, ut volebat. Loca namque fortia utplurimùm gentibus & victualibus munita fuerunt, adeo quod ipsa intrare non potuit, sed in campis aut locis apertis seu debilibus ipsum oportuit permanere. Victualia insuper in locis clausis invenit recondita, aut ab extra totaliter devastata. Et sic cum magno discrimine stetit diebus quamplurimis per dictum Ducatum equitando. Licèt enim continue peteret & appeteret inire prælium cum suis adversariis, non tamen fuit qui reciperet, ut sic ipse cum suo exercitu marcescerent & deficerent in se ipsis, interirentque aut saltem absque ense vel gladio, scilicet fame & inediâ vincerentur. Quemadmodum ipsis demum contigit, quum plures ex eis modo præmisso in via defecerint, equis eorum & evectionibus pro majori parte mortuis aut consumtis. Qua de re coacti sunt nedum cum damnis innumeris, sed etiam cum vituperio ad propria remeare.

Eodem anno, scilicet MCCCLXXII. qui fuit Pontificatus dicti Gregorii Papæ secundus, in mense Maji, per ipsum missus est Legatus ad Regna Hispaniæ Dominus Guido de Bolonia Episcopus Portuensis Cardinalis caussâ sedandi discordias & dissensiones, quæ jam oriebantur inter Henricum Castellæ, Petrum Aragonum, & Carolum Navarræ Reges. Qui per Dei gratiam post multos labores sic operatus est, quod ipsos ad bonam concordiam inclinavit, fueruntque confœderati ad invicem per parentelas inter eos contractas. Nam Johannes primogenitus dicti Henrici Regis Castellæ filiam Petri Regis Aragonum, & Carolus primogenitus Regis Navarræ filiam dicti Henrici receperunt in uxores. Eodem etiam tempore translatum fuit de Avinione Corpus Urbani Papæ V. ad Monasterium Sancti Victoris Massiliensis, in quo vivens suam perpetuam elegerat sepulturam, concomitantibus ipsum sex Cardinalibus, per ipsum ordinatis. Fecitque Deus ex tunc multa & magna ac stupenda miracula suorum meritorum obtentu, pro ut etiam per prius fecerat continue à die obitus ipsius, & demum continuavit in præsenti. Eodem etiam tempore currente quum Barnabos & Galeatius de Vicecomitibus Mediolani invaderent & occuparent aliquas Terras ad Romanam Ecclesiam pertinentes, dictus Gregorius Papa fecit contra ipsos processus juridicos, & contra talia attentantes in dictæ Ecclesiæ præjudicium aliàs fieri consuetos. Et inter alia volens, quòd novos favores aut amicitias cum aliis Magnatibus & Principibus non acquirerent per parentelas inter ipsos contrahendas, prohibuit & interdixit, ne aliquis cum ipsis aut eorum filiis & filiabus matrimonialiter conjungeretur, decernens irritum & inane quidquid in contrarium attentaretur. Quod aliàs vix aut raro legitur fuisse factum. Ejus tamen occasione plures ab eorum confœderationibus se pro tunc retraxerunt, qui aliàs libenter ad eas processissent. Quumque processus hujusmodi ipsos non plene à suis malitiis cohiberent, idem Gregorius Papa totus bene cordatus manu armata contra ipsos procedere decrevit, aggregavitque adversùs eos magnum exercitum armatorum tam de Terris & colligatis suis quàm de Regno Franciæ & confinibus ejus, cujus generalem Capitaneum ordinavit Amedeum Comitem Sabaudiæ. Qui onere hujusmodi in se assumto viriliter agressus est Terras & dominia ipsorum, & per cædes, incendia, & alia in guerris fieri solita eis intulit multa damna, loca etiam quamplurima acquisivit. Sed quia nec sic ex toto domari potuerunt, locis jam captis penes ipsum aut Ecclesiam remanentibus, fuit facta quædam sufferentia seu treuga inter dictum Papam & ipsos: quæ licèt à principio reputata fuerit utilis & expediens pro Ecclesia, tamen effectus subsequens ipsam multimode demonstravit esse damnosam: Nam ipsa durante prædicti se colligaverunt cum Florentinis, & aliis Civitatibus Tusciæ: sicque eorum pars fuit reddita fortior & difficilior ad vincendum. Prædictis peractis, memoratus Gregorius Papa ordinavit & destinavit Vicarium suum generalem pro regimine Civitatis Bononiensis, & aliarum Terrarum adjacentium Dominum Guillelmum Noëlletti, tituli Sancti Angeli Diaconum Cardinalem. Gubernationem verò Civitatis Perusinæ, Patrimonii beati Petri, & certarum aliarum provinciarum commisit Domino Geraldo de Podio tunc Abbati Majoris Monasterii Turonensis, volens quod etiam nomine & officio Vicariatus fungeretur. Eodem etiam tempore dictus Gregorius Papa reconciliavit sibi & Ecclesiæ Romanæ Insulam Siciliæ, quæ eidem fere sexaginta annis inobediens extiterat & rebellis, fueratque per idem tempus Ecclesiastico subjecta Interdicto; & hoc ideo, quòd quum esset de feudo Ecclesiæ ac pars potissima Regni Siciliæ, se subtraxerat à dominio & subjectione Regis Siciliæ & Hierusalem vassalli specialis Ecclesiæ, & in ipsa tyrannide Fredericum de Aragonia dominari permiserat, in ipsius Ecclesiæ & dicti Regis præjudicium, vituperium & jacturam. Fuitque pax reformata inter Johannam tunc Reginam Siciliæ & Hierusalem, & dictum Fredericum dictam Insulam detinentem. Pro cujus confirmatione fuit in dicta Insula per dictum Papam regnum noviter erectum, quod Trinacriæ nuncupatur. Cui noviter dictus Fredericus fuit confirmatus & sublimatus in Regem

Regem sub pacto expresso, quòd in posterum ipse & successores sui Regnum hujusmodi tenerent in feudum immediate à dicta Regina & successoribus suis: quòdque darent sibi in tributum sive in censum annuatim summam quindecim millium Ducatorum. Pro reconciliatione autem hujusmodi modo debito fienda, amotione dicti Interdicti, dicti Regis novi coronatione, pacisque prædictæ confirmatione, ac expeditione aliorum, quæ circa hoc agenda videbantur, per dictum Papam missus fuit ad dictam Insulam Dominus Johannes de Revellone Episcopus Sarlatensis, qui omnia juxta sibi imposita feliciter consummavit.

Anno Domini MCCCLXXIV. fuit magna pestis mortalitatis tam in Avinione quàm in partibus circumvicinis; ob cujus timorem dictus Papa exiit Avinione, & ivit ad alia loca circum adjacentia, quæ dictâ peste non erant infecta. Eodem etiam anno fuit in eisdem partibus magna bladi caristia, & permaxima in partibus Tolosanis, adeo quod ibi vendebatur Quarto frumenti pretio sexaginta Florenorum, & quandoque etiam pro illo, immo etiam pro majori pretio non reperiebantur venditores. Propter quod etiam multi divites & pecuniis abundantes fame perierunt. Sed mirum de Dei misericordia & pietate, quæ sic disposuit & ordinavit, quod eodem anno in dictis partibus ante novorum fructuum recollectionem fuit frumenti tanta sufficientia, quod Quarto habebatur pro decem Florenis, immo & pretio minori. Eodem anno Jacobus Rex Majoricarum accersitis sibi pluribus armigeris intravit Regnum Aragonum causâ recuperandi Regnum & terras, quæ aliàs fuerant patris sui, & quas jure hereditario ad se pertinere prætendebat. Sed nequaquam prævalere potuit. Immo ipso ibidem absque prole vitâ functo, sui commilitones satis inanes & vacui ad propria retrocedere sunt compulsi.

Paulo post verò, scilicet anno MCCCLXXV. Johanna Regina Siciliæ ejus conjunx recepit sibi in virum Ottonem de Brunsvich, etiam solo nomine Ducem, quum nec terras haberet, nec etiam dominia. Erat tamen miles valde generosus, oriundus de Alamannia, staturâ pulcher, & admodum strenuus in annis. Anno Domini MCCCLXXV. die XX. mensis Decembris, quæ fuit Jovis ante feriam sextam quatuor Temporum, dictus Gregorius Papa XI. creavit novos Cardinales, videlicet octo Presbyteros & unum Diaconum. Presbyteri verò fuerunt, Dominus Petrus Judicis diœcesis Lemovicensis, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiscopus Rothomagensis, consanguineus germanus ipsius Papæ; Dominus Simon de Broussano Italicus, tum Archiepiscopus Mediolanensis, Referendarius ipsius Papæ; Dominus Hugo de Montelegum Brito, tunc Episcopus Briocensis; Dominus Guido de Maleficco diœcesis Tutellensis, tunc Episcopus Pictavensis, consanguineus & Referendarius ipsius Papæ; Dominus Johannes de Grangia diœcesis Lugdunensis, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, tunc Episcopus Ambianensis; Dominus Petrus de Sortenaco Caturicensis, tunc Episcopus Vivariensis; Dominus Geraldus de Podio, tunc Abbas Majoris-monasterii, consanguineus ipsius Papæ, & Vicarius suus in Perusio; & Dominus Johannes de Buxeria Burgundus, tunc Abbas Cisterciensis. Diaconus verò fuit Dominus Petrus de Luna Aragonensis, Decretorum doctor, Præpositus Valentinensis. Et heic attendendum quòd ista creatio non fuit facta die Veneris, secundùm quod aliàs est fieri consuetum. Et hoc ideo quia illa die occurrit festum beati Thomæ Apostoli, qua die non fuit tenendum Consistorium. Fuit etiam protelata dictæ creationis publicatio usque ad diem Sabbati subsequentem propter dictum festum, quum tamen aliàs in crastinum ipsius fieri debuisset. Eodem tempore Communitas Florentina contra dictum Gregorium Papam & Romanam Ecclesiam insurrexit, dolosèque & malitiose operata est, quòd fere omnes Civitates & loca alia, quæ ad dictam Ecclesiam in Italia pertinebant, ei se confœderaverunt, & colligaverunt, in unumque convenerunt, ut amodo excusso à se quocumque alio superiori, vel Domino, in sua libertate viverent & permanerent. Factoque Vexillo, in quo solùm magnis literis erat descripta LIBERTAS, ordinaverunt magnam gentem armigeram, quæ cum Vexillo hujusmodi dictæ Ligæ adhærere volentes confoveret, resistentes verò vi & potentia ad eam sectandam comprimeret & arctaret. Sicque factum est, quòd quod quasi uno contextu sive impetu omnes Civitates, locaque, & Castra dictæ Romanæ Ecclesiæ adversùs eam spiritum rebellionis assumserunt; Officialibus ipsius aut interfectis, aut turpiter ejectis, Rochæ, Castraque, & munitiones, quæ in ipsis erant, aut ad terram funditus prostrata sunt, aut per alios tyrannice occupata. His autem dedit initium Civitas Bononiensis, cujus incolæ præfatum Dominum Guillelmum Noëlletti, Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, Vicarium generalem ibidem commorantem primò captivarunt, demum bonis suis spoliatum admodum ignominiose ab inde exire coëgerunt. Et idem fere per omnia paulo post fecerunt Cives Perusini de Domino Geraldo de Podio, qui etiam Vicarius ibidem permanens paulo ante fuerat factus Presbyter Cardinalis.

His verò ad notitiam dicti Gregorii Papæ deductis, ipse vehementer turbatus est, & tristis effectus, providitque circa ea quantum sibi possibile fuit. Et primò fecit processus suos contra dictos Florentinos, qui eisdem, pro ut præmissum est, caussam & occasionem præstiterant; quos etiam aggravavit & reaggravavit. Et postquam eos sententialiter pronuntiavit hostes suos & Ecclesiæ, sub pœnis & sententiis contentis mandavit, ne aliquis eis vel eorum alicui participaret loquendo, comedendo, bibendo, emendo, vendendo, aut aliàs quovis modo, daretque consilium, auxilium, vel favorem directe vel indirecte. In eorum etiam majorem detestationem pari modo mandavit, quòd panni aut aliæ merces quæcumque per eos, aut in earum territorio factæ, sive titulo emtionis, sive donationis, aut aliàs qualitercumque, ad usum aliquorum nullatenus cederent aut reciperentur, nisi in quantum hoc ad eorum damnum seu jacturam cedere posset. Confiscavit nihilominus omnia eorum bona tam mobilia quàm immobilia, ubicumque consisterent. Personas insuper eorum capientium suas fieri ordinavit. Quorum occasione multi tam in Avinione quàm aliis variis partibus collocati cum damnis & detrimentis innumeris ad propria redire sunt compulsi. Ex quibus eorum Communitas ad cor minime reversa est, immo fortius in sua malitia exstitit indurata, continue pejora prioribus con-

contra dictam Ecclesiam procurando & machinando, libellos etiam diffamatorios, falsa tamen & erronea continentes, contra statum ipsius Ecclesiæ & personam dicti Papæ ubique transmittendo. Fecit præterea dictus Gregorius Papa suos processus contra alios, qui sibi & Ecclesiæ rebellaverant, & alia commiserant superius enarrata, prout eorum cujuslibet demerita exigebant. Et quia nec sic ad emendationem seu reductionem inclinabantur, decrevit ad fortia apponere manum. Misit enim ad partes Italiæ Legatum suum de Latere Dominum Robertum de Gebennis Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem cum ingenti exercitu armatorum, caussâ confovendi illos, qui in fidelitate persisterent, in fideles verò & rebelles compescendi, aut aliàs ad sui obedientiam reducendi. Cui, ne in his majora obstacula occurrerent, dedit in mandatis, ut transeundo per Terras Mediolanensium, inter ipsum & eos pacem & concordiam iniret, si & prout sibi expediens videretur. Ipse verò quum Terras prædictas intravit, considerata negotiorum sibi impositorum qualitate, judicavit esse pro meliori, ut ad dictam pacem firmandam procederet, pro ut & fecit. Oportuit tamen quod pro ipsius solidatione ad prædictorum dominiorum loca per prius possessa seu detenta per ipsos, & quæ demum guerrâ memoratâ durante per gentes Ecclesiæ ab ipsis erepta fuerant, reducerentur. Quod non modicum fuit lamentabile aliquibus, illis præsertim, qui se sponte Ecclesiæ reddiderant, quum viderent se reductos ad manus illorum, quos sciebant se in præmissis offendisse. Ab inde verò procedens venit ad provincias Ecclesiæ suo regimini decretas, in quibus viriliter operatus est quidquid boni potuit quo ad conservationem illorum, qui in bona fidelitate perstiterant. Quo ad reductionem verò illorum qui rebellaverant, nihil effectualiter profecit, duritiâ cordis eorum, malitiâque & astutiâ tam Florentinorum quàm aliorum, cum quibus erant colligati, sibi obsistentibus ex adverso. Dictorum autem rebellioni & revolutioni occasionem dedisse dicuntur tria; primò naturalis inconstantia, quæ patriam illam & ejus incolas in eodem statu permanere diutius sinere non consuevit; secundò appetitus seu ambitus dominandi, qui sic innatus est in cordibus eorum, quòd invitissime vident alium quàm se dominari; tertiò gabellarum, talliarum, daciarum, & similium impositio, ex quibus ipsorum judicio magna pars suæ substantiæ eis subtrahebatur per illos sub quorum regimine per prius consistebant. Et si hoc ultimum non exstitisset, aut saltem magis mitigatum fuisset, forsitan hæc & eis similia tunc & aliàs retroactis temporibus non contigissent. Sed quia qui nimis emungit, sanguinem elicit, & qui nostra tollit, inimicus est, ideo non mirum &c. Prædicta autem durante tempestate fuit per literas & Nuntios speciales insinuatum dicto Gregorio Papæ, quod si ipse personaliter veniret ad partes Italiæ, confestim prædicta omnia recuperaret, & alia quæcumque præmissa ad statum debitum reducerentur, cessarentque machinata & procurata & tractata ultra tam contra statum suum, quàm Ecclesiæ memoratæ, quæ secundùm relationes & considerationes plurium, majora & pejora prioribus existebant.

Ipse vero volens circa ea providere, & ipsis posse tenus obviare, deliberavit se transferre ad partes Italiæ memoratas, suosque gressus dirigere versùs Romam, quum etiam Romani sui optantes præsentiam, caussâ ipsum ad hoc alliciendi, multa & magnalia promitterent, se facturos in sui favorem & honorem quamprimùm ad ipsos declinaret. Qui sic disposuit facere & ordinavit, quamvis contra consilium & deliberationem quasi totius Collegii, omniumque amicorum suorum. Et die XIII. mensis Septembris anno Domini MCCCLXXVI. de Avinione recessit; iter suum arripiendo versùs partes memoratas cum Dominis Cardinalibus; sex dumtaxat exceptis, qui Avinioni remanserant. Intravitque mare in Massilia, ubi invenit Galeas & navigia ad sufficientiam pro se & concomitantibus eum; & ab inde progressus est, dictum suum iter prosequendo. In quo multas turbationes habuit, ac pericula plurima incurrit propter maris & temporis indispositionem, quæ quasi continue duravit, donec applicuit in Corneto, ubi tenuit festum Nativitatis Domini & subsequentia festa.

Demum ab inde discedens navigando intravit fauces Tiberis, & die XVII. mensis Januarii anni Domini MCCCLXXVII. ingressus est Romam equitando de Sancto Paulo, ubi ad terram de navigio descenderat, usque ad Sanctum Petrum, fuitque ibidem receptus cum magna solemnitate & honore. Sciendum tamen quòd Romani de illis, quæ sibi per prius promiserant, paucissima attenderunt, præsertim circa illa, quæ concernebant regimen Urbis. Nam licèt in suo adventu Bandarenses & duodecim Capita Regionum, per quos regimen hujusmodi fuerat per prius occupatum, deposuerint, tamen illico eos reposuerunt, ac ut regerent secundùm quod prius voluerunt; nec potuit dictus Papa sine scandalo in hoc eorum resistere voluntati; dequo, nec immeritò, fuit ipse territus & turbatus, videns se fuisse deceptum, & illusum tam per eos quàm alios, qui sibi suggesserant, quòd in ejus adventu tam prædicta quàm alia in sui & dictæ Ecclesiæ præjudicium & jactura prius attentata fuerant in partibus illis, ad statum debitum reducerentur, & ad nutum suum disponerentur, quum tamen de reductione aliquali nihil pro tunc actum fuerit, sed potius de nova rebellione locorum, quæ usque tunc in obedientia & subjectione suis se persistere demonstrabant. Quorum aliqua de patrimonio Ecclesiæ in dicti adventus sui procinctu realiter rebellarunt, operante & procurante Francisco de Vico Præfecto Urbis, qui Viterbium & alia loca plura ad dictam Ecclesiam pertinentia tunc detinens, tamquam ejus hostis, contra ipsam guerram publice facere non expavit. Et idem fere fecerunt alii Nobiles & Tyranni Ecclesiæ subditi, & etiam contra ipsam cum memoratis Florentinis confœderati & colligati; adversùs quos oportuit dictum Papam pro sui & Terrarum suarum defensione etiam validiorem quàm prius guerram subintrare, non sine magnis sumtibus, periculis & detrimentis. Per idem tempus Carolus Romanorum Imperator, qui aliquandiu ante Venceslaum Regem Bohemiæ, filium suum primogenitum per Electores Imperii in Regem Romanorum eligi procuraverat, misit ad dictum Papam suos Nuntios solemnes pro sui parte postulantes & requirentes, dictos electum & electionem per ipsum in forma consueta approbari & confirmari. Qui hoc facere, licèt

licèt per prius requisitus, usque tunc distulerat, principaliter propter teneritudinem ætatis dicti Regis, qui tempore suæ dictæ electionis vix decimum septimum annum attingere dicebatur. Tamen quia ex tunc efluxerant tres anni & amplius, & sic pro tunc erat majoris ætatis, ad hoc procedere deliberavit. Ordinavit tamen, quod præpararentur & disponerentur illa, quæ in simili facto erant aliàs fieri consueta. Quæ adeo magni ponderis erant, quod bene non poterant perfici de toto anno subsequenti: quo currente, obitus dicti Papæ intervenit, pro ut infra sequitur. Eodem anno, adveniente tempore æstivo, dictus Gregorius Papa propter calores Romæ vigentes ab inde exivit, venitque Anagniam, ubi moram traxit per totam æstatem, quum sit ibi bonus & purus aër. Et eodem tempore obiit Edoardus Rex Angliæ, cui successit in regno Ricardus filius unicus Edoardi Principis Valliæ primogeniti sui, qui paulo ante præmortuus erat. Fueruntque in succèssione hujusmodi posteriorati alii tres filii Regis memorati, vigore consuetudinis Anglicanæ, quæ habet, filium debere succedere in omnibus, in quibus pater, si viveret, successisset. Eodem anno dictus Gregorius Papa in principio mensis Septembris, ob devotionem, quam singulariter habebat ad passionem Christi, & beatam Mariam Virginem, ordinavit ea quæ sequuntur. Primò quòd in posterum fieret Officium integrum, quod super hoc fecit solemniter ordinari de Inventione & Exaltatione sanctæ Crucis, diebus quibus occurreret, quum per prius in Matutinis non dicerentur per earum quamlibet nisi tres ultimæ lectiones, & aliæ sex de certis Sanctis, quorum festivitates dictis occurrunt diebus. Secundò quod Nativitas beatæ Mariæ Virginis haberet Vigiliam cum jejunio, pro qua etiam Officium proprium Missæ ordinavit, quum tamen per prius nec esset die illa jejunium, nec Missa de Vigilia hujusmodi cantaretur. In mense verò Novembri post sequente dictus Gregorius Romam rediit. Et paulo post memoratus Franciscus de Vico Præfectus Urbis fuit sibi reconciliatus & pacificatus. In cujus signum idem Papa in propria baptizavit quamdam filiam suam, quæ hac de caussa de Viterbio, ubi nata fuerat, Romam fuit asportata. Intervenientibus autem & tractantibus aliquibus fuit tunc actum de pace & concordia iniendis inter dictum Gregorium Papam & Florentinos cum eorum colligatis, qui erant, ut superiùs est expressum, fere omnes vassalli & subditi Terrarum Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ consistentium, Comitatu Campaniæ dumtaxat excepto. Fuitque pro appunctuatione & perfectione tractatus hujusmodi de communi partium consensu Civitas Lucana ordinata; ad quam venerunt certi pro parte partium hujusmodi deputati. Et inter ceteros pro parte dicti Papæ Dominus Johannes de Grangia tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis illuc fuit destinatus. Qui iter suum prosequendo transitum fecit per Civitatem Viterbiensem noviter Ecclesiæ reconciliatam, ubi fuit receptus cum debitis solemnitate & honore.

Prædictis autem pendentibus memoratus Gregorius Papa à juventute satis debilis & valetudinarius, ac gravi infirmitate detentus, devote receptis Eccclesiasticis sacramentis, cum magna cordis contritione, pro ut Domino placuit, die XXVII. mensis Martii anni prædicti MCCCLXXVIII. in pace quievit. Fuitque primò corpus ejus delatum ad Ecclesiam beati Petri, & ibi pro eo solemnibus exsequiis celebratis in crastinum translatum & sepultum in Ecclesia beatæ Mariæ Novæ, in qua prius Cardinalis existens fuerat intitulatus. Ejus autem obitus fuit occasio, ne dictus tractatus perfectionem habuerit, aperuitque viam multis malis & scandalis, quæ postea sunt subsequuta. Ipse multùm dilexit suos, præsertim patrem, fratrem, & nepotes, & alios de domo & genere suis prodeuntes; quos licèt de novo non exaltaverit, quum per prius satis per patruum suum Clementem Papam VI. sublimati fuissent, tamen ipsos in suo statu hujusmodi conservavit, secumque tenuit, ac eorum consilio & instigatione ac favore multa fecit præsertim in promotionibus nonnullorum, quibus sufficientiores in moribus & scientia forsitan reperiri potuissent. Fuit tamen aliàs multum virtuosus, Deo, & Beatæ Mariæ Virgini singulariter devotus: quibus preces assiduas omni die cum magnis fervore & intentione effundebat. Fuit insuper pauperum & afflictorum pius sustentator, consolator, & largifluus benefactor. Dilexit etiam singulariter viros literatos, multosque ex ipsis suo tempore promovit & exaltavit. Quamdiu Ecclesiæ præfuit, quasi continue mentales anxietates habuit propter turbationes, quæ eidem Ecclesiæ suo tempore contigerunt. Quibus quantùm potuit, cum omni diligentia obviavit. Sed plene non valens occurrere, etiam non minùs afflictus est in persona, quam gravela adeo gravavit, quòd dies suos in magna parte minoravit. Nondum enim annum quadragesimum septimum ætatis suæ attigerat, quando ejus spiritus, ut pie creditur, ad superos evolavit. Vacavitque ab inde Sedes de jure, carensque pastore vero & legitimo, mensibus V. & diebus XXIII.

Porro ut etiam clareant & videantur illa, quæ dicto currente tempore Romæ contigerunt, est heic inserendum, quòd Romani seu eorum Officiales & Rectores suo vocabulo Bandarenses, duodecim Capita Regionum nuncupati, coadunatis sibi aliis quampluribus tam civibus quàm foraneis natione Italicis, adhuc vivente dicto Gregorio, tamen infirmante, deliberaverant succedente obitu ipsius omnino sic operari & facere, quòd à cetero in Roma, vel saltem in partibus Italiæ, Curia resideret & remaneret. Quod se non posse obtinere æstimantes nisi per electionem in Papam alicujus Romani, vel Italici, continuatis & iteratis vicibus sua fecerunt consilia. In quibus firmiter decreverunt, Cardinales efficaciter requirere & hortari, requisitosque & hortatos fortè suis votis non acquiescentes, viis & modis omnibus eis possibilibus compellere & arctare, ut eligerent in Papam aliquem, qui esset Romanus vel Italicus natione, pro ut ipsorum quamplurimi nonnullis ex dictis Cardinalibus retulerunt; ac etiam quòd in consiliis hujusmodi intervenerant Prælati notabiliores nationis ejusdem, tunc Romæ existentes, per eos specialiter ad hoc vocati. Quorum etiam aliqui ipsos ad hoc incitabant & inflammabant, immo & eis donaria magna promittebant, si ipsos eligi procurarent. Adveniente igitur obitu dicti Gregorii, prædicta ad effectum deducere volentes, fecerunt sequentia, de malo in pejus continue procedendo. Nam primò Cardinales quandoque simul

simul congregatos, sæpe & sæpius requisierunt & hortati sunt, ut eligerent in Papam aliquem, qui esset Romanus, vel saltem Italicus natione, continue subdentes ita fieri expedire pro reconciliatione totius Italiæ, & præsertim Romani Populi, qui ad hoc in tantum afficiebatur, quòd si contrarium fieret, contra eos graviter turbaretur. Ex quo timendum, ac verisimile erat, quòd insurgerent contra ipsos, quum civium corda scirent sublevata, & ad hoc fortiter inclinata. Petierunt insuper, ut dicti Cardinales de intentione eorum super hoc ipsos certificarent, antequam Conclave ingrederentur. Qui eis responderunt, quod de talibus tractari non debebat donec essent in Conclavi; sed eo tunc super hoc cum Dei adjutorio mature & debite deliberare intendebant & facere illud, quod videretur eis esse melius pro bono regimine Ecclesiæ & totius Populi Christiani. Rogaveruntque & requisierunt ipsos ut cessarent à requestis & verbis hujusmodi, quæ minas expresse sapiebant, & ex quibus etiam impressionem ipsis per eos fiendam vehementer suspicabantur. Quam si facerent, eos ex tunc advisaverunt & intimaverunt, quod si ejus occasione aliquem eligerent, ille non esset Papa sed intrusus. Sed ipsi de istis non curantes, à requestis & verbis suis hujusmodi desistere noluerunt, immo in ipsis continue perstiterunt. Et ne Cardinales possent Romam egredi, aliumque locum adire, ubi eis faciendum fore videretur, pro electione futura liberius facienda, Romani prædicti claves & custodiam portarum & pontium Urbis, prius existentes in manibus Officialium Ecclesiæ, sibi usurpaverunt. Passus etiam & portus sui districtus per terram & aquam adeo claudi & custodiri ordinaverunt, quod sine ipsorum scitu, licentia & voluntate ab inde nullus egredi poterat seu exire, nec etiam essent aliqui, qui eorum malitiæ obviare possent, quique ne in dictos Cardinales insurgerent, providerent de remediis opportunis. Nobiles insuper & Principes Romanos ad hoc sufficientes & opportunos facto Edicto publico cum pœnarum magna adjectione de Roma expulerunt; locoque ipsorum rusticos homines effrænatos, utique bestiales ac ratione carentes, eorum vocabulo Montanarios appellatos, ad dictorum Cardinalium terrorem in multitudine innumerabili Romam intromiserunt. Qui die noctuque armati incedentes, ipsos, eorumque familiares verbis opprobriosis & comminatoriis continue flagitabant. Contra ipsorum etiam voluntatem de facto ordinaverunt Custodes Conclavis, qui per ipsos eligi consueverunt, esseque viri probati, in talibus experti, ipsisque confidati, homines satis eis extraneos in talibus omnino inexpertos, de quorum etiam fidelitate multùm timere & suspicari poterant & debebant, quum essent Romani, qui in cibariis ministrandis & aliis contra ipsos mala poterant machinari & operari. Erant etiam simplicis conditionis & infimi generis, sic quod non potuissent aliis malignare volentibus resistere quoquo modo. Ex eorum insuper ordinatione, horâ quâ Cardinales intrare debuerunt Conclave, nedum dicti Montanarii & rustici, sed etiam ceteri Populares Romani ut plurimùm armati, congregati extiterunt in Platea Sancti Petri, de directo sita ante portam Palatii, ubi dictum Conclave erat paratum. Qui omnes una voce tumultuosa & horribili clamaverunt & vociferaverunt, aliqui dispositive, *Romanum, vel Italicum volumus*, vel *habebimus*: aliqui præceptive, *Romanum, vel Italicum habeamus; alioquin &c* Sicque clamantes & vociferantes una cum dictis Cardinalibus Conclave sunt ingressi. Propter quorum pressuram nimiam vix, & cum magna difficultate Cardinales Conclave intraverunt.

Post quorum ingressum prædictorum quamplurimi infra Palatium remanserunt, immo ipsum quasi totum occupaverunt, se ipsos recludentes in cameris & locis, quibus dictum Conclave circumdabatur, & præsertim illis, quæ de directo erant subtus ipsum, in quibus fractis portis & muro violenter subintraverunt. Alii verò ab extra circum circa dictum Palatium remanentes, sic & taliter ipsum circumdederunt, quòd illud nullus intrare vel exire poterat, nisi incideret in manus ipsorum. Dictis etiam Cardinalibus infra Conclave existentibus ac in propriis logiis seu cameris jam reductis, custodibusque Conclavis ipsum claudentibus, contra morem solitum, qui est, quòd nullus debet ad ipsos in Conclavi inclusos ingredi usque post electionis Papæ celebrationem & publicationem, de hoc certificati, ipsum intraverunt duodecim Capita Regionum cum aliis pluribus ipsos concomitantibus, petentes quod statim simul omnes in aliquo loco congregarentur, quia ipsi eis loqui volebant in communi: de quo ipsi valde turbati fuerunt. Dubitantes tamen eorum indignationem, ipsosque contra eos amplius incitari, si in hoc non facerent quod petebant, licèt eis admodum displiceret, omnes in Capella convenerunt, ubi ipsi affuerunt, dicentes: *Domini, pro parte Romani Populi aliàs vos sæpe requisivimus, ut velitis eligere in Papam aliquem, qui sit Romanus, vel ad minus Italicus. Et quia usque nunc quid super hoc facere intenditis, nihil nobis clare respondistis, ideo iteratò vos de hoc nunc requirimus, volumusque, ut modò expresse nobis dicatis voluntatem vestram, ut ipsam dicto Populo nos mittenti referre valeamus.* Quibus dicti Cardinales dixerunt, secundùm quod aliàs in similibus requestis per eos ipsis factis fecerant, quòd non erat tunc hora de hoc faciendi mentionem, tamen auxiliante Domino in hoc facere proponebant illud, quod videretur eis esse utilius pro bono regimine Ecclesiæ, ex quo, ut sperabant, totus Mundus, & ipsi deberent meritò contentari. Qui hoc audientes & male contenti, quia non clariùs exprimebant eis mentem suam, ipsis dixerunt: *Et nos clare dicimus vobis, quod si non facitis illud, quod petimus, dictus Populus de vobis male contentabitur, &, ut tenemus, contra vos commovebitur, ex quo sequentur scandala, & pericula maxima, quibus de difficili poterit obviari. Et ita prædicimus vobis, ut bene deliberantes in agendis provideatis circa securitatem seu indemnitatem personarum vestrarum.* Ad quæ dicti Cardinales responderunt, pro ut etiam aliàs in verbis similibus responderant, effectualiter protestando: *Ista verba manifeste sonant minas, & clare indicant, quòd impressio & violentia per vos & illos pro quorum parte ea dicitis, contra nos procurantur, & machinantur. Et ideo expresse nos dicimus vobis, quod si per vos aut ipsos aliqua contra nos attententur, pro ut sonant verba vestra, & contingat nos talium occasione aut timore aliquem eligere, credatis habere Papam, & non habebitis, quia non erit.* Et sic ipsi Conclave exierunt. Regens verò officium Came-

A Camerarii (qui pro tunc territus justo timore ipsorum, qui eum capere vel interficere fuerant machinati, in Castro Sancti Angeli reclusus ad hoc vacare non audebat, pro ut moris est) ordinavit quod porta Conclavis & ceteræ partes Palatii fortiter clauderentur, ne aliqui ad loquendum cum ipsis Cardinalibus contra juris dispositionem, aut pro ipsorum invasione ad eos de facili pertingere possent. Sed deputati ad custodiam Palatii, qui erant de Officialibus eorumdem, hæc fieri minime permiserunt, immo ex ipsorum ordinatione aliæ partes omnes ab illa hora in antea ex toto apertæ remanserunt, illam autem Conclavis portam vix & magna difficultate claudi permiserunt satis debiliter, B & hoc etiam horâ tardâ & inordinatâ, quum jam fere omnes Cardinales lectos intravissent. Prædicti insuper Palatium occupantes, & ab omni parte circumdantes tota illa nocte non cessarunt clamare & vociferare vocibus altis & terribilibus, aliqui *Romanum, vel ad minus Italicum volumus, habemus, vel habebimus*: aliqui verò *moriantur, moriantur*. Illi verò qui de directo erant subtus Conclave, cum gladiis & lanceis ipsius solarium fortiter concutiebant, ad eosdem Cardinales per amplius terrendum & molestandum. Aggregarunt etiam arundines sive cannas siccas & sarmenta in grandi quantitate ad supponendum ignem solario antedicto. Propter quod dicti Cardinales, nec immeritò, turbatissimi C fere totam noctem illam duxerunt insomnem. Qui dum de mane essent congregati in Capella, suasque audirent Missas, Romani prædicti in loco ipsi Capellæ contiguo, soloque tantùm pariete ab ipsis distante adunati, voces suas terribiliores ac altiores quàm prius exaltare cœperunt in tantum, quòd vix audiri & intelligi poterant Missas ipsorum celebrantes. Campanas insuper grossas campanilis Ecclesiæ Sancti Petri Palatio contigui, ac etiam illam Capitolii ad martellum, seu modum, quo pulsari seu percuti solent, quum adunatur Populus ad rumorem, seu hostium invasionem, indesinenter uno impetu ac eodem contextu pulsaverunt; ad quarum sonum populares alii D velut furibundi cucurrerunt ad Palatium, ut plurimùm armati ipsum intrantes, quotquot infra recipi potuerunt, aliis ab extra manentibus ipsum undique circumdantibus. Qui omnes una voce tumultuose & horribiliter clamaverunt & vociferarunt, se omnino habere velle Papam Romanum, vel ad minus Italicum: venientesque ad portam Conclavis, ictibus & percussionibus validissimis ipsam excutere cœperunt, alta voce ab extra petentes, ut ipsius fenestra per Cardinales à parte interiori confestim aperiretur. Quo facto petierunt, ut ipsorum aliqui ad eos venirent loquutum. Ad quos de aliorum mandato iverunt tres Priores cujuslibet ordinis, qui ibi E dem viderunt & invenerunt multitudinem innumerabilem armatorum paratorum, ut evidentissime demonstrabant, & eorum verba clare indicabant, statim in eos irruere, ipsosque interficere: clareque & intelligibiliter eis dixerunt, quod statim & sine ulteriori mora eligerent in Papam aliquem Romanum, vel ad minus Italicum; haberentque pro firmo, quod nisi ita facerent, confestim & indilate & absque quocumque remedio omnes inciderentur per pecias sive frusta. Et hoc idem eis dixerunt, & super eo advisaverunt ipsos aliqui cismontani, qui eos diligebant, ibi tunc existentes, de eorum intentione jam certificati.

Dicti autem tres Cardinales conati sunt ipsos cum bonis & blandis verbis retrahere. Sed tunc unanimiter fortius infremuerunt, & voces suas exaltarunt. Quæ quum per ipsos aliis Cardinalibus relata fuissent, omnes, nec immeritò, attoniti, & stupefacti cogitare cœperunt, & inter se mutuò loqui quid facturi essent. Sed quum clamor & tumultus prædictorum augerentur, de subito insultu timuerunt; fuitque de voluntate aliorum, quòd dicti tres Cardinales, qui prius eis locuti fuerant, ad dictam fenestram redirent causâ ipsos retrahendi, si possent. Quòd si non possent aliter, eis dicerent & promitterent pro parte omnium, quòd haberent Papam Romanum, vel Italicum pro ut petebant, infra horam tertiam diei subsequentis, sperantes quòd sub hujus promissionis prætextu à suo dicto furore retraherentur. Quod & dicti tres Cardinales fecerunt. Sed nec sic illi se retrahere voluerunt, immo nec cessare ab incœptis. Tunc iidem tres Cardinales ad alios redeuntes, & eos de præmissis informantes, ad invicem conferre cœperunt, quid Ecclesiæ & ipsis foret expedientius, in prædictorum manus incidere, aut contra conceptum seu velle proprium aliquem eligendo, eorum inordinatæ condescendere voluntati. Sed propter augmentum dictorum clamorum, & fortificationem percussionis ad portam, æstimaverunt ipsius subitam fracturam & sic mortem jam propinquam ipsis imminere. Cujus timor adeo corda eorum conturbavit, quòd citra ulteriorem deliberationem insistere nequiverunt; sed solùm ad hoc declinaverunt, ut omnino ad mortis evitationem totis viribus & viis omnibus intenderent & vacarent. Et quia visum hoc fuit eis non esse possibile, nisi juxta prædictorum petitionem & voluntatem eligerent Romanum vel Italicum, ad sic faciendum descenderunt, ut instans periculum evitarent, aliàs tamen minime facturi, si tunc ibi vel alibi in suis debitis libertate & securitate fuissent, secundùm quod aliqui eorum prius secrete in præsentia Notarii & testium fuerant protestati, & fere omnes saltem cismontani duas partes facientes effectualiter dixerunt in communi. Qui demum sic angustiati & molestati circa qualitates & merita personæ eligendæ debite deliberare non valentes, tamdem aspectum habuerunt ad Bartholomæum de Prinhano, tunc Archiepiscopum Barensem, natione Italicum, utpote de Neapoli oriundum, ipsumque subitò & ex abrupto elegerunt, credentes firmiter, quod statum hujusmodi, etsi fortè pro eorum indemnitate ad tempus acceptaret, ipsum tamen citò post dimitteret, quum de voluntate eorum, quæ ad hoc libera non fuerat, existeret informatus. Præsens enim fuerat in consiliis dictorum Romanorum, in quibus violentiæ prætactæ ordinatæ extiterant, & quum illatæ fuerunt, occulata fide perspexit. Et quum inter alios Prælatos tunc Curiam sequentes æstimaretur bonæ conscientiæ ac timens Deum, essetque etiam informatus in Jure, quum Doctor in jure Canonico existeret, ac stilo Curiæ, cujus Cancellariam tunc regebat, & sic sibi clare constare poterat, talem electionem factam per tam notoriam impressionem subsistere non debere, erat verisimiliter sperandum, quòd statum prædictum cum sua & aliorum damnatione nullatenus retineret. Et ita expresse eo tunc

A tunc dictum fuit inter dictos Cardinales. Qui d mum dictis Romanis præsentibus, sicque cum instantiâ fieri poscentibus, ipsum inthronizaverunt. Qui ab inde nomine proprio derelicto, Urbanus VI. voluit nominari. Nec fuit fas aut securum remedium dictis Cardinalibus Romæ existentibus quominus paulo post ipsum coronaverunt, ipsumque in ceteris actibus tractaverunt tamquam Papam, attento quod Romani in suo priori perverso proposito persistebant. Circa hoc etiam multa mala intervenerunt, quæ temeritatem ac violentiam & impressionem Romanorum exaggerant, aggravant, & clare demonstrant, quæ recitare omitto gratiâ brevitatis, & quia ad eorum damnationem satis credo sufficere, quæ jam B scripsi. Quæ etiam extra Conclave attentata sunt, Ego ipse, tunc Romæ existens, ut plurimùm vidi. Super iis verò, quæ intra Conclave gesta vel dicta sunt, me liquide informarunt dicti Cardinales, cum quorum pluribus super iis sæpius sum loquutus; & pro ut ea ab eis didici, in his scriptis redegi, ut ea nescientibus nota fiant, veniantque in memoriam aliorum, qui de ipsis mentionem jam fieri audiverunt vel audient in futurum.

Secunda Vita Gregorii XI. penes Baluzium.

GRegorius XI. natione Lemovicus ex patre Guillelmo Comite Bellifortis, fuit ele- C ctus in Papam, penultima die mensis Decembris in Avinione, & ibidem coronatus in Palatio Apostolico quinta die Januarii, quæ fuit die Dominica in Vigilia Epiphaniæ. Hic prius vocabatur Petrus Diaconus Cardinalis Bellifortis: qui quarta die dicti mensis per Dominum Cardinalem de Bolonia factus fuit Presbyter, & in die Epiphaniæ celebravit pontificaliter. Seditque annis VII. mensibus II. diebus XXVII. post annos Nativitatis Domini MCCCLXXI. & in die coronationis suæ equitavit per Civitatem Avinionis præsente Domino Duce Andegavensi, qui eum destravit pedes. Hic eodem anno, Pontificatus sui primo, in feriis quatuor Temporum post Pentecostem fecit ordi- D nationem duodecim Cardinalium, de quorum numero fuit Dominus Robertus Gebennensis, qui tunc erat Episcopus Cameracensis, qui successit in Papatu Domino Gregorio XI. Eodem anno in æstate sequenti ivit ad Villamnovam Avinionensis diœcesis, ubi stetit per aliquod tempus. Multa quidem & alia fecit illis temporibus, quæ non sunt scripta heic.

Anno verò Domini MCCCLXXIV. dictus Dominus Papa fecit processus contra Florentinos, & in fine fuerunt reputati schismatici, & fuerunt projecti de Avinione & bona eorum capta.

Sequenti anno MCCCLXXV. & Pontificatus sui anno V. in feriis quatuor Temporum E ante Nativitatem Domini, fecit ordinationem novem Cardinalium, de quorum numero fuit Dominus Petrus de Judicia, consanguineus dicti Domini Papæ, qui ante paucos dies fuerat Archiepiscopus Narbonensis, postea Archiepiscopus Rothomagensis, ut dictum est, post mortem Domini Cardinalis Guillelmi fratris sui: qui obierat in domo sua propria anno Domini MCCCLXXIV. Et dictus Dominus Papa recedens de Villanova, ivit versùs Castrum de Novis, & transiens Avinioni noluit intrare Palatium. Et postea de Novis ivit ad Orgonum, & de Orgono ad Celonem, & in dictis locis stetit per totam æstatem. Eodem anno fuit maxima caristia in tota Lingua Occitana, & in multis aliis locis, taliter quod in Avinione valebat saumata frumenti decem Florenis, & in multis aliis valebat viginti, & in aliis valebat vigintiquinque & ultra. In Avinione fuit ordinatum inter Papam & Dominos Cardinales, quòd unusquisque provideret Hospitalibus, taliter ut nullus juxta posse fame periret, & ita fuit factum & ordinatum inter eos.

Anno Nativitatis Domini MCCCLXXVI. die Martis ante festum Pentecostes, fuit missus Legatus a latere in Italiam Dominus Robertus Cardinalis Gebennensis, qui pro Ecclesia multa passus fuit. Et sequenti anno MCCCLXXVIII. venit Romam, ubi tunc Papa erat. Anno Nativitatis prædictæ MCCCLXXVI. die Sabbati intitulatâ die XIII. mensis Septembris, dictus Dominus Gregorius Papa recessit ab Avinione causâ eundi Romam. Et dum in Palatio vellet ascendere equum, equus vix permisit ipsum ascendere. Et quando fuit in Villa juxta macellum, ex toto recusavit ipsum portare, & ipsum oportuit ibi descendere, & ascendere alium equum. Et propter hoc & multa alia pericula, quæ postea evenerunt in mari, cogitatum & dictum fuit a multis, quòd contra voluntatem Dei ibat Romam. Die verò XXII. dicti mensis intravit Massiliam, transeundo per Sanctum Maximinum ob reverentiam Beatæ Mariæ Magdalenæ; & per dictam Civitatem Massiliæ honorifice equitavit & venit ad Sanctum Victorem, ubi stetit per aliquos dies. Et secunda die mensis Octobris intravit Galeam, gressum suum arripiendo. Et nona die dicti mensis intravit portam Villæfranchæ prope Niciam, & ibi stetit per aliquos dies, quia non erat ausus exire propter tempestatem maris. Et antequam esset ad dictum portum, dum esset in mari, fuit tanta pestilentia quòd oportuit multa bona projicere de Galeis in mari propter elevationem. Die verò XVIII. dicti mensis intravit Januam, ubi stetit per undecim dies. Et exeundo Januam, intravit portum Dalphinum, a quo non potuit exire propter tempestatem maris. Sed ultima die dicti mensis exivit in terram, & ivit ad quoddam Monasterium Monachorum nigrorum, quod vocatur Sancti Hieronymi, & distat a portu per tria milliaria; ubi celebravit & fuit factum Officium solemniter, ut est moris. Die verò VII. Novembris intravit portum Livornæ prope Pisis, & stetit per novem dies propter tempestates maris. Et ibi præsentaverunt Pisani Domino Papæ vitulos, mutones, panem, & vinum, & multa alia honorifice, & etiam cuilibet Dominorum Cardinalium duas botas vini, unam de Græco, aliam de Clareto, duos vitulos, duos mutones, & quatuor saccos panis, & hospitia cuilibet sufficientia juxta qualitatem loci. Postea venit ad portum de Plumbis, & intravit Castrum, & stetit per aliquos dies. Deinde venit in Bicellum. Stetit etiam per aliquos dies. Et ubicumque staret, stabat propter tempestatem maris. Postea venit Cornetum, ubi stetit cum Dominis Cardinalibus per omnia festa Nativitatis Domini.

Anno Nativitatis Domini MCCCLXXVII. die Mercurii, XIV. mensis Januarii dictus Dominus noster Papa venit ad portum Ostiæ prope Romam, sexdecim milliaribus. Die Jovis verò sequenti, quæ fuit XV. ejusdem mensis, venit ad Sanctum Paulum, semper in Galea

lea ſtando per Tiberim. Die Sabbati verò fecit celebrare in Altari Beati Pauli, & ibi audivit Miſſam: fueruntque ibi Romani ſemper cum eo. Et dictâ Miſsâ, dictus Dominus noſter Papa intravit Romam cum dictis Romanis ſatis honorifice, præſentibus omnibus Dominis Cardinalibus, videlicet Domino Petro Epiſcopo Portuenſi, Johanne Epiſcopo Peneſtrino, Guillelmo tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte, Franciſco tituli Sanctæ Sabinæ, Bertrando tituli Sanctæ Cæciliæ, Hugone tituli quatuor Coronatorum, Simone tituli Sanctorum Johannis & Pauli, Guidone tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, Johanne tituli Sancti Marcelli, Presbyteris Cardinalibus, Jacobo tituli Sancti Georgii ad Velum aureum, Guillelmo tituli Sancti Angeli, Petro tituli Sanctæ Mariæ in Via lata, Petro tituli Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Diaconis Cardinalibus. In Avinione verò remanſerunt Domini Anglicus Albanenſis, Ægidius Tuſculanus, & Johannes Sabinenſis, Epiſcopi: Petrus tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, & Guillelmus tituli Sancti Vitalis, Presbyteri; ac Hugo Sanctæ Mariæ in Porticu, & Petrus Sancti Euſtachii, Diaconi Cardinales; qui poſtea, videlicet dictus Cardinalis Sancti Euſtachii, ſequutus fuit Papam in Italiam. Petrus Cardinalis Narbonenſis tituli Sancti Clementis, qui ſequutus fuerat Papam, obiit in Civitate Piſana, XX. die menſis Novembris, & in Eccleſia Cathedrali Sanctæ Mariæ fuit traditus in commendam anno MCCCLXXVI. Qui poſtea translatus fuit Narbonam, & tumulatus in ſepulcro ſuo pulcherrimo, quod ipſemet ibidem fecerat ædificare. Et ſic equitando Dominus Papa Romam pontificaliter venit ad Sanctum Petrum cum maxima multitudine Populi, & erat quaſi hora Veſperorum. Et etiam alia maxima multitudo Romanorum expectabat eum in Platea Sancti Petri cum magnis cereis illuminatis in maxima quantitate; & etiam omnes lampades Eccleſiæ Sancti Petri, quæ erant in numero, ut dicitur, quaſi octodecim millia. Die verò XXI. dicti menſis, qua erat feſtum Sanctæ Agnetis, celebravit ſummo mane ſecretè, januis clauſis, in Altari Sancti Petri, & poſuit Veronicam ſanctam ſuper altare: & dictâ Miſsâ retulit eam in loco ſuo. Item ibidem celebravit pontificaliter in feſto Cathedræ Sancti Petri, & etiam in feſto Paſchæ. Item XVI. die menſis Maji ejuſdem anni, quæ erat Vigilia ſanctæ Pentecoſtes, venit ad Eccleſiam Patriarchalem Sanctæ Mariæ Majoris, ubi in craſtinum celebravit. Et in ſequenti die ivit ad Sanctnm Johannem Lateranenſem. Poſtmodum die ſequenti ad Sanctum Paulum. Exſtitit verò in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris uſque ad diem Sabbati poſt feſtum Corporis Chriſti. Et dicta die exivit de Roma pro eundo Anagniam. Et ſecunda die Junii anni prædicti intravit Anagniam, & ſtetit ibi uſque ad V. diem Novembris. Qua die exivit de dicta Civitate pro revertendo Romam, & VII. die ejuſdem menſis intravit Romam.

Die verò XXVII. menſis Martii anni Domini MCCCLXXVIII. in ſecunda hora noctis in Palatio Apoſtolico diem ſuum clauſit extremum. Solemnitas verò exequiarum ſuarum facta fuit honorifice, ut decebat. In craſtinum verò fuit deportatum Corpus ejus ſolemniter ad Sanctam Mariam Novam, ſitam prope Capitolium, ubi novena fuit integre completa. Factâque novenâ omnes Domini Cardinales venerunt ad Sanctum Spiritum, & fecerunt ibi celebrare Miſſam de Sancto Spiritu. Et dictâ Miſsâ, fuerunt ibi Romani. Et tunc Domini Cardinales ordinaverunt inter eos, quod quinque Romani, videlicet duo Epiſcopi & tres laici cum tribus ultramontanis ſeu Gallicis (quorum nomina erant iſta, videlicet Dominus Epiſcopus Maſſilienſis, P. de Murlis, & Bertrandus de Veyaco) qui quidem octo debebant cognoſcere & honeſte ſervare ipſum Conclavum, & ipſos Dominos Cardinales, ab omni mala perturbatione & impedimento ac moleſtia &c. itaque attendere & ſervare juraverunt. Et dicta die intravit fulgur inflammatum in Conclavi cum magno tonitruo, & fregit aliquantulum coopertaram & plura alia, & poſtea exivit per feneſtram, videntibus omnibus ibi præſentibus. Sub illa verò confidentia ſacramenti Romanorum dicti Domini Cardinales die VII. Aprilis intraverunt ipſum Conclavum, Officialeſque Romanorum omnes armati cum maxima multitudine Romanorum intraverunt etiam cum dictis Dominis Cardinalibus. Et quando ſocii dictorum Dominorum Cardinalium & alii Prælati . . . . Dominus Epiſcopus Maſſilienſis, qui Locumtenens Camerarii erat, qui Dominus Camerarius poſuerat ſe in Caſtro Sancti Angeli tam pro cuſtodiendo perſonam ſuam, quàm pro cuſtodiendo dictum Caſtrum, dixit Romanis prædictis, ut exirent de Conclavi, & permitterent ibi ſtare Dominos Cardinales; quia volebat & intendebat claudere Conclavum, ut facere poſſent illud, quod debebant. Tunc verò iſti maledicti Romani nolebant exire: tranſactâque quaſi unâ horâ, Dominus Maſſilienſis fecit tantum, quòd exirent præter quadraginta vel quaſi: qui etiam armati erant, & ipſi nolebant exire; ſed perquiſierunt totum Conclavum per omnes logias ſeu cameras Dominorum Cardinalium ſub lectis, & retro, & in latrinis dicentes: *Volumus videre, ſi heic ſunt homines armorum abſconſi, aut ſi ſunt foramina, per quæ aliquis poſſet intrare vel exire*. Alii verò, qui exierant, cuſtodiebant portam Conclavi, clamantes & dicentes altâ voce in lingua eorum: *Romano lo volemo lo Papa, Romano lo volemo*. Tunc verò Dominus Epiſcopus Maſſilienſis eiſdem Romanis dixit, quod male faciebant, quia non exibant Conclavum. Et ipſi Romani reſponderunt & dixerunt: *Expectamus alios duos Officiales iſtius Civitatis, qui debent venire ad recipiendum licentiam à Dominis Cardinalibus*. Et tunc quaſi in continenti veniunt illi duo. Et dum fuerunt infra Conclavum, ſic dixerunt: *Volumus loqui cum omnibus Dominis Cardinalibus*. Tunc intraverunt omnes parvam Capellam, & ibi dederunt eis audientiam. Unuſque illorum inveteratus dierum malorum, Deum non habens præ oculis, propoſuit coram dictis Dominis Cardinalibus, dicendo ſic: *Reverendiſſimi Domini mei, & totius Mundi, totus Populus ſanctus Romanus recommendat ſe gratiæ omnium dominationum veſtrarum, ſupplicando, ut dictum ſanctum Populum placeat, & dignemini habere recommendatum. Qui quidem Populus ſanctus per ſeptuaginta annos & ultra de ſummo Pontifice & Paſtore ſtetit orfanus. Et quum Civitas iſta ſit caput totius Chriſtianitatis ſecundùm ordinationem beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, quibus Jeſus Chriſtus claves regni cælorum tradidit, dicendo ſic*: quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam. *Quare*

re quum dicti Apostoli fecerint & ordinaverint heic fundamentum totius Fidei Christianæ, videmus, quia nulli Papæ efficiuntur sancti, nisi illi qui visitant dictum sanctum Populum, sicut Dominus Urbanus Papa V. qui ipsum Populum sanctum visitavit: Dominusque Gregorius, qui nunc diem suum clausit extremum, etiam sanctus est, pro ut firmiter credimus, quia etiam visitavit ipsum Populum sanctum, Deus verò facit miracula multa pro eo. Quare supplicatur vobis pro consolatione totius Populi sancti prædicti facere habentis unum Papam Romanum, quia heic invenietis multos magnos Clericos, nobiles, sapientes, idoneos ad dictum officium Papatus gubernandum. Si autem hoc facere non vultis, perquiratis totam Italiam: quia bene erit mirum si non invenitur unus idoneus. Et si hoc facitis, magnam consolationem dabitis dicto sancto Populo, & etiam toti Italiæ. Si autem facere nolueritis, sciatis, sanctissimi Domini mei, quod primò nos, qui Officiales sumus, erimus mortui omnes & occisi, & certe vos etiam omnes; quia bene potestis audire clamorem Populi clamantis: Romano lo volemo lo Papa, Romano lo volemo, o almanco, almanco, Italiano.

Quibus dixerunt dicti Domini Cardinales: *Exite aliquantulum foras, & loquamur insimul.* Qui exierunt. Consilio verò habito inter ipsos Dominos Cardinales, fecerunt dictos Romanos vocari. Et quando fuerunt coram dictis Dominis Cardinalibus, Dominus Cardinalis Florentinus, quia primus, dixit eisdem sic: *Nos miramur multum de vobis, quoniam vos estis antiqui, sapientes, & Clerici; habetisque canonicas authenticas, & scitis bene quomodo debet fieri talis electio, quia talis electio tanti Pastoris non debet fieri ex requisitione, favore, metu, aut aliquo strepitu, sed tantummodo dumtaxat, ut omnes Cardinales unanimiter & concorditer ex nudo in contemplatione divina & inspiratione Spiritus Sancti debemus & volumus facere talem electionem. Et quum ista non ignoretis, non debetis facere talem requisitionem, nec nos non debemus nec possumus aut tenemur aliquomodo vobis facere requisitionem.* Et in continenti facta ista responsione, alter Romanus fortiùs requisivit ipsos Dominos Cardinales, supplicando eis, & minando sicut prius. Item etiam quidam alter Romanus eodem modo & fortiùs proposuit semper minando. Et tunc Domini Cardinales dixerunt eis sic: *Nos sumus in potestate vestra, & potestis nos occidere, si vultis; sed si sciremus mori, non faciemus nisi illud, quod Deus nobis ordinabit & administrabit. Videte, cras dicemus unam Missam de Sancto Spiritu, ut moris est, & postea faciemus quod Spiritus Sanctus nobis inspirabit, seu administrabit.* His dictis exierunt dictam Capellam, & Romani cum eis semper litigando, & alii Romani, qui stabant foris clamantes semper unanimiter & concorditer in lingua eorum dicentes ut supra, videlicet: *Romano lo volemo lo Papa, o almanco, almanco, Italiano.* Aliqui verò ultramontani, sive Gallici dicebant: *Sì sì, aco esto pla.* Tunc respondebant Romani. *Si in dispetto di Christo o per las clavellatas deeu non l'averemo Romano, o almanco Italiano, e se non lo fanno, tutti quanti questi Cardinali & Franzesi saranno tagliati a pezzi.* Et hoc facientes & dicentes, venit unus illorum Romanorum, qui erant infra Conclavum, & aperuit fenestram Conclavi, & dixit illis Romanis, qui clamabant, in lingua sua; *State in pace, perchè li Signori Cardinali dicono cosi, che domani faranno dire una Messa dello Spirito Santo, e poi faranno che voi sarete contenti.* Qui verò Romani maledicti tunc responderunt sic: *Nò: mò lo volemo, mò.* Et interim videbant inter se, & unus faciebat alteri signum, ut plus clamarent, ut supra. In circuitu verò Conclavi erat maxima multitudo Romanorum cum caboris & flautis, & eodem modo clamabant fortiter juxta posse. Et transactis quasi tribus horis noctis Dominus Massiliensis fecit tantum cum ipsis Romanis, quòd exierunt Conclavum, sed non permiserunt Conclavum claudere. Immo dicebant quod intendebant ipsum intrare & exire quando eis placeret. Et interim Dominus Massiliensis duxit illos Magnates & Officiales in camera Papali, & fecit poni mensas, & dedit eis ad comedendum & bibendum quantum voluerunt. Et fecit tantum cum eis, quòd permiserunt claudere ipsum Conclavum. Tamen bene perquisiverunt totum Palatium & totum hospitium Domini Camerarii, & totum illud, quod invenerunt, deprædaverunt, & in majori parte vinum devastaveruut tam bibendo, quàm per terram projiciendo. Omnis verò clamor iste duravit per totam illam noctem. Et quando venit in crastinum, in die Jovis, quæ erat octava dies Aprilis, dicti Romani miserunt quæsitum omnes alios Romanos ad juvandum in clamore & terrore. Et ut citius venirent, & magis tumultus fieret & rumor, venerunt ad Campanile Sancti Petri juxta Palatium, & fregerunt portam, & ascenderunt ipsum Campanile, & omnes campanas repicaveruut & pulsaverunt ita terribiliter, quod videbatur esse ignis per totam Romam. Et in momento venit tantus tumultus & innumerabilis Populus maledictus Romanus, quod videbatur quod vellent omnes transmontanos & Gallicos occidere aut capere.

Et quando Domini Cardinales audierunt tantos rumores & tumultus Populorum, fecerunt quod Dominus Cardinalis Sancti Petri ivit ad januam Conclavi, & fecit aperiri fenestram. Et dum loquebatur cum eis, ut tacerent, & expectarent aliquantulum, quia intentio erat Dominorum Cardinalium, ut complacerent eis in iis, quæ petebant; illi autem, qui stabant a longe, quærebant & petebant quid hoc esset. Qui responderunt: *Dominus Cardinalis Sancti Petri.* Et illi intellexerunt, quod dictus Dominus Cardinalis Sancti Petri esset Papa, & clamaverunt: *Papam habemus Cardinalem Sancti Petri.* Et cum ista voce exierunt Romani quasi pro majori parte clamamtes per Villam, & dicentes: *Viva, viva Sancto Pietro.* Et iverunt ad hospitium suum sic clamantes, & deprædaverunt & destruxerunt omnia, quæ habebat in ipso hospitio. Et interim dicti Domini Cardinales steterunt aliquantulum in pace. Et dum ipsi Domini Cardinales essent in miserrimo prandio, Romani videntes, quod non aperiebant portas, venerunt cum terribili furore, & fregerunt portam ipsius Conclavi. Et dum eas frangebant, nonnulli Dominorum Cardinalium fecerunt unum foramen ad fugiendum. Et dum fugam arripuissent per domum Domini Camerarii, in qua domo multi maledicti Romani erant, qua in continenti invenerunt Dominos Cardinales, & eos malitiose ceperunt, & duxerunt in Palatio per majorem portam ipsius in præsentia omnium violenter, ut si essent digni morte, adduxerunt ad Conclavum.

clavum. Alii verò Romani intraverant & fregerant dictum Conclavum, & deprædabantur omnia, quæ habere poterant de cameris dictorum Dominorum Cardinalium. Tamen servitores dictorum Dominorum Cardinalium re servaverunt aliqua bona ex favore aliquorum Romanorum, qui erant de familiaritate eorum. Dicti verò maledicti Romani tenebant Dominos Cardinales & dicebant. *Verè ab hinc non exietis, donec feceritis nobis Papam Romanum vel Italianum*. Qui responderunt: *Nonne habetis vos Dominum Sancti Petri?* Et Dominus Cardinalis de Britannia induit sibi chlamydem. Tunc dicti maledicti Romani receperunt eum. & juvaverunt sibi induere chlamydem, ponentes eum supra Altare, impendendo ei reverentiam, osculandoque pedes ejus & manus. Et ipse, ut fidelis Catholicus, noluit acceptare, immo clamabat: *Permittatis me ire, quia non sum Papa, nec volo esse*. Tunc respondentes increpabant eum, dicentes: *O caye me pilha a questo bacone*. Qui plus clamabat, & maledicebat eos, ut eum dimitterent. Et dicti Romani videntes hoc, dixerunt: *Va; che tu sia maledetto*. Et dimiserunt eum. Et tunc servitores sui accesserunt ad eum, & receperunt eum quasi mortuum præ nimia fatigatione Romanorum, & deportaverunt eum in cameram Papalem ministrantes ei, & ibi requievit. Et interim omnes Domini Cardinales dixerunt Romanis: *Permittatis nos recedere, quia verò vos habetis Papam, & cras veniemus heic, & solemniter, ut moris est, publicabimus eum*. Et tunc dimiserunt eos. Et recesserunt pedes, unus sine capa, alter cum capa, alter sine capucio, soli sine sociis scutiferis. Sed maledicti Romani armati associabant eos taliter, quod videbatur ut ducerent eos ad carcerem. Et dum associabant Dominum Cardinalem de Luna, transeuntem per Pontem Sancti Angeli, illi qui erant in custodia Castri, cogitantes quod ducerent ipsum ad carcerem, irruerunt in eos. Sed Dominus Cardinalis dixit eis: *Permittatis, quia ipsi associant me usque ad domum meam*. Et permiserunt. Et interim aliqui dictorum Romanorum, qui erant bene armati, furore repleti, reversi sunt ad plateam Sancti Petri, clamantes terribiliter: *Mueyro le bracore toti quanti & le franchilone*. Et cum isto clamore venerunt ad domum Domini Cardinalis de Britania, & deprædaverunt omnia, quæ invenerunt, & abstulerunt sibi capam, & ceperunt omnes familiares suos, quos poterant invenire; vestes & omnia, quæ habebant, eis abstulerunt, & aliquos ad carceres duxerunt. Et interim venit Dominus Guido de Proinis, qui tunc erat Senator Urbis, & increpavit Romanos. Et invenit dictum Dominum Cardinalem solum, & ordinavit quod iret ad domum Domini Cardinalis Sancti Eustachii, & ivit sine capa & capucio.

Factâ autem nocte aliqui Dominorum Cardinalium præ timore dissimulate intraverunt Castrum Sancti Angeli, & aliqui exierunt Urbem, aliqui verò in domibus suis remanserunt. Et die crastina, quæ erat die Veneris IX. Aprilis, post prandium venerunt ad Palatium, exceptis illis, qui exierant Urbem. Et congregati insimul in Capella vocaverunt Archiepiscopum Barensem, & publicaverunt ipsum fore Papam. Et induerunt, cantantes cum miserrima voce *Te Deum laudamus*, pulsando campanam. Et impenderunt ei reverentiam, ut moris est. In die verò sancto Paschæ, quæ erat XVII. Aprilis, fuit coronatus, & equitavit processionaliter, ut moris est, ad Sanctum Johannem Lateranensem, & ibi fecit cerimonias suas, & reversus in prandio ad Palatium Sancti Petri. Post paucos verò dies Domini Cardinales incœperunt exire Romam, duo uno die, unus alia, unus cum licentia, alter sine licentia, & sic de aliis, taliter quod nullus Gallicus remansit. Et omnes iverunt Anagniam, volentes procedere contra dictum intrusum, qui sic violenter voluit tenere Papatum. Et videns dictus intrusus sic omnes Cardinales recessisse, exivit Romam. Et die XXVI. Junii equitavit quasi stultus sine Cruce præcedente, & sine Corpore Christi, & sine ullo Cardinali. Et ivit ad unam Civitatem, quæ vocatur Tiburis, quæ distat ab Urbe per quindecim milliaria, & tenetur a Romanis. Et post paucos dies venerunt ad eum Domini Cardinales Italici, videlicet de Florentia, de Sancto Petro, de Mediolano, & de Ursinis, & steterunt continue per aliquos dies. Et stando Domini Cardinales, videlicet Lemovicensis, de Agrifolio, Gebennensis, Glandevensis, Pictavensis, Britaniæ, Ambianensis, Vivariensis, Majoris Monasterii, Sancti Eustachii, Sancti Angeli, de Vernhio, & de Luna in Anagnia, venerunt Domini Cardinales, de Florentia, de Mediolano, & de Ursinis Anagniam, & ibi steterunt per aliquos dies in consilio cum eis, & postea reversi sunt ad dictum intrusum. Post paucos verò dies Dominus Cardinalis de Ursinis venit iterum Anagniam. Deinde reversus est ad dictum intrusum. Et morâ factâ cum eo per paucos dies, ex toto omnes dimiserunt eum, & venerunt prope Anagniam per octo milliaria, ubi postea magno steterunt tempore. Post hæc verò Dominus Petrus Archiepiscopus Arelatensis Sedis Apostolicæ atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, de consensu & ordinatione Dominorum Cardinalium, qui bene totum factum cordi habebat cum Domino Comite Fundorum, mandato eorum mandavit Domino Bernardo de la Sala, ut veniret cum gentibus suis armorum pro custodia sacri Collegii, ne fortè venirent Romani, & tollerent locum & gentes. Et veniens dictus Dominus Bernardus cum gentibus suis de partibus Viterbii, transiens prope Romam juxta unum pontem, veniunt Romani in maxima multitudine armati contra eum. Et dictus Dominus Bernardus rogabat eos, ut permitterent ipsum transire. Qui responderunt: *Verè tu non transies, immo heic cum tota gente tua morte morieris*. Et videns dictus Dominus Bernardus Romanos ita furiosos in eum, congregavit omnes gentes suas, & facto maximo clamore irruit in eos. Qui Romani subitò fugam ceperunt hinc inde; & in fuga illa mortui fuerunt de Romanis quasi quingenti, & multi captivati. Et sic dictus Dominus Bernardus cum gentibus suis transivit pontem, & venit Anagniam. Die verò IX. Augusti ejusdem anni procedentes in declaratione Domini Cardinales Gallici fecerunt celebrare solemniter unam Missam de Sancto Spiritu in Ecclesia Majori Anagniæ per Dominum Patriarcham Constantinopolitanum natione Italicum de Comitatu Fundorum. Et dictâ Missâ ipsemet sermocinavit. Et post sermonem fecerunt legere per unum Clericum declarationem contra intrusum, cujus tenor talis est.

Miseratione divina Johannes Episcopus Pene-

A *nestrinus, Guillelmus tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte, Bertrandus tituli Sanctæ Cæciliæ, Robertus tituli Basilicæ duodecim Apostolorum, Hugo tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, Guido tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Johannes tituli Sancti Marcelli, Geraldus tituli Sancti Clementis, Presbyteri; Petrus tituli Sanctæ Mariæ in Vialata, Petrus tituli Sancti Eustachii, Guillelmus tituli Sancti Angeli, Petrus tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, facientes ultra duas partes omnium Cardinalium in Urbe existentium, tempore obitus sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI. & eo tempore, quo sui successoris debuit in eadem Urbe electio celebrari. Urget nos Christi caritas, urget* B *& zelus Fidei, urget certe Petri navicula, quam continuis concussam fluctibus cernimus procelloso in æquore nauta pyratico circumdati; urget arca fœderis Domini, quæ novorum Philisteorum impetu Israëlitarum erepta de manibus, profanis Sacerdotibus pretio Populi in ministerium tempore est relicta; urgent vasa Sacrarii, quæ Hierusalem ad Babylonem portata sunt, quibus temerariam manum injecit præsens Babylonius Balthasar, sic ut eis ad usus proprios potiatur; urget Domini inconsutilis tunica, quæ jam fortè non uni traditur, immo sub souna hoc percipienda, si possibile foret, ministris Sathanæ exhibetur; urget pudoratæ sponsæ Christi calamitas, quæ vim, quam patitur, ægre* C *ferens, nos omnes jam de tarditate arguens impellit ad debitum, ne ob defectum obsequii Senonum pateat incursibus, & infelicibus manibus attrectanda linquatur; urget ultra hæc omnia singularis illa affectio, quam vos erga orthodoxæ Fidei conservationem habere cognovimus, ut ea, quæ iis novissime lapsis temporibus in vacatione Romanæ Ecclesiæ occurrerunt, Serenitati Regiæ nota fiant, ne fortè vulgaris opinio, quæ veritatis ignara errorem sæpe percurrit, vos in hac parte traheret ad illa forsitan opinanda, quæ nec veritatem sapiunt, nec catholicæ Fidei se coaptant. Non enim revocamus in dubium, quin sicut magister & Rex omnium providus dispensator vos præ aliis voluit regale conscen-* D *dere solium, regnique sceptrum tenere, sic dum lamentabilem casum ipsius Ecclesiæ sponsæ suæ, matrisque vestræ & fidelium omnium per præsentis scripturæ paginam, quam pro rei gestæ veridico testimonio mittendam decernimus, senseritis, pia vestræ compassionis viscera movebuntur, mens excitabitur regia, auferetur opinio, & gementi matri non deerit tam probati filii præsidium, immo sub corona capitis illius protegetur. Nulla ergo vos obumbratæ veritatis seducat phalerata opinio, nulla scriptura propter hæc haud certos reddat, nulla nuntiorum multiplicata congeries lacteis suis, ficte tamen compositis, sermonibus regias sic aures demulceat,* E *quin sedenti arido super circulo, & ad nil aliud quàm lamentosis luctibus jam vacanti subveniant raptæ matris oculis filii hoc cernentes, ne raptorum ipsius satietur taliter ingluvies, quin filii baculo sustentetur. Nos igitur matris hujus vernaculi, qui vim, quam patitur, unà cum ipsa patimur, nec immeritò, incessanter, usque ad hæc tempora distulimus in hac re procedere ad actus debitos, metu justo numquam à nobis absente. Sed ne tam flagitiosi sceleris occultatio mentes fidelium forsan faceret titubare, Christi, cujus res agitur, timore anteposito, hominum verò terroribus procul pulsis, volentes potius, ubi necessitas hoc exigit, in manus hominum incidere quàm derelinquere legem Dei nostri, ad publicationem processimus infrascriptam, ut subsequitur.*

Universis Christi fidelibus, miseratione divina Johannes Episcopus Penestrinus, Guillelmus tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte, Bertrandus tituli Sanctæ Cæciliæ, Robertus Basilicæ duodecim Apostolorum, Hugo tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, Guido tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Johannes tituli Sancti Marcelli, Geraldus tituli Sancti Clementis, Presbyteri; Petrus tituli Sancti Eustachii, Guillelmus tituli Sancti Angeli, Petrus tituli Sanctæ Mariæ in Vialata, Petrus tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diaconi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, facientes ultra duas partes omnium Cardinalium in Urbe existentium tempore obitus sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI. & eo tempore, quo sui successoris debuit in eadem Urbe electio celebrari; Anagniæ pro nunc, quem locum ad omnia infrascripta peragenda tamquam idoneum elegimus, pro ut nobis fuit licitum, existentes, absentibus Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis Petro Episcopo Portuensi, Francisco tituli Sanctæ Sabinæ, Simone tituli Sanctorum Johannis & Pauli, Presbyteris, Jacobo Sancti Georgii ad Velum aureum, Diacono, eadem miseratione ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tamen pro nostra parte, ut propter infrascripta vellent heic convenire unà nobiscum literatorie requisitis, Apostolica Sede vacante, salutem & in Domino vinculum caritatis. Exigit sanctæ & catholicæ Fidei, exigit catholici ac Christiani Populi devotio singularis, exigit totius Ecclestastici status clara professio, ac salus animarum Christi fidelium singulorum, ut ea quæ dissimulata in Fide maculam, subversionem in Christicola Populo, status Ecclesiastici enervationem, ac evidentia animarum inducerent pericula, palam notificentur omnibus, annuntientur in Populis, & juxta doctrinam Evangelicam super tecta prædicentur, ne indiscretum silentium in errore derelinquat, qui poterant erudiri, & ii ad quos ex officio pertinet, subjaceant reprehensioni Dei per Prophetam dicentis: Prophetæ tui videbant tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. *Quum igitur nuper Apostolica Sede vacante per obitum piæ & sanctæ recordationis Domini Gregorii Papæ XI. qui de mense Martii proxime præterito in Urbe Roma diem suum clausit extremum, nos pro electione futuri Pontificis, ut juris & moris est, celebranda in Conclave in Apostolico Palatio, in quo idem sanctæ memoriæ Dominus Gregorius obierat, deputato unà cum præfatis Dominis absentibus convenissemus, Officiales Urbis cum magna multitudine Populi pro magna parte armati, & ad campanarum pulsationem factam propter hoc congregati, hostili more totum circumdantes ab extra, & ab intus fere implentes Palatium, & terrori tam vehementi minas etiam superaddentes, quod nisi eligeremus, & sine mora, Romanum vel Italicum, statim interficeremur, etiam congruo spatio temporis, in quo saltem de persona deliberare possemus, penitus nobis subtracto, contra voluntatem & propositum nostrum ad eligendum Italicum subitò & ex abrupto per violentiam & metum mortis coëgerunt invitos. Propter quod ad evitandum dumtaxat mortis periculum, quod in rumore Populi tam frequentis nobis procul dubio imminebat, aliàs non facturi, ut etiam tunc palam inter nos diximus, Bartho-*

tholomæum tunc Barensem Archiepiscopum in Papam duximus eligendum, æstimantes ipsum, cui tam nefaria intrusio sicuti & pæne toti Clero & Populo nota erat, talis esset conscientiæ, quod eam nullatenus acceptaret.

At ipse propriæ salutis immemor, omni pura conscientia procul pulsa, ambitionis aliàs inauditæ ardore maximo inflammatus, præsentationem electionis hujusmodi ab illis ex nobis, qui in Urbe remanserant, & per Officialium & Populi diversas minas, & suas importunas requisitiones extortam, contra canonicas sanctiones, in scandalum maximum Cleri & Populi Christiani, ac exempli perniciem, electioni hujusmodi, licèt nullæ & invalidæ, ipso jure consensit, nec non metu & ipsius metus caussâ adhuc procul dubio perdurantibus in Urbe ipsa inthronizatus & coronatus de facto, se Papam & Apostolicum nominavit; qui à sanctis Patribus & jure communi apostaticus, & anathematizatus, antichristus, & totius Christianitatis illusor & destructor potius & meritò nominatur. Nempe quum ista sua tam nefaria intrusio in Papatu jam sic sit divulgata per Orbem veluti tam notoria, quod jam alicubi celari non potest, quum eo tempore, scilicet modicum ante Pascha facta fuerit, quando de universis partibus Christianitatis major adest in Urbe Populi multitudo, quòd errores quamplurimi pullulare incipiunt, & fidelium Christianorum conscientiæ illaqueari, ipseque diutius exspectatus, ac in secreto caritative admonitus, immemor salutis propriæ, secum in præcipitium cupiens trahere Clerum & Populum universum, ad cor redire non curet, sed inanem ac transitoriam Mundi gloriam saluti animæ propriæ & cunctorum Christi fidelium anteponens, animo obstinato satagit, totam Christianitatem scandalizando, ipsum Papatum tyrannice occupare, qui per ostium non intravit. Nos non volentes præmissa salvis conscientiis ampliùs sub dissimulatione transire ad vestrûm omnium Christi fidelium notitiam præmissa omnia, licèt ipsa tam sibi, quàm pæne toti Clero & Populo existant notoria, deducentes, ipsum anathematizatum & tamquam intrusum in Papatu, nulla electione canonica præcedente totius Christianitatis invasorem, qui caput ipsius Christianitatis invadere non formidat, destructoremque, qui ut sub sua occupatione tyrannica efficere satagit, ut fere Sacramenta deficiant, & ut Christicola Populus vero Pastore carens ducatur in devium per abrupta, publicamus, & etiam denunciamus, vos & vestrûm singulos nihilominus solemniter & publice serie præsentium exhortantes & obsecrantes per viscera misericordiæ Jesu Christi, ut de cetero eidem scelesto viro, qui Dei Ecclesiam & sponsam non erubuit invadere, nolitis aliqualiter adhærere, nec ejus factis, mandatis, monitionibus, atquè dictis, quæ omnino sunt falsa simulatione imbuta, aliqualiter obedire; quum jam eumdem per alias nostras patentes literas exhortati & obsecrati fuerimus, & per præsentes exhortamur & obsecramus solemniter & publice, & per eadem viscera, ut de fine cogitans, ad quem ipsum trahit plenitudo dierum, ad Deum & puram conscientiam dirigat aciem mentis suæ, ipsamque Beati Petri Sedem sanctissimam, quam sine canonico titulo occupat, liberam & vacuam omnino dimittat, insignia deponat Papalia, & ab administratione spiritualium & temporalium Papatus & Romanæ Ecclesiæ abstineat indilate, & aliàs Deo & Ecclesiæ suæ sanctæ per fructus veræ pœnitentiæ satisfacere studeat juxta posse. Quod si fecerit, gratiam Dei, gloriam Mundi, & laudes Cleri & Populi universi, ac acerbarum pœnarum per jura communia sibi impositarum & imponendarum remissionem cum misericordiosa indulgentia merebitur obtinere; aliàs indignationem Dei omnipotentis, ac Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, Sanctorumque omnium non immeritò incursurus. Nosque divinum & humanum auxilium, quum Christi sponsa & omnium Christianorum communis mater per ipsum procul dubio violetur, invocabimus, aliisque utemur remediis per canonicas sanctiones concessis, ab inde in antea nullam spem de misericordia habiturus.

Datum Anagniæ rectoratus provinciarum Campaniæ & maritimæ. Quem locum propter probitatem & fidelitatem constantissimam magnifici viri Honorati Gaitani Comitis Fundorum, & dictarum provinciarum Rectoris, & singularem devotionem, quam ad Romanam Ecclesiam & Fidem Catholicam, ac ad nos gerere comprobatur, tamquam magis securum & idoneum nobis ut supra ad præmissa omnia peragenda duximus eligendum, Anno à Nativitate Domini MCCCLXXVIII. die nona mensis Augusti, primæ Indictionis sub propriis nostris signis pendentibus dicta Apostolica Sede vacante.

Johanna, Dei gratiâ Regina Hierusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Forcalquerii, ac Pedemontis Comitissa, Justitiariis &c. Si datum est nobis à superna gratia regere Terras, sic debemus in nostro regimine disponere actus nostros, illosque continue saluberrimis consiliis roborare, ut Populi nobis crediti, & de quibus habemus Regi Regum reddere rationem, fugato quolibet turbulento, serventur innocui, & præsertim in caussis gravioribus & emergentibus vehementius invigilare debemus pro cura & gubernatione fidelium; ne ipsa Regni bona dispositio, quæ dependere dignoscitur à constantia Fidei, & ab obedientiæ jugo ac viis rectis & salutiferis præsidentis, in lapsum corruat, & per contagium pestiferæ supervenientis materiæ irrepente nequitia per insidiosas latebras ad diverticula & viarum angustias in sui principio se corrumpat. Sane credimus in toto Regno nostro Siciliæ, & in omnibus regnicolis, nostrisque Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii manifestum, quòd etiam ad partes totius Italiæ ac ad remotas & varias Mundi partes transivit notitia, qualiter occupata Sedes Apostolica contra canonicas sanctiones per intrusum illum Tuczillum Pingaurum de Neapoli, olim Episcopum Barensem, qui in throno pestilentiæ sedens, se Papam postulat nominari, electissimi & prudentissimi ac reverendissimi Viri illi ac Patres & Domini Cardinales Apostolicæ Sedis ostium, per quod intrare debemus ad cognitionem veræ Fidei, & qui Cardinales Mundi dici per quamdam dignitatis & virtutum excellentiam meruerunt, cupientes effugere perniciem animarum suarum, quas ex tanto errore & rerum caligine poterant in profundum perpetuæ calamitatis infringere, ac de statu Mundi, providentia & conservatione Fidei orthodoxæ, quam periclitari in tanto turbine & rerum naufragio verisimiliter cognoscebant, captato loco & tempore, in quibus possent in iis dare ordinem, & ut Mundi machina per summum & verum Antistitem canonice intrantem feliciter regeretur, & factis prius & promulgatis certis declaratoriis opportunis contra intrusum eumdem, & deinde invocata & affluente illis Spiritus Sancti gratiâ, Dominum Re-

A Robertum Cardinalem tunc Gebennensem, in quem ipsorum Cardinalium concorditer & pari voto ab omnibus, consideratis circumstantiis, resedit opinio, tamquam in virum magnæ auctoritatis & sapientiæ, auctorem pacis, ponderatum in consilio, caritate ardentem, multiplicibus virtutibus & aliis divinis gratiis redimitum, pro recta gubernatione, & naucherio beati Petri naviculæ, ac summum & verum Antistitem per vias canonicas elegerunt. Quo perducto celerrime ad notitiam Majestatis nostræ, nos dirigentes nostræ considerationis intuitum ad laudabilia & gloriosa gesta catholicorum Principum progenitorum nostrorum Regum Siciliæ, quorum vita fuit semper doctrina aliis & regula exemplaris; qui semper obedientes sanctæ matris Ecclesiæ
B fuerunt speculum, & quasi quoddam simulacrum cunctis Principibus Christianis, cultores & fautores ac defensores Catholicæ Fidei, ædificatores Templorum & Ecclesiarum, & pro ipsa Fide catholica & sancta Romana Ecclesia pugiles & continue præliantes; internis affectibus incœpimus cogitare, qualiter nos à tanto caritatis fomite descendentes, & velut à sacratissima arbore propagata virgula trahentes originem, possemus rectas vias inspicere, & inspectas & cognitas per actus meritorios conservare.

Sicque ad discussionem tantæ rei, & ut possimus tanti negotii veritatem elicere, quum de salute animæ nostræ & bono conscientiæ agere-
C tur, consuluimus magnæ auctoritatis viros, tam de dicto Regno nostro, quàm de partibus extra Regnum; & quorum profectò non novit errasse judicium, Magistros scilicet in sacra Pagina, Doctores legum & Juris canonici Professores, diversosque Prælatos & Præsules & Magistros alios in aliis facultatibus, ut mentem nostram securo robore confirmarent, licèt ipsa rei essentia cujuslibet judicio & intellectui sano paterent; quum propriun & naturale sit hominis, veritatem discernere, tamdem sanctissimi & clementissimi Domini nostri Domini Clementis Papæ VII. noviter per dictos Cardinales electi, & qui summus Pontifex meruit appellari, fuit in via in præsentia nostri assistentis consilii, & multorum processibus aptis demonstrata. Quem tam-
D quam Dominum nostrum & sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summum Pontificem mente integra, fide firma, & virtute robusta intendimus filialiter revereri, & voce depromimus cordis & pectoris testimonio comprobare. Verùm quia intrusus ille, olim Barensis Archiepiscopus, quem furor ambitiosus arripuit, obtenebrata sensus caligine Papam se flagitat nominari, sicut intelleximus ad Regnum nostrum Commissarios seu exsequutores disposuit destinare, & fieri facere pro parte sua tamquam veri & catholici . . . . potius ficti & pseudoantistitis ordinationes, jussiones pariter & mandata: ex quibus profectò scandala magis possent insurgere, seditiones, brigæ & rixæ, ac errores in Popu-
E lo . . . . . . pariter rixæ, quum unus sol irradiare debeat super clypeo veritatis, & unus lucere cunctis animantibus super terra, incumbatque nobis signanter ex officio præsidentiæ nostræ ita curare de subditis, ut tempora nostri regiminis faciamus felicia, & fideles ipsos ab angustiis & noxiis novitatibus præservemus, providimus tam Prælatorum quàm aliorum peritorum, & nostri Consilii deliberatione matura, quod nullo modo pro parte dicti Tuczilli, olim Archiepiscopi Barensis, intrusi, Nuntii & exsequutores in Regno nostro Siciliæ seu Commissarii admittantur, nec pro quacumque caussa spirituali vel temporali exsequutiones fieri, ambasciatas exponi, jussiones perfici quomodolibet vel mandata, sed penitus rejici, & in potentia dexteræ nostræ repelli; omnes & quascumque personas, quæ pro parte dicti intrusi occulte vel publice, & in quavis Civitate, Terra, vel loco talia contra hujusmodi nostræ voluntatis intentum quomodolibet attentarent, quinimmo ipsos ejus Nuntios, exsequutores, & alios . . . . de personis capi volumus, & etiam arrestari, ac sic captos & arrestatos teneri sub fida custodia, usquequo aliud duxerimus demandandum. Si quis autem ad hoc auxilium impenderet tacite vel expresse, publice vel occulte daret assistentiam vel favorem, seu in Civitatibus, Terris, Castris eorum, & locis, tales Commissarios, hujusmodi exsequutores vel ambassiatores admitterent, & exsequutiones hujusmodi, ambassiatas, jussiones, & mandata fieri paterentur, notam inobedientiæ, sive Comes, sive Baro, seu Nobilis, aut Burgensis, cujuscumque status, etiamsi regali dignitate fungerentur, aut Universitas, aut persona singularis existeret, volumus incurrere ipso facto. Quare fidelitati tuæ de certa nostra scientia mandamus expresse, quatenus formam præsentium per Terras & loca jurisdictionis tuæ, famosas maxime, etiamsi Capitaneos habeat, divulget ex more, & faciat per competentia officia publice divulgari . . . . fieri de exsequutione præsentium cum earum formâ competentia publica consimilia instrumenta; quorum aliqua pænes te retineas, cui . . . . . . temporis producenda, reliqua ad Curiam nostram mittas. Nos enim quod in aliis provinciis, Terris, & locis dicti Regni fiat modo simili præsentium divulgatio, scribimus nostras consimiles literas ipsius Regni nostri aliis Justitiariis.

Datum in Castro Ovi prope Neapolim per virum magnificum Luzorium Zurulum de Neapoli Militem Logothetam & Protonotarium Regni nostri, collateralem Consiliarium, & fidelem nostrum dilectum, anno Domini MCCCLXXVIII. die XX. Novembris, secundæ Indictionis, Regnorum nostrorum anno XXXVI. Quum autem nulla res inchoari debeat, de qua non prius ratio sit habenda, & reddenda caussa probabili argumento, præscriptas literas in forma prædicta non solùm destinari jussimus & fecimus per diversas & varias Regni nostri provincias, sed qui contra contemtores & transgressores præscriptæ nostræ declarationis, mandati, & hujusmodi nostræ voluntatis intentus, si qui fuerint, possumus sublatâ omni reprehensionis notâ procedere rectâ viâ, nec liceat universalem notitiam tam apud devotos, benivolos, & amicos, quam apud nostros subditos, quod omnes actus nostri, in quibus agendis justitiæ præsidio conserventur earumdem scripturarum literarum apud diversas & varias Mundi partes consulte providimus, & fecimus notitiam pervenire. In cujus rei testimonium præsentes literas exinde fieri, & pendenti Majestatis nostræ sigillo jussimus muniri.

Datum in eodem Castro Ovi per eumdem virum magnificum Luzorium Zurulum de Neapoli Militem Logothetam, & Protonotarium Regni Siciliæ, collateralem Consiliarium, & fidelem dilectum nostrum, anno Domini MCCCLXXVIII. die XXII. ejusdem mensis Novembris, secundæ Indictionis, Regnorum nostrorum anno XXXVI.

Post hæc verò, videlicet XXVII. Augusti anno Domini MCCCLXXVIII. omnes Domini Cardinales exierunt Anagniam, & venerunt ad quamdam Civitatem, quæ vocatur Fundis, quæ

quæ distat à Civitate Anagniæ per viginti septem milliaria versùs Neapolim, & est prope Gajetam, quæ est portus maris per decem milliaria. Et dicta Civitas Fundana est Honorati Gaitani Comitis Fundorum. Qui dictus Comes gubernavit & conservavit totum sacrum Collegium bene & fideliter cum gentibus suis armorum juxta posse. Et stantes dicti Domini Cardinales Gallici in dicta Civitate Fundana, volentes procedere ad eligendum Papam, venerunt dicti Domini Cardinales Italici ad dictam Civitatem, & die XX. Septembris omnes congregati insimul concorditer elegerunt in summum Pontificem Dominum Cardinalem Gebennensem. Et facta electione, antequam publicaretur, recesserunt dicti Cardinales Italici. Et in crastinum, quod erat XXI. Septembris, fuit publicatus, & Clemens appellari voluit. Eodem anno Nativitatis Domini MCCCLXXVIII. die XXVIII. ejusdem mensis Septembris, quæ fuit die Sabbati quatuor Temporum, dictus intrusus, sive Antichristus, Romæ existens solus in camera, januis clausis, ordinavit & scripsit viginti novem Anticardinales; & apertâ camerâ ipsemet pulsavit campanam parvam, & omnes intraverunt, qui voluerunt intrare, & dixit illis, qui assistebant ei: *Ego volo facere Cardinales*. Et tradidit Secretario suo scriptum quod fecerat, & ille legit, & nominavit. Deinde dictus intrusus sermocinavit & dixit: *Ego elegi istos, & volo ipsos esse Cardinales*, quorum nomina non sunt heic scripta.

Alia Vita Gregorii XI. Auctore Anonymo, penes Baluzium.

GRegorius XI. natione Lemovicensis ex patre Rogerio, prius dictus Petrus de Belloforte, Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis, ac nepos bonæ memoriæ Domini Clementis Papæ VI. prædicti, eligitur Avinioni anno Domini MCCCLXX. in Vigilia Epiphaniæ. Sedit annis VIII. mensibus II. diebus XXVI. Hic ante suam electionem vovit Sede vacante, quod si eligeretur in Papam, veniret ad propriam Sedem. Et ideo retrahi ab hac intentione nequivit. Sæpius enim per Collegium, parentes, & Regem Franciæ dissuasum est ei, diversis & arduis impedimentis objectis. Quæ omnia forti animo superavit, adeo ut matri prostratæ ad limen aulæ, quando recessit, nudo pectore cum maximo ululatu dicenti: *Fili, quò pergis? numquam ulterius te videbo*; corpore tamen trans passum non calcato, diceret scriptum esse: *Super aspidem & basiliscum ambulabis*. Eodem anno suæ assumtionis, proximis quatuor Temporibus, creavit duodecim Cardinales, ut posset resistere antiquioribus, qui eum elegerant; & propterea plus quàm expediret Ecclesiæ præsumebant tam in consiliis quàm in promotionibus & gratiis extorquendis. Hic refici fecit Campanile Ecclesiæ beatæ Mariæ Majoris de Urbe, nec non Lateranensem Ecclesiam. Hic conferendo Ordines Petro de Luna, eum assumendo in Diaconum Cardinalem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ait: *Caveas, ne tua luna patiatur eclipsim*, cunctis adstantibus & audientibus & notantibus hæc: quæ postmodum impleta fuerunt. Audiverat enim multiplicia esse diversoria, & semitas animi dicti Petri sophismatibus verbisque fallacibus imbuti.

Hic anno Domini MCCCLXXVI. recessit

A Avinione versùs dictam Urbem cum XXXII. Galeis & pluribus navigiis, adeo ut una Civitas apparerent in mari quum simul essent.

Intravit autem dictam Urbem die Beati Antonii MCCCLXXVII. sed ante dictum recessum, ultimo Martii MCCCLXXVI. condemnaverat Florentinos & Franciscum de Vico Præfectum Urbis, ac Baptistam ejus fratrem, propter rebellionem Terrarum, quam sibi fecerant, usque ad septimam generationem. Hic indixit Vigiliam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis Anagniæ, octavâ die Septembris, Pontificatus sui anno octavo. Hæc omnia contigerunt regnante Carolo IV. Imperatore, qui dedit potestatem eidem Gregorio Papæ per suas
B literas sub Imperiali sigillo munitas MCCCLXXII. sub data Pragæ, quarto Nonas Augusti, decima Indictione, & Regnorum suorum, Romani XXVII. Bohemiæ XXVII. Imperii verò XVIII. plenissimam de terris, possessionibus, & quibuscumque rebus Bernabovis & Galeatii Vicecomitum Mediolanensium, eorumque sequacium, colligatorum, & adhærentium, quas nomine Imperialis Vicariatus, aut aliis titulis tenebant, vel sibi vindicabant in Vicariatum, suo Imperiali nomine aliis concedendi usque ad decem annos ex tunc in antea. Iste idem Imperator ivit Parisius peregre, ubi coronavit filium Caroli V. Regis Francorum de facto in Regem Arelatensem
C ad decennium tantùm. Item idem Carolus Imperator approbavit Constitutionem Honorii III. de Libertate Ecclesiastica, & Cleri, exprimens undecim hujusmodi libertates cassas & irritas attentata ultra pœnas indictas propter Fredericum Imperatorem, puniens etiam Communia, & Judices banniens, & infamiæ ac pœnâ dupli, & publicari mandans hujusmodi suam Constitutionem: quæ Carolina communiter dicitur, & habetur in Libro Cancellariæ Romanæ. Per quam distribuitur petentibus sub nomine Pontificis cujuslibet successoris pro tempore pro maxima exsequutoribus deputatis. Item idem Imperator, eo veniente, obtinuit filium suum primogenitum ad Impe-
D rium & in Regem Romanorum eligi. Obiit autem idem Imperator penultimâ Novembris MCCCLXXVIII. & regnavit pro eo Venceslaus IV. filius suus prædictus. Præfatus autem Gregorius Papa obiit Romæ XXVII. Martii MCCCLXXVIII. Pontificatus sui anno octavo, & apud suum titulum in Sancta Maria Nova sepelitur.

Ex Petro de Herentals Priore Floreffiensi penes Baluzium.

GRegorius XI. defuncto supradicto Urbano electus est in Papam. Qui prius fuit Cardinalis, vir simplicis vitæ, mitis & beni-
E gnus; qui in tantùm exstitit de suis cognatis apud Avinionem in petitionibus & supplicationibus fatigatus, quod exiens de terra & cognatione sua, de Avinione perrexit Romam. Ibidem quoque non post multos annos obiens, perrexit ad Dominum, virgo mente & corpore, ut quidam asserebant. Ejus tempore, videlicèt anno Domini MCCCLXXV. mira Secta tam virorum quàm mulierum venit Aquisgrani de partibus Alamanniæ, & ascendit usque Hononiam seu Franciam. Cujus talis fuit conditio. Nam homines utriusque sexus illudebantur à dæmonio taliter quod tam in domibus quàm in plateis & in Ecclesiis se invicem mani-

manibus tenentes chorizabant, & in altum saltabant, ac quædam nomina dæmoniorum nominabant, videlicet *Friskes*, & similia, nullam cognitionem in hujusmodi chorizatione nec verecundiam sui propter adstantes Populos habentes. Et in fine hujus chorizationis in tantum circa pectoralia torquebantur, quod nisi mappulis lineis à suis amicis per medium ventris fortiter stringerentur, quasi furiose clamabant, se mori. Hi verò in Leodio per conjurationes sumtas de illis, quæ in catechismo ante baptismum fiunt, à dæmonio liberabantur, & sanati dicebant, quod videbatur eis, quod in hora hujus chorizationis erant in fluvio sanguinis, & propterea sic in altum saltabant. Vulgus autem apud Leodium dicebat, quod hujusmodi plaga Populo contigisset, eo quod Populus male baptizatus erat, maxime à Presbyteris suas tenentibus concubinas. Et propter hoc proposuerat vulgus insurgere in Clerum eos occidendo, & bona eorum diripiendo; nisi Deus de remedio providisset per conjurationes prædictas. Quo viso cessavit tempestas vulgi taliter quod Clerus multo plus à Populo fuit honoratus. De ista autem chorizatione seu Secta talia extant rigmata.

Oritur in seculo nova quædam Secta,
In gestis aut in speculo visa plus nec lecta.
Populus tripudiat nimiùm saltando.
Se unus alteri sociat, leviter clamando.
Frisch, friskes, cum gaudio clamat uterque sexus,
Cunctus manutergio & baculo connexus.
Capite fert pelleum desuper certum.
Cernit Mariæ filium & cælum apertum.
Deorsum prosternitur. Dudum fit ululatus.
Calcato ventre, cernitur statim liberatus.
Vagatur loca varia pompose vivendo.
Mendicat necessaria propriis parcendo.
Spernit videre rubea, & personam flentem.
Ad Fidei contraria erigit heic gens mentem.
Noctis sub umbraculo ista perpetravit.
Cum naturali baculo subtus se calcavit.
Clerum habet odio. Non curat sacramenta.
Post sunt in Leodio remedia inventa
Hanc nam fraudem quâ suggessit Sathan est convictus.
Conjuratus evanescit. Hinc sit Christus benedictus.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem, è Codice MSto Patavino.

GRegorius XI. natione Lemovicensis, prius vocatus Petrus Bellifortis, & Nepos Clementis VI. dum esset Cardinalis Sanctæ Mariæ Novæ, concorditer à Cardinalibus electus est in Papam in Avinione anno Domini MCCCLXX. mense Decembri. Sedit annis VII. mensibus III. diebus....... & sepultus est Romæ in Basilica beatæ Mariæ, quæ Nova nuncupatur. Et cessavit Episcopatus diebus X. Hic enim quum esset annorum circiter XVII. sanctæ memoriæ Clemens VI. ejus patruus eum in Diaconum Cardinalem S. R. E. assumsit. Et ne carni & sanguini acquievisse videretur, continuò eum excellentissimis Doctoribus Juris utriusque, & aliarum Scientiarum non vulgaribus Præceptoribus, tradidit erudiendum. Qui ita in multis Scientiarum generibus profecit, ut non modò mediocris, sed eminentissimæ scientiæ Doctor à cunctis haberetur. Et

A in tantum culmen & famam doctrinæ evasit, ut à famosissimis Italiæ Doctoribus, à Baldo præcipue de Perusio in Cathedra legente Jus civile, ejus opiniones & dicta adducerentur in medium, sæpiusque ejus dicta allegans diceret: *Dominus noster in hac Lege sic dicit*, intelligens de Domino Gregorio XI. cujus scripta non ad mediocres solùm sed eruditissimos jam pervenerant. Vitæ etiam innocentissimæ fuit, placidus in moribus, super omnes humilis & clemens, vultu placidus, & complexionis admodum delicatæ. Dum enim in Palatio Avinione moram traheret, & die quodam in aula deambulans, comitante eum Episcopo, quondam ejus Cubiculario, diceretque Gregorius Episcopo: *Domine Episcope,*
B *cur non vaditis ad Ecclesiam vestram?* Respondit ei Episcopus: *Et vos Pater Sancte, quare ad vestram non acceditis?* intelligens de Romana, quæ Sedes est Petri, & Christi Vicarii propria: ita animo compunctus est, & in conscientia tactus, ut statim de veniendo Romam cogitaret. Erat per idem tempus totum fere Ecclesiæ patrimonium in Italia operâ Florentinorum per tyrannides plurimas Italiæ occupatum. Et hac occasione paucis hujus sui secreti consciis, paratis Galeis, contra attinentium & amicorum voluntatem, Romam venit, quæ annis ultra LXX. a tempore Clementis Quinti Romani Pontificis præsentiâ, qui in
C Urbe continue resideret, privata fuerat. Intravit Urbem ergo cum ingenti Romanorum omnium lætitia & incredibili applausu receptus, acclamantibus cunctis, *Benedictus, qui venit in nomine Domini pastor supremus.* Gaudebant omnes videre sanctum Pontificem, dimissis parentibus & notis, dimissâ patriâ propriâ, spretis omnium persuasionibus, ut non veniret, in Sede propria collocatum. Dum sic Romæ moraretur veluti Pastor bonus, & Christi verus imitator, agere cœpit viâ pacis ad reducendum Populum Florentinum, qui nimis se ab Ecclesia separaverat, multaque contra Ecclesiam commiserat, propter quæ fuerant anathematizati, gravati, & reaggravati
D Majores de Civitate, & Civitas interdicto supposita. Pro qua reductione & pace cum dictis Florentinis tractanda & firmanda, & recuperatione Terrarum Ecclesiæ misit ad eos Legatum de latere Dominum Johannem tituli Sancti Marcelli Cardinalem Ambianensem. Ante cujus legationis finem, sicut Domino placuit, Dominus Gregorius infirmatur, & Romæ moritur die XXVII. Martii Anno Domini MCCCLXXVIII. cum omnium multo dolore, & angore, & verè dolore præsago futurorum malorum, longi videlicet schismatis, quod ex ipsius morte in Ecclesia Dei secutum est. Cujus initium & progressus inferius seriose describitur, veritatem sequendo, sicut proprie
E accidit in facto, licèt aliter fortè ab aliquibus casus hujusmodi schismatis ponatur in terminis. (a)

Defuncto igitur Gregorio XI. erant tunc in Romana Curia XVI. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Collegium constituentes: videlicet Petrus Portuensis, dictus Cardinalis Florentinus; Johannes Penestrinus, vulgariter dictus Cardinalis Lemovicensis; Guillelmus Sancti Stephani in Cœlio Monte, dictus de Agrifolio; Bertrandus tituli Sanctæ Cæciliæ, dictus Glaudacensis, Ordinis Minorum; Robertus

(a) *Muratorius*: Quæ sequuntur usque ad finem, desiderantur apud Baluzium.

bertus XII. Apostolorum, dictus Gebennensis; Hugo Sanctorum quatuor Coronatorum, dictus de Britannia; Guido Sanctæ Crucis in Hierusalem, dictus Pictavensis; Petrus Sancti Laurentii in Lucina, dictus Vivariensis; Franciscus Sanctæ Sabinæ, dictus Cardinalis Sancti Petri; Simon Sanctorum Johannis & Pauli, dictus Mediolanensis; Bernardus Sancti Clementis, dictus Montis Majoris; Johannes Sancti Georgii ad Velum aureum de Ursinis; Petrus Sancti Eustachii; Guillelmus Sancti Angeli; Petrus Sanctæ Mariæ in Cosmedin, dictus de Luna. Alii item Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, videlicet Dominus Albanensis, Dominus Tusculanus, Sabinensis, Sanctæ Anastasiæ, Sancti Vitalis, & Sanctæ Mariæ in Porticu, erant in Avinione. Dominus verò Johannes Sancti Marcelli Cardinalis Ambianensis, de quo supra, Legatus erat Apostolicæ Sedis in Tuscia. Unde XXIII. quorum quatuor tantùm erant Italici, videlicet Dominus Mediolanensis, Dominus Sancti Petri, & Dominus dictus de Ursinis, convocatis ad se per jam dictos Cardinales præsentes in Urbe, Senatore Urbis, Domino videlicet Guidone de Prohinis Milite ultramontano, ceterisque almæ Urbis Officialibus, eis præstiterunt solemne juramentum in forma juris de observanda Decretali; *Ubi majus periculum*, & de custodiendo fideliter Burgo Sancti Petri, & Palatio, ubi futurum erat Conclave, ab omni violentia & impressione præservando. Quod quidem juramentum multis etiam adjectis oblationibus gravissime subierunt. Dum autem supradicti Cardinales frequentes adessent in Ecclesia Sanctæ Mariæ Novæ, ubi Domini Gregorii corpus traditum exstiterat Ecclesiasticæ sepulturæ, ut moris est, ipsis quadam die sic ibidem congregatis, Officiales præfati tam nomine suo, quàm aliorum civium & Populi Romani, non minùs humiliter quàm devote, antedictis Cardinalibus supplicaverunt, ut aliquem idoneum & sufficientem virum eligere dignarentur in Papam; qui esset natione Italicus, asserentes, non modicum hoc utile, sed prope necessarium fore Romanæ Urbi & Ecclesiæ, totique Populo Christiano; postulationem eorum fundantes caussis & rationibus infrascriptis. In primis itaque allegaverunt, & dixerunt, quod ipsa Romana Sedes, quæ Apostolica est, & esse dicitur, immo fere Italia tota, propter longissimam summorum Pontificum absentiam ab ipsa Urbe, in qua divina & incommutabili ordinatione Romana Sedes fuerat stabilita, multipliciter collapsa & depressa fuerat propter dictam longam absentiam; quodque Ecclesiæ Urbis, palatia, claustra, & ædificia, in quibus S. R. E. Cardinales in eadem Urbe, & Urbi adjacentia, a longissimis temporibus erant dirupta, neglecta, & collapsa tam in spiritualibus, quàm temporalibus, enormiter & quasi irrecuperabiliter ad exterminationem deducta in perniciosum exemplum non modò omnium Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, sed in scandalum etiam omnium Christianorum, Urbem devotionis, aut peregrinationis caussâ visitantium, quorum Ecclesiis neglectus iste sacrarum rerum notorie subjectus erat. Adjicientes, quod nulla erat reparationis & reformationis aptior via, quàm quod Summus Pontifex, quem Deus in Sede Romana collocaverat, & Cardinales pariter in Urbe residerent, quemadmodum omnes retro Romani Pontifices & Cardinales ibi resederant usque ad tempora Clementis Papæ V. & à cujus electione citra usque ad hæc tempora Romani Pontifices, & Cardinales in Urbe Romana, vel saltem in Italia prope Romam, residentiam non curaverant, sed potius se a propria Sede sequestraverant: quæ sequestratio ab eo potissime provenerat, quod dictorum temporum Romani Pontifices non fuerant Italici, sed Gallici, vel Ultramontani suæ propriæ patriæ, & natualis soli rationem habentes, quàm honoris & loci, ad quos provecti fuerant, & divina dispositione vocati.

Insuper addiderunt, toti Mundo fore notorium, quòd occasione prædictorum defectuum, Civitates, Oppida, Castra, Villæ, Terræ, Provinciæ, Romanæ Ecclesiæ patrimonium, per dicta tempora fuerant guerris, dissensionibus, partialitatibus innumerabilibus suppositæ, vexatæ, & lacessitæ, & per Tyrannos, & malos Officiales, maxime Gallicos, vel ultramontanos miserabiliter subjugatæ & oppressæ, in tantum quod Sancta Romana Ecclesia ex ipsis Civitatibus, Oppidis &c. valde modicam, immo nullam utilitatem fuerat dictis temporibus consecuta, quin immo pecunias, & thesauros omnes, quos aliunde eadem Ecclesia, etiam cum magnis oneribus, & gravaminibus omnium Ecclesiarum Mundi, acquisiverat & congregaverat, consumserat; & quotidie consumebat pro ipsarum Civitatum, & terrarum defensione; adeo quod eadem Ecclesia quoad temporalia fuerat, erat, & est maxime novissimis nostris temporibus quasi ad nihilum notorie & manifeste redacta, exhausta, & in magno contemtu ubique posita. Non videbatur propterea honestum, vel tolerabile quod post tot annorum curricula Romana Sedes sine Pastore, & sponsi sui præsentia & solatio destituta remaneret, & alibi in valde remotis partibus contra Dei præceptum, ne dicam contemtum, per tot annorum decursum tot Romani Pontifices, eâ relictâ & neglectâ, elegissent habitare. Dixerunt etiam, verum, clarum, notorium fore cuilibet intuenti, quod ex ea continua Romani Pontificis residentia in Urbe Romana, vel saltem in Italia, sequerentur multa Romanæ Ecclesiæ, & toti Italiæ, & Christianitati, Deo dante, profutura, recuperatio videlicet Terrarum & dotis Ecclesiæ Romanæ perditarum, quæ notorie propter rationes jam dictas contra ipsam Ecclesiam rebellarunt, necnon pax & tranquillitas, ac pacificus status Romanæ Civitatis, & ejusdem totius Italiæ, quæ non minima pars erat, & est totius Christianitatis; & quòd prædictis rationibus motus Urbanus Papa VI. Italiam visitavit; & licèt post aliquot annos redierit Avinionem, & quasi in continenti decesserit, intendebat tamen, ut asserebatur à quibusdam de sua mente informatis, quòd si supervixisset, ad Italiam procul dubio rediisset. Gregorius quoque XI. qui contra voluntatem, & magnas parentum instantias, patris, fratris, nepotum, & consanguineorum, affinium, & amicorum suorum omnium, ac etiam multorum Regum, & Principum, Cardinalium, & familiarium suorum, lares proprios dimittendo, venire voluit ad Urbem Romanam, venit cum magnis laboribus & expensis, personarumque periculis in Sede propria moraturus. Qui etiam asserebat, quòd tempore, quo erat Cardinalis, displicuerat sibi Domini Urbani reditus de Italia, seu recessus; & hoc ipsum

ipsum Urbano prædixisse pluries affirmabat. A Propterea magnis precibus supplicarunt, quatenus his attentis rationibus, Italiæ pro hac vice eum, qui his periculis sui præsentia valeret & posset, succurrere, prout opportunum erat in tantis necessitatibus, providerent. His rationibus auditis, Reverendissimi Domini Cardinales paucis verbis in hunc fere modum responderunt: *Quæ nobis exposuistis, & supplicastis, attente audivimus & intelleximus; disposuimus enim nullâ habitâ acceptione nationis, vel personæ, Ecclesiæ Dei providere de persona utili & idonea, prout Deus inspirabit, & conscientiæ nostræ videbitur, & non aliter.*

His peractis & ordinatis per Dominos Cardinales, tam Palatii Sancti Petri, quàm burgi B ejusdem, fidâ custodiâ; deputatis etiam custodibus Conclavis, ut est moris, ut sic cum omni libertate, omni impressione & violentia cessante, electio summi Pontificis canonica celebraretur: Cardinales ante ingressum Conclavis simul in certo loco aliquando congregati, inter se colloquium habuerunt super persona futuri summi Pontificis tractantes & colloquentes; qui tamen non potuerunt concordare; quoniam Cardinales Gallici inter se erant discordes, Lemovicensis videlicet ex una, & reliqui Gallici ex alia; nec ad eligendum de collegio Italicum videbantur. Italici verò tantùm quatuor, videlicet Sancti Petri, Mediolanensis, Florentinus, & de Ursinis, non C habebant potestatem, quia minor pars, & in Gallicum non libenter consentiebant. Patefactâ ergo discordiâ inter Lemovicensem, & Cardinales, & alios Gallicos, reliqui Gallici, qui non erant Lemovicenses, tamdem concordaverunt cum Cardinalibus Italicis de habendo potius Italicum, quàm unum Lemovicensem, dicentes aperte, quòd totus Mundus admodum erat attœdiatus de Lemovicensibus, qui tanto tempore Papatum possederant quasi hereditarium. Lemovicenses verò Cardinales, intelligentes tam Cardinales Italicos, quàm reliquos sibi adversari, deliberaverunt, & inter se concluserunt, quòd ubi non possent habere sufficientem numerum Cardinalium ad D faciendum Papam unum de ipsis, vel saltem Dominum Vivariensem eorum sequacem, eligerent potius unum Italicum, sed de extra Collegium; & nominabant Dominum Archiepiscopum Barensem, qui Urbanus postea VI. dictus est. Et ratio, quare in istum Archiepiscopum vota sua dirigebant, potissimùm erat, quia sperabant, Cardinales Italicos in istum Italicum potius, quàm in alium Gallicum, debere consentire. Credebatur enim, quòd alii Cardinales ultramontani in hunc concurrerent. Qui Archiepiscopus Barensis erat homo valde scientificus, practicus, doctus, & instructus in stilo Curiæ & Cancellariæ, & ab antiquo familiaris, notus, ac socius, Capellanus, ac domesticus Cardinalis Pampilonensis Vicecancellarii, qui & ipse erat natione Lemovicensis. Et dum Dominus Gregorius XI. venisset ad Italiam, ipsum Dominum Barensem Archiepiscopum tamquam benevolum, & de quo dictus Cardinalis Pampilonensis plurimùm confidebat, posuit ad regendum Vicecancellariam loco ipsius Pampilonensis Vicecancellarii. Tum etiam quia ipsi Cardinales habebant & reputabant ipsum Dominum Barensem tamquam unum ultramontanum, & ipsorum moribus conformem, ex quo multo tempore fuerat cum Dominis Cardinalibus ultramontanis conversatus in Avinione; tum etiam quia ipse dictus Barensis erat de Regno Siciliæ, & Civitate Neapolitana oriundus, quorum Regni & Civitatis erat Domina serenissima Regina Johanna, quæ fuerat, & est S. R. E. devotissima, & ipsis Cardinalibus valde grata & accepta. Et jam ante ingressum Conclavis erat quasi patefacta hæc Cardinalium Lemovicensium voluntas & dispositio, ita ut diceretur a multis, quod Dominus Archiepiscopus Barensis esset futurus Papa. Immo & aliqui ex ipsis Dominis Cardinalibus, ut ferebatur, se sibi verbis placidis commendaverunt, sperantes eum in supremum Pontificem assumi debere. Adveniente autem tempore intrandi Conclave, omnes Cardinales, qui erant numero XVI. ut prædiximus, intraverunt Conclave, die videlicet VII. Aprilis, qua die horâ satis tardâ jam clauso Conclavi, & bene custodito, Cardinales de Agrifolio, & Pictavensis, accesserunt ad Dominum Cardinalem Sancti Petri, & ipsi aperuerunt, quod inter se de ipso Domino Barensi tractaverant & concordaverant, persuadentes ei, ut ipse personam dicti Domini Barensis acceptaret: quorum petitioni Dominus Sancti Petri respondendo, statim annuit & consensit. Eadem verba Dominus Uticensis dixit Domino Cardinali Mediolanensi, qui similiter consensit in dictum Barensem. Et invenerunt duas partes Collegii in ipsum consentire, scilicet præsentium Cardinalium.

Die verò sequenti VIII. videlicet Aprilis omni impressione cessante, sed Conclavi bene custodito & munito, Cardinales convenerunt in Capella Conclavis, & auditâ prius Missâ de Spiritu Sancto, ut moris est, cœperunt de negotio electionis inter se tractare. Cardinales verò prædicti de Agrifolio & Pictavensis, cœperunt tractare inter se sigillatim unusquisque, utrum possent ex Dominis Cardinalibus habere vota & voces, quæ sufficerent ad eligendum prædictum Dominum Barensem; & tamdem reperiunt voces & vota Dominorum Cardinalium numero sufficienti concurrentium. Unde immediate Dominus Cardinalis de Agrifolio omnibus aliis Cardinalibus ibidem existentibus dixit hæc verba: *Domini, sedeamus statim, quia pro certo credo, quòd incontinenti eligemus & habebimus Papam.* Cardinalis verò de Ursinis, qui ad Papatum, ut credebatur, aspirabat, videns vota Dominorum Cardinalium directa & concurrentia ad eligendum in Papam Dominum Barensem, conabatur divertere & differre, &, ut creditur, impedire; unde hæc vel similia verba protulit: *Domini mei, differamus istam electionem in aliud tempus, ut possimus deludere istos de Populo Romano, qui volunt, & clamant habere Papam Civem Romanum, & vocemus ad nos unum Fratrem Minorem, eique imponamus capam & mitram Papales, & fingamus, nos eum elegisse in Papam, & sic recedamus de loco isto, & postmodum alium alibi eligemus.* Erant enim aliqui de Populo in platea ante Palatium foris, nullam tamen violentiam, vel comminationem facientes, sed incautè clamantes: *Romano lo volemo*; & exspectantes potiùs, exspectatâ electione Romani Pontificis, currere ad domum Electi, & per quemdam abusum domum Electi spoliare in signum gaudii, quàm volentes, aut valentes aliquam impressionem facere, sicuti in veritate postmodum, alio quàm Romano electo, non fecerunt. Cui Cardinales

les Lemovicensis, & alii sequaces responderunt, & dixerunt: *Domine de Ursinis, certe hoc non faciemus, quia nolumus facere Populum idololatram, nec decipere, nec damnare animas nostras. Immo certe intendimus de præsenti eligere, & eligemus verum Papam; & de clamoribus & verbis istorum de Populo non curamus.* Videns autem Cardinalis de Ursinis, quod non proficiebat ad intentionem suam, & Cardinales jam sederant ad dictam electionem celebrandam, volens idem Dominus de Ursinis similiter divertere & impedire, quod dictus Archiepiscopus Barensis non eligeretur, persuasit dictis aliis Cardinalibus, quod eligerent Dominum Sancti Petri Romanum, & eum ad hoc nominavit. Fuit responsum per Dominum Cardinalem Lemovicensem, quòd licèt Dominus Sancti Petri foret homo bonus, & sanctus, duo tamen obstabant. Primò quia Romanus erat, & Romanis per aliquos petebatur, & ideo non haberent Romanum, ne etiam fortè diceretur, Papam factum ad clamorem Populi. Secundò obstabat, quia Cardinalis Sancti Petri erat nimis debilis & infirmus, nec posset sufficere ad onera Papatus. Et adjecit hæc verba, vertendo se ad Dominum Florentinum: *Vos verò, Domine Florentine, estis de Florentia, quæ est Terra inimica Ecclesiæ Romanæ, & ideo non eligemus vos. Dominus autem Cardinalis Mediolanensis est de terra Bernabovis tyranni, qui semper fuit contra Ecclesiam. Dominus Cardinalis de Ursinis est Romanus, partialis, & nimis juvenis pro Papatu.* His dictis, Cardinalis ipse Lemovicensis, præsentibus & audientibus omnibus dictis aliis Cardinalibus, & coram eo ibidem omnibus existentibus, in Papam, & Romanum Pontificem elegit Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, utendo verbis istis in effectu: *Ego pure & libere eligo & assumo in Papam Dominum Barensem Archiepiscopum.* Illicoque sine aliquo temporis intervallo ceteri omnes Cardinales numero sufficienti, facientes & constituentes multo majorem partem duarum partium ipsorum Cardinalium in Conclavi existentium, pure & libere eumdem Barensem Archiepiscopum similiter in Romanum Pontificem elegerunt. Cardinalis Florentinus videns, quod duæ partes & plures dictum Archiepiscopum Barensem elegerant, accessit in eumdem Archiepiscopum, & pure & libere elegit. Quæ electio fuit sic celebrata, Conclavi adhuc bene & ex omni parte clauso & firmato existente.

Creato Domino Archiepiscopo Barensi in Papam Cardinales inter se fuerunt locuti, deliberantes, an expediret dictam electionem statim Populo publicare, & tandem concluserunt, quod publicatio hujusmodi differretur, donec transisset tempus prandendi, & donec ipsi pransi fuissent. Caussa autem dilationis hujusmodi hæc fuit; quia tunc Electus non erat in palatio, & si dicta publicatio facta fuisset, antequam Electus ipse venisset ad palatium & ad ipsos Cardinales, dubitari poterat, quod aliqua & odiosa & sinistra varia eidem Electo possent occurrere, eo quod ipse Electus non erat Romanus, & Romani libenter habuissent Papam natione Romanum. Alia etiam caussa fuit, quia ex quo ipsi Cardinales jam elegerant, intendebant ante publicationem prædictam aliqua vasa argentea, & quædam alia bona, quæ tunc habebant infra dictum Conclave, facere ad domos eorum, vel alibi reportari; quod non credebant tunc facere posse, si in continenti electionem publicarent. Unde pro majori securitate ipsius Barensis electi, & ut aliquis nequiret suspicari, aut præsumere, ipsum esse electum, Domini Cardinales miserunt pro nonnullis Prælatis Italicis, qui moram trahebant Romæ, ut ad eos venirent pro nonnullis arduis Romanæ Ecclesiæ negociis. Inter quos fuit Barensis electus, Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopus Ulixbonensis, Episcopus Nucerinus, Abbas Casini, Abbas Sancti Laurentii extra muros Urbis; qui omnes, prout vocati exstiterant, ad palatium, non tamen Conclave intraverunt; sed seorsim ab ipsis Cardinalibus pransi sunt. Sumto autem prandio, ad majorem expressionem liberæ voluntatis, & liberi consensus eorum, & ad majorem etiam cautelam, in præfatum Barensem Archiepiscopum iterato, pure, libere, & concorditer, ac unanimiter, omni prorsus impressione cessante, sed Conclavi adhuc bene custodito remanente, consenserunt, & eum in Papam iteratò elegerunt. Præmissis sic gestis & consummatis, vox tunc cœpit exire, & dici apud aliquos de Romano Populo, sicut verum erat, quando verum erat, quòd Papa esset factus; sed ignorabant quis esset; vel de qua natione; & propterea ipsi de Populo clamare cœperunt, quod eis hoc indicaretur, & diceretur. Et tunc per Dominum Episcopum Massiliensem Locumtenentem Cameræ, & Conclavis custodem principalem dictum fuit ipsi Populo, quod irent ad Sanctum Petrum, & tunc hoc diceretur & publicaretur. Quibus verbis dictis quidam de Populo intelligentes, vel male percipientes, intellexerunt, quod irent ad hospitium Domini Cardinalis Sancti Petri, credentes, quòd erat Romanus, & quia Romanum desiderabant habere, ipsum Dominum Sancti Petri esse creatum in Papam. Quare ad hospitium Domini Sancti Petri iverunt, & bona quædam immobilia, quæ ibi erant, secum asportaverunt. Quidam verò de Populo stabant ante palatium, & clamabant: *Papam Romanum desideramus, & Romanum habemus.* Et licèt verba hujusmodi sic ab aliquibus de Populo jactarentur, tamen quia electio jam facta non publicabatur, suspicati sunt aliqui, quòd Populus per moram illam illuderetur; eo maxime quia quædam pars Conclavis fuit aperta caussâ asportandi vasa argentea, & alia bona Dominorum Cardinalium. Ideo Populi hoc percipientes, unam portam Conclavis aperuerunt, ad finem ut Cardinales non exirent, nisi factâ & publicatâ electione. Cardinales ultramontani videntes Populum intrasse Conclave, & timentes valde quia Romanum non elegerant, induxerunt Dominum Sancti Petri, ut contentaretur indui tamquam Papa ad placandum Populum; sicque est indutus ut Papa. Et Populus tunc ei tamquam Papæ, credentes eum esse Papam, reverentiam exhibuerunt. Dum hæc sic per tumultum agerentur, omnes Cardinales, excepto Domino Sancti Petri, de palatio recesserunt, & ad eorum hospitia secure reversi sunt, Domino Barensi electo in palatio in quadam secreta camera remanente. Post recessum Cardinalium de palatio facto aliquo temporis intervallo, Dominus Sancti Petri adhuc in palatio existens, hæc verba protulit in effectu: *Ego non sum Papa, nec volo esse Antipapa; sed melior me est electus in Papam Dominus Archiepiscopus Barensis.* Quidam verò de Cardinalibus timentes, quod Populus

pulus Romanus irritaretur contra eos propter fictionem, quam fecerunt de Domino Sancti Petri, domos proprias reliquerunt, & Castrum Sancti Angeli ingressi sunt. Hi fuerunt Cardinales, Lemovicensis, de Agrifolio, Pictavensis, de Britannia, Vivariensis, & de Verucho. Quidam verò extra Urbem ad aliqua Castra munita se contulerunt. Hi fuerunt Cardinalis Gebennensis, qui accessit Zagarolam, Cardinalis de Ursinis, accessit Vicovarum, Cardinalis Sancti Angeli, qui accessit ad quoddam Castrum Sancti Pauli. Ceteri verò Domini Cardinales tam ultramontani, quàm citramontani remanserunt Romæ in domibus propriis, & sine aliqua læsione & violentia. Et ii fuerunt Domini Cardinales Florentinus, Majoris Monasterii, Mediolanensis, Glandacensis, & de Luna.

Eadem vero die VIII. videlicet Aprilis de sero, Cardinales, qui Castrum Sancti Angeli tenebant, & alii quidam ex eis, qui ex Urbe discesserant, miserunt ad Dominum Archiepiscopum Barensem electum in summum Pontificem nuntios, & scripserunt, & intimarunt, quòd pro eo quod non erat Romanus electus, utrum ei aliquod sinistrum posset occurrere, bene faceret pro securitate personæ suæ, & statu universalis Ecclesiæ exire de dicto palatio, & se in aliquo tuto recipere. Qua requisitione auditâ præfatus Electus consuluit Dominum Sancti Petri Cardinalem adhuc in dicto palatio existentem, qui respondit ei: quod ipse erat verus Papa, & secure manere poterat; sicque tota nocte sequenti in eodem Palatio remansit. In crastinum autem de consilio & consensu dicti Cardinalis Sancti Petri, fuit electio Domini Barensis intimata Officialibus Urbis, qui de electione hujusmodi remanserunt, & fuerunt valde contenti; & voluerunt accedere, & accesserunt ad dictum Electum ad exhibendum reverentiam summis Pontificibus exhiberi solitam; qui noluit sibi talem reverentiam fieri per dictos Officiales, nec per alium quempiam, dicendo inter cetera, quod pro tunc nolebat nominari nisi Archiepiscopus Barensis. Eodem die de mane illi Domini quinque Cardinales, qui remanserant in domibus suis; videlicet Florentinus, Majoris Monasterii, Mediolanensis, Glandacensis, & de Luna accesserunt ad Palatium ad dictum Electum, ei congratulando de sua concordi electione, & humiliter supplicando, quatenus dignaretur & vellet acceptare. Insuper persuaserunt, quòd mitteretur pro aliis sex Cardinalibus, qui erant in Castro Sancti Angeli, requirendo, quòd convenirent omnes simul, & intimarent Electo electionem de se factam, ut præberet consensum, & demum inthronizaretur, ut est moris. Ipse verò Electus volens in sua conscientia esse securus, auditis quæ per dictos Cardinales dicebantur sibi, interrogavit eos, & unumquemque de per se, utrum revera ipse sincere, pure, libere, & canonice per omnes Cardinales in Conclavi fuisset electus in Papam. Qui responderunt, quod pro certo ita pure, libere, & canonice fuerat electus in Papam, sicut aliquis canonice eligi potuisset; persuadentes, quod nullo modo recusaret, vel differret electioni de se factæ consentire propter periculum longæ vacationis Papatus, quod posset occurrere, pro eo quod dicti Cardinales cum magna difficultate iteratò possent congregari. Cardinales verò, qui erant in Castro Sancti Angeli, per publicum

A instrumentum dederunt plenam & liberam potestatem illis quinque Cardinalibus, qui erant cum Electo in Palatio Sancti Petri, circa inthronizationem dicti Electi omnia faciendi, quæ ipsimet personaliter facere possent. Quum autem ad notitiam Senatoris, & aliorum Officialium Urbis pervenisset tenor hujus cedulæ, accesserunt ad dictum Castrum, & humiliter supplicaverunt, quatenus exire vellent, & conjungere se aliis Cardinalibus, qui erant in palatio: quoniam in nullo habebant dubitare, quoniam erant in loco libero, tuto, & securo; & licèt ipsi non elegissent Papam Romanum, de electione tamen dicti Domini Barensis Populus Romanus remanserat inde contentus, pa-
B cificus, & quietus. Qui Cardinales, auditis istis verbis, de dicto Castro exiverunt, & ad palatium iverunt, ubi illos quinque Cardinales, & Dominum Sancti Petri invenerunt; qui omnes in Capella convenientes in unum, iterum, & ad cautelam, præfatum Dominum Barensem in Papam elegerunt, vel ut electus esset consenserunt pure, libere, concorditer & unanimiter. Quo facto, statim per Dominum de Agrifolio dictus Electus ad Cardinales introductus exstitit; qui ab eis tamquam in Romanum Pontificem electus, fuit receptus, atque inter eos pro tunc consedit. Quibus sic consentientibus, Cardinalis Florentinus, nomine ceterorum Cardinalium, ad Electum ora-
C tionem habuit, proponens illud Apostoli Pauli: *Talis decebat esse, ut esset nobis Pontifex impollutus &c.* Et prosecutus cum narratione gestæ rei, & negotio electionis de ipso celebratæ, requisivit ipsum Electum, ut consentiret electioni de se factæ. Qua requisitione facta, ipse Electus verba illa assumsit divinæ Scripturæ: *Timor & tremor venerunt super me; & contexerunt me tenebræ.* Et quum prosecutus fuisset ad finem, ut videbatur, volendo se excusare à sarcina tanti oneris, vel saltem velle tempus ad deliberandum, Cardinalis Florentinus & alii Cardinales tunc dixerunt, quòd prosecutionem auctoritatis per eum propositæ tunc omitteret; quia non erat de more,
D quum aliàs ipse haberet eis facere sermonem. Eumque iteratò requisiverunt, quod eis responderet, an electioni de se factæ in nomine Domini consentiret. Ipse verò Electus ipsorum precibus & instantiâ devictus, tamdem cum timore & tremore animi dictæ electioni humiliter consensit. Præstito consensu per ipsum Electum, & cantato prius *Te Deum laudamus*, statim ipsum inthronizaverunt, petieruntque ab eo, quo nomine vocari vellet. Qui respondit, quod volebat vocari Urbanus Sextus.

Eadem die tres ex dictis Cardinalibus, videlicet de Agrifolio, Lemovicensis, & Pictavensis, recesserunt ad partem in dicto palatio cum præfato Domino Papa in loco studii; &
E inter cetera dixerunt eidem, quod ipsi tres fuerant caussa suæ promotionis, & supplicaverunt pro exsequutione testamenti Domini Gregorii, & quod fratres suos, & de gente sua haberet commendatos, & præcipue dignaretur præstare certum subsidium pro redemtione Domini Rogerii fratris ipsius Domini Gregorii in Anglia captivi; quod in prima creatione Cardinalium, quam faceret, dignaretur assumere in Cardinalem unum eorum consanguineum, quem Dominus Gregorius facere intendebat, filium scilicet Domini Hugonis de Rupe Militis, nepotis quondam Domini Gregorii. Petierunt etiam, ut dignaretur in suum

Cubicularium retinere Dominum Johannem de Barro eorum consanguineum, qui etiam fuerat Cubicularius præfati Domini Gregorii. Quibus omnibus Dominus Urbanus benignissime respondit, & in suum Cubicularium prædictum Dominum Johannem retinuit.

Die verò Sabbati, quæ erat decima Aprilis, Dominus Urbanus Papa VI. sociatus ab omnibus dictis Cardinalibus, & Domino de Ursinis, qui de Castro Vicovari reversus fuerat, aliis Cardinalibus ab Urbe tunc absentibus, descendit ad Ecclesiam Sancti Petri, ubi in cathedra Papali, quæ est in capite ante Altare majus, sedens, præsentibus Cardinalibus, & toto Populo recepit reverentiam à Canonicis Sancti Petri: & tunc cum jubilo cantatum est *Te Deum laudamus*. Deinde audivit Missam submissa voce in dicto Altari; qua finita dedit Papalem benedictionem, & una cum Cardinalibus prædictis numero XIII. ivit ad palatium; & juxta morem Romanorum Pontificum collationem, seu sermocinationem Cardinalibus fecit; qui, sermone finito, petierunt ab eo plenariam Indulgentiam omnium suorum peccatorum, & dispensationem super quibuscumque irregularitatibus, quas ipsi quacumque occasione, vel caussa forsan incurrissent: quod etiam Papa libenter concessit. Et subsequenter quilibet eorum sibi Confessorem elegit, per quem in forma Ecclesiæ se absolvi fecerunt.

Die autem XI. Aprilis, quæ fuit Dominica in Palmis, Dominus Urbanus VI. more Romani Pontificis dedit tam Cardinalibus, quàm Prælatis, & aliis omnibus Palmas, & ramos Olivarum, in cujus præsentia celebravit Dominus Cardinalis Florentinus. Die XII. exsequias solemnes fecit cum Missa pro anima felicis recordationis Domini Gregorii XI. prædecessoris sui, & Missam celebravit Dominus Cardinalis Pictavensis. Diebus verò sequentibus usque ad diem Jovis in Cœna Domini Dominus Urbanus exivit sociatus ab omnibus dictis Cardinalibus ad dandum Indulgentias Populo, & peregrinis, qui venerant caussâ devotionis ad limina Apostolorum. Die verò Jovis exivit similiter ad fulminandum processus, ut est moris, cui adstiterunt dicti Cardinales cum candelis accensis secundùm consuetudinem Romanæ Curiæ. Et postea Dominus Cardinalis de Agrifolio Missam in ejus præsentia celebravit. Die Veneris sancti in Capella Dominus Cardinalis Mediolanensis coram Papa celebravit, qui discalciatis pedibus sanctam Crucem adoravit; & subsequenter prædicti Cardinales, & alii successive Crucem adoraverunt. Sabbato sancto Urbanus ad Capellam exivit, & coram se illius diei Officium cum benedictione Cerei, & Missam dici fecit, quam celebravit Dominus Sabinensis.

In die sancto Paschæ coronatus est Dominus Urbanus Papa VI. cum omnibus ceremoniis & solemnitatibus requisitis, coram universo Populo, & peregrinorum, qui ad Urbem devotionis caussâ venerant, multitudine copiosa, Cardinalibus omnibus numero XVI. assistentibus, præsentibus, & sic fieri volentibus, ipsique Domino Urbano ministrantibus. Omnes enim dicti Cardinales numero XVI. qui in electione fuerunt, in hoc Coronationis festo intraverunt, pureque & libere consenserunt; & quatuor illi Cardinales, qui ab Urbe secesserant, jam fuerant ad Urbem reversi, ubi omnes dicti Cardinales per tres menses continuos steterunt ipsi Domino Urbano assistendo & ministrando, Consistoria, & alia per Cardinales cum summis Pontificibus fieri consueta faciendo, usquequo dicti Cardinales, seu eorum aliqui de ipsa Urbe de licentia dicti Domini Urbani ad Anagniam se contulerunt; & durante tempore dictorum trium mensium dicti Cardinales semper tractaverunt & habuerunt dictum Urbanum pro vero, unico, & indubitato summo Pontifice, eum honorando, visitando, gratias petendo, annulos, & alia pretiosa jocalia ei largiendo. In Missis quoque ipsorum tam submissa voce, quàm in cantu celebratis, orationem illam dicendo, seu dici faciendo *Deus omnium fidelium &c.* pro ipso Domino Urbano tamquam pro summo vero Pontifice, divinum auxilium implorando ad felix, & prosperum regimen Ecclesiæ suæ sanctæ.

Die XXV. mensis Aprilis Dominus Cardinalis Ambianensis de legatione sua reversus est, & à Papa Urbano concistorialiter receptus, ut est moris recipiendi Legatos de latere. Qui Dominus Cardinalis pede Papæ osculato, & manu & ore, ipsi Domino Urbano exhibuit Papalem reverentiam. Adveniente die Ascensionis Dominicæ Urbanus Missam publice celebravit, in qua interfuerunt omnes Cardinales prædicti, & Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis, & servivit de Evangelio, & aliis ceremoniis consuetis. Similiter in die sancto Pentecostes, & in die Corporis Christi Dominus Urbanus celebravit in Pontificalibus, cui omnes prædicti Cardinales parati sacris vestibus astiterunt, & eidem servierunt. Dominus Cardinalis de Ursinis in die Pentecostes cantavit Evangelium, & Dominus de Verucho in die Corporis Christi. Fecit quoque Dominus Urbanus præsentibus & consentientibus dictis Cardinalibus in Consistorio secreto multorum Prælatorum promotiones, & translationes; tenuitque etiam Consistoria publica, caussas commisit Cardinalibus prædictis, super quibus diffinitivas sententias tulerunt; pro se & familiaribus suis dispensationes & gratias impetrarunt; ad diversos Mundi Principes sponte & libere scripserunt, se Dominum Barensem Archiepiscopum in verum & indubitatum Pontificem elegisse, ipsis etiam consultantibus, assistentibus, & consentientibus; & quod non adhiberent fidem alicui, qui contrarium assereret, vel super his dubitare vellet; & coram pluribus honestis & gravibus personis sæpissime asseruerunt ipsum Dominum Urbanum verum & indubitatum fore Romanum Pontificem. Dominus Urbanus electionem illustris Principis Domini Venceslai in Regem Romanorum electi confirmavit; Dominumque Glandacensem scrutatis votis singulorum ipsum Cardinalem Presbyterum & in Episcopum Ostiensem promovit, cujus promotionis vigore Dominus Ostiensis prædictam possessionem dicti Episcopatus cepit, ipsumque rexit, administravit, & tam in spiritualibus quàm temporalibus gubernavit; & aliquando actus Episcopales gessit, consecrando & ordinando, prout Episcopos Cardinales facere convenit. Et per idem tempus, quo Cardinales prædicti in Urbe fuerunt, continue absque ulla violentia & molestatione, omni procul metu secluso, habitaverunt & steterunt in Urbe.

Una autem dierum Dominus Urbanus, convocatis ad se Cardinalibus omnibus multas eis admonitiones fecit pro bono regimine Curiæ

riæ Romanæ, & pro bono exemplo de se ipsis Populo tribuendo. Monuit enim, ut abstinerent, & manus suas excuterent ab omni munere, detestans, & graviter se ulturum affirmans Simoniacos, & omnis turpis lucri sectatores; inhibens, ne munera à quoquam magno, sive parvo pro quacumque caussa reciperent, intendens negotia coram eo promoveri gratis, nihil inde sperando. Monuit etiam omnes de honeste vivendo, quum ipsi essent Cardinales Ecclesiam militantem sustentantes, & tamquam signum positi ad sagittam debebant de se normam & exemplum aliis bene vivendi dare & præbere; detestans superfluos sumtus, & numerosam familiam, equorum quoque & vestium, & convivantium superfluitatem, asserens hæc omnia pomposa & inflata cedere ad gravamen potius, quàm ad relevamen honoris Romanæ Curiæ, & Ecclesiæ: multas quoque eleemosynas propter hos sumtus pauperibus deperire affirmabat. Dixitque præterea, suæ intentionis fore, quod justitia ministraretur omnibus petentibus sine aliqua personarum acceptione. Et addidit, quòd quum dispositione divina, Romana Sedes esset in Urbe collocata, intentio sua erat in Urbe residere, ibique & vivere, & mori; quodque si aliter faceret, crederet se male agere, & Deum offendere.

Hæc dum sic agerentur, Archiepiscopus Arelatensis, qui fuerat Camerarius Domini Gregorii XI. & penes quem erant omnia jocalia pretiosa, quæ fuerant Domini Gregorii post mensem post dicti Domini Urbani coronationem de Urbe absque licentia recessit, & ivit ad Anagniam, secumque asportavit dicta jocalia, & inter cetera thiaram pretiosam, cum qua consueverunt nonnulli Romani Pontifices coronari, & cum qua ipse Dominus Urbanus fuerat coronatus. Propter quæ Dominus Urbanus commotus mandavit Dominis Cardinalibus de Agrifolio, & Pictavensi, & Vivariensi, qui & ipsi erant Anagniæ, ut dictum Archiepiscopum arrestarent. Quum autem in Castro Sancti Angeli esset Castellanus quidam Petrus nomine positus ad instantiam Cardinalis Montismajoris, volens Dominus Papa pro sua securitate Castrum illud habere ad manum suam, requiri fecit dictum Castellanum de ipsius Castri restitutione. Sed Castellanus spiritu rebellionis assumto illud facere recusavit, & se Summo Pontifici rebellem constituit, cujus quidem rebellionis ferebatur conscius, particeps, & tractator præfatus Cardinalis Montismajoris.

Quum hæc ad Domini Urbani notitiam pervenissent, reprehendit acerrime Cardinalem Montismajoris, eique comminatus fuit, quòd contra ipsum procederet, & de eo justitiam faceret, juxta commissionem Papæ Johannis XXII. contra talia perpetrantes promulgatorum. Similiter reprehendit & comminatus est Dominum Ambianensem Cardinalem, pro eo quod favebat Francisco de Vico almæ Urbis Præfecto, qui occupabat Civitatem Viterbiensem, quæ nullo medio pertinet, & est de dominio Romanæ Ecclesiæ. Fueratque etiam Dominus Urbanus informatus, quòd Cardinalis Sancti Eustachii quasdam occultas practicas & conventiones tenebat, & fecerat cum Britonibus in damnum ipsius Domini Papæ. Immo ferebatur, quòd Cardinalis præfatus sibi certas pecunias retinuisset, quas Papa ei dederat ad finem recuperationis Castri Sancti Angeli. Unde etiam huic comminatus est, quòd contra eum faceret justitiam. Fuerat præterea Dominus Urbanus advisatus, quòd dictus Cardinalis Sancti Eustachii per suos versutos & subtiles tractatus, ac per blanda & deceptoria verba, & falsas & dolosas inductiones sollicitaverit ipsum Dominum Urbanum ad dandum Societati Britonum magnas pecuniarum summas; quibus acceptis ipsi Britones se hostiliter opposuerunt præfato Domino Urbano; & quod earum machinationum conscii erant & auctores exstiterant Cardinales Gebennensis, Ambianensis, & Montismajoris, & nonnulli alii Cardinales Ultramontani in Italia commorantes, ipsique Cardinales bene sciebant, Dominum Urbanum de his omnibus habere notitiam. Unde propter jam dicta, & quia Dominus Urbanus denegaverat aliquas gratias concedere ipsis Dominis Cardinalibus Ultramontanis, credebatur eos de sua sanctitate non contentare, immo erigere velle cornua contra eum, prout tamdem fecerunt.

Nam circa finem Junii Anno Domini MCCC. LXXVIII. nonnulli ex ipsis Dominis Ultramontanis in Urbe existentes Cardinales, videlicet Lemovicensis, de Agrifolio, Glandacensis, Gebennensis, de Britannia, Pictaviensis, Vivariensis, Montismajoris, Sancti Eustachii, Sancti Angeli, de Verucho, & de Luna, ipsi & eorum quilibet supplicarunt, & supplicari fecerunt de habendo licentiam recedendi de Urbe, & eundi ad Anagniam, prætendentes in Urbe nimiam caliditatem & aëris intemperiem, & Anagniæ erat temperatior & clementior. Unde Dominus Urbanus volens eis complacere, concessit eis licentiam abeundi; qui prout ante conceperant, recesserunt. Et Papa post paucos dies in recessu Cardinalium recessit de Roma, & venit Tibur. Dum sic Papa esset in Tibure, & Cardinales in Anagnia, jam in apertum dissidium inter Papam & Cardinales res vergere cœperant, jam affirmantibus Cardinalibus, quòd Dominus Urbanus non esset verus Papa, nec canonice electus, quia per impressionem, & quòd electio non fuerat celebrata in loco tuto. Propter quæ Cardinales ipsi intelligentes se cum Principe Fundi, illuc accesserunt; & tamquam Apostolica Sedes vacaret Conclave intraverunt, & Dominum Robertum Gebennensem Cardinalem in Summum Pontificem, seu in Idolum potiùs erexerunt, qui vocari voluit Clemens VII. Unde in Dei Ecclesia ortum est ingens schisma, quod multorum malorum caussa fuit. Nam Principes Christiani dividi cœperunt, & quidam Urbano, quidam verò Gebennensi adhæserunt. Urbano verò adhæsit tota natio Italica, excepto Comite Fundorum, & Præfecto de Vico, tota natio Germanica, Regnum Portugalliæ, Anglia tota. Gebennensi adhæserunt natio Gallicana, tota fere Hispania citerior, & ulterior. Sicque secutæ sunt difficultates, & errores plurimi in Populo Christiano, & quod unus ligabat, alter solvebat; fiebantque hinc inde processus, privationes, & anathematizationes in magnum Ecclesiæ & Christianitatis vilipendium. Eapropter una Ecclesia dabatur duobus, & vi armorum quandoque dirimebatur lis: unde sequebantur hominum occisiones, depopulationes agrorum, & plurimorum strages. Propter quod est etiam secutum illud famosum bellum, quod commissum est inter Ducem Burgundiæ, & Leodicensem, in quo fere triginta millia hominum interemta sunt

prope Leodium.

Cardinales qui idolum erexerant, vel novum Pontificem ſecundùm eos, de Italia una cum Electo ſuo receſſerunt, & Avinionem ſe contulerunt. Dominus autem Urbanus videns, quod actum fuerat, fecit in continenti unam ordinationem duodecim Cardinalium electiſſimorum hominum, & prima ordinatio fuit duodecim Cardinalium magnæ commendationis; fecitque proceſſus, & privavit Cardinales, qui erant in Anagnia, vel in Fundis, una cum eorum prætenſo Pontifice; eos etiam anathematizando, & ipſos & ipſorum bona occupantibus concedendo. Fecit etiam proceſſus contra Principem Fundorum, & contra Franciſcum de Vico almæ Urbis Præfectum, qui Viterbium occupabat. Et contra ille Gebennenſis contra Dominum Urbanum, & ejus ſequaces proceſſus fulminavit. Sic tota Chriſtianitas hac peſte ſchiſmatis involuta annis XLV. & ultra laboravit, uſque ad tempora ſacri Concilii Conſtantienſis, de quo infra dicetur. Urbano ſic cum Gebennenſi contendente Cardinales noviter ordinati, & viri zelantes honorem Eccleſiæ, & pacem populi Chriſtiani, attœdiati etiam moribus Urbani, cujus nimia ſeveritas potius quàm injuſtitia tituli Papatus revera fecerat Cardinales, a quibus creatus erat, ab eo diſcedere, & ſchiſma conflare, ſecreto modo inter ſe agere cœperunt de dando Domino Urbano coadjutorem, & tractare cum Cardinalibus obedientiæ Domini Gebennenſis de unienda Eccleſia. Quod percipiens Urbanus, decapitavit ſeptem ex ipſis; & quatuor ex eis dum eſſet Januæ fecit in tetro carcere ſtrangulari. Et ad parandum ſibi amicitias plurimarum Civitatum, & Dominorum, Romæ in Sancta Maria in Tranſtiberim fecit unam ordinationem viginti novem Cardinalium, inter quos multi de Civitate ſua Neapolitana connumerati erant. Inter ceteros autem interfectos fuit Dominus Ludovicus Donato Venetus, qui fuerat primò Generalis Minorum, & poſtea per eundem Urbanum creatus Cardinalis. Regem inſuper Siciliæ nepotem ſuum creari inſtituit, qui quum per mare navigaret cum uxore, & filiis, & univerſis bonis ſuis, tempeſtate ſuborta periclitatus eſt, & uno momento ipſe cum navi, & qui cum eo erant, maris fluctibus demerſus eſt. Paſſus eſt hic Pontifex graves perſecutiones, & obſeſſus eſt per aliquantum temporis in arce Nuceriæ in Regno. Fertur tamen, omnium perſecutionum harum ipſum potiſſimam cauſſam extitiſſe, propterea quod homo pluſquam decebat ſeverus erat, & ſui capitis, & ſibi magis, quàm ceteris credens. Unde liberatus ab obſidione in ſede propria Romæ reſidens moritur, & in Eccleſia Sancti Petri in Vaticano ſepelitur.

Longa verborum ſerie hujus Pontificis aſſumtio narrata eſt, pro eo quòd Schiſma ſubſecutum longi temporis fuit, & multorum malorum, ut prædiximus, cauſſa; & ut ex geſtis in electione ejuſdem intelligi poteſt juſtitia tituli Papatus; quamvis longe aliter a Cardinalibus, qui receſſerunt ab eo, poſtea poſitum fuerit, prætendentes metum, qui cadere poſſet in conſtantem virum, in actu electionis interveniſſe, quem de tribus menſibus, quibus continue fuerunt cum Domino Urbano numquam allegarunt, ſicut revera allegare non poterant. Et propter variam poſitionem cauſſæ, neceſſe fuit varia peritorum conſilia hinc inde emanare, quæ fuerunt cauſ-

A ſa, ut ſchiſma hoc diutiùs duraret, qualibet parte prætendente ſe juſtitiam fovere, & aliâ aliam vere ſchiſmaticam dicere poſſe.

Ex Codice MSto Vaticano.

GRegorius Undecimus electus fuit anno Domini Milleſimo Tercenteſimo Septuageſimo de menſe Decembris. Tempore electionis iſtius Eccleſia multùm exaltaverat in dominando, & quaſi omnia meliùs ſibi proſperabantur; ſed per extorſiones illicitas, & mala regimina Prælatorum, & aliorum Rectorum, & quia negatum eſt aliquandiu ſtare, exortâ diſcordiâ inter dictos Prælatos, & Com-
B mune Florentiæ, & factâ per dictum Commune Ligâ cum multis terranis exoſis dictæ Eccleſiæ, & cum Tuſcia, & ſeminatis zizaniis inter Populos Terrarum Eccleſiæ, & oſtenſâ dictis Populis Lunâ pro Sole, quuam eis omnia nova placerent, & mala fierent ſemina pro ipſis Populis, tanta pericula eis ſucceſſerunt, quod numquam in ipſis Terris fuere ſimilia. Prædicta Eccleſia omnes ſuas dictas Terras & Fortilitia perdidit. Prædictus verò Papa tempore majoris rebellionis venit Romam, & volendo omnia ſedare, & pacem cum inimicis facere, ſicut Deo placuit, dum iſta ducebantur ad finem, deceſſit anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Septuageſimo Octavo
C de menſe Martii.

Ex Papirio Maſſonio, de Epiſcopis Urbis.

Itinerarium Domini Gregorii Papæ XI. inceptum XIII. Septembris anno Domini MCCCLXXVI. Pontificatus ſui anno Sexto, à Petro Amelio Alectenſi Auguſtiniano exaratum.

FLoris pulcritudo, & tu tamen pauperum
Dulcoris origo, conſolamen mœrentium,
Eboris rutilatio, & caſtitatis lilium,
Pudoris protectio, & exemplum decor virginum,
D Maris ſtella, viaque proficiſcentium,
Vocaris Domina de Donis, regina Avenionenſium.
De tua Civitate tuis donis mire prædita longis temporibus
Exivit gemma grata, & clare prædita cæleſtibus,
Nobili proſapiâ generata, annexa regalibus,
Deo accepta & placita hominibus, Sacerdos Altiſſimi Gregorius,
Die tertia decima menſis ſeptimi,
Tibi aſſignata à cunctis, vocataque die Sabbati,
Servis tuis grata pro electione jejunii,
Heu fletus eſt, hæc imitata diem mœroris maximi.
E Tibi, Virgo glorioſa, explicare dolorem nequeo,
Dum amœna tempora colore immutata video,
Multum grata, rubicundioraque ebore antiquo,
Genas, colla rubricata, ſplendidiora claro topatio.
Civitas ſpecioſa, magnalia dicta ſunt de te.
Nunc jaces proſtrata in pulvere & cinere,
Remanes orbata viro abſque ſcelere,
Ab omnibus ſpreta velut peccatrix abſque fœdere.
Oculi tui oculi columbarum offuſcati ſunt lacrymis,

Dile-

Dilecti filii tui uberum tuorum ablactati ſunt uberrimis, A
Specioſi ſponſi filiarum tuarum lacerati jacent in viis,
Placidi tui intuitus irrigati ſunt in verbis maximis.
Jam novis nova Civitas, & nova habitatio,
In te prima cœna & prima ſtatio,
Pulcra & amœna grataque manſio,
Multis eſt amara & horribilis invitatio.
Manet dies Dominica ſecunda diæta omnibus olim grata.
Conveuit turba magna, quæ currit, uterque ſexus facie immutatâ.
Oriuntur ſuſpiria gemituſque, reſerantur cordis ſecreta,
Traditur familia; quum dolet Dominus, franguntur viſcera cuncta. B
Superſedeo de oſculis, quoniam mixta ſunt lacrymis.
In Orgone terra abundans lapidibus, die tertia Petrus jacitur,
Sed in humo petrea ſpinoſaque granum inane feritur.
Arcta eſt via. Ex uno latere alveo Druentiæ clauditur,
Et altera ripa ſaxea macerie inexpugnabili modò protegitur.
O Deus! quare ergo non clauditur, ne umquam ſemita inveniretur!
Mars Deus belli crudele ac mortale texitur bellum. C
In Solis ortu ad Imperiale palatium acceſſit gemma Sacerdotum.
O mirabilis ſtructura, mirabile præſidium! Ex te fulget magnanimitas Principum.
Nec tu claudis ſemitas, ſed omnibus patefacis ingreſſum.
Meritò colonus nuncupatus, quaſi de cælo ſis, aut de cælo deſcenderis,
Idcirco tellus fertilis, non arida ſtimulis, ſed proviſionis vocaris;
Frondoſo ligno obumbraris, olivetis, arboribuſque pomiferis ſplendearis.
Tuo Principe contenta ſis, cujus es cariſſima, ne duobus confundaris. D
Læte obviam Principi cum omni genere muſicorum veniſti.
Recte conſonantiam feciſti promendo. Cantantibus mœſtitiæ gemitus non oſtendiſti.
Placide crapulam nobis paraſti: multiplicia fuerunt pocula; plurima fercula miniſtraſti.
Donet tibi Deus de rore cæli benedictionem, & te magnificet, quoniam ſic nos recepiſti.
Dies Mercurii ſcientiarum dominus, tibi, Deus, debetur verus latriæ cultus,
Qui eam adduxiſti de nubibus: qui dediſti tuis ſervis humilibus.
In Aquenſem regiam Urbem ante Solis ortum viam direximus.
Longa lataque fuit via, ſed dulcis & amœnus adventus. E
Grata, amœna Civitas regalis, cameraque, læta familia,
Turba magna occurrit Apoſtolorum Principi: ſenex Antiſtes cum lætitia,
In eam ingreditur ſummus Pontifex cum ſua comitiva.
Strata domicilia. Parietes pannis ſericis cooperta ſunt omnia.
Palatium admirabile! quid de te efferam præconiis?
Ex tua ſtructura elucet magnanimitas tui Principis.

Grata ſiunt convivia: vina electa. Obmuteſco de ferculis.
Geminata diæta. In te manſit dignitas Sacerdotalis.
Veneris dies Ægyptiaca liquidò in ortu diei nuntiata;
In alpibus mula ceſpitat: campana frangitur: via errata.
In Trecis paratur meridionalis manſio, refectioque grata;
Qua ſiunt triplicia omnium bonorum copia, quia Civitas amœna.
Sancte Præſul Maximine, in te capitur nocturnalis dormitio.
Super te, Ara Sanctæ Magdalenæ celebratur ſacra matutinalis libatio.
Proceſſit exinde Antiſtes, ſumto ſabbatinali prandio;
Pergit per arbuſta ſcallentia deſerti. Somnum capit in Auriolo.
In montibus & ſuper ſaxa conſtruitur novella Civitas.
In luſtris denſoſis ducitur agnina ſimplicitas;
Fructibus, ſeminibus, vinis electis pollet parva Communitas.
In domibus fumo dealbatis tertia die manſit regalis dignitas.
Mane ante lucem non fuit nobis vanum ſurgere,
Tunc cum faculis & ingenti lætitia celeriter incedere,
Ad Urbem ſanctam Maſſilienſem accedere pro tanto munere;
Lætantes plaudenteſque manibus, incœpimus loca ſancta viſere.
In ingreſſu meridionali æſtas incœpit nos dure affligere.
In inceſſu turma Popularis nos atrociter opprimere.
In introitu occurrit omnis cætus Cœnobicus cum canticis & honore:
Lætatus omnis conventus utriuſque ſexus de tanto Principe.
Legiſlator Chriſtique Vicarius Anachoretarum metas ingreditur;
Veritatis doctor, Chriſtianæ Fidei anchora, Cœnobitarum ſepta aggreditur:
Sanctitatis doctor, pudicitiæ titulus, inter Monachorum clauſtra ſituatur;
Dignitatis zelator à membris ſuis duxque mœſte ſequeſtratur.
O ſplendor Mundi & lux lucis, cave ne obtenebreris.
Gubernator firmamenti ſige pedem: rumina iter, quo proficiſceris.
Rector Cleri adhibe tibi conſilium, ne irriteris.
Orator veri Dei pete, ut mentem illuſtret, ne confundaris.
Eja Chriſti milites, conſortes Apoſtolici, ſeculique Rectores,
Sponſi Eccleſiaſtici nobiles ſurgite, vigilate: efficiamini paſtores vigiles.
Evangelii æmulatores, caput conſulite. Illi vos conjungite velut amatores;
Veri judices, Mundi principes, cuſtodite Eccleſiam, ne intrent lupi rapaces.
O nautæ ſanctiſſimi, navem Petri recte dirigite:
Anachoretæ veriſſimi, Eccleſiæ Apoſtoli, anchoram firmiter tenete;
Lucernæ Mundi ſuper montem poſiti, radios veſtros pandite.
Eccleſiæ armamentum ad quem locum transferatis, attendite.

In

A In Mercurii sancto Consistorio quidnam egistis?
Caput omnium Romanum Præsulem involvi pelago permittitis!
Lemovicensem virum perfectum in Episcopum Prænestinum elegistis?
Deus illum protegat, quem sic periclitari finitis.
O gloriosa & nobilis Civitas! numquid tibi sufficiebat structura mirabilis,
Sacrarum Reliquiarum abundantia, Dominorum & mulierum speciositas amabilis,
Navium ex omni Mundi climate concursus, portusque amœnitas affabilis,
Nisi susciperе mereres Romanum Pontificem duodecim diebus cum suis famulis?
B Ecce ex hoc te beatam dicent omnes generationes.
Jovis, septemtrionale regnante, vespera cunctis est amara,
Dum palatium Cœnobitale egreditur legis sanctæ norma,
Et ambitum navilem ingreditur Præsularis dignitas præclara.
Contubernium frangitur viscerale, fluente oculorum acerbâ lacrymâ.
O cor triste! cur mœrore in exitu dulcis Provinciæ consumeris?
Amor patriæ numquam te deseret, crede firmiter, quocumque ieris.
Decor seculi, vale. Extra pro me. Loqui nequeo: offuscor lacrymis.
C Durior est saxis, qui non demollitur in tuis congediis.
Deus! quis umquam cogitare poterit quæ & quanta fuerint lamenta,
Gemitus, lacrymæ, rugitus, mugitusque. Suspiria numquam exstiterunt tanta.
Partus mulierum dolores exedunt recessus tui terra benedicta.
Dominus lacrymatur. Omnis maxilla lacrymis rigatur: franguntur viscera cuncta.
In Insula somnum capit ante Palatium Galianæ.
Legislator, Princeps Orbis, qui sceptrum tenet Imperiale.
D Anchoram regit navis, & navita efficitur genus regale.
Tristis & flebilis dormitio cum ligamine frangitur cordiale.
O Venus, flebile est tuum principium! finis quis sequetur?
Ventus est nobis contrarius. Et Papa Portum Milonis aggreditur.
Deus iter nostrum prospicit. Surgente aurâ prospere via paratur.
Summus Præsul sumto prandio ibidem, Sancti Nazarii litus ingreditur.
Susceptâ levi cœnâ, noctis hora prima invitat stationem.
In plaga de Ronsellis summus Pontifex firmat stationem.
E Patria est nobilis Tholonensis diœcesis: non habet habitationem.
Trina dierum noctiumque spatia peregimus ibi mansionem.
Serotina & Dominicalis est pluvia. Numquam fuit talis.
Tonitrua insurguntque fulgura. Invasit nos timor mortalis.
Palpebra non dormitat: mens illecebra ruminat; mors est finalis.
Quietatur temporis malitia, opitulante Dei clementia. Dies est Lunaris.
Crucem sanctam fert Miles strenuus. Sancti Johannis præcingitur baltheo.
Gentem sanctam regit, Admirallusque pelago minatur suo baculo.
Barbam bifurcatam gerit senex, Tyrioque pollet vultu procero.
Procellam superat nocte Johannes Castellanus Empostæ nobilis evaso barathro.
Quid est? Johannes Evangelista, tu in maris viam rete acquisisti?
Johannes Baptista, absque labe levi in eremo locustas comedisti?
Johannes Chrysostome, tuo opere, sermoneque os aureum nominari meruisti?
Et tu Johannes Hierolosymitani Ordinis Ramelli pelago fluctuare permisisti?
Die ipsa Lunæ, sextâ Octobris copulatur, & exinde exivimus;
Flante vento Boreali ante Tholonum nimis celeriter transivimus.
Magnæ erant elationes maris, nec propter hoc cessavimus:
Tamdem in occasu Solis portum de Renefton vix intravimus.
Dum medium silentium tenerent omnia in noctis medio,
Surrexit ventus horribilis borealis in Foro Julii pelago.
Timent nautæ, pavent turbæ, lamentantur omnes sine remedio.
Inchoat senex vetulus, prosequitur puer parvulus laudes Christo.
Omnes fundunt preces Altissimo. Spondent vota Sancto Quiriaco.
Excitatur Antistes, & expavescit de tam magno periculo.
Quiescente mari properat infra accedere ante locum de Grimaldo.
De navi celeriter egreditur. Somnumque capit in Sancto Tropesio.
Mercurii octavâ Octobris exivimus portum de Vermigneriis.
Ventus erat septemtrionalis nobis valde placibilis.
Noster transitus fuit ante Leones Forojuliensis diœcesis.
Gavisus Pontifex fortunâ arridente largitur beneficia miseris.
Defert munera Abbas Cœnobita Sancti Honorati magnifice,
Consertque gratiam, retribuens illi, gerens vices Christi mirifice.
Aufert nobis vesperam tempestas diei imitatæ clarifice.
Defert cœnam Antipolis. Obviam sibi Lemovices & Narbonenses pelagistæ.
O Antistes Christophore. Ubi est tui generis nobilitas promulgata?
Absorpta est in adventu Summi Pontificis largitas grata.
Mutat nomen tua diœcesis, Grassa Provinciæ nuncupata.
Quid nobis attulerit, referat societas diu fatigata.
Die Jovis clarificatâ ante Riciam velox fuit noster transitus.
Cum hilaritate nimia Villamfrancham ceu portum Olivæ intravimus:
Prandium cœnamque læte, abunde, quasi famelici avide suscepimus;
Nocte eadem in tranquillitate & silentio clarescente hemispherio quievimus.
Die Veneris minus bene consulti mare intravimus vento flante.
Prope Monachum mane perventi, retro reversi fuimus

fuimus mare impellente.
Ad locum, unde recesseramus, Olivæ applicuimus fortuna objiciente,
Dispensat Pontifex in gradu tertio consanguinitatis lege contradicente.
Gaudet exercitus. Credit ad propria cum gaudio remeare:
Sed non sinet Altissimus corda Principum sine caussa mutare.
Expergiscit Plebs Niciæ ad pedum oscula cum hilaritate.
Mansit ibi usque Mercurium Præsul cum humilitate.
Paupertatis professor Francisce, cur prosperitati Ecclesiæ invides?
Aliàs in tua die fuit tectum Capellæ Palatii Avinionensis reductum in cineres;
Nunc verò in tua Octava gentem Summi Pontificis navigare non sines?
Pugia navis frangitur, & vela per aërem volvuntur, laceranturque funes.
In barcha sunt Cursores, Janitoresque lectisterniis Papalibus,
In banda jacent Sacerdotes, votaque spondent Deo cum suis promissionibus.
In hora noctis tertia frangitur anchora & antenna cum suis ligaminibus:
In media nocte omnia desperata. Vociferantur cuncti validis clamoribus.
Regrediuntur nautæ desperati de sua salvatione:
Discurrunt hinc inde per mare sine gubernatione.
Submerguntur merces, & Clericus incaute absque dilatione.
Mane inveniunt se nautæ in Sancta Margareta cum admiratione.
Calixtus fuit nobis carus, & mihi propitius clarescente Sole.
Viam patefecit Mercurius decimâ quintâ Octobris relicto rure Olivæ.
Pretiosa Oliva, relictâque in navem extraneam mutata in Ave
Anconensi labescente altero Sole nos transfretavit in Januensi litore.
O pretiosa inter baccharum & lilia Sacerdotum Oliva!
Cur retro hac die pedem fixisti desiderio fraudata,
Et iter tuum non prosequeris, juvenili consilio decepta?
Debilis exitus nunc tutus: nocturnus somnus in Monachali platea.
Jovis tibi fuit dies lætabunda, cum Sole oriente emispherium clarificavit:
Quæ te fortunâ arridente in nobili litore absque portu collocavit.
Cur timet noctis tenebras, qui mensium latebras patefacit?
Nam ei cuncta obediunt, mare, terra, & venti quum imperaverit.
Venus naturæ amicabilis decem milliaribus remeatis in locum voluptatis collocavit.
Structura mirabilis; benedictus Opifex qui te ædificavit:
Verbosa curiositas, & inanis jocunditas, quæ te fraudavit.
Amœna Civitas Savona nuncupata, in ea nocte Præsul pernoctavit.
Dies Sabbati, dies celebris, grate placideque initiata,
Lucæ Medico, Christi Apostolo, Evangelistæque est hæc consecrata.
Mane mare ingreditur Christi Vicarius cum acie facie læta.

A Mare dire erigitur prope Lucernam, evasit barathrum horâ vespertinâ.
Quare ventus irasceris, & mare quid mane elevaris?
Aut certe ignoras ditionem illiusque dulcedinem quem tuleris,
Vel fortè mores eorum judicas ad quos eum geris?
Primus ipse Januæ portum ingreditur, cui colla subderis.
Mirabilis patria: excelsa ædificia, montuosa gibbosaque terra,
Petrosa, arbustuosa, quasi non descenderit in ea ros aut pluvia.
Mercimoniæ sunt multæ, pluresque divitiæ
B Populares. Mixta tamen cuncta.
Apparatus est maximus, plus tamen in apparentia quàm in existentia.
Erigunt cervicem. Non reverentur hominem fronte capillata;
Cupiunt sibi cuncta subdere cæca menteque elata:
Spernunt pauperem. Spondent se carere omni inopia,
Et tamen vix seritur, neque nent in eorum patria.
Potestas ipsorum est maxima, non tamen naturale dominium.
Imperialis est ditio, Principatus atque monarchale mysterium:
C Verumtamen magna fuit sagacitas, quando acquisierunt Cyprum,
Sed potior justitia, qua obtinuit meritò triumphum.
Cane Antistes, profer verbum tuum, ut luceat sicut gemma.
Demulce corda flammantia. Emunge longe ad te venientia.
Benigne suscipe cœtus Januensium. Affectionem confirma promissione.
Amplectere cunctos ad te venientes cum forti confœderatione.
O Præsul magnifice: non te decipiat cooperta & inflata nobilitas.
Nominalis, vocalisque dignitas in facto com-
D probatur, & propalatur veritas;
Rusticalis propago non novit regalem nobilitatem, fictaque ingenuitas.
Accipe Ligam ipsorum cum firma confœderatione, quia solemnis est hæc Communitas.
Recede & dirige gressus tuos cum sagacitate, Antistes magnifice.
Jam elapsus est dies duodecimus, quo fuisti in Januensi Civitate.
Rumores insurgunt. Strident dentibus, spretâ Præsulis dignitate,
Quum eos non accepisti in tuo ligamine cum benignitate.
Vale ergo, nobilis Civitas cum tuis opulentiis:
E Persevera in tuis mercimoniis, & sta in tuis commerciis.
Precor, te recole de antiquis Ecclesiæ amicitiis.
Adjuva ipsam ac protege cum tuis divitiis.
Celebrata Apostolorum Simonis & Judæ excelsa solemnitate,
Susceptaque levi cœna, jam clausa die noctis obscuritate,
Ingressa mare Præsularis Sanctitas cum nimia celeritate
In Galea Anconensi somnum cepit cum hilaritate.
O stella mirabilis, situs tuus, & ingressu tuus

tuus eſt inveſtigabilis.
Quænam ſis, aut quomodo vocaris, ignota es & inſtabilis.
Fertur tamen quod Apoſtolos per dies tres antecedis aut ſubſequeris;
Quapropter Planeta Apoſtolorum Simonis & Judæ ab omnibus nominaris.
Tuæ influentiæ tamen ſunt horribiles. Timent nautæ: tumet mare;
Surgunt venti, currunt nubes, eriguntur maris elationes, moventur Cometæ,
Magna ſunt tonitrua, fulguraque, coruſcationes cum grandine.
Non eſt colonus, qui audeat his diebus navigare.
Sequens Mercurius, Octobris vigeſimâ nonâ læti de lecto ſurreximus:
Preces gementes Altiſſimo cum altis ſuſpiriis fundimus,
Quatenus in almam Urbem diu deſideratam proſpere applicaremus.
Sed fortunâ objiciente in Solis ortu Delphini portum intravimus.
Quintâ feriâ quare obdormitas? torporne invaſit te aut ſomnolentia?
Surge, propera, egregie Paſtor, ſupra gregem tuum cum ſolertia vigila.
Invade hoſtes tuos, atque cunctos eorum ſeveritate penetra.
Non ſinas fœtas tuas torqueri, tyranniceque cruciari fame aut inedia.
Dies Veneris Vigilia fuit celebris. Fruſtra navigare cœpiſti.
Fere viginti milliaria extra portum Delphinum feliciter navigaſti.
Tertiarum horâ, fortunâ impellente, retro versùs prælibatum portum intraſti.
Oſtendebant tibi Dii, quod hanc diem meritò celebrare debuiſti.
In viſu mentis intellexit hoc Antiſtes ſibi adeo ſpecialiter reſervaſſe,
Patroni loco procurante Sancto Hieronymo anachorita, eximio Doctore,
Ut in tuam celebrem memoriam Sanctorumque omnium ſolemnitate
Novi Cœnobitæ loci Sancti Hieronymi gratularentur perpetuò Papali viſitatione.
Pedeſter incedit per ſcalentia deſerti velut Romipeta
Ad Anachoritas die Veneris, quaſi horâ diei ſexta.
Columna & baſis Præſulum de nocte audit Chriſti ſacramenta,
Quia ibidem recreantur tota die membra fatigata.
Mane Sabbati adſunt omnes Sancti; Miſſam celebrat Vicarius Chriſti.
Intrat Oratorium ſanctum; ad Aram Doctoris Sancti Hieronymi
Confluunt omnes. Nautæque obſtupeſcunt de amœnitate exigui loci;
De tam ſolemni libatione ſacra, ſive ſermone gaudent omnes ſancti.
Intellexit paupertatem Monachorumque inediam paſtoralis clementia;
Aſpexit quantitatem Eremitarum. Suppletque inopiam, confert jocalia.
Vidit exiguitatem redituum, & obtulit eis magnalia munera:
Exaudivit vota precantium; largitur eiſdem pretioſa privilegia.
Inſurrexit gens elata. Suſtinere non potuit inanem inflationem.
Invida mens, ſuperbaque non compatitur æqualem proſperitatem.

A Invident ſe mutuo Catalonia & Janua: abhorrent correctionem;
Numquam inter ſe habuerunt veram & ſinceram æmulationem.
Poſt aſpera verba pervenerunt ad acerbiora crudeliaque verbera.
Jacent in litore Januenſi lacerati. Non fuerunt mortis vulnera.
Inſinuant ſuis concivibus. Volant hinc inde foreſacta.
Excitatur Antiſtes, diſcuſsâ ſomnolentiâ mare ingreditur cum feſtinantia.
Adeſt dies celebris. Non fuit fas orare pro defunctis.
Primâ Dominicâ Novembris non licuit nos officiare pro Mortuis.
B Completis duobus his diebus ingreditur mare nobilitas Præſularis,
Quæ iterum mutat manſionem pro impenſis propriis ſuis ſervulis.
Quid eſt, pelagus? de te volo aliquid fari.
Nobis jam bina vice iter dulce paraſti.
Cur à tuo Mundique Principe non vis dominari?
Dominus ſeculi eſt, quem tu vehis, cui te oportet humiliari.
Univerſo Orbi dominaris, & quos diligis dulce ſuſtines,
Quos odis, deles. Anconenſes cognoſcis, & mite fers.
C Nunc Januenſes, Maſſilienſes, Aragonenſes abhorres,
Quia Domini tui Officiales, Camerarium, Theſaurarium, Senogallienſem proſpere ſuffers.
O Sancte Spiritus, & Animæ Defunctorum, qualis exſtitit dies veſtra!
Pelagi fluctus duos innocentes involvit barcha ſubmerſa;
Delphini portus alios ſuſcepit occurrendo Aragonum Galea.
Gilberti nobilis de Crucellis auxilio omnia ſunt ſalvata.
Parat Martis quarta Novembris omnibus viam in ortu de Ave initiata;
Exilarat gentis faciem ſuperna gratia Solis ſplendore radiata.
D Claudicat retro Galea Rufa cum gente ſua nominata.
Firmat ſpem vas mirabile Anconenſe cum ſua comitiva ſpreta.
Ante portum Veneris velox fuit tranſitus, quoniam non erat Dominus.
Leve exſtitit prandium; veruntamen merum dulce, ſaporatuſque cibus.
Ad Livornæ portum fuit noſtra ſerotina refectio, nocturnuſque ſomnus,
Maneque illo remanſit ante litus Veneris omnium Præſulum Dominus.
O Leo de tribu Juda, tu feſtinas accedere ad indomitam gentem.
E Tempus eſt, ut oſtendas tuam ditionem, Claviumque poteſtatem,
Vectes ferreos confringas, cum prudentia & ſagacitate non reverearis hominem,
Tuo rugitu cunctos penetres, compagem ligaminis inimicorumque fortitudinem.
Piſanorum litus die Jovis ſextâ Novembris prandii horâ applicuiſti.
In Livorna ſequens remis mitem plebem ore inveniſti.
Ignoro quo conſilio aut nutu ad inſidiatores tuos appropinquaſti.
Inebriati ſunt furore, crapulatique. Eorum veneno affines eorum ſunt infecti.

Piſa-

Pisanorum est solemnis Communitas cum suis gratiosis muneribus;
Lucanorum grata Civitas cum ipsius opulentiis & amœnitatibus;
Offerunt tibi encænia magnificeque tuis fratribus Dominis Cardinalibus.
Cave, ne excœcetur oculus Ecclesiæ, aut decipiatur blandis sermonibus.
Si meminisent antiquarum Ecclesiæ subventionum, nunc pro te firmiter decertarent,
Cum sua acie tibi occurrerent, & pro ipsorum marte viriliter dimicarent,
Sibi ipsis pro futuro providerent, teque seipsos non illuderent.
Excœcavit eos malitia. Noluerunt intelligere, ut bene agerent.
Intelligite viri eruditi. Attendite Jurisperiti sententiam nostri codicis.
Vir duplex animus inconstans in omnibus viis suis
Quamobrem verbum duplex in vestro ore male geritis:
Apte nudeque loquimini. De lingua pandite, quæ latent in cordibus vestris.
Caveatis, ne circumveniamini in falso negotio Patrem nostrum.
Attendatis si est ne hoc verbum nostrum, amicissimus omnium?
A Florentinis quidnam accepistis? cur ergo manutenetis partem ipsorum?
Ab ipsis dudum destructi fuistis, & adhuc ducemini propter eos in interitum.
Quid est, se fingere contristari de delictis & perseverare in malitiis?
Veniunt quidam canibus rabidiores falsi religiosi in ovium vestimentis.
Ajunt, si Populus non deliquisset, veniam non exegisset: misericordia non est neganda miseris.
Cupiunt excusationem invenire in peccatis, & nolunt confiteri de commissis.
Vorago pessima & abyssus versutiæ profunda, quid deglutire intendis?
Gentem sanctam, Regale Sacerdotium, Imperiale Dominium, Populum acquisitionis?
Ab istis non persequeris, sed a tuis iniquitatibus & malitiis.
Frustra ante innocentes laqueos tendis, qui te ab ipsis irretita eris.
Flos lilii falsò nuncupata, utinam redoleres, & te cognosceres,
Et animum tuum a superstitione vana, & à Paganitate revocares.
Deum, qui in cælis, & Dominum, qui in terris præest, agnosceres & coleres.
Tempus esset, ut præterita peccata lugeres, futuraque mala prævideres.
Consummata die octavâ Veneris quartadecimâ Novembris, Aneonenses sunt licentiati.
In Liorna undecim diebus effecti fere frenaticique tertio sunt illusi.
Acerba sequestratio, quando membra copulantur alio capiti.
Anconenses Sabbato, fortuna ridente, Plumbinum sunt ingressi.
Cur sic Mundi facula, te duci permittis, quî radios abscondis?
Cave, ne tertia mutatione dire lugeas desperatæ salutis.
Columbina simplicitas a suo volatu potest retardari pennis elevatis.
Inordinata voluntas convenit fraudari spretis consiliis.

Serotina fuit pluvia, dulcis & amœna propter rei eventum.
Dominicâ sextadecima Novembris totâ a Plumbino abscessimus ante Solis ortum.
Hilarata facie, ciboque roborata, feliciter ingressi fuimus Herculinum;
Primâ noctis vigiliâ cum ingenti lætitia ibidem cepimus somnum.
Parat & hæc Apostolorum Principi, iterque totæ aciei.
Refutat eam Plumbinum, vento Orientali flante & contradicente ei.
Turbat nautas Thetis obscuritas, sed applaudit Ferraria tristi faciei.
Dormitat Antistes in Elba Ferrariæ. Intrat Lingonem primâ horâ diei.
Progreditur pedester Præsul, quærens requiem. Occurrit ei Christi Templum.
Mane ingreditur egregius Pastor cum fratribus suis, Olivæ suum
Ariditate loci objiciente non decuit eum ibi triplicare tabernaculum;
Petrus, Johannes & Jacobus non sunt Cubicularii, sed totus grex ovium.
Defert Johannes Rogerii nobilis novus Cubicularius, & primus Narbonensis
Pollet sacris dotibus: mores tenet regios: fulget virtutibus politicis.
Apparet senex calvitie jam ornatus magis, maturitate quàm temporis,
Floret jam trina dignitate adepta, sibi meritò à Deo collatis.
Nec defuit Petrus Monachus imbre cælestis pluviæ irrigatus,
Doctorali dignitate insignitus, multiplicibusque Abbatiis jam decoratus,
Nunc Referendarius Carpentoracensis Antistes, solemnisque pastor egregius,
Isti fuerunt comites peregrinationis assidui cum aliis Nobilibus.
De Baro præclare Johannes Subdiacone senior Cubicularie, tunc absens fuisti:
Epistolas, quas legis, bene intellexisti, quia ter naufragium pertulisti.
Petre de Cassaneis, calve venerabilis, tua probitate Regestrum obtinuisti;
Mare tuas bullas cum earum emolumentis refutat, tu vidisti.
Doctor egregie Elia cum tua doctrina, claraque sagacitate
Antistitem quare non consulis cum nobili præclara fraternitate,
Ne terram benedictam, mellifluam deserat cum sua grata amœnitate?
Videtur tibi ne hoc Palatium fore Pariense cum sua nobilitate?
Cavallionensis Præposite Petre Guiraudone, cum tua grata societate
Etiam præsens exstitisti, levemque cœnam suscepisti cum hilaritate.
Roberte fidelissime, tu etiam in straminibus jacuisti cum tua sagacitate,
Romanum Præsulem numquam deseruisti, quocumque ierit, serviens cum humilitate.
O Pelagus infidele, neminem revereris, nec ulli parcis;
Fluctus tuos nimis acerbe elevas. Inflavit te ventus Aquilonaris.
Domnus Glandacensis in thalamo patitur tuis lymphis:
Hic homo sanctus & est Mundi princeps, quem tu absorbere cupis.
Sanus & incolumis ex te progreditur denudatus rebus.

Humerus rustici in terra tulit Apostolicum, unumque de Cardinalibus.
Dominus condolet de bonis evanutis, plus tamen de Domesticis humilibus,
Mercibus naufragatis: in litore se gratulantur mutuò plaudentes manibus.
Mare, præceptis ac nutibus tui Principis in nullo obtemperas.
Per te convenit habere Romanum Præsulem, quem tu mane refutas.
Nobilem Ambianensem Cardinalem sine caussa cur sic infestas?
Massiliensem Civem de Brandis Stephanum cum Galea naufragas?
Grandis fuit excubia, sed incauta vigilia.
B Inanis exstitit sola in mari anchora. Turbata maria.
In arduis negotiis geminata debuit fore sapientia.
In magnis periculis non licuit nautam capere somnia.
Oritur tempestas horribilis. Anchora frangitur, & Galeæ latus aperitur.
Ingreditur Galeam fluctus maris. Et navis in profundum demergitur.
Promerentur vota. Funduntur que preces Altissimo. Scelera illi panduntur.
Naufragantur omnia personis reservatis, ibique jocalia perduntur.
Veneris feriata vigesima prima Novembris multis exstitit amara.
C Virginis Cæciliæ Vigiliâ in Christo obdormivit clara gemma,
Cardinalis Narbonensis, senex Antistes humatur in Pisana Ecclesia,
Maris fractus laboribus. Spiritum ejus suscepit cœli gloria.
Bene memor Petre, nobilissime reverendissimeque Camerarie Apostolice, cœli hospitalitate
Digne; in memoriam vertitur jugis beneficii accepti largitas grata cum humanitate.
Æmulatione paterna summum Præsulem filiali suscepisti cum humilitate,
Et me ejus servulum benignè in tua mensa recreasti cum hilaritate.
D Retribuat tuæ ditioni benignitatique perlustret immensitas supernalis;
Proficiat incœptam operationem dignitatemque adeptam pietas divinalis,
Dirigat tuam celsitudinem cum probitate fraternali Trinitas supercœlestialis,
Constituet tuam dignitatem in gloria Christi humanitas virginalis.
Insula Maria, non te decuit retinere Mundi principem.
Silva deserta & solitaria pro tanto exercitu non habuit habitationem.
Egressa acie de Ferrariæ alpibus, mare tulit Romanum Præsulem.
E Arreptâ viâ progreditur liberatus à turbine. Firmat in Plumbino mansionem.
Gaudet immense Plumbinus de adventu tam magnifici Principis.
Lætatur exercitus hilarata facie, liberatus de tantis periculis.
Inane exstitit gaudium tantis Oppidis quum nil sequutum fuit muneris.
Quid tibi obtulerit, œconomi tui reponant in tuis thesauris.
Jovis vigesima nona Novembris multùm celebris ac plurimis amabilis.
De Plumbini litore elevatur Præsul cum suis servulis.

A Festinat clemens ac pius pater jungere se suis famulis.
Portum Sanctæ Reparatæ erga Argentarium aggreditur cum suis domesticis.
Sequens Veneris mare quasi mediterraneum ingreditur.
Orbitellus à cunctis meritò ac proprie nominatur.
Cum barcha Frivoli transit, strenuumque sic Oppidum aggreditur.
Undique parva tellus demto latere uno mari circumdatur.
Laureatur Comes Nolanus nobiliter. Coronantur omnes sertis frondosis.
B Armatur malleus hæreticorum Petrus Augustinensis, Episcopus Montisflasconis fidelis.
Accenditur lucerna, qua Mons Argentarius splendet, velut Sol multiplicatis faculis.
Gaudet Roma, Tuscia, Campania, Anconaque fidelis, intellectis signis.
Quid est? Crucifer Christi præclare; signo ejus frontem munisti,
Subdiacone Apostolice nobilissime, jugis in tuis epistolis legisti,
Christum fere Pontificem, & tu per pontem in mare cecidisti:
Tunc non gerebas Crucem ante Præsulem, quum submergi dubitasti.
C Remeant ad propria Galeæ illustrissimæ, serenissimæque Reginæ Siciliæ.
Festinant Romam accedere, desiderio fatigati, cruciatique inedia dire.
Properat celeriter se jungere tuus strenuus dux Berroy suæ sponsæ:
Anhelat grata servitia impendere nobilissimæ Dominæ Johannæ delectæ suæ.
Eja commilitones mei nutriti in deliciis, comedite carnes de suibus,
Qui famelici nimis avide sumitis animum de brusonibus.
Non adipe frumenti aut meri saturati estis, vel lacte de ovibus,
Sed præsentiâ Romani Præsulis, velut manna cœlesti, replevit nos Dominus.
D Humanis jam aliquibus, fracti laboribus, infectique malo aëre,
Dimissis etiam ægrotantibus in magnis periculis, festinavimus inde progredere.
Viam cum ingenti hilaritate ingressi fuimus, relicto exiguo rure:
Non enim decuit Papam in Orbitello parvulo cum tanta acie remanere.
Calcato mare parvulo, pedester progreditur Pastor cum suo baculo.
Spreto Oppido, suum gregem ducit per arbusta in Herculio:
Recto itinere cum luminaribus properat accedere die Jovis, clauso
E Seromet illo navem ingreditur, quasi consummato cursus bravio.
O castitatis zelator, pudicitiæque æmulator, gemma omnium Præsulum,
Veritatis prædicator, Nicolae excelse, est nomen tuum,
Caritatis largitor. Tua Vigilia dulcem tribuit de Herculio exitum.
Puritatis præservator, hæc tua itineri marino imposuit terminum.
Tellus Corneti, nimis opulenta fertilisque es, decorata turribus:
Vicus tui lati existunt. Hinc inde eructant gravibus.
Rus tuum suscepit die Veneris Romanum Pon-

Pontificem cum validis clamoribus;
Zelus tui nos coëgit obliti offensionem in tuo litore descendere de navibus.
Vespera ipsius diei Veneris litus Corneti amicorum tuebatur cuneis;
Gens armata præstolabatur Dominum suum cum magnis suspiriis.
Terram aggreditur Antistes cum lætitia sumto prandio evasis periculis,
Clamitantibus *vivat pax*, misericordiamque poscentibus parvulis.
Terram aggreditur Antistes, in litore acceptis patriæ clavibus.
Populus vociferatur, dimissis offensionibus, tubis clangentibus,
Parce, Domine, Populo tuo, & moriatur Præfectus cum suis sequacibus.
Ingressus Oppidum Corneti cum ingenti gaudio; pax vallatur perpetuis promissionibus.
In vinea Domini Sabaoth Gregorii Papæ Undecimi quasi hora dubia venisti.
In ea colonus es: jam totam palmitibus tuis Terram implesti.
Seculi terminum significatum in vineæ cultoribus bene intellexisti,
Ac etiam tu in sero præ consortibus tuis in ea denarios accepisti.
Certe ambigo, an finis seculi in hora duodecima terminetur.
Expavescor Mundi turbine, crebra ubi mala perpetrantur.
Invoco inspectoris clementiam, quem latere nil potest, ut Ecclesiam tueatur.
Imploro illius misericordiam, quod tua mens ab intentione sua non fraudetur.
Confortare & esto robustus. Te introduxit Dominus in terram mellifluentem.
Evigilare & expergiscere, torpor ne invadat te. Sed destrue malignantem.
Aggredere in brachio extenso. In virga ferrea posside Petri hereditatem.
Reminiscere, oro te, prædecessorum tuorum, qua justitiâ destruxerunt barbarorum ferocitatem.
Vale, Præsul sanctissime. Deus inspiravit te.
Attende, quid verbum scriptum sit de te.
Surge senex, & esto juvenis. Primam petram recole.
Intuere prædecessorum tuorum vestigia. Mundus audiet te.
Sed tu conculcabis inimicos Christi fortissime.
Indulge mihi, precor, humillimæque simplicitati ignosce,
Si quid minus bene locutus sum de tuo Itinere.
Te & me reducat in patriam sempiternam Christus, qui vocavit te
In Pastorem gregis sui; qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Fratribus, qui sunt in Avinione afflicti, salutem & pacem bonam dicunt Fratres vestri per Italiam dispersi. Benefaciat nobis Deus, & meminerit testamenti sui sancti, quod habuit ad Clementem VI. qui illustravit nos, & Annum Jubilæi concessit. Orationibus instate, vigiliis, eleemosynis, precibusque Dominum pulsate, ut tandem aperiat cor nepotis sui, ejusque successoris Gregorii XI. inclinet & inducat ad id faciendum. Scribimus vobis insuper mala, quæ meritò venerunt nobis his diebus, ex quo recessit Jason à Terra sancta. Quæ vos legentes, magnifice gratias Deo immensas agatis, qui liberavit nos de supradictis periculis. Mihi quoque indulgeatis, meæque imbecillitati ac imperitiæ adscribatis; quia passus Leoninos & Rhetoricos prosequutus non fui, propter minus bene intelligentes consortes meos. Pro me peccatore Christi servulo Senogalliensi indigno Episcopo exoretis, consorte in vestris tribulationibus.

Scriptum & completum in Alveolo Corneti in die Sancti Nicolai Antistitis, Anno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo sexto, Pontificatus prælibati Domini Gregorii Papæ XI. Anno sexto.

Explicit Itinerarium marinum sanctissimi ac beatissimi Domini, Domini Petri Rogerii de Belloforti, solâ Dei clementiâ Gregorii Papæ XI. usque Cornetum Tuscanensis Diœcesis, ubi fuit Curia à V. Decembris usque ad XIII. Januarii.

Incipit de Corneto Itinerarium usque Romam.

Martis Januarii decimâ tertiâ, nobis extitit paradisi terrestris janua,
Attenuatis maxillis, & fluctibus fatigatis, suique unisoli arvina,
Evanuitis quinque septimanis in Oppido Corneti cum mœstitia,
Electis tribus Archiepiscopis, summus Antistes mare ingreditur cum lætitia.
Somnum cepit in Galea ante litus Corneti Pontificalis serenitas:
Populum suum recensuit caritate Dei inflammatus Pastoralis dignitas;
Ovium suarum curam gerit cum clementia Præsularis sanctitas,
Pauperumque debilium omnem multitudinem in barcha jubet recipi Paternalis pietas.
Quid est, nobilissime Guiscarde, tyro, ephebus, Vicecomes de Comborgio? omnem colorem mutasti.
Numquam patria novit te, cujus propaginis tu trabem dulcem traxisti:
Quod præsagium fuit, quum mare ingredereris, ensem tuum perdidisti.
Non jubes, velut Propheta, quod ferrum nataret: quinimmo ipsum perquiri fecisti.
O mare, de tui itinere hæsitans, vaticinatus fuit qualis finis sequeretur.
Clare intueor, quod mentiti sunt aruspices, ariolique, dum prophetantur:
Liquide conspicio, quod mutata sit nostri sententia, quod Præsul Romam non ingrederetur;
Unde vobis loquor, quod obstruxit vestrum os Altissimus, dum mirabilia operaretur.
Mentiti etiam sunt philosophantes, loquentes de flebili principio male terminante:
Decepti sunt Physici cum suis falsis constellationibus determinantes inepte:
Imperiti sunt obloquuti, falsè vaticinantes de seculi sceptrum tenente.
Salvati sunt Christicolæ hac die cum summo Pontifice, Dei clementiâ opitulante.
Tempus esset, ut mare tuum Dominum cognosceres, illique obedires.
Deus in terris est, quem utero tuleris, cui nunc arrides.
Ventus nunc culpam confitetur, & tu aura eidem adhæres.
Dominus Antistes est, quem absorbere jugis satagisti, cui modò applaudes.
Media nocte egredientes de litore Corneti septemtrionali flante,

Clara hemisphæria rarefacientia aëria, claritate nimia emicante,
Maria quietante, prospere navigavimus tota ea nocte.
Fortuna objiciente barcha equorum lapidatur vento impellente.
Mane Mercurii prandii horâ cum ingenti gaudio Fauses pervenimus.
Prospere feliciterque prius trina anchora percussione suscepta Tiberim introivimus.
Læte cum immenso gaudio, suscepto prandio Ostiam ingressi fuimus:
Murale præsidium mirabile est; Civitas venerabilis nullius existentiæ, ibi cœnavimus.
Sero illo properaverunt senes Romanorum venerabiles ad eorum Præsulem accedere:
Gaudio immenso repleti, plaudentes manibus, non volebant verbum proferre.
Deo teste, in terris tanta jubilatio non visa fuit. Nequeo explicare.
Accenso lumine chorizabant cum tubis & faculis calvi decrepiti cum sonore.
Veneris sequens surrexit media nocte Antistes, ut laudes Deo caneret.
Libatis sacrificiis, aliquali dormitatione suscepta, tuba cecinit, ut omnes excitaret:
In Galeam revertitur Romanus Pontifex, ut per alveum Urbem accederet;
Ventis & remis quum vela violentantur contra impetum fluvii, ut Romam applicaret.
In ortu diei, ingresso Antistite Galeam Massiliæ, omnes lætantur.
In exitu Ostiæ Galeæ Anconæ & Massiliæ, objurgantur.
In ascensu alvei obviam sibi invicem e contrario paulominus omnes periclitantur.
In progressu impeditur Præsul sanctissimus. Mœstitiâ & dolore omnes angustiantur.
Evasis barathro Christicolæ almam Urbem satagunt applicare cum labore nimio;
Relictis retro Galeis celeriter properavimus sumto prandio in Portuensi pelago,
Effusis Deo precibus supplicibus nobis in ripa obviantibus, flentes præ gaudio,
Elevatis vexillis, equis oneratis tintinnabulis cum ascensoribus in campo magno.
Currebant Banderarii Romani, velut dementes, tubis clangentibus:
Veniebant senes, pueri, ac juvenes, clamantes *Vivat Dominus*.
Stabant in litore Sancti Pauli infiniti Populi cum luminaribus:
Exspectabant Romanum Præsulem cum nimio apparatu, *Vivat Papa*, vociferantibus.
Nocte præventus non descendit in terram Dominus. Ibidem pernoctavit in alveo.
Bene consultum somnum cepit Antistes in Galea in Tiberio:
Mane autem facto confluebant Romani innumerabiles à Sancto Paulo.
Sole resperso descendit de Galea, prius bis libato sacrificio.
Die ipsa Sabbati decimaseptimâ Januarii, Simone Petro Romam prius cathedrato
Antecessore tuo, cujus tu vestigia sequeris, ibidem cathedram tenuisti primò.
Te ingrediente doctoris gentium Ecclesiam, tuæ sanctitati occurrit mirabilis Processio;
Flectente te genua largito panno aureo Missam audisti à Senogalliensi Episcopo.
Facta visitatione Sancti Pauli palatii, ordinataque Processione domum Præsul egreditur.
Viâ inceptâ obviant Pontifici histriones. Cum filozis via tractatur.
Luta sunt nimia. Infinitus est apparatus. Chorizantes in jubilo omnes progrediuntur.
Tuba clangente, convocataque acie mirabili Vexilla eriguntur.
Adest societas nobilissimi ephebi tironis Remondi Turennæ multum grata,
Regalisque, nobilis, & fortis acies erat Militum bene armis decorata:
Multa militiæ, plurima sagacitas, velut castrorum acies bene ordinata.
Nec defuerunt Primicerii, Bandereriique, etiam Senator manu armata.
Egrediente summo Pontifice Sancti Pauli palatium, affuerunt mille histriones:
Progrediente Præsule ante chorizabant, induti omnes panno albo, manibus plaudentes.
Canente tuba Processio incipitur, & Banderiæ eriguntur: omnes jubilantes.
Mane horâ primâ iter omnes ingressi fuimus, eundo lætantes.
Vexillum Ecclesiæ gerebat senex tiro Empostæ Castellanus.
Domicilium quilibet egrediebatur proprium: Occurrit infinitus Populus Romanus.
Nobilium filii pileos ferebant ante Dominum. *Iste est Dominus, quem sperabamus*,
Vociferantium vox erat. Etiam, *Vivat Papa. Euntes læte, eamus*.
In porta Civitatis affuerunt innumerabiles Prælati, induti Pontificalibus:
Signa gerebant Papalia, Imperialiaque cum Clericis & Sacerdotibus.
Tintinnabula cum omni genere musicorum respondebant cum sonoribus.
Limina quum ingreditur Romanus Antistes, dominium ei traditur cum clavibus.
Almæ Urbis Consiliarii, Senator, Banderenses omnes cooperti sunt pannis sericis,
Unde ostendebatur magnanimitas Romanorum Nobilium cum eorum opulentiis.
Verè non credebam in præsenti seculo videre tantam gloriam oculis propriis.
Dire fatigatur Præsul prolixitate itineris cum suis servulis.
Per medium Urbis proficiscendo ambulantes mulieres præ gaudio lamentabantur.
Super tectum ascendebant; cum nimia devotione Præsulem intuebantur:
Hilariter colleridas spargebant, velut rosarum flores. Omnes gratulabantur.
Celeriter per vicos currebatur, sicut Dei paranymphus Bertrandus Raphini mancionator.
Horâ Completorii ad gradus Sancti Petri jejuni læte pervenimus:
Tota perlibata die in Processione & divina laude insudavimus.
Clausa die nimiùm afflicti cum luminaribus prandium suscepimus.
Membra fatigata, debilitataque, magnifice gemmatis ferculis refocillavimus.
Tibi, Christe, splendor Patris, immensas laudes refero,
Tuæque Virgini Matri humilem veniam postulo,
Simoni Petro, Pauloque Apostolo me recommendo.
Mihi indulge, Gregori, si minus bene loquutus sum de tuo Itinerario.
Loquar, & utinam in tui præsentia referam in conspectu Altissimi, quæ gesta sunt in futuro seculo. Amen.

De

De Roma usque Anagniam.

MOnitus Sancto Spiritu proficifcitur Abraham de Aram versùs plagam Orientalem.
Præmonitus pristino casu, non mutatur, fed viam aggreditur Campanialem;
Consultus divino nutu roboratur inter ipsum amicitiâ Populumque ejus cordialem.
Inflammatus divino flatu, ingreditur stratam versùs montem superegionalem.
Illo tempore, quo Paracletus Sanctus corda Discipulorum temperantia inflammavit,
Sublato more folito fextadecimâ Maji normam Præsulum stationem mutavit.
Palatio Sancti Petri Tusciæ derelicto, fummus Pontifex almam Urbem intravit.
Libato matutinali facrificio, ad Sanctam Mariam Majorem accedere festinavit.
Mane orto jam Sole, in Vigilia Pentecostes, celeriter currunt manipuli.
Romæ namque Banderenses cum fuis cuneis accefferunt, nobilesque Marefcalli,
Almæ Urbis concives cum nobilibus confluebant læte more hostili.
Turbæ jubilantis erat fonitus, *Vivat Papa: zelo zelati serviamus illi.*
In exitu Palatii Sancti Petri adfuit Senator cum concivibus nobilibus;
In progreffu mirabili adstitit tiro nobilis Dominus Rajmundus de Turenna cum Militibus.
In egreffu domicilii exstitit Marefcallus, strenuusque Miles Hugo de Rocho cum Baronibus:
In inceffu nobili non defuit calvus ephebus Miles Guido de Bovinis cum fuis fequacibus.
Equestres, feu habenarum Præfulis directores erant manipuli induti panno confimili.
Histriones, Joculatorefque erant innumerabiles, qui præibant: etiam & Musici;
Rectores Urbis & Sacræ Societatis tripudiabant, omnes Clerici & Laici.
Confervatores antecedebant omnes induti loricis. Currebant periti & fervuli.
Trajecto Ponte Sancti Angeli, parietes strati erant pannis aureis.
Incœpto itinere versùs Plateam Parionum hinc inde erant parata velis fericis.
Orto Sole refulgebant vultus, velut meridies, ac depicti manibus angelicis.
Recto itinere pleniora & exuberantia apparebant usque ad finem itineris.
Prolixa fuit dieta, fed multùm brevis propter amœnitatem:
Ingrata inparilitas viarum, fed grata nimis propter Populi affabilitatem.
Arta via repleta turbis, non valens capere venercam speciofitatem.
Per acta fpatia pervenimus læte ad Sanctæ Mariæ Majoris montem.
Quanta fuit inde almi fpiritus in Templo Sanctæ Mariæ jubilatio!
Tota Urbs facra congregata ibi, interfuit mane in Papali facrificio.
Sancta & immaculata eft Ecclefia Dei Genitrix multùm grata in ædificio.
Ulla lingua carnis non poteft exprimere, nec ego fari valeo.
Electa fuit a Deo & gloriosa Virgine Maria ab initio in Monte Superagio,
Dotata & irrigata imbre cælesti, candoreque niveo in fingulari exemplo,
Completa rore Deitatis, velut ara Gedeonis, in Augusti initio.
Constructa, & ædificata per almæ Urbis Epifcopum Liberium cum cive Patritio.
Feria fequens tertia ad fedem fuam accedit Ecclefiam Lateranenfem
Gemma fervens omnium Præfulum, vobis dans normam rectam Præfularem;
Lucerna ardens fuper candelabrum ibidem Missam fecrete celebrat fingularem,
Sancta mens Sancta Sanctorum intrat post facrificii fanctam libationem.
Surgit ab accubitu fuo fummus Sacerdos Altiffimi Gregorius completa oratione,
Exivit Palatium Lateranenfe cum fua nobili comitiva, incœpta Proceffione.
Occurrit ei innumerabilis Populus utriufque fexus cum jubilatione.
Acceffit iterum ad Sanctam Mariam, turba lacrymante præ gaudio & dilectione.
Evanutis octo diebus Pentecostes, adeft dies Sanctæ Trinitatis.
Expletis omnibus divina celebrat Antistes ibidem in tabernaculo fummæ fanctitatis.
Imbutis Populi mentibus ejus fanctæ converfationis exemplo & honestatis,
Completis facris libationibus, ad propria remeat, turba in voce tubæ jubilantis.
Pulfatus devotis precibus fuorum Canonicorum Sancti Johannis Lateranenfis Ecclefiæ,
Devotus Pastor gregem fuum revifitat in folemnitate Sanctiffimæ Eucharistiæ;
Ornatus facris vestibus folemnia peragit fuper menfam Christi cœnæ.
Tantus Populus Romanus adfuit quod ambitus loci nequierunt capere.
Refervatâ Eucharistiâ, repofitâque per fuas manus facratiffimas in custodia,
Largita Benedictione folemni, atque promulgatâ feptennali annorum facrâ Indulgentiâ,
Oftenfa Apostolorum capita, plaudendo manibus turba repatriat cum lætitia;
Apprehensâ habenâ equi non valebat Præful equitare impediente turba.
Patienter ferens egregius Pastor oppreffionem fuis devotis ovibus,
Letanter iens, benigneque fufcipiens vota a fuis fervis humilibus,
Iter præbens profundæ humilitatis, fanctitatifque devotis fuis fequacibus,
Gratanter audiens, publicam fufcipiens legem Mofaicamque fumtis Judæorum cærimonialibus;
Ingreffo Templum Sanctæ Mariæ in Monte Superagio cum lætitia,
Aggreffo prandium folemne cum Romanis Nobilibus, totaque familia,
Completo convivio roboratur inter ipfum & Romanos fincera amicitia.
Peracto fpatio duorum dierum viam direxit in Anagnia cum folertia.
Ave, Virgo Dei genitrix, quæ talem elegisti locum pro tuo famulatu:
Salve Templum dominicum a Deo decoratum, dotatumque cum tuo tabulatu.
Vale mons & regio temperata, multùm grata cum tuo afpectu;
Bene fit tibi alma Urbs facra prædita cælestibus cum miro affatu.
Quid Virgilius, agnitor virium, regionum, herbarum, de te fari potuit?
Quid Solinus, fpeculator Urbium & climatum, in te intueri valuit?

Quid

A Quid Vegetius, scrutator Tironum nobilium, de tui strenuitate disceptavit?
Quid Tullius, compositor dictionum & versuum, de te fabulari debuit?
Quid Judas Machabæus de tui prodigalitate in sacro Canone exaravit?
Quid Sallustius, scriba doctus, de tui fundatione exordioque texere potuit?
Quid Lucilius, Martialisque, doctus Seneca de te sculpi potuerunt?
Quid sexus femineus Sibyllarum, futura vaticinantes, de te prophetarunt?
Quid Valerius memorator gestorum, historiarumque, de tui vetustate habuit?
Quid Josephus sanctus antiquitatum, vetustatumque, de tui nobilitate referare debuit?
B Quid Tripertitor temporum, recollectorque Chronicorum, de te exarare valuit?
Quid Vincentius, seminator gestorum, assignatorque temporum, de te in suis Codicibus inseruit?
Quid omne genus Poëtarum & doctorum in laudem tui exstollere potuit?
Intellectus, mensque mea fere parvi pendit, quoniam veritatem tuam siluerunt.
Oculus meus intuitus & infra. Mœnia tua sanctissima, Urbsque corruerunt.
Verecundor quamplurimum, quia & ego insuficiens minusque eloquens suscipere nescivi,
C Imaginorque ipsa mirabilia & inenarrabilia de se testibus perhibent veritati,
Quod etiamsi homines silerent, ipsi lapides loquerentur cuilibet intuenti.
Quoniam diu strenue pro utilitate reipublicæ in agone certasti;
Quia diu sinceram fidem illibatam, inviolatamque servasti:
Quia diu fovisti filios, quos lacte proprio in tui decore nutristi.
Quamdiu favisti illis, qui proprio cruore te sunt mercati,
Tamdiu sceptrum ditionis, totiusque Mundi caput erectum tenuisti.
Avertisti faciem a Christo tuo interdum, & non auxiliata es in bello.
D Recessisti sponsa, sponsa, & fornicata es cum amatoribus multis a tuo dilecto
Voluisti te submittere excœcata deceptaque inane consilio Domino legitimo.
Abiisti currens post viros alienos sine rubore orbata proprio viro.
Attende, quæso, ubi postrata fueris, & quanto tempore ibi jacuisti.
Adverte, exoro, ubi vestem regalem sordidasti, & disploidem in confusionem induisti.
Recole, postulo, celsitudinem dignitatis tuæ, ditionisque, qua Mundum registi..
Intuere, peto nunc ubi sunt, qui te beatam dicebant, tibique arridebant in proprietate tui.
E Abierunt, alienati sunt retrorsum, teque velut desertam spreverunt.
Advenerunt tibi dies mali. Nec fuit qui te adjuvaret. Omnes recesserunt.
Circumdederunt te inimici tui vallo, & florem pulcritudinis tuæ abstulerunt.
Clamaverunt: *Venite, disperdamus illam*; teque destruere cogitarunt.
Audivit Dominus, & misertus est tui paternitatis affectu.
Venit ad te sponsus tuus facie rutilans cum grato aspectu.
Reconciliavit, traxitque te miserans tui dilectus divino nutu.
Levavit dextram suam. Amplexatus est te Pastor caritatis amplexu.
Habes nunc sponsa quem per vicos & plateas tamdiu quæsisti.
Tenes eum, filia Sion; teque zelo sinceritatis conjunges illi.
Possides nunc amorem suum. Tene, nec dimittas, quem tantùm concupisti.
Fulges jam splendore illius, omissumque dominum, si adhæres ei, recuperasti.
Læta nimium in adventu sponsa fuisti extollens in jubilatione.
Oblita scelerum & miserationum vetustarum, plaudisti manibus præ admiratione.
Turbata plurimum die Sabbati penultima Maji in Pastoris tui profectione,
Afflicta cogitationibus Antistitem in recessu non tuisti tua munitione.
Certe non te deseret. Ne turberis, dilectus sed mutat dumtaxat stationem.
Crede firmiter; zelo zelatus est tui. Numquam te deseret propter tui amorem.
Perge post illum. Adhære ei, qui non recedit, sed quærit recentem regionem.
Dirige gressus tuos, Præsul sanctissime, inceptos. Ne dubites radium solarem.
Recedente ab alma Urbe summo Antistite, mane primo diluculo,
Proficiscente versùs Campaniam nobilem per talem planitiem compatiebatur suo Populo;
Pergente increpata custodia vocabat fœtas tradito pede pro sancto osculo:
Eunte Præsule deprædatur quidam. Capitur latro: nunc moritur in patibulo.
Sitienti asperso pulvere præbuit divina pietas solemne refrigerium.
Deficienti & lasso subvenit Dei genitrix de Crota Ferrata Templum,
Intranti cœnobitale domicilium præbebat omni volenti aquam in poculum.
Cupienti & exusto Solis ardoribus præstabat multum placibile solatium.
Situs hic est in montibus supra mare in lucis densosis.
Conventus iste est Cœnobitarum Græcorum, fundatus in honore Mariæ Virginis.
Locus est valde amœnus. Distat ab Urbe decem milliaribus, circumdatus lymphis:
Domus est bene fundata supra firmam petram, licèt in locis aquosis.
In ea mansit serena sanctitas Præsularis geminatâ dietâ propter amœnitatem.
In ipsa egregie collocati fuerunt duo Cardinales propter ipsius affabilitatem.
In ipsa Ecclesia adstiterunt quatuor Prælati propter loci fœcunditatem.
In qua tota ipsorum familia semper exstitit propter illius capacitatem.
Primo mane Junii antelucanum Corpus Christi omnibus viam patefecit.
Ingresso itinere eum sequitur turma. Sed incaute talis casus evenit.
Percusso Salmerio Antistitis Carpentoracensis gladio crudeli manu interiit.
Orto jam Sole summus Pontifex egresso Cœnobio Anagniam viam arripuit.
Prodiit exinde progrediens summus Pontifex recte per deserti squallenta:
Abiit egregius Pastor cum amicis suis per eremum & nemora.
Venit turba per campestria plurima ad beatorum pedum oscula.
Siluit tellus in adventu Principis, pacificataque sunt

sunt omnia.

Porrò silvam grandem ingressus lucus tuebatur, castrorum diversis cuneis.

Credo illam fore vallem umbrosam Josaphat in terra promissionis.

Puto quod nemus lignorum Cosdroë, & saltus Libani non sit similis.

Spatio peracto transactâ horâ Tertiarum applicuimus Vallem Mutonis.

Oppidum illud solemne est in ingressu Campaniæ Prænestinæ dioecesis.

Castrum forte est in montibus inter silvas obsitus filicis;

Castellum unius Domini nobilis est, almæque Urbis Concivis.

Domicilium illius pulcrum, cum aspectu mirabili cum ornamentis sericis.

Recreati in illo tota die hospitati egregie sospitati pernoctavimus.

Excitati bono mane immensas laudes Deo obtulimus, Sacrificiumque libavimus.

Refocillati iter nostrum continuavimus per vallem opacam condensis nubibus.

Roborati aspere & cum celeritate illo mane duodecim milliaribus equitavimus.

Quum Tertiarum hora finem daret Martis sexta mensis Junii,

Dum turmarum concursus appropinquaret ad pedum oscula, recedebant hilarati jejuni;

Urbium in voce tubarum Populi ad eum confluebant, præ gaudio exanimati.

Territorium Anagniæ applicamus optatum cum lætitia ingenti, Sole exusti.

Appropinquante summo Antistite Civitatem Anagniæ cum nimia hilaritate;

Ingrediente Pastore gregem suum, currebant oves cum nimia aviditate;

Progrediente Præsule accesserunt Populares chorizantes velut histriones cum jucunditate.

Intrante suburbia adfuit turba cum Processione jubilando cum sonoritate.

Antiqua & solemnis est hæc Civitas situata in alpibus Campaniæ;

Longa valde nec lata, pollet uno Vico inter alia Communitas Anagniæ,

Amœna grata in aspectu, circumdata vallibus, collisque planicie,

Vicina fere sideribus. Caret fluminibus. Pollet fontibus, cisternisque pluviæ.

Alta ædificia. Structura lapidum maxima, terræmotu, ruinâque dissipata.

Grata domicilia, fumo dealbata, lignis castaneis cooperta & constructa:

Agmina hominum & mulierum in vultu sunt colorata pari formâ.

Exusta Solis ardoribus facies non rutilat colore tetro assimilata.

Vina alba, delitiosa, rubra, invisa, & penitus ignota,

Grana optima cum fertilitate, & fructuum copiositate nimia.

Ænaria electa, regio temperata, gens bona cum rusticali affabilitate grata,

Devota plebs, simplex grex fideliter ambulat in sua prædia.

Secretum est, o alma Civitas Romana nobilis, in Campania illustri.

Subdolum deposco si pandam in laudem ne imputetur referanti;

Saxum concavum in modum specus latet in Agnania in loco eminenti.

Stagnum reputo aquam abunde præbens omni volenti, & haurire cupienti.

Retro Matrem Virginem jacet, quæ nobis peccatoribus aquam tulit salutis.

Puto ejus precibus illud ibidem præservatum suis fidelibus tempore sterilitatis.

Credo quod in seculo non est ei simile in cuspide montis.

Ergo ne terreamini ultramontani Nobiles; sitientes, ibi lympham bonam haurietis.

Quæ ad æthereum thalamum ascendisti, in Anagnia Templum elegisti,

Quod crebrescentibus miraculis portentis prodigiisque ostendisti, & mirabiliter decorasti,

Tu etiam mentem summi Antistitis Gregorii Undecimi tuâ gratiâ perfodisti,

Cum sancto flamine ignito in tui devotionem imbre cælesti imbuto commovisti.

Pastor egregius suscepto Mundi regimine ferventius in tui devotione zeloque perseveravit;

Doctor eximius perceptâ tui gratiâ te in suam Matrem adoptavit:

Rector pius universum perlustravit. Tua Oratoria jugis sui principio decoravit.

Sator honestatis tuam Nativitatem adamavit, & sacrâ Vigiliâ primus adornavit.

Nutu Spiritus almi, cujus septiformis gratia inflammatus, septimâ Septembris jejunium mandavit,

Ritu perpetuo sua potestate celebrari cum Missa stabilivit & ordinavit;

Dictu suo firma promissione vallato etiam cum Bulla unde prædicta promulgavit,

Affatu divinoque suo relatu hanc devotionem, inserui, quam suo munere amplificavit.

DE URBANO VI.

E Codice MSto Vaticano.

URBANUS VI. natione Neapolitanus, dum erat Archiepiscopus de Baro, electus fuit Romæ anno Domini MCCCLXXVIII. de mense Martii, & sedit annis XI. mensibus VI. Tempore verò electionis istius, Romani venerunt armati ad Sanctum Petrum, quorum Officiales erant Banderenses, & Cardinalibus in Conclavi existentibus Papam Romanum petierunt, aut Italicum. Cardinales verò simulaverunt Cardinalem Sancti Petri Romanum eligere, & demum canonice procedentes dictum Archiepiscopum Barensem concorditer in Papam elegerunt, & per Mundum Regibus omnibus Christianis literas manibus ipsorum de vera electione destinarunt. Post verò Coronationem dicti Urbani, qui nimis severus videbatur in correctione Simoniæ & lasciviæ, simulantes fugere aërem grossum in æstate, Cardinales Anagniam in Campania iverunt, demum ad Civitatem Fondanam, de consensu Johannæ Reginæ antiquæ de Neapoli, Cardinalem Gebennensem in Antipapam elegerunt, qui vocatus est Clemens Septimus. Papa verò Urbanus hoc sentiens cum Cardinali Sancti Petri prædicti, qui remanserat, primam ordinationem fecit, & creavit Cardinales. Demum Reginam antedictam Regno privavit, & substituit Carolum de Pace Regem Neapolis, qui Carolus Rex primò Antipapâ fugato in provincias cum paucis gentibus XL. lancearum Neapolim intravit, & dictam Reginam obsessam in Castronovo post aliquos menses captivavit cum mille quingentis lanceis; quæ ibidem mortua est. Demum post captam Reginam Dominum Ottonem de Brunswich maritum dictæ Reginæ inter Neapolim & Castrum San-

Sancti Hermi captivavit cum mille quingentis lanceis. Hoc nuntiato Papæ Urbano, ipse post aliquos annos Neapolim venit, ubi orta est discordia inter Urbanum Papam, & dictum Regem Carolum propter Nepotem dicti Urbani, quem Dominum Capuanum facere voluit. Captivavit ergo Rex dictus Dominum Papam aliquibus diebus, paucis servitoribus sibi dimissis; & factâ reconciliatione post paucos menses Dominus Papa ivit Piacentiam Ruezenum, simulans indignationem, & ibi fecit processum contra dictum Regem. Qui Rex hæc sentiens cum magnis gentibus Papam in dicto Ruzeno obsedit per plures menses. Et in dicta obsidione Dominus Papa septem Cardinales, qui conspiraverant contra eum, cepit, ad tormentum posuit, & carceravit. Et ibi etiam Dominus Papa secundam ordinationem Cardinalium fecit; & factâ ordinatione Dominus Raymundus de Blasio filius Comitis Nolani, qui postea erat Princeps Tarenti, vocatus à Domino Papa, licèt esset ejus inimicus, accepto pretio dictum Dominum Papam de obsidione liberavit, & eum cum Cardinalibus liberum ad terram maritimam duxit. Deinde Dominus Papa cum omnibus suis, cum Galeis Januensium Januam venit, & eum Januenses honorifice receperunt. Ibi quinque Cardinales captivos, duobus relaxatis, occultè interfici fecit. Ibidem per annum & ultra remansit. Demum dictus Dominus Lucam venit, & ibi mensibus sex stetit, & deinde Perusium ivit, & aliquibus mensibus stetit. Postmodum fingens se ire Romam, versus Campaniam ivit, volens iterum ire Neapolim. Et dum esset in Ferentino, pro saniori consilio Romam petiit, ubi à Romanis honorifice susceptus est; nec ultra inde recessit. Romani, qui per Banderenses regebantur, sibi sæpe molesti & infesti erant, & pluries iverunt ad Palatium armati, ut eum caperent; sed majestate territi abstinuerunt. Tempore ejusdem Papæ Dominus Carolus Rex Neapolitanus vocatus à Baronibus Hungariæ, contra voluntatem Reginæ antiquæ Hungariæ, Hungariam petiit, & ibi coronam Regni accepit. Post paucos verò dies conspiratione antedictæ Reginæ, Comitum, & aliorum plurium, per quemdam Hungarium in publico parlamento ense in capite vulneratus est, nec fuit vulnus ad mortem; sed ductus ad quamdam Turrim sive locum fortem sub simulatione liberationis, post aliquos dies veneno exstinctus est, & insepultus remansit, quia adhuc excommunicatus erat per dictum Dominum Urbanum Papam; & in Ecclesia, & in capsa aliqua positus est, ut ab omnibus publice videretur. Obedientes fuerunt Domino Papæ Urbano Italia, Alamannia, Anglia, Hungaria, Boëmia, Polonia, Sicilia, & Portugallia. Fuerunt Schismatici cum Antipapa Francia, Hispania, Aragonia, & Rex Castellæ. De mense Octobris idem Dominus Papa Urbanus vitâ est functus, & sepultus in Basilica Sancti Petri in Conca marmorea, quæ post ejus obitum constructa est per Dominum Martinum Brochanum consanguineum, Cardinalem & Camerarium ejusdem Papæ Urbani.

IN

IN OPUSCULUM DE CREATIONE
URBANI VI. PAPÆ
MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

*T*Eterrimum Ecclesiæ Occidentalis Schisma, quo nullum gravius, nullum diuturnius Sedem Apostolicam, & Christiana Occidentis Regna afflixit, tot habet Scriptores, tot monumenta, ut ad plures Tomos eorum collectio assurgere posset. Ego unum Opusculum adfero, quod Vaticanæ Bibliothecæ acceptum refero. Fragmentum est complurium Attestationum illarum, quas Urbanus VI. Papa congessit ad firmandam legitimitatem electionis suæ. Nimirum heic* Thomas de Acerno Episcopus Luceriensis, *præmisso jurejurando testatur; legitime electum fuisse Urbanum, rationesque suæ sententiæ addit, simulque multa adfert ad eorum temporum Historiam illustrandam. Ignotum non fuit Opusculum hoc Stephano Baluzio, qui ex eo lacinias transtulit in Notas ad Paparum Avinionensium Vitas. Auctorem is appellat* Thomam de Acervo, *sed scribendo* de Acerno, *uti & agnovit Ughellius in Episcoporum Luceriensium catalogo, qui & à me suspicionem amovit, ne* de Acerro *germanum illius cognomen fuerit. Opportuna erunt hæc pauca ad dignoscenda primordia Pontificatus Urbani VI. & Schismatis à Roberto Gebennensi, sive Clemente VII. conflati.*

Ex MSto Codice Vaticano.

DE CREATIONE URBANI VI.
ET
CREATIONE DOMINI GEBENNENSIS IN ANTIPAPAM,

Auctore Thoma de Acerno Episcopo Lucerienſi.

A ITem Reverendus Pater Dominus Thomas de Acerno Decretorum Doctor, Episcopus Lucerinus, qui fuit in Curia Romana ante tempus & tempore creationis Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Urbani Papæ Sexti familiaris, & protector negotiorum & causarum Regni Neapolitani, examinatus per nos & juratus super animam suam dixit: Quod mortuo sanctæ memoriæ Domino Gregorio, fuit fama in Urbe, & communis opinio, quod ex divino miraculo ipse Dominus Gregorius venerat Romam, & demum ibidem mortuus fuerat, quoniam contra voluntatem omnium Cardinalium, & contra infinitas preces ipsorum Cardinalium, sive Regis Franciæ & fratrum ipsius Regis, necnon contra voluntatem & lacrymabiles preces proprii sui patris, & fratrum suorum, & omnium consanguineorum & familiarium suorum recessit de Avinione, & navigavit per Mare tempore hyemali cum maximis periculis & multorum naufragio; & cum maxima devotione venit Romam cum animo & intentione ibi standi & pacificandi Statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et quum stetisset ibidem quasi per annos duos, & modicum circa pacificationem Ecclesiæ facere potuisset, Cardinales ultramontani, qui non libenter stabant in istis partibus Italiæ, & aliqui sui consanguinei & familiares induxerant eum per multas suggestiones, suasiones, & preces occultas, quod rediret Avinionem; & ipse devictus precibus & suasionibus prædictorum, promisit eis, quod veniente tempore Paschali iret cum eis Anagniam, & deinde in æstate cum auxilio Reginæ volebat ire ad Civitatem Neapolim, & ibi intrare mare, & ire versus Provinciam & Avinionem. Quo concepto & deliberato, Romæ cœpit infirmari, & ægrotare ægritudine mortali; & tamdem, sicut Domino placuit, obiit Romæ. Quo mortuo & sepulto, Romani credentes hoc totum ex voluntate divina, & miraculose contigisse, ordinarunt quosdam discretos eorum Nuntios & Ambasciatores, qui supplicarent Dominis Cardinalibus, quod ipsi Domini Cardinales adverterent & ponderarent, quomodo quoniam tota Italia erat in rebellionibus contra Sanctam Matrem Ecclesiam, B & maxime Florentini, Perusini, Bononienses, Viterbienses, & breviter omnes de Terris subjectis Ecclesiæ, unde sola Roma erat in fidelitate & obedientia in istis partibus; ex quibus rebellionibus insurgebant maxima scandala, schismata, & pericula infinita, ex quibus non videbatur posse obviari de facili per Ultramontanos, ex quorum regimine & actibus mala ipsa processerant; scilicet sperabant illa posse extingui & mitigari, si assumeretur aliquis Romanus vel Italianus in Romanum Pontificem. Unde diversis vicibus per humiles & discretos Ambasciatores supplicarunt C Dominis Cardinalibus, quod ipsi inclinarent mentes eorum ad aliquem valentem & sufficientem virum Romanum, vel Italicum, quem eligerent in Romanum Pontificem; & suadebant supplicationes & preces eorum super divino miraculo, dicentes, quod Dominus Gregorius venit Romam contra voluntatem omnium supradictorum, ut supra dictum est; & demum quia volebat relinquere Sanctam Urbem, ubi est Sedes propria Romani Pontificis, Deus non permisit ipsum recedere, immo providens vocavit eum ad se, & fecit vacare Sedem D Apostolicam Romæ, ut ibi eligeretur homo, qui in ipsa Sede personaliter resideret. Et super hoc multa bona & sancta verba dixerunt ipsi Romani Dominis Cardinalibus in Sancta Maria de Nova, ubi fiebant exsequiæ Domini Gregorii per novenam, ut est moris. Et demum

mum in Sancto Spiritu, ubi Cardinales una dierum fuerunt congregati ad audiendum supplicationes & preces Romanorum; & utrobique intus fuit ipse Thomas. Quibus supplicationibus auditis, multi de Dominis Cardinalibus dicebant intra se, & cum eorum domesticis & amicis, quod justa & bona erat petitio Romanorum, & apparebat eis, quod aliter non poterant mitigari & extingui tot rebelliones, & scandala, quæ erant in Italia contra Romanam Ecclesiam. Et quia ipse Thomas Episcopus Lucerinus erat multum notus & domesticus Dominis Cardinalibus, omni die bis visitabat singulariter eos ex parte Dominæ suæ Reginæ in illis diebus vacationis Papatus, præsentando eis literas Reginales consolatorias super obitu Domini Gregorii, & offerendo eis ex parte Dominæ Reginæ auxilium, consilium & favorem. Ipsi Domini Cardinales communicabant ipsi Thomæ Episcopo Lucerino ambasciatas Romanorum, & multa alia, & non negabant, quod Romani juste petebant, licèt appareret eis non multum gratum eligere Papam hic in Italia.

Item quum ipsi Domini Cardinales fecissent demissa consilia, tempore vacationis Papatus Domini Gregorii super eligendo Romano Pontifice, Romano, vel Italico, nominaverunt in illis consiliis multos & diversos Prælatos Romanos, & Italicos, inter quos principalius nominaverunt Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, qui tunc regebat Cancellariam; & tam processerunt ad ipsius nominationem, quod unus illorum Cardinalium, scilicet Glandatensis, dixit secrete ipsi Thomæ in Sancta Maria: *Domine Thoma, dicas secretissime Domino Archiepiscopo Barensi, quod ista nocte veniat ad me, quia habeo sibi aliqua bona loqui*. Qui Thomas dixit hoc Domino Barensi, & de sero sociavit eum ad dictum Cardinalem, qui Cardinalis fuit cum eo secrete loquutus; & præsumsit ipse Thomas, quod aliqui revelaverint ipsi Cardinali Domino Barensi de his, quæ agebant in consiliis super assumendo Romano Pontifice. Item ipsi Domini Cardinales fecerunt ante ingressum Conclavis demissas inter se sectas, & quilibet aspirabat ad Papatum; & quia secundùm affectiones mundanas quilibet cogitabat pro se vel pro sibi adhærente, nulla secta eorum erat sufficiens & major numero, qui suf fecisset ad electionem Romani Pontificis, secta Lemovicensium cœpit eligere dictum Dominum Archiepiscopum Barensem: quod & fecit, prout dicetur inferiùs. Alii verò videntes, quod ipsi Lemovicenses elegerunt bonum virum, & omnibus notum, sicuti fuerit eis, elegerunt eum per modum, qui infra dicetur. Item infra dies novenæ, & exsequias Domini Gregorii, Dominus Petrus Archiepiscopus Arelatensis Camerarius ipse intravit Castrum Sancti Angeli, in quo citra mortem Domini Gregorii omnia jocalia & mobilia Papatus introduxerat & salvaverat, & dictum Castrum cœpit foras munire, & custodire, & .... Et quia dicebatur per multos in secreto, quod ipse Camerarius, & Cardinalis Sancti Eustachii arma Britonum & Vasconum, quæ erant in Patrimonio, quærere, & misisse pro Societate ipsorum Britonum & Vasconum, ut venirent, & intrarent Burgum Sancti Petri, qui alio nomine vocatur Portica; immo ultra hoc dicebatur à multis, quod Britones & Vascones, audita morte Domini Gregorii, qui tenebatur eis ad maximas summas pecuniarum, volebant venire, & invadere Palatium Sancti Petri, & ipsos Cardinales, & etiam Romanos, & facere sibi per vim & potentiam satisfieri de dictis summis pecuniarum: Romani hoc sentientes, ne dicti Britones & Vascones, qui reputabantur & reputantur mali homines, ad Urbem accederent, vel ad dictum Burgum Sancti Petri, fuerunt locuti cum Cardinalibus, & dixerunt eis, quod non erat bonum, quod Britones venirent in Urbem, quia poterat inter eos, & Romanos nasci grande ac grave scandalum & damnum, & assignabant multas caussas & rationes. Cardinales hoc audientes acceperunt illud, quod Romani dicebant; unde dicebant, quod ipsi volebant scribere Britonibus, & Vasconibus, quod nullo modo venirent in Urbem sine beneplacito Romanorum; & rogarunt Romanos, quod ipsi Romani deputarent bonas custodias in Burgo Sancti Petri, tam pro cautela Palatii Apostolici & ipsorum Cardinalium & Romanorum eorum, quàm pro tutela ipsius Burgi Sancti Petri. Quare Romani deputarunt multos armatos de Urbe, & miserunt in Tibur, Velletrum, & ad alias Terras subditas & vicinas Urbis pro multis hominibus, & omnes deputarunt in dicta custodia Palatii Cardinalium Burgi, & omnium Curialium. Et insuper deputarunt Romani octo Officiales pro justitia rigorosa ministranda contra omnes, qui fecissent Cardinalibus, vel aliis Curialibus aliquam violentiam vel gravamen. Et ut quilibet staret tutus & pacificus si non amore virtutis, saltem formidine rigorosæ pœnæ, posuerunt super unam columnam marmoream in medio Plateæ Sancti Petri cippum, & mannariam, seu bipennem acutissimam, & fecerunt omni die bis vel ter præconizari fortiter, quod si quisquam præsumeret aliquid violentum vel injuriosum facere cuicumque Curiali, vel aliis quibuscumque, statim deberet decapitari sine aliqua tarditate. Quod bene servatum fuit. Et ad istum finem, scilicet custodiæ, fuerunt deputati tot armati in Burgo & Platea Sancti Petri, & ad resistendum Britonibus, si venissent, ut dicebatur; nec fuit Romæ pulsata aliqua campana ad arma, ut adversarii Domini Papæ dicunt; & dicti armati fuerunt deputati in dicto loco, & pro dicta custodia per multos dies ante ingressum Cardinalium ad Conclave; & steterunt ibidem usque ad diem electionis inclusive usque ad sero, & non ultra; nec fecerunt aliquam offensionem Dominis Cardinalibus, ut fingitur per adversarios Fidei, & dicti Domini nostri Papæ, licèt interdum aliqui Romani more eorum, qui in omni eorum congregatione clamant, & alte loquuntur, dixerunt *Romano lo volemo*: quod quare, & quando dixerunt, dicetur inferius in suo loco. Et omnibus istis interfuit dictus Thomas bis & ter in die, immo quasi semper erat ibi de die.

Item adveniente die ingrediendi Conclave, quæ fuit dies Jovis septimanæ de Passione, Domini Cardinales voluntarie, secrete, pure, & libere intraverunt Conclave, in quo secundùm morem muniverunt se omnibus necessariis pro mensibus, nedum pro diebus. Et fuerunt honorati, & sociati usque intus in Conclave tam à Romanis, quàm ab aliis Curialibus; & quum fuerunt intus, quilibet juxta morem recepit societatem; & intrantes ad osculum pacis (in quo osculo quilibet osculatus

latus supplicabat Domino Cardinali osculanti, quod haberet recommendatam Sanctam Matrem Ecclesiam circa electionem boni hominis in Romanum Pontificem assumendum) & intrarunt Domini Cardinales Conclave in hora vesperarum. Quo facto, omnes tam Romani, quàm alii fuerunt expulsi de Conclave, & de Palatio Apostolico, & fuit clausum Conclave super Dominos Cardinales per Dominum Guillermum Episcopum Marsiliensem, quem ipsi Cardinales, & Camerarius Papæ, qui erat in Castello Sancti Angeli, deputaverunt Custodem Palatii & Conclavis. Fuit etiam clausum Palatium totum; & isto die, & nocte sequenti Romani, & alii Contatini festabant læti per tabernas, & per plateas Sancti Petri, & laudabant, & chorizabant, & nihil mali in toto Mundo fecerunt alicui: quod fuit mirum in tanta hominum multitudine posse servari. Et hæc omnia ipse Thomas vidit, interfuit, & audivit.

Facto autem mane, die sequenti Domini Cardinales ante omnia celebrarunt Missam de Spiritu Sancto, ut est moris, & aliam de Feria, quæ tunc occurrebat; quibus celebratis sederunt & incœperunt procedere ad electionem Romani Pontificis, hoc modo, prout ipse Thomas Episcopus Lucerinus dixit se habuisse a Domino Glandacensi, & a quibusdam de Dominis Cardinalibus post factum. Cardinalis Florentinus, qui erat primus Episcopus Cardinalis, præmissis aliquibus verbis: *Ego eligo & assumo in Papam Dominum Cardinalem Sancti Petri*. Cardinalis Lemovicensis, qui erat secundus Episcopus Cardinalis, dixit hæc verba: *Dominus Cardinalis Sancti Petri non potest esse Papa, quia est de Terra rebelli Ecclesiæ, & infirmus. Item Dominus . . . . . quia est Romanus, & nos non intendimus eligere Romanum. Item Dominus . . . . . non potest esse Papa, quia est de Terra rebelli Ecclesiæ, scilicet de Florentia. Item Dominus Mediolanensis non potest esse Papa, quia est de Terra Tirannorum & inimicorum Ecclesiæ. Item Dominus Jacobus de Ursinis non potest esse Papa, quia est nimis juvenis, & est Romanus, & nos non intendimus eligere Romanum; sed ego eligo & assumo Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem in Papam*. Cardinalis Glandacensis, Dominus de Agrifolio, Dominus Gebennensis, Dominus Mediolanensis, & omnes alii Presbyteri Cardinales secuti fuerunt seriatim Dominum Lemovicensem, & elegerunt in Papam Dominum Bartholomæum prædictum. Quum venit electio seu vox ad Diaconos Cardinales, Cardinalis de Ursinis dixit: *Ego hodie non eligam Papam*. Cardinalis Sancti Eustachii dixit: *Ego eligo & assumo illum, in quem plures ex vobis convenerunt*. Dominus de Alumno elegit eum, sicut Dominus Lemovicensis & sequaces. Dominus Sancti Angeli, & Dominus de Luna etiam elegerunt eum pure. Et sic omnes elegerunt eum, duobus exceptis, Domino Jacobo de Ursinis, qui noluit eligere, & Domino Florentino, qui elegerat Dominum Sancti Petri. Hoc facto iverunt ad Conclave quilibet ad locum suum, seu cellam suam, & dixerunt Horas suas, & deinde comederunt ad secanium. Item Romani desiderantes habere Papam clamabant extra Palatium per claustra & plateam repetitis vocibus *Papa Papa volemo*. Sed multi consanguinei & sequaces Cardinalis de Ursinis, qui aspirabat occulte fortiter ad Papatum, & multi consanguinei Abbatis Casinensis, qui est Romanus, & etiam aspirabat ad Papatum, clamabant *Romano Romano lo volemo*, & inducebant multos ad sic clamandum *Romano Romano lo volemo*. Erant tamen sic clamantes extra Palatium, nec poterant intrare, nec volebant nec tentabant intrare. Demum Cardinales iterum intraverunt Capellam ad determinandum, quid ulterius deberent agere, unde iterato processerunt ad electionem. Et quia Dominus Florentinus vidit, quod Dominus Barensis erat electus quasi ab omnibus, & sic de jure erat Papa, incœpit dicere. *Ego eligo, & assumo in Papam Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem*. Dominus Lemovicensis, & omnes alii Cardinales, etiam Dominus Sancti Eustachii elegerunt eum pure & libere, excepto Cardinali de Ursinis, qui etiam dixit, quod non volebat eligere Papam: quod creditur fecisse ex invidia & dolore, quia non erat electus ipse, qui aspirabat ad Papatum. Unde Dominus Barensis fuit iterum electus ab omnibus, uno excepto, scilicet Domino Jacobo de Ursinis. Factâ autem electione primò & secundò de Domino Barense, Domini Cardinales timentes, ne Romani, qui clamabant *Romano, Romano lo volemo*, turbarentur de tali electo, volentes occultare ipsam electionem pro tunc, Romanis miserunt pro certis Prælatis existentibus in Urbe, scilicet pro Domino Agabito de Columna tunc Episcopo Ulixbonense, pro Abbate Casinense, & quibusdam aliis, ut venirent ad Palatium Apostolicum; & Episcopus Marsiliensis, qui erat Custos Conclavis & Palatii, intromisit eos ad Palatium; & quia causâ veniendi citò ex vocatione prædicta non comederant ad jejunium, ipse dedit omnibus illis comedere & bibere cum læta facie. Interea Romani sitibundi & sitientes, volentes bibere de bono vino Papali, aperuerunt cellarium Domini Papæ, in quo erant vina Græca, Garnacia, Malvasia, & diversa alia vina bona, & omnes biberunt usque ad satietatem; & postquam fuerunt bene potati & læti, incœperunt clamare, sicut habent de more, *Papa, Papa, Papa volemo*. Alii dicebant *Romano, Romano lo volemo*. Cardinalis de Ursinis hoc audiens dixit eis per unam fenestram Capellæ: *tacete, quia habetis Papam*. Tunc illi læti cœperunt clamare: *quis est Papa factus? quis est Papa?* & tunc dixit eis: *Vaditis ad Sanctum Petrum*. Tunc illi intellexerunt, quod esset factus Papa Dominus Sancti Petri, & sic fuit rumor & novitas in Populo, quod Dominus Sancti Petri esset factus Papa; propter quæ multi Romani iverunt ad ejus domum, & substulerunt inde omnia mobilia usque ad vegetes vini inclusive, & tota Roma fuit plena, quod Dominus Sancti Petri erat Papa. Appropinquante autem horâ quasi Vesperarum, quum ipsi Domini Cardinales tractarent præsentare electionem Domino Archiepiscopo Barensi electo ab eis in Papam, pervenit ad eos per Dominum Marsiliensem, quod tota Roma, & omnes Romani credebant Dominum Sancti Petri esse electum in Papam: de quo Romani læti, & desiderantes videre novum Papam, quia totum Palatium erat undique clausum, & non erat, qui aperiret eis, incœperunt disfabricare Portam Palatii, quæ fuerat noviter fabricata propter Conclave. Unde Cardinales sentientes hoc timuerunt, ne Romani turbarentur contra eos, si non inveniebant Dominum Sancti Petri fore Papam. Quare aliqui dixerunt Domino Sancti Petri:

Salva te & nos, & dicamus Romanis, quod tu es Papa, donec cesset rumor, & clamor eorum. Unde quum esset Porta disfabricata, incœperunt Romani intrare dicentes: *ubi est Papa?* Aliqui ex Dominis Cardinalibus dixerunt eis: *Dominus Sancti Petri est Papa*. Romani hoc audientes, crediderunt hoc esse verum, & adoraverunt Dominum Sancti Petri pro Papa; qui dicebat eis. *Ego nolo esse Papa; ego non sum Papa; habetis alium Papam*. Sed tanta erat lætitia & pressura hominum Romanorum, & aliorum etiam, quod Romani non bene intelligebant, quod dicebat Dominus Sancti Petri; & illi, qui intelligebant, credebant, quod hoc diceret ex humilitate.

Interea dum Dominus Sancti Petri sic adoraretur in Capella parva Palatii cum magna pressura adorantium & intrantium, alii Domini Cardinales exiverunt extra Palatium. Aliqui exiverunt per Portam Palatii publicam, quam jam Romani disfabricaverant, aliqui per cameras Capellanorum Papæ super Capella magna Domini Papæ, & iverunt ad domos eorum, & deinde quo voluerunt, ut infra dicetur. Et quum fuerunt extra Palatium, tam in via, quàm in domibus eorum, statim dixerunt ipsi Cardinales illis, de quibus confidebant: *Nos elegimus in Papam Dominum Barensem, & ipse est Papa*. Et ita dixerunt ipsi Thomæ, quod scriberet statim Dominæ Reginæ, qui ita scripsit, & totus fatigatus remansit in Palatio in camera Papali. Et quia Dominus Barensis erat ibi ex illa vocatione Prælatorum, de qua supra dictum est, remansit in Palatio, scilicet cum Domino Sancti Petri, & quibusdam aliis Prælatis, & ipse Thomas Episcopus Lucerinus stetit cum eo in societate sua ibidem. Qui Dominus Barensis electus libenter exivisset Palatium, & fugisset, dubitans de Romanis; & ipse Thomas & alii dixerunt, quod tutius esset ei pro tunc stare ibi in secreta camera Papali, ubi stabat, quàm fugere. In ipsa nocte aliqui de Dominis Cardinalibus fugerunt de Urbe, timentes, ne Romani facerent eis malum, pro eo quod deceperant eos, dicendo, quod Dominus Sancti Petri erat Papa: quod fuit falsum. Unde Cardinales Ursinus, & Sancti Eustachii in media nocte equitarunt, & iverunt ad Castrum fortissimum ipsius Cardinalis de Ursinis, quod vocatur Vicovarium. Cardinalis Gebennensis fugit ad Castrum Zagaroli, quod est Domini Agabiti de Columna intimi sui amici. Dominus Cardinalis Lemovicensis, Dominus de Agrifolio, Dominus Pictavensis, Dominus Vivariensis, Dominus de Britannia, & Dominus de Alumno fugerunt ad Castrum Sancti Angeli, quod tenebatur per Camerarium Papæ fratrem dicti Domini Lemovicensis. Cardinalis Sancti Angeli fugit ad Castrum Guardiæ, quod est Monasterii Sancti Pauli...... scilicet Cardinalis Florentinus, Cardinalis Glandacensis, Cardinalis Mediolanensis, Cardinalis Monasterii Majoris, & Cardinalis de Luna steterunt in eorum domibus. Et hæc fuerunt notoria hìc in Urbe, prout in tota Patria Romana.

Mane autem facto Dominus Barensis electus in Papam misit Dominum Thomam ad videndum, quid erat de Dominis Cardinalibus, & quid diceretur in Urbe. Qui ivit, & invenit, quod nullus erat rumor. Nam Romani credentes habere Papam Dominum Sancti Petri, quem primò adoraverunt, non curarunt ulterius, immo quilibet procuravit facere factum

A sua, & artem suam. Unde ipse Thomas ivit ad Dominum Florentinum, qui cum maximo gaudio amplexatus & osculatus est eumdem Thomam, dicens: *Habemus Papam Dominum Barensem*, & statim subjunxit: *scitur ubi est?* Dictus Thomas dixit: *Est in Palatio cum Domino Sancti Petri*. Tunc Dominus Florentinus dixit: *ego volo ire ad eum, & volo vivere & mori cum eo, quia Dominus noster est: ipse est Papa*. Quo dicto habuit consilium cum ipso Thoma, quid boni posset fieri; & habito consilio misit unum suum secretum familiarem ad Officiales seu Romanos de Capitolio, qui erant ei satis noti & amici, ac fecit eos rogari, quod duo eorum venirent ad eum: quod

B illi reverenter fecerunt. Scilicet miserunt duos ex eis, quibus Dominus Florentinus dixit: *Ego volo vobis dicere, quod quasi omnes Domini mei Cardinales fugerunt, pro eo quod non elegerunt Romanum, immo elegerunt Dominum Archiepiscopum Barensem*. Et consuluit eis, quod erat honestum, sanctum, & justum, immo debitum, quòd ipsi Romani reciperent & acceptarent illum in Dominum, & in Papam, quem Domini Cardinales inspirati à Deo elegerant concorditer. Qui duo Officiales auditis verbis Domini Florentini, iverunt ad alios Officiales, & retulerunt eis verba Domini Florentini, super quibus habuerunt consilium. Quo habito responderunt Domino Florentino,

C quod ipsi volebant obedire cuicumque, qui esset factus Papa, ex quo factus erat, quamvis factus contra desiderium Romanorum. Qua bonâ responsione habitâ, Dominus Florentinus fuit summe lætus; & statim equitavit ad Palatium, ubi invenit Dominum Barensem, quem amplexatus & osculatus fuit cum maximo gaudio, & dixit sibi in secreto, quomodo eum elegerant in Papam. Et quia in Palatio nihil erat ad comedendum, quia Romani totum comederant, ipse Dominus Florentinus fecit portari de domo sua totum prandium. Interim ante prandium venit Dominus Cardinalis Glandacensis, Dominus Mediolanensis, Dominus Majoris Monasterii, &

D Dominus de Luna sine aliqua requisitione ad Dominum Barensem electum, & omnes amplexati & osculati fuerunt Dominum Barensem cum maximo gaudio; & omnes ipsi Cardinales comederunt cum Domino Barense electo in una Mensa, qui nondum acceptaverat electionem. Interim venerunt Officiales Urbis, & reverenter acceptarunt Dominum Barensem electum, & dixerunt, quod ex quo Cardinales inspirati à Deo, ut credebant, elegerant eum, ipsi volebant eum in Dominum & in Papam; & dixerunt, quod omnes Cardinales venirent, & facerent quidquid fieri restabat circa inthronizationem & coronationem ipsius Domini Barensis electi. Tunc Dominus Flo-

E rentinus & prædicti Cardinales miserunt ad illos Cardinales, qui erant in Castro Sancti Angeli, scilicet ad Lemovicensem, Dominum de Agrifolio, Dominum Pictavensem, Dominum Britannum, Dominum Vicecamerarium, & alios, quod venirent ad Palatium, & omnes simul induerent & inthronizarent Dominum Barensem, ut erat moris. Qui Cardinales dubitantes exire Castrum, commiserunt per scripturam, propriis eorum subscriptionibus roboratam, vices eorum Dominis prædictis, scilicet Florentino, Glandacensi, Mediolanensi, Majoris Monasterii, & de Luna, ut induerent eum, & inthronizarent. Dicti autem Cardinales

A nales iterùm miserùnt ad eos ad Castrum Sancti Angeli, quod venirent ipsi personaliter, quia nullum periculum erat ulteriùs. Et erat bonum, quod omnes, qui erant præsentes hìc in Urbe, induerent & inthronizarent Dominum nostrum. Qui Cardinales venerunt de Castro Sancti Angeli ad Palatium, & omnes requisiverunt Dominum Barensem, quod acceptaret electionem suam; & dixerunt particulariter sibi, quomodo erat concorditer electus, antequam Romani clamassent. Quo audito Dominus noster acceptavit, & ipsi cum maxima devotione & reverentia, & sine aliquo rumore induerunt eum, & portaverunt ad Capellam cum *Te Deum laudamus*, & inthroni-

B zarunt eum secure & libere, ac si fuissent Avenione, vel in quacumque alia libera & pacifica Civitate Mundi.

Item postquam inthronizaverunt eum, adoraverunt eum tamquam verum Papam, & osculati fuerunt; & deinde tam in Missis, scilicet in die Palmarum, & aliis diebus Septimanæ Sanctæ, sociarunt eum, & astiterunt ei tamquam vero Papæ; & infra illos dies tractarunt de coronatione sua facienda. Interim antequam coronaretur, venerunt sponte alii Cardinales, qui fugerant, scilicet Cardinalis Sancti Eustachii, Cardinalis de Ursinis, Cardinalis Gebennensis, & Cardinalis Sancti Angeli. Et die Dominico Resurrectionis coronarunt

C eum sponte, pure, secure, & libere, in alto thalamo, pro hoc facto supra gradus scalarum Sancti Petri, ubi videntibus hominibus omnium nationum Christianarum, Cardinalis de Ursinis imposuit Domino nostro Coronam in capite, omnibus aliis Dominis Cardinalibus assistentibus sibi. Et deinde Dominus noster sic coronatus, cum omnibus Cardinalibus & Prælatis in Pontificalibus, & cum aliis Officialibus Romanæ Curiæ, equitarunt per Urbem ad Basilicam Salvatoris Lateranensem, ubi fecerunt sibi Papalem reverentiam, & petierunt per eum absolvi à culpa & pœna, ut est moris peti per Cardinales à novo Papa; & Dominus noster absolvit eos.

D Item ante dictam Coronationem Camerarius Papæ, scito à Domino Lemovicense fratre suo, & ab aliis Dominis Cardinalibus, qui fuerunt secum in Castro Sancti Angeli post electionem, quod elegerant dictum Dominum Barensem, ipse Dominus Camerarius exivit dictum Castrum, & venit ad Dominum nostrum, & fecit portari Domino nostro omnia bona Papatus, & omnia jocalia, vasa aurea & argentea, quæ salvaverat in dicto Castro. Et quando primò venit ad Dominum nostrum Papam, Cardinalis Lemovicensis frater ipsius Camerarii supplicavit Domino nostro, quod haberet eum recommendatum; & Dominus noster respondit sibi, quod vellet eum habere recommendatum sic & quantum ipse Cardina-

E lis ejus frater haberet. Item Cardinalis Gebennensis & alii donarunt Domino nostro sponte pulcros & pretiosos anulos, tamquam vero Christi Vicario, & eorum Domino. Item à die inthronizationis usque ad menses & menses omni die ipsi Cardinales venerunt ad dominum nostrum mane & sero sponte, sicut ad eorum Dominum. Item fecerunt cum eo provisiones, promotiones, & translationes Prælatorum.

Item ipsi Cardinales proprio eorum motu, & sine aliquo scitu Domini nostri scripserunt per Orbem magnis Dominis eorum amicis, & Regibus, & Principibus Mundi, quomodo mortuo Domino Gregorio, ipsi elegerunt in Papam, sanctum & honestum virum Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, & de istis literis vidit ipse Thomas.

Item multi ex ipsis Dominis Cardinalibus, maxime Lemovicensis, dixerunt ipsi Thomæ familiari Reginæ, quod una de contemplationibus, quas habuerunt ad eligendum Dominum Barensem in Papam, fuit ad complacendum Dominæ Reginæ, cujus erat subditus. Quare Domina Regina erat magna eorum defensatrix & benefactrix.

Item obtinuerunt promoveri suos consanguineos & amicos. Item Dominus Glandacensis obtinuit se promoveri ad Episcopatum Ostiensem, qui factus Episcopus Ostiensis tenuit Ordines Clericorum, & visitavit Episcopatum & diœcesim, exercendo Episcopalia tamquam verus Episcopus Ostiensis. Item Dominus Lemovicensis & alii Cardinales, qui fecerant libratas vestium familiaribus, donarunt rubras, seu libratas eorum Andreæ & Pisano familiaribus Domini nostri Papæ.

Item aliqui ex ipsis Cardinalibus, postquam fuerunt Anagniæ, impetrarunt Beneficia à Domino nostro pro se, Domino nostro stante Tibure. Item Dominus Lemovicensis Summus Pœnitentiarius per menses, septimanas, & dies concessit, quando erat Anagniæ, semper literas Pœnitentiariæ sub Pontificatu Domini nostri Urbani VI. & ejus nomine Pœnitentiariam rexit. Item aliqui de ipsis Cardinalibus conquerebantur secrete de Domino nostro cum ipso Thoma, dicentes: *Nos elegimus eum in Papam, & ipse pessime tractat nos*; & dicebant multa particularia, in quibus eos male tractabat. Item Cardinalis Glandacensis conquerebatur fortiter ipsi Thomæ sibi multum domestico, dicendo: *Domine Thoma, dixi vobis sæpe, quod ego fui unus de illis, qui tractavimus, ut eligeremus eum in Papam; & ipse non vult dare unum Beneficium Nepoti meo.* Item Cardinalis Sancti Eustachii post coronationem Domini nostri, cum ipse Thomas haberet ire usque Neapolim ad Dominam suam Reginam, ipse secrete rogavit & adstrinxit ipsum Thomam, quod rogaret & supplicaret eidem Dominæ Reginæ, quod scriberet Domino nostro, quod haberet eum carum, sicut Dominus Gregorius habuerat eum; & ipse intendebat fortissime servire Dominæ Reginæ; & scriberet eidem Domino nostro, quod dignaretur promovere fratrem suum ad Ecclesiam Marsiliensem. Item multa alia fecerunt ipsi Domini Cardinales, & dixerunt, & scripserunt de Domino nostro, per quæ patet, eum fuisse & esse verum Papam, quæ vix caperet pergamenum.

Restat dicendum, quare Cardinales diverterunt à Domino Papa, quem concorditer elegerant, & recesserunt ab eo, & tamdem elegerunt Dominum Gebennensem in Antipapam. Et caussæ fuerunt principaliores hæ, quæ hìc sequuntur, ex quibus incœperunt eum odere, & concepto odio diverterunt ab eo. Prima fuit, quoniam ipse Dominus noster Papa post coronationem suam constituit, voluit, & mandavit expresse, quod nec in Palatio suo, nec in domibus Cardinalium provaretur ultra unum ferculum; & mandavit omnino observari; & cœpit ipse sic facere etiam in suis conviviis, in quibus convivavit dictos Dominos Cardinales: de quo scandalizati fuerunt nimiùm Domini Cardinales. Secunda fuit,

fuit, quia mandavit sub pœna excommunicationis, quod nullus in Curia Romana reciperet exenia, vel committeret simoniam, & voluit, & dixit expresse, quod talis excommunicatio comprehenderet etiam Cardinales : de quo fuerunt Domini Cardinales multùm turbati, & scandalizati, quum videretur eis non posse commode evitare dictam excommunicationem. Tertia fuit, quia quum uno dierum Romani supplicassent Domino nostro de aliquibus gratiis, & aliis, quæ faciebant ad reformationem ac bonum statum Sanctæ Matris Ecclesiæ, & almæ Urbis, supplicarunt, quod ipse Dominus noster faceret Cardinales, sicut alii Romani Pontifices de novo creati facere consueverunt. Dominus noster ad istam supplicationem factam in præsentia Domini Gebennensis, Lemovicensis, & quorumdam aliorum Cardinalium Ultramontanorum respondit Romanis, quod ipse intendebat facere Cardinales de Romanis, & Italicis; & quod volebat facere tot, quod essent totidem vel plures, quàm erant Ultramontani : de quo ipsi Cardinales Ultramontani fuerunt immense turbati & scandalizati. Immo vidit ipse Thomas tunc Dominum Gebennensem, qui erat citra latus Domini nostri, adeo mutasse colorem in facie, quod totus palluit, & ita alii. Et statim post modicum momentum recesserunt de camera Domini nostri cum animo satis turbato. Quarta fuit, quia ipse Dominus noster, quando agebatur de eundo Anagniam, mandavit, quod pro hyeme futura omnes Cardinales facerent in æstate sibi provisiones Romæ, quia omnino intendebat morari Romæ : de quo Ultramontani fuerunt indignati usque ad mortem. In tantum hoc habuerunt molestum, quoniam ipsi etiam tempore Gregorii nolebant stare Romæ, scilicet affectabant ire Avinionem; & quando elegerunt Dominum nostrum, habuerunt spem, pro eo quod erat * nuntius cum eis, quod possent eum ducere secum, & secum ire Avinionem, sed nihil in hoc modo poterant apud eum, & parum in aliis. Quinta fuit, quod ipse Dominus noster tractabat dictos Cardinales aspere & rigorose, maxime in verbis, dicendo eis verba displicentia tam in consiliis, quam in aliis, scilicet: *non loqueris plus tu?* Item *nihil dicere*. Item *nihil est quod dicis?* Item *taceas tu*. Et Camerario suo etiam Archiepiscopo Arelatensi dicebat verba aspera & turbativa. Item Cardinali de Ursinis dixit, quod erat unus sotus. Hæc & similia verba dicebat Cardinalibus, & aliis etiam Prælatis, & bonis viris; & in tantum aspere loquebatur communiter omnibus, quod non potuisset patienter vel commode tolerari, nisi Deus ministrasset tolerantibus maximam humilitatem & patientiam infinitam. Et quia ipsi Cardinales erant magni viri, & consueverant tractari à Domino Gregorio satis clementer & benigne, & modò sic tractabantur, conceperunt magnum dolorem in cordibus eorum, & fuerunt multùm dedignati, & conquerebantur fortiter de hoc. Talis fuit Dominus noster post Coronationem suam asper & rigorosus : nescitur tamen, utrum ex divina voluntate, vel unde hoc processerat, quum ante creationem suam fuerit multùm humilis, amabilis, & benignus. Multi tamen dixerunt, & adhuc dicunt, quod hoc fuit ex divina voluntate, ut per talem hominem expellerentur infecti homines de Ecclesia sancta sua, & renovaretur tota, & plantaretur novis plantulis. Nam dictus Dominus noster cum toto hoc quod habebat tales asperos correctionis mores, & publicos, tamen erat, & est justissimus homo, sanctus, & honestissimus, ac devotus, & cum maxima devotione celebrabat, & celebrat omni die, quando est sanus, & in omnibus factis suis semper proponit Deum, & illum ante omnia quærit. Sexta caussa fuit, quia ipsi Cardinales fecerant provisiones pro tota æstate Anagniæ, uti Dominus Gregorius fieri fecerat ante mortem, quia, ut supra dictum est, dicebatur illuc accedere Dominus Gregorius, & deinde ire Neapolim. Et quum Cardinales unus post unum, & aliqui simul, ivissent Anagniam de licentia & beneplacito Domini nostri, & Dominus noster stans Romæ pro expeditione multorum, quæ ibi habebat pro

B tunc expedire, tardasset ire Anagniam : de consilio Comitis Nolani, Comitis Monopelli, & Domini Thomasii de Sancto Severino, & multorum aliorum Dominorum, qui erant cum ipso Domino nostro, qui non libenter ibant Anagniam, ivit ipse Dominus noster Tibur, & scripsit Cardinalibus, quod venirent illuc. Et primò volentes, licèt non libenter, venire illuc, miserunt aliquos de suis ad providendum & eligendum de libratis & habitationibus, in quibus debebant stare; & tum quia non videbàtur eis posse habere bona hospitia ibi Tibure, tum quia ibi Anagniæ

C habebant provisiones suas pro tota illa æstate, quæ provisiones, illis recedentibus inde, fuissent perditæ, & erant adeo extenuati & pauperes, quod non poterant ibi Tibure, ubi erat de omnibus carestia, vivere, nec reparare hospitia, & alia facere, quæ fiunt & reparantur in hospitiis, in quibus debent morari tanti Domini, sicut erant & sicut sunt Domini Cardinales, deliberaverunt ipsi Cardinales non venire Tibur, & cœperunt aperte turbari contra Dominum nostrum, dicentes, quod male regit & pessime. Et quia Anagniæ erat Comes Fundorum, qui debebat habere à Domino nostro viginti millia Florenorum, quæ mutuaverat Domino Gregorio prædecessori

D suo; & Dominus noster nolebat sibi dare, quia credebat, se non teneri de jure; quia non apparebat, quod mutuum fuisset conversivum ad commodum & utilitatem sanctæ Matris Ecclesiæ, seu Papatus. Et Dominus noster non plene confidens de ipso Comite, qui erat Rector seu Comes Campaniæ, privavit eum illo officio, & fecit Comitem Campaniæ Dominum Thomasium de Sancto Severino inimicum Comitis Fundorum: propter quod ipse Comes fuit graviter dedignatus contra Dominum nostrum, & cœpit facere rebellionem contra eum, & cœpit tentare fortalitia Castrorum Campaniæ pro se, seu pro illis viginti millibus Florenorum. Interim quia

E erat totus intimus illorum Cardinalium Ultramontanorum, fecit ligam cum eis, & conspirationes contra eumdem Dominum nostrum Papam, primò occultam. Et ipsi Cardinales cœperunt dicere, immo significarunt Domino nostro, quod si volebat, quod ipsi essent pro eo, volebant dari sibi unum coadjutorem, & quod ipse non bene regebat Ecclesiam Dei, nec eos; & quod ex iis, & multis aliis cœperunt scandalizari fortissime, & Dominus noster etiam ex alio latere : unde ortum fuit grave odium inter eos. Et quum cœpissent odere, Diabolus intravit corda eorum cum spiritu tentationis, unde assumserunt cervicem

cem male vertere. Et cognoscentes, quod perdiderunt . . . . . . quæ habuerant ultra montes, cœperunt facere occulte conspirationes contra Dominum Papam, & miserunt pro Societatibus Britannorum & Vasconum, volentes de facto per potentiam destruere Dominum nostrum Papam, ut iterum vacaret Papatus in manus eorum, quo vacante potuissent eligere unum ex eis, ut reducerent Papatum secum ultra montes; & licèt multa fecerunt super hoc, tamen Deus non permisit eis.

Quum autem dicti Britones & Vascones venissent per territorium Romanorum, & fecissent certas violentias in Ponte Salario, scilicet submergendo proditorie Custodes Pontis, unus de Custodibus fugit Romam, significans hoc Romanis. Romani exierunt usque ad Pontem illum, & quum loquerentur cum eis, quare interfecissent & submergissent Custodes Pontis Romanorum; & quum interrogarent eos; an ipsi, qui fuerant amici, venissent ut hostes velut amici: ipsi cœperunt in vadere Romanos, & interfecerunt quasi trecentos bonos Romanos, & captivarunt multos. Et deinde iverunt Anagniam ad dictos Cardinales, qui Cardinales receperunt eos intus Anagniam ad eorum stipendia, & solverunt eis de propriis eorum pecuniis, & bonis. Et postquam sic habuerunt Britones, & fuerunt fortes, ipsi miserunt Tibur ad Dominum nostrum significando, quod ipsi nolebant venire Tibur, vel Romam ad morandum cum eo. Sed Dominus noster intellecto odio ipsorum Cardinalium, quod conceperant contra eum, & intellecto dolore, quem habebant de administratione Papatus, dubitavit se ponere in forcia eorum ibi Anagniæ, ubi habebant secum Britones. Unde remansit Tibure cum Cardinalibus Italicis, scilicet Domino Florentino, Domino Sancti Petri, Domino Mediolanensi, & Domino de Ursinis, ubi fecerunt cum eo Consistoria publica & privata, & confirmarunt electionem filii Imperatoris electi ad Imperium, & fecerunt etiam pacem Florentinorum, & multa alia. Interim Dominus noster, & dicti Cardinales Italici scientes ex relationibus fide dignorum hominum, quod illi Cardinales Ultramontani volebant deviare à via & semita veritatis, & recedere ab unione & obedientia Domini nostri Papæ, cœperunt laborare, si potuissent illos perseverare in gratia & unione Domini nostri, seu reducere. Propter quod de licentia ipsius Domini nostri tres ex ipsis, scilicet Florentinus, Mediolanensis, & Dominus de Ursinis iverunt Anagniam ad illos, & ad alias Terras vicinas Anagniæ, & habuerunt cum illis Ultramontanis tractatum concordiæ & reductionis eorum; & si voluissent uniri Domino nostro, ipse Dominus noster volebat ire ad Civitatem Aquilanam. Et quia illi non potuerunt illos reducere, nec tractatus concordiæ potuit finiri, reversi fuerunt Tibur ad Dominum nostrum, & ibi ut prius fecerunt Consistoria publica & privata cum eo, & promotiones Prælatorum familiarium & amicorum ipsorum Cardinalium. Interim quia deviatio dictorum Ultramontanorum inducebat schismata, & gravia scandala & pericula in Dei Ecclesia, ipsi Cardinales per diversos Nuntios & Ambasciatores laborarunt pro dicto tractatu concordiæ; & illi Ultramontani etiam diversos Nuntios miserunt ad Italicos. Tamdem quia per Nuntios quasi nihil fieri poterat, denuo tres prædicti, Florentinus, Mediolanensis, & de Ursinis iverunt de licentia Domini nostri ad Abbatiam Sublacensem vicinam Anagniæ, ut inde possent facilius tractare concordiam & unionem prædictam. Et licèt Domini laborassent, tamdem quia Anagniæ propter multitudinem Britonum, qui ibi fuerant cum Cardinalibus, defecerunt victualia, propter hoc ipsi Cardinales Ultramontani iverunt ad Civitatem Fundanam. Et interim per subtilissimas astutias & versutias verborum, literarum, & Ambasciatorum traxerunt ipsi Ultramontani ipsos tres Italicos post se de mense Augusti usque ad Civitatem Suessæ.

Interea Dominus noster recessit Tibure, & venit Romam cum Domino Cardinali Sancti Petri, & aliis Curialibus, ubi Dominus Sancti Petri obiit in fide Domini nostri Papæ Urbani VI. & publicavit in ultimis, quod Urbanus VI. erat verus Papa, sicut fuit Beatus Petrus vel Silvester. Post hæc Dominus noster deliberavit facere novos Cardinales, & scripsit illis Italicis usque Suessam, quod venirent ad eum, & interessent facturæ creationi Cardinalium; sed tum quia illo tempore medio Cardinalis de Ursinis iverat Neapolim ad Reginam, tum quià via erat corrupta propter malam arenam, tum etiam quia crediderunt, quod Dominus noster non faceret Cardinales sine eis, tum etiam quia sperabant adhuc aliquid boni operari circa reductionem Ultramontanorum: non venerunt, sed redeunte Cardinali de Ursinis de Neapoli, ad dolosas & subtiles vocationes dictorum Ultramontanorum iverunt usque Fundos. Dominus noster interim deliberavit de Cardinalibus creandis, & in mense Septembris, scilicet in quatuor Temporibus, fecit XXIX. Cardinales de Urbe, de Neapoli, & de diversis Regnis & partibus Mundi, de quorum creatione statim ivit novum usque Fundos. Quo scito illi Ultramontani fuerunt de creatione tot Cardinalium non solùm indignati, immo & dolore maximo totaliter excœcati & desperati ulterius de gratia Domini nostri. Quare videntes, quod non erat eis possibile per eorum industriam vel potentiam ducere Papam verum secum ultramontes, maximo dolore turbati, & Diabolico rubore confusi, si ibant ultramontes sine capite, etiam cogitarunt facere unum Antipapam. Et tenentes hoc secretum, simularunt unum Consilium, ad quod vocarunt dictos tres Cardinales Italicos, qui jam erant in Fundis semper ad resistendum eis, ut non procederent ad faciendum Antipapam. Et quum essent omnes simul, nullo facto vel convocato Consilio, absolutè incœperunt induere Dominum Gebennensem vestibus Papalibus, & dixerunt: *Dominus Gebennensis est Papa*. Ipsi autem Italici hoc videntes, statim turbati verterunt eorum vultus & terga, & dixerunt: ***Nos non venimus ad hoc, nec consentimus in hoc, quoniam habemus Romæ unum Papam, unde non possumus habere alium Papam***; & statim insalutato hospite recesserunt, & reversi fuerunt Suessam. Et quoniam involavit una fama, quod Cardinalis de Ursinis libenter voluisset esse Antipapa, & destruere Dominum nostrum, & hoc secreto sibi promiserant Ultramontani; & hæc fama venit ad Dominum nostrum, ipse Cardinalis de Ursinis semper conatus est facere morulas per Civitates

vitates & Castra, & cum versutiis & dolis detinuit dictos Dominos, scilicet Florentinum, & Mediolanensem, faciendo eis magnas expensas & honores per Terras consanguineorum suorum, & post in suis; & quum Dominus Mediolanensis absolute voluisset venire ad Dominum nostrum, & venisset de Suessa usque ad Abbatiam Cassinensem, ipse Dominus Jacobus scripsit sibi, quod ipse volebat venire, rogans eum, quod exspectaret eum ibidem: quod etiam fecit Dominus Mediolanensis, quia est purus homo, & deciperet eum unus puer.

Tamdem quum omnes tres Italici essent simul, fuit eis relatum, quod Dominus noster erat turbatus fortiter contra eos; unde ipsi etiam turbati de tanta multitudine Cardinalium, scilicet XXIX., & timentes Dominum nostrum, qui non plene diligebat eos, Florentinum, & de Ursinis, propter eorum malitias, paulatim iverunt ad subtilem tractationem ipsius Cardinalis de Ursinis ad Castrum Tagliacozi, quod erat ipsius Cardinalis de Ursinis. Et sic quia timebant Dominum nostrum, apud quem erant infamati, quod non fideliter duo eorum, scilicet Florentinus & de Ursinis se gesserant in eorum itinere. Et Cardinalis de Ursinis dixerunt multa mala de Domino nostro, & ficta mendacia Dominæ Reginæ Neapolitanæ, scilicet, quod volebat facere Dominum Carolum Regem; tum etiam quia timebat asperos mores Domini nostri; tum etiam quia dicebatur eis, quod Dominus noster male tractabat Cardinales, quos ipsemet fecerat; tum etiam quia non poterant vivere Romæ in tanta paupertate, quanta vivunt novi Cardinales, quum consuevissent ipsi Romæ laute & honorabiliter vivere, remanserunt Tagliacozi, ubi tamdem mortuus fuit ipse Cardinalis de Ursinis ex nimio dolore. Nam Medici nescientes plene, qua ægritudine mortuus fuisset, fecerunt eum eviscerari, ut corpus ejus cum aromatibus conservaretur melius usque ad diem funeris; quod funus non potuit citò fieri, quia Rainaldus ejus frater misit Romam ad Dominum nostrum pro Camerario suo, ut interesset exsequiis, sicut est de more in funere Cardinalium, & misit Romam pro pannis de nigro, & cera, & aliis necessariis ad funus tanti viri; & invenerunt ipsi Medici prope splenem, & prope femur unam vesicam ad modum quasi felis, totam plenam petris croceis & arenosis. Et ipse Cardinalis de Ursinis mortuus fuit in fide Domini nostri, prout ipse Rainaldus dixit & scripsit Domino nostro Papæ manu propria, & prout dixit Episcopus Calvensis, & alii Capellani dicti Cardinalis, qui interfuerunt morti ejus. Item ipse Cardinalis dimisit Domino nostro anulum tamquam suo vero Romano Pontifici, prout est de more; & recommendavit sibi familiam suam, & animam suam. Post hæc autem Cardinalis Florentinus; & Mediolanensis, quia ex tanta mora, & aliis sentiebant se offendisse Dominum nostrum, tum ex timore aliquali, tum ex verecundia non venerunt ad ipsum Dominum Papam; sed quærebant ab eo certa pacta, volentes colorare defectus eorum; & etiam steterunt Tagliacozi per magnum tempus, & tamdem ad subtilem persuasionem Reginæ, & suggestionem, benefactorum eorum, & suorum, iverunt ad Civitatem Aversæ, ubi ad præsens morantur.

Supradicta omnia & singula dixit Dominus Thomas Lucerinus, se sic particulariter scire, aliqua ex visu & auditu proprio, aliqua ex fideli relatione Dominorum Cardinalium; & hoc ex eo quia tunc temporis de mandato Dominæ suæ Reginæ erat multum attentus & solicitus ad sciendum cuncta, quæ agebantur in Curia Romana; & sicut occurrebant nova, & negotia, omnia successive significabat Dominæ Reginæ. Et caussa, propter quam poterat quasi omnia scire, erat quod ipse conversabatur quotidie cum Dominis Cardinalibus, & cum Domino Camerario Papæ, & cum aliis majoribus Cortisanis, qui erant amici Reginæ, cujus contemplatione diligebant ipsum Thomam, & loquebantur cum eo secreta talia, sicut cum homine, de quo plene confidebant. Et addit ipse Thomas, quod in tantum scivit secreta facta Cardinalium tangentia electionem Domini nostri Urbani VI. quod ante ingressum Conclavis scripsit propria manu sua Comiti Camerario Collaterali Reginæ, quomodo Cardinales erant divisi in diversas sectas & voluntates, adeo quod non sperabat eos posse eligere aliquem de Collegio in Papam, sed potius aliquem de extra Collegium. Et si contingebat eos debere eligere, sperabatur potius de Domino Archiepiscopo Barensi, ad quem multi eorum oculos suos direxerant propter sufficientiam & merita sua, quàm de quocumque alio Prælato. Et hanc literam habet Comes Camerarius penes Blasium de Diano Secretarium Reginalem; & ipsam literam ostendit Comes Camerarius Reginæ, & multis Magnatibus Regni, ante novum de creatione Domini nostri, & etiam post diversis Civibus pro magno testimonio hujus facti.

Ego Thomas de Acerno Episcopus Lucerinus, præservando, & tenendo Fidem Catholicam, & fidem Domini nostri Papæ Urbani VI. quem credo verum Christi Vicarium, morans Romæ, supradicta dixi in testimonium Catholicæ Fidei, quæ in meam conscientiam assero fore vera, & hic propria manu me subscripsi.

DE CLEMENTE VII.

Vita Clementis VII. Papæ, sive Antipapæ, ex editione Bosqueti penes Stephanum Baluzium.

CLEMENS Papa VII. frater Comitis Gebennensis, prius Robertus nominatus, fuit electus modo subsequenti. Post mortem enim Gregorii Papæ XI. Bandarenses & duodecim Capita Regionum cum ceteris Officiariis, qui pro tunc Romam & Romanum Populum regebant, manu armatorum, & cum Populi multitudine copiosa congregati compulerunt & artaverunt Cardinales tunc Romæ existentes, ad quos pro tunc Romani Pontificis electio pertinebat, in Conclavi jam reclusos & adunatos pro electione hujusmodi celebranda, ad eligendum quemdam Bartholomæum de Phrinhano Italicum & Neapolitanum tunc Archiepiscopum Barensem, qui licet falsò, Urbanum VI. se fecit nominari. Mortem enim confestim ipsis intentare volebant, nisi ita fecissent. Qui tali metu ducti, aliàs non facturi, ipsum in Sede Apostolica inthronizaverunt, seu veriùs intruserunt & demum coronaverunt, ut in historia dicti Gregorii latiùs est

est descriptum. Volens autem dictus Bartholomæus intrusus factum suum hujusmodi, seu potius factum per vim & violentiam extortum, per fas sive nefas indebite & scienter, Dei timore postposito, suæque conscientiæ periculo procul pulso retinere, statim disposuit ad sui favorem & obedientiam attrahere & allicere quoscumque tam Ecclesiasticos quàm seculares per Nuntios & literas suas, ipsis offerendo quæcumque eis sciret placibilia, etiam nondum petita. Quod videntes dicti Cardinales, considerantesque, quod illa quæ in sui personam fecerant, nullius erant efficaciæ & valoris, quanto citius commode & tute potuerunt, se ab ipso totaliter segregaverunt, ipsumque per medium certarum notabilium personarum de suæ prætensæ electionis vitio, quaque intentione seu voluntate processerant ad eamdem, penitus informarunt, ac ut ab incoeptis desisteret, statumque prædictum valde indebite assumtum dimitteret, caritative & sæpius monuerunt. Sed dominandi libidine cœcatus obaudivit & acquiescere recusavit. Et ideo post maturam deliberationem, facta prius per duas partes ipsorum in Anagnia Civitate, ad quam se retraxerant, declaratione solemni, quod illa, quæ in sui persona fecerant, propter vim & metum dictorum Romanorum ac timore mortis, quam viderant sibi per eos intentari, nisi fecissent quæ petebant, facta fuerant, quodque talia ex tunc minime ratificaverant, approbaverant, aut confirmaverant per quæcumque dicta, facta, aut scripta per eos a tempore ereptionis ipsorum a periculis memoratis, caussâ faciendi electionem aliam modo debito & juridice, quum præmissis obstantibus eam Romæ facere non valerent, ad Civitatem Fundanam se transtulerunt, ubi se securos se quo ad hoc æstimarunt, præsertim propter Honoratum ejusdem Comitem & Dominum, qui de dicta intrusione plene certificatus, tamquam zelator fervidus Fidei & Ecclesiæ, eis continuis auxiliis & favoribus assistebat. Quumque ad Civitatem hujusmodi omnes, qui in dicta intrusione interfuerant, uno excepto, qui decesserat paulo ante, pervenissent, consiliis & deliberationibus præhabitis, pro ut tanti negotii materia seu qualitas exigebat, die XX. mensis Septembris anno Domini MCCCLXXVIII. in Palatio dicti Comitis congregati, pure, libere, debite, & canonice elegerunt in Papam Clementem supradictum, tunc Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, qui pro tunc erat satis juvenis, ætatis scilicet triginta sex annorum, aliàs tamen magnis virtutibus adornatus, fueratque prius Sedis Apostolicæ Notarius; post verò Morinensis & successive Cameracensis Ecclesiarum Episcopus, & abinde per dictum Gregorium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis ordinatus. Qui demum fuit per eos in Papam inthronizatus & coronatus. Ad ipsius autem personam aspectum habuisse dicuntur, ultra merita sua specialiter propter duo. Primò quia inter alios erat bene paratus, totusque agilis & dispositus ad laborandum: & sic tenebant eum esse cordatum & animosum & voluntarium ad exponendum etiam propriam personam, ubi necesse exitteret, pro liberatione & ereptione Romanæ Ecclesiæ a manibus dicti Bartholomæi intrusi in ea medio præmisso, ac ipsam occupare præsumentis; præsertim quum in talibus pro negotiis memoratæ Ecclesiæ aliàs exercitium & experientiam habuisset. Secundò quia erat valde generosus, quum gradu consanguinitatis vel affinitatis secundùm magis & minus attingeret fere omnes majores Principes Christianos. Propter quod speraverunt, quod tam consideratione Ecclesiæ, quàm contemplatione suæ personæ sibi vellent obedire ac viriliter assistere & favere.

Sed Domino permittente, non sic se res habuit. Fuit enim ortum Schisma pestiferum in Ecclesia, adeoque horrendum & detestabile, quod vix legitur aliàs gravius exstitisse. Totus namque Mundus divisus fuit. Sed proh dolor! multò major pars obedivit & adhæsit memorato Bartholomæo intruso, immo pro tunc quasi totus, & hoc propter ignorantiam veritatis eorum, quæ contigerant in intrusione memorata; quæ licèt notoria exstitissent, tamen propter malitiam Romanorum & intrusi, fuerunt multimode palliata, occultata, & aliter quàm exstitissent, recitata & divulgata. Nec in hoc fuit bene remediatum etiam inter illos, qui dicto Clementi carnaliter per prius magis favere credebantur. In hoc autem multimode dicto Bartholomæo intruso cooperati sunt Anticardinales, quos paulo ante creationem dicti Clementis creaverat modo & numero inordinatis, & aliàs inauditis. Solus enim & absque quocumque Cardinali, licèt tum, ut supra actum est, jam omnes ab ipso essent separati, uno contextu ad statum, sed veriùs fastum hujusmodi, quantum in eo fuit nominavit & assumsit viginti novem fere de regionibus universis. De quibus fuerunt aliqui pauci, qui ipsum Papam non reputantes, statum suum ab eo accipere renuerunt; aliqui verò processu temporis ipsum statum acceptum dimiserunt; alios verò, licèt inter eos essent nonnulli per prius satis notabiles viri reputati, ipsum acceptando, excœcavit ambitio seu præsidendi libido. Fuerunt insuper, per eumdem Bartholomæum tunc, vel temporibus successivis quamplurimi alii multimode in Ecclesia Dei, licèt falsò, promoti, præmiati, & exaltati, quorum & dictorum Anticardinalium ministerio & favore, fereque per Orbem universum, status suus, licèt falsus, fuit adeo solidatus & firmatus, quod nihil sapiens oppositum aliquis ex tunc nisi cum sui corporis periculo loqui vel facere præsumeret, aut aliàs attentaret. Cui multum suffragata est mora diutina, quæ fuit inter sui intrusionem & dicti Clementis electionem, inter quas fere quinque menses effluxerunt; licèt illis pendentibus non aliud dicti Cardinales facere potuerunt, continue insistentes circa securitatem propriam taliter procurandam, quod in manus suas vel Romanorum, qui eis assidue insidiabantur, incidere non possent, quodque cum tali & tanta maturitate ac sana consilii deliberatione ad dictam electionem procederent, quòd nihil de contingentibus omittendo, non esset in posterum quod eorum culpæ vel negligentiæ deberet imputari. Dictus autem Clemens satis citò post assumtionem suam volens, quantùm in eo erat, circa præmissa providere de remediis opportunis, pro justitiæ suæ & nequitiæ adversarii sui demonstratione, ad Reges & Regna suos Legatos & Nuntios destinare decrevit, præsertim ad illos, qui inter eos principaliores reputantur. Ad Regem namque & regnum Franciæ Dominum Johannem de Crosso Episcopum Penestrinum, ad Imperatorem

torem Romanorum & regna Alamanniæ & Bohemiæ ac alias terras Imperii eis adjacentes Dominum Guillelmum de Agrifolio tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyterum Cardinalem, ad Regem & regnum Angliæ, Duces & Ducatus Brabantiæ & Guelriæ, Comites & Comitatus Flandriæ & Haynoniæ, patriamque Leodiensem, Dominum Guidonem de Malesicco tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, & ad Reges & regna Hispaniæ, Castellæ videlicet, Aragonum, Navarræ, & Portugalliæ, Dominum Petrum de Luna Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum, Cardinales accessuros ordinavit. Demum, ut in ipsorum absentia, eorumque loco haberet alios sibi assistentes, die XVIII. mensis Decembris anni prædicti MCCCLXXVIII. quæ fuit feria sexta quatuor Temporum, sex novos creavit Presbyteros Cardinales, videlicet Dominum Jacobum de Itro Campanum, tunc Patriarcham Constantinopolitanum, Dominum Petrum Amelii Alvernigenam Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiscopum Ebredunensem, Dominum Nicolaum de Brancaciis Neapolitanum, tunc Archiepiscopum Cusentinum, Dominum Petrum de Barreria diœcesis Ruthenensis, tunc Episcopum Eduensem, Dominum Fratrem Nicolaum de Sancto Saturnino Alvernigenam, Ordinis Fratrum Prædicatorum, tunc Lectorem sacri Palatii, in sacra pagina Magistrum, & Leonardum de Giffono Italum, Ministrum Generalem Ordinis Minorum. Circa quod est sciendum quod duo penultimi fuerant prius nominati & assumti ad dictum statum, licèt falsò, & inaniter, per dictum Bartholomæum intrusum. Sed tamen certificati de sua intrusione, ipsum acceptare ab eo recusarunt.

Eodem tempore obiit Carolus Romanorum Imperator, qui paulo ante illectus & circumventus per dictum Bartholomæum intrusum pro eo quod omissis solemnitatibus in talibus observari consuetis electionem per prius ad ejus procurationem factam tempore Gregorii Papæ XI per Electores Imperii de Venceslao Rege Bohemiæ filio suo in Regem Romanorum approbaverat & confirmaverat etiam non petitus aut requisitus per eum, sibi obedire & adhærere decreverat, ac ipsum pro vero Papa tenere & habere disposuerat & declaraverat; sicque servari & observari voluerat & mandaverat per præfatum Regem filium suum, qui etiam in hoc inhærens paternis vestigiis sic fieri voluit, servavit, mandavit, & ordinavit in Regno Bohemiæ, & generaliter in omnibus terris & dominiis suis, sibique & Imperio subjectis. Nec fuit qui hujusmodi ordinationi voluerit aut ausus fuerit contraire: Comitibus Sabaudiæ consanguineo, & Gebennensi fratre dicti Clementis, Ducibusque Lotharingiæ & Barrensi, ac aliquibus aliis Comitibus & Dominis temporalibus, Civitatibus & locis, eorumque territoriis & dominiis circumadjacentibus, dumtaxat exceptis. Propter quod memoratus Dominus Guillelmus de Agrifolio Presbyter Cardinalis ad partes illas per dictum Clementem Legatus destinatus circa ipsorum reductionem nihil proficere potuit, nisi dumtaxat quod Duces prænominatos cum subsequentibus de justitia dicti Clementis informavit, & ad ipsum deduxit, & in bono proposito confirmavit, licèt tamdem continue petens sibi dari audientiam fuit diutius in Alamannia, terris videlicet Leopoldi Ducis Austriæ junioris, qui in propria dicto Clementi favit & adhæsit & faveri voluit in terris suis & locis, non tamen omnibus, nec se cum aliis parti adversæ faventibus imbricavit. Carolus insuper Rex Francorum, postquam per dictum Dominum Johannem Episcopum Penestrinum Cardinalem ad eum destinatum per præfatum Clementem & alios de dictis intrusione & electione plene informatus exstitit, cum toto Regno & subditis suis eidem Clementi adhærere, & obedire cum magna solemnitate decrevit. Non tamen sibi in hoc paruit Ludovicus Comes Flandriæ, licèt subditus & vassallus suus, ac dicto Clementi gradu consanguinitatis proxime alligatus, & aliàs per prius inter omnes homines Mundi sibi specialius amoris vinculo confœderatus & conjunctus, qui, nescitur, quo ductus spiritu, pertinaciter adhærere voluit intruso memorato, admittereque ac adire recusavit in dominiis suis præfatum Dominum Guidonem de Malesicco Presbyterum Cardinalem, qui partim ad ipsum per dictum Clementem fuerat destinatus. Qui etiam pari modo malitiose impeditus exstitit, quominus regnum Angliæ intraverit, ac in eo & ceteris regionibus & provinciis, ad quas fuerat destinatus, ad effectum deduxerit illa, quæ in prædictis sibi commissa fuerant per Clementem memoratum. Eodem currente tempore obiit Henricus Rex Castellæ, cui in Regno successit Johannes filius ejus; ad quem paulo post venire disposuit præfatus Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis, prout sibi commissum exstiterat per Clementem prædictum. Sed quia præfatus Henricus pater suus non informatus de justitia dicti Clementis moriens potius adhærebat & obediebat Bartholomæo intruso quàm sibi, absque alia pleniore informatione ipsum pro tunc admittere recusavit. Et quia idem effectualiter fecerunt omnes Reges Hispaniarum, qui etiam cum Regnis suis pro tunc satis patenter favebant & adhærebant intruso memorato, habuit Cardinalis prædictus inter eos manere tamquam regnicola potius quàm ut Cardinalis vel Legatus per aliquos annos. Quibus currentibus dicti Reges sic super præmissis informati fuere, quod per Dei gratiam ipse finaliter suæ legationis est fructum laudabilem assequutus, prout infra loco suo plenius describetur. Porro dictus Clemens, istis contigentibus in regionibus memoratis, de Fundis mutavit Curiam ad locum de Splonata diœcesis Gaitanensis. Et ab inde paulo post cum paucis Cardinalibus per mare venit Neapolim ad Johannam Reginam Siciliæ & Hierusalem, ipsum honorifice & solemniter suscipientem. Quæ satis cito informata de intrusione dicti Bartholomei, cui, quantùm in se erat, mentaliter non obedire decreverat, sed quamprimum per Collegium Cardinalium alium eligi contingeret, sub debita forma ipsi obedire: auditaque electione dicti Clementis, sibi confestim obedivit & adhæsit, sibique obedientiam fieri mandavit per omnes subditos suos, ac in omnibus Terris & dominiis suis ubilibet constitutis: non obstante quod dictus intrusus naturaliter esset subditus suus, &, ut præmissum est, de Neapoli traxisset originem, cui ac etiam suis hoc valde molestum exstitit & ingratum. Quod etiam cum eorum fautoribus numero non paucis sic & taliter tractaverunt, & operati sunt, quod dicto Clementi Neapoli existenti, ac cum Regina

tra-

tractanti, quomodò adversùs ipsum prævalere posset, rumor concitatus est contra eos adeo fortis & magnus, quòd ne utrique majus immineret periculum, ipsum Clementem subitò, unde venerat, oportuit remeare. Ubi quum pervenisset, satis à certo comperit, quod dictus intrusus sibi continue insidiabatur, moliebaturque eum comprehendere, aut aliàs in persona damnificare, si posset: in quo quasi totam Italiam tam in terra quàm in mari sibi adhærentem & colligatam habebat.

Considerato igitur quod sibi pro tunc non aderat suffragium seu auxilium sufficiens, quo mediante contra dictum intrusum prævalere posset, ac ubi erat, diutiùs secure manere tam pro securitate sua quàm Ecclesiæ & causæ suæ prosequutione, deliberavit partes adire cismontanas, ut ab inde Regis Franciæ & aliorum sibi faventium fretus consilio & auxilio melius, liberius, & serius in agendis intendere posset & fructuosius operari. Occurrentibusque sibi casualiter, immo ut creditur, divina gratia disponente certis Galeis & navigiis, in mense Maji anni Domini MCCCLXXIX. mare intravit cum Cardinalibus suis, exceptis duobus, videlicet Domino Jacobo de Itro tituli Sanctæ Praxedis, & Domino Fratre Leonardo tituli Sancti Sixti Presbyteris Cardinalibus, qui pro suorum & Ecclesiæ negotiorum prosequutione, faventiumque sibi consolatione in partibus illis tunc remanserunt. Et licèt non sine magnis periculis, divino tamen sibi assistente præsidio, salvus & incolumis Massiliam applicuit X. die Junii subsequentis. Ab inde verò iter suum continuando Avinionem pervenit. Ubi fuit receptus cum maximis solemnitate & gaudio generaliter ab omnibus, & præsertim à Cardinalibus quinque, sexto jam defuncto, quos ibi dimiserat Papa Gregorius supradictus, qui habita informatione de intrusione memorata, & sui electione canonica, per prius sibi adhærere & obedire decreverant tamquam verò Papæ. Postquam verò dictus Clemens fuit in Avinione, quantùm sibi fuit possibile, auxilium præbuit, & succursum dictæ Reginæ Siciliæ quàm aliis fautoribus & valitoribus suis in partibus Italiæ derelictis. Quibus mediantibus erant securi adversùs dictum intrusum, ac ipsum etiam haberent posse tenus impugnare. In his & aliis sibi pro tunc imminentibus sibi multimode adstitit præfatus Rex Francorum Carolus auxiliis, consiliis & favoribus opportunis. Qui etiam ut per agnitionem veritatis & justitiæ dicti Clementis, demonstrationemque nequitiæ intrusionis adversarii sui Schisma sedari posset & extingui, quamplures Ambaxiatores fere ad omnes Principes & regiones universas sæpius destinavit, ipsos exortans & requirens, ut si non sic faciliter vellent ad obedientiam dicti Clementis inclinari, saltem patienter audirent pro sui parte proponenda, quemadmodum audiverant pro posita per partem adversam. Sed heu! tanta fuit fere ubique obstinatio, quod nedum audientia hujusmodi denegata extitit, sed etiam quorumcumque missorum per dictum Clementem aditio impedita fuit. Quibus ut quantùm posset, obviaret convenienter & provideret dictus Clemens, deliberavit ad fortiora apponere manus. Et primò fortificatis dictis suis valitoribus & fautoribus, quos in Italia habebat, tam gentibus quàm pecuniis, prout sibi possibile fuit, ipsisque animatis & inductis, ut ad dicti intrusi Romanorumque ipsum foventium persequutionem totis viribus intenderent, ad arma spiritualia se convertit, fecitque processus contra prædictos, eorumque fautores, prout jus, ratio, & æquitas dictaverunt. Sed, pro dolor! non ex primo prævaluit. Nam etsi quandoque victores exstiterunt, sæpe & ipsi fuerunt victi. Sed multò minùs ex secundo. Nedum enim processus sui dicto intruso fuere contemtui, sed etiam ipse similes contra eum suosque de facto fulminare præsumsit. Sicque tunc incaluit, invaluit, & efferbuit Schisma prædictum, quòd toto tempore, quo ipsi cucurrerunt, eorum occasione & inaudita divisione permansit. Qui enim per prius veri Prælati, aut aliorum Beneficiorum ministri exstiterant, adhærendo uni ipsorum, per alium de sedibus aut Beneficiis suis expulsi sunt, & alii novi eorum loco subrogati. Quod permaxime contigit de adhærentibus dicto Clementi, qui per antea promoti aut beneficiati erant in partibus faventibus, & obedientibus dicto Bartholomæo: qui eos in personis & bonis est adeo immaniter persequutus, quòd oportuit ipsos ad dictum Clementem recurrere, & ut eorum inopiæ subveniret, ab ipso humiliter postulare. Quod sibi non fuit usquequaque possibile propter suæ obedientiæ parvitatem, quum etiam quia ad hoc & alia plurima sibi incumbentia ei non suppetebant facultates. Propter quod prædictorum quamplurimi, qui per prius abundaverant, erantque viri notabiles, in paupertate & miseria vivere & mori habuerunt. Quorum exemplo multi alii non sic mente constantes perterriti præelegerunt in suo statu primævo, quamquam sub Schismatico præsidente, permanere, quàm tali miseriæ subjacere. Fuere etiam quamplures alii, quos adeo excœcavit ambitio, quod licèt dictum Clementem mentaliter crederent esse Papam, à dicto tamen Bartholomæo instantibus bonis sublimari & promoveri voluerunt, qui tamen aliàs ante schisma sub ovina pelle lupum gerentes absconditum, quales erant interius tunc temporis demonstrarunt; nec curarunt, si ex talibus Mundum lucrando, suæ animæ paterentur detrimentum. Fuerunt præterea nonnulli, qui in dictis Prælaturis aut Beneficiis ab utroque sibi taliter procurandis, illi demum adhæserunt, sub cujus favore prædictis magis se gaudere viderunt, ad qualitatem seu potestatem conferentis nullum aspectum habendo. De illis autem qui se venales constituendo, pretio appretiato mercati suam fidelitatem seu potius infidelitatem demonstrarunt, utpote promotiones pro se & suis inverecunde postulando, immo quod auditu nefandum extitit, pecuniam & alia bona tam Ecclesiastica quàm temporalia etiam in Ecclesiarum & personarum particularium, ad quas spectare dicebant, præjudicium & jacturam, improbe expetendo, non est per singulos discurrendum. Quum & si bene consideretur, innumerabiles fuerunt in utroque statu, Ecclesiastico videlicet & mundano, qui potius aliena quàm sua, & non quæ Jesu Christi expetierunt. Et ut in paucis multa comprehendam, hoc tempore maligno, dictique pestiferi Schismatis occasione, innumerabilia mala & pericula tam animarum quàm corporum provenerunt, videlicet corruptiones morum, strages plurimorum, depressiones bonorum & humilium, exaltationes reproborum, & vilium, juvenum & indigno-

gnorum promotiones, Ecclesiarumque & ceterorum spiritualium & Ecclesiasticorum aperta venditio, hæresum & errorum pullulatio, virtutum & bonorum operum cessatio, criminum & peccatorum multiplicatio, guerrarum & præliorum commotio: omneque bonum in contumaciam & contemtum conversum est, & religio in apostasiam est redacta. Et quia ista partim audivi, & partim vidi practicari, ideo licèt flens & ejulans recenseo partem utramque tunc temporis ex ipsis fuisse læsam, ut adversæ culpam recitando, meam excusare non videar; quum satis hoc vulgus noverit, & officii per me assumti debitum existat, ut nulli deferendo, sicut meritorum sic & vitiorum veritas conscribatur, & sicut de adversario, sic de proprio veritas in omnibus referatur. Nunc autem ad alia, quæ dictâ durante tempestate contigerunt, habeo vertere stilum meum.

Et primò pro anno MCCCLXXX. familiares multi Ludovici Ducis Andegavensis fratris & tunc Locumtenentis Regis Franciæ in partibus Occitanis, per eum missi ad Montempessulanum causâ exigendi certum subsidium, ab incolis ejusdem loci per eos se reputantibus semper inde gravari, nocte tamen, nequiter interfecti & trucidati fuere unà cum aliis pluribus, qui in hospitiis publicis, in quibus prædicti locabantur, inventi sunt, licèt eis essent extranei, & aliàs præmissorum inculpabiles & ignari. De quibus dictus Dux furore repletus vehementer indignatus est, & ad ultionem debitam inde recipiendam viriliter & magnifice se disposuit & accinxit, volens si & in quantum esset sibi possibile, dictum locum funditus diruere, & ejus incolas neci tradere universos. Sicque, ut creditur, etsi non in toto, saltem pro majori parte ad effectum deduxisset, nisi fuisset dictus Clemens, qui sic se in hoc interposuit, quod dictus Dux recepta satisfactione condigna placatus exstitit, & dictus locus cum suis incolis, respectu perpetrati sceleris satis illæsus & indemnis remansit. Eodem etiam anno MCCCLXXX. die XVI. mensis Septembris obiit Carolus Rex Franciæ. Cui successit in regno Carolus Delphinus VI. Viennensis, suus filius primogenitus. Qui eodem anno, XVI. mensis Septembris fuit coronatus Remis in Regem, ut moris est, adhuc duodennis existens. Cujus regni regimen pro tunc assumsit dictus Ludovicus Andegavensis suus patruus prior natu. Personæ tamen curam habuit Philippus Dux Burgundiæ, suus etiam patruus, licèt posterior natu, & hoc ex ordinatione certa super hoc facta per dictum Carolum patrem suum. Cujus obitus fuit admodum damnosus Ecclesiæ, quum ipse circa sedationem Schismatis in ea tunc vigentis totis viribus insisteret, vacaret, daretque operam efficacem, ut ceteri Reges & Principes facerent illud idem. Eodem fere tempore currente Flandrenses rebellarunt se eorum Comiti, ipsumque patriâ suâ expulerunt, multisque Officiariis ejus interfectis, locum suum amœnissimum mirabiliter ædificatū de Oudenarde diruerunt, & ad terram funditus prostraverunt. Sed demum per medium & operationem Philippi Ducis Burgundiæ dicti Comitis generi de ipsis fuit incœpta vindicta. Nam congregato magno exercitu armatorum præfatus Carolus novus Rex Francorum in succursum & adjutorium dicti Comitis vassalli sui, dicto Duce

A & aliis Magnatibus regni sui concomitantibus ingressus est Flandriam, ipsamque undique vastans, igneque & gladio omnia consumens, & ibi prædictis Flandrensibus in multitudine innumerabili occurrentibus, sibique posse tenus viriliter resistentibus, dedit afflictum, in quo infiniti ex ipsis corruerunt, immo vix unus ex eis vivus dicitur remansisse. Loca etiam omnia plana aperta & non fortificata dictæ patriæ, nedum in bonis, sed etiam in personis, fuerunt exposita prædæ: quæ quanta quantique valoris fuerint, inæstimabile dictu fuit. Non tamen propter hoc rebelles adeo domati sunt. Quin hi qui superexstiterunt adhuc quamplurimi numero potentes in armis

B & divitiis abundantes, in sua rebellione persiterunt, dicto Comiti alii fieri subditi recusantes, licèt successivis temporibus ad hoc inducti fuerunt, non tamen dicto Comite superexstante, quum satis citò post præmissa de medio sublatus exstiterit, nec sine magnis laboribus & expensis Ducis Burgundiæ memorati, ad quem ratione uxoris suæ filiæ unicæ dicti Comitis patria hujusmodi debuit pertinere. Qui tam vi armorum, quàm alias circa eorum domationem, reconciliationem, & pacificationem sic operatus est, quod paulatim qui socero suo rebellaverant, suo se dominio subdiderunt. Per idem etiam tempus cives Londonienses, adunatis sibi aliis Com-

C munitatibus Angliæ, contra Officiarios Regis eorum insurrexerunt, multósque ex ipsis interemerunt. Inter quos Dominus Simon de Suberia Archiepiscopus Cantuariensis, dicti Regis Consiliarius, qui prævidens mortem sibi imminere, crucem gestans suis manibus, Pontificalibusque indutus, Populo furenti se exhibuit, putans quod saltem ob reverentiam Pontificalis dignitatis ab ejus invasione desisterent. Sed ad hoc nullo habito respectu in eum insiluerunt, caputque ipsius & brachium dexterum truncaverunt, & ea per dies aliquos ad spectaculum in valvis seu muris dictæ Civitatis appensa seu afflixa tenuerunt. De quo ultio aliqua, non tamen condigna, dicitur

D fuisse facta: tum quia aliqui ex Regalibus præfatis favere & assistere dicebantur, tum etiam quia Rex tunc juvenis erat, & timuit quod deterius sibi contingeret, si ad graviora procedere voluisset.

Eodem præterea tempore Bartholomæus intrusus volens Johannam Reginam Siciliæ memoratam adhærentem præfato Clementi amplius molestare, ipsam finaliter, licèt de facto, privavit Regno suo, sibique novum constituit adversarium & inimicum, videlicet Carolum de Duracio, aliàs dictum de Pace, quem in Regem Siciliæ & Hierusalem ipse in propria coronavit, & ut adversùs dictam Reginam viriliter procederet, incitavit, dans

E ei in hoc posse tenus favorem, consilium, & juvamen. Quo audito per dictam Reginam, de voluntate & consensu dicti Clementis, quum ipsa liberos non haberet, sibi adoptavit in filium præfatum Ludovicum Ducem Andegavensem, volens & ordinans, quod post ejus decessum ipse in dicto Regno sibi succederet. Et interim sibi dedit Ducatum Calabriæ, per primogenitos Regni teneri consuetum. Quæ omnia dictus Clemens tamquam Dominus directus & superior ejusdem Regni confirmavit & approbavit, ac voluit in posterum habere firmitatem. Poposcit insuper dicta Regina, ac cum instantia postulavit à dicto

dicto Duce, ut confestim, & fine mora ad eam venire se disponeret, sibique viriliter succurrere præpararet. Et ne dictus adversarius suus ipsam & Regnum suum invaderet, ac aliàs adversùs eam prævaleret, de gentibus armigeris, ac aliis ad dictum negotium opportunis sibi illico sufficienter provideret. Istis autem pendentibus dictus Carolus de Pace fretus auxilio & favore prædictis, Neapolim intravit, ac dictam Reginam cum omnibus fere suis captivavit. Occupatâque hujusmodi Civitate cum Castris ejusdem, etiam majorem partem dicti Regni occupavit, ac sibi obedientem & faventem invenit. Eodem etiam tempore erant Neapoli duo Presbyteri Cardinales supranominati, videlicet Dominus Jacobus de Itro, & Frater Leonardus de Giffono, cum multis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, & aliis viris Ecclesiasticis, qui dicto Clementi obediebant, & favebant, qui unà cum dicta Regina captivati fuerunt, & demum diutius detenti, ac duris carceribus mancipati, in quibus administrationibus, ceterisque bonis suis perditis, in egestate, pœnis, & miseria aliqui suam vitam duxerunt. Inter quos fuit Dominus Jacobus Cardinalis memoratus, qui totus cordatus & intrepidus fidem suam illæsam servans, ibi tamdem post multas afflictiones vitam, velut Martyr, consummavit. Istis in dictis regionibus sic se habentibus, Johannes Rex Castellæ habita plena informatione super intrusione dicti Bartholomæi, ac subsequuta electione canonica Clementis memorati, cum solemnitate & maturitate debitis pro parte dicti Clementis se & Regna sua declaravit, volens ab inde sibi tamquam Romano Pontifici obedire. Sicque fieri mandavit in regnis suis & dominiis per omnes subditos suos. Ad hoc autem processit cum consilio & consensu unanimi Prælatorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Magistrorum, Nobilium Civitatum, Communitatum, Procerum, & aliarum personarum notabilium dictorum Regnorum suorum. Quibus expeditis Dominus Guterus Gomecii per prius Episcopus Palentinus, qui per præfatum intrusum Bartholomæum ad statum, seu veriùs fastum Anticardinalatus assumtus exstiterat, ipsumque acceptaverat, ac pro tali, & etiam Legato ejus in dictis Regnis diu se gesserat, de præmissis etiam informatus, ad cor rediens, dictum Bartholomæum abjuravit, & ad dictum Clementem se convertit, ipsum in verum Papam profitens, Bartholomæum ab negans, statum præfatum ab ipso receptum totaliter derelinquendo. Et idem per omnia fecerunt multi alii, qui tam ad Episcopatus, quàm ad alias dignitates & plurima beneficia per dictum Bartholomæum intrusum promoti exstiterant in eisdem Regnis. Hæc autem omnia facta sunt, sibi cooperante divina gratia, per ministerium, solicitudinem, & providentiam memorati D. Petri de Luna Diaconi Cardinalis, qui, ut supra tactum est, illuc per dictum Clementem Legatus fuerat destinatus, & ad hoc continue vacaverat, quasi à principio Pontificatus sui: de cujus mandato demum præfatum Dominum Guterum in verum Presbyterum Cardinalem assumsit, precibus & instantia dicti Regis. Multos etiam ex aliis promotis per dictum Bartholomæum intrusum in statu indebite per ipsum eis commisso, seu collato dimisit, verum titulum auctoritate dicti Clementis eis conferendo. Qui etiam dicto durante tempore sic operatus est, quod licèt in aliis Regnis Hispaniæ, ad quæ etiam pro tunc fuerat destinatus, pro tunc dictus Clemens non habuerit obedientiam plenam, ipsâ tamen à dicto Bartholomæo, qui solus eam obtinebat, totaliter subtractâ, neutri eorum adhærendo, ad quamdam indifferentiam seu neutralitatem communiter sunt redacta: quamquam inter ipsos plures exstiterint, publice aut occulte memorato Clementi adhærentes, ac suas gratias recipientes & petentes; de quorum omnium pura & manifesta declaratione tamdem subsequuta fiet mentio inferiùs suo loco.

Anno Domini MCCCLXXXIII. mense Maji, Avinioni convenerunt Ludovicus Dux Andegavensis, & Amedeus Comes Sabaudiæ superius nominati cum exercitu magno & admodum notabili armatorum, progredi disponentes versùs partes Italiæ tam pro impugnatione Bartholomæi intrusi & sibi faventium, quàm liberatione Johannæ Reginæ Siciliæ memoratæ per præfatum Carolum de Duracio jam detentæ, ac recuperatione Regni sui pro majori parte occupati per eumdem. Fuitque constitutus & ordinatus generalis Capitaneus dicti exercitus memoratus Dux Andegavensis per dictum Clementem Papam; sibique datum in mandatis, ut nedum nomine proprio, sed etiam Ecclesiæ & suo ad negotia procederet supradicta. Qui etiam volens ipsum & dictum Comitem peramplius honorare, ad eorum instantiam & supplicationem die XXX. dicti mensis in Presbyterum Cardinalem assumsit Dominum Fratrem Thomam de Cassato Ordinis Prædicatorum, prius Inquisitorem hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ, de Pede-Montium oriundum, virum utique grandævum, mansuetum, virtuosum, bene literatum, licèt non in Theologia Magistrum. Arripuit ergo iter suum cum dicto exercitu, ipsum per plana Lombardiæ & terras Ecclesiæ prosequendo. Quod utique, licèt non sine magnis laboribus & expensis, aliàs tamen satis feliciter & pacifice consummavit. Declinavitque primò in Civitate Aquilanensi sub favore & obedientia dictæ Reginæ persistente; quæ quasi in introitu dicti Regni situata exist; quem navigia multa victualibus & aliis sibi necessariis onerata, sunt illico subsequuta. Veniendo tamen obliquavit viam, quæ de directo Romam tendebat. Quam si tenuisset, & aliqualem molestiam Romanis, seu eorum territorio intulisset, creditur indubie, quod dicti Romani Bartholomæum intrusum ibi tunc existentem cum suis Anticardinalibus sibi tradidissent. Et ita inter se facere deliberaverant audientes ejus potentiam, cui se non posse diutius resistere existimabant, nolebantque perire aut damnificari propter ipsos. Quod si factum fuisset, Schisma in Ecclesia ortum satis citò finem habuisset. Sed hoc omisso, & quodammodo contemto, aspectum habuit ad propria, ad conquestam videlicet dicti Regni potius quàm pacificationem Ecclesiæ anhelando. Quod an gratum Deo exstiterit, licèt de his, quæ ab ejus secreta dispositione procedunt non sit meum aut alterius judicare, tamen per ea quæ videmus exterius, magis ejus displicentiam possumus denotare, quum ex tunc quasi continue adversa sibi contigerint, sed prospera raro. Adventus enim ejus

ejus à jamdiu præscitus per suos adversarios exstiterat: qui sic se disposuerant, quod Civitates, loca, & Castra invenit ut plurimum fortificata, munitaque victualibus, armis, & gentibus ad sibi resistendum viriliter dispositis & apparatis; fueruntque blada, vina, pecora, equorum pabula, aut in eis recondita exteriusque consumta. Sicque pro tunc non fuit locus aliquid contra suos inimicos faciendi. Et quia loca sibi faventia, quæ satis pauca erant, bene disposita non erant ad ipsum cum suo exercitu capiendum, victualia etiam eorum non adeo abundabant, quod non sine propria pecunia sibi sufficerent, oportuit ipsum seu saltem majorem partem sui dicti exercitus per aliquod tempus in locis parvis & miseris & campestribus permanere. Hyems etiam supervenit, nives, pluviæ, & aquæ inundaverunt, gelu, venti, & frigora suum tempori debitum reddiderunt. Inimici insuper sui sibi insidiantes, ubi & quomodo potuerunt, suas gentes expugnaverunt. Quibus omnibus causantibus, eique obstantibus, sibi aut dicto exercitui suo non licuit victualia hinc & inde perquirere, pro ut eorum necessitas exigebat, & sic iis quæ per prius habuerant, consumtis, multas egestates & miserias sunt perpessi. Dicto etiam durante tempore præfata Johanna Regina immaniter fertur interemta fuisse per ministros dicti Caroli, eo sic fieri ordinante. Modus autem interemtionis suæ varie exstitit narratus. Nam aliqui dixerunt, ipsam strangulatam, aliqui sub una culcitra suppositam, ligatisque manibus & pedibus suffocatam exstitisse. Et quia tam in dicto Regno, quàm alibi favore & amore sui multi Duci memorato adhærebant, aliàs non facturi, audito ejus obitu sic dorsa verterunt, se ad hostem suum convertentes: de quibus fuere primi dictorum navigiorum conductores & patroni, qui statim cum eis retrocesserunt ad partes Provinciæ, unde venerant. Qui etiam illico suum dominium abhorrentes, sibi aperte rebellarunt, hosti prædicto adhærentes: Dominis de Saltu, & certis aliis Nobilibus, qui cum ipsis ierant, Massiliensibus & Arelatensibus civibus, & aliquibus aliis, licèt paucis, dumtaxat exceptis; sicque quo ad ipse vixit, continue permanserunt, licèt cum maximis turbationibus & incommodis, quæ occasione hujusmodi eis provenerunt, propter guerras ipsis motas, & admodum rigide continuatas pro parte ipsius Ducis toto tempore supradicto.

His verò tunc sic se habentibus in partibus illis, Regnum Franciæ novitates quamplurimæ non modicum turbaverunt. In Senescalliis namque Bellicadri, Carcassonæ, & Tolosæ populares, quos vulgariter nominabant Coquinos, contra majores & præcipue nobiles, & officiis regiis implicatos insurrexerunt, ipsos immaniter persequentes. Quos enim ex ipsis capere poterant, absque misericordia trucidabant, eorum bona rapiebant, loca, Castra, & domus totaliter diruebant absque judicio, nullo respectu habito, nullaque ratione servata ad talia procedentes. Et in hac maledictione continuantes assentiebant incolæ fere omnium notabilium locorum partium prædictarum. Quibus hoc attentandi præbuit occasionem & audaciam continuata & immoderata indictio Talliarum & impositionum diversarum, ex quibus gravabantur nimium, immo & eorum quamplurimi perducti ad egestatem mendicare cogebantur. Istis autem resistere, eosque comprimere viriliter & potenter conatus est Johannes Dux Bituricensis tunc Locumtenens Regis, ac regimen habens partium earumdem. Sed licèt cum eis diu concertaverit, tamen adversus eos prævalere non potuit de tempore magno, præsertim in partibus Tolosanis, in quibus eorum fautorem præcipuum reperit Gastonem Comitem Fuxi, qui eis cum manu potenti & brachio extento contra ipsum continue assistebat. Demum tamen divina operante gratia, demeritis graviter punitis personaliter vel in bonis, prædicta cessaverunt, & ad statum pacificum sunt deducta. Eodem etiam fere contextu, quo præmissa invaluerunt, eis similia Cives Parisienses machinati sunt attentare. Quorum directores & promotores esse decreverant illos, qui Malleatores seu Malleti vulgariter nominantur. Sed eis deductis ad notitiam Regis & assistentium sibi, quotquot ex eis culpabiles inventi sunt, morte damnati fuerunt. Arma insuper omnia Civium prædictorum ad palatium Regium delata fuerunt, & ultra pœnas tam pecuniarum, quàm alias eis impositas, ad ædificandum suis sumtibus & expensis Castrum Sancti Antonii miræ fortitudinis, habens introitum & exitum liberum intus & extra mœnia Civitatis condemnati exstiterunt, & ad aliorum terrorem memoriamque detestabilem machinationis supradictæ. Et quia inter ceteros hujus rei culpabiles notatus fuisse dicitur unus Advocatus Parlamenti regii, aliàs notabilis & solemnis reputatus, qui Magister Johannes de Maresiis dictus est, sententiam subiit capitalem. De ejus tamen damnatione varii vario modo sunt loquuti. Nam plures ipsam voluntariam potius quàm justam dixerunt, ipsum super sibi impositis innocentem asserentes. Alii verò eum reum & culpabilem opinantes, ipsam æquam & laudabilem æstimarunt. Quod autem horum verum sit, hoc Dei judicio relinquatur, qui quandoque delatos super certis, licèt de ipsis innoxios, aliorum tamen reos heic corporaliter damnari permittit, ne super commissis impuniti heic remaneant, & heic puniti in corpore, de delictisque compuncti, æternam in anima effugiant ultionem. Quod ideo heic inserui, quia licèt, ut prætactum est, hic per prius satis commendabilis in aliis diceretur, tamen judicio plurimorum in uno Deum fortè non modicum offendebat. Quum enim famosus Advocatus existeret, quoties occurrebant causæ, quæ Ecclesiarum jura aut libertates concernerent, ut plurimùm & libentius contra ipsas patrocinium assumebat. Qui, si sui occasione quandoque gravatæ fuerunt, Deum in hoc ultorem præsumitur habuisse, qui facta suis sibi facta reputans, tales consuevit deprimere, aut ultione simili radicitus exstirpare, sicut e contrario suorum fautores æternaliter præmiat, & heic sæpius erigit & exaltat. Quemadmodum de Magistro Petro de Fitiniaco notabili Advocato, dictique Johannis contemporaneo in Parlamento, qui Ecclesiarum zelator fervidus, suorum jurium defensator præcipuus ac assiduus semper fuit, tunc dicitur contigisse. Ipsum enim exaltavit Altissimus, deditque ei gloriam non modicam in hoc Mundo, quum ipsum de statu infimo, Advocati scilicet & Archidiaconi in Ecclesia Carnotensi, ad statum Cardinalatus ordinavit promoveri per Clementem Papam prædictum.

Qui,

Qui, aliquibus ex aliis Cardinalibus defunctis, videlicet Anno Domini MCCCLXXXIII. die XXIII. mensis Decembris, septem Presbyteros Cardinales creando (qui fuere Dominus Petrus de Croso Ordinis Sancti Benedicti Monachus, Diœcesis Lemovicensis, tunc Archiepiscopus Arelatensis, & Camerarius suus, Dominus Faiditus de Agrifolio Diœcesis Lemovicensis tunc Episcopus Avinionensis, Dominus Petrus Ayssellini de Monteacuto Ordinis Sancti Benedicti, Diœcesis Claromontensis, tunc Episcopus Laudunensis, Dominus Walterus de Wardelan Scotus, tunc Episcopus Glascuensis, Dominus Aimericus de Manhaco Diœcesis Lemovicensis, tunc Episcopus Parisiensis, Dominus Johannes de Novocastro Burgundus, consanguineus & Cubicularius suus, tunc Episcopus Tullensis, Dominus Jacobus de Mentonay Diœcesis Gebennensis, tunc Archidiaconus in Ecclesia Remensi, & Cubicularius suus) duos etiam Diaconos ordinavit, videlicet Dominos Amedeum de Saluciis Pedemontanum, tunc Electum Valentinensem, nepotem vel consanguineum suum proximum, & prædictum Magistrum Petrum de Fitinia co, licèt grandævum, totum tamen aliàs vir tuosum. Cujus promotio sicut Deo servire & Ecclesiæ favere volentibus fuit placabilis, & ad id faciendum allectiva, sic præfati Johannis de Maresiis punitio contrariis imitantibus, ejusque memoriam habentibus esse debuit & debet terribilis, & ab eisdem repressiva.

Insuper adveniente tempore Paschali, ad instantiam Regis Franciæ & Ducis Bituricensis prænominati, præfatus Clemens promovit in Diaconum Cardinalem Dominum Petrum de Lucenborch fratrem Comitis Sancti Pauli, tunc Electum Metensem, ætate quidem juvenem, sed magnis meritis & virtutibus adornatum, pro ut infra, quum ejus obitus narrabitur, pleniùs describetur. Eodem Anno, scilicet MCCCLXXXIV. die XX. mensis Septembris memoratus Dux Andegavensis Ludovicus, regio nomine jam assumto, qui hactenus dives & abundans plurimùm exstitit, satis pauper & indigens, Amedeo Comite Sabaudiæ prælibato, multisque ex suis commilitonibus & armigeris tam mediâ quam gladio jam defunctis, pro ut Domino placuit, infirmitate prægravatus diem clausit extremum in Civitate Barensi suæ tunc subdita ditioni. Quod quàm lamentabile quàmque damnosum exstiterit sibi adhærentibus, quos jam multos ultra secum ductos in dicto Regno habebat, tam amore quàm vi sibi confœderatos & attractos, judicet qui cogitat, percusso capite cetera membra pati. Successit autem sibi tam nomine quàm ea parte, quam in dicto Regno obtinebat, Ludovicus filius suus primogenitus vix septennis, qui sub regimine Mariæ matris suæ habuit diutiùs permanere, saltem donec & quo usque ad annos attingeret pubertatis. Interim verò per dictæ matris providentiam cum assistentia & juramine dicti Clementis Papæ, patria Provinciæ, quæ patri rebellis & inobediens exstiterat, ad ipsius dominium est reducta. Ea etiam quæ per dictum patrem suum in dicto Regno tenebantur non minus immo & amplius in aliqua parte prosperata sunt, quàm ipso vivente. Quo etiam adhuc existente in eodem Regno contigit unum mirabile & stupendum, Dei tamen judicio, ut opinor, ordinatum: videlicet, quod dicto Bartholomæo intruso Neapolim accedente, orta fuit discordia inter eum & præfatum Carolum jam, ut supra tactum est, per eum de facto in Regem sublimatum. Quumque nondum accessa Civitate ad invicem convenerant, inter eos adeo crevit discordia, quod idem Carolus ipsum ibidem arrestavit, aut verius captivavit, & ne ulterius procederet, impedivit. Sed aliquibus se interponentibus, dictoque Bartholomæo offensam suam ad tempus aliquod dissimulando pertransseunte liberatus fuit, & demum intravit. Sed ibidem eo existente, cogitavit hoc sibi non fore tutum. Et idcirco post moram ibi aliquanto tempore factam ab inde exiens venit Nuceriam, ubi quod conceperat, deducere disposuit ad effectum. Sed hoc ad notitiam dicti Caroli perducto, ipse ad ejus obsidionem viriliter se accinxit, locumque prædictum fortiter & diutius expugnavit. Sed tamdem per Dominos nobiles Dominos de Sancto Severino, & nonnullos alios tunc fautores dicti Bartholomæi in manu potenti ad sui auxilium & juvamen supervenientes dicta obsidio levata exstitit, & ipse liberatus. Qui demum ab inde recedens, quosdam de suis Anticardinalibus, quos de præmissis contra ipsum attentatis conscios & culpabiles æstimavit, prius depositos, vinculatos enormiter secum duxit. De quibus quid egerit, & in quem locum ipse ab inde declinaverit, infra suo loco describetur.

Anno autem Domini MCCCLXXXV. circa vernale tempus, Carolus Rex Franciæ recepit in conjugem Isabellam filiam Stephani Ducis Bavariæ. Eodem etiam tempore obiit Ludovicus Rex Hungariæ, duabus filiabus superstitibus: quarum primogenita sibi in Regno Hungariæ succedens nupsit Sigismundo Marchioni Brandeburgensi fratri Regis Bohemiæ: secunda, quæ in Regnis Poloniæ & Cracoviæ sibi succedebat, & jam vivente contraxerat cum Guillelmo primogenito Leopoldi Ducis Austriæ & secum, ut dicebatur, nubilis existens cohabitaverat per aliquod tempus. Post verò ejusdem Regis obitum ipsam de facto recepit Ladislaus Dux Lotobbiæ adhuc paganus existens, licèt se demum converterit ad Fidem Christianam. Anno prædicto MCCCLXXXV. die XII. mensis Julii, aliquibus Cardinalibus noviter defunctis, præfatus Clemens novam fecit creationem, videlicet septem Cardinalium Presbyterorum, qui fuerunt: Dominus Bertrandus de Chanaco diœcesis Lemovicensis, tunc Patriarcha Hierosolymitanus; Dominus Thomas de Amanatis Italicus, tunc Archiepiscopus Neapolitanus, & Referendarius Papæ; Dominus Johannes de Placentinis Lombardus, tunc Episcopus Castellanensis, aliàs Venetiarum; Dominus Amelius de Lautreco Canonicus Regularis Ordinis Sancti Augustini de Albigesio, tunc Episcopus Convenarum, & etiam Papæ Referendarius: Dominus Johannes de Murolio diœcesis Claromontensis, tunc Episcopus Gebennensis, familiaris Papæ; Dominus Petrus de Tureyo Burgundus, tunc Episcopus Malleacensis; & Dominus Johannes de Broniaco diœcesis Gebennensis, tunc Episcopus Vivariensis, & Cubicularius ipsius Papæ. Per idem tempus occupabat Regnum Portugalliæ quidam Johannes Magister Militiæ dictæ Davidi, asserens se fuisse fratrem Regis ultimò mortui: cujus filiam, ad quam Regnum hujusmodi pertinere dicebatur, habebat in conjugem

Johan-

Johannes Rex Castellæ memoratus. Cujus occasione guerra fuit mota, ortaque discordia inter prædictos Regem & Magistrum. Et mense Augusti anni prædicti, die videlicet XIV. prælium consertum est. In quo, prout Domino placuit, idem Rex exstitit victus; fueruntque mortui quamplures Milites & armigeri tam de sibi subditis quàm illis qui in sui succursum advenerant de partibus Gallicanis.

Anno Domini MCCCLXXXVI. die prima Januarii, Sol circa horam Tertiarum, licèt per prius ab aurora diei, & post ejus ortum aër satis claruisset, & ipse more solito splenduisset, eclipsatus est, & in tantùm aër obfuscatus & obtenebratus sicut in noctis crepusculo communiter esse consuevit & adeo quòd in carreriis aut aliàs sub divo tunc existentes legere, aut diversitatem personarum vel monetarum discernere difficiliter potuissent. Eodem occurrente tempore Bartholomæus intrusus recedens de Apulia navigando pervenit Januam cum pluribus ex Anticardinalibus suis, ex quibus sex de illis, quos, ut supra tactum est, tamquam conscios & culpabiles super attentatis contra ipsum per Carolum de Duracio memoratum vinculaverat, ut aliqui dixerunt, in mari submergendo, aliqui, quod in terra vivos sepeliendo, & aliqui, quod plantatos in terra usque ad mentum capite truncatos fecit immaniter trucidari, eis reddens pro suis obsequiis secundùm quod diabolus, cujus ministri erant, suis servitoribus reddere consuevit. Per idem etiam tempus præfatus Carolus adiit Regnum Hungariæ, sperans ibi fautores & amicos habere, per quorum ministerium & juvamen Regnum ipsum, in quo tamquam propinquior Regi mortuo per lineam masculinam jus se prætendebat habere, acquirere posset, & illud Siciliæ, cujus nomen, licèt falsò, gestabat, cum ejus pertinentiis defensare. Sed suis fraudatus desideriis, non amicos sed inimicos ibi reperit, per quos exstitit crudeliter interemtus, justo Dei judicio pœnam condignam recipiens pro commisso scelere in nece Johannæ Reginæ memoratæ: quæ Domina sua naturalis erat, fueratque sibi continue plusquam mater, ipsum à cunabulis in propria nutricando, fovendo & exaltando, immo à morte, cui aliquando adjudicatus exstiterat, præservando. Quorum omnium non recordatus, ejus vitam odivit, statum concupivit, & mortem ordinavit. Cujus sanguis de terra clamavit ad Dominum, donec prædictam perpessus est ultionem. Fuit etiam tempore prædicto suscitata guerra & mota discordia inter prænominatum Leopoldum Ducem Austriæ & Populares ac incolas locorum Imperialium adjacentium terris suis. Quæ adeo incaluit, quod ipse de viribus suis nimiùm confidens, eosque spernens, & non cogitans dubium belli eventum, in propria ipsos disposuit debellare. Ipsi verò sibi viriliter occurrentes, quum essent numero plures & armis fortiores, ipsum interfecerunt cum majori parte suorum, aliis dantibus terga fugæ. Istis etiam pendentibus Galeatius de Vicecomitibus Mediolani Comes Virtutum captivavit Barnabovem patruum suum improvisum, nec de hoc cogitantem, ipsumque carceribus mancipavit, in quibus demum satis citò mortuus est. Cujus filiis omnibus aut strictè detentis, aut tamquam exilio damnatis, in egestate & miseria per

A Mundum hinc inde vagantibus, loca, Civitates & dominia unà cum ceteris bonis omnibus, quæ ad ipsum, dum liber erat & viveret, pertinebant, idem Comes occupavit. Nec fuit qui in his quoquo modo suæ resisteret voluntati. In quo quantum in potentia & divitiis confidendum existat, notent & considerent ipsi principaliter abundantes, quum ipse inter ceteros hujus Mundi in iis unus foret de majoribus, & tamen omnia perdidit una die. Prædictis autem peractis dictus Comes, suis certis tractantibus amicis, datisque magnis pecuniis, & aliquibus locis & dominiis assignatis, filiam suam unicam, quam habebat, in conjugem tradidit Ludovico Duci Turonensi, postea Duci Aurelianensi, fratri germano Regis Franciæ memorati, cui erat secundo gradu consanguinitatis conjuncta, quum ejus mater soror fuerit patris sui. Fuitque super hoc dispensatum per Clementem Papam memoratum. Sed utrùm etiam per Bartholomæum, dubito, quum ipse Comes ad partem suam satis patenter tunc existeret inclinatus. Quo etiam tempore ipso Bartholomæo intruso adhuc Januæ permanente, duo ex suis Anticardinalibus, Italici natione, ab ipso divertentes, se ad dictum Clementem converterunt, videlicet Pileus de Prata, qui longo tempore ante dictum Schisma Archiepiscopus Ravennatensis exstiterat, & Dominus Galeretus de Petramala. Quorum primum dictus Clemens in Presbyterum, secundum verò in Diaconum Cardinales assumsit, eis noviter dans verum statum, quem ante usurpative tenuerant cum dicto intruso persistentes. Misitque eis Cappellos rubeos, quos ipsis vice sua tradi mandavit per Dominum Petrum Girardi Episcopum Aniciensem Nuntium suum in certis locis, ad quem confugerant a dicto intruso recedentes. Verumtamen de primi reductione non est mentio facienda, quum illusoria fuerit atque ficta, pro ut infra demonstrabitur suo loco. Alius autem mansit & vixit laudabiliter firmus & stabilis in fide assumta permanendo.

Anno Domini MCCCLXXXVII. die V. mensis Julii obiit memoratus Dominus Petrus de Lucemburch Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis, suæ ætatis decem & octo annis nondum completis. Qui ab infantia continue dilexit & timuit Deum, & veram ad eum & proximum caritatem habuit, justitiam & æquitatem tenuit, virginitatem & munditiam servavit, in humilitate permansit, in omni morum honestate perseveranter vixit, & tamdem sanctissime diem ultimum terminavit. Ejus autem Vita licèt fuerit admodum laudabilis, immo & quodammodo aliis exemplar suarum ætatis & nobilitatis respectu, tamen sua mors subsequuta ejus ingentia merita peramplius demonstravit. A die enim qua corpus suum sepultum fuit in Cimiterio communi pauperum, in quo præ nimia humilitate vivens suam elegerat sepulturam, magnis & stupendis miraculis clarescere cœpit. Ejus namque tumulum visitantes, aut pro suis languoribus & necessitatibus suum patrocinium implorantes, confestim remedia invenerunt opportuna & experti sunt, nedum liberati a febribus, & ab aliis infirmitatibus, quæ communiter accidere solent, sed etiam cœci visum, surdi auditum, claudi gressum, muti loquelam, leprosi munditiam, sunt ejus meritis consequuti. Sed & quod majus est, pluri-

plurimi mortui ad vitam priſtinam ſunt reſtituti. Quæ adeo continuata referuntur, quod fere ubique infra paucum tempus divulgata fuere. Propter quod etiam de diverſis longinquis ſeu remotis partibus venerunt quamplurimi ad ſuum dictum tumulum, qui per prius magnis gravati languoribus, ejus meritis & interceſſionibus ſani & incolumes ad propria redierunt, pro ut ii omnes qui ejus ope adjuti ſeu ſani facti ſunt, quive prius languidos aut male ſe habentes, ac domum convaluiſſe viderant, atteſtati ſunt, & vota innumerabilia ſuper eis reddita indicant manifeſte. Inter quos etiam exſtiterunt non pauci, qui quamquam forent ſchiſmatici, ac dicto Bartholomæo intruſo adhærentes, videntes tot prodi- B gia & ſigna, quæ Deus eum invocantibus ſuis interceſſionibus continue faciebat, ejus compulſi ſunt confiteri ſanctitatem, nec ulterius ſuum ſtatum ſeu titulum, quem ſciebant ipſum a dicto Clemente recepiſſe, tamquam indebitum auſi ſunt quomodolibet impugnare. Fuitque propterea ſtatus dicti Clementis juſtior & ſolidior multimode reputatus, per quem plures æſtimantes & a certo tenentes, quod ipſe, qui jam ſpiritu Dei plenus fuiſſe ſecretorumque cæleſtium, in quantum in eis ſalus ſua tangebatur, notitiam ſufficientem habuiſſe creditur, ſibi non adhæſiſſet, nec promotiones ſuas ab ipſo recepiſſet, niſi ipſum ſciviſſet juſtum habere titulum in Papatu. Qui C demum tam pro parte Regis Franciæ, quàm plurium Prælatorum crebris & multiplicatis ſupplicationibus propulſatus & requiſitus exſtitit, ut ad ejus canonizationem procedere dignaretur, quum merita ſua hoc expoſcerent, dictis miraculis & prodigiis id ipſum indicantibus manifeſte. Ipſe autem in his mature procedere volens, commiſſit ſuper præmiſſis inquiri diligenter, & informationem recipi tam Prælatos, quam ceteros Cardinales ad hoc per ipſum deputatos, pro ut eſt in talibus fieri conſuetum. Interim circa tumulum ſuum fuit inſtitutum unum Cœnobium certorum Fratrum Cæleſtinorum, qui habent ibi in ejus commemorationem & honorem D Deo deſervire, ordinatis pro ipſis ibidem Eccleſia & officinis eis neceſſariis ad tempus competentibus, & tamdem ſolemniter ædificandis. Qui etiam de oblationibus & votis ſui conſideratione obvenientibus pro majori parte poſſunt ſuſtentari. Per idem tempus Petrus Rex Aragonum volens ſuper veritate tam electionis dicti Clementis, quàm intruſionis dicti Bartholomæi plenius informari, & præſertim cum Cardinalibus, qui talium ſuper omnes mortales notitiam certiorem habebant, miſit Avinionem certos Nuntios ſeu Ambaxiatores ſuos, utique viros literatos, providos & diſcretos tam ad dictum Clementem quàm Cardinales memoratos. Qui vice ſua ſuper præ E miſſis cum eis haberent inquirere diligentius, quemadmodum per prius Romam miſerat ſimili de cauſſa. Dicti autem Nuntii ſingulariter & ſingillatim dictos Cardinales etiam juratos interrogaverunt ſuper certis articulis, factum intruſionis & alia concernentibus prout a dicto Rege habuerant in mandatis. Et idem per omnia fecerunt de multis aliis viris notabilibus tunc in Curia exiſtentibus, qui præſentes exſtiterant, in locis, in quibus facta fuere. Fueruntque dicta omnia redacta in ſcriptis etiam ſub manu publica, & authentica forma, & ſic per dictos Nuntios ad propria A redeuntes dicto Regi reportata. Qui eis receptis, viſis, & diligenter examinatis, habitaque multimoda deliberatione cum regnicolis ſuis tam Eccleſiaſticis quàm mundanis, tamdem deliberavit ſe cum eis pro parte dicti Clementis publice declarare, ſibique obedire, adhærere, & favere tamquam vero Papæ: ſicque, ut firmiter creditur, ſatis citò poſt deduxiſſet ad effectum, ſed morte præventus hoc adimplere nequivit. Obiit enim die V. menſis Januarii anni ejuſdem. Cui ſucceſſit in Regno Johannes Dux Gerundenſis ſuus filius primogenitus: qui de paterna intentione plene certificatus, præmiſſiſque informationibus plenius recenſitis, ac habita deliberatione matura cum ſuis regnicolis, de eorumque conſilio & aſſenſu, ad dictam declarationem faciendam proceſſit, ſibi aſſiſtente, ſicque fieri ſolicite procurante præfato Domino Petro de Luna Diacono Cardinale, qui etiam diutius inſtiterat ad hoc pænes patrem ſuum memoratum. Cujus indignationem propter hoc metuens incurrere Dominus Jacobus de Aragonia tunc Epiſcopus Valentinus, ſuus conſanguineus germanus, ſtatum Cardinalatus ſibi a jam diu ante datum per dictum Clementem Papam ſuo tempore recipere retardavit: quem tamen poſt ejus obitum, factaque dicta declaratione per Johannem filium ſuum acceptavit. Fuitque ſibi ad inſtantiam dicti novi Regis miſſus Cappellus rubeus, & per memoratum Petrum Cardinalem de mandato ejuſdem Clementis Papæ traditus & aſſignatus.

Obiit etiam ſatis citò Carolus Rex Navarræ. Cui ſucceſſit in Regno Carolus ſuus filius primogenitus. Qui etiam proceſſu temporis, opportunitate captata, ſuam ſolemniter declarationem fecit pro dicto Clemente Papa, quam pater, licèt ex certis cauſſis diſtuliſſet, facere diſpoſuerat, ſed morte præventus non potuit, eam ad dictum filium ſuum per eum fiendam tranſmittens. In qua etiam ſibi adſtitit & efficaciter operatus eſt memoratus Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis. Per idem etiam tempus Johannes Dux Lencaſtriæ intravit & invaſit Regnum Caſtellæ cum magna multitudine armatorum, prætendens Regnum hujuſmodi ſibi deberi ratione conjugis ſuæ, quæ filia fuerat Petri quondam Regis ejuſdem Regni, qui ſine liberis maſculis deceſſerat, Regnumque ipſius ſecundùm eum indebite occupatum fuerat per Henricum fratrem ſuum naturalem, & ſic adhuc occupabatur per Johannem filium ſuum in dictæ conjugis ſuæ præjudicium atque damnum. Et licèt idem Dux in dicto Regno quamplurima damna intulerit, tamen non minora ipſe perpeſſus eſt in gentibus ſuis; ex quibus multi periere, magis inediâ ob victualium defectum quàm propter bellicos inſultus. Tamdem verò interponentibus ſe aliquibus utriuſque partis amicis fuit inter ipſos pax reformata. In qua principaliter ſequentia ordinata fuere. Primò filia dicti Ducis ex dicta ſua conjuge data fuit in uxorem Henrico infanti, & primogenito dicti Johannis Regis. Secundò data fuit Duci præfato una ſumma magna pecuniæ, ac in promtu ſoluta pro expenſis per ipſum factis ratione præmiſſorum. Tertiò quod quamdiu viveret dicta uxor ſua, annuatim reciperet in dicto Regno quadraginta millia Duplorum ſeu Francorum. Quartò quod ex tunc dictus Dux, qui per prius ſe Regem Caſtellæ nominabat, nomen hujuſmodi dimitteret, de-

deretque juri sibi aut uxori suæ in dicto Regno competenti. Quibus firmatis & perfectis idem Dux ad propria remeavit, dicto Regno in pace & quiete dimisso. Ipse etiam adhuc in eo existens, seu ante dictam pacem dedit aliam filiam suam primogenitam, quam habebat ex sua prima conjuge, prænominato Johanni Militiæ, qui se pro Rege Portugalliæ gerebat & nominabat, cum quo per prius confœderatus & colligatus exstiterat contra Johannem Regem Castellæ memoratum. Sed dicta pace interveniente fuit etiam inita treuga ad magnum tempus inter eosdem Castellæ & Portugalliæ Reges, ne occasione discordiæ ipsorum dicta pax posset quoquomodo violari seu infringi. Dictis insuper factis concordiis nova fuit exorta discordia inter Carolum Regem Franciæ, & Ducem Guelriæ. Cujus occasione idem Rex cum magno exercitu armatorum ad invadendum terras dicti Ducis se accinxit. Et e contrario idem Dux ad sibi resistendum se disposuit, & paravit, habuitque multos sibi confœderatos tam de Leodiensibus, quàm de Alamannis, per quorum districtum dictus Rex habebat transitum facere, qui iter suum facientes exercitui suo damna quamplurima intulerunt. Antequam tamen hinc ulterius ad graviora procederent, pro parte dicti Ducis eidem Regi talia & tanta oblata fuere & præsentata, quod ipse placatus exstitit, & de eo contentus ad propria remeavit. Quum verò pervenit ad Civitatem Remensem, ipse qui usque tunc sub tutoribus & actoribus, hoc est, sub tutela & gubernatione patruorum suorum permanserat, subitò & absque præmeditatione eorumdem, immo & aliorum paucorum sui regni regimen assumsit, volens eos ex tunc tamquam Consiliarios sibi assistere, non autem velut Gubernatores habere. De quibus ipsi & alii quamplures eis assistentes non bene contenti remansere: præsertim quia in officiis & aliis administrationibus, ex quibus ea gerentibus emolumenta quamplurima proveniebant, multa immutata & innovata fuere. Per idem tempus inimico hominum satoreque zizaniæ diabolo procurante orta fuit discordia inter Universitatem Parisiensem & Ordinem Prædicatorum, cui & ejus suppositis multa imposita sunt tam per ipsam Universitatem, quàm plures alios ipsis æmulantes. Quorum occasione fere in toto Regno Franciæ, & præsertim in Lingua Gallicana, quamplurimi contra ipsos insurrexerunt, multos ex ipsis captivando, oblationes & eleemosynas eis denegando, prædicationes verbi Dei, propositiones, & confessionum auditiones eis inhibendo. Dicta enim Universitas à se eos totaliter segregavit; ad actus scholasticos inibi faciendos, aut honores & gradus recipiendos nedum non admisit, sed etiam impedivit. In quibus omnibus fautores paucissimos, persequutores plurimos habuerunt, fueruntque passi damna infinita, nedum in personis, sed etiam in bonis. Ac ut de injuriis, opprobriis, & contumeliis, irrisionibus, & detractionibus taceamus, pro tunc facti fuerunt tamquam opprobrium hominum & abjectio plebis. Duravitque tempestas hujusmodi per plures annos; nec fuit qui adjuvaret, & hoc maxime quia qui eos persequebantur, se Beatæ Virgini æstimabant sacrificare, cui dictum Ordinem & ejus supposita multimode injuriari & detrahere asserebant in eo, quod quasi omnes ipsam asserunt & opinantur in peccato originali conceptam fuisse. Quod utique fore erroneum & damnatum tales adstruebant, non obstantibus opinionibus multorum Sanctorum & Doctorum approbatorum, contrarium opinantium. Eorum dicta quidam dictus Johannes de Montesono (a) de eodem Ordine, noviter in dicta Universitate magistratus recitavit, & vera esse asseruit, requisitusque pro parte dictæ Universitatis, ut dicta sua hujusmodi tamquam falsa & erronea revocaret, sciant cuncti, quod revocare recusavit; ideo per ipsam Universitatem contra ipsum fuit multimode processum.

Anno Domini MCCCLXXXIX. memoratus Rex Franciæ venit Avinionem ad dictum Clementem penultima die mensis Octobris, fuitque receptus multùm solemniter, pro ut decebat, tam per Papam prædictum, quàm totam

Cu-

(a) „ Dubitans ne Auctor hujus Chronicæ fuerit „ de dicto Ordine Prædicatorum, in cujus „ Ordinis favorem non plene caussam dictæ „ discordiæ expressit, sciant cuncti, quod „ veritas sic se habuit, quod dictus de „ Montesono ex magna arrogantia, & ex „ quadam collusione facta cum pluribus „ Magistris & aliis de dicto Ordine, plures „ Conclusiones tangentes materiam Con„ceptionis Beatæ Mariæ male sonantes & „ pias aures offendentes, ponere in Scholis „ & asserere non formidavit, pluresque de „ dicto Ordine in diversis Civitatibus Regni „ Franciæ in suis sermonibus & aliis acti„bus illò tunc plura nefanda, turpia, & „ inhonesta de dicta Beata Virgine & ejus „ Conceptione, quæ etiam de aliis mulie„ribus tamquam abominabilia tacenda fo„rent, ad sui ostentationem seu potius per„niciem adstruere non erubuerunt. Prop„ter quæ dicta Universitas caussam Beatæ „ Mariæ, & veritatem semper defendens „ contra tales & dictum Ordinem, qui eos „ sustinebat, viriliter & debite processit &c. „ Hoc autem posui, quia ego tunc Parisius „ præsens eram, & ea in propria cognovi. „ Et quia dictus Ordo in hoc sibi favere di„cebatur, inde fuit suscitata turbatio su„pradicta. Nec fuit remedium circa seda„tionem ejusdem, nisi in dictis partibus „ per dictum Ordinem fieret Festum so„lemniter de dicta Conceptione, quodque „ à cetero in Sermonibus, Collationibus, & „ Disputationibus inter supposita ejusdem „ de materia hujusmodi taceretur, aut ad „ partem affirmativam nullo modo descen„deretur. Quibus observatis & in facto „ deductis, cessavit dicta seditio, & dictus „ Ordo quo ad persequutiones personales „ satis in pace remansit, non tamen ad „ actus scholasticos, & alios consuetos per „ dictam Universitatem fuit de longo tem„pore post restitutus. O utinam materia „ hujusmodi nusquam venisset in concerta„tionem seu disputationem Virorum lite„ratorum nec aliorum, aut de ipsa in Ser„monibus per eos mentio facta fuisset, quum „ potius hucusque multi super ea curiose, „ ac ad sui ostentationem fuerint loquuti, „ quàm ad salutem seu profectum anima„rum. Exinde namque istud & alia scan„dala quamplurima hactenus orta fuerunt, „ quæ ex taciturnitate minime provenissent, „ nec eo minus salus ad hoc non intenden„tium contigisset, quum non sit de arti„culis Fidei, ut artet quemquam ad unam „ partem magis quàm ad aliam declinare, „ in quantum præfati concertantes, dubia „ elicientes, ubi non erant, plusque sapere „ quàm expediret in talibus, se ipsos & „ simplicium animos multipliciter involve„runt. Et sic crederem fore tutius si ad „ alia necessaria & utilia intenderent, & „ hæc & similia evitarent „. *Ita Anonymus quidam Synchronus Scriptor in margine.*

Curiam suam. Venit etiam cum ipso Ludovicus Dux Turonensis frater suus cum aliis quampluribus notabilibus & magnis viris. Die autem festi omnium Sanctorum, quod illo anno occurrit feriâ secundâ, dictus Clemens coronavit in Regem Siciliæ Ludovicum juniorem filium alterius Ludovici, qui, ut supra recitatum est, per antea in Apulia exspiraverat, præfato Carolo Rege Francorum assistente, qui etiam cum humilitate debita pro tunc fudit aquam manibus Papæ prædicti Missarum solemnia celebrantis. Ob cujus honorem & reverentiam, suisque precibus inclinatus dictus Clemens Papa die III. ejusdem mensis assumsit in Presbyterum Cardinalem Dominum Johannem de Talaru, tunc Archiepiscopum Lugdunensem, nationis ejusdem, virum utique, licèt grandævum, tamen admodum virtuosum & literatum, qui etiam pro juribus Ecclesiæ suæ, quamdiu eidem præfuit, multa & magna fuerat operatus. Post hæc dictus Carolus Rex de Avinione recedendo ivit ad partes Tolosanas, in quibus & circumquaque mansit usque ad mensem Januarii subsequentis. Qui redeundo ad partes Franciæ, transitum fecit per Avinionem; factâque ibi morâ satis modicâ, iter suum continuando ab inde discessit. Dum præmissa in partibus cismontanis agerentur, de mense videlicet Octobris denotato, Bartholomæus intrusus, qui per prius de Janua recedendo tam in Luca, quàm Perusio moram aliquanto tempore fecerat, multa perniciosa & scandalosa operando, tamdemque Romam redierat, totus pertinax & impœnitens ibi spiritum exhalavit. Cui per suos Anticardinales in suo statu nefario fuit substitutus unus ex eis, dictus Petrus de Tomasellis, de Neapoli oriundus, juvenis quidem tam ætate quàm moribus, satis illiteratus, & ad insequenda vestigia dicti Bartholomæi totus dispositus & paratus, qui licèt falsò, Bonifacium IX. se fecit nominari. Auditâ autem intrusione sua per supranominatum Pileum de Prata, quem dictus Clemens Papa, quia de grege dicti Bartholomæi ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ & suum se venire & redire finxerat, in Presbyterum assumserat Cardinalem, quique demum in Avinione secum manserat per aliquod tempus, post verò sub fictis & exquisitis coloribus & fraudolenter procuraverat se ad partes Italiæ destinari, ubi in Terris & locis Ecclesiæ eidem Clementi adhærentibus simulate resedit usque ad tempus intrusionis memoratæ, statim ad ipsum novum venit intrusum, & tamquam canis ad vomitum rediens, rejecto statu à dicto Clemente recepto, se fecit per ipsum noviter pileari, demonstrans qua intentione, quove spiritu à Bartholomæo recedere & venire se finxerat ad dictum Clementem. Sed Deus sibi satis reddidit punitionem condignam pro meritis: quum etiam in parte ad quam sic ultimò improbe declinavit, ab illa hora homo inconstans & variabilis & perfidus fuit communiter æstimatus, vulgariterque dictus seu nominatus Cardinalis de Tricappelli, hoc est trium Cappellorum, idest à tribus Cappellatus. Utinam adhuc exstans sit à quarto, sic tamen quod Cappellus sibi tradatur de chalybe, ære, vel ferro candenti, ut sic extinguatur ejus ambitio, & protervitas confundatur. Postquam verò ad dicti Clementis pervenit notitiam intrusio de dicto Perrino modo præmisso facta noviter, ipse contra eum suos inchoavit processus juridicos tamquam Sedis Apostolicæ invasorem, ac damnatæ memoriæ dicti Bartholomæi scientem & voluntarium in vitio & crimine successorem. Sed quod dolendum existit, nedum ut alius ipsos contemtui habuit, quinimmo in perfidia & obstinatione sibi totaliter pacificari voluit & æquari, similia contra dictum Clementem in omnibus attentando.

Præterea de mense Junii anno Domini MCCCXC. Ludovicus junior Rex Siciliæ noviter coronatus iter suum arripuit versùs Neapolim navigando, gentibus armigeris notabiliter comitatus, ac victualibus sufficienter munitus. Cui, ut sibi circa regimen Regni sui assisteret & in agendis consuleret, præfatus Clemens Papa tradidit Dominum Petrum de Tureyo Tituli Sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem, quem etiam constituit Legatum suum de latere in partibus illis, ut in eis circa reductionem rebellium & infidelium insisteret, & ad ipsum fideles sui recursum haberent. Eodem tempore Carolus junior Rex Navarræ, postquam in Regno suo sublimatus exstitit & coronatus, misit ad dictum Clementem Papam suos notabiles Nuntios. Qui interea ab ipso sui parte postularunt, petierunt, instanterque supplicarunt, ut Dominum Martinum de Salva suum Cancellarium & regnicolam, tunc Episcopum Pampilonensem, assumeret in Presbyterum Cardinalem. Qui supplicationibus hujusmodi velut rationabilibus & condignis acquiescens, de unanimi Cardinalium consensu ipsum ad hoc promovit & assumsit die XXI. mensis Julii ejusdem anni. Qui etiam hoc idem aliàs facere dispofuerat vivente Carolo patre dicti Regis, quum unus de notabilioribus Prælatis totius Ecclesiæ ac inter ceteros Doctores Juris canonici universi Orbis de majoribus æstimaretur, essetque in vita, moribus, & prudentia, ac aliis virtutibus notabiliter commendatus, si ipse tunc in hoc assentiri voluisset. Sed pro tunc assentiri noluit, non alia de caussa nisi quod continue insistens circa dictum Regem ut se pro parte dicti Clementis præcise & publice declararet, in hoc se posse plus proficere in statu primo quàm prædicto verisimiliter æstimabat. Sed demum postquam idem Rex hoc non facto, licèt disposito, obiit, & filius ejus hoc fecit, ipse promotioni hujusmodi humiliter acquievit. Eodem etiam tempore invaluit pestis & mortalitas in Avinione & locis circumvicinis. Propter quod dictus Clemens ab inde discessit, venitque Bellicadrum diœcesis Arelatensis, Castrum Regis Franciæ pro tunc à dicta peste satis mundum: ubi manendo, vocatis ad se aliquibus Cardinalibus tam in Avinione quàm circum circa morantibus, quum nonnulli ex aliis noviter obiissent, die XVII. mensis Octobris novos fecit Presbyteros Cardinales, videlicet Dominum Johannem Flandrini diœcesis Vivariensis tunc Archiepiscopum Auxitanensem, & Dominum Petrum Gerardi de Foresio diœcesis Lugdunensis tunc Episcopum Aniciensem, Cubicularium suum. Obiit etiam eodem mense Johannes Rex Castellæ satis subitò & inopinate. Equitando enim & currendo per unum campum ad quem caussâ spatii iverat, equus quo vehebatur cespitans cecidit, & ipse pariter cum eo, ruptoque collo ibidem exspiravit. Cui successit in Regno Henricus suus filius primogenitus vix decennis. Fuit ta-

tamen inter proceres Regni tam Ecclesiasticos quàm seculares, & præsertim Archiepiscopos Toletanensem & Compostellanum altercatio magna, ad quem vel quos ejus & regni sui gubernacula pertinerent. Cujus occasione sequuta sunt scandala multa, & specialiter dicti Archiepiscopi Toletani detentio seu verius captivatio, quam procurarunt æmuli sui, volentes ipsum in regimine hujusmodi supplantare. Sed tamdem per mediationem certorum Nuntiorum, quos dictus Clemens Papa hac de caussa illuc destinavit, fuit liberatus, & in regimine prædicto aliis quibusdam de hoc etiam concertantibus aggregatus. Quo facto cessavit altercatio hujusmodi, mansitque dictus Rex sub eodem regimine usque ad tempus pubertatis suæ à patre suo præfinitum.

Præterea quum prius orta fuisset discordia inter Philippum Ducem & Comitem Burgundiæ & Dominum Guillelmum de Vergeyo Archiepiscopum Bisuntinensem tam super certis juribus Ecclesiæ Bisuntinensis quàm aliquibus aliis, durassetque diu, nec bono modo posset sedari, dicto Domino Guillelmo eidem Ecclesiæ præsidente, quum memoratus Dux ipsum quodammodo odio personali prosequi videretur, tamdem ad ejusdem Ducis instantiam quàm etiam pro bono pacis, & quia ipse etiam hoc bene merebatur, quum esset bonus & valens Prælatus, & magnus pugil & defensor notabilis jurium Ecclesiæ suæ reputatus, præfatus Clemens anno MCCCXCI. ipsum assumsit in Presbyterum Cardinalem. Eodem etiam anno, primâ mensis Augusti, obiit Gasto Comes Fuxi admodum subitò & inopinate. Credens enim esse sanus & incolumis, disponens se ire ad mensam pro cœna, dum aqua ejus funderetur manibus, statim mortuus cecidit prostratus, quod fuit ad magnum stuporem terroremque sibi adstantium, sed non omnium, quum eorum aliqui & sibi magis propinqui potius & citius intenderunt ad recipiendum bona sua, quàm ad corpus suum condiendum. In quo discant & advertant potentes hujus seculi, quantùm in præeminentiis & potentiis & divitiis confidendum & sperandum existat. Hic enim, licèt inter alios hujus Mundi paucos etiam majoris dignitatis aut status in eis ipsum excedentes haberet, ipseque in eis in tantum confisus est, quod etsi Deum, hominem tamen revereretur quasi nullum; & tamen omnibus in puncto sibi deficientibus, sicut nudus egressus est de utero matris suæ, ita nudus ad tumulum est translatus notanter. Et dico, nudus, quia, ut habet relatio publica, postquam compertus est mortuus, per suos vestibus propriis exutus, uno pallio solo satis vili coopertus, in lecto straminum fuit reclinatus, ubi mansit usque ad noctis tenebras: quibus imminentibus repositus super bigam seu rhedam, quæ pari boum trahebatur, paucis ipsum concomitantibus, solisque duobus luminaribus cereis ipsum præeuntibus, ad locum Ortesii exstitit deportatus. O quàm subita & admiranda mutatio! Qui enim mane surgens lecto solemni, cameris amplis dormierat, vespere jacet mortuus in lectulo palearum: quique aulis regiis stipatus, plurimisque ferculis ac poculis epulatus exstiterat in cœna, carens, solusque reconditur in loco bestiarum; & cui prius affluebant divitiæ, & deliciæ non deerant, ipsum premunt miseriæ, dum mortis angustiæ subitò cumulantur. In Comitatu autem, Terris, & dominiis suis, quum ipse nullos liberos legitimos haberet, sibi successit Matthæus Vicecomes Castriboni nepos suus, ex consanguineo tamen germano. In pecuniis, quas innumeras dicebatur habere, successores varios habuit. Fertur enim quòd de ipsis, qui potuit capere, cepit. Et quemadmodum de diversis locis congregatæ exstiterant, sic inter diversos dispersæ fuerunt. Eodem fere tempore obiit Amedeus junior Comes Sabaudiæ, etiam satis inopinate, toxico sibi, ut dicitur, propinato, filio suo æquinomo nondum septenni sibi succedente. Cujus & Terrarum suarum regimen & administrationem juxta dicti Comitis ordinationem accepit Bona de Borbonio defuncti Comitis mater; quæ demum per aliquos ad hoc anhelantes, ut dicitur, falsè & malitiose incriminata & accusata exstitit, quod machinata fuerat, opemque dederat in dicti filii mortem. Cujus occasione in Comitatu hujusmodi fuerunt dissidia multa, & interfectis aliquibus, qui etiam dicti occasus rei & conscii fuisse dicebantur, ad arma devenerunt quasi omnes majores Comitatus ejusdem, aliquibus dictam Comitissam accusantibus, & de facto detinentibus; aliis verò eam excusantibus, magnisque Dominis utriusque partis amicis, discordia hujusmodi hoc modo dicitur sopita fuisse, videlicet, quòd regimen prædictum ad nullum super eo contendentium, sed ad ceteros dicti Comitis Consiliarios pertineret: dicta verò Comitissa tamquam immunis & innocens, & de qua horrendum & nefas erat cogitare, quod tanti facinoris rea aut culpabilis extitisset, liberaretur à detentione prædictorum, viveretque in pace & quiete suis, ad prædictam, aut aliam administrationem præter propriam ulterius non vacatura. Quibus ex tempore deductis, dictus Comes & Comitatus in tranquillitate remanserunt. Paulo post etiam obiit Petrus Comes Gebennensis, frater unicus dicti Clementis Papæ. Qui Papa tam ratione propinquitatis, quàm ex substitutione paterna sibi in Comitatu successit, quum nullam prolem haberet. Tenuitque dictum Comitatum idem Clemens ab inde quamdiu vixit, nomineque suo fecit ipsum gubernari. Quo demum decedente, cessavit ex toto in Domo antiquissima Gebennensi posteritas masculina, quum nullus ex tunc remanserit masculus ex ea procedens per lineam masculinam. Quod aliàs nullo umquam tempore legitur aut reperitur contigisse, quum semper in ea successerint masculi masculis ex eis directe descendentes. Sed quia nihil semper stabile aut durabile permanet, in hoc eis tunc deficientibus oportuit, ut ipsis succederet Imbertus de Villariis, nepos ex sorore dictorum Comitis & Clementis.

Eodem etiam anno MCCCXCII. orta fuit discordia inter Carolum Regem Francorum & Johannem Ducem Britanniæ: disposuitque dictus Rex satis præsumens de suis fortitudine & potentia, ac in ipsis quodammodo glorians & spem ponens, cum magno armatorum exercitu invadere & intrare terras Ducis memorati. Quumque in procinctu intrandi existeret, & die quadam cum suis commilitonibus equitaret, subitò ipsum invasit terribilis & vehemens infirmitas, quæ ejus sensum mutavit, & mentem adeo alienavit, adeoque ipsum oppressit & gravavit, quod ipsum

ipsum oportuit reduci super vehiculum ad Civitatem Cenomanensem, à qua discesserat paulo ante: fuitque ab inde portatus Parisius, ubi diutiùs morbo hujusmodi ægrotavit. Sed tamdem divinâ operante gratiâ bene convaluit, sed non adeo plene, quin aliquibus annis subsequentibus per dilucida intervalla etiam plures eodem anno aliquid senserit de præmissis, quæ sibi contigisse ab aliquibus referuntur ex fascinationibus aut maleficiis sibi propinatis vel procuratis per aliquos sibi domesticos iniquitatis filios & malignitatis alumnos. Qui quum coætaneos Regni sui in corporeis viribus, membrorum agilitate, actuumque omnium ad ipsum spectantium strenuitate præcelleret foretque aliàs ad omne bonum nedum corpore sed etiam mente dispositus, suisque hujusmodi actibus, prosperisque successibus invidentes ipsum sic maligniter & inique malignati sunt impedire. In quo discant ceteri Reges, Principes, & Præsides, quod sibi assistentes non habeant, qui suis actibus, suoque statui æmulentur aut invideant quovis modo, quum in talium consortio periculosius sit quàm inter scorpiones, serpentes, vel aspides habitare. Sunt enim adversùs hos remedia quamplurima, sed contra alios quasi nulla, juxta illud vulgare dictum: *Nulla pejor pestis quàm familiaris inimicus*. Alii tamen dixerunt, quod hujusmodi infirmitas naturaliter caussari potuerat, attentis ætate, complexione, calore temporis, & imaginationibus & laboribus diversis sibi quotidie per Curiales etiam valde domesticos propinatis. Advertant insuper iidem Reges & Principes, quod non in propriis viribus aut potentiis spem ponant, præsumant, aut glorientur, sed in Deo, qui aliter facientes hujus & aliorum multorum exemplo quandoque deprimere & humiliare visus est; in ipso verò tantùm sperantes multimode erigere & exaltare consuevit.

Postquam autem dictus Rex convaluit, anno Domini MCCCXCIII. jam inchoato ipse profectus est ad Civitatem Ambianensem. In qua cum ipso suisque regalibus convenerunt Johannes Lencastriæ & Thomas Clocestriæ Duces, de pace & concordia inter eum & Ricardum Regem Angliæ eorum nepotem tractaturi. Et quia per firmam pacem vel longam treugam de dictorum Regum concordia tunc firma spes dabatur, sperabatur etiam quod per ejus medium dictus Rex Angliæ facilius solito inclinaretur ad partem dicti Clementis Papæ, aut saltem permitteret, quod justitia ejus in sui præsentia suoque Regno divulgaretur & monstraretur. Ad hoc tractandum & operandum per dictum Clementem fuit missus ad partes Franciæ & loca conventionis prædictorum Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis supra sæpius nominatus. Qui licèt circa hoc diligenter & solicite institerit pænes Duces Lencastriæ & Clocestriæ supradictos, aliosque quos in iis circa dictum Regem posse proficere sperabatur, tamen in finalibus nihil effectuale valuit obtinere, non obstante quod treuga satis longa sub spe longioris aut bonæ pacis pro tunc firmata exstiterit inter Reges prælibatos. Eodem tempore memoratus Clemens Papa pro sedatione Schismatis & Unione Ecclesiæ obtinenda ordinavit, quod ubique Processiones fierent, orationes ad Deum & Sanctos ejus devotæ funderentur, & Missæ celebrarentur continue, & specialiter illa, cujus officium incipit: *Salvos fac nos, Domine, & congrega nos de nationibus &c.* quæ cum aliis ad eam pertinentibus fuit per ipsum tunc propter hoc ordinata. Dedit etiam multas Indulgentias præmissa facientibus usque ad effectum petitionis hujusmodi duraturas.

Anno insuper MCCCXCIV. die XX. mensis Januarii, ad instantiam & requæstam Henrici novi Regis Castellæ assumsit in Presbyterum Cardinalem Dominum Petrum Ferdinandi de Metina Hispanum, tunc Episcopum Oxomensem, Domino Guterio Comecii supra nominato jam defuncto. Eodem etiam tempore dictus Clemens Papa inchoavit processus, quos etiam successive continuando multimode aggregavit & reaggregavit, contra quemdam Raymundum Rogerii de Turenna Militem, nepotem quondam ex fratre Gregorii Papæ XI. prædecessoris sui, & complices suos. Qui tyrannice tenens Castrum de Baucio prope Avinionem, ab inde guerram apertam sibi & terris suis ac Ecclesiæ faciendo, Romanam Curiam, totam patriam Provinciæ, Comitatum Venayssini cum Avinionensi, & circumjacentibus territoriis hostiliter molestabat, invadebat, & destruebat, loca occupando, bona victus deprædando & consumendo, aliaque mala quamplurima committendo. Nec ab iis coërceri aut retrahi poterat, licèt diutius exspectatus, ac etiam sæpius amicabiliter admonitus & requisitus. Et quamquam dictum Clementem, cui in gradu secundo affinitatis junctus erat, verum esse Papam sciret, & talem eum nominaret & verbo profiteretur, nihilominus contra eum & Romanam Ecclesiam insurgere & attentare non expavit, datus in sensum reprobum, & non recordatus quæ ei dicta Ecclesia fecerat bona, quæ meritò de ipso & suis conquerendo poterat dicere illud propheticum: *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me*. Fuerat namque nutritus & exaltatus per Ecclesiam, quum per ministerium Clementis Papæ VI. cujus ipse pronepos exstiterat, domus ejus paterna, quæ in ejus promotionis principio in terra, hoc est, in simplicitate & paupertate jacens, ab inde erecta exstitit & plurimùm elevata, magnificata & exaltata tam in divitiis & reditibus, quàm honoribus & dignitatibus, ac etiam confœderationibus Magnatum & aliorum nobilium plurimorum: ad quæ si ipse ex ea prodiens, ipsaque sciens, debitum habuisset aspectum, non ita insanire præsumsisset. Sed ipse tamquam ingratus filius, beneficii accepti immemor, partusque viperarum matrem nascendo morsibus lacerantium imitatus sævitiam, eamdem Ecclesiam, suam utique plusquam matrem, tam crudeliter, tamque terribiliter in sui persona præsidis ausu temerario non est veritus impugnare: quem etsi pro interesse proprio, ut falsò confingebat, fortassis haberet exosum, tamen ob dictæ matris reverentiam à talibus abstinere debuit, præsertim quum eam sic angustiatam & afflictam occasione schismatis memorati tunc videret. Opinor tamen quod hoc Deus sic fieri & esse permisit, ut cunctis evidenter demonstraret sibi non esse gratum, quod viri Ecclesiastici & præsertim Summi Pontifices, quorum facta debent esse ceteris in exemplum, de bonis Ecclesiæ ditent & magnificent suos consanguineos & parentes. Quamquam enim exemplo Beati Augustini ipsis indigentibus sic subveniendum sit, quod nimis

nimis non egeant, non tamen ut ex talibus abundent aut denuo exaltentur, quum in hoc necessitas attendenda sit non voluptas. Experientia enim sæpe nos docuit, quod hoc modo sublimati non diutius subsistere solent, sive quia ad instar istius malis actibus se implicantes, taliter acquisitis debite uti & vivere nesciunt, sive quia justo Dei judicio soboles eis deficiunt, aut debitis vel aliis omnibus eos opprimentibus ea coguntur alienare vel vendere, ut sic uno modo vel alio ad manus deveniant alienas, ipsis quandoque nudatis manentibus etiam illis, quæ antiquitus eorum obtinuere parentes. Ad quæ utinam bene advertērent, suos propinquos plus debito diligentes, in eorumque favorem talia operantes. Qui si oculos linceos haberent, satis perspicere possent, quod ea, quæ ante eos in talibus acta sunt, nihil vel modicum valuerunt ac sicut subitò venerunt, sic & subitò abierunt. Sed sunt eorum quamplurimi, qui oculos luteos habentes, dum per eorum promotiones vident sibi arridere fortunam, mentaliter sic excœcantur, quod credunt sibi licere quæ aliis non licuerunt, ac durare quæ aliis defecerunt, adinstarque illorum, qui turrem Babylonicam, cujus summitas cœlos attingeret, ædificare tentaverunt, satis hereditates & patrimonia acquirere meditantur, quorum celsitudo & prosperitas aut cœlos attingat, aut ipsorum durationem excedat. Sed sicut ii imperfecto opere confusi remanserunt, ita & ipsi in suis hujusmodi voluptatibus continue deficiunt, & quos sic erigunt, ad instar pristinorum ad nihilum in momento rediguntur. Occasione autem turbationum hujusmodi præfatus Clemens pro majori parte temporis, quo Ecclesiæ præfuit, exstitit impeditus, sic quod providere non potuit ad ea, quæ pertinebant ad sedationem dicti schismatis, pro ut expediebat & volebat, quia fere omnia, quæ undecumque & quacumque congregare poterat, pro defensione sua adversùs dictum Tyrannum consumebat. Sicque demum ultra sustentationem suam sibi non restabant, quæ sufficerent ad præmissa.

His præterea sic se habentibus schisma prædictum ex sui antiquatione indurabatur. Quod in displicentiam & turbationem non modicam veniebat omnium Populorum: præsertim quia, ut communiter omnibus apparebat, circa ejus exstirpationem pro ut conveniebat, non convenienter intendebat. Propter quod moti Præsidentes Universitatis Studii Parisiensis, deliberatione inter se præhabita, per suas literas præfatum Clementem incitantes, reverenter tamen, ipsum requisierunt, ut ad hoc fortiùs & ferventiùs solito vacare & intendere vellet. Aperueruntque vias, quæ ad hoc eis videbantur accommodæ & opportunæ, eum exhortantes, ut ipsarum alteram, quæ sibi videretur utilior, eligere vellet, eamque sic & taliter prosequi, quod per ipsam dicti schismatis terminatio breviter sequeretur. Hujusmodi autem incitationi & exhortationi favebant & cooperabantur Rex Franciæ cum suis regalibus & multi Prælati Regni sui, qui votis suis sibi ad invicem communicatis satis concordabant, quod inter vias prædictas motas & tactas erat illa brevior & convenientior toti Mundo occasione dicti schismatis jam diviso, quod tam dictus Clemens, quàm secum super Papatu contendens, pariter cederent juri, quod ipsorum quilibet in eo prætendebat habere, & eis unus tertius subrogaretur in eodem. Ad quam amplexandam & recipiendam, ubi aliæ non proficerent, aut locum habere non possent, ut inclinarent dictum Clementem, dictarum Literarum series eas scribentium, ipsisque assistentium affectus humiliter inducebant, ratiocinantes multimode, quod pro tot & tantis bonis quot & quanta ex unione Ecclesiæ, & similibus malis, quæ ex ejus divisione sequebantur, & erant verisimiliter sequutura, aliis tamen remediis deficientibus, etiamsi ipse aliàs pacifice in Sede Apostolica præsideret, hoc facere debebat & tenebatur. Et hæc eadem censuerunt esse persuadenda adversario suo per sibi obedientes & faventes. Verumtamen quia hæc erant magni ponderis, egebantque matura & longa deliberatione, pro tunc absque alia præcisa determinatione seu conclusione in statu primævo remanserunt, Papam tamen in magna meditatione constituerunt. Cujus obitus satis citò post fuit subsequutus. Tempore hujus Summi Pontificis fuit noviter dedicatum & fundatum Cœnobium Monachorum Sancti Martialis Avinionensis. Pro quorum sustentatione ipse multos reditus spectantes ad Ordinem Cluniacensem, sub quo ipsos militare voluit, deputavit, & ut ad eorum regimen intenderetur per Abbatem Cluniacensem, seu deputandum per eum, absque eo quod ibidem alius Abbas vel Prior præficeretur, ordinavit. Ipse à Deo multa habere meruit tam naturalia, quàm gratuita dona. Fuit enim staturâ magnus, decorus facie, & sonorus in voce. Scripsit mirabiliter, dictavit notabiliter, & cantavit seu celebravit divina Officia multùm eleganter. Fuit insuper providus in consiliis, sapiens in dubiis, & patiens in adversis, non elatus in prosperis, nec iratus in injuriis, aut commotus conviciis. Tam in conviviis, quàm aliis locis, quum esset affabilis, gratus, solatiis cunctis loquebatur. Egenis, orphanis, & viduis libenter subvenit, & dedicatis studiis providit frequenter. Tamen contra ritum & consuetudinem suorum prædecessorum Consistoria & consilia tenuit satis raro & hora tardiori. Fuit etiam valde morosus & longus in negotiis sibi incumbentibus expediendis. Multis etiam secularibus tam Principibus, quàm aliis fuit admodum familiaris & gratus, eorumque contemplatione & amore plures episcopavit, & aliàs promovit, eis aliquando sufficientiores & idoneores ætate, moribus & scientia postponendo, quandoque, ut eorum benevolentiam & favorem sibi & Ecclesiæ acquireret, quandoque ut ipsorum odium, & indignationem evitaret. In quibus se profuisse reperiit, & sæpius defecisse, quum ex eis plurimi inventi fuerint, qui de ipso aut factis suis modicùm curaverunt, postquam illa, quæ voluerant, fuerant assequuti. Tamdem verò, pro ut Domino placuit, post satis brevem infirmitatem die XVI. mensis Septembris Anno Domini MCCCXCIV. Pontificatus sui sextodecimo, diem clausit extremum in Avinione. Cui successit in Papatu Petrus de Luna Cardinalis, qui Benedictus XIII. fuit vocatus. Fuitque in Ecclesia Majori sepultus. Et vacavit Sedes duodecim diebus, Ecclesia adhuc in schismate remanente.

(a) Die Dominica XVIII. Septembris Anno MCCCCI. Domino nostro Papa Benedicto XIII.

(a) *Baluzius*; Hæc descripta sunt ex Codice 817. Bibliothecæ Colbertinæ.

XIII. existente in hoc Palatio obsesso & incluso, fuit translatum Corpus prædecessoris sui Domini Clementis prædicti de nostra Domina ad Ecclesiam novam Cœlestinorum hujus Civitatis. Qua die celebravit & fecit sermonem Cardinalis Albanensis. Interfuerunt Archiepiscopus Narbonensis Camerarius, Remensis, Rothomagensis, Episcopi Magalonensis, Catalanensis, Valentinensis, Vasionensis, Avinionensis, Auraicensis.

Vita Clementis VII. Auctore Petro de Herentals, Priore Floreffiensi, apud Baluzium.

DEfuncto Gregorio Papa XI. in Civitate Romana anno Domini MCCCLXXVIII. die XXVII. mensis Martii, Cardinales qui tunc erant in Curia Romana post decimum diem a die obitus Papæ Gregorii prædicti elegerunt Bartholomæum Archiepiscopum Barensem in Papam concorditer, qui sibi Urbani VI. nomen constituit, ipsumque electum publicaverunt tam infra quàm extra Civitatem; ac ejus coronationi & inthronizationi interfuerunt, nec non in Consistoriis tam publicis quam privatis eidem tamquam Papæ reverentiam præstiterunt. Sed non longe post Cardinales prædicti Romam exierunt, & apud Anagniam se transtulerunt; & deinde Fundos, ubi novam, videlicet secundam, electionem fecerunt, & elegerunt Cardinalem Gebennensem in Papam, qui vocatus est Clemens VII. asserentes primam electionem esse nullam, eo, prout dicebant, quod per violentiam fuerit facta, & quod hæc violentia eis a Romanis illata incussit ipsis Cardinalibus tantum timorem, quod ad evadendum periculum mortis dictum Bartholomæum elegerunt in Papam, & omnes cæremonias prædictas tam coronationis quàm inthronizationis ei fecerunt, etiam in festo Paschæ ab ipso tamquam a Papa Corpus Christi sumserunt coram Populo Romano, & multitudine peregrinorum de universo Orbe ibidem præsente: dixeruntque, licèt hæc omnia præstiterint dicto Urbano, tamen timor prædictus semper continuatim mansit in cordibus eorum: & ideo asserunt se præ timore Romanorum fecisse quidquid prædicto Urbano seu Bartholomæo impenderunt. De quibus electionibus magna dissensio orta est in sancta Christianitate. Nam in Regno Franciæ prima electio de Urbano prædicto pro frivola & secunda de Clemente pro canonica reputata est. Et e contrario in Regno Alamanniæ, & in partibus Prusiæ usque Cameracum electio Urbani pro canonica, & electio Clementis pro frivola reputata est. Electione tamen prima de Urbano, ut præfertur, facta, Cardinales, qui hanc fecerunt, scripserunt de ea multis Principibus, se virum ad Papatum bene dignum elegisse; & specialiter Cardinalibus, qui residebant in Avinione, & qui dictæ electioni non interfuerant, scripserunt in hæc verba: *Reverendissimi Patres & Domini. Quia plerumque, immo ut plurimùm, præsertim in rebus arduis, famæ loquacitas veritatem quibusdam coloribus adulterinis obnubilat, ideo quid his diebus in Romana Ecclesia, cujus honorabilia membra & sublimes columnæ pariter nobiscum existitis, gestum sit, vobis præsenti scriptione veridica curavimus intimare: ut & iis, qui vobis remaliter narraverunt seu scripserunt, non credatis, & mentes vestræ hac nostra insinuatione*

A *clarificatæ in tranquillo & sereno veritatis littore conquiescant. Vestris igitur paternitatibus innotescat, quod sanctæ felicisque recordationis Domino & patre nostro Gregorio XI. die XXVII. mensis Martii nuper elapsi viam universæ carnis ingresso, & sicut de largissima Dei pietate confidimus, post labores ad præmia evocato, sicut aliàs vobis scripsimus, tantique patris, pro ut erat moris & juris, cum debitis honore & reverentia exequiis celebratis, die VI. præsentis mensis Aprilis Conclave palatii Apostolici, ubi præfatus Dominus noster obierat, juxta sanctiones Apostolicas decrevimus introire. Sed certis ex caussis ad id nostrum ducentibus animum, hujusmodi nostrum introitum ad diem immediate*

B *te sequentem duximus differendum. Qua quidem die, videlicet VII. bujus mensis, primitus gratiâ Sancti Spiritus invocatâ, Conclave præfatum intravimus, de electione & substitutione futuri Pontificis tractaturi. Sequenti quoque die luciferi nescientis occasum, ut pie credimus, radiis illustrati, circa illam diei horam, qua Spiritus paraclitus in sanctorum Discipulorum corda descendit ad personam Reverendi in Christo patris Domini Bartholomæi Archiepiscopi Barrensis, viri utique magnorum meritorum claritate conspicui, & multiplicium virtutum lampade refulgentis, libere & unanimiter direximus vota nostra, eum ad celsitudinis Apostolicæ speculam concorditer evocantes; & hanc nostram*

C *evocationem seu electionem in conspectu maximæ Christianæ plebis multitudinis nuntiantes. Ceterum die IX. hujus mensis idem Dominus electus coram turba fidelium copiosa super thronum dignitatis Apostolicæ sublimatus, sibi Urbani VI. nomen constituit: ac die hesterna, qua Christus Jesus summus Pontifex vitam nostram resurgendo reparavit, sicut in Romana Ecclesia consuetudinis est, in Basilica Principis Apostolorum de Urbe cum ingenti tripudio & lætitia innumerabilis Populi Christiani Pontificali regno magnifice & solemniter exstitit coronatus. Quæ quidem vobis ideo nuntiavimus, ut sicut obitus memorati Domini Gregorii vobis amaritudinis & tristitiæ calicem propinavit, sic de*

D *præsentis Patris concessione nobis & vobis facta gaudii & exultationis spiritum assumatis. In illo enim, cujus vices Dominus noster gerit in terris, firmam spem, fiduciamque tenemus, quod sub ejus felici regimine status Romanæ ac universalis Ecclesiæ reflorebit, & orthodoxa Fides felix optatumque suscipiet incrementum. Salvator noster Jesus Christus diu & feliciter in suo servitio vos perseverare faciat juxta vota. Datum Romæ die XVIII. dicti mensis Aprilis sub sigillis nostrûm Petri Portuensis Episcopi, Guillelmi tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyteri, & Jacobi Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconi, Cardinalium hæic prioratus locum obtinentium in ordinibus antedictis.*

E Postquam dicti Cardinales, qui adhærebant dicto Domino Urbano Papæ destinaverunt Literas Cardinalibus in Avinione existentibus, & ipse Papa Urbanus gratias pauperibus Clericis, ut moris est, fecerat generales, & vellet statum Cardinalium restringere, valde sunt turbati, contra eum insurgentes & allegantes ipsum Urbanum non Apostolicum fore, sed Apostaticum. Propter quod exeuntes Romam, Anagniæ se dederunt; & deinde ad Fundanam Civitatem progressi, antequam ipsi eligerent ibidem Cardinalem Gebennensem in Papam, qui sibi Clementis VII. nomen constituit, priùs processus contra Urbanum prædictum

ctum promulgarunt judiciales, & contra ei adhærentes, destinaveruntque ipsos ad diversas Christianitatis provincias, hunc tenorem continentes.

„ Universis & singulis Christi fidelibus, „ miseratione divina Johannes Episcopus Pe- „ nestrinus, Guillelmus tituli Sancti Stepha- „ ni in Cœlio Monte, Bertrandus Sanctæ „ Cæciliæ, Robertus Basilicæ duodecim Apo- „ stolorum, Hugo tituli Sanctorum quatuor „ Coronatorum, Guido tituli Sanctæ Crucis „ in Hierusalem, Johannes tituli Sancti Mar- „ celli, Petrus tituli Sancti Laurentii in Lu- „ cina, Geraldus tituli Sancti Clementis Pres- „ byteri, Petrus Sancti Eustachii, Guillel- „ mus Sancti Angeli, Petrus beatæ Mariæ in „ Vialata, & Petrus Sanctæ Mariæ in Cosme- „ din, Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ „ Cardinales, facientes ultra duas partes om- „ nium Cardinalium in Urbe existentium „ tempore obitus sanctæ memoriæ Domini „ Gregorii Papæ XI. & eodem tempore, quo „ sui successoris debuit in eadem Urbe ele- „ ctio celebrari, Anagniæ pro nunc, quem „ locum ad omnia infrascripta peragenda „ tamquam idoneum elegimus, pro ut nobis „ fuit licitum, existentes, absentibus Reveren „ dissimis in Christo Patribus Domino Petro „ Episcopo Portuensi, Francisco tituli Sanctæ „ Sabinæ, Simone Sanctorum Johannis & Pau- „ li Presbyteris, & Jacobo Sancti Georgii ad „ Velum aureum Diacono, eadem miseratio „ ne divina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi- „ nalibus, tamen pro nostra parte, ut propter „ infrascripta vellent heic convenire nobis- „ cum, literatorie requisitis, Apostolica Sede „ vacante, salutem & in Domino vinculum „ caritatis. Exigit sanctæ & catholicæ Fi- „ dei puritas, exigit & catholici & Christiani „ Populi dovotio salutaris, exigit & totius „ Ecclesiastici status clara professio, & salus „ animarum Christi fidelium singulorum, ut „ ea, quæ dissimulata in Fidei maculam, sub- „ versionem in Christicola Populo, status Ec- „ clesiastici enervationem, & evidentia ani- „ marum inducerent pericula, palam notifi- „ centur omnibus, annuntientur in Populis „ & juxta doctrinam Evangelicam super te- „ cta prædicentur, ne indiscretum silentium „ eos in errore derelinquat, qui poterant „ erudiri, & ii ad quos ex officio pertinet, „ subjaceant reprehensioni Dei per Prophe- „ tam dicentis: *Prophetæ tui videbant tibi fal- sa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent*. Quum igi- „ tur nuper Apostolica Sede vacante per obi- „ tum sanctæ & piæ recordationis Domini „ Gregorii Papæ XI. qui de mense Martii „ proxime præterito in Urbe Romana diem „ suum clausit extremum, nos pro electione „ futuri Pontificis, ut moris est & juris, ce- „ lebranda in Conclavi in Apostolico Palatio, „ in quo idem sanctæ memoriæ Dominus „ Gregorius obierat, deputato, una cum præ- „ fatis Dominis absentibus convenissemus, „ Officiales Urbis cum magna multitudine „ Populi pro magna parte armati & ad cam- „ panarum pulsationem factam propter hoc „ congregati, hostili more totum circumdan- „ tes ad extra, & ab intus fere implentes „ Palatium, & terrori tam vehementi minas „ superaddentes, quod nisi eligeremus, & sine „ mora Romanum vel Italicum, statim in- „ terficeremur, etiam congruo spatio tempo- „ ris, in quo saltem de persona possemus „ deliberare, penitus nobis subtracto, contra „ voluntatem & propositum nostrum ad eli- „ gendum Italicum subitò & ex abrupto per „ violentiam & metum mortis coëgerunt in- „ vitos. Propter quod ad evitandum dumta- „ xat mortis periculum, quod in rumore „ Populi tam furentis procul dubio immine- „ bat, aliàs non facturi, ut etiam tunc pa- „ lam inter nos diximus, Bartholomæum „ tunc Barensem Archiepiscopum in Papam „ duximus eligendum, existimantes ipsum, cui „ tam nefaria intrusio sicuti & toti pæne Cle- „ ro & Populo nota erat, talis esse conscien- „ tiæ, quod eam nullatenus acceptaret.

„ At ipse propriæ salutis immemor, omni „ pura conscientia procul pulsa, ambitionis „ aliàs inauditæ ardore maximo inflammatus, „ præsentationem electionis hujusmodi ab il- „ lis ex nobis, qui in Urbe remanserunt, & „ per Officialium & Populi diversas minas & „ suas importunas requisitiones exorta, con- „ tra canonicas sanctiones, in maximum scan- „ dalum Cleri, & Populi Christiani, ac „ exempli perniciem, electioni hujusmodi li- „ cèt nullæ & invalidæ ipso jure consensit. „ Necnon metu, ac ipsius metus caussa adhuc „ proculdubio perdurantibus in Urbe ipsa „ inthronizatus & coronatus de facto, se Pa- „ pam & Apostolicum nominavit: qui à san- „ ctis Patribus & Jure communi Apostaticus „ & anathematizatus, Antipapa & totius „ Christianitatis illusor & destructor potius „ & meritò nominatur. Nempe quum ista „ sua tam nefaria intrusio in Papatu jam sic „ sit divulgata per Orbem, veluti tam noto- „ ria, quod jam alicubi celari non posset: „ quum eo tempore, scilicèt modicum ante „ Pascha, facta fuerit, quando de universis „ partibus Christianitatis major adest, caussâ „ conscientiæ, in Urbe Populi multitudo, „ quòd errores quamplurimi pullulare inci- „ piunt, & Christi fidelium Christianorum „ illaqueari conscientiæ. Isque diutius exspe- „ ctatus, ac in secreto caritative admonitus, „ immemor salutis propriæ, secum in præci- „ pitium cupiens trahere Clerum & Populum „ universum, ad cor redire non curet, sed „ inanem & transitoriam Mundi gloriam sa- „ luti animæ propriæ, & cunctorum Christi „ fidelium anteponens, animo obstinato sata- „ git, totam Christianitatem scandalizando, „ ipsum Papatum tyrannice occupare; qui „ per ostium non intravit. Nos non valentes „ præmissa salvis conscientiis amplius sub dis- „ simulatione transire, ad vestram & omnium „ Christi fidelium notitiam præmissa omnia, „ licèt ipsa tam sibi quàm pæne toti Clero & „ Populo existant notoria, deducentes, ipsum „ anathematizatum & intrusum in Papatu, „ nulla electione canonica præcedente, totius „ Christianitatis invasorem, qui caput ipsius „ sanctæ Christianitatis invadere non formi- „ dat, destructoremque, qui ut sub sua oc- „ cupatione tyrannica efficere satagit, ut fere „ Sacramenta deficiant, & ut Christicola Po- „ pulus vero Pastore carens per abrupta du- „ catur in devium, publicamus & etiam de- „ nuntiamus: Vos & vestrûm singulos nihi- „ lominus solemniter & publice serie præ- „ sentium exhortantes & obsecrantes per „ viscera misericordiæ Jesu Christi, ut de „ cetero eidem scelesto viro, qui Dei Eccle- „ siam & sponsam non erubuit invadere, noli- tis

" tis aliqualiter adhærere, nec ejus factis, " mandatis, atque dictis, quæ omnia sunt " falsâ simulatione imbuta, aliqualiter obe- " dire: quum jam eumdem per alias nostras " patentes literas exhortati & obsecrati fue- " rimus, & per præsentes exhortamur & " obsecramus solemniter & publice per eadem " viscera, ut de fine cogitans, ad quem jam " ipsum trahit plenitudo dierum, ad Deum " & puram conscientiam dirigat aciem men- " tis suæ, ipsamque beati Petri Sedem san- " ctissimam, quam sine canonico titulo oc- " cupat, liberam & vacuam omnino dimit- " tat, insignia deponat Papalia, & ab admi- " nistratione spiritualium & temporalium Pa- " patus & Romanæ Ecclesiæ abstineat indila- " te, & aliàs Deo & Ecclesiæ suæ sanctæ per " fructus veræ pœnitentiæ satisfacere studeat " juxta posse. Quod si fecerit, gratiam Dei, " & gloriam Mundi, & laudes Cleri & Po- " puli univesi, ac acerbarum pœnarum per " Jura communia sibi impositarum & impo- " nendarum remissionem cum misericordiosa " indulgentia merebitur obtinere, aliàs indi- " gnationem Dei omnipotentis & beatissimo- " rum Apostolorum Petri & Pauli, Sancto- " rumque omnium non immeritò incursurus: " nosque divinum & humanum auxilium, " quum Christi sponsa & omnium Christiano- " rum communis mater per ipsum procul du- " bio violetur, invocabimus, aliisque utemur " remediis per canonicas sanctiones concessis, " ab inde in antea nullam spem de miseri " cordia habiturus.

" Datum Anagniæ rectoratus provinciarum " Campaniæ, & maritimæ, quem locum " propter probitatem & fidelitatem constan- " tissimam magnifici Viri Honorati Gaitani " Comitis Fundorum, & dictarum provin- " ciarum Rectoris, & singularem devotionem " quam ad Romanam Ecclesiam & Fidem " Catholicam, ac ad nos gerere comproba- " tur, tamquam magis securum & idoneum " nobis ut supra ad præmissa omnia peragen- " da duximus eligendum, anno à Nativitate " Domini MCCCLXXVIII. die IX. mensis " Augusti, primæ Indictionis, sub propriis " nostris sigillis pendentibus, dicta Aposto- " lica Sede vacante.

His temporibus, videlicet anno Domini prædicto, in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, defuncto bonæ memoriæ Johanne de Erkel Episcopo Leodiensi, Capitulum Leodiense elegit Eustachium de Rupeforti suum Concanonicum in Episcopum Leodiensem. Qui mittens nuntios pro sua confirmatione ad Clementem prædictum, Cardinalis de Agrifolio scripsit dicto electo de sua confirmatione literas, hunc tenorem continentes. *Reverendo in Christo Patri Domino Eustachio electo confirmato Leodiensi Episcopo, amico nostro carissimo. Reverende Pater, & amice carissime: notificamus vobis, quod die Lunæ octava mensis hujus Dominus noster Papa Clemens, ratam habens electionem de vobis factam, ad Ecclesiam Leodiensem vos gratiose promovit. De quo plurimùm lætamur propter vestræ personæ virtutes & merita, etiam quia speramus Ecclesiam ipsam sub vestris salubri cura & regimine magna & felicia suscipere incrementa: vos affectuose rogantes, ut negotia nostri Archidiaconatus Brabantiæ, quem in vestra hujusmod: Ecclesia obtinemus, velitis habere nostri consideratione specialiter recommendata, & nobis confidenter intimare, si quid Ecclesiæ præfatæ utile heic facere & operari valeamus, & alia quælibet vobis grata, quæ posse tenus curabimus adimplere. Paternitatem vestram conservet Altissimus feliciter & longæve. Datum Fundis, XI. die Novembris* &c. Antequam verò hujusmodi literæ ad partes venissent, accidit quod Wenceslaus de Bohemia Dux Luceburgensis & Brabantiæ Dux ex parte uxoris suæ venit Trajectum, & inde per nuntios diffidavit Leodienses & Episcopatum, quia destruxerant Castrum de Pitersem, eo quod, pro ut intellexerant, Dominus de Pitersem hospitaverat spoliatores patriæ in dicto Castro, quod tenebat in feodum de Duce Brabantiæ. Diffidatione ergo dicti Ducis facta, prædictus Eustachius electus quia contra consilium amicorum suorum reliquit Leodium, & ivit Trajectum ad dictum Ducem Brabantiæ, Leodienses clamaverunt se ab ipso traditos. Et statim miserunt legatos ad Arnoldum de Horne tunc Episcopum Trajectensem inferiorem, & constituerunt eum suum Manburnum, Eustachio prædicto penitus derelicto. Hic autem Dominus Arnoldus obtinuit ab Urbano Papa prædicto translationem suam de Episcopatu Trajectensi ad Ecclesiam Leodiensem. Et postquam portaverat manburnatum prædictum per annum, monstravit Bullas dicti Urbani de dicta sua translatione in Capitulo Leodiensi, & acceptavit dictum Episcopatum, & mansit ac manet in eo in possessione pacifica etiam eodem Episcopatu sub obedientia prædicti Urbani manente usque in præsentem diem anni Nativitatis Domini MCCCLXXXIII. mense Januario, quo præsentes Chronicæ capiunt finem. Pendentibus itaque erroribus de duobus Papis, Urbanus primus Romæ, ut prædictum est, electus transmisit Bullas ad diversas Christianitatis partes, suam electionem notificando & processus contra Clementem, videlicet secundum Papam prædictum, publicando. Quarum Bullarum una Universitati Parisiensi transmissa talem continet tenorem. *Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Rectori, Magistris, Doctoribus, Scholaribus, ac Universitati Studii Parisiensis salutem & Apostolicam Benedictionem. Inter, immo super ceteras Studiorum Universitates, in quibus scientiarum gemma resplendet, vestra Parisiensis, velut quoddam sidus irradiat, & pulsis procul ignorantiæ ac erroris tenebris; doctrinæ suæ lumine circumlucet. Ex ipsa namque velut ex quodam purissimo fonte, semper sani verique dogmatis rivuli profluxerunt, qui per innumeros alveos pronius discurrentes, falsarum opinionum limum absterserunt. Hujus quidem fontis claritatem nulla umquam quantalibet impetuosa vis pluviæ turbidavit. Vobis itaque, dilectissimi filii, qui ex hoc limpidissimo fonte dulcissimas literarum aquas avido haustu elicitis, congaudemus vobis, & Sancta Romana Ecclesia congratulatur, cui talia ligna fructus producentia dulcissimos secus decursus aquarum in tam ingenuo viridiario summus Parens rerum plantavit. Quid ni gaudeamus, & exsultet spiritus noster, quando intra felicia castra Parisiensis Studii tot doctissimos & magnanimos veritatis & orthodoxæ Fidei pugiles intuemur? Sæviat hæreticorum pravitas quantum potest, & evacuet contra tam munitissima castra pharetras suas turba schismatica. Nam sunt milites alumni nostri ad resistendum promtissimi, veritatis & Fidei thorace muniti, habentes*

bentes bicipitis spiculis, quibus hostium præcordia penetrentur. Habent & faces ardentissimas caritatis, quibus illorum machinæ confundantur, & scaturientis fontis undas, quibus eorum faculæ protinus exstinguantur: ut nec illud prætereamus, cujus sola recordatione plurimùm consolamur, quodque nuper cum ingenti gaudio, fide dignorum relatione percepimus, quemadmodum vos adversùs eorundem hæreticorum atque schismaticorum assertionem subdolam contra nos impudice loquentium nonnullas sanctas, veras, ac saluberrimas, & quales professionem vestram decet, in nostrum, immo memoratæ Fidei favorem, & veritatis defensionem sententias publice tenuistis, & eas contra quoscumque contrarium profitentes defensastis. Pro quibus Universitatem vestram iteratis in Domino laudibus prosequentes, devotionem vestram requirimus & hortamur attentius, ac per aspersionem pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, cujus in hac parte res agitur, obsecramus, quatenus caussam, justitiamque nostram toti Mundo notoriam, quam dicti Pseudochristiani, veri satellites Antichristi, obnubilare, ac Schisma perniciosissimum in Dei Ecclesia suscitare moliuntur, suscipere, immo jam susceptum velitis defensare tamquam legitimi certatores, & ne inconsutilis veri Joseph tunica lanietur, sub divinæ potentia dexteræ vos murum inexpugnabilem opponatis, hostiumque multitudinem nullatenus formidetis, sub signis militantes victricibus veritatis: quæ licèt quandoque calumniantium fuscatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non potest, & illorum nequit multitudine conculcari. Nihil verò felicius, quàm pro veritate bellare. Nulli clariores triumphi, nulla pinguiora spolia reportantur, quàm quæ veritas defensa pollicetur. Eja ergo, athletæ magnanimi, ac veritatis & orthodoxæ Fidei devotissimi defensores, contra illarum impugnatores & hostes feliciter insurgatis, ut proinde, præter æternæ mercedis præmia, humanarumque laudum præconia, nostram & Apostolicæ Sedis Benedictionem & gratiam ac exauditionem in vestris precibus tamquam benemeriti reportetis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam in Transtiberim, XI. Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno Primo.

Insuper verò anno Domini MCCCLXXIX. mensis Maji die XI. omnes Prælati, Decani, & Curati diœcesis Leodiensis citati, plures ex eis convenerunt cum toto Clero Civitatis Leodiensis in Capitulo Ecclesiæ Sancti Lamberti, ad tractandum cui prædictorum Papæ potiùs obedire deberent. Fuit igitur ibidem in principio Bulla Urbani Papæ prædicti publicata, hunc continens tenorem: *Urbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Coloniensi, ejusque suffraganeis salutem & Apostolicam Benedictionem. Nuper quum vinea Domini Sabaoth, sancta videlicet Romana Ecclesia, ventrem suum doleret & amaricatis visceribus* &c. (*a*) Altercationibus autem duorum Paparum sic se habentibus, & Rege Franciæ totis viribus partem Clementis defendente, nec non Rege Alamanniæ cum toto quasi Imperio, Urbano adhærente, Comes Flandriæ volens & nitens cognoscere, quis dictorum Paparum esset potior in jure ad obtinendum dignitatem Apostolici apicis, inquisitionem per Nuntios privatos & alienos procuravit fieri de electionibus eorum diligentem. Qua diligenter cognita, & per suos Legisperitos seriose examinata, talem exinde reddidit sententiam secundùm tenorem infrascriptum. *Præmissâ protestatione, quod sumus parati stare declarationi Concilii generalis, & ab unitate Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ nulatenus divertere, attentis relationibus per Nuntios missos versùs Italiam, & alia loca remota reportatis, visis etiam & auditis pro parte utriusque electi verbis & scriptis & ostensis, salvis conscientiis nostris, non audemus ab obedientia dicti Urbani Papæ VI. primò electi, quem hactenus pro vero Papa tenuimus, recedere, nec recedemus, sed ei tamquam Vicario Jesu Christi obediemus, nisi debito modo aliter fuerimus informati* &c. Pendente verò, ut præfertur, prædicto Schismate, plurimi Doctorum legum & juris Canonici tractatus composuerunt. Quorum primus Dominus Johannes de Linhano tractatum edidit, in quo affirmat electionem dicti Urbani esse canonicam, ipsumque esse verum Papam. Abbas verò Sancti Vedasti, Regis Franciæ Consiliarius, Doctor Decretorum, fecit alium tractatum, in quo asserit electionem Urbani esse nullam & Clementem fore verum Papam. Quibus tractatibus cum eorum quæstionibus & determinationibus propter sui prolixitatem prætermissis, ad sequentia stilum extendo. Prædictis rebus sic se habentibus, & invalescente schismate supradicto, quilibet de Electis prædictis in Papam destinare curavit ad diversas Mundi provincias Legatos & Literas Papales, ad significandum & affirmandum suæ electionis factum tamquam canonicum, & suæ partis adversæ hæreticum & intrusivum. Unde Urbanus supradictus transmisit literas suas Capitulo Leodiensi, hunc tenorem continentes: *Urbanus Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Capitulo & Clero Civitatis Leodiensis salutem. Cum ineffabili mentis jubilo Altissimo referimus gratias &c.* (*b*) Invalescente autem schismate prædicto, dictus Papa Urbanus personas Ecclesiasticas Diœcesis Leodiensis, & maxime in Civitate Leodiensi, suis privavit beneficiis, quæ verbo tenus Clementem prædictum asserebant fore Papam & Pontificem Romanum. Unde plures privati transierunt ad ipsum Clementem, privationes hujusmodi querulose demonstrantes, sed modicùm profecerunt. Sequitur Litera Cardinalibus, qui electionem Urbani celebraverunt, missa ex parte Regis Angliæ.

„ Eduardus Rex Angliæ & Dominus Hiberniæ, talibus Cardinalibus &c. non pro „ ut nobis scribitis, miseratione divina sanctæ „ Romanæ Ecclesiæ olim Cardinalibus, immo „ verò divina maledictione super vos fulminante lupis rapacissimis totius gregis Christi invasoribus, ac vulpibus callidissimis, vineam Domini Sabaoth cupientibus demoliri, non salutem sed languorem, non gaudium sed mœrorem, & indui sicut diploide „ confusione vestra. Tenor insipidus Literarum vestrarum, quas instigante Diabolo per „ omnes & singulas Christianitatis provincias „ temere destinastis, corda & intima quæque „ nostra saucians, non umquam Fidei nostræ „ læsionem intulit, sed piam cordis compassionem de tam horrendo scandalo in Ecclesia

(*a*) *Baluzius*: Vide Tomum XI. Conciliorum Edition. Labbei, pag. 2045.

(*b*) *Idem*: Ut in Tomo XI. Conciliorum ejusdem editionis, pag. 2049.

„ sia Dei noviter suscitato. Verumtamen væ „ vobis per quos scandalum hoc evenit. Nam „ pallida facta est matris Ecclesiæ facies. „ Pallorem nempe turbationis evenisse credi- „ mus ex errore scelerum vestrorum à seculis „ inaudito. Nam qui putabamini esse legis „ vulgatores, non estis Dei veri cultores, sed „ estis sacrilegi. Rubor enim verecundiæ ve- „ stræ interdum conspergitur, dum ex vestris „ actibus scandalosis fines totius Christianita- „ tis uruntur. O vestra detestabilis & infelix „ ambitio, quæ tunicam Domini inconsuti- „ lem, quam sors vestræ dispositioni non an- „ nuit, scindere nititur & partiri, quæ divi- „ sionem non patitur, sed congaudet potius „ unitati. Servi nequam ex ore vestro judi- „ candi, modum electionis Summi Pontificis „ nuper celebratæ nobis per literas vestras „ declarastis, dicentes quod Conclave vestrum „ vallaverit armatorum indomita multitudo, „ minas vobis facientes terribiles & lethales, „ nisi Italicum eligeretis vel Romanum, nul- „ lam tamen certam vobis limitando perso „ nam, ad quam vos compellerent eligen- „ dam. Manifestum est igitur, quod personam „ quam vos conceditis, elegisse libere non „ coacte. Et sic quantum ad personam tunc „ à vobis electam, tenemus & tenebimus fir- „ miter ipsam electionem esse & fuisse rite & „ canonice celebratam, & ipsi electo, inthro „ nizato, & coronato, ut sacrosanctæ Eccle „ siæ vero capiti, & Petri successori, & in „ terris vero Christi Vicario fideliter adhære „ mus, & ipsius monitionibus, dictis, & factis, „ velut veri fideles & catholici humiliter „ promittimus obedire. Vestram quoque per „ niciosam rebellionem & sacrilegam ac hæ „ reticam contumaciam in exemplum damna- „ bile multos trahentes detestamur, insuper „ vestram verecundiam, qui quum in acie „ Ecclesiæ sitis constituti velut pugiles & „ etiam propugnatores Orthodoxæ Fidei Chri- „ stianæ, & Ecclesiæ libertatis, Cappellos in „ capitibus rubeos comportantes ob signum „ strenuitatis & audaciæ, quod intrepide us- „ que ad mortem certare pro justitia debere- „ tis, quomodo metus mortis tam repente „ vos invasit & vicit, ut perire justitiam si- „ neretis? Quomodo qui vos columnas Ec- „ clesiæ nominatis, facti estis infirmi & debi- „ les, ut sustinere non possetis tectum, quin „ rueret? Numquid fuit ibi Samson, qui lon- „ ge prius obierat? Sed dicitis fortasse ad ex- „ cusandum excusationes in peccatis, quod „ Petrus petra Fidei, & post petram Chri- „ stum primum fundamentum Ecclesiæ, ad „ vocem ancillæ ostiariæ expavescens, ipsum „ Christum detestando & jurando negaverit. „ Cujus infirmitatis vos estis participes & „ sequaces, genimina viperarum, callidi ser- „ pentes veneno inflati, si amaram gustatis „ herbam, gustate similiter dulcem & sua- „ vem, & post capitis vestri damnabilem re- „ dite cum Petro ad confessionem. Sed vera- „ citer hoc verbum seminamus super petram. „ Nam vestra detestabilis obstinatio Judæ pro- „ ditoris vos efficiet participes & consortes, „ cujus iniquitas residet super calculum plum- „ bi. Ceterum non existimet vestra stulta „ cœcitas, & cœca stultitia, quod illa verba, „ quæ in vestris Literis videntur sapere pie- „ tatem & zelum domus Dei nos commo- „ veant, vel quicquam vobiscum consentien- „ do persuadeant. Satis enim luculenter per- „ pendimus, quod ipsa verba vestra Pharisæo- „ rum fermento condiuntur, à quo in Evan- „ gelio Christus cavere suos præcepit. Locum „ quem elegistis vestris sceleribus præparan- „ dum idoneum nobis nominatis, ostenden- „ tes clare vos verum caput Ecclesiæ reliquis- „ se, & effectos membra Diaboli, in deser- „ tum abiisse cum Juda traditore tendentes, „ ubi vos ipsos estis laqueis suspensuri, ut „ de vobis verificetur illud propheticum: „ *Fiat habitatio eorum deserta, & in taberna-* „ *culis eorum non sit qui inhabitet.* Et iterum „ de singulis vestrûm dictum est. *Fiant dies* „ *ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat al-* „ *ter.* Præterea Comitis Fundorum claram „ famam vestris falsis commendationibus in „ toto Christicola Populo denigrastis, quum „ dicat Poeta: *Turpe est laudari à turpibus,* „ *& ob turpia.* Animadverte igitur, Fundo- „ rum Comes, qui per quamplurimos Chri- „ stianorum fines eras incognitus, de eo præ- „ sertim quum jam tibi non nomen sed igno- „ miniam prosequaris, inimicos Christi & „ unitatis Ecclesiæ divisores, ac pacis & tran- „ quillitatis totius Christianitatis turbatores „ imitando, & eos in ipsorum detestabili per- „ fidia confovendo, ut etiam contra Christum „ & Populum Catholicum ædificare asylum „ videaris. Exsurge ergo, Comes, & mures „ de petra projicias, & de tabernaculo tuo „ fuga serpentes, & carbones sulphureos à „ sinu tuo excute, ne flamma inextinguibilis „ te exurat, & sic Dei gratiam & benedictio- „ nem, ac totius Populi Christiani gloriam „ & commendationem prosequaris, ac divi- „ nam merearis effugere ultionem.

Sequitur Litera Archiepiscopi Coloniensis, cujus superscriptio talis est: *Prudentibus ac discretis viris Magistris Civium & Consulibus Civitatis Leodiensis, amicis nostris dilectissimis.* Infra verò Literarum in margine talis erat subscriptio: *Fredericus Archiepiscopus Coloniensis, Westfaliæ & Angariæ Dux. Amici dilecti. Noveritis quod nuper Serenissimus Dominus noster Dominus Wenceslaus Romanorum Rex semper Augustus, cum multis sacri Imperii Electoribus aliisque Principibus tam Ecclesiasticis quàm Secularibus, Comitibus & Baronibus, nobis etiam præsentibus, in Oppido Frankefordensi convenit &c.* (c) Postquam verò supradictus de Horne primò Manburnatum Episcopatus Leodiensis gerens acceptavit, per Bullas Urbani Papæ supradicti eumdem Episcopatum & possessiones ejus obtinuit, nec non regalia sua ab Archiepiscopo Coloniensi in hac parte commissario ac Wenceslao Romanorum Rege constituto; deinde ut fortiter esset in ipsa possessione, Literas regalitatis suæ tenorem continentes, qui sequitur, palam monstravit in hæc verba: *Wenceslaus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ac Bohemiæ Rex, Magistris Civium, Proconsulibus, Majori, Scabinis, Judicibus, Communitati Civitatis Leodiensis, nec non omnibus & singulis terrigenis, incolis, & habitatoribus terræ & districtus Leodiensis, gratiam regiam, & omne bonum. Fideles dilecti. Quia &c.* (d)

Præterea verò vitæ meæ incolatu prolongato,

(c) *Baluzius*: Ut apud Radulphum de Rivo in Gestis Pontificum Leodiensium, Pag. 35.

(d) *Idem*: Ut apud eundem Radulphum pag. 43.

to, supradictus Papa Urbanus videns pestilentiam mortalitatis in Roma invalescere, Julio mense Anno MCCCLXXXIV. Romam exivit cum quatuordecim Cardinalibus, nullam tunc prætendens caussam præter mortalitatem. Igitur iter arripuit versùs Neapolim, unde ipse erat oriundus. Eodem Anno, mense Octobri, Consilium, seu Electorum Imperii congregatio apud Nuremburch exstitit congregata ad tractandum inter alia de dubio quodam, quod in Winceslao Alamanniæ Rege supradicto ventilabatur. Unde ipse declarationem ad diversas transmisit partes sub sigillis suis & Literis in modum, qui sequitur, comprehensum. *Winceslaus Dei gratiâ Romanorum Rex, Episcopis Leodiensi, Trajectensi, & Tornacensi. Ad nostræ majestatis auditum plurium fide dignorum relatione pervenit, quod quidam filii Belial, satores zizaniæ & discordiæ amatores, per diversas Alamanniæ partes, & signanter in partibus Rheni, nostram serenitatem ausi sunt infamare dicentes publice & secrete, nos ad informationem quorumdam, qui de Francia venerunt Bohemiam ab obedientia & fide sanctissimi in Christo patris ac Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papæ VI. discessisse, & Roberto Gebennensi Antipapæ adhæsisse. Nos igitur attendentes, quod divæ memoriæ Dominus Carolus quondam Romanorum Imperator semper augustus, genitor noster, tamquam Christianissimus Princeps, numquam à veritate Fidei deviavit, & in fide ac obedientia Domini nostri Papæ Urbani ex hac luce migravit; nosque ipsius vestigia imitantes in publico parlamento olim facto in Frankenvordia, de consilio & assensu tam Electorum sacri Imperii & Principum Alamanniæ, quàm Doctorum & Magistrorum juris & sacræ Theologiæ, in præsentia Nuntiorum partis adversæ declaravimus & denuntiavimus fidelibus universis, ipsum Dominum Urbanum verum esse Jesu Christi Vicarium, & beati Petri Apostolorum Principis successorem, fidelitati vestræ pro famæ nostræ declaratione ac firmitatis intimatione notum facimus per præsentes, quod nostra dignitas, quam non decet à firmæ veritatis proposito vacillare, circa reverentiam, obedientiam, devotionem, ac fidem devotissimi patris nostri Domini Urbani jam dicti non est aliquatenus tepefacta vel quomodolibet immutata, quinimmo sicut & præfatus genitor noster in eadem fide & reverentia vixit & mortuus est usque ad finem vitæ suæ corporeæ. Quapropter fidelitatem vestram requirimus, vobis nihilominus per Imperialia scripta mandantes, quatenus dicto Domino Urbano tamquam vero summo Pontifici adhæreatis & pareatis in omnibus, sicut decet; Nuntios autem quoscumque publicos aut secretos præfati Roberti Antipapæ nullatenus admittatis, nec ejus Literas qualitercumque recipiatis, nec talibus conductum quomodolibet tribuatis, quin potiùs eos de vestro territorio expellatis, scientes, quod contra quoscumque hujus nostri Edicti transgressores, quum ad nostram pervenerit notitiam, indefectibiliter procedemus, pro ut ordo Imperialis justitiæ suadebit.*

Datum Nuremburch die XVIII. Octobris, regnorum nostrorum Bohemiæ anno XXI. Romanorum verò VIII.

Eodem tempore Rex Franciæ innumerabili quasi exercitu armatorum à diversis Mundi partibus evocatorum congregato arripuit iter versùs Flandriam, debellaturus, ut putabatur, Gandenses, qui guerram agebant fortissimam contra Ludovicum Comitem Flandriæ dominum suum. Sed exinde pauca de hac intentione dictus Rex expedivit, nisi quod Anglicos, qui in auxilium venerant Gandensium, à Flandria fugavit, & deinde ad Franciam est regressus, bellatores omnes ad sua loca remittens. Isto tempore Wenceslaus Dux Brabantiæ & Lucemburgensis, datâ sibi talliâ ab incolis Brabantiæ, ut non pergeret in adjutorium dicti Regis, sed maneret ad custodiam Brabantiæ contra Britones, qui minabantur ipsam Brabantiam intrare & devastare, ipsâ talliâ nondum solutâ, Brabantiam exiens, & Lucemburgis veniens lecto incubuit, & in die Barbaræ obiit anno supradicto.

Deinde anno sequenti, penultima die mensis Januarii, obiit supradictus Ludovicus Comes Flandriæ, & ei successit Philippus Dux Burgundiæ, filius Regis Franciæ, habens in uxorem filiam dicti Ludovici. Post quem ex successione ratione uxoris suæ obtinuit Comitatum Flandriæ, ac Burgundiæ, & de Artois, de Nyvers, & de Retest, nec non dominium de Machlinia, & de Antwerpia, exspectans Ducatum Brabantiæ post Johannam viduam Ducissam ejusdem Ducatus. Hic Dux Burgundiæ continuavit guerram contra Gandenses post mortem dicti Comitis Ludovici. Tamdem totâ Flandriâ fere vastatâ, treugis pendentibus, consilioque utriusque partis apud Tornacum congregato, Ducissa Brabantiæ prædicta fecit pacem inter ipsas partes, maxime ad honorem & profectum oppidi Gandensis & totius Flandriæ. Et quia gesta expeditionis dicti Comitatus Flandriæ per se Librum requirunt, sine bono ejusdem expeditionis notificato ad materiam dissensionis Ecclesiæ revertor. Pendente itaque hoc modo guerra prædicta, & Domino Urbano Papa circa partes Neapolitanas commorante & residente, invaluit Schisma in Ecclesia, & diversis fatigabatur. Nam quidam, qui adhærebant prius Urbano, facti sunt Clementini; & de Prælatis, qui fuerunt Clementini, facti sunt neutrales. Unde egregius quidam Doctor in Theologia existens Canonicus & Cantor Parisiensis, adhærens primò Clementi, postmodum propter remorsum conscientiæ Canonicatum prædictum reliquit, & veniens Romam adhæsit Urbano, qui contulit ei Archidiaconatum Brabantiæ in Ecclesia Leodiensi. Hic scripsit Cameracensi utriusque juris professori in hunc modum: *Desideratissime Domine mi reverende. Vetus amicitia dat fiduciam noviter nunc scribendi, maxime circa præsentis Schismatis detestabilem materiam. Audivi namque pluries admirando de vestra reverenda persona famæ tam celebris in scientia, prudentia, & conscientia, quòd verbo suadetis in prædicta materia neutralitatem, & facto tenetis secundam extremitatem. Scitis enim, Domine reverende, quod illi Domini Cardinales postquam Dominum Bartholomæum quondam Barensem Archiepiscopum elegerant in Papam Urbanum VI. ipsum esse verum Papam in sequentibus tribus mensibus affirmaverunt verbis & scriptis, ac etiam denuntiaverunt in Urbe notorie factis & operibus in conspectu virorum Ecclesiasticorum & Civium Romanorum, ac etiam peregrinorum de omni natione Christianitatis; ita ut prædicta innotescerent toti Mundo. Scripserunt etiam collegialiter asserendo, quod eumdem libere & concorditer*

diter illustrati Spiritu Sancto elegerunt in Christi Vicarium, sperantes, quod regeret Ecclesiam feliciter, intimantes in Literis suis, quod nulli aliter scribenti vel dicenti crederetur. Nec tunc imminebat eis in Urbe periculum causativum timoris cadentis in constantem virum Cardinalem, sed nec in tenerum puerum septennem. Tunc etiam fere tota Christianitas eidem Domino Urbano VI. adhæsit tamquam Papæ vero, præcipue ex testimonio prædicto Cardinalium, quibus in hac re præsentialiter erat credendum. Eisdem etiam Cardinalibus tunc, nisi fallor, credidistis, aliàs reputassetis eos non fide dignos. Ego autem eisdem tantam volui reverentiam exhibere, pro ut & nunc vellem, quantùm justitia suaderet, quòd supponebam eos esse ita virtuosos, quod B *nec pro morte nec pro vita voluissent toti Mundo illudere de falso Papa, nec etiam voluissent asserere illum esse Christi Vicarium à Spiritu Sancto electum, Ecclesiam & Fidem gubernaturum, quem sciebant Antichristum. Item, Domine reverende, vos fuistis, ut arbitror, in illa congregatione Ecclesiæ Gallicanæ celebrata Parisius anno Domini MCCCLXXVIII. in mense Septembri, in qua fuerunt circiter sex Archiepiscopi, triginta Episcopi, plures Abbates & Doctores in Theologia & in utroque Jure, & alii Sapientes. In qua cum prædictis fuistis in conclusione, quod Cardinalibus titulum electionis Urbani Papæ VI. reprobantibus non erat absque majori & maturiori consilio adhærendum. Et* C *quum ita sit, quòd nec Consilium sequens de mense Novembri fuit ita magnum, nec consequenter Consilium de mense Martii ita maturum, ut declarari posset feliciter, quum fuit postea aliud Gallicanæ Ecclesiæ Concilium, sequitur quod primi Concilii prædicti de mense Septembri manet prædicta Conclusio illibata. Qualiter autem debueritis de prima adhæsione transire in neutralitatem non video: quoniam, si creditis Cardinalibus, non estis neuter. Si eis non creditis, tunc non debetis primam adhæsionem prædictam deserere propter ipsos, ut clarissime probaretur. Rursus illa informatio, quæ* D *incipit*: Quum propter falsam assertionem iniquorum, quæ reputatur & est principale, immo totale (*e*) . . . .

Narratio de Morte Clementis VII. & electione Benedicti XIII. apud Baluzium, Auctore Anonymo synchrono.

ANno Domini MCCCXCIV. die Mercurii, quæ fuit XVI. Septembris, in Palatio Pontificali Avinionensi mortuus est Dominus Papa Clemens VII. natione Gebennensis ex Comitibus Gebennensibus, qui obiit dicta die circa horam sextam. Et eâ die horâ Vesperarum in ipso Palatio congregati sunt infrascripti Domini Cardinales, quos ego in Camera Paramenti dicti Palatii congregatos vidi, videlicet (Episcopi Cardinales) Dominum Petrum de Corsinis de Florentia, Cardinalem Portuensem: Dominum Guidonem de Maloësso Lemovicensem, Cardinalem Prænestinum: Dominum Johannem de Grangia Burgundum, Cardinalem Tusculanum; Dominum Nicolaum de Brancaciis de Neapoli, Cardinalem Albanensem; omnes præsentes: Dominus Jacobus de domo regali de Aragonia, Cardinalis Sabinensis: Dominus Johannes de Novocastro Burgundus, Cardina-

A lis Ostiensis. Hi ambo absentes erant, non tamen Legati, sed pro suo solatio primus in Aragonia, in Ecclesia sua Valentinensi, secundus in Lotharingia. Presbyteri Cardinales, Dominus Guillelmus de Agrifolio Lemovicensis, Decanus Collegii, tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte: Dominus Leonardus de Giffono de Regno Siciliæ, Frater Minor, tituli Sancti Sixti: Dominus Bertrandus Lemovicensis, dictus Hierosolymitanus, tituli Sanctæ Pudentianæ: Dominus Thomas de Pistorio Tuscus, dictus Neapolitanus, tituli Sanctæ Praxedis: Dominus Johannes de Parma Lombardus, dictus Venetiarum, tituli Sancti Cyriaci in Thermis: Dominus Johannes de Murolio de Alvernia, tituli Sancti Vitalis: Dominus Petrus de Tureyo Lugdunensis, tituli Sanctæ Susannæ: Dominus Johannes de Bruniaco Gebennensis, dictus Vivariensis, tituli Sanctæ Anastasiæ: Dominus Martinus de Salva de Navarra, dictus Pampilonensis, tituli Sancti Laurentii in Lucina: Dominus Johannes de Vivario, dictus Auxitanus, tituli Sanctorum Johannis & Pauli: Dominus Petrus Lugdunensis, dictus Aniciensis, tituli Sancti Petri ad Vincula: Dominus Guillermus de Vergeyo Burgundus, tituli Sanctæ Cæciliæ: Dominus Petrus Cardinalis Hispaniæ. Hic non habuit titulum, quia numquam fuit in Curia, & creatus de novo. Diaconi Cardinales, Dominus Hugo de Sancto Martiale Lemovicensis, Sanctæ Mariæ in Porticu: Dominus Petrus de Vernhio Lemovicensis, Sanctæ Mariæ in Vialata: Dominus Petrus de Luna Aragonensis, Sanctæ Mariæ in Cosmedin: Dominus Amedeus de Saluciis ex Marchionibus de Saluciis, Sanctæ Mariæ Novæ. Iste hac die non erat præsens, sed in beneficio suo de Bolina. Venit tamen post, & interfuit sepulturæ: Dominus Galeotus de Petramala de Aretio in Tuscia, Sancti Georgii ad Velumaureum. Die Veneris XVIII. Septembris sepultura facta fuit corporis horâ ante Tertiam, & receptum fuit corpus de Capella magna Palatii, & portatum ad Sanctam Mariam Ecclesiæ Cathedralis Avinionensis, ubi congregati erant Cardinales. Celebravitque Missam Dominus de Giffono Cardinalis, & fecit sermonem. Completâ Novenâ, omnes prædicti Domini Cardinales præsentes numero XXI. intrarunt Conclave die Sabbati XXVI. dicti mensis in vespere. Qui unanimiter & concorditer elegerunt in Papam prædictum Dominum Petrum de Luna Sanctæ Mariæ in Cosmedin, die Lunæ immediate sequenti Vigiliam Dedicationis Sancti Michaëlis. Qua die horâ prandii exiverunt Conclave, & duxerunt dictum Dominum Papam ad nostram Dominam de Dompnis Ecclesiam Cathedralem. Fuit impositum sibi nomen Benedictus Papa XIII.

Acta electionis Benedicti XIII.

ANno à Nativitate MCCCXCIV. & die Mercurii XVI. Septembris, inter nonam & decimam horam felicis recordationis Dominus Clemens Papa VII. Anno sui Pontificatus sextodecimo, animam suam ejus Creatori reddidit. Et die Veneris immediate sequenti corpus suum traditum exstitit in Ecclesia Avinionensi juxta sepulturam Domini Johannis XXII. ecclesiasticæ sepulturæ. Et tunc

(*e*) *Baluzius*: Cetera desunt.

tunc in Collegio erant viginti quatuor Cardinales : quorum viginti & unus erant præsentes in Curia : videlicet Domini Petrus Portuensis, dictus Florentinus : Guido Penestrinus, dictus Pictavensis: Johannes Tusculanus, dictus Ambianensis: Nicolaus Albanensis, dictus Cusentinus: Jacobus Sabinensis , dictus de Valentia, in Aragonia: Johannes Ostiensis, dictus de Novocastro ; qui duo erant absentes: Guillelmus tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte, dictus de Agrifolio : Leonardus tituli Sancti Sixti , dictus de Giffono : Bertrandus tituli Sanctæ Potentianæ, dictus Hierosolymitanus : Thomas tituli Sanctæ Praxedis, dictus Neapolitanus: Johannes tituli Sancti Cyriaci in Thermis, dictus Venetiarum : Johannes tituli Sancti Vitalis, dictus de Murolio: Petrus tituli Sanctæ Susannæ, dictus de Tureyo: Johannes Sanctæ Anastasiæ , dictus Vivariensis, Vicecancellarius : Petrus Sancti Petri ad Vincula, dictus Aniciensis, Pœnitentiarius: Martinus Sancti Laurentii in Lucina, dictus Pampilonensis : Johannes Sanctorum Johannis & Pauli, dictus Auxitanus : Guillelmus Sanctæ Cæciliæ , dictus de Vergeyo : Petrus, qui fuit Episcopus Oxomensis, dictus de Hispania, non habebat titulum, & erat absens: Hugo Sanctæ Mariæ in Porticu , dictus de Sancto Martiale : Petrus Sanctæ Mariæ in Vialata , dictus de Vernhio : Petrus Sanctæ Mariæ in Cosmedin, dictus de Luna : Amedeus Sanctæ Mariæ Novæ, dictus de Salutiis: Galeotus Sancti Georgii ad Velumaureum , dictus de Petramala . Qui quidem Domini Cardinales præsentes die Sabbati XXVI. ejusdem mensis modicùm post horam vesperorum Conclave intraverunt . In quo die Lunæ XXVIII. ipsius mensis prædictum Dominum Petrum Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem in Summum Pontificem elegerunt. Qui Benedictus Papa XIII. voluit nominari. Et subsequenter die Sabbati III. mensis Octobris prædictus Dominus Benedictus fuit per dictum Dominum Guidonem Episcopum Penestrinum in Presbyterum ordinatus . Et postmodum die Dominica , quæ fuit XI die mensis Octobris , idem Dominus noster in magna Capella Missam celebravit . Infra cujus solemnia per dictum Dominum Johannem Episcopum Ostiensem consecratus exstitit. Et postea, dato prius in fine Missæ Presbyterio consueto , fuit per dictum Dominum Hugonem Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem coronatus . Et deinde , more in talibus fieri consueto, per Villam Avinionensem equitavit.

Cedula Cardinalium congregatorum in Conclavi , in quo Benedictus XIII. electus est.

ANno Domini MCCCXCIV. die XVI. mensis Septembris, felicis recordationis Dominus Clemens Papa hujus nominis VII. obiit in Avinione, Pontificatus sui Anno sextodecimo. Cujus corpore tradito sepulturæ , Domini Cardinales pro futuri electione Pontificis celebranda Conclave intra Palatium Apostolicum intraverunt : ibidemque cupientes pestiferum schisma nunc (proh dolor !) in Ecclesia Dei vigens pro viribus abolere, & animarum saluti providere, quamdam Cedulam confecerunt & ordinaverunt, cujus tenor sequitur de verbo ad verbum:

„ Nos omnes & singuli sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ Cardinales congregati pro electione „ futura in Conclavi ante Altare , in quo „ Missa communis celebrari consuevit , pro „ Dei servitio, unitate Ecclesiæ suæ sanctæ , „ ac salute animarum fidelium omnium pro- „ mittimus & juramus ad sancta Dei Evan- „ gelia corporaliter per nos tacta, quod abs- „ que fraude, dolo, & machinatione quibus- „ cumque ad unionem Ecclesiæ, & finem im- „ ponendum Schismati (proh dolor !) in „ Ecclesia nunc vigenti, quantum in nobis „ erit, laborabimus fideliter & diligenter, & „ per nos, quantum ad nos pertinet , seu „ etiam pertinebit, dabimus Pastori nostro , „ & gregis Dominici ac Vicario Christi Do- „ mino nostro futuro, qui erit pro tempore , „ auxilium, consilium & favorem, nec ad „ impediendum vel differendum præmissa da- „ bimus consilium vel favorem directe vel in- „ directe, publice vel occulte; & ista omnia „ & aliàs etiam ultra præmissa omnes vias „ utiles & accommodas ad utilitatem Eccle- „ siæ, & unionem prædictam ejusdem fane „ & veraciter sine machinatione seu excusa- „ tione vel dilatione quacumque servabit & „ procurabit posse tenus quilibet nostrûm , „ etiamsi assumtus fuerit ad Apostolatum , „ etiam usque ad cessionem inclusive per „ ipsum de Papatu faciendam, si Dominis „ Cardinalibus, qui nunc sunt, vel erunt in „ futurum de iis, qui sunt nunc, vel majori „ parte eorumdem, hoc pro bono Ecclesiæ & „ unitatis prædictæ videatur expedire.

„ Et ego Guido Episcopus Penestrinus su- „ prascripta juravi & promisi, & manu mea „ me heic subscripsi.

„ Et ego Johannes Episcopus Tusculanus „ præmissa promisi & juravi, & manu mea „ propria me subscripsi.

„ Et ego Nicolaus Episcopus Albanensis „ præmissa promisi & juravi, & manu mea „ propria me subscripsi.

„ Ego Leonardus tituli Sancti Sixti Presby- „ ter Cardinalis præmissa promisi & juravi , „ & manu propria me subscripsi.

„ Ego Bertrandus tituli Sanctæ Potentianæ „ Presbyter Cardinalis præmissa promisi & ju- „ ravi, & manu mea me subscripsi.

„ Ego Thomas tituli Sanctæ Praxedis Car- „ dinalis præmissa promisi & juravi, & manu „ propria heic me subscripsi.

„ Ego Johannes tituli Sancti Cyriaci in „ Thermis Presbyter Cardinalis suprascripta „ promisi & juravi, & manu mea me sub- „ scripsi.

„ Ego Johannes de Murolio tituli Sancti „ Vitalis Presbyter Cardinalis suprascripta „ promisi & juravi, & manu mea me sub- „ scripsi.

„ Ego Petrus tituli Sanctæ Susannæ Presby- „ ter Cardinalis præmissa promisi & juravi , „ & manu propria me subscripsi.

„ Ego Johannes tituli Sanctæ Anastasiæ „ Presbyter Cardinalis juravi & promisi su- „ prascripta, & manu propria me subscripsi.

„ Ego Martinus tituli Sancti Laurentii in „ Lucina Presbyter Cardinalis suprascripta „ promisi & juravi, ac manu propria me „ subscripsi.

„ Ego Johannes tituli Sanctorum Johannis „ & Pauli Presbyter Cardinalis promisi & ju- „ ravi suprascripta, & manu propria me „ subscripsi.

„ Ego

„ Ego Petrus tituli Sancti Petri ad Vincula A „ Presbyter Cardinalis suprascripta promisi & „ juravi, & manu propria me subscripsi.

„ Ego Guillelmus tituli Sanctæ Cæciliæ „ Presbyter Cardinalis suprascripta promisi & „ juravi, & manu propria me subscripsi.

„ Et ego Petrus tituli Sanctæ Mariæ in „ Vialata Diaconns Cardinalis suprascripta „ juravi, & manu propria me subscripsi.

„ Et ego Petrus Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis juravi & subscripsi „ manu propria.

„ Et ego Amedeus Sanctæ Mariæ Diaconus „ Cardinalis juravi & manu propria subscripsi.

„ Et ego Galeotus Sancti Georgii ad Velumaureum Diaconus Cardinalis, qui prædictam cedulam propria manu scripsi, & B „ me subscripsi.

Florentinus, de Agrifolio, & de Sancto Martiale se non suscripserunt. Post præmissa Domini Cardinales elegerunt in summum Pontificem Reverendum patrem Dominum Petrum de Luna Cardinalem Diaconum. Et demum anno Domini MCCCXCV. die prima mensis Junii in Villanova omnes Domini Cardinales prædicti, uno excepto, scilicet Pampilonensi, in præsentia Dominorum Ducum Bituricensis, Burgundiæ & Aurelianensis reputarunt viam cessionis Domini Papæ & sui adversarii meliorem, breviorem, faciliorem, pro Unione assequenda, & magis sedativam conscientiarum. Ex prædicta autem Cedula & deliberatione Dominorum Cardinalium prætactorum orta fuerunt multa dubia.

IN GESTA
BENEDICTI XIII. PAPÆ,
SIVE ANTIPAPÆ,
PRÆFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Petrus de Luna Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin is fuit, qui anno MCCCXCIV. Clemente VII. sive Roberto Gebennense Antipapâ vitâ functo, Schisma teterrimum in Ecclesia Dei propagavit: quippe ei successit, summique Pontificis nomine assumto, Benedictus XIII. est appellatus. Ipsi favebant Aragonum Reges, aliique Populi. Sed commune erat Catholicorum votum, ut Schisma tolleretur, atque in idem conspirare videbatur ipse Gregorius XII. Papa, qui & Angelus Corarius, atque ipse Benedictus XIII. Uterque promtum hilaremque animum præferebat ad abdicandum Pontificatum, dum pax Ecclesiæ redderetur, atque alter alterum ad id solicitabat. Mutuum colloquium Savonæ proponitur anno MCCCCVI. & alacriter ad eumdem locum uterque contendentium festinare videtur. Verùm neque illo anno, neque subsequutis alter alterum videre sustinuit, varias prætexendo caussas; sed revera quia neuter amabat tam illustrem à se abjicere dignitatem, & tantummodo in propriam, non in publicam utilitatem uterque anhelabat. Iter ergo Benedicti XIII. ejusque sacra, aliaque nonnulla ejus gesta descripsit ille, qui Cæremoniis Pontificiis Præfectus erat in ejus Aula anno MCCCCVI. & duobus sequentibus. Descripsi ego ex Codice MSto Bibliothecæ Estensis, in quem tamen menda non pauca irrepserant, quæ non omnia sustuli. Hæc ad Ritus quidem & Cæremonias Curiæ sive Aulæ Pontificiæ fere cuncta pertinent. Attamen magni quoque facienda sunt, tum quod Historica non pauca complectuntur, tum etiam quod ritus & statum Romanæ Curiæ iis temporibus nobis exhibent. Nam ut ut Benedictum XIII. Antipapis accenseamus, ille tamen omnia, quæ à veris Sancti Petri successoribus peragebantur, solicite affectabat, & inter Populos sibi devotos tamquam legitimus Papa colebatur, suamque auctoritatem exercebat. His attexo Avvisamenta pro regimine Officiariorum in Palatio Domini Papæ, *quæ in eodem Estensi Codice leguntur. Curiosa utique narratio, & sub oculos ponens statum Curiæ Pontificiæ illius ætatis. In fine habetur, scripta hæc fuisse Pisis anno MCCCCIX. Subsequuntur* Cæremoniæ observandæ in celebratione Concilii: *atque hæc ipsa in exordio dicuntur scripta anno MCCCCVIII. ut inservirent Benedicto XIII. qui eo anno Concilium, seu Pseudo-Concilium celebravit Perpiniani. Attamem memoratur ibi Concilium factum Pisis anno MCCCCIX. sub Alexandro V. Papa. Memoratur etiam Concilium Constantiense, quod serius fuit coactum, nempe anno MCCCCXIII. & gesta ibi anno MCCCCXV. narrantur. Sed hæc fortassis ab ipso Auctore, aut alio quopiam, deinde addita. Unum tamdem animadvertam, in Bibliotheca Pontificum Romanorum editâ hæc haberi:* Hieronymus Ocho Perpinianensis Catalanus Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor ex Confessore Benedicti XIII. Pseudopontificis Episcopus Elnensis scripsit Acta Benedicti XIII. Pseudopontificis. Ex Emanuele Romano Matritensi Carmelita Libro de Illustribus Viris Ordinis Carmelitarum.

GEST

GESTA

Benedicti XIII. Papæ, sive Antipapæ, dum peragraret Anno 1406. & sequentibus litora Genuæ & Massiliæ.

Nunc primùm edita ex MSto Codice Bibliothecæ Estensis.

Auctore Anonymo Synchrono.

ANno a Nativitate Domini 1406. de mense Martii in Vigilia Annunciationis Dominicæ, Dominus noster Papa Benedictus XIII. cum sua Curia apud Saonam residens tenuit Consistorium in quadam Camera domus, in qua habitabat; & finito Consistorio, ipse cum Dominis Cardinalibus revestitus Pluviali, & Mitra ivit ad Tinellum, ubi erant paratæ Vesperæ & eas ibidem incœpit, duobus Diaconis, & uno de Presbyteris sibi assistentibus in cappis laneis, incensavit ad Magnificat, & Orationem dixit, & data Benedictione solita ivit ad suam Cameram: Dominique Cardinales, & omnes recesserunt. Die verò festi de mane equitavit de Domo sua ad Ecclesiam Cathedralem Beatæ Mariæ, & ibidem celebravit in Pontificalibus, assistentibus sibi Cardinalibus, ut moris est; & Missâ finitâ, atque depositis vestimentis Pontificalibus, & pluviali vestito, incœperunt Cantores Vesperas, & eis finitis rediit equitando ad domum suam; & alia die non fuerunt hospites in Palatio, nisi Capellani Capellæ. Sciendum est autem, quod durante Quadragesima servavit hunc modum prædictus Dominus noster. Nam die Mercurii Cinerum de suo Palatio de mane equitando ivit ad Ecclesiam Cathedralem, & ibidem audivit, datis primò per eum Cineribus omnibus, Missam, & Sermonem ut moris est, deinde rediit ad suum Palatium. Dominicâ primâ Quadragesimæ ivit ad Ecclesiam Prædicatorum, & ibi fuit Statio. Dominicâ secundâ ad Fratres Minores, & ibi fuit Statio. Dominicâ tertiâ ad Augustinenses, & ibi fuit Statio. Dominicâ quartâ, quæ fuit de *Lætare*, ipse de mane postquam fuit revestitus albâ Stolâ, & pluviali, ac Mitrâ aurifrisiatâ recepit Rosam auream de manu Camerarii, qui eam sibi tradidit, posuitque in ea balsamum & musquetum, ut moris est, & dicto per eum *in viam pacis* &c. portando dictam Rosam in manu sua, equitavit ad Ecclesiam Cathedralem, & ibidem fuit Statio. Finitâ autem Missâ, rediit equitando ad Palatium suum, portando semper in manu sua dictam Rosam. Sciendum autem, quod quando pro eundo ad Ecclesiam & de ea redeundo ipse descendit, vel ascendit equum, dictam Rosam tradidit tenendam dicto Camerario, & non alteri; sed quando ipse in reditu suo pervenit ad portam sui Palatii, & descendit de suo equo, tunc in præsentia omnium dedit Rosam Domino Seleuco Comiti de Asperch Ambasciatori pro tunc Regis Cypri, & licèt ejusdem Regis esset ibidem Ambasciator Prior Tolosanus Ordinis Sancti Johannis Hierosolymitani, & ipsum Comitem in sede, & aliis præcederet, tamen quia Religiosus erat, dictum fuit, quod daretur ipsi Comiti, quia non consuevit dari Religiosis nec Ecclesiasticis. Ipse autem Co-

A mes receptâ Rosâ, & osculato pede, ascendit equum, & equitavit per Villam cum societate magna tam Prælatorum, & Militum, quàm aliorum multorum. Cardinales verò eumdem non associaverunt. Deinde rediit ad Palatium, & ibidem cum suis Ambasciatoribus pransus fuit, & etiam tunc comederunt in Palatio Camerarius præfatus, qui dixit Missam, & aliqui alii pauci, non tamen in præsentia Papæ, sed in uno parvo Tinello, & Papa in sua camera.

Dominicâ verò de Ramis Dominus Papa de suo Palatio equitando ivit ad Ecclesiam Cathedralem, & ibidem in claustro Ecclesiæ dedit Ramos, ut moris est, & eis datis pro-
B cessionaliter cum pallio desuper, quod portabatur per quatuor Milites, non autem per servientes armorum, ivit ad portam Ecclesiæ, ubi erat sibi Cathedra parata pro sedendo, dum cantatur *Gloria, laus &c.* Deinde intravit Ecclesiam, & dixit Missam Dominus Cardinalis Ostiensis, & eâ finitâ rediit equitando ad suum Palatium, & Dominus Cardinalis pransus fuit in domo sua, quia de prandendo in Palatio se excusavit.

Quartâ feriâ Majoris, idem Dominus Papa, dictâ & auditâ Missâ, ut commodius & decentius posset vacare divinis Officiis & Indulgentiis dandis, ivit de suo Palatio residere in Domo Episcopali, licèt parva sed propinqua
C Ecclesiæ Cathedrali, & ibidem pransus fuit. Horâ autem consuetâ convenerunt ad eum Cardinales & Prælati, & datâ prius Indulgentiâ, ut moris est, & in habitu consueto revestitus albâ stolâ quadragesimali, & cappâ laneâ ivit ad Ecclesiam, & ibidem audivit Matutinos, & licèt portaret albam stolam & cappam, tamen Domini Cardinales non adstiterunt sibi in stabulis ante eum sedendo, sed sederunt in formis Ecclesiæ secundùm suum morem, videlicet Episcopi & Presbyteri ab una parte, & Diaconi ab alia. Ipse autem sedit in sua Cathedra, & cum suis Prælatis & Cubiculariis dixit Matutinum. Finito autem Officio rediit ad domum, & reassumpto ha-
D bitu convenienti dedit Indulgentiam, ut moris est, & omnes recesserunt. Die Jovis sancta sequenti, factis Processionibus, & datis Indulgentiis, prout moris est, ut continetur in Cærimoniali, ipse ivit ad Ecclesiam, & Missam in Pontificalibus dixit, & reservavit Corpus Christi, ut moris est. Missâ autem finitâ per inadvertentiam Clericorum Cærimoniarum statim Cantores incœperunt Vesperas, & ipse etiam sic, quod remansit revestitus omnibus indumentis Sacerdotalibus, & Pontificalibus, usque post Vesperas; & ideo ipse non potuit incensare ad *Magnificat*, sed incensavit Dominus Cardinalis Ostiensis, qui revestitus sic serviebat Papæ in Altari. Ipse autem Domi-
E nus noster, antequam inciperentur Vesperæ, debebat deponere omnia vestimenta Sacerdotalia, & eis depositis recipere Pluviale & Mitram, & Vesperæ dici, sicut factum fuit die Veneris sequenti, quæ ipse fecit sicut Officium, sic moris est. Ipsa autem die, finitis Missâ & Vesperis rediit ad domum, & datâ Indulgentiâ in loco consueto recesserunt Domini Cardinales, Prælati, & alii, & ipse depositis albâ, stolâ, pluviali, posuit capucium & mantellum, & ivit ad tinellum, ubi erant XIII. pauperes, & ibidem deposito mantello, Bullator primus ponit telam ceratam, quæ protenditur à parte anteriori à collo usque inferius, &

& ligatur cum cordellis retro spatulas, & deinde imponit munitas de eadem tela cerata, quæ eodem non ligantur; & postea præcingitur uno linteo, & sic paratus lavit pedes dictorum XIII. pauperum. Cubicularii autem ministrabant pelvim & aquam calidam. Camerarius vero Papæ, statim quando laverat pedes unius, unum Florenum, & unum Grossum ipse propria manu dabat pauperi, cujus laverat pedes, & sic de singulis. Ipsos autem Florenos & Grossos receperat de manu Bullatoris, qui eos tradere consuevit de pecuniis Bullæ, & ipsi XIII. pauperes habebant vestes de panno albo grosso, quas, ut moris est, Dominus Papa per suum Eleemosynarium dari fecerat.

B Die Veneris sanctâ, horâ debitâ venerunt Domini Cardinales & Prælati ad Dominum Papam, & Populo multo congregato in platea venit Dominus Papa revestitus albâ, pluviali, & mitra, & dedit Indulgentiam consuetam; ter autem dedit, quòd in medio dictæ plateæ erant genibus flexis circa 300. homines vestiti saccis, & nudi pedibus, qui appellantur Battuti, & isti Homines cum corrigiis se verberabant, & nonnulli usque ad sanguinis effusionem. Ante se autem habebant Crucem magnam, & Imaginem Crucifixi, quæ decenter portabatur per quatuor ex eis, & intorticia multa ante, & retro. Datâ autem Indulgentiâ Præpositus Ecclesiæ Cathedralis existens cum eis non vestitus sacco, sed superpelliceo & stola, cantavit Psalmum *Lætatus sum &c.* & unus Presbyter eidem respondebat, & finito Psalmo dixit Orationem *Ecclesiæ tuæ Deus*, *Omnium Fidelium*, & *Deus à quo sancta &c.* His autem finitis unus de dictis Battutis stans juxta Crucifixum genibus flexis voce magna & pia clamavit *Misericordia*, & statim post per verba brevia & devota in vulgari Italico in effectu tribus vicibus petiit rogari Deum pro Papa, ejus bona vita, & quod Deus daret sibi gratiam ponendi pacem in Ecclesia, & in qualibet vice omnes illi Battuti cum magna & devota voce clamaverunt *Amen*. Quibus sic factis, omnes Battuti per modum Processionis sequendo Crucem & Crucifixum, bini & bini, & continue se verberando, recesserunt ad Ecclesias visitandas. Deinde Dominus Papa deposito pluviali recepit cappam laneam, & mitram super biretam rubeam, & ivit ad Ecclesiam Cathedralem, in qua ipse fecit Officium; & Dominus Cardinalis de Flisco dixit Passionem. Quando autem ipse adoravit Crucem, obtulit certa statuta in vase argenteo juxta Crucem propter hoc posito, & voluit, quod idem facerent Cardinales, & Prælati, & ita factum fuit. Omnes etiam alii, qui Crucem adoraverunt, aliqui obtulerunt; & licet Subdiaconus prætenderet oblationem ad se pertinere; tamen ipse Dominus Papa ordinavit, & voluit, quod esset ipsius Ecclesiæ Cathedralis, in qua Officium faciebat. Finito Officio, rediit ad domum, & depositâ cappâ laneâ, & indutâ siriceâ, dedit Indulgentias Populo in loco consueto; deinde omnes recesserunt. Ipse autem illa die non comedit nisi panem & aquam. Adveniente vespere redierunt Domini Cardinales, Prælati, & alii; & ipse more, & loco consuetis dedit Indulgentias, & postea ivit ad Cathedralem Ecclesiam, & vestitus albâ, stolâ, & cappâ laneâ, ibidem audivit Matutinum, Dominis Cardinalibus stantibus in formis, sicut & in aliis Matutinis

A fecerunt.

Die Sabbati sequenti horâ congruâ, datâ prius Indulgentiâ, ivit ad Ecclesiam revestitus alba, stola, & cappa lanea, & facta ante Altare oratione consueta, ivit ad locum ordinatum, & ibidem dictâ Nonâ revestivit se vestibus Pontificalibus Quadragesimalibus, quibus usus est, usquequo perventum fuit in Litania ad *Peccatores*, *Te rogamus*, *audi nos*. Tunc autem de ante Altare ivit ad dictum locum, & depositis illis vestimentis induit vestimenta alba, & postea ivit ad Cathedram suam, & incœpit *Gloria in excelsis Deo*: quo finito sedit in sua Cathedra. Et tunc Domini Cardinales jam revestiti vestimentis Ecclesiasticis secundùm eorum conditiones fecerunt reverentiam Papæ, quam ut aliqui dixerunt debebant facere in suis cappis laneis, sicut fit aliàs, quando Papa celebrat ante, vel dum dicit Tertiam vel Nonam secundùm occurrentiam temporis, quum consuetum non sit, nec aliàs, ut dicebatur, visum, quod Cardinales revestiti cappis, vel indumentis sericeis, Papæ faciant reverentiam. Tamen Clericus Cæremoniarum asseruit, quod sic determinaverat Dominus Gregorius XI. Papa solemnitate mutationis vestimentorum; sed fortè illud erat verum, (& ita vidi observari tempore Clementis VII.) quando Papa illa die non celebrat, quia tunc fit sibi reverentia, non à principio Officii, quando adhuc indutus est cappa quadragesimali, sed postquam inchoata *Gloria in excelsis Deo*, vestitur cappa seu pluviali albo; quia tunc, eo quia Papa non celebrat, Cardinales portant cappas laneas, non autem vestimenta sericea, & ideo reverentiam faciunt, non autem ante inchoationem Missæ. Finitâ autem Missâ, depositis vestimentis Pontificalibus, induit pluviale album, & mitram aurifrisiatam, & cum illis rediit ad domum suam; nec illa die aliquis ibidem cum eo comedit extraneus, sicut nec aliis, quibus ibidem stetit. Sciendum autem, quod deposito albo pluviali induit capuccium album, & mantellum, sicut moris est, & eis continue usus usque ad Dominicam de *Quasi modo* inclusive. Tunc eadem die horâ quasi occasus solis audivit Matutinum. Tamen nota, in tinello dictæ domus, ubi, prout dixi, Altare paratum erat; & in eis dum diceretur, venit Dominus Cardinalis Pampilonensis; sed nullus alius Cardinalis Prælatus, vel alius fuit præter Prælatos & familiares domesticos, sicut moris est. Die Paschæ de mane convenerunt ad eum Domini Cardinales, Prælati, & alii, & datâ per eum Indelgentiâ in loco solito, & ut moris est, ivit ad Ecclesiam in pluviali albo, & Missam dixit in Pontificalibus, & multos communicavit, ut moris est. Finitâ autem Missâ, ipse portans pluviale album, & mitram aurifrisiatam ante portam Ecclesiæ ascendit equum suum, & præcedente Corpore Christi, & Dominis Cardinalibus, & aliis multis, equitavit sic usque ad Palatium suum; & illa die comederunt in Palatio omnes Cardinales, Referendarii, Prælati domestici, Camerarius, Subdiaconus, Magister Palatii, Auditores, Pœnitentiarii, Ambasciatores Regis Cypri, Potestas, & Antiani de Saona, & aliqui alii Milites extranei. Post prandium autem, facta collatione, dedit piper &c. ut moris est. Sciendum est autem, quod quandocumque exivit domum suam, seu Palatium pro eundo ad Ecclesias, vel ad spa-

ſpatium extra Civitatem, ſemper ivit eques cum toto ſtatu ſpirituali, videlicet præcedentibus equis, paramentis, Capellis rubeis, Cruce, Corpore Chriſti, Cardinalibus in ſuo ordine, videlicet primò Presbyteris, deinde Epiſcopis, & ante eum immediate Diaconis, & poſt eum Camerariis, & Mareſcalco Curiæ Romanæ immediate, deinde Prælatis, Cappellanis Capparum, & aliis Eccleſiaſticis. Sciendum eſt autem, quod quando exivit Civitatem pro ſpatio, juxta Portam ipſius Civitatis in Monaſterio Minoriſſarum fecit poni Corpus Chriſti, nec voluit quod ante eum extra Villam per campos portaretur; & quando redeundo de ſpatio, reintravit Civitatem, tunc ante eum fuit Corpus Chriſti portatum, ut alias conſuetum eſt. Dominicâ de *Quaſi modo* ſtatim poſt Paſcha ſequenti unus de Cappellanis Cappellæ Papæ dixit in Palatio Apoſtolico Miſſam novam, in qua, ut aſſolet, erant Papa, Cardinales, Prælati, & alii multi. In Offertorio autem Camerarius nomine dicti Domini noſtri Papæ ante omnes Cardinales ivit ad ipſum Presbyterum celebrantem, & eidem obtulit oſculando manipulum X. Florenorum Curienſium. Poſt ipſum venerunt Domini Cardinales perſonaliter ſecundùm ſuum ordinem, & obtulerunt, prout eis placuit; poſt ipſos verò immediate ivit Camerarius nomine ſuo proprio, & obtulit, prout ſibi placuit; & ſtatim poſt eum Protonotarii & Correctores, & deinde Prælati, & alii ibidem præſentes, prout eis placuit.

Eodem menſe Martii XX. dicti menſis, intraverunt Saonam circa horam Veſperarum Ambaſciatores Regis Caſtellæ, videlicet unus Miles, unus Frater Confeſſor dicti Regis, & unus Doctor Legum; quibus exiverunt ob viam extra Civitatem Saonæ Dominus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Epiſcopus Nicienſis, Johannes de Luna Commendator de Caſtellet, Commendator de Manſo Dei, Nepotes Domini noſtri cum magna ſocietate Militum & aliorum Nobilium. Camerarius autem, & gentes Dominorum Cardinalium non exiverunt. Ipſi vero Ambaſciatores, quando intraverunt Civitatem, non iverunt ad Palatium ad Dominum noſtrum, ſed rectâ viâ iverunt ad hoſtellarias ſuas, & Domini infraſcripti aſſociaverunt eos uſque ad dictas hoſtellarias. In craſtinum verò venerunt ad Palatium in fine Miſſæ Domini noſtri; & debitâ & conſuetâ reverentiâ factâ præſentaverunt Literas Domini Regis ipſi Domino noſtro; & habita aliquali collatione ipſe Dominus noſter dixit, quod pranderent in craſtinum cum eo, & tunc eiſdem aſſignaret horam opportunam ad exponendum ea, quæ vellent. Ipſa autem die fuerunt in Palatio, & comederunt in parvo tinello, & Dominus noſter in ſua Camera. Epiſcopus autem Ruthenenſis pro tenendo eis ſocietatem fuit invitatus cum eis. Ante prandium autem fuerunt cum Domino noſtro, & eidem expoſuerunt ſuam ambaſciatam, & dixerunt illa, quæ voluerunt. Poſt prandium autem ipſi Epiſcopi, & Ambaſciatores venerunt ad cameram, in qua Dominus noſter pranſus fuerat, & ibi multis adſtantibus fuerunt non à lateribus, ſed ante Dominum noſtrum ipſum. In hoc fuit erratum, quia ſuper ſcabellis in præſentia Papæ non ſolent ſedere Ambaſciatores Regum, ſed dumtaxat quando explicant ſuam ambaſciatam. Et quando in prima invitatione fit collatio in præſen-
A tia Domini Papæ, tunc ii debent ſedere, & ſedendo, poſtquam Papa habuit ſpecies & vinum recipere. Poſita eſt autem ante eos una loqueria, & poſita tria ſcabella, ſuper quibus ſederunt ipſi tres Ambaſciatores. Ipſe verò Dominus noſter ſedit in ſua Cathedra, & ſic multis Dominis aſtantibus habuerunt ad invicem ſolanoſam, & de generalibus collationem non multum longam. Poſtea verò ſurrexerunt de ſedibus ſuis, & venerunt juxta Cathedram Papæ, & genibus flexis aliquamdiu cum eo locuti fuerunt; & poſtea ſtatim ab eo licentiam receperunt, oſculando pedem, manum, & os. Et deinde Dominus noſter intravit cameram ſuam retractus; &
B ipſi diverterunt ad quemdam locum, ubi pro eis erant parata vinum & ſpecies pro collatione: qua collatione per eos facta, receſſerunt ad domos ſuas, & in craſtinum mane receſſerunt de Saona pro eundo Romam ad incurſum, prout per eorum Regem eiſdem fuerat ordinatum.

Eodem anno, XIX. Maji, in qua fuit Vigilia Aſcenſionis Domini noſtri, Papa tunc Saonæ exiſtens in tinello domus ſuæ, in qua habitabat, audivit Veſperas, præſentibus & aſſiſtentibus ſibi Dominis Cardinalibus in cappis laneis; ipſe autem portabat pluviale rubeum conſuetum, & mitram aurifriſiatam. Incœpit Veſperas, Hymnum, Antiphonam
C de *Magnificat*, incenſavit, & Orationem dixit, benedictionem ſolitam dedit. Finitis Veſperis deinde ad ſuam cameram receſſit. In craſtinum autem, ſcilicet die feſti Aſcenſionis de mane equitavit, ut & alias conſuevit, ad Eccleſiam Cathedralem, & ibidem Miſſam in Pontificalibus dixit. Prædicavit Prior Ciſtercienſis. Et Miſsâ finitâ rediit equitando ad domum ſuam; & nullus extraneus illa die præter dictum Priorem & Cappellanos Cappellæ in Palatio pranſus fuit. Horâ autem veſpertinâ audivit Veſperas in tinello, & reveſtitus ſicut in Vigilia incœpit Veſperas, incenſavit ad *Magnificat*, & Orationem dixit, & nihil plus. Ipſis autem Veſperis fini-
D tis, & data per eum benedictione, ut moris eſt, receſſit ad ſuam cameram.

Antepenultima die dicti menſis Maji, & die Sabbati 29. Maij 1406. in Vigilia Pentecoſtis, Dominus noſter indutus mantello horâ quaſi tertiâ audivit Officium ſeu Miſſam dictæ Vigiliæ in tinello domus ſuæ, in quo erat Altare paratum; & Cappellanus Cappellæ faciens Officium erat indutus veſtimentis Quadrageſimalibus, etiam caſulâ; & erant candelæ ſex ſuper Altare, ſed non accenſæ. Fuerunt autem lectæ per Cappellanos Cappellæ Prophetiæ, & Orationes dictæ, prout continetur in Miſſali: quibus finitis Cappellanus reveſtitus depoſuit Caſulam, & tunc Dominus noſter
E venit ante Altare ad parvam Cathedram flectens genua, & duo Cantores in Pulpito incœperunt Litaniam; ipſe verò Presbyter dicturus Miſſam ſtabat ad cornu Altaris. Qua Litania finita, ipſe Presbyter poſuit indumenta rubea. Interim autem Cantores pro introitu Miſſæ cantaverunt ſolemniter *Kyrie eleiſon*, & candelæ accenſæ ſunt, & tunc facta confeſſione, ut aliis diebus fieri ſolet, dixit ipſe Presbyter *Gloria in excelſis Deo*, ut in Miſſali. Finitâ verò Miſsâ prædictus Dominus noſter intravit cameram ſuam paramenti una cum Dominis Cardinalibus, & aliis multis, & induit ſe alba, ſtola, & cappa lanea, & dicto

dicto *in viam pacis* &c. ut moris est, recessit de domo illa, & ivit pro mora sua facienda ad domum Episcopalem associatus a Dominis Cardinalibus, & aliis multis, præcedentibus Corpore Christi, & Cruce, & aliis &c. Postquam autem fuit in ipsa domo, Episcopi omnes redierunt ad domos suas, & illa die nullus pransus fuit cum eo, nec etiam Cappellani Cappellæ. Hora vero Vesperarum convenerunt Domini Cardinales, Prælati, & alii in dicta domo Episcopali, & Dominus noster in camera paramenti induit albam, stolam, & cappam solemnem, ac Mitram pretiosam, ut fieri debet in Festis VII. candelabrorum; & sic revestitus ivit de dicta domo usque ad Ecclesiam Cathedralem ibidem propinquam, & facta oratione ante Altare, ut assolet, sedit in sua Cathedra, & Domini Cardinales fecerunt dumtaxat reverentiam: qua facta ipsi soli, non autem alii Prælati, revestierunt se cappis rubeis, ut moris est. Quibus sic revestitis, Dominus noster stans pedes, Mitrâ depositâ, incœpit Vesperas, post intonavit primam Antiphonam, & alii Cardinales secundùm morem solitum subsequentem. Dominus noster dicto Capitulo per Subdiaconum incœpit Hymnum, quo incœpto accessit ante Altare, & ibidem genibus flexis, & prostratus super Cathedram, ut assolet, stetit sic, dum Cantores cantaverunt primum versum dicti Hymni; postea incœpit Antiphonam de *Magnificat*, incensavit Altare, ut moris est, Orationem dixit, Benedictionem dedit. Deinde ad dictam domum suam, seu Palatium Episcopale, sicut revestitus venerat, rediit, & postea depositis in camera paramenti suis vestimentis, induit mantellum, ivit ad tinellum, & ibidem collationem publice fecit, ut fieri solet in Festis similibus: qua collatione facta, Domini, & alii redierunt ad domos suas, & Altare in dicto tinello fuit paratum, & ibidem horâ aliquantulum tardâ audivit Matutina, præsentibus dumtaxat Prælatis, & familia & domesticis. In crastinum verò de mane revestitus alba, Stola, Pluviali, & Mitra communibus, præcedentibus Cruce, & Dominis, ivit ad Ecclesiam Cathedralem, & facta oratione consueta sedit in sua Cathedra; & Domini Cardinales, omnesque Prælati, & Abbates consecrati & benedicti fecerunt reverentiam consuetam, & Sanctus Dominus noster tunc incœpit Tertiam cum nota, & Auditores, Cappellani, Commensales, Magister Cappellæ, & Clerici Cæremoniarum per modum Chori fuerunt prosequuti. Dominus noster tamen incœpit Hymnum, & eo incœpto ivit ad Cathedram ante Altare, sicut fecerat in Vesperis præcedentibus. Finito autem Hymno ipse Dominus noster intonavit Antiphonam, & ultimo Orationem dixit. Duo autem de dictis Cappellanis dixerunt, tenentes candelabra cum candelis in manibus, Psalmos, & Versus, & *Benedicamus Domino*. Dum autem Psalmi cantabantur, ipse Dominus noster cum suis Cubiculariis dixit sedendo in sua Cathedra totam Tertiam submissi voce. Finitâ vero Tertiâ, ipse Dominus noster ivit ad locum, ubi solebat revestiri, & deinde omnia facta fuerunt, prout in aliis Missis fit, quando ipse celebrat in Pontificalibus, ita tamen quod ipse Dominus noster incœpit prosam; & quando incœpit cantari per Cantores versus *Veni Sancte Spiritus*, ipse descendit de Cathedra, & ivit ad Cathedram parvam ante Altare flectere genua. In ipsa Missa fuit sermo, & prædicavit Episcopus Velernitanus. Finitâ Missâ ipse Dominus noster revestitus, sicut venerat, rediit ad Palatium suum, & Domini Cardinales redierunt ad domos suas. Illa die comederunt coram Papa Prælati domestici, Referendarii; alii verò Cappellani, Commensales, Auditores, & Primarii comederunt in Claustro Ecclesiæ Cathedralis, quia in Palatio non erat locus capax. Ego etiam comedi in domo mea. Finito autem prandio fuit in collatione disputatio facta, prout solitum est, & postea fuerunt datæ species & vinum. Deinde recesserunt omnes. Horâ autem Vesperarum ascenderunt ad Palatium omnes Domini Prælati, & alii, & Dominus noster revestitus alba, stola, pluviali, & mitra ivit ad tinellum, ubi erat paratum Altare, & facta oratione ante ipsum Altare, ut moris est, ivit ad Cathedram, & incœpit Vesperas, & in ipsis nihil aliud fecit, nisi incensare ad *Magnificat*, & Orationem dicere. Quando autem Hymnus fuit inchoatus per Magistrum Organorum, ipse Dominus ivit ad parvam Cathedram ante Altare flectens genua; & sic finitis Vesperis, quilibet rediit ad propria. In crastinum autem nullus extraneus comedit in Palatio, sed die Martis immediate sequenti comederunt coram Domino nostro Episcopus Saonensis, Potestas, & Antiani, & non alii; & istis duobus diebus ipse Dominus noster audivit Missam cum nota in tinello, sicut solet facere diebus Dominicis. Die Mercurii sequenti nullum fuit Consistorium, quia Dominus noster noluit.

Die Veneris immediate sequenti tenuit Consistorium, in quo quidem Consistorio, servato modo, qui describitur in Cæremoniali, promovit ad Ecclesiam Portuensem, tunc vacantem per mortem Domini Cardinalis Florentiæ, Dominum Cardinalem Gerundensem tunc Presbyterum Cardinalem in Curia cum Domino nostro residentem, & præsentem. Et propter propinquam residentiam voluit eumdem Cardinalem ad ipsam Ecclesiam Portuensem promovere, licet alii essent Domini Cardinales Presbyteri per ante Episcopi consecrati, ipsum Dominum Gerundensem præcedentes, sed à Curia absentes, videlicet Domini de Thureyo Hispaniæ, & de Vergeyo, quibus in honore propter eorum absentiam à Curia fuit derogatum, sicut & factum fuit anno proximo in Janua, quando Feriis sexta & septima post Pentecostem Domini Vivariensis Vicecancellarius, Auxitanus, & Aniciensis Pœnitentiarius major, Presbyteri Cardinales promoti fuerunt ad Ecclesias Episcopales Ostiensem, Sabinensem, & Tusculanam. Eadem die Veneris de sero, fuit mandatum Consistorium Generale pro crastina die de mane Dominis Cardinalibus, Prælatis, Auditoribus, & aliis magnis Viris Ecclesiasticis tunc ibidem residentibus. Qua die Sabbati de mane Dominus noster, auditâ Missâ, intravit Consistorium revestitus, ut moris est, remanente in quadam camera supra nominato Domino Cardinale Gerundense; & facta reverentia per Dominos Cardinales, Dominus noster incœpit facere suam arengam seu collationem pro commendatione ipsius Domini Cardinalis, & fuit thema suum *unus assumetur*. Et servatis modis, & solemnitatibus scriptis in Libro Cæremoniarum, Dominus noster exivit Consistorium, & rediit ad suam ca-

cameram, & paulo post ivit ad prandium, & fuerunt cum eo pransi omnes Cardinales, & aliqui Prælati, Ambasciatores Regis Cypri, & aliqui alii pauci. Illa die comederunt in Palatio Cantores & Subdiaconi Papæ. Post prandium autem facta collatione Dominus noster ivit ad cameram suam, & omnes Domini Cardinales, Camerarius, & aliqui alii associaverunt Dominum novum Episcopum Portuensem equis usque ad domum suam, quam etiam intraverunt, & ibidem collationem fecerunt, deinde quilibet ad domum suam redierunt. Eadem die hora Vesperarum omnes Domini Cardinales, Prælati, & alii venerunt ad Palatium pro Vesperis, quæ fuerunt dictæ in tinello, ubi Altare paratum erat; & Dominus noster erat revestitus alba, stola, pluviali, & mitra solitis. Incœpit Vesperas, incensavit ad *Magnificat*, Orationem dixit de Festo, & Dominica, de qua fiebat commemoratio, benedictionem solitam dedit, & nihil aliud per eum in illis Vesperis factum fuit. In crastinum verò revestitus ut supra ivit ad Ecclesiam Cathedralem, & facta oratione ante Altare, ut moris est, & reverentiâ eidem in sua Cathedra per Cardinales factâ, fuit incœpta Missa, quam dixit Archiepiscopus Viennensis, prædicavit Episcopus Dignensis; & finitâ Missâ rediit ad domum suam; & illa die fuerunt pransi coram eo dicti Archiepiscopus, Episcopus, & aliqui alii pauci; & Cappellani Cappellæ comederunt in Claustro, ut alias fecerunt, prout supra apparet. Illa autem die voluit audire Vesperas revestitus, sicut fecerat in Vigilia; sed non fecit, quia Cardinales non venerunt ad illas. Die Mercurii immediate sequenti, quæ fuit Vigilia festi Corporis Christi, hora Vesperarum, Papa revestitus solemniter, sicut in festis VII. Candelabrorum, videlicet alba, stola, pluviali, & Mitra pretiosis, associatus Cardinalibus, Prælatis, & multis aliis, Cruce præcedente, ut moris est, ivit ad Ecclesiam Cathedralem, & ibidem factis oratione per eum, & reverentia per Cardinales, ut solitum est, ipsi Cardinales revestiverunt se superpelliciis, & pluvialibus albis, quibus sic revestitis, tunc Papa incœpit Vesperas, item primam Antiphonam; & Domini Cardinales alias secundum eorum gradus, prout fieri solet in festo Apostolorum Petri, & Pauli. Voluit namque Papa, quod licèt per suos Prædecessores ita factum non fuerit, nec etiam istud festum in Libro Cæremoniarum inter festa alia non ponitur, quod ipsum festum solemnizetur rectè & per omnia, sicut festum VII. Candelabrorum, & ideo etiam post Vesperas fuit potus in aula. In crastinum verò postquam Episcopus Civitatis portans Christi Corpus solemni processione præcedente, ut tali die fieri assolet, exivit Ecclesiam; Dominus Papa revestitus, ut alias solet, præcedentibus Cardinalibus &c. intravit ipsam Ecclesiam, & Missam dixit in Pontificalibus, sicut in festo alio solemni. Prædicavit Magister Palatii illa die; comederunt in Palatio Cardinalis Ostiensis, & duo Ambasciatores Regis Ludovici, scilicet Dominus Johannes de Thureyo Miles, & Pontius Cassi Doctor in eadem mensa. In secunda mensa comederunt Archiepiscopus Toletanus, aliqui Milites, & aliqui alii V. Subdiaconus Papæ, & Magister Palatii. In Ecclesia autem, dum dicebatur Missa, erant dicti Ambasciatores Regis Ludovici, & etiam Ambasciatores Regis Cypri, videlicet Prior de Tolosa Ordinis Sancti P. Comes Esperch, & quidam alius non Miles; & in scamno Ambasciatorum sedit primus Dominus Johannes de Thureyo Ambasciator Regis Ludovici, secundus Dominus Prior, tertius dictus Dominus Comes, quartus prædictus Dominus Pontius; & prædicti Milites secundum ordinem sedendi servierunt Papæ de aqua in Missa. Illa die fuerunt Vesperæ in tinello, quas Dominus Papa incœpit, incensavit ad *Magnificat*, facta commemoratione de Sancto Barnaba Apostolo, cujus Festum in crastinum fuit. Eadem mane in Vigilia festi Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, Dominus Papa revestitus alba, stola, pluviali, & mitra consuetis, descendit de suo Palatio ad Cappellam Battutorum, pro audiendo Vesperas; factâque oratione ante Altare, ut assolet, sedit in sua Cathedra, & Cardinales reverentiam solitam fecerunt; deinde depositâ mitrâ stetit pedes, & Vesperas incœpit, incœpit primam Antiphonam, Hymnum, Antiphonam de *Magnificat*, incensavit, Orationem dixit, Benedictionem dedit, & nihil aliud, sed dixit Capitulum; Cappellani Cappellæ totum residuum cantaverunt. Deinde Papa rediit ad suum Palatium; Cardinales, & alii omnes ad suas domos recesserunt, nec aliquis fuit potus in Aula. In crastinum vero Papa dixit in sua Cappella secreta Missam bassam; Dominus autem Cardinalis Gerundensis dixit Missam magnam coram Papa in Ecclesia Cathedrali; & prædicavit unus Magister in Theologia Ordinis Divi Benedicti, & fuerunt servata contenta in Capitulo de Missis, quæ celebrantur coram Papa positæ in Cæremoniali. Illa die fuerunt pransi in Palatio coram Papa ipso Dominus Episcopus Rhutiniensis, Potestas Civitatis in eadem mensa; in secunda mensa fuerunt Magister, qui prædicavit, Prior Antianorum, & ipsi Antiani octo numero; Cappellani Cappellæ comederunt in tinello consueto.

Anno à Nativitaté Domini 1406. die Sabbati 26. Junii Dominus noster Papa Benedictus XIII. Anno sui Pontificatus VII. urgente pestilentiâ recessit de mane de Saona, ubi tunc cum sua Curia residebat. Eumdem associaverunt Domini Cardinales V. Auxitanus, Aniciensis, Gerundensis, de Flisco, & Pampilonensis; pridie namque recesserat Cardinalis Vivariensis Vicecancellarius. Exivit revestitus alba, stola, pluviali, & mitra, ut moris est. Extra autem Villam in propinquiori Cappella descendit de equo, & deposuit pluviale, & mitram, posuitque cappam laneam; & factâ ibidem aliquali oratione, ascendit equum. Postquam autem aliquamdiu equitavit, Domini Cardinales recesserunt ab eo, & redierunt Saonam, excepto Domino Pampilonense, qui cum eo continue fuit. Redierunt tunc omnes Prælati, exceptis Camerario, & Abbate Sancti Johannis de Pina, & Abbate de Abundantia Eleemosynario. Illa die venit ipse Dominus noster Papa prandere in Novi, ubi in introitu Civitatis fuit exceptus per Processionem, Potestatem, Antianos, & alios bonos homines de Loco, qui eumdem . . . ., & pallium super eum portaverunt. Pallium autem erat de una sargia rubea aliqualiter in medio bordata. Declinavit ad Conventum Fratrum Minorum, & ibidem fuit per totam diem Dominicam;

&

& comederunt in Palatio illa die Dominica Provincialis Januæ, Potestas, & Antiani de Novi, Vicarius Episcopi, & tres Canonici, ac aliqui Milites existentes ad stipendia ipsius Domini nostri. Item illa die circa horam tertiam, venerunt Galeæ Domini nostri de Saona apud Novi, quæ obstante vento antevenire non potuerunt. Item illa die Dominica audivit Missam in Ecclesia Fratrum Minorum, bassam dumtaxat, quia Cantores propter pestilentiam, & mortem unius ex eis erant dispersi, & haberi non poterant. Die Lunæ 28. Junii de mane, auditâ primo Missâ intravit Galeam suam cum paucis Ecclesiasticis, & Militibus, nam Domino Marescalco, & aliis de mari dubitantibus dedit licentiam eundi per terram ad locum de Finario, ad quem ibat. Camerarius verò in aliam Galeam magis parvam, & cum paucis mare aliquantulum introivit, quod dictæ Galeæ in portu seu veriùs plaga de Finario non potuerunt dare scalam; sed per barcas, & cum satis magna difficultate, ipse Dominus noster Papa, & alii, qui in Galeis erant, fuerunt portati de ipsis Galeis prope terram, & de dictis barchis, quæ etiam propter mare grossum non poterant ad terram venire, per marinarios nudos portati ad terram. Ibidem verò in litore erant Domini Cardinales Ostiensis, & Pampilonensis, gentes armorum, balistarii, & nonnulli alii, quorum aliqui jam de Novi per terram illuc pervenerunt, exspectantes Dominum nostrum Papam prædictum. Post quam autem ibidem in quodam viridario aliquantulum quievit, revestitus alba, stola, & cappa lanea, ascendit suum equum, & præcedente Corpore Christi, Cruce, duobus Cardinalibus, equis, paramentis, & aliis consuetis, equitavit ad quamdam Ecclesiam sitam quasi in medio viæ inter locum, in quo descendit, & Finarium. Invenit Dominum Georgium de Caneto, Antonium Staramoj, Dominum Decanum, & aliquos alios Nobiles paucos cum Processione Villæ, Syndicis, & aliis paucis. Tamen est ibidem stans in equo suo osculatus Cruces, & Reliquias, capello deposito, & capite totaliter discooperto; & tunc ipsi Nobiles supranominati eumdem receperunt ad dexteram; & certi de honestioribus loci de Fussiano portaverunt Pallium super eum: quod Pallium erat de una mappa Altaris aliqualiter listata. Et sic equitavit per Villam, & ascendit ad Castrum totaliter liberum, & ad ipsius Domini Papæ voluntatem dimiserunt; ipse autem intrando Castrum ivit ad Cappellam dicti Castri, ubi jam positum erat Corpus Christi, & ibidem aliquamdiu adoravit; postea ivit ad cameras suas; & quia aliquantulum fatigatus erat de mari & de via, Dominus Cardinalis, & alii ab eodem licentiam receperunt, & quilibet ad domum suam declinavit, & nullus in prandio cum eo fuit; & licet Vigilia festi Apostolorum Petri, & Pauli esset, tamen propter tœdium multorum absentium Cantorum non fuerunt Vesperæ Papales, nec aliæ solemnitates servatæ, quæ illa die fieri solent. In crastinum verò propter absentiam Dominorum Cardinalium Dominus Papa noster non celebravit in Pontificalibus, sicut solent illa die summi Pontifices, sed dixit unam Missam bassam; & postea revestitus stola, alba, pluviali, & mitra consuetis, venit ad tinellum, ubi paratum erat pro Missa magna, quam dixit Episcopus

A Ruthenensis; & facta oratione ante Altare, ut moris est, ivit ad Cathedram suam, & sedit; dictique duo Cardinales, quia plures non erant, eidem reverentiam solitam fecerunt; ac etiam Camerarius, Episcopus Olorensis, Abbas Montis Aragonum cum mantello, quia cappam non habebat, reverentiam fecerunt; alii verò Prælati ibidem non erant. Prædicavit Episcopus Olorensis prædictus, & fuit thema sui sermonis: *Ventus erat eis contrarius*. Illa die non comederunt in Palatio, nisi prædicti Episcopi Ruthenensis, Olerensis, & Cappellani Cappellæ; & Dominus noster comedit in sua camera.

B Die Jovis immediate sequenti de mane, Dominus Cardinalis Hispaniæ veniens de partibus illis ad Curiam, in qua adhuc non fuerat existens Cardinalis, intravit; alii Domini Cardinales exiverunt sibi obviam, Camerarius, Marescalcus, & Prælati; & aliæ solemnitates servatæ fuerunt, quæ ponuntur in libro Cæremoniarum. Illa die omnes Domini cum Domino nostro etiam existentes, qui erant duo numero, eo inclauso comederunt in Palatio. Item Ambasciatores tres numero Regis Castellæ, qui etiam veniebant de Roma de Intruso, ad quem pro unione Ecclesiæ per Dominum Regem missi fuerunt. Item Johannes Martini de Luna cum dicto Cardinali ...., aliqui Nobiles de Caneto, milites de stipendiatis

C Domini nostri Papæ, Ambasciatores Civitatis Saonæ quatuor numero, Potestas, & Antiani de Finario, Prælati, aliqui Cantores, & alii multi. Sumto autem prandio, & facta collatione, ut moris est, omnes recesserunt, & Domini Cardinales associaverunt Dominum Cardinalem Hispaniæ usque ad domum suam, quam non intraverunt, nec in ea biberunt, ut alias fieri solet, quia disposita non erat. Et illico Domini Auxitanus, & Gerundensis recesserunt apud Albingam cum Domino de Flisco ad quoddam Castrum suorum nepotum, & in crastinum de mane recessit Dominus Vi-

D variensis ad Albingam; & in Finario restiterunt dumtaxat Domini Cardinales Hispaniæ, & Pampilonensis. Die Jovis VIII. Julii de mane Dominus noster descendit de Castro Finarii, in quo non bene se reperiebat, ad Villam ad quamdam domum pro eo ordinatam. Illa die met fuit ordinatum Dominis Vivariensi, Auxitano, & Gerundensi tunc morantibus in Albinga, & Domino de Flisco stanti *en la Preba*, quod venirent ad Dominum nostrum; qui venerunt die sequenti de mane; & cum eis, & Dominis de Hispania, & Pampilonensi, ac etiam cum Camerario, Toletano, Ispalense, & Tolosano Archiepiscopis, nec non cum Domino Episcopo Ruthenense, Abbate

E Montis Aragonum, & Francisco Darenda, posuit in deliberatione, an expediret, quod recederet de Finario; atque omnes supranominati, ac etiam Abbas Sancti Johannis de Pina fuerunt opinionis, quod ipse Dominus noster debebat pro sua persona, & suorum conservatione, & pro bono Ecclesiæ de dicto loco recedere, & se transferre ad Civitatem Niciensem. Die verò Sabbati de mane immediate sequenti Dominus noster prædictus in præsentia supranominatorum conclusit facere secundùm consilium sibi datum. Qua conclusione sic facta, fuerunt missi apud Niciam Dominus Abbas Montis Aragonum, P.... eximini de Pillaribus, Clericus Cameræ, & alii certi pro assignando domos Dominis Cardinalibus,

libus, & aliis Curialibus, ut moris est. Fuerunt etiam missi Dominus Episcopus Ruthenensis, & Operarius Cæsaraugustanus ad Dominum Gubernatorem, ad Januenses, & Saonenses, & ceteros alios ad dicendum eisdem recessum proximum Domini nostri, & causas ejus, & ad exhortandum, quod semper vellent perseverare in bona devotione, & obedientia Ecclesiæ, & ipsius Domini nostri. Ipse verò Dominus Gubernator auditis dictis novis, quodque prædictus Dominus noster non habebat pro suo recessu nisi duas Galeas, dixit, quod volebat Dominum nostrum associare usque ad Niciam; & ideo cum una Galea, & uno magno rampino venit de loco Chanay, ubi etiam propter pestilentiam stabat, ad Civitatem de Novi, in qua applicuit Dominica, quæ fuit dies 18. dicti mensis Julii; ad Finarium verò, ubi stabat Dominus noster, non venit, quia audiverat pestilentiam ibidem vigere. Die autem Lunæ immediate sequenti Dominus noster satis mane audivit Missam in Ecclesia Prædicatorum; deinde revestitus alba, stola, & cappa lanea, & dicto *In viam Pacis*, ut moris est, ascendit mulam suam, & associatus à Dominis Cardinalibus Hispaniæ, & Pampilonense, Camerario suo, Archiepiscopis Toletano, Hispalense, Tolosano, multisque aliis Nobilibus, & Ecclesiasticis, accessit ad Portum, seu plagiam dicti loci de Finario, & ibidem in quodam Viridario depositis cappa, stola, & alba, & indutus capucio, & mantello, solùm Corpore Christi, & Cruce præcedente, intravit Galeam suam, & cum eo tres Archiepiscopi supranominati. Domini verò Cardinales aliam Galeam intraverunt; & interim ibidemmet pervenit Dominus Gubernator in sua Galea, & sic cum multis barchis, & brigantinis de illo loco recessit aliquantulum post ortum solis; & gratiâ Dei habuit ventum ita prosperum, quod illa diemet circa primam horam noctis pervenit ad portum de Monacho cum omni prosperitate. Dum autem Galeæ transirent per ante locum de la Preha, in qua stabat Dominus Cardinalis de Flisco, Galea, in qua erant supranominati duo Cardinales, applicuit ad dictum locum de la Preha, & ibidem levavit ipsum Dominum Cardinalem de Flisco, & sic in ipsa Galea recesserunt tres Domini Cardinales. Camerarius autem, quia mare sustinere non poterat, recepit congedium ab ipso Domino nostro, quando intravit Galeam; & cum gentibus armorum venit per terram usque Niciam. Sciendum, quod tres Domini Cardinales, qui stabant in Albinga, per ante certificati per literas Camerarii de die & hora dicti recessus Domini nostri, arripuerunt iter suum dicta die Lunæ per terram, & continuaverunt usque ad Niciam. Item sciendum, quod quando Dominus noster fuit in Monacho bene cum aliis, qui secum per mare iverunt, audivit, quod pestilentia aliqualiter incipiebat in Nicia, & ibidem in uno de Castris se collocavit, & Dominus Gubernator in alio, ibidemque stetit usque ad diem . . . .

Die Lunæ 26. mensis Julii, Dominus noster ibidem in Monacho tenuit Consistorium, præsentibus dumtaxat duobus Cardinalibus, videlicet Dominis de Flisco, & Pampilonense, quia alii aberant, excepto Hispano, qui ibidem infirmabatur, & in dicto Consistorio providit Ecclesiis Vassionensi, & Cavalicensi etiam vacantibus. Item quia Pestilentia invalescebat in Nicia, de licentia Domini nostri tres Domini Cardinales recesserunt de Nicia, videlicet Ostiensis, Vicecancellarius ad Cepitellum; Vigintimilliensis, Tusculanus, Pœnitentiarius ad Castrum de Villa Cressa diœcesis Foroliviensis, & Sabinensis apud Grossam. Gerundensis verò remansit in Nicia. Die Veneris 13. Augusti, Dominus noster tenuit aliud Consistorium, in quo interfuerunt Domini Cardinales Gerundensis dictus Episcopus Portuensis, de Hispania, de Flisco, & Pampilonensis, in quo Consistorio providit Ecclesiæ Lausanensi etiam vacanti de persona Abbatis Sancti Michaëlis de Clusa, & fratris Domini Cardinalis de Challant Cancellarii Domini Comitis Sabaudiæ; & in eodem Consistorio providit Ecclesiæ Monasterii Beatæ Mariæ de Bello-loco in Britannia. Eadem die post prandium, Dominus Cardinalis Pampilonensis incœpit sentire infirmitatem, de qua mortuus est; nam quasi infra eamdem diem habuit febrem, & tocciam pestilentialem, & carbunculum in pede, & die Lunæ immediate sequenti horâ Completorii decessit. Sciendum est autem, quod Dominus noster Papa in propria persona eumdem Dominica præcedenti circa tertiam horam noctis visitavit. Item sciendum, quod dicta die Dominica XV. die Augusti, in qua fuit festum Assumtionis Beatæ Mariæ, Dominus noster de mane dixit Missam bassam. Missam autem magnam dixit in sua præsentia Episcopus Rhutenensis; nam Dominus noster propter absentiam Dominorum Cardinalium eamdem dicere non potuit. Sermonem verò fecit unus Magister in Theologia; & illa die non fuerunt pransi coram eo, ut fieri solet, Auditores, & Pœnitentiarii, quia ibidem præsentes non erant. Item sciendum, quod die Martis statim sequenti de mane corpus ipsius Domini Cardinalis Pampilonensis fuit de domo, in qua decessit, portatum ad Ecclesiam Parochialem dicti loci de Monacho; deinde horâ quasi Vesperarum fuit apportatum de ibi in una barcha, & prope Portum Niciensem mutatum in Galea, & de Galea positum in terra ubi erant exspectantes ipsum corpus processionaliter Canonici Ecclesiæ Cathedralis, Fratres Prædicatores, Carmelitæ, Augustinianenses, & Minores, in quorum etiam fuit Ecclesia sepultus; & in Processione Fratrum Minorum erat Episcopus revestitus Pontificalibus faciens Officium. Ipsum autem corpus veniendo de Monacho per mare apud Niciam, associaverunt Dominus Archiepiscopus Toletanus, Abbas Montis Aragonum, & Abbas Sancti Saturnini. In portu vero Niciæ in litore maris erant exspectantes dictum corpus Archiepiscopus Narbonensis Domini nostri Papæ Camerarius, qui illa diemet propter hoc venerat de Venetia ad Niciam, Episcopus Niciensis, Johannes de Luna, Præceptores de Castelliato, & de Manso Dei, nepotes Domini nostri, aliqui Abbates, Locumtenentes, Gubernatores Niciæ Sundra Villæ cum magna multitudine Cleri & Populi; & præcedente magno numero intertorticiorum fuit portatum dictum corpus sic honorifice per scutiferos honorabiles de dicto portu usque ad ipsam Ecclesiam Fratrum Minorum; & ibidem post cantatum *Libera me Domine*, & similia ad hoc pertinentia, corpus fuit inhumatum; & sic omnes cum intorticiis ad proprias domus redierunt. Nullus autem de Dominis Cardinalibus interfuit, quia omnes

nes propter pestilentiam erant absentes, & dispersi. In crastinum verò die Mercurii non potuerunt fieri exsequiæ solemnes, quia non erant parata ad hoc necessaria; sed die Veneris immediate sequenti fuerunt factæ dictæ exsequiæ, in quibus nullus fuit de Dominis Cardinalibus; sed Camerarius Domini nostri dixit Missam, Sermonem verò fecit unus Magister in Theologia Ordinis Fratrum Minorum, & aliàs fuerunt servatæ solemnitates consuetæ, exceptis oblationibus, quæ solent fieri post finem Sermonis per quatuor Dominos Cardinales, quia illæ propter eorum absentiam factæ non fuerunt, sed ipse Camerarius, qui Missam dixit, fecit absolutionem, sicut fieri solet in die Novenæ. Die Mercurii 28. dicti mensis Augusti, Dominus noster Papa recessit de Monacho cum duabus Galeis, & quasi horâ prandii applicuit apud Villamfrancam, & erant cum eo Domini Cardinales, Hispaniæ, & de Flisco dumtaxat. Jovis verò immediate sequenti de mane auditâ Missâ, recessit per terram de dicta Villafranca, & venit apud Niciam, & erant cum eo dicti Domini Cardinales, Archiepiscopi Toletanus, Hispalensis, Tolosanus, Narbonensis, Camerarius, & alii Prælati multi. Erant etiam ibi Dominus Oddo de Villariis Gubernator Comitatus patriæ Niciensis pro Domino Comite Sabaudiæ, & mille gentes armorum, qui etiam erant ad stipendia ipsius Domini nostri Papæ. Antequam ingrederetur Civitatem Niciæ, in quadam domo ad hoc bene ordinata deposuit cappam laneam, & induit pluviale, & mitram. Et quia Episcopus Niciæ cum Reliquiis & Processionibus totius Civitatis erant prope domum, videlicet ante Cappellam Hospitalis, quod est prope Portam ipsius Civitatis, quæ dicitur Porta Prædicatorum: ipse Dominus noster sic revestitus ivit pedes de dicta domo usque ad Reliquias, quas idem adoravit, facta primò incensatione, ut moris est; deinde ascendit equum; & sex Syndici ipsius Civitatis portaverunt Pallium super eum. Ipse verò Dominus Oddo Gubernator, & unus Miles Ambasciator Regis Castellæ adestrarunt eum; & sic equitando per Villam cum magna multitudine Cleri & Populi, & ante papalione Papæ immediate sequenti, præcedentibus civibus multis cum vexillis Domini nostri Papæ, & dicti Comitis, & cum . . . . pervenit ad portam Ecclesiæ Cathedralis, & statim infra portam ipsius Ecclesiæ, in qua erant Reliquiæ paratæ ad hoc, & Processiones, iterum Mitrâ depositâ adoravit; deinde cantantibus Clericis *Te Deum laudamus*, accessit ante Altare, & ibidem genibus flexis, & inclinatus super Cathedram ad hoc ordinatam stetit, donec Cantico finito Episcopus dixit Orationem *Deus omnium*: qua finita erexit se, & ivit ante Altare, & benedictionem suam dedit omnibus, ut moris est; & de ejus mandato Dominus Cardinalis de Flisco pronunciavit Indulgentiam septem annorum, & septem quadragenarum, omnibus ibidem præsentibus concessam &c. deinde exivit Ecclesiam, & equum suum ascendit, & ivit ad Castrum, quod etiam per ipsum Dominum Gubernatorem pro sua mora eidem fuit expeditum. Sabbato autem immediate sequenti, Dominus Cardinalis de Flisco timore pestis recessit ad Castrum de Tagria, & sic in Nicia nullus remansit Cardinalis, nisi Hispanus. Die Mercurii 8. mensis Septembris, in qua fuit festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, Dominus noster Papa dixit Missam secrete, deinde tamen cum mantello suo, ut facere solet in Missis privatis, exivit ad tinellum, ubi erat paratum, & ibidem audivit Missam magnam, quam dixit Episcopus Niciensis, & prædicavit unus Magister Ordinis Prædicatorum. In Missa nullus fuit Cardinalis, quia omnes propter timorem pestis se absentaverant, & illa die nullus comedit in Palatio extraneus.

Anno Domini 1406. die Lunæ XI. Octobris incœpit Annus Octavus Pontificatus Domini nostri Papæ Benedicti XIII. & illa diemet de mane dixit Missam suam in secreto; qua dicta revestitus fuit alba, stola, & pluviali, & mitra. Et sic exivit ad tinellum, ubi erat paratum pro Missa magna, quam dixit Episcopus Olorensis. Facta autem oratione ante Altare, ut moris est, sedit in sua Cathedra, & Domini Cardinales fecerunt reverentiam consuetam, deinde Papa ivit ad Altare ad dicendum *Confiteor*, & Cantores incœperunt Introitum &c. In ipsa autem Missa non fuit Sermo, nec esse consuevit; sed in fine Missæ ipse Dominus Olorensis de mandato dicti Domini Papæ pronuntiavit in forma consueta Indulgentiam septem Annorum, & septem Quadragenarum. Missa autem fuit de Sancto Spiritu. Domini Cardinales, qui in dicta Missa fuerunt, scilicet Ostiensis, Sabinensis, Portuensis, Hispanus, Presbyteri, & de Flisco Diaconus. Sciendum est etiam, quod ipsa Missa Vespere præcedente fuit mandata ipsis Dominis Cardinalibus. Sciendum est etiam, quod illa die nullus Cardinalis, nec Prælatus, nec alius extraneus comedit in Palatio, nisi Episcopus, qui Missam dixit, & Cappellani Cappellæ; & hoc ideo quia in crastinum debebat esse Convivium generale, Dominis Cardinalibus propter introitum Domini Cardinalis de Challant, qui redibat de Franciæ Legatione. Die Martis immediate sequenti de mane intravit Curiam ipse Dominus de Challant, cui primò exivit obviam Camerarius cum gentibus Cameræ, servientibus armorum &c. ut solitum, & aliquantulum post eum Dominus de Flisco Diaconus Cardinalis; & postquam fuit cum ipso Domino de Challant, tunc Camerarius cum sua societate dimisit ipsos duos Dominos Cardinales simul, & præcessit, tendendo ad Palatium. Prope autem Villam occurrerunt omnes alii Domini Cardinales eidem Domino de Challant, scilicet Ostiensis, Sabinensis, Portuensis, & de Hispania, & omnes, etiam ipse Dominus de Challant, portabant mantellos rotundos, quia pluebat satis fortiter; ipsique omnes insimul venerunt cum dictis mantellis usque ad Palatium, & in eo intraverunt quamdam cameram, in qua deposuerunt mantellos, & receperunt cappas: quibus receptis supradicti Domini Ostiensis, Portuensis, & Sabinensis venerunt ad Consistorium, ubi Dominus noster Papa erat revestitus alba, stola, pluviali, & mitra, eidemque solitam reverentiam fecerunt: qua facta sederunt in locis suis solitis. Subsequenter statim venit ad dictum Consistorium prædictus Dominus de Challant, adstante à dextris Domino Hispano, & à sinistris Domino de Flisco. Ipse Dominus de Challant in introitu aulæ Consistorii inclinavit se ad Papam, quasi usque ad genuflexionem, deinde venit adstantibus ut supra usque ad portam prædicti Consistorii, &

& ibidem remansit, cum eo remanente Domino de Flisco; & Dominus Hispanus ivit facere reverentiam solitam, qua facta rediit ad ipsum Dominum de Challant. Et tunc ipse Dominus de Challant, adstantibus sibi supradictis duobus, intravit parquetum, & facta primo duplici genuflexione, venit ad pedes Papæ, & pedem dextrum, quem Camerarius de pluviali discoopertum tenebat, osculatus est, deinde manum; & postea venit familia ipsius Domini de Challant in suo ordine, & reverentiam fecerunt, ut moris est, quos omnes Papa admisit ad osculum pedis, manus, & oris; licèt de ore non sit solitum, nisi de sociis Cappellæ, & Militibus, si qui essent. Completâ autem dictâ reverentiâ, omnes recesserunt de Consistorio, Papa cum dictis Cardinalibus in eo remanente. Et ibidem aliqualem colloquutionem habuit cum Domino supradicto de Challant, & bene brevem, postea autem exivit Papa, & omnes Cardinales ipsum associaverunt usque ad cameram, in qua se devestivit; & deinde, & statim omnes iverunt ad cameram eis ordinatam, in qua deposuerunt cappas, & vestierunt mantellos, & omnes collegialiter in Palatio coram Papa pransi fuerunt. Finito autem prandio, & collatione facta, ipse Dominus de Challant recessit ad domum suam; & omnes alii, ac Camerarius, ipsum associaverunt usque ad portam domus suæ dumtaxat; postea quilibet ad domum suam rediit. Illa die fuerunt pransi in Palatio Camerarius, unus Miles, qui cum dicto Cardinale venerat, Episcopi Olorensis, Niciensis. & Lucensis, & Cappellani Cappellæ, ut interessent in *Benedicite*, & gratiis. In crastinum verò de mane scilicet die Mercurii redierunt propter pestilentiam ad loca, de quibus venerant, Domini Ostiensis, Portuensis, & de Flisco; alii autem tres Domini tunc remanserunt.

Anno MCCCCVI., die Dominica ultima Octobris fuit Vigilia Omnium Sanctorum. Qua die non fuerunt Vesperæ solemnes per Papam tunc existentem, nec coram eo dictæ, ut aliàs fieri solet, eo quod tunc cum eo non erat aliquis Cardinalis, nisi Hispanus; alii namque propter pestilentiam inde recesserunt, nec fuit etiam potus in aula, sicut fieri solet. In crastinum verò, quæ fuit dies festi, Dominus noster Papa dixit Missam secrete, deinde cum mantello venit ad tinellum, ubi erat paratum pro Missa, quam dixit Dominus Episcopus Niciensis, & prædicavit unus Magister in Theologia Ordinis Prædicatorum Confessor Domini Cardinalis Hispani, & in ipsa Missa nullus fuit Cardinalis, nisi ipse Hispanus. Finitâ verò Missâ Dominus noster Papa intravit cameram suam, & in ea pransus fuit solus. Episcopus verò, qui Missam dixit, Referendarii, Auditores, & Pœnitentiarii comederunt in tinello; post prandium autem fuit coram Papa Disputatio & collatio, ut fieri assolet. In crastinum verò, ut moris est, coram Papa in tinello fuit per Episcopum Bethlemitanum dicta Missa pro Defunctis, in qua ipse solemniter cantavit *Gloria in excelsis Deo*. Die Mercurii immediate sequenti Dominus Papa, præsentibus Dominis Cardinalibus Gerundensi, Hispaniensi, & de Flisco, & de Challant, determinavit velle recedere de Nicia propter Pestilentiam ibidem vigentem, & certas alias causas, & ire per mare apud Massiliam. Et statim per Camerarium, & alios ad hoc ordinatos fuerunt disposita ea, quæ necessaria erant pro dicto recessu. Dixit etiam ipse Dominus noster Papa tunc, quod volebat suum iter arripere die Sabbati immediate sequenti: qua die quum tempus pro navigantibus acceptum non foret propter recessum, distulit usque ad diem Veneris immediate sequuturam. Die verò Martis, quæ fuit nona dicti Mensis Novembris, Dominus noster multis præsentibus transtulit Curiam per hæc verba in effectu: *Quia de hìc recedere intendimus, nos Curiam nostram & Romanam, de hac Civitate transferimus ad quemcumque locum nos declinare contigerit*. Et voluit, quod non obstante dicta translatione Auditores Sacri Palatii in crastinum, quæ erat dies Mercurii, tenerent terminos in audientiâ solita, & non ultra, ibi; & ita dicerent litigantibus, Advocatis, & Prioribus. Dicta autem die Veneris assignata ad recessum, licèt Galeæ paratæ essent, & tempus tranquillum, tamen Dominus noster non ascendit in Galeam, quia aliqualiter erat de persona indispositus; ideo suus recessus fuit dilatus usque ad diem crastinum horâ Tertiâ, quæ fuit dies Sabbati 13. dicti Mensis, qua die intravit Galeam suam; parvam autem Galeam intravit Cardinalis de Flisco, & in alia parva Galiotta erant aliqui de familia Palatii, & sic cum tribus Galeis, & Galeottis, & aliquibus Rampinis, & Barchis magnis illa die pervenit usque ad Insulam Sancti Honorati, & ibidem in Monisterio stetit per totam diem Dominicam. In ipsa autem Insula erant Domini Cardinalis de Challant, & Episcopus Dertusensis ipsum Dominum nostrum exspectantes. Deinde venit apud fortilicium, & ibi habuit novam, quod Intrusus erat mortuus. De ibi verò pervenit Sabbati proxime sequentis horâ tardâ ad portum de Tholono, & in eo in sua Galea jacuit illa nocte. In crastinum horâ Tertiarum descendit ad terram cum dictis duobus Dominis Cardinalibus & Prælatis & Nobilibus cum eo existentibus; ivit rectâ viâ ad Ecclesiam Cathedralem, in qua audivit Missam. Deinde ivit ad domum Episcopalem. Fuit autem receptus per Episcopum, Clerum, & Populum processionaliter, ut moris est. Ibi etiam occurrit sibi Siniscalcus Provinciæ; & quia hyems erat, & tempus indispositum, stetit ibidem usque ad diem Veneris tertiam diem Decembris: qua die horâ Tertiarum inde recessit, & venit ad Portum cujusdam modici loci Abbatis Sancti Victoris Massiliensis, qui dicitur Civitas, & distat à Massilia per 40. milliaria, & ibidem in Portu dormivit illa nocte in sua Galea. Circa auroram verò navigavit, & in Insulas Massiliæ perveniens quasi per unam horam post ortum Solis, ibidem substitit in sua Galea, Missam audivit, & iterum venit ad eum Camerarius, suus Marescallus, Abbas Montis Aragonum, Dominus Franciscus de Pace Magister Hospitii, ad statuendum cum eo modum sui introitus; & etiam occurrerunt tunc ibidem sibi in una Galea de Massilia bene armata Siniscallus Provinciæ, & Viguerius, & Archiepiscopi Arelatensis, Tolosanus, & alii multi Prælati ad eumdem ibidem venerunt in barchis, & leucis. Postquam autem ipse Camerarius, Marescallus, Abbas, & Magister Hospitii fuerunt cum eo locuti, illico redierunt, & ad locum ordinatum, in quo debebat descendere ipse Dominus noster, videlicet infra portum à parte

te Sancti Victoris, ubi erat pons novus magnus & latus factus longitudinis 25. cannarum infra portum fecerunt venire Episcopum Massiliensem, & Abbatem Sancti Victoris processionaliter cum toto Clero Civitatis, & ibidem in terra prope ipsum pontem fuit parata Cathedra cooperta panno aureo, & tapeta de subtus strata, & Reliquiæ super ipsa Cathedra, & Crux, quam tenebat Episcopus. Venerunt etiam ibidem Domini Cardinales, ac etiam Populus multus, & fuerunt ibidem equi, omnes albi, & alii pertinentes ad statum Papæ. Omnibus itaque dispositis, fuit missum ad ipsum Dominum nostrum; ipse tunc venit; & primò præcessit Galea Massiliæ, in qua erant Senescallus, & Viguerius, qui statim de ipsa Galea descenderunt, & venerunt ad Dominos Cardinales existentes supra pontem; deinde venit Galea Domini nostri. Tertio loco Galea, in qua erant Domini de Flisco, & de Challant, & ultimo loco alia Galea. Antequam autem Dominus noster posset descendere de sua Galea supra pontem, illuc pervenerunt ipsi duo Domini Cardinales supra proxime nominati. Galea namque Domini nostri erat magna, & fundus aquæ parvus; itaque non potuit venire usque ad pontem ipsum super ea, immo de ea descendit supra una Galeotta, & cum ea venit ad dictum pontem. Et tunc primo loco, præcedente intorticio, fuit apportatum extra ipsam Galeottam cosfæus Corporis Christi; deinde exivit Subdiaconus cum Cruce; tertio loco exivit Dominus noster, & ibidem Domini Cardinales eidem reverentiam fecerunt solùm cum magna inclinatione, & aliqui cum osculo manus. Et sic facto statim incœperunt procedere; & Camerarius recepit anteriorem partem pluvialis, in quo erat aurifrisium de perlis, & Senescallus Provinciæ recepit caudam. A dextris autem Papæ erat Viguerius Massiliensis, & à sinistris Johannes de Luna; & tali modo multis Nobilibus, & aliis præcedentibus, ipse Dominus noster ivit usque ad locum, ubi erant Processiones, & Reliquiæ, & ibidem flexit genua, & depositâ mitrâ aurifrisiatâ, quam portabat in capite, benedixit incensum, quem in navetta tenebat Dominus de Flisco; facta benedictione, posuit in thuribulo, quod tenebat de Processione unus revestitus, ut Acholitus; deinde ipse Dominus de Flisco accepit thuribulum, & tradidit Papæ, qui incensavit Reliquias, & facta incensatione tradidit ipsum thuribulum dicto Cardinali, & postea ipsas Reliquias, & Crucem, quas tenebat Episcopus Massiliensis revestitus solemniter. Quibus sic peractis reassumtâ mitrâ Processiones processerunt in suo ordine; & Dominus noster Papa ascendit equum suum, & statim fuit portatum pallium super eum, quem portabant tres Syndici Civitatis, & alii tres honorabiles Viri de Civitate. Senescallus verò Provinciæ adestravit eum à dextris, & Viguerius à sinistris, aliqui vero Milites, & Nobiles Burgenses de ipsa Civitate Massiliæ tenebant fimbrias pluvialis, stantes circa equum, quem equitabat ipse Dominus noster. Dixerunt namque, & asserunt Massilienses, se de more habere, quod quando summus Pontifex, Rex, vel alius magnus Dominus intrat eorum Civitatem, Officiarii eorum Domini, quando sunt præsentes ibidem, ac Syndici Civitatis, Nobiles, & Burgenses adestrant, pallium portant, & alia faciunt, quæ pertineant ad honorem intrantis; & ita observaverunt, ut dicebant, in personis Domini Urbani V. Gregorii XI. Clementis VII. & ipsius Domini nostri, quando primo ad eorum Civitatem venit; & ideo Dominus noster noluit eorum honori, & consuetudini derogari, licèt cum eo esset tunc unus Ambasciator Domini Regis Aragonum. Domini Cardinales etiam ascenderunt equos, & omnibus depositis, ut fieri solet, quando Papa equitat. Ivit Dominus noster signando Populum usque prope portam Ecclesiæ Sancti Victoris, & ibidem descendit, & Reliquias decenter ante portam positas incensavit, adoravit, & osculatus est Abbatem dicti Monasterii eas tenentem: qua adoratione facta, & data aqua benedicta, Abbas cum sua Processione intravit Ecclesiam, & Dominus noster Papa, subsequente Camerario, Senescallo Provinciæ, Johanne de Luna, & Viguerio portantibus, & facientibus, sicut fecerunt eunte Papa de capite pontis usque ad terram. Quum autem ipse Dominus Papa fuit prope magnum altare, flexit genua, & inclinatus super Cathedra cooperta panno aureo, & ipso sic stante, & finita Antiphona, quæ fuit inchoata, quando Ecclesiam intravit, Abbas dixit cantando X. Psalmum, & *Domine servum tuum Pontificem nostrum*; & facta responsione, dixit *Oremus*, & dixit Orationem *Deus, qui omnium fidelium* &c. Qua finita, Dominus Papa surrexit, & posuit se ante altare versa facie ad Populum, & benedictionem Apostolicam dedit, ut moris est, ac septem Annos, & septem Quadragenas de Indulgentia, quam pronunciavit solito more Dominus Cardinalis de Flisco. Quibus sic factis, Dominus Papa fecit absolutionem consuetam super tumulo Domini Urbani; deinde ivit per claustrum ad cameram suam, & omnes recesserunt; nam hora erat tarda, & ipse satis attœdiatus. Die verò Mercurii immediate sequenti, qua fuit festum Conceptionis Beatæ Mariæ, comedit in tinello, & fuerunt pro illa die invitati omnes Cardinales, Ambasciatores certi Franciæ, & Aragoniæ, tunc in Curia existentes, Senescallus Provinciæ, Viguerius Massiliensis, Officiarii Regis, Syndici, & multi Cives Civitatis. Die verò Sabbati immediate sequenti hora Vesperarum venit Dominus Cardinalis Albanensis de Avinione apud Massiliam ad Dominum nostrum, cui exiverunt obviam Domini Cardinales Ostiensis, Sabinensis, Tusculanus, Portuensis, & de Challant, Camerarius Papæ, Nepos Papæ, Marescallus Franciæ, Senescallus Nemarii pro tunc ibi existentes, & alii multi. Ipse autem non cappam, sed clochiam portabat, caputium magnum desuper, & cappellum parvum rubeum, cum quo consueverunt equitare Domini Cardinales; & in tali habitu intravit Civitatem, nec illo vespere ivit ad Papam, sed rectâ viâ ad domum suam. Domini vero Cardinales, qui sibi obviam exiverunt, portabant cappas suas; & dum eorum quilibet ad stratam venit, quæ ad domum suam tendebat, recessit ad eam, ita quod nullus eorum ad domum ipsius Albanensis accessit; sed alii supranominati eum usque ad introitum domus ipsius associaverunt; alii verò Domini Cardinales, videlicet Hispanus, & de Flisco, eidem obviam non exiverunt. Et est sciendum, quod quando Dominus Papa de Massilia recessit pro eundo ad Januam, quod fuit die secunda Decembris Anno Domini 1404. remanserunt Avenioni, qui ipsum Dominum Papam secuti non fue-

fuerunt, multi Cardinales; quorum aliqui decesserunt, stante dicto Domino nostro Papa in Janua, & per viam. In reditu verò suo apud Massiliam, qui fuit biennio revoluto, erant Avenioni Domini Penestrinus, Albanensis, de Giffono, de Tureyo, de Vergeyo; & Dominus Sancti Angeli de Saluciis stabat in quodam Castro suo prope Lugdunum, & Dominus de Barco in Lingonensi Ecclesia, namque Lingonis tenebat in Commendam.

In crastinum autem, scilicet Dominica de mane, venit ipse Albanensis ad Palatium, & dum intravit cameram paramenti, in qua Dominus noster Papa erat loquens, non autem sedens in cathedra, fecit eidem Domino Papæ sic stanti reverentiam, scilicet osculando pedem, manum, & os; & post eum idem fecerunt unus Episcopus cum eo existens, duo nepotes sui, & socii de cappa. Deinde statim Dominus noster ipse intravit aliam suam cameram ad se revestiendum pro eundo ad Missam magnam, quæ fuit dicta per Episcopum Majoricensem; erat namque Dominica Adventus, qua cantatur *Gaudete in Domino*. Die Lunæ immediate sequenti venit de Avinione Dominus Cardinalis Penestrinus apud Massiliam. Horâ Vesperarum exiverunt sibi obviam cum cappis &c. Domini Albanensis, Ostiensis, Sabinensis, & Tusculanus, & de Challanto; Domini verò Portuensis, Hispanus, & de Flisco eidem obviam non exiverunt. Ipse autem non portabat cappam, nec clochiam, sed mantellum rotundum, & cappellum rubeum parvum; & dum fuerunt in viis tendentibus ad eorum domos, quilibet eorum ad domum suam viam recepit, ita quod nullus eorum villam cum eo intravit. In via autem omnes alii Domini Cardinales ipsum antecedebant secundùm suum ordinem, excepto Domino de Challanto Diacono, qui juxta eum equitabat. Cancellarius verò, & alii Prælati eum sequebantur, & ita fuit observatum in introitu Domini Cardinalis Albanensis. Die Lunæ 20. dicti mensis venerunt de Avinione apud Massiliam hora Vesperarum Domini Cardinales de Thureyo, & de Vergeyo; exiverunt eis obviam cum cappis & cappellis suis omnes Domini tunc Massiliæ existentes, excepto Domino Penestrino, qui dumtaxat misit eis obviam gentes suas, cum cappis &c. Ipsi verò Domini venientes equitabant cum mantellis rotundis, & parvis cappellis rubeis, & fuit per omnia servatus modus, sicut in introitu aliorum, & declinaverunt ad domos suas. In crastinum de mane iverunt ad Palatium, dum Missa Papæ dicebatur, & steterunt in camera paramenti ad finem Missæ, qua finita venerunt ad cappellam, & ibidemmet Domino Papa sedente in sua Cathedra, fecerunt eidem reverentiam. Sciendum autem, quod quando ipsi duo venientes, & alii ipsis occurrentes, iverunt simul per viam, Domini Cardinales Episcopi secundùm ordinem iverunt primo bini & bini, & subsequenter Presbyteri etiam secundùm ordinem suæ creationis, inclusis etiam venientibus, & ultimo loco Diaconi, & postea Camerarius, & alii Prælati. Die Veneris, qua fuit vigilia Nativitatis Domini, fuerunt dictæ vesperæ solemnes, ut moris est, in Ecclesia Monasterii Sancti Victoris Massiliensis, & fuit potus in Aula. Dedit species Senescallus Provinciæ, & Johannes de Luna vinum bis, scilicet ante species, & post. Item illa die fuerunt pransi in Palatii tinello Prælati familiares Palatii, sicut Domini Toletanus, Dertusanus, Vancensis, Niciensis, item Referendarii, & aliqui alii Domestici, sicut Abbates Anyanæ, & Sancti Ægidii, item Cappellani cappellæ. Dominus verò Papa non comedit in tinello illa die, sed in camera sua solus. Item in Matutinis Domini Dominus Papa audivit Matutinas in Ecclesia Monasterii Sancti Victoris cum solemnitate solita; & ipse dixit Missas de media nocte, & de aurora. Dixit autem nonam Lectionem Senescallus Provinciæ, non obstante quod ibi esset unus Miles, modici tamen status, Ambasciator Domini Regis Aragonum. Attende quare hìc nulla mentio fit de Ense, & Cappello, quæ consueverunt dari Nobili ibidem existenti, legenti quintam, aut quartam, & interdum Evangelium *Exiit edictum*, & per Camerarium, aut suum Locumtenentem de mandato Domini nostri Papæ. Die festi Nativitatis, Dominus Papa dixit Missam magnam cum solemnitate consueta. Item comedit in tinello, & ibi pransi fuerunt quatuor Domini Episcopi Cardinales, Senescallus Provinciæ, omnes alii, qui ibidem comederunt in vigilia, duo Ambasciatores Aragonum, & aliqui alii Nobiles, ac Camerarius, & multi alii Nobiles. In collatione dedit species Senescallus Provinciæ, & vinum Dominus Gerardus de Sancto Severino Miles; & postea datum fuit piper, ut moris est. Deinde post modicum intervallum fuit Dominus Papa auditum Vesperas in Ecclesia Monasterii, & fuerunt in eis Domini Cardinales, qui pransi erant in Palatio, & non alii Cardinales propter magnam distantiam Monasterii de Villa. Item ajunt, quod propter dictam magnam distantiam duo Domini Diaconi Cardinales, scilicet de Flisco, & de Challanto, licèt non essent invitati ad prandium, dixerunt, quod ut congruentius esse possent in Vesperis, volebant prandere in Palatio; & Domino Papæ gratum fuit. Ipsi tamen non comederunt in tinello, sed in camera unius de Cubiculariis, in qua fuit eis servitum magnifice; & non fuerunt in collatione, licèt essent alii Domini, qui fuerant invitati, sed remanserunt in dicta camera, donec Dominus Papa ivit ad Vesperas. Die Dominica immediate sequenti, in qua fuit festum Sancti Stephani, Dominus Papa dixit Missam magnam in dicta Ecclesia Monasterii, & in ea fuerunt Domini Cardinales, ut moris est. Prædicavit Dominus Episcopus Bethlemitanus. Papa comedit in tinello, & ibi pransi fuerunt quatuor Domini Cardinales, aliqui Prælati, aliqui de Civibus Massiliæ, & sex Ambasciatores missi ad eum pro parte Comitatus Venaysini, inter quos erant primus Dominus de Castronovo Lamii, qui in collatione dedit species, & Johannes de Luna dedit vinum. Item illa die Dominus Papa non audivit Vesperas in Ecclesia Monasterii, sed in una modica Cappella, quæ erat juxta suam cameram paramenti, in qua solet audire Missam aliis diebus non solemnibus, in quibus Vesperis fuerunt quatuor ex Dominis Cardinalibus. Dominus autem noster Papa non fuit revestitus, sed dumtaxat portabat mantellum; & dictas Vesperas incœpit unus de Cappellanis Cappellæ, & finivit &c. tamen Dominum nostrum Papam non incensavit ipse, sed primus ex Dominis Presbyteris Cardinalibus, qui ibidem præsentes erant. Die

Lu-

Lunæ immediate sequenti, qua fuit festum Sancti Johannis Evangelistæ, dixit Missam magnam, sicut in die festi Sancti Stephani, & fuerunt Domini Cardinales, scilicet Hispanus, & de Flisco, ac de Challanto. Item Protonotarii de Spina, alii Prælati .... Fratrum Minorum, & de quolibet Conventu Mendicantium duo Fratres. Post prandium fuit facta collatio in tinello, & illa die Papa non fuit in Vesperis. Die ultima Decembris, dictæ fuerunt Vesperæ in Cappella secreta, in quibus fuit Dominus Papa vestitus suo mantello, nec fuerunt in eis, nisi dumtaxat de Callanto Diaconus, & de Vergeyo Presbyter, qui in fine venit; & fuerunt dictæ Vesperæ in totum dictæ per Cappellanos Cappellæ, ita quod Dominus noster nihil in eis fecit, nisi dare benedictionem eis finitis.

Die Circumcisionis, videlicet prima Januarii, quia Dominus noster erat aliqualiter indispositus, non dixit Missam; sed eam dixit Cardinalis Ostiensis in Ecclesia Monasterii Sancti Victoris, in qua interfuit ipse Dominus Papa cum pluviali & mitra solitis, & in ea fuerunt omnes Domini Cardinales tunc Massiliæ stantes, qui fecerunt reverentiam ante inchoationem Missæ, ut moris est, & adstiterunt eidem super scabellis primus Presbyter, & duo Diaconi, ut moris est; prædicavit unus Magister in Theologia Ordinis Carmelitanorum; & illa die comederunt in tinello Abbas, & totus Conventus Sancti Victoris. Dominus verò noster comedit in sua camera; & Dominus Ostiensis, qui Missam dixit, non fuit pransus in Palatio, sed in domo sua, eo quia Dominus noster in publico non comedit. Item illa die nullæ fuerunt Vesperæ, nisi solitæ dici per Cantores diebus aliis communibus. Die Vigiliæ Epiphaniæ, fuerunt dictæ Vesperæ in parva Cappella juxta cameram paramenti, in quibus interfuit Dominus Papa revestitus pluviali & mitra consuetis, & incœpit Vesperas, & Orationem dumtaxat dixit. Adstiterunt sibi Domini de Thureyo primus Presbyter de præsentibus, Dominus de Challant Diaconus, & Dominus de Vergeyo Presbyter loco alterius Domini Cardinalis Diaconi absentis. Die Epiphaniæ, Dominus Papa dixit Missam magnam in Ecclesia Monasterii Sancti Victoris. Fuerunt assistentes Dominus Penestrinus primus Episcopus, Dominus de Challant Diaconus, qui dixit Evangelium, & Dominus de Vergeyo Hispanus Presbyter Cardinalis loco dictorum Dominorum Cardinalium absentium. Prædicavit unus Magister in Theologia Ordinis Prædicatorum; & *Confiteor* dixit ipse Dominus de Challant, licèt unus de aliis Dominus Cardinalibus dixisse non debuisset, si prius fuisset. Illa die Dominus Papa comedit in tinello, & fuerunt ibidem pransi Domini Penestrinus, & de Thureyo, & Episcopus Cardinalis Vavensis, Viguerius Massiliensis, Judices, Syndici, & multi de Civibus Massiliensibus, inter quos erant duo Milites. Item in alia mensa ab opposito fuerunt ibidem pransi Episcopus Niciensis, duo Ambasciatores Regis Navarræ, quatuor Ambasciatores Universitatis studii Avinionis, & nonnulli alii, ac Cappellani Cappellæ in ultima mensa; & illa die non fuerunt Vesperæ. In crastinum Octavarum Epiphaniæ, quæ fuit dies Veneris 14 Januarii, Dominus Papa revestitus stola, alba, & cappa lanea cum mitra alba simplici, sicut die Veneris Sancta, ivit ad Ecclesiam Monasterii Sancti Victoris, ubi tunc stabat; & ibidem dicta est Missa de *Requie* per Episcopum Auraycensem in Pontificalibus pro Defunctis Summis Pontificibus & Cardinalibus, in qua non fuit sermo; fuerunt dumtaxat in loco solito quatuor intorticia. Ipse autem Dominus Papa, dum fuit dicta prima Oratio, & etiam post Communionem, ivit de sua Cathedra ad ante Altare ad orandum genibus flexis. Item in ipsa Missa non fuit dictum *Lætatus sum*, nec aliquæ Indulgentiæ datæ. Adstiterunt eidem Domino Papæ in dicta Missa duo Domini Diaconi, & primus Presbyter Cardinalis. Item in Vigilia Purificationis Domini nostri, revestitus pluviali, & mitra consuetis, audivit Vesperas in sua parva Cappella, incœpit eas, incensavit ad *Magnificat*, & Orationem, eique adstiterunt duo Diaconi, & unus Presbyter Cardinalis, prout fieri consuevit. Item in die isto Purificationis non fuit Sermo, sicut nec consuevit esse, nec Papa descendit de Cathedra existens indutus mitra satis pretiosa, & pluviali pretioso, quia post Processionem factam cum Cardinalibus, & aliis Prælatis indutis Pontificalibus per Palatium, quia non descendit ad Ecclesiam Sancti Petri, sicut erat alias observatum, non ivit, ex eo quia non celebravit. Et dedit Candelas parvas unius quarti libræ existentibus infra claustrum Palatii in loco ante portam ferream; & modici erant, & quasi nulli Romani, sed solum Cortesani. Duo Nobiles tenuerunt candelas Papæ; in Processione Papa portabat unam ex candelis suis, quia & dum dicit Evangelium, tenet in manu. Istis expletis, tradidit dictis Nobilibus. Consueverunt esse Magistri, qui ..... aut Ambasciatorum magnorum Principum, qui consueverunt honorari in personis dictorum Ambasciatorum; portatum fuit Pallium supra Dominum nostrum per Servientes Armorum in defectu aliorum Nobilium satis pretiosum, novum; & mitram satis pretiosam portavit; quando autem dedit candelas, portabat pluviale & mitram simplicia, sicut in Adventu, aut Quadragesima, durante Processione, & quando dedit candelas. Demum fuit quæstio inter Ambasciatores Regum Castellæ, & Angliæ, quia quilibet ipsorum volebat habere primò à Domino nostro candelas; tamen fuerunt datæ candelæ Ambasciatori Regis Angliæ per me in camera paramenti, quam portavi sub chlamyde mea; & Dominus noster dedit Domino Conchensi in camera sua secreta. Tamen Ambasciatores Regis Franciæ, & Domini Delphini, non fuerunt bene contenti, quando sciverunt hoc. Domino Regi Franciæ illo die non fuerunt datæ candelæ propter quæstionem Dominorum prætendentium se esse priores dicti Regis; demum, ut credo, utrique fuerunt datæ candelæ.

Additamentum.

ITem Romæ apud Sanctum Petrum Anno 1422. Lunæ secunda Februarii, quæ fuit dies Purificationis, Dominus Oddo de Columna Papa Martinus Quintus Anno sui Pontificatus quinto, dedit candelas bono mane benedictas per Dominum Cardinalem Bononiensem, qui celebravit in Cappella magna Palatii, quia illa die Dominus noster Papa non

non celebravit, sed solùm dedit in parva Cappella Sancti Nicolai more solito candelas de cera crocei coloris Cardinalibus, Prælatis, & aliis personis tam Ecclesiasticis quàm secularibus in magno numero. Principibus autem Romanis secundùm eorum qualitates dedit candelas de cera alba, & Domino Jordano Principi Salerni fratri Domini nostri unam candelam grossiorem aliis Principibus. Senatori dedit albam; Conservatoribus Urbis, sicut Episcopis. Item post prandium dedit Procuratoribus Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Ducissarum, Comitum, Comitissarum, Marchionum, & Marchionissarum, Infantum Castellæ, Domini Delphini Viennensis filii Regis Franciæ, & Dominæ Delphinissæ, & pro Magistro Rhodiensi dedit Procuratori candelam albam.

In die autem festi Anno Domini 1410. fuit istud festum in Dominica de Quinquagesima; & in Ecclesiis Cathedrali & Collegiatis, & aliis, in quibus solet Populus convenire, fuit bono mane dicta Missa de Dominica; postea horâ convenienti fuerunt candelæ benedictæ datæ, Processio facta; & Missa dicta de festo, & ut satisfaceret Populo, in crastinum verò nihilominus fuerunt Matutinæ, Missa solemnis, & omnes Horæ de festo ipso dictæ. Sed quid in Cappella Papæ observatum fuerit ignoro, quia in causa nostra non eram, tamen reperi in Regulis Clementis Sexti, & Septimi, quod quandocumque dictum festum cadit in Dominica Septuagesima vel Sexagesima, debet transferri ad diem immediate sequentem. Benedictis candelis per Dominum Cardinalem Hispaniæ, Dominus Papa indutus pluviali & mitra Quadragesimalibus, processit ad Capitulum Monasterii Sancti Victoris, ubi paratus erat locus ad dandum candelas; ibique prius factâ reverentiâ per Dominos Cardinales dumtaxat, & non per aliquos Prælatos, dedit candelas, prout solitum est: quibus datis ivit processionaliter, & pallium fuit super eum portatum per servientes armorum de Capitulo ad Ecclesiam, & in ea infra Presbyterium stans ad Cletas dedit candelas omnibus utriusque sexus, qui de Ecclesia, & Choro ad dictos Cletas, quantùm longe potuit, ut saltem illi, qui non poterant appropinquare, & de manu sua recipere, reciperent longe projectas. Quibus sic factis, ivit ante Altare orare, prout aliàs fieri solet; deinde ivit sedere in sua cathedra, & ibidem lavit manus suas, quibus lavatis, stans dixit cantando Orationem consuetam; subsequenter ivit ad locum, ubi aliàs solet se revestire, quando celebraturus est, & in omnibus fuit observatum, sicut in aliis Missis. Sermo tamen non fuit, nec esse debuit illa die; nullus extraneus comedit in Palatio; & Papa comedit in camera sua. Ipsa etiam die non fuerunt Vesperæ, nisi in parva Cappella, & in eis non interfuit Papa, & etiam multas candelas projecit ultra Cletas. Die Dominica, quæ fuit 6. die Februarii, Papa ivit eques revestitus alba, stola, cappa lanea, & portans cappellum rubeum, de S. Victore ad Ecclesiam Fratrum Minorum, associatus à Dominis Cardinalibus, & aliis per omnia, sicut Papa solet equitare; & in dicta Ecclesia fuit eo præsente dicta Missa de Spiritu Sancto per Cardinalem Ostiensem; & Sermo factus per Episcopum Olorensem, partim in latino, & partim in vulgari, in quo Sermone, præsente magna

A Populi multitudine fuit per Prædicatorem publicatum, quod Dominus noster Papa pro pace Ecclesiæ volebat, & acceptabat viam cessionis; hoc est, volebat pure, & libere cedere Papatui, si adversarius suus idem faceret. Et ibidem etiam fuit publice lecta Bulla, quam super hoc missurus erat Romam adversario suo, & Ecclesiæ. Quibus omnibus sic factis, ipse ivit de dicta Ecclesia Fratrum Minorum ad domum Sancti Johannis Massiliæ, quæ est sita rectà introitus portus Massiliæ, & ibidem stetit usque ad diem Martis immediate sequentem: qua die non eques, sed per portum rediit ad Sanctum Victorem in una Barca bene ordinata, in qua erat Sub-
B diaconus cum Cruce & Corpore Christi, & aliqui Prælati nobiles; & postquam ipse de Barca descendit, super pontem ivit pedes usque ad suam domum, præcedente Cruce & Corpore Christi, quod portatur per duos Presbyteros. Die Mercurii Cinerum dedit Cineres in Ecclesia Sancti Victoris; dixit Missam Archiepiscopus Arelatensis, & unus Ordinis Prædicatorum fecit Sermonem. In crastinum scilicet die Jovis, fecit ibidem dici Missam de *Requie* per Dominum Cardinalem Gerundensem pro Rege Henrico Castellæ, qui decesserat in die Nativitatis Domini. Prædicavit Magister Palatii; ipse Dominus Cardinalis non fuit pransus in Palatio. Die
C Sabbati immediate sequenti per eumdem Cardinalem in sua præsentia fecit dici Missam de *Requie* pro Regina Aragoniæ noviter defuncta; & tunc prædicavit Generalis Fratrum Minorum; & per omnia factum fuit, sicut solet pro Regibus, ideo quia de genere Papæ erat. Dominica de *Lætare*, audivit Missam Dominus noster, & Sermonem, ut aliàs solitum, quâ Missâ finitâ Dominus noster rediens de Ecclesia cum Rosa in manu, dum fuit in camera paramenti, sedens in sua Cathedra, dedit eam Antonio de Cardona fratri Comitis de Cardona, qui eam, ut moris est, portavit per Villam; & illa die nullus comedit coram Papa. Die in Ramis Palmarum, Dominus
D noster in Capitulo Sancti Victoris ad hoc per prius parato dedit Ramos, ut moris est; dixit Missam, & Cardinalis de Challant Passionem. Erant in ipsa Missa Ambasciatores Regis Aragonum, & Dominus Dux Aurelianensis; & sederunt in loco Ambasciatores, videlicet primus unus Miles Ambasciator pro dicto Rege, post eum unus Miles, qui erat pro prædicto Duce, & sic de aliis. Illa die nullus extraneus comedit in Palatio. Die Sancta Veneris fuit festum Annunciationis: ideo fuit translatum usque ad diem Lunæ post *Quasi modo*; & Sabbato Dominus noster fecit Officia incumbentia per integrum. Die Paschæ dixit Missam, fecit Communionem
E omnibus volentibus, ut moris est. Illa die pransus fuit in tinello magno, & coram Dominis Cardinalibus Ostiense, & de Vergeyo, de Flisco, & de Challant. Item duo Protonotarii, Prælati, Domestici de Palatio, Referendarii, Ambasciatores Regis Aragoniæ, & Ducis Aurelianensis, Auditores, & Pœnitentiarii. Sumto autem prandio, & facta collatione, dedit piper, & zizimberum, ut moris est; deinde quia Populus multus ad hoc venerat, dedit Indulgentiam, sicut fecerat ante Missam; & deinde statim audivit Vesperas in parva Cappella, præsentibus ipsis Dominis Cardinalibus: quibus finitis omnes ad suas

suas domos recesserunt. Lunæ & Martis proxime sequentibus nullus extraneus comedit in Palatio. Jovis immediate sequenti circa horam Vesperarum intraverunt Massiliam Antonius Episcopus Mothonensis, Guillelmus Episcopus Tudertinus, & Antonius de Butrio U. J. Doctor, missi Ambasciatores ad Dominum nostrum Papam per illum, qui Romæ se appellabat Gregorium XII. & hoc pro conveniendo de loco & tempore, quibus ipsi ambo simul conveniant pro dando Ecclesiæ pacem secundùm tenorem Bullarum, quas sibi ad invicem miserant: Dominus verò noster fecit eis exire obviam Dominos Episcopos Vaurensem, & Illerdensem, & unum Clericum Cameræ, qui eos conduxerant usque ad introitum domus, in qua erant logiati.

Die Sabbati immediate sequenti dicti Nuntii proposuerunt publice coram Domino nostro, Dominis Cardinalibus, & omnibus aliis, qui præsentes esse voluerunt & potuerunt. Et sciendum quod licèt tinellus, in quo facta fuit propositio, esset dispositus per omnia ad modum Consistorii: tamen Dominus noster non fuit revestitus habitu Consistoriali, sed dumtaxat mantello suo solito, nec Crux coram eo fuit portata, nec Domini Cardinales reverentiam fecerunt. Propositionem autem fecit ipse Mothonensis, stando cum suis sociis pedes in loco, in quo solent stare Advocati proponentes. Die Lunæ immediate sequenti, qua die fuit celebratum festum Annunciationis Beatæ Mariæ, Dominus noster Papa celebravit in Ecclesia Sancti Victoris in Pontificalibus. Prædicavit Episcopus Pistoricensis, & illa die nullus extraneus comedit in Palatio. Die Jovis 21. dicti mensis Aprilis, præsentibus Cardinalibus & multis Prælatis & aliis, fuit publicata Concordia facta inter ipsum Dominum nostrum Papam, & Ambasciatores supra nominatos ad hoc potestatem habentes ab eo, qui Romæ se Papam appellabat. Videlicet quod infra proximum festum Sancti Michaëlis ambo cum suis Collegiis personaliter conveniant in Civitate Saonæ cum certis modis & pactis ibidem expressis, videlicet pro cedendo Papatum, & per ambo Collegia ibidem eligendo, ut sic Schisma tollatur de Ecclesia Dei, & unus summus Pontifex in Christianitate habeatur. Et de omnibus facta fuerunt Instrumenta per Notarios utriusque partis. Die Dominica prima Maji, disposuerat Papa personaliter facere processionem propter concordiam supradictam, & erat ordinata Processio, prout in cedula, quæ hìc inferitur; sed mutatum propter indispositionem suæ personæ, ita quod nulla fuit facta Processio, sed dumtaxat dicta Missa solemnis per Dominum Cardinalem Gerundensem in Ecclesia Sancti Victoris, præsente Domino nostro in habitu Papali, & prædicavit Magister Palermi. Quarta die dicti mensis, quæ fuit Vigilia Ascensionis, Dominus Papa audivit Vesperas in sua parva Cappella in habitu Papali, videlicet Pluviali & Mitra, & aliqui fuerunt Cardinales, pauci tamen. Die verò Ascensionis, in Ecclesia Sancti Victoris celebravit Papa in Pontificalibus, & prædicavit Magister Petrus Salomonis Ordinis Fratrum Minorum, & illa die nullus extraneus comedit in Palatio, nisi aliqui Milites extranei, & ipse, qui prædicavit. Sciendum autem, quod illa die jam applicuerat Aquis in Provincia una magna Ambaxiata, quæ ex parte Regis Franciæ, & totius Cleri Regni sui ad nostrum Dominum Papam mittebatur, in qua Ambaxiata erant Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus Turonensis, Episcopi Meldensis, Beluacensis, Cameracensis, Elboricensis, & Tressensis, Abbates Sancti Dionysii, Montis Sancti Angeli Michaëlis, & de Carmeticis Dominus Colardus de Colavilla Miles Magistri in Medicina & Artibus usque ad numerum inter 36. Et quia Ambaxiata tanta erat, Dominus Cardinalis de Thureyo, non tamen ex parte Papæ, nec sacri Collegii, sed ex semetipso ivit Aquis Sabbato proximo post dictum festum Ascensionis, & cum eis dedit ordinem, qua die, & quomodo ad Papam venire debebant; & Dominica die immediate sequenti rediit Massiliam. Lunæ verò immediate sequenti circa horam Tertiarum, venerunt dicti Ambasciatores multùm honorifice apud Massiliam, eisque, ut moris est, obviam exiverunt Camerarius Papæ cum aliquibus Prælatis de Palatio, Domino Marescallo Curiæ Romanæ, Clericis Cameræ, & Servientibus Armorum. Exiverunt etiam eis obviam libratæ Dominorum Cardinalium, ut moris est. Ipse verò Camerarius eosdem rectâ viâ duxit ad Palatium in camera Paramenti, in qua tunc Papa cum Dominis Cardinalibus erat, qui omnes debitam consuetam reverentiam fecerunt, eisque Papa diem Martis immediate sequentem assignavit ad proponenda illa, pro quibus missi fuerant; qui dicta die de mane in Consistorio, ut moris est, Papa revestito pluviali, & mitra consuetis, & in sua Cathedra sedente, factâ prius per Cardinales reverentiâ consuetâ, solemniter per organum dicti Patriarchæ propositionem suam fecerunt. Deinde suam Ambaxiatam fuerunt prosequuti. Sabbato proxime sequenti, quæ fuit Vigilia Pentecostes, Papa solemniter revestitus pluviali, & mitra pretiosis, ivit ad Vesperas, & facta oratione ante Altare sedit in sua Cathedra, ut moris est; & Cardinales fecerunt reverentiam solitam; qua facta ipsi Cardinales revestierunt se, ut moris est in Vesperis solemnibus, quibus sic revestitis, Papa incœpit Vesperas, & dictæ fuerunt, prout in Cœremoniali continetur. Sciendum autem, quod inter Ambaxiatores Franciæ numero 32. ibidem existens erat Patriarcha Alexandrinus, qui revestitus sedit inter duos primos Episcopos in scamno sedens, videlicet inter Dominos Albanensem, & Ostiensem. Alii verò Ambasciatores, quia tot erant numero, non potuerunt allocari in loco illo, in quo solent stare Ambasciatores, sed fuit eis ordinata media pars Chori Ecclesiæ, & in alia media sederunt Camerarius, Protonotarii, & Prælati. Dictis autem Vesperis fuit datus potus in Aula, ut moris est. Vinum dedit Senescallus Provinciæ, & Species Dominus Colardus de Colavilla Miles unus de Ambasciatoribus Franciæ. Die Pentecostes, Papa dixit Missam in Pontificalibus, ut moris est; unus Magister in Theologia prædicavit; post Cardinales omnes, Prælati, etiam Abbates fecerunt reverentiam Papæ, ut moris est. Ambasciatores Franciæ sederunt in Choro, sicut in Vesperis præcedentibus; Patriarcha tamen non venit ad Missam, quia indispositus erat. Illa die omnes Cardinales, qui voluerunt, & omnes supradicti Ambasciatores, excepto Patriarcha, qui sanus non erat, Senescallus Provinciæ, Viguerius, & Syn-

Syndici Massiliæ, Referendarii, Prælati domestici, Subdiaconi, Cappellani, Commensales, Auditores, Pœnitentiarii, Cappellani Cappellæ, & alii multi pransi fuerunt in Palatio.

Anno Domini 1408. die Dominica de *Lætare*, erat dictus Dominus noster Benedictus XIII. apud Portum Veneris cum toto Collegio suo, excepto Domino Cardinale de Baro, prosequens pacem, & unionem Ecclesiæ, cum adversario suo, scilicet Gregorio XII. sic à suis vocato, stante cum sua prætensa Curia apud Luccam; & ibidem stans revestitus dicta die alba, pluviali, & mitra aurifrisiata exivit de domo, quam inhabitabat, & associatus ivit pedes, portans Rosam auream in manu sua, ut moris est, ad Ecclesiam dicti loci, quæ aliqualiter, & de mala via distabat à dicta domo sua; & ibidem Missam audivit, quam dixit Episcopus Miniacensis. Sermonem fecit Decanus Sancti Petri Avinionensis, & Missâ finitâ rediit ad domum suam, portans Rosam in manu sua. Dum autem fuit in sua camera, antequam se devestiret, sedit in sua Cathedra, quam solet habere juxta lectum suum, & ibidem sedens dedit dictam Rosam Domino Jacobo de Pradis, qui de Domo Regia Aragoniæ originem traxit; & quia locus Portus Veneris talis est, quod nulli equi ibidem stare possunt, non equitavit per Villam cum Rosa, sicut moris est, sed ipsam Rosam sic sibi datam, misit ad domum suam per unum Scutiferum suum; & illa die pransus fuit in Palatio in præsentia Domini nostri Papæ; & fuit primus in mensa Dominus Cardinalis Gerundensis, ipse Dominus Jacobus secundus, & Dominus Gubernator Januensis, Marescallus Franciæ tertius; & in præsentia Papæ nullus alius comedit, quia loci dispositio non patiebatur. Prælatus autem, qui Missam dixit, Magister qui prædicavit, & alii Milites, & alii alibi in Palatio comederunt. Moris est, quod ille, cui datur Rosa, dat pecuniam Cursoribus, & Servientibus Curiæ Marescalliæ arbitrio suo, & secundùm suam magnificentiam. Die Lunæ immediate sequenti, fuit celebrata solemnitas de festo Annunciationis Beatæ Mariæ in Ecclesia dicti loci, ad quam ivit Papa revestitus, sicut die præcedenti. Dominus Cardinalis de Gerunda dixit Missam; fuit Sermo, ut moris est. Finitâ Missâ Dominus Cardinalis deposuit vestimenta sacerdotalia, & vestivit unum Pluviale; & tunc Papa incœpit Vesperas, & primam Antiphonam; Cardinalis autem sic revestitus Pluviali sedit in scabello, in quo sedere solet Episcopus, vel Presbyter Cardinalis assistens Papæ; omnes vero alii Cardinales stabant in cappis laneis: Papa incœpit Hymnum, & Antiphonam de *Magnificat*, & Orationem dixit de festo, & de feria. Cardinalis autem revestitus incensavit Altare. Illa die ipse Cardinalis non fuit pransus in Palatio.

Anno Domini 1409. X. Januarii, fuerunt de Perpiniano per Dominum Archiepiscopum Toletanum missi articuli sequentes Domino Francisco Archiepiscopo Narbonensi Romanæ Ecclesiæ Camerario, super quibus volebat ipse Dominus Toletanus edoceri per ipsum Camerarium, quid hactenus in Curia Romana fuerit observatum: quibus visis ipse Camerarius rescripsit eidem Domino Toletano, ut sequitur infra. Articuli autem sunt hi. Primò *si Archiepiscopi in Curia Romana venientes, vel exientes, possunt sine offensa caudas suarum capparum facere portari in eundo per Villam*. Item *si hoc facere possunt, quando vadunt ad Palatium, & usque ad portam Palatii*. Item *quando vadunt ad domos Dominorum Cardinalium*. Item *si qua in hoc sit differentia inter Archiepiscopos Primates, & alios Archiepiscopos non Primates*. Item *si sit differentia inter habentes magnas & potentes Ecclesias, & alios, qui habent pauperes, vel Titulares Ecclesias, qui tamen sunt Archiepiscopi, & fortè in literatura, moribus, & virtutibus aliis præcellentes*. Item *quid de Episcopis; quia de ipsis etiam formantur omnes quæstiones supra factæ de Archiepiscopis, nisi quantùm ad Primatiam*. Item *si quo ad hanc cœremoniam caudæ portandæ sit aliqua differentia inter exemtos, & non exemtos*. Item *quid de Dominis Patriarchis, qui, ut scitis, in Cappella, & Missis Papæ solemnibus habent prærogativam sedendi inter Dominos Cardinales, quam non habet aliquis alius Prælatus*. Item *si qui de supra contentis aliquando sibi faciunt caudas portari, debent eas deponere, quando Domini Cardinales, vel aliquis ex eis, vel Camerarius sunt præsentes*. Responsio ad dictos Articulos. *Dico, me frequenter audivisse à Domino Clemente Papa VII. felicis recordationis, quod tempore Domini Innocentii VI., & suorum Prædecessorum, nedum Archiepiscopi, immo & Episcopi nobiles tantæ auctoritatis in Curia commorantes, vel ad eam venientes, faciebant sibi portari caudas capparum suarum per Villam, & infra Palatium usque ad portam exclusive, supra quam sex homines lapidei armati; immo & aliqui magni Archiepiscopi ultra usque ad Portam, quæ appellatur Porta Gippi. Dicebat etiam, quod Prælati, qui degebant in Curia, portabantur ad sepulturam revestiti vestibus Pontificalibus, & positi in lecto cooperto panno aureo, sicut servato modo de Dominis Cardinalibus, excepta illa solemnitate dumtaxat, quo ad Prælatos, non apponebantur illi duo servitores, qui Dominum Cardinalem defunctum cum ventablis defendunt de muscis. Et constat mihi, quod ita fecit observari in sepultura Episcopi Vasionensis tunc Confessoris sui. Dicebat enim, quod ex vecordia, & adulatione Prælatorum, ac elatione, & potentia Dominorum Cardinalium, Prælati illos honores permiserunt evanescere. Dicebat etiam plus, quod temporibus illis summi Pontifices invitabant Prælatos ad prandium, in collatione faciebant eos sedere super parvis scabellis, & eisdem sedentibus dari species & vinum, dummodo præsentes non essent aliqui Domini Regales, vel Cardinales. Scio autem, quod frequenter vidi Archiepiscopum Rothomagensem, qui fuit de genere Gregorii XI. & Archiepiscopum Johannem Rogerii Narbonensem, qui caudas suarum capparum per Villam infra Palatium usque ad portam, in qua stant primi Custodes, portari sibi faciebant; & recordor, quod dum semel ipse Dominus Clemens staret in graneriis Palatii, respiciens per quamdam fenestram ad magnam plateam ipsius Palatii, adstantibus sibi Dominis Cardinalibus Ambianensi, Ebredunensi, & Arelatensi, qui fuerat Camerarius, & colloquens, accidit, quod prædictus Dominus Johannes Archiepiscopus Narbonensis intravit Palatium, & per ipsam plateam caudam sibi portari faciebat: quod quum vidisset Dominus Ebredunensis, dixit statim Papæ: videte magnam superbiam, seu fatuitatem illius Archiepiscopi, qui sibi caudam portari facit.*

cit. Cui respondit prædictus Dominus Clemens Papa: Certè sic faciendo nec fatue, nec superbe agit; immo facit, quod decet, & sicut præteritis temporibus faciebant alii Prælati, & per eos fieri vidi, sed ipsa elatio magis vestrorum Dominorum Cardinalium non potest pati, quod alii Ecclesiæ Prælati suo honore utantur. Hac etiam prærogativa vidi uti tempore ipsius Domini Clementis VII., & Benedicti XIII. quibuscum fui in Curia annis 30. continue Dominos Patriarchas Alexandrinum Administratorem perpetuum Ecclesiæ Tolosanæ, qui fuit de Cardillato, & Dominum Simonem de Tramant ejusdem successorem Administratorem Ecclesiæ Carcassensis. Licèt autem alios Patriarchas & Archiepiscopos multos & Episcopos in Curia viderim, utpote Patriarcham Antiochenum, qui fuit Administrator Ecclesiæ Turonensis, Hierosolymitanum, qui fuit Administrator Ecclesiæ Tarantasiensis, Constantinum Fratrem Minorem, ac Archiepiscopos Ispalensem, Rothomagensem, Rhemensem, Bituricensem, Burdegallensem, Lugdunensem, Turonensem, Auxitanum, Bisuntinum, Viennensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem, & Tarraconensem: tamen numquam vidi, nec audivi, quod aliquis quantumcumque magnus in Prælatura, vel genere, caudam sibi portari fecerit in Curia dicto tempore Dominorum Clementis VII., & Benedicti XIII. quo in ea steti. Illi autem supra in principio nominati, qui illa portatione caudæ utebantur, hoc numquam faciebant præsentibus Dominis Cardinalibus, vel eorum aliquo. Et quia de mea memoria plene non confido, interrogavi super hoc aliquos antiquos Curiales, qui mihi responderunt in effectu, ut sequitur. Videlicet, quod tempore Urbani Quinti Dominus Petrus de Indicia tunc Archiepiscopus Narbonensis indistincte per Villam Avenionensem caudam sibi portari faciebat; & quandoque præsumsit hoc facere infra Palatium usque ad portam cameræ paramenti, de quo fuit per Dominos Cardinales prædicto Domino Urbano, ipso Archiepiscopo præsente, facta querela, asserendo, quod ille honor Cardinalibus, & Camerario Papæ dumtaxat debebatur. Et tunc Dominus Urbanus prædictus eumdem Archiepiscopum de hoc redarguit, & præcepit, quod ulterius non attentaret ita facere. Dicunt etiam isti, quod tempore Gregorii XI. viderunt Avinione Dominum Philippum tunc Archiepiscopum Rothomagensem illa prærogativa utentem, etiam usque ad portam cameræ paramenti; nec tamen fuit redargutus, quia erat de sanguine Regio Franciæ. Dicunt etiam, quod eodem tempore illa prærogativa utebantur usque ad portam Palatii, in qua stant primi Custodes, Domini Archiepiscopi Rothomagensis, successor dicti Domini Philippi, & Johannes Narbonensis; sed quantumcumque alios multos & magnos in Curia viderunt, quod aliquis in Curia caudam sibi portari faceret, dumtaxat Cardinales, & Camerarius Papæ, exceptis tamen Patriarcha de Cardillato Administratore Tolosano, & Domino Simone Patriarcha Alexandrino Administratore Carcassone. Super his etiam scripsi uni antiquo Curiali satis experto & absenti, qui mihi rescripsit, ut sequitur. „ Vidi Articulos, „ quos mihi misistis. Quamquam vestra „ Paternitas Reverendissima melius me nove- „ rit omnia, ad primum dico, respondendo, „ me vidisse Dominos Johannem de Cardia- „ lyho Patriarcham Alexandrinum, & Ad „ ministratorem Ecclesiæ Tolosanæ, ac etiam „ Petrum de Judicia Narbonensem Archiepi-

A „ scopum, atque Primatem solum, & nullos „ alios Prælatos facientes sibi portari per Ci- „ vitatem Avinionensem caudas, Curia ibi „ tunc existente etiam sub Domino Grego- „ rio. Numquam autem vidi, quod intra „ Palatium, postquam intrabant secundam „ portam, ubi sunt homines armorum lapidei „ desuper, nec inter Cardinales, nec in præ- „ sentia Camerarii, sibi facerent portari, sed „ per Villam dumtaxat usque ad portas Do- „ minorum Cardinalium, & Domini Camera- „ rii. Sed verè hoc erat quasi derisorium, „ reputabanturque præsumtuosi apud omnes „ Curiales circa istud. Et per hoc satis vi- „ detur responsum secundo, tertio, & quar- B „ to quæsitis. Ad quintum respondeo, Pater „ Reverendissime, numquam aliud vidisse, „ nisi quod scripsi proxime supra. Ad sextum „ respondeo, quod numquam vidi Episcopum „ hoc præsumentem. Et ad septimum solùm „ simili modo. Ad octavum, & nonum re- „ sponsum est per primum, scilicet quod in „ præsentia Cardinalium, neque Camerarii „ numquam vidi per illos duos prænominatos „ Dominos portari, sed deponi; nam Domi- „ nus Arelatensis, Prædecessor videlicet, nec „ Domini Cardinales, qui fuerunt multi cor- „ dati & valentes Domini in illis diebus, hoc „ minime tolerassent; sed de hoc quod facie- „ bant per Villam non curabant, quia fortè C „ Papa, & ipsi Domini ignorabant; etsi au- „ dirent dici, præsumtuosum reputabant.

De Ingressu Papæ in Civitates.

PRo aliquali memoria est sciendum, quod quando summi Pontifices ingrediuntur de novo aliquam insignem Civitatem, vel aliam Villam, solent servare modum & ordinem sequentes. Primò extra portas Civitatis debent summo Pontifici occurrere Processiones dictæ Civitatis solemniter & ordinate; & in loco idoneo debent esse Reliquiæ super una tabula ad modum Altaris non multùm alti, parati tamen bene; & ante ipsum debet esse D tapetum pulcrum & longum, vel alius pannus æquipollens. Et quando ipse Papa appropinquat dictum locum, debet descendere de equo suo, & pedes venire ad illud Altare, & coram Reliquiis genua flectere, de manu unius ex Dominis Cardinalibus, si aliquis præsens est, aspersorium aquæ benedictæ recipere, & Reliquias primò, & postea se ipsum aspergere. Subsequenter incensarium cum incenso, quem benedicendo ponit super prunas, eodem modo per eumdem Dominum Cardinalem sibi tradi debet, & ipse capite discooperto debet ipsas Reliquias incensare, & postea eas devote osculari, & adorare: quibus sic factis, dictæ Processiones suo ordine de- E bent eum præcedere cantando, & ire ad Ecclesiam Cathedralem. Ipse verò Papa debet induere suum Pluviale, Stolam recipere, & Mitram Consistorialem in capite ponere; deinde suum equum ascendere; & sequentes infra descripti in ordine descripto eumdem præcedere & præire debent. Sciendum autem, quod secundùm communem observantiam, Domini qui sunt in dicta Civitate, Cives, Burgenses, & alii notabiles Viri exeunt sibi longe à Civitate obviam eques, & quandoque etiam pueri multi pedes, & ad hoc bene instructi cum ramis virentibus, vel pennuncellis de suis armis extra portam Civitatis ali-

quan-

quantulum longe etiam eidem occurrunt, clamantes continue & alta voce: *Vivat Papa &c.* Et isti debent post ingressum Civitatis immediate sequi Processiones. Item quando Papa appropinquat Civitatem, omnes Campanæ debent pulsari continue, usquequo ad Ecclesiam Cathedralem pervenit. Subsequenter intrent equi albi Papæ cooperti panno rubeo, ducti per Parafrenarios pedes. Post equos sequitur Vexillum vel Vexilla Civitatis, associata Civibus aliquibus, & ipsius Populo pedes. Post illos portatur Pallium Papæ per Senescallum Servientium Armorum super uno magno & pulcro equo, & debet habere juxta se duos bonos famulos. Post istum immediate sequuntur duo Barberii Papæ cum suis valisiis de panno rubeo, & repositorio mitræ decenter vestiti, & equitati. Post istos statim sequi debent Scutiferi honoris, & honorabiles portantes super baculos consuetos tres Cappellos rubeos Papæ, & debent esse bene in equis, & induti. Statim post istos sequitur Subdiaconus portans Crucem Papæ. Post eum immediate debet sequi mula, vel equus, portans Corpus Christi. Et statim post Sacrista Cappellæ Papæ super uno equo cum habitu decenti, & Cappello nigro. Cursores autem portantes intorticia accensa debent esse circum circa. Deinde statim sequuntur Domini Cardinales bini & bini suo ordine. Præmissis sic ordinatis, & præcedentibus, Papa in suo equo intrat Civitatem Pallio super eum posito, quod portari consuevit, ut Civitas quam intrat honoretur, per sex Nobiles, vel Cives, sive Burgenses dictæ Civitatis. Item sciendum, quod Papam debet adestrare pedes Major Dominus, qui pro tunc ibidem erit, & solus, si sit tantæ excellentiæ, ut facere posset Dominus Dux Sabaudiæ, nisi esset ibi alius bene magnus æqualis, vel prope, quia tunc unus posset adestrare à dextris, & alius à sinistris; si autem nullus horum existat, tunc adestrant Papam Majores Officiarii Domini illius Civitatis. Item sciendum, quod inter Dominos Cardinales & Papam debent esse, & ire pedes omnes alii Domini, Milites, Scutiferi, Cives, Burgenses, Cursores, & omnes alii pedes, & isti debent obviare, quod Papa, & Addestratores ejus non arctentur pressuris gentium. Item post Papam immediate sequitur Camerarius Papæ eques cum baculo in manu, & cum eo omnes alii Domini Patriarchæ, Prælati, Abbates, Socii Capparum, & ceteri de Clero. Ultimò sequitur Eleemosynarius Papæ, qui projicit missilia per carrerias. In ordine præmisso debent omnes procedere, & ire usque ad Ecclesiam Cathedralem, ante cujus fores debet esse Episcopus cum suis Canonicis, & alii de Ecclesia, omnes revestiti; & ibidem unum faldistorium paratum bene, seu Cathedra cum Reliquiis, quas genibus flexis, & mitrâ depositâ debet Papa adorare & incensare, ut supra positum est. Qua oratione facta debet Ecclesiam intrare, præcedente processionaliter dicto Episcopo cum suis Canonicis, cantando alta voce *Te Deum laudamus*. Quum autem Papa ante Altare majus pervenerit, debet ibidem Cathedram bene paratam habere ante medium Altaris, non autem in latere, & super eam pronus orando stare, donec Cantantes finierint *Te Deum*. Quo finito deblent duo Canonici dicere unum versum, & aii respondere; deinde Episcopus ad latus Altaris dextrum debet dicere Orationem, prout in Pontificali continetur. Qua finita Papa debet se erigere & accedere ad Altare, & illud devote osculari, postea se vertere ad Populum, & suam benedictionem dare, sicut post Missam facere solet, dicendo sic, *Sit nomen &c.* Et Cappellani Cappellæ debent ibidem præsentes esse ad respondendum alta voce cantando *Ex hoc nunc &c.* Potest etiam Indulgentias præsentibus dare, prout placet Suæ Sanctitati. Item est bene incantandus Parafrenarius, qui ducit, & equitat equum magnum portantem *le mutador* Papæ coopertum de panno rubeo, sic & taliter se disponat, quod sit prius in loco, in quo Papa debet ascendere, vel descendere de equo, quam Papa illuc perveniat, ita quod dictum mutarium paratum inveniat. Item moris est, quod quando Papa aliquam Civitatem est intraturus, ejus Cives propter reverentiam Dei, cujus est Vicarius, in die primi sui introitus sternunt carrerias, per quas transiturus est herbis virentibus, vel alias prout temporis qualitas exigit; parant eas à dextris & sinistris, & desuper cooperiunt telis, vel alias prout melius possint. Et de hoc dicti Cives & Officiarii Domini, cujus est Civitas, sunt bonâ horâ advisandi; signanter, quando dictæ Civitates sunt Ecclesiæ Romanæ, vel alicujus Prælati.

Avvisamenta pro Regimine, & dispositione Officiariorum in Palatio Domini Nostri Papæ.

SEquendo antiquas observantias summorum Pontificum circa eorum familiares & Officiarios provinciæ, aliqua avvisamenta ponam pro regimine & dispositione Officiariorum, & aliorum obsequentium Domini nostri Papæ in suo Palatio. Primo ipse Dominus noster Papa habet sibi eligere Cubicularios; & isti sunt in triplici differentia; nam aliqui Prælati, & alii viri auctoritatis ponuntur causa cujusdam honoris, qui licèt claves habeant camerarum, tamen in cameris non dormiunt, nec faciunt familiaria & domestica servitia pertinentia ad Officium Cubiculariorum; nec eisdem negotia secreta, vel ponderis committuntur; sed dumtaxat ipsi, & eorum parentes in illo officio honorantur. Alii Prælati Cubicularii magis domestici, & familiares summo Pontifici, qui licèt non dormiunt in camera Papæ, tamen dicunt Horas cum eo, & obsequuntur eidem, dum lectum intrat & de eo surgit; serviunt sibi in Missis, & aliis divinis Officiis, prout placet suæ Sanctitati aliquem vel aliquos ex eis ad hoc eligere; & istis solet etiam committere nonnulla negotia ultra obsequia cameræ, quæ explicabuntur, quando placebit Domino nostro; & isti possunt esse quatuor, plures, vel pauciores, prout placet summo Pontifici, quorum uni, vel immediate sequenti solet committi cura supplicationum signatarum. Isti etiam, & sequentes de mandato Domini solent supplicationes, quæ suæ Sanctitati præsentantur, recipere, quando hoc expresse præcipit, & de earum expeditione Dominum nostrum solicitare, ita quod sunt quasi secreti Referendarii. Sunt & alii non Prælati, qui omnia domestica obsequia solent exhibere summo Pontifici, & in sua camera dormire, & isti sunt quandoque duo, quandoque tres, quandoque quatuor, secundùm

dùm quod placet summo Pontifici; sed numerus paucus semper reputatus fuit expedientior. Sciendum est autem, quod Dominus noster suis Cubiculariis Prælatis, & aliis secundùm quod cognoverit personarum conditionem, committit primò uni ad hoc idoneo, & experto, custodiam Literarum Missivarum, & aliarum Secretarum, quæ suæ Sanctitati dirigentur; qui ad relevandum labores suæ Sanctitatis debeat ipsarum Literarum effectum referre, & instare, quod responsio fiat, si, & quando, & quibus fienda fuerit. Qui talis sit sufficientiæ, quod ipsarum Literarum nullam, quæ aliquid importet, perdat, sed eamdem, quando ab ipso requirat, in promtu reperire sciat, & exhibere, & idem facere de scripturis aliis, quæ suæ custodiæ committentur. Item alii committit custodiam omnium jocalium suorum, videlicet auri, argenti, anulorum, & aliorum, quæ non solent committi custodiæ Officiorum publicorum Palatii, prout si opus fuerit, hæc declarabuntur. Item alteri est committenda custodia omnium vestium lanearum corporis ipsius Domini nostri, & etiam foliatarum, qui etiam habeat solicitudinem erga Camerarium & Thesaurarium de vestibus novis fiendis, quando opus erit. Item alteri est committenda custodia totius ligii pertinentis ad personam, & cameram ipsius Domini nostri; & quid isti incumbit, declarabitur verbo magis specifice, si opus fuerit. Item sciendum, quod in supra proxime scriptum debent de omnibus, quæ recipiunt, inventarium facere clarum & distinctum, per quod ipsum Dominum nostrum, vel eos, quibus commiserit, valeant de receptis expensis, & traditis distincte & veraciter certificare. Item alii est committenda custodia Confectionum, & quarumcumque aliarum specierum Medicinalium tangentem personam dicti Domini Papæ, vel aliàs ad cameram suam pertinentem; & iste debet specifice in uno libro scribere quantum, & qua die recepit, & de sua recepta gentes cameræ per dictum librum certificare, ut sic veraciter sciant, de quo, & quanto debent apothecario tradenti rationem facere. Iste autem debet custodire drogeria, & platos, in quibus Domino nostro, Dominis Cardinalibus, & aliis species solent dari. Debet etiam habere toalias, & longerias pulcras & mundas necessarias ad dandum ipsas species. Item sciendum, quod Cubicularii non Prælati solent habere in Palatio expensas victus pro se, & ad plus pro duobus servitoribus. Prælati verò Cubicularii, Referendarii, vel alii, licèt habeant cameras in Palatio, solent servire summo Pontifici suis expensis, nisi eorum Prælaturæ adeo tenues essent, quod Dominus noster mandaret per Magistrum Hospitii eisdem provideri: tanta namque sunt onera suæ Sanctitati incumbentia, & tot quasi ubique in juribus & emolumentis suæ cameræ impedimenta apposita, quod per suos servitores debet, quantum commode fieri potest, ab onere expensarum relevari. Item sciendum, quod pro servitio camerarum Domini nostri solent recipi unus, vel duo ad plus servitores inferioris conditionis, qui debent ad mandatum Cubiculariorum mundare cameras, ligna apportare pro igne fiendo, quando opus est, & alia obsequia facere, quæ non oportet scriptura explicare, ut puta, telas perforatas mundas tenere. Item sciendum, non decere

A secundum antiquas observationes, summum Pontificem habere Laicos, sive Clericos in habitu laicali in camera sua, nec ipsius claves portare, sed dumtaxat tales, qui habitu, gestu, & verbo nedum Ecclesiasticos, sed & Religiosos se ostendant. Item quod talis sint conditionis, quod de eis in omnibus, & per omnia habeat illam plenam confidentiam, quæ requiritur, dum sua conservanda illis committit. Item sciendum, quod inter cameras Domini nostri numeratur camera paramenti, in qua tamen dormire non consuevit, sed in eadem audientias dare, prandere, vel cœnare, prout habet congruentia loci, & temporis, & placet suæ Sanctitati; & in eadem solent recipi Domini Cardinales, & aliæ

B personæ notabiles venientes ad Palatium, ibidem exspectantes, quod præsentiam Domini habere possint. Et in ista camera, Paramenti vocata, solent dumtaxat poni duo Ostiarii, qui debent esse viri honesti & fidati, & aliàs virtuosi, qui debent dormire in ipsa camera paramenti pro securiori custodia, & promtiori obsequio personæ Domini nostri Papæ. Officium autem istorum duorum solet esse boni & magni emolumenti, ut postea declarabitur, si opus fuerit; & communiter solent esse Laici.

Item solent summi Pontifices in numero, quo eis placet, Referendarios sibi eligere Prælatos, seu alios eminentis scientiæ, probitatis,

C & experientiæ in factis Curiæ Romanæ, quorum unus dumtaxat communiter solet cameram in Palatio Apostolico habere. Si autem sit Prælatus, vel aliàs pinguiter Beneficiatus, non consuevit de Palatio provisionem habere. Ad horum autem Officium, quid pertinet non exprimitur, quia satis notorium est. Item sciendum, quod in Palatio Apostolico solet esse, & stare Magister Hospitii, qui debet esse vir bonæ auctoritatis, & talis, quod vereretur ab Officiariis Palatii, quique sciat recolligere homines status & honoris, quando per Dominum nostrum invitantur, vel aliàs prout decet ipsius Domini nostri honorem & sta-

D tum. Ad istius autem officium pertinet scire à Domino nostro singulis noctibus, si in crastinum aliquos, & quos ad prandium invitaverit, ad finem quod Officiariis taliter disponat, quod debite, & honeste eisdem serviant secundùm condecentiam personarum. Debet etiam horis debitis pro prandio, & cœna, claudendo Palatium, campanam pulsari facere. Quum autem ipsum Palatium de nocte clausum est per Ostiarios, ad quos pertinet, debent claves portare ad cameram dicti Magistri Hospitii. Quando verò Dominus noster prandet, debent ipsas claves ante ipsius men-

E sam ponere. Quandoque etiam Camerario ibidem prandenti ipsi claves traduntur. Item singulis noctibus debet ab omnibus Officiariis Palatii, qui aliquam faciunt expensam, requirere cedulam de expensa per eos facta, quam si rationabilem invenerit, ipsam cedulam debet signare: aliàs eam emendari facere. Si enim expensor, vel alius similis poneret, se expendisse illa die X. XV. XX., vel XXV. de quibus verisimiliter sibi non appareat, non debet cedulam admittere, sed veritatem inquirere. Omnes autem cedulas qualibet septimana, vel saltem singulis mensibus, debet gentibus Cameræ in Thesaureria assignare, ut illas videant, examinent, & in Libris per Notarium Cameræ conscribi faciant, prout hactenus mo-

ris fuit. Item quia Magistri Hospitii ut plurimùm non fuerunt periti Literarum, conveniens est, quod ipse Magister Hospitii habeat unum Clericum, qui sciat legere, intelligere, & cognoscere cedulas, de quibus supra mentio fit. Debet etiam habere alios servitores in numero, & quantitate, quibus placet summo Pontifici, pensatis statu, & conditione ipsius Magistri, qui pro se, & supradictis Clerico & servitoribus habere consuevit victum in Palatio. Item sciendum, quod ipse Magister Hospitii debet habere in Palatio cameram honestam, & talem, quod si, & quando Dominus noster alicui Militi, vel alteri valenti personæ, cui in sua collusione loqui voluerit, dicat: *remaneas in prandio, & prande cum Magistro Hospitii*, ut ipsum in camera decenter recipere valeat. Item quando pro prandio, & cœna per coquos traduntur cibaria scutiferis honoris Domini nostri, debet præsens esse; videreque, qualiter fit proba; & platos, seu scutellas, in quibus dicta sunt cibaria, debet assignare ipsis scutiferis, prout eidem visum fuerit, & plenius verbo declarabitur, si opus fuerit. Ipse verò, si illius curæ honor ille debeatur, & præsens fuerit, debet ante cibaria probam portare. Item debet frequenter Officiarios, & loca Officiariorum visitare, ut videat, & sciat qualiter quilibet in officio sibi commisso se habet, qualitercumque per ipsos Officiarios ordinantur, & in quo loco custodiuntur ea, quæ concernunt personam Domini nostri, quæ sic sub clausura teneri debent, quod nulli extraneo facultas sit illa tangendi, vel in eis malignandi. Item debet esse attentus, quod in Palatio non fiant ludi, vel clamores inhonesti; & si quos ipsius Palatii Officiarios, vel alios servitores inferioris conditionis reperit, inhoneste incedentes vel loquentes, & signanter si Deum vel Sanctos blasphemant, debet eosdem fortiter redarguere. Item ad officium suum pertinet, quando alius major præsens non est, aquam Domino nostro ante & post prandium, & cœnam dare. Item quando mensa, in qua comedit Dominus noster, levata est, statim debet Magister Hospitii ad ipsum in sua Cathedra sedentem accedere genuflexo, mantellum, & rochetum bene ordinare, & deinde se retrahere. Alia multa incumbunt dicto Officio nimis prolixa ad scribendum, sed verbo explicabuntur, quando opus erit. Item summi Pontifices pro suo servitio consueverunt scutiferos honoris habere; & istorum non est numerus determinatus, quia multi recipiuntur potius caussâ honoris quàm obsequii per eos præstandi. Solitum est tamen, quod de, & inter tot summus Pontifex eligit certos idoneos & fidatos, qui continue eidem habeant servire; & possent sufficere, si essent octo, vel decem, quorum unus ad hoc idoneus coram eo præcidat. Alius verò de vino & aqua serviat; ceteri autem cibaria portent. Et isti octo, vel decem sic electi debent in Palatio victum habere, vel stipendia in Libris Cameræ contenta recipere. Item sciendum, quod unus istorum solet esse Magister Palafrenariæ. Item quando Papa equitat, duo ex eis solent ante eum Cappellos rubeos portare. Item semel, vel bis in anno, Camera tamen abundante, debent eisdem vestes tempori congruentes per Dominum nostrum dari. Ipsi autem non consueverunt cameras in Palatio Apostolico habere, nisi alia haberent officia, quæ hoc requirant. Alii autem scutiferi honoris non sic electi, quando in Festivitatibus, aut aliàs ad Palatium veniunt, vel eorum alter, non debent rejici, sed per Magistrum Hospitii honorari, & tollonus per alios scutiferos solitus portari, tradi, & etiam aliquis platus de cibariis Domini nostri. Debet esse tamen ipse Magister multùm attentus, quod nulli suspecto tradantur aliqua cibaria coram Domino nostro apponenda. Item dicti scutiferi honoris numquam debent se exhibere in conspectu Papæ nisi in vestibus honestis.

Panetaria.

ITem in Palatio Apostolico sunt Officia sequentia, quibus Dominus noster debet providere de personis idoneis pro ipsorum Officiorum exercitio, quæ quidem personæ debent residere in Palatio. Primò est Officium Panetariæ, in quo solent poni duo Presbyteri, vel Ecclesiastici, honesti & experti ad ea, quæ concernunt officium. Vocantur Panetarii Magistri, & istorum quilibet debet habere duos servitores, qui sibi dabuntur per Dominum nostrum, seu de ejus mandato; & iste vocatur Officiarius, alium verò recipit pro libito suæ voluntatis. Ad istorum verò officium pertinet recipere à Furnario Palatii totum panem, qui in Palatio expenditur, & ipsius panis fidelis & vera expensa & distributio. Debent etiam ipsi Magistri alternatis septimanis cum magna diligentia facere, & ordinare cibarium Domini nostri; mappas, longerias, & alia pertinentia ad ipsius Domini nostri mensas mundas tenere, & mensam cooperire, quando Campana pulsata est pro prandio, vel cœna. Item cultellos, forchetas, salinam, & cissoria, scutellas sive taxeas ordinatas ad serviendum de fructibus, & alia decentia ad cibarium Domini nostri custodire. Item fructus emere, & de ipsis servire. Item omnes mappas & longerias pro servitio Palatii ministrare & custodire. Item quando Dominus noster prandet, vel cœnat, alter dictorum Magistrorum debet stare ad buffetum pro ipso Domino nostro ordinatum, tradere, & portare, ac ministrare scutifero præcidenti ea, quæ ad ipsius Panetarii pertinent officium. Item ipsi Panetarii debent omnibus, qui in Palatio victum seu provisionem recipiunt, panem congruis horis ministrare, & de eo hospitibus invitatis sive in præsentia Domini nostri, sive alibi manducent, decenter serviri facere. Item in solemnitatibus, quando potus est in Aula, dicti Panetarii debent longerias mundas, quando species portantur, ante Dominos Cardinales ponere. Item dicti Magistri Panetarii singulis noctibus debent tradere Magistro Hospitii cedulam sive cedulas continentes expensas panis, fructuum, & aliorum per eos illa die factas.

Butticularia.

ITem est Officium Butticulariæ, sive Canapariæ, in quo sunt duo Magistri Ecclesiastici, & eisdem dantur per Dominum nostrum, seu de ejus mandato duo, qui vocantur Officiarii; ipsi verò recipiunt duos servientes, videlicet quilibet unum, prout vult. Ad istorum inquam Officium pertinet instare apud gentes Cameræ, quod tempore congruo fiat provisio Vinorum pro expensa Palatii, in qua provisione fienda alter ipsorum debet personali-

naliter interesse, pecunias necessarias debet recipere, & de ipsis in Camera rationem reddere. Item postquam vina reposita sunt in Palatio Apostolico, debent per unum Clericum Cameræ, vel alium ad hoc deputandum, ipsa vina, eorum qualitas, & quantitas recognosci, ac de bottis, & aliis vasis, in quibus sunt, inventarium fieri, ut sic per gentes Cameræ magis veraciter sciri possint qualia, & in quanta quantitate emta fuerint. Item ipsi Butticularii cum omni diligentia debent ipsa vina visitare, conservare, & de eisdem tam pro persona Domini nostri, quàm aliàs ministrare, prout ad bonos dispensatores pertinet, & per Camerarium, & per Magistrum Hospitii eisdem ordinabitur. Ad horum Officium pertinet custodire taxeas, picherios, aygadarias, flascones, eleemosynariam vini, & alia vasa auri, argenti, & stagni ad hujusmodi Officium pertinentia. Item alter dictorum Magistrorum debet continuè, dum Dominus noster prandet, vel cœnat, stare in buffeto, ut supra ponitur de Panetariis, & ministrare ea, quæ suo officio incumbunt pro servitio Domini nostri, & aliorum in sua præsentia comedentium. Item debent singulis diebus, saltem septimanis, tradere Magistro Hospitii in scriptis expensam, quam de vinis fecerunt, & de aliis ad eorum officium pertinentibus.

A

B

Aqua.

C

ITem est Officium Aquæ, in quo poni solet unus dumtaxat Ecclesiasticus, vel Secularis, qui vocatur Magister Aquæ, ad cujus officium pertinet recipere & administrare aquam tam pro persona Domini nostri quàm aliorum, & pro coquinis Palatii. Item custodit hydriam, & alia vasa necessaria ad aquam pro persona Domini nostri Papæ. Item custodit platos, sanatorios, & navetam, & conquas argenteas, vel alias pro ponendo in locis, ubi comedit Dominus noster, ad aquam aspergendam in eisdem, vel vina refrigeranda. Item etiam quando Dominus noster prandet, cœnat, vel facit collationem, debet stare in buffeto cum Magistris Butticulariis, & Panetario. Item debet habere cameram in Palatio, in qua dormiat, & custodiat vasa signanter argentea, vel aurea necessaria ad suum officium. Item si quam fecerit expensam ratione officii, ut puta faciendo mundari puteum, vel puteos, chordas, ferratas, & alia similia necessaria emendo, dictam expensam debet dare distinctè Magistro Hospitii. Item iste solet habere unum servitorem fidelem & idoneum, & alios famulos in numero, quot requirit qualitas & labor officii secundùm dispositionem loci, in quo stat Papa; & quando Aqua non est in eodem loco, sed oportet de longe habere, oporteret habere animalia ad portandam ipsam aquam; & tunc Officium suum habet expensam majorem. Et ubi aqua est infra Palatium, possunt eidem sufficere tres servitores, seu famuli, qui sint fortes ad portandum aquam in coquinis, & aliis locis, ubi est necessarium propriis humeris, ultra Cericum. Item Magistri supradictorum Officiorum Butticulariæ, & Aquæ, quotiescumque summus Pontifex in Pontificalibus, vel in secretis celebrat, debent in buffeto inibi propter hoc ordinato personaliter interesse, & de pertinentibus ad eorum Officium servire.

D

E

Cera.

ITem est aliud Officium, quod vocatur Ceræ. In isto Officio, quod reputatur inter alia honorabile, debet poni unus Ecclesiasticus honestus, probus, & fidelis, cujus officio spectat facere fieri intorticia & candelas grossas & minutas, tam pro Cappella, mensa, & cameris Domini nostri, quàm pro aliis omnibus, quibus distributio candelarum ceræ solet fieri. Debet etiam pro servitio Palatii ministrare candelas de cepo, & laternas, & singulis noctibus, dum dies deficere incipit, hora competenti debet facere poni in camera Paramenti candelabra magna, & intorticia incendi, & in aliis locis Palatii consuetis laternas, & candelas etiam ordinatas facere incendi, & Cubiculariis pro cameris Domini nostri intorticia & candelas tradere. Habet etiam custodiam candelabrorum argenteorum pro mensa Domini nostri, & aliorum ferreorum magnorum, quæ solent teneri in cameris Papalibus, & intorticia in eisdem poni. Item habet custodiam cascorum omnium, quæ in Palatio expenduntur, & de eisdem loco, & tempore congruis provisionem facere. Item ipse Magister Ceræ habet ad minus singulis mensibus specifice scribere totam expensam per eum factam in dicto mense de Cera, & aliis ad suum Officium pertinentibus, & ipsam Magistro Hospitii tradere, vel gentibus cameræ; & iste Magister Ceræ debet habere cameram in Palatio, & duos servitores ad minus, quorum unus debet esse Clericus, qui vocatur Clericus Ceræ, & reputatur Officiarius.

Folraria.

ITem est aliud Officium, quod Folraria dicitur. In isto Officio debet poni unus Ecclesiasticus, vel Secularis honestus, fidelis, idoneus ad istud Officium; & iste habet custodiam omnium Paramentorum, Cathedrarum, Supertelorum, Bancalium, Pannorum de Attrebato, camerarum de sirico, tapetorum, & similium rerum pertinentium ad statum summi Pontificis & ornamentum sui Palatii. Item habet custodiam lectorum, matalaciorum, culcitrarum, pulvinalium, coperturarum, linteaminum, tapetorum, pannorum rosatorum, coccinorum, & cavellorum, & aliorum similium pertinentium tam ad cameras Domini nostri, quàm alias pro usu dicti Palatii, exceptis tamen his, quæ specialiter committuntur custodiæ Cubiculariorum. Sciendum tamen, quod nulli in Palatio residentes ministrantur culcitræ, matalacia, coperturæ, linteamina, vel alia ad dormiendum necessaria; sed quilibet de suo proprio sibi providet, prout credit sibi expedire. Item iste debet habere duos servitores juvenes, fortes, idoneos, & habiles ad tendendum, & distendendum cameras, velociter parandum, & disparandum Consistorium, Tinellum, Cathedras, & alia, ubi & quando expedit, ac omnia faciendum, quæ incumbunt Officio. Item etiam debet habere cameram in Palatio idoneam pro conservatione præmissorum, & pro suo, & servitorum loggiamento. Item etiam ad ipsum pertinet in Ecclesiis, ad quas declinat Dominus noster, in Cappella sua, cameris Papalibus, & aliis locis, ubi contingat eumdem Missas audire, prandere, vel cœnare, vel au-

dientias dare, Cathedras parare pannis aureis, tapeta sternere, vel pannos roseos, si habeat, & pannos aureos, vel de Attrebato, in locis & parietibus, in quibus conveniens fuerit pro decentia status summi Pontificis, ponere & tendere. Item tempore hyemali debet cameras Papales, & Cappellas nattis de paleis contextis munire; & in solemnitatibus, quando Papa comedit in Tinello, debet ipsum Tinellum .... in hyeme sternere, in æstate verò de herba viridi. Item si ratione Officii faciat expensam, ut puta pro præmissis, aut pro reparatione pannorum, aut aliàs, debet specifice eam scribere, & singulis ad minus mensibus Magistro Hospitii, vel gentibus Cameræ tradere.

Custos Vaxellæ.

ITem est in Palatio aliud Officium nuncupatum Custos Vaxellæ. In isto solet poni unus Ecclesiasticus honestus & fidelis, qui debet habere unum Clericum honestum, & duos famulos pro scutellis & plattis in prandio, & cœna ad coquinas portandis, & post recolligendis, & lavandis. Ad istius Officium pertinet custodia platorum, scutellarum auri, & argenti, & stagni, & aliorum vasorum, in quibus serviri solet de coquina ad mensam Domini nostri, & aliorum. Debet etiam per se, & suos servitores dicta vasa recolligere, & recolligi facere cum bona diligentia, & subsequenter bene mundari, & lavari facere. Et post prandium & cœnam non debet porta Palatii aperiri, donec ipse Custos Vaxellæ Magistrum Hospitii certificaverit, quod totam argenteriam seu Vaxellam reperierit. Item custodire probam, & probas, quæ portantur ante cibaria Domini nostri; & ipsam debet portare ad Coquinam horis, quando Magister Hospitii, & Scutiferi vadunt ad eam pro quærendo dicta cibaria. Ipse autem Magister Hospitii portat eam probam ante dicta cibaria, vel tradit ipsam portandam magis honorabili Militi, qui tunc ibidem fuerit. Sumto autem prandio, quando Dominus noster manus lavit, debet Scutifer ante eum præcidens dictam probam de mensa recipere, & tradere dicto Magistro Vaxellæ propter hoc ibidem appropinquanti, & de ea custodiam habenti. Item debet habere cameram in Palatio pro custodia Vaxellæ, & expensam, si quam fecit, singulis septimanis tradere Magistro Hospitii.

Magister Coquinæ.

ITem est aliud Officium, vocatum Officium Magistri Coquinæ, & debet esse secularis, fidelis tamen & honestus. Ad ejus Officium pertinet, Coquinas frequenter visitare, & advertere, quod cibaria bene & munde præparentur, & signanter pro persona Domini nostri, quodque in dictis Coquinis, signanter in Coquina secreta, homines extranei non ingrediantur, ibidemque per Coquos, & eorum servitores insolentiæ non fiant vel clamores, & quod per eos non fiat indebita distributio cibariorum. Ad ipsius Officium etiam pertinet interesse, quando fiunt provisiones eorum, quæ ad dictas Coquinas sunt necessaria. Item solet etiam præsens esse, quando Coqui ordinant cibaria Domini nostri portanda eidem, & ire cum Scutiferis portantibus cibaria usque ad mensam Domini nostri. Item in absentia Magistri Hospitii debet de sero scire à Domino nostro, quæ cibaria vult pro crastina die sibi parari, & si, & quos hospites habiturus sit. Item debet advertere, quæ, & qualia Emtor emit, & quibus pretiis, & solet unum dumtaxat servitorem habere ad expensas Palatii.

Emtor.

ITem in eadem Coquina debet esse unus Emtor seu Expensor, qui solet esse Ecclesiasticus, in quo requiritur magna fidelitas, magna diligentia, & experientia. Ad istius Officium pertinet emere carnes grossas, & minutas, capones, gallinas, pernices, & alia volatilia, ova, pisces, sal, oleum, species necessarias ad Coquinas, vasa, veruta, & alia multa necessaria, lignis exceptis, habeat emere. Item omnia, quæ emit, debet incontinenti assignare Custodi cibariorum, qui ea debet describere; & deinde per eos, præsente Magistro Coquinæ, coquis utriusque coquinæ horis debitis postea debent assignari pro parando, prout qualitas diei requirit. Item dictus Comparator debet cum omni solicitudine laborare, quod illa, quæ emet, & signanter pro persona Domini nostri, sint bona, non corrupta, vel aliàs infecta, & quod pretio convenienti, non excessivo, habeantur. Item singulis diebus distincte & specifice ea, quæ emit, & quo pretio, debet scribere, & scripturam singulis noctibus Magistro Hospitii tradere, qui eam debet videre & considerare, an pro illa die det expensam convenientem vel excessivam, & sic dictam scripturam seu cedulam approbare vel reprobare, & ad hoc Custodem cibariorum, & Magistrum Coquinæ, si sibi videatur, vocare. Iste autem Comparator solet cameram in Palatio Apostolico, & unum servitorem dumtaxat habere.

Custos Cibariorum.

ITem in eadem Coquina est aliud Officium dictum Custos Cibariorum. Iste etiam solet esse Ecclesiasticus, ad cujus Officium spectat custodia carnium & piscium, sarsorum, olei, & omnium provisionum, quæ solent fieri pro expensa coquinarum, & omnia fideliter conscribere, & custodire, & diligenter advertere, quod nihil indebite expendatur. Debet etiam esse contra relatos, sive expensoris, & talem operam dare, quod per gentes Cameræ veraciter informare possit, an ipse Expensor bene & fideliter circa ea, quæ emit, seu tradit, se habeat, vel ne. Iste etiam posset, & consuevit ligna ad usum Palatii Apostolici necessaria emere, custodire, & distribuere. Item si bonos murones, seu alia carnalagia, seu volatilia donantur Papæ, debet ea recipere, salvo tamen jure Magistri Coquinæ, eaque fideliter conscribere, & ipse diebus, & horis congruis, coquinis assignare. Item iste debet habere bonum & aptum locum ad custodiendum, conservandum, & ponendum ea, quæ ad suum pertinent Officium. Item iste debet habere unum servitorem dumtaxat in Palatio.

Magister Aulæ.

ITem est in eodem Palatio Officium Magistri Aulæ. Ad istius Officium pertinet poni facere mensas, quando campana pulsatur pro pran-

prandio, vel cœna, & signanter illam Domini nostri in loco, ubi ipse disposuerit prandere, vel cœnare, & quod loca, in quibus ponentur, per scopatores faciat bene mundari. Item ad ipsius Officium pertinet facere dari aquam pro abluenda manu his, qui ad prandium, vel cœnam invitati fuerunt, dummodo non sint Cardinales, aut alii magni, quia illi habent suos servitores. Item postquam Dominus noster fuerit in mensa, debet invitatos ponere ad mensam secundùm gradum & statum eorumdem, habito consilio Magistri Hospitii, si personarum invitatarum qualitas hoc exigat. Item postquam cibaria fuerint posita coram Domino nostro, debet facere serviri illis, qui in ejus præsentia comedunt. Debet etiam aliis ordinariis facere serviri secundùm conditiones personarum, & modum, qui sibi tradetur. Item debet facere serviri de fructibus, qui dari solent in principio, & in fine mensæ. Item quando instat finis prandii, vel cœnæ, debet facere levari cibaria de ante illos, qui coram Domino nostro, vel in tinello communi comederunt, & deinde aquam dari, & mensas deponi, quando aqua portatur Domino nostro pro lavandis manibus. Item debet bene advertere, quod in tinello non sint murmurationes, clamores, seu vociferationes, sed quod omnes honeste, & cum omni pace & quiete comedant. Iste solebat habere unum servitorem dumtaxat. Item iste Magister Aulæ quandoque fuit, & esse solebat Scutifer, seu familiaris Magistri Hospitii.

Magister Operum.

ITem in Palatio Apostolico consuevit esse unus Officiarius, qui vocatur Magister Operum, ad cujus Officium pertinet omnia opera, quæ fiunt in Palatio, vel alibi, ubi resideat summus Pontifex, vel sua Sanctitas mandat, ordinare, sive sint lignea, sive lapidea; Operariis assistere de salario, & de rerum pretiis convenire & concordare, habito tamen prius mandato Camerarii, seu gentium Cameræ, vel aliquo de ipsis gentibus per Camerarium ad hoc ordinato, si magnitudo & sumtuositas operis exposcat. Item iste consuevit locum habere in Palatio, in quo custodire & conservare possit lignamenta, fustas, & alia ad suum Officium pertinentia. Item est sciendum, quod ipse Magister Operum percipere solet stipendia in libris Cameræ descripta, & ideo non consuevit in Palatio Apostolico victum habere.

Barberius.

ITem Dominus noster debet Barberium sibi eligere idoneum, & expertum, qui suæ Sanctitati de arte sua serviat, quoties opus erit. Iste autem Barberius non consuevit in Palatio cameram habere, nec victum recipere, sed eidem dari debent stipendia solita dari uni servienti armorum, quæ si eidem non solvantur, victum in Palatio habere debet. Ad istius Officium pertinet, quoties Papa equitat, Valisiam rubeam ante se portare, & etiam Repositorium Mitræ, si in Officio solus existat; quod si duo essent, unus portaret dictum Repositorium, alius vero dictam Valisiam.

A

Confessor.

ITem in eodem Palatio est Officium Confessoris, quem summus Pontifex solet eligere pro libito suæ voluntatis, qui debet in Palatio cameram habere, & in eo continue residere, ut si, & quando opus esset, suam præsentiam exhibere valeat. Ad cujus Officium spectat sermones, qui fiunt coram Papa, injungere; Vesperas, & Missas solemnes Dominis Cardinalibus notificare; Altare parare & ornare; & quoties Dominus noster, ne dum in Pontificalibus, sed etiam secrete voluerit celebrare, se exhibere, & eidem de sibi incumbentibus servire. Item ad hujus etiam Officium pertinet omnia jocalia Cappellæ, ut

B

puta Reliquiaria, Cruces, Calices, Imagines, Candelabra aurea & argentea, & omnia vestimenta & ornamenta quæcumque ad Dei servitium, & Cappellam summi Pontificis deputata custodire, exceptis Mitris pretiosis, & aliis quibusdam solitis custodiri per Cubicularios, & exceptis Tyara & Cherubin, quæ solent reponi in camera Thesaurarii Palatii Apostolici. Item ad ipsius Officium pertinet ministrare vestimenta & ornamenta Sacerdotalia & Pontificalia, quoties Dominus noster celebrare debet, & eidem Altari servire de Libro, vel aliis, prout ipse Dominus noster duxerit ordinandum secundùm ipsius Confessoris statum, & gradum. Item ad eumdem pertinet custodire, & ministrare Magistro Cappellæ vestimenta & ornamenta, & alia necessaria ad usum quotidianum Cappellæ Domini nostri. Item est attendendum, quod propter incumbentia Officio ipsius Confessoris, quæ multa sunt, solet habere unum Socium, qui vocatur Sacrista, eo quia ornamenta & vestimenta Sacerdotalia, aliàs necessaria pro divino Officio celebrando de mandato seu voluntate ipsius Confessoris habet ministrare. Item quoties Dominus noster equitat, ipse Confessor statim post mulam portantem Corpus Christi, habet equitare in habitu convenienti statui

C

personæ suæ; & dum Dominus noster ad locum, ad quem declinat, pervenerit, in Cappella ad hoc ordinata Cossæum, in quo portatur Corpus Christi, decenter debet reponere, & ordinem dare, quod candela accensa ante ipsum Cossæum semper remaneat. Et iste Confessor ultra socium, qui debet esse bonus & fidelis & honestus, debet habere unum servitorem.

D

Magister Palatii.

ITem summus Pontifex solet eligere Magistrum Palatii, qui communiter consuevit esse de Ordine Prædicatorum; & iste debet esse solemnis Magister in Theologia, ad cujus Officium pertinet diebus Consistorialibus, & certis aliis, sacram Theologiam in Scholis sacri Palatii Apostolici, vel alio ad hoc sibi ordinato legere. Debet etiam in Collationibu Papæ, & signanter diebus festivis & solemnibus venire paratus quæstiones proponere, vel aliis respondere, prout ipse Dominus summus Pontifex duxerit eidem injungendum. Iste autem non habet in Palatio cameram, nec victum recipit, sed eidem solent stipendia solvi in libro Cameræ contenta.

E

Elec-

Eleemosynarius.

ITem summus Pontifex consuevit habere Eleemosynarium Ecclesiasticum, idoneum, pium, devotum, & caritativum, ad cujus Officium spectat miserias pauperum, & aliorum desolatorum Curiam sequentium, sæpe ad memoriam Domini nostri reducere, & pro eis intercedere. Item debet solicitare de eleemosynis fiendis Pauperibus, Prælatis videlicet, Mendicantibus, Religiosis, Hospitalibus, & aliis piis Locis, & quod personis necessariis eleemosyna largiatur; & signanter in solemnibus festivitatibus. Item debet pro Pauperibus in Curia oppressis intercedere, & semper, & continue opera Pietatis & Misericordiæ dicto Domino nostro persuadere. Item quando summus Pontifex equitat, consuevit post eumdem in habitu decenti super mula de Palafrenaria sibi tradenda equitare, & missilia projicere, prout convenit Officio. Item iste non consuevit communiter habere cameram in Palatio Apostolico, sed tamen eidem pro se, & uno servitore, provisio dari debet, nisi aliàs sufficienter abundaret. Item moris est, & fuit, quod Prior Sancti Antonii Curiæ Romanæ intrat Palatium, quando pro prandio campana pulsatur, & in tinello, vel camera, in qua prandere debet, vel alio loco propinquo ponit vasa sua ordinata pro eleemosyna recipienda, & stat ibidem, dum Papa prandet; & quicquid panis, vini, & cibi levatur de mensa Domini nostri Papæ, & aliorum coram eo comedentium, debet recipere de manu levantis, & ponere in dictis vasis. Post prandium verò statim debet recedere, & Pauperibus in Hospitali jacentibus eleemosynam per ipsum receptam fideliter distribuere. Et iste non habet stipendia, nec cameram in Palatio, nec etiam victum, nec pro victu suo aliquam portionem, sed vivit de emolumentis sui Prioratus, quæ magna solent esse. Iste etiam debet sequi Dominum nostrum Papam quocumque vadit pro suo Officio faciendo. Iste etiam debet habere curam animarum omnium forensiriorum, & eisdem solet sanctissima Sacramenta ministrare.

Cappella.

ITem Summus Pontifex consuevit habere in sua Cappella Cantores, & inter eos est unus, qui vocatur Magister Cappellæ, ad cujus Officium pertinet omnes alios dirigere & gubernare, quatenus ad servitium dictæ Cappellæ pertinet. Qui singulis diebus, præsente vel absente Domino nostro, debent in Cappella ad hoc ordinata Missam alta voce dicere, & Vesperas cantare, ac etiam Matutinas, si, & quando pro solemnitate festi Dominus noster duxerit eisdem mandare. Item dictus Magister Cappellæ, si ad hoc idoneus fuerit, debet in prandio coram Domino nostro Bibliam legere; ac *Benedicite*, & *Gratias* intonare; & pro hoc debet in Palatio Apostolico prandere, non tamen cœnare. Si autem ipse Magister idoneus non fuerit, debet ex ipsis Cantoribus unus eligi, qui præmissa faciat. Item dictorum Cantorum ultra dictum Magistrum videtur numerus XII. sufficere. Item ultra prædictos debent esse duo Clerici, qui vocantur Clerici Cappellæ, seu Cæremoniarum; & sic in ipsa Cappella sunt quindecim personæ, quæ quidem non consueverunt in Palatio Apostolico, nisi in certis solemnitatibus comedere, sed recipiunt certa stipendia in libris Cameræ contenta, & habent suas mansiones extra Palatium. Item ultra dicta stipendia solet Summus Pontifex vestes omnibus annis dare eisdem. Item inter istos sunt Presbyteri, qui debent alternis septimanis coram Domino nostro Missas dicere.

De Coquis.

ITem in Palatio Apostolico est Coquina, in qua Dominus noster debet personas omnino sibi fidas, & in arte Coquinæ bene expertas sibi eligere; & in ista possunt bene sufficere quatuor personæ. Item est alia Coquina, quæ dicitur communis, in qua debent poni Coqui, & laboriosi pro bene parando cibaria apponenda, comedentibus in Palatio Apostolico frequenter; namque invitantur Domini Cardinales, magni Prælati, Ambasciatores Regum, & Principum, & alii magnæ auctoritatis viri, quibus pro decentia status Domini nostri debet serviri de bonis cibariis, & bene paratis, quod fieri non potest, si Coqui bene experti & laboriosi non fuerint. Et in ista Coquina possunt sufficere sex personæ.

De Ostiariis.

ITem in Palatio Apostolico solent esse Ostiarii majores; sed quia numerus est magnus, expedit, & ita fuit retroactis temporibus observatum, quod ipsi ex se ipsis eligant duos, qui alternis septimanis custodiant portas eisdem assignandas, quibus diebus alternis seu septimanis servientibus provideatur de victu. Item quod fiat de servientibus minoribus, qui nuncupantur Portaferræ, & sufficiunt etiam duo, qui alternis septimanis serviant. Item de Ostiariis primæ Portæ palatii, & sufficiant duo ut supra.

De Cursoribus.

DE Cursoribus autem ipsi ex se ipsis eligant, qui alternatis vicibus, & septimanis in Palatio Apostolico serviant, & ipsis sex de Palatio provideatur de victu; & quod Magister Cursorum sit semper attentus, quod de ipsis in Palatio reperiantur ita idonei, & quod non sit defectus in eorum servitio.

De Medicis.

ITem Dominus noster habet eligere Physicos, prout placuerit suæ Sanctitati & de eorum provisione ordinare. Consuetum tamen est, quod in Palatio Apostolico unum semper habeat, cui camera debet assignari; & sibi pro se, & uno servitore de victu provideri debet.

De Registratione Supplicationum.

ITem in Palatio Apostolico est consuetum, quod assignetur camera pro Registro Supplicationum, in quo Officio solent esse duo, sed nullus eorum aliquam provisionem recipit in Palatio.

De Registro Literarum Apostolicarum.

ITem Registratori Literarum Apostolicarum est etiam camera assignanda in Palatio Apostolico de isto Officio, quod quomodo, & qualiter regi debeat, ordinabit Dominus noster, prout suæ Sanctitati videbitur.

De Palafrenaria.

ITem sciendum est, quod extra Palatium solebat esse unus locus idoneus pro equis Summi Pontificis, pro quorum equorum, ac loci regimine deputatur unus, qui vocatur Magister Palafrenariæ, sive Stabuli, ad cujus Officium pertinet custodia & gubernatio equorum, & aliorum animalium in Palafrenaria pro servitio Summi Pontificis ex . . . . Ad ipsius etiam Officium pertinet emere fœnum, venam, bladam, paleas, & alia necessaria pro animalibus prædictis, & ea visitare, ferrari, & mundari facere per Marescallum ad hoc ordinatum. Item quia dictus Magister Palafrenariæ communiter laicus est, solet sibi dari per gentes cameræ unus Clericus, qui vocatur Clericus Palafrenariæ, qui habet omnia, quæ emit, recipit, vel expendit ipse Magister pro usu Officii, fideliter conscribere; & scripturam suam, quando ratio, seu computum ab ipso Magistro exigitur, Camerario, & gentibus Cameræ assignare, ut sic veraciter gentes possint scire receptum & expensum dictæ Palafrenariæ. Item ad ipsius Magistri Officium pertinet custodia omnium sellarum, frenorum, coperturarum, calcarium, bastorum, & aliorum ornamentorum pertinentium ad ornatum equorum Summi Pontificis, & Officium Palafrenariæ necessariorum. Item ipse Magister sub se habet famulos, qui vocantur Palafrenarii secundùm numerum equorum & aliorum animalium in Palafrenaria existentium: ideo istorum non est numerus determinatus. Sed si qui ad hoc Officium fuerunt recepti, perpetui vocantur, in tantum, quod secundùm antiquas observantias Summus Pontifex debet eisdem quantumcumque propter debilitatem, antiquitatem, seu alias causas servire non possent, de victu, & vestitu, quamdiu vixerint, providere. Item est sciendum, quod isti Palafrenarii habent stipendia contenta in libris Cameræ, & ultra de Palatio nihil recipiunt nisi vestes semel in anno. Item dictus Magister Palafrenariæ de consuetudine sui Officii potest tenere unum equum suum in Palafrenaria propriis expensis Summi Pontificis. Habet etiam aliqua jura, quæ exprimentur, quando opus erit. Item sciendum, quod in Palatio Summi Pontificis non consueverunt recipi equi, vel alia animalia quorumcumque aliorum, quantumcumque ipsi Summo Pontifici propinquorum, seu domesticorum. Item in Palatio Apostolico solet esse unus, qui pulsat campanam pro Consistoriis, & aliis horis consuetis, & iste habet victum pro persona sua dumtaxat. Item debet esse unus vel duo scopatores, qui debent cameras Papales, tinellum, ambulatoria, plateam, seu plateas Palatii mundare, & isti habent etiam victum in Palatio. Item advertendum est, quod de omnibus, quæ traduntur Officiariis suprascriptis ad eorum Officium pertinentium, sicut Panetariis, Butticulariis, Magistro Aquæ, Ceræ, Folrariæ, Confessori,

A seu Sacristæ, Magistro Palafrenariæ, seu Stabulario, debent inventaria distincta plena fieri per Clericum, seu Clericos Cameræ, seu per Camerarium ad hoc deputatum, quorum originalia in Thesauraria Cameræ Apostolicæ reponi debent, & eorum copiæ penes singulos Officiarios, prout ad eos pertinet remanere, ut sic semper apparere possit, quæ & qualia eorum quilibet in sua habet custodia, & periculo, si quæ perdita fuerint. Supradicta omnia & singula pro aliquali informatione Officiariorum Palatii Apostolici scripta sunt, salva semper omnimoda determinatione Domini nostri, in cujus simplici voluntate existit in eisdem addere, detrahere, vel ipsa to-
B taliter immutare. Et placeat suæ Sanctitati scribentem excusatum habere; non enim novit mores in hac parte observatos, & Libros antiquos Cameræ penes se non habet. Quibus consideratis, in his, in quibus erravit, solita clementia ejusdem Domini nostri dignetur sibi indulgere. Item attendendum, quod supra specifice non ponitur, quibus Officiariis, & quanta stipendia dari solent, & quomodo solvi, quia de his apparere potest per antiquos Libros Cameræ, quæ à tempore Schismatis citra paucis, & diminute soluta fuerunt.

Scripta Pisis post novam Creationem felicis recordationis Alexandri Papæ Quinti Anno à
C Nativitate Domini 1409. IV. Julii.

Cæremoniæ observandæ in celebratione Concilii principaliter circa quatuor versantur.

Anno Domini 1408. fuit tentum Concilium apud Perpinianum sub Domino Benedicto XIII. quod incœpit secunda die Novembris ejusdem anni, & duravit usque ad primam diem Martii Anni 1409. & pro dicto Concilio fuerunt scripta Avvisamenta sequentia.

PRimò circa locum, secundò circa personas, tertiò circa situm & habitum, quar-
D tò circa gerenda in Concilio. Circa locum occurrunt duo. Primò ipse locus, secundò loci dispositio, super quibus observanda videntur, quæ sequuntur. Primò est eligendus locus capax, & ut plurimùm solent Concilia celebrari in Ecclesiis. Item Concilium unam portam tamen debet habere, per quam pateat ingressus & exitus. Item in capite orientali debet fieri Pulpitum pro sessione Domini nostri, quod habeat in altitudine quinque palmos, & sit quadratum; & in circuitu sint gradus unius palmi in altitudine, & unius palmi in latitudine, præterquam in quadra orientali, quæ habet parietem, & paramenta pro dorso. In medio quadræ orientalis collo-
E catur Cathedra Domini nostri parata solemniter cum Pallio extenso in dorso, & supra caput; & debet esse Pulpitum ita amplum, quod ad partem dextram & sinistram Papæ possint situari faldistoria tria ad quamlibet partem. Item aliæ sedes ad dextram, & sinistram, si esset opus, ad hoc ut possint sedere ad solium super Pulpito quamplurimi; & Pulpitum totum esse debet paratum de panno viridi, vel de rosis. Item à dextris & sinistris Pulpiti Domini nostri in competenti distantia debent fieri scamna cum dorso, quod sit competenter altum, propter sedentes retro; & debent ista scamna habere in altitudine quinque

que palmos, vel circa, & habeant duos gradus, & quilibet habeat altitudinem palmi, & quarta unius palmi, & protendant in longitudine octo cannarum vel plus, vel minus, considerata Prælatorum multitudine, & debent esse parata ista scamna de panno etiam ad dorsum. Item in opposito Pulpiti Papæ in capite occidentali ex directo summitatis scamnorum eminentium à dextris & sinistris factorum in latitudine debent locari Cathedræ pro Patriarchis singulæ eminentes, sicut scamna duo supradicta cum dorso, ita quod faciant coronam cum scamnis ipsis, & sint paratæ sicut scamna. Item retro ista scamna cum sufficienti distantia debent fieri alia scamna æqualia primis, quæ protendantur in longitudine novem cannarum, postea reflectantur in latitudine; ita ut faciant coronam circumdantem scamna prima, & sedes Patriarcharum, dimisso unius cannæ spatio in medio capite occidentali pro via. Et debent esse ista scamna parata sine dorso. Ista scamna non fuerunt facta in Concilio Generali, quod fuit Pisis Anno Domini 1409. in mense Martii, & sequentibus, & hoc fortè quia alia sufficiebant. Item in capite orientali ad dextram & sinistram Pulpiti debent esse scamna duo satis eminentia. Item intra primam coronam, quæ fit ex primis scamnis, & sedibus Patriarcharum, debent fieri plures ordines scamnorum ad altitudinem graduum scamnorum, quantum spatium loci potest capere, dimisso in medio spatio unius cannæ pro via. Item debet ordinari Altare in illa volta, quæ est ad sinistram Pulpiti, in qua Dominus noster possit audire Missam, si ita placeret sibi, & veniens ad Concilium oret. Item super illo ponetur Corpus Domini. Item debet esse Sacristia ordinata, & disposita pro vestiario Domini nostri. Hæc de prima consideratione circa locum, & ejus dispositionem. Circa personas occurrunt duo consideranda. Primò de his, qui faciunt Concilium, & dant vota in illo; secundò de servientibus Concilio in variis Officiis. Et quia ultimum est primum in practica, idcirco de illo prius dicam. Circa quod considerandum est, quot sunt ministeria in Concilio exhibenda, tot debere distingui Officia, & singula esse distribuenda personis idoneis, prout officii injuncti qualitas exigit, & requirit. In Concilio tento Pisis Anno supradicto Camerarius sedebat revestitus Pluviali, sicut alii Prælati; & omnes Prælatos, etiam Patriarchas, quando non sedebant in suis cathedris, ac etiam Ambasciatores Imperatoris, & Regum, præcedebat in sede, licèt essent magni Prælati. Et istud ita fuit servatum, antequam Papa in illo Concilio præsideret, quia adhuc creatus non erat; & post suam creationem, quando aberat, præsidebat Camerarius communiter. Tunc erat Archiepiscopus Narbonensis. Et idem fuit servatum in Concilio Constantiense, ut infra scripsi. Item primus Camerarius Domini nostri, seu Vicesgerens, debet esse ad plenum instructus de omnibus agendis in Concilio, & superintendere solicite, & diligenter, quod omnia fiant suo ordine, & modo debito. Debet ad hoc melius exsequendum deputare duos viros honestos, qui ei semper assistent, & referent omnia, quæ geruntur, & ejus mandata exsequentur diligenter. Item sunt deputandi notabiles viri, qui recenseant venientes ad Concilium, & potestatem comparentium precario

A nomine; deinde faciant matriculam, in qua per ordinem nominentur omnes, qui adesse debent in Concilio, servatis ordinibus, & gradibus singulorum. Item sunt deputandi notabiles viri Milites & Scutiferi, ad custodiam personæ Domini nostri; & solent ad id eligi Milites Sancti Johannis. Ad horum Officium spectat assistere continue Domino nostro venienti ad Concilium, stanti, & redeunti; & maxime observare debent, ne comprimatur Dominus noster pressura gentium. Item sunt deputandi notabiles Ostiarii ad custodiam Portæ Concilii. Ad horum Officium pertinet sessionibus in aurora reserare fores Concilii, & scrutari, quod nullus ibi latitet;

B demum claudere portas, omnibus prius ejectis, & custodire portas, & introducere illos, de quibus habebunt mandatum à Camerario, vel à matriculario, & claudere portas, vel aperire secundùm jussionem ejusdem Camerarii. Item Protonotarii, Clerici Cameræ, atque Secretarii Papæ, omnia, quæ fiunt in Concilio, excipiant, & in formam publicam redigant ad perpetuam rei memoriam, & nihil omnino, cum sit receptum, & publicatum, mutent. Item assistent Domino nostro tres Cardinales, unus Presbyter, & duo Diaconi per vices. Item unus ex Diaconis Cardinalibus legit Evangelium, & recitat recitanda in prosecutione Concilii; & hoc faciunt per

C vices suas singuli secundùm ordinem suum. Et hæc de primo articulo hujus membri. Sequitur secundum de Personis, quæ sunt personaliter in Concilio, & dant vota. Circa quod observandum videtur, quod omnes vocati sunt admittendi in Concilio, & audiendi in votis dandis secundùm modum, qui infra aperietur, consulendo super materia, pro qua sunt vocati, & maxime ubi materia est universalis, quæ omnes tangit. Illud tamen attendendum, quod tota vis Concilii est in Papa, qui potest decidere dubia, prout sibi visum fuerit, & apud eum residet tota potestas & auctoritas Concilii; & potest consulere cum multis vel paucis, prout negotii qualitas

D exigit, & palam foribus apertis, vel in secretis clausis portis, prout sibi videbitur expedire. Hæc de secundo articulo hujus membri, & per consequens de toto membro. Sequitur tertiò de habitu, & situ.

Item circa Solis ortum Dominus noster progrediens de sua camera, auditâ Missâ, vel si non vult, audiat eam in Concilio, cum Pluviali & Mitra procedit ad locum Concilii, comitantibus eum Cardinalibus, & aliis Prælatis, & Laicis ad custodiendum deputatis; & intrans vadit ad Altare, assistentibus sibi duobus Diaconis. Facta Oratione, sedet in loco ad hoc parato; Dominique & Prælati veniunt ad reverentiam, qua facta, incipit

E Tertiam. Eâ completâ Subdiaconus apportat sandalia, & lotis manibus alii Cappellani porrigunt indumenta omnia rubei coloris, ac si esset celebraturus; quibus indutis, præcedente Cruce, ascendens ad Pulpitum signat ter Concilium, & sedet in Cathedra. Item dum Dominus noster induitur, Domini Cardinales recipiunt paramenta sua rubea cum Mitris; & alii Prælati, atque Ecclesiastici Episcopi Pluviale & Mitram de Boncherayo; Presbyteri Cardinales Planetas cum Mitra. Item Abbates Pluviale & Mitram, si sint mitrati; alii inferiores in superpelliciis; & Diaconi Cardinales Dalmaticas cum Mitra; & sic induti

duti intrant Concilium. Hæc de primo articulo hujus membri de habitu. Super secundo videtur de situ observandum quod sequitur. Item Dominus noster sedet super Cathedram suam. Item Cardinales assistentes Domino nostro sedent in scabellis secundùm morem ante eum. In Concilio Pisano tento Anno 1409. in quo præsidebat Dominus Alexander V. fuit præsens Dominus Ludovicus Rex Siciliæ, & Dux Andegavensis, & Comes Provinciæ; & dum Missa dicebatur, sedebat inter duos primos Dominos Episcopos Cardinales. Finitâ autem Missâ, tunc Cardinales & Prælati revestiebant se Cappis & Mitris, & tunc Rex ipse sedebat in Cathedra parata, ut hìc ponitur, ad dexteram Papæ, aliqualiter tamen remota; & sedebat taliter in sua Cathedra, quod non respiciebat rectè ad Occidentem, ut Papa, sed ad Meridiem. Item si est Imperator, sedet in faldistorio parato satis prope Cathedram Domini nostri Papæ in parte Orientali, & deinde Reges, & est paramentum faldistorii pro Rege unum cussinum; si sint duo, unus est ad dexteram, alius ad sinistram. Item Diaconi Cardinales, si est aliquis Princeps, qui sedeat ad dexteram, habent scabella ad sinistram in longitudine Pulpiti; si nullus est Rex sedens ad dexteram, debent habere scabella ad dexteram in longitudine. Et sciendum, quia non erant nisi quatuor Cardinales Diaconi, quod ipsi habuerunt scabella conjuncta scabellis assistentium Domini nostri, & ibi sederunt. Item Domini Cardinales Episcopi sedent in primis scamnis in capite ad dexteram. Presbyteri Cardinales sedent in primis scamnis in capite ad sinistram. Post hos sedent Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, atque Generales Ordinum Religiosorum, & Abbates; & si prima corona non sufficit, sedent in secundis scamnis faciendo secundam coronam. Item Patriarchæ sedent singuli in sedibus Patriarcharum. Item Ambasciatores, atque alii Nuncii solemnes sedent in scamnis ad dexteras & sinistras intra coronam Cardinalium in primis scamnis. In Concilio Pisano, de quo supra fit mentio, ante assumtionem supradicti Domini Alexandri Quinti, & post ipsius assumtionem, & eodem præsidente, Archiepiscopus Narbonensis tunc Camerarius sedebat revestitus Pluviali & Mitra in scamno Prælatorum, & antecedebat in sede omnes Prælatos, quantæcumque essent auctoritatis, vel præeminentiæ, non obstante etiam quod aliqui ex eis essent Ambasciatores Regis Romanorum, & Bohemiæ, & alii Regum Franciæ, & Angliæ. Quando etiam Patriarchæ sedebant in scamnis Prælatorum, ipse omnes eos antecedebat; quando verò ipsi ibant ad sedendum in suis Cathedris, tunc nullus eos in eis antecedebat. Et ita fuit continuò in dicto Concilio observatum sine difficultate quacumque. Eodem modo fuit per omnia observatum in Concilio Constantiense, in quo erant Domini Johannes Papa XXIII. & Imperator Anno Domini 1415. Sedit namque ipse Archiepiscopus Camerarius in Sessionibus revestitus ante omnes Prælatos immediate post ultimum Presbyterum Cardinalem, licèt ibidem, & statim post eum, essent Dominus Archiepiscopus Rhemensis, & aliqui alii magni Prælati, & Ambasciatores Domini Regis Franciæ. Item Camerarius, Protonotarii, Corrector, Auditor Cameræ, Officiarii principaliores Cancellariæ, ac Cameræ, sedent in altioribus gradibus Pulpiti Papæ in ordine suo, incipientes ad dextram, cum vestibus communibus; Cappellani cum Subdiacono in superpelliciis sedent supra

Pulpitum ad solium. Item Capita Regionum, atque Ordinum Militarium, alii Ecclesiastici, & Priores, & Nuncii Capitulorum sedent in ordinibus scamnorum ordinatorum intra primam coronam. Et hæc de secundo articulo hujus membri, & sic de toto tertio membro. Sequitur quartum & ultimum de gerendis in Concilio; & est attendendum, quod aliqua sunt, quæ pertinent ad preces & implorationem divinæ Gratiæ; aliqua, quæ pertinent ad executionem eorum, pro quibus Concilium est convocatum, & hæc proprie dicuntur actiones Concilii. Circa primum, quantum ad præsens, sic est procedendum. Item per quinque vel sex dies ante primam Sessionem Dominus noster debet indicere jejunium triduanum omnibus debentibus interesse in Concilio, & eos commonere, quod vacent Orationibus & Eleemosynis. Item prima die Concilii Dominus noster procedit ad Ecclesiam, & fiet Processio solemnis, & erit Missa solemnis cum Sermone de materia Concilii; & fiant omnia more solito, quando Papa celebrat; & intimabitur per facientem Sermonem dies primæ Sessionis Concilii. Et ordinabitur Altare in capite orientali Pulpiti, ubi debet locari Cathedra Domini nostri ad partem dextram Pulpiti, sicut solet aliàs fieri. Item Cantores stabunt in dextra superiori. Item in prima Sessione, sedente Domino supra Cathedram suam, & omnibus considentibus secundùm quod supra dictum est, tunc post unam pausam sub silentio transactam primus Diaconus alta voce dicit *Orate*. Et statim Dominus noster, Mitrâ depositâ, flectit genua super faldistorio ad id parato, respiciens ad Altare, quod est ad sinistram, super quo stat Corpus Domini, & omnes se prosternunt ad terram orantes sub silentio. Post bonam pausam Dominus noster pronunciat, *Dominus vobiscum*; Orationem, *Quæsumus Domine, Sancte Spiritus; adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati, veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris; doce nos, quid agamus, quo gradiamur; & ostende, quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus; esto salus & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen possides gloriosum; non patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem, ut in sinistrum nos ignorantia non trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum, vel personæ corrumpat; sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à vero, qualiter in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis justitiam, ut hìc à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna*. Qua finita, respondeant *Amen*. Tunc Diaconus dicit: *Erigite vos*. Tunc omnes surgunt, omnibusque stantibus, Dominus noster stans, Mitrâ depositâ, dicit: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple supernâ gratiâ, quæ Tu creasti pectora. Qui, Paracletus diceris*: & sic usque ad finem Hymni. Quo completo, Dominus noster dicit, *Dominus vobiscum*; Diaconus dicit, *Flectamus genua*; Secundus Diaconus dicit, *Levate*; Dominus noster, *Oremus*. *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus &c.* Qua finita, unus Cappellanus incipit Letaniam minorem, aliis respondentibus, & prosequitur usque in finem. Post Letaniam Diaconus, factâ reverentiâ, & benedictione petita, pronunciat Evangelium secundùm Matthæum. Item in omnibus sequentibus Sessionibus, omnia fiant, sicut in prima, excepto quod mutantur Oratio & Evangelium.

lium. Item hac Sessione dicitur Oratio: *Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, fac, ut bonum, quod nobis à te requiritur, exsequamur, scilicet ut prompta tecum solicitudine gradientes discretionis arduæ subtile judicium faciamus, & veritatem diligentes clareamus studiis tibi placitæ actionis*. Item ordinandæ sunt Orationes, & Evangelia pro singulis Sessionibus correspondentia materiæ ibidem tractandæ. Hæc de primo articulo hujus membri. Circa secundum, qui est de actionibus Concilii, occurrunt duo. Primum quid sit agendum. Secundum modus agendi. Et quia de Cœremoniis agimus, quæ præsentialiter versantur circa modum, de modo dicam præsentialiter pauca referendo circa quid. Item de more à Sanctis Patribus servato, in tribus Sessionibus solùm agebat Concilium de pertinentibus ad Fidem, & ideo in prima Sessione post lectionem Evangelii Dominus noster habet aperire caussas, & finem publicæ professionis, quibus apertis, Diaconus Cardinalis legat professionem; eâ lectâ Dominus noster respondeat, & post eum omnes de Concilio. Post responsionem si tempus patitur, Dominus noster proponat caussas, & finem convocationis Concilii. Demum Diaconus primùm recitet protestationes per Dominum nostrum factas, quibus perlectis, incipiat recitare Processum actorum per Dominum nostrum; & si non sufficit tempus, continuentur Sessiones, donec totus sit recitatus. Recitatione facta, dicat Dominus noster aliqua bona verba; quibus expletis, Concilium petita deliberatione, prout melius videbitur, respondeat. Et hæc usquequo incipiat haberi deliberatio super his, quæ possunt esse profutura in futurum ad Unionem. Item in Concilio debet servari silentium, & sine contentione omnia debent agi; nec debet aliquis recedere & solvere Sessionem, donec veniat generalis absolutio Sessionis. Et si sit aliquis contentiosus vel aliter turbans Concilium, est expellendus. Aliqua Capitula sequi deberent, quæ concernunt modum dandi vota, & absolutionem Concilii, quæ aliàs tradentur.

Forma aperiendi os novo Cardinali est sub his verbis, vel similibus.

Aperimus tibi os tam in Collationibus, quàm Consiliis, & in Electione Summi Pontificis, & in omnibus actibus tam in Consistorio, quàm extra, qui ad Cardinales spectant, & quos sunt soliti exercere. Ipse verò ad proposita nihil respondet. Vacante Sede, datis * Conciliis Ticularibus, Tusculano absente requisito, & consentientibus omnibus, Dominus Theodericus Civitatis Papalis Episcopus aperuit os Domino Galerio Cardinali Anglico quantum ad electionem, & alia. Forma autem assignandi Titulum, est, quod Sanctitas Vestra recipit unum ex Anulis præparatis ad hoc, & immittit digito Cardinalis genuflexi, dicendo hæc, vel similia verba in effectu. *Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum Petri, & Pauli, & Sancti Laurentii committimus tibi Ecclesiam Sancti Laurentii cum Clero, & Populo, & Capitulis suis*. Et interdum additur: *secundùm formam, qua committi consuevit Cardinalibus, qui eamdem Ecclesiam pro tempore habuerunt. Jacobus &c.* Anno Domini 1288. Kal. Octobris in Consistorio Dominus Nicolaus IV. dixit, quod nolebat Fratres ligari aliqua Sententia Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti, vel hujusmodi, nisi nominatim fieret mentio; nec sufficeret, si diceretur in sententia Generali: *Et perinde valeant, ac si essent nominati expressè*. Semper quando dirigit sermonem Papa ad Cardinalem, dicendo aliquid; quasi debeant attente audire & familiariter ei aliquid dicere, consueverunt Cardinales in principio sermonis Papæ, vel dicti, biretum deponere; si dictum protenditur, reponunt. Quandocumque Papa, sive fuerit in publico, sive in Consistorio privato, vel alibi, vocat Cardinales *Fratres*, dicendo *mei*, vel *de Fratrum Consilio*, vel similia, & Domini Cardinales semper deponunt biretum cum caputio.

DE BONIFACIO IX.

Ex Codice MSto Vaticano.

BONIFACIUS IX. natione Neapolitanus, nobilis de Thomacellis, factus Papa Anno Domini Millesimo Trecentesimo Nonagesimo, sedit annis XIV. mensibus IX. Hic tempore Urbani Papæ venit Romam, quem dictus Urbanus primo fecit Acolytum, deinde Diaconum Cardinalem Sancti Gregorii ad Velum aureum; & in Luca fecit eum Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Anastasiæ; deinde incurrit ejus indignationem, & nisi dictus Urbanus morte præventus esset, eum Cappello privasset. Hic quinque annis vixit sine aliqua prosperitate, Viterbium perdidit, quod tenebat. Hic in prima sua ordinatione quinque Cardinales fecit, & duobus ab Urbano Prædecessore suo dejectis Cappellum restituit. Hic multum molestatus fuit à Romanis; nam plures Banderenses cum Populo armato ad Palatium venerunt, & de camera paramenti Papæ Canonicos Sancti Petri violenter traxerunt, qui in venditione Basilicæ Sancti Petri consentire nolebant. Papa demum vocatus à Nobilibus ivit Perusiam, & ibi sedit per annum; sed factâ concordiâ per eum inter Nobiles regentes, & Raspantes exititios, ambas partes pacificavit. Sed Raspantes fide mentita contra Nobiles surrexerunt, ex quibus unâ die octoginta sunt interfecti, ceteri verò fugati. Nocte sequenti Bonifacius Papa cum Cardinalibus Assisium fugit, demum Romanorum Legati cum aliqua subventione pecuniæ Romam Papam reduxerunt, ubi à Romanis honorifice susceptus est. Hic Papa ad recuperandum Terras Ecclesiæ, multas pecuniarum summas procuravit; nam anno suo primo Jubilæi ex offertorio & multis Indulgentiis multa millia pecuniarum accepit; (*) demum nullam promotionem Prælatorum fecit, ut quantam posset pecuniam caperet. Deinde, quia videbatur inhonestum, Constitutionem fecit, ut Prælati promovendi primos fructus Beneficiorum primò solverent; & sic Alamanniam, Angliam, & alias Provincias obedientes pro majori parte pecuniâ vacuavit. Finaliter

(*) Gobelinus Porsona aliique nimis credulè hanc labem extortæ per Indulgentias pecuniæ Bonifacio adscribunt, Lutherus vero inde invehendi in Sedem Apostolicam argumentum capit, sed crimen istud refundendum est in avaros Ministros Indulgentiarum mercaturam agentes, in quos acerrimè animadvertit Bonifacius edito Diplomate quod recitat Rainaldus ad an. 1390. Ipse vero de collectis anno Jubilæi pecuniis Ecclesias Romæ restauravit, teste Theodorico ipso à Niem: quod vero columna sequenti 831. de ejudem rapacitate, & simonia refertur, Spondanus ad an. 1389. prodiisse ait ex stomaco ulceroso memorati Theodorici à Niem;

liter Beneficia minora in Alamannia secundo & tertio in paucis diebus pro pecuniis dedit. Ex qua re Prælati Angliæ, ut Beneficia minora à Papa non impetrarentur, Constitutionem fecerunt. Dictus Papa non signavit supplicationem, quin ad minus Ducatum reciperet. Multùm ditavit omnes consanguineos suos, & maxime matrem & fratres. Regnum Apuliæ restituit Ladislao filio Regis Caroli, per Urbanum Prædecessorem suum privati. Coronavit dictum Ladislaum, qui solùm Civitatem Gajetanam tenebat, manu Cardinalis Florentini, quem Gajetam Legatum cum gentibus armorum misit. Recuperavit Civitatem Neapolitanam, & in pluribus annis subsidio pecuniarum dicti Papæ idem Ladislaus quasi omnes Provincias Regni recuperavit, & adversarium convertit in fugam. Demum idem Ladislaus subventione prædicti Bonifacii Papæ vocatus ab Hungaria ivit in Sclavoniam, & accepit, Legato misso dicto Cardinali Florentino. Demum tractatus de rebellione in Regno Neapolitano detectus est. Ex qua re Rex demissâ Sclavoniâ in Apuliam redit, & captivatis pluribus Comitibus, & Dominis, Dominum Sancti Severini violenter interfecit. Deinde Rex ad exterminium omnium Dominorum Regni Neapolitani convertit animum, & multos expulit & destruxit. Convertit etiam animum ad habendum omnia fortilitia Regni, & etiam Prælatorum, & gravia onera pecuniarum omnibus subditis imposuit & extorsit. Bonifacius Papa prædictus habuit hostem magnum Ducem Mediolanensem de domo Vicecomitum, filium Domini Galeatii, & nepotem Domini Barnabois, qui Dux totam Lombardiam occupavit, & magnam partem de Terris Ecclesiæ, Perusium, & Bononiam. Dictus Dominus Papa post obitum præfati Ducis Bononiam, Perusium, & omnes Terras Ecclesiæ integre recuperavit; finaliter Romam, & Campaniam sub dominio suo subjugavit; & tota Italia eum timebat. Leodienses tempore hujus Bonifacii se levarunt, in neutralitatem conversi. Dictus Bonifacius obiit in fine Septembris, & sepultus est in Basilica Sancti Petri in Cappella Beatorum Petri & Pauli. Dictus Bonifacius fecit etiam in secunda promotione Cardinalem Aquilegiensem tituli Sanctæ Cæciliæ, & Cardinalem Sancti Eustachii, quem contra filium Ducis prædicti Legatum misit, & recuperavit Bononiam obsidione, & pluribus annis Cardinalis Sancti Eustachii antedictus Bononiam tenuit, Faventiam, & Forlivium. Anno V. Bonifacii Papæ mortuus est Antipapa dictus Clemens VII. Et factus est Antipapa Petrus de Luna Anticardinalis, vocatus Benedictus XIII. Qui misit Legatos suos Anno ultimo Bonifacii, eum de cessione requirens. Sed Bonifacius de cessione non contentus, proximis diebus decessit. Et Ambasciatores Antipapæ post decessum Bonifacii recedentes, in Castro Sancti Angeli captivati sunt, & Castellano quinque millia Florenorum pro redemtione dederunt.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem, e Codice MSto Patavino.

BONIFACIUS IX. natione Neapolitanus, prius vocatus Petrus Thomacellus post mortem Domini Urbani Romæ concorditer eligitur in Papam Anno Domini MCCCLXXXIX. die secundâ Novembris; dum esset adhuc satis juvenis, annorum circiter XXX. sedit annos XIV. menses XI. Hic postquam ad Pontificatum assumtus est, in alterum virum est penitus mutatus; moribus enim & vitâ vivebat ut senex, & etiam continentis vitæ in Papatu fuit, ut numquam sinistrum aliquid de ejus vita prodiret in publicum. Magnanimus & alti cordis, & qui primus de multis prædecessoribus suis habuit dominium Urbis Romæ, quæ ante per Populum Romanum regebatur, & per multa tempora per summos Pontifices desierat gubernari. Verùm quum stipatus esset ampla & nobili familia, matris videlicet, fratrum, & nepotum, multa per manus, vel suggestionem fiebant eorum, qui hujus Domini famam aliquantisper denigrabant. Invaluit enim per hanc occasionem Simoniaca pravitas tempore suo, & plenariæ Indulgentiæ ad quæstum omnibus fere pœnitentibus dabantur, ita ut ex eorum numerositate vilesceret Clavium auctoritas, opusque fuerit, ut Bonifaciusmet illas revocaret: quibus revocatis iterum eas concedere aggressus est. Creavit hic summus Pontifex in Regem Siciliæ Ladislaum de Durachio filium Caroli Regis Hungariæ, quem Urbanus excommunicaverat, multosque sibi favores præstitit ad Regnuu illud acquirendum & manutenendum. Multos de sanguine suo exaltavit in dominio temporali, duos fratres suos præ ceteris, quorum unum, Marchionem Marchiæ, alium Ducem Spoletanum constituit, qui omnes sicut Domino disponente placuit, ad magnam inopiam postea redacti sunt, & per Dominum Regem Ladislaum de Regno Siciliæ pulsi. Ordinationes plures nonnullorum Cardinalium fecit, inter quos Dominum Baldassarem Cossam Neapolitanum natione, Cubicularium suum, assumsit, qui postea Johannes XXIII. dictus fuit. Hujus tempore Clemens VII. sic in sua obedientia nuncupatus, moritur in Avinione, & à Cardinalibus, qui ibi erant, creatus est Dominus Petrus de Luna, qui Benedictus XIII. nominari voluit. Homo certe elegantissimus, & excepto schismate, exemplaris vitæ, & magnæ commendationis, eminentisque scientiæ, de quo aliquid infra dicetur. Moritur autem Bonifacius Romæ, ex dolore iliorum, & in Ecclesia Beati Petri in Vaticano sepelitur. Ante tamen creationem Benedicti XIII. & similiter ante creationem Innocentii VII. Cardinales utriusque collegii ad evitandam infamiam, ne in schismate tollendo ducerentur negligentes, dum essent in Conclavi, fecerunt juramenta & promissiones, quibus se astringebant prosequi unionem Ecclesiæ, & Dominus Petrus de Luna juravit procedere in forma, de qua infra.

DE INNOCENTIO VII.

Ex Codice MSto Vaticano.

INNOCENTIUS VII. natione Sulmontinus, factus Papa Anno Domini MCCCCIV. die XVII. Octobris, sedit annis duobus. Hic tempore Urbani Papæ VI. factus est Clericus Cameræ: demum factus in Anglia Collector annis decem, reversus est in Italiam, & idem Urbanus fecit eum Archiepiscopum Ravennatem, deinde Episcopum Bononiensem, reservato sibi Archiepiscopatu in Commendam. Post obitum Urbani Papæ remansit Vicecamerarius, & ad custodiam Conclavis. Et

A Et quum electus fuit Bonifacius IX. in prima promotione fecit eum Cardinalem Bononiensem tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem. Hic Innocentius dum Cardinalis esset, fuit magnæ reputationis; moribus & scientiâ fulgens, dilectus à Dominis temporalibus, & Cortesanis, & maxime à Bonifacio Papa, cui omnia gravia committebat. Et finaliter Bonifacius Papa calculi infirmitate gravatus Consistorium sibi commisit publicum, & omnem potestatem causarum. Hic Innocentius quotidie in Cardinalatu celebravit jejunium & eleemosynas, & multa bona fecit. Hic etiam in Cardinalatu nepotem suum manu Bonifacii Prædecessoris sui in Archiepiscopatu Ravennatensi promovit. B Hic tantæ reputationis fuit in omnibus, quod à Principibus Populi, & Cortesanis futurus Papa diceretur, & optabatur. Factus Papa Romam rebellem & Britanniam reperit tempore obitus Prædecessoris sui, & fuit principium multarum tribulationum toto tempore sui Papatus. Supervenit etiam Rex Ladislaus sub simulatione pacificandi Papam cum Romanis, sed oppositum fecit; nam Papa suscepit inimicum pro hospite in Palatio, & in Burgo Sancti Petri gentes suas, primò licentiato Mustardâ stipendiario suo cum gentibus suis, ut rediret Viterbium. Deinde Rex honeste Papam captivavit, & compulit eum dare sibi in Vicariatum Campaniam, & Maritimam: quod & ipse fecit. C Deinde Rex petitâ licentiâ à Papa recessit, & faciens iter per Pontem mollem simulans ire Neapolim, intravit Urbem per Pontem ad Portam de Populo. Fecit ibi unum Militem, qui vocatus est Miles Libertatis. Animavit partem Columnensium, qui regebant & tenebant Capitolium, ut perseverarent contra Papam, deinde recessit. Demum dicti regentes nimiùm infesti Papæ fuerunt; mane & sero Papam in petitionibus & multis inhonestis molestabant. Capitula petebant à Papa, & obtenta non servabant, & quæ faciebant de sero, de mane revocabant. Quilibet petebat suum consanguineum Cardinalem; & deductis hinc inde negotiis, Barræ levatæ sunt, & pax facta est. D Papa deinde accepit Coronam, & iterum tumultus & infestatio Romanorum secuta est per plures menses. Deinde Papa fecit creationem Cardinalium numero XI. Ex quibus fecit quinque Romanos, unum de Ursinis, unum de Columna, & tres de Populo, placare credens Romanos. Sed ex inde facti sunt infestiores, nam tractarunt eum capere. Et primò expugnaverunt Pontem Mollem, sed primo impetu repulsi sunt. Demum ordinaverunt naves & funes ad transeundum Tiberim, ut nocte caperent Papam; sed Deus omnipotens non permisit. Nam Ludovicus nepos suus, qui cum Mustarda & multis gentibus in succursum Papæ venerant, videns insidias XI. E majoris regiminis Romanorum, qui à Papa recesserant, & eum diffidaverant, in Burgo Sancti Petri prope Sanctum Spiritum cepit; ductos deinde in Palatio Hospitalis omnes manu mactavit propria, & per fenestras projecit. Papa hoc sentiens, timens Romanos, rebus omnibus mobilibus dimissis, die VI. Augusti cum omnibus Cardinalibus & magna parte Cortesanorum fugam petiit, & Viterbium ivit. Deinde gentes Regis Ladislai intrantes per Portam Sancti Angeli, quod Castrum ad instantiam Regis tenebatur, per illos de Regione Pontis derobatæ & expulsæ fuerunt: ex qua re Populus Romanus timens derobationem, insurrexit contra Regem, & expulit partem regentium. Miserunt ad Dominum Papam pro succursu, qui statim misit eis gentes multas, Paulo de Ursinis, & Mustarda Capitaneis. Qui primo impetu Johannem de Columna adhuc in Palatio Apostolico existentem expulerunt, pluribus ex suis captivatis. Deinde Romani obsederunt Castrum Sancti Angeli, & miserunt pro Papa, & plenum dominium dederunt, clavibus portarum amissis. Deinde Papa post sex menses Romam rediit cum tanto honore & gaudio Romanorum, quod de simili lætitia memoria non existit. Papa deinde Castrum Sancti Angeli oppugnavit, & in obsidione perseveravit; deinde Castrum Leonis de Sabellis oppugnavit, vi cepit, & diruit. Rex multis gentibus Campaniam, & Maritimam munivit, & post processum & privationem Regni, quam Papa publicavit, pacem petiit licet fictam; Castrum Sancti Angeli, quod in extremis victualium laborabat, restituit; multa Ludovico & Paulo prædictis promisit existentibus Neapoli, quæ postea non observavit. Papa in creatione Cardinalium nepotem suum Archiepiscopum Ravennatensem tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinalem, & Ludovicum prædictum Marchiæ Marchionem fecit, & Dominum Leonardum de Sulmonia Camerarium Ecclesiæ fecit. Iste Camerarius ita exosus Curiæ factus est, avaritia, ebrietate, & aliis vitiis notatus, ut famam Innocentii præteritam detraxerit. Et in fine non minus Innocentius, quàm Camerarius, exosus fuit. Mortuus est Innocentius VII. die . . . . . Novembris, & sepultus est in Basilica Sancti Petri in Cappella Beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Innocentius ante assumtionem suam simul cum aliis Cardinalibus quum procuraret unionem, & usque ad cessionem promisisset, Legati Regis Franciæ & studii Parisiensis ad eum in Viterbio pro unione venerunt, & eos verbis & Bullis satis contentos remisit; sed morte præventus Ecclesiam dimisit in schismate, non sine sui infamia.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem, e Codice MSto Patavino.

INNOCENTIUS VII. natione Sulmonensis, vocatus Dominus Cosmatus, Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis, post mortem Domini Bonifacii, Romæ creatur in Papam Anno Domini MCCCCIV. die XVII. Octobris. Hic Cardinalis, eximius vir, admodum continentis vitæ habitus est, & suorum prædecessorum notans negligentiam, quod schisma in Ecclesia introductum exstirpare neglexissent, assumtus ad Pontificatum, quum omnes crederent hunc esse, per cujus operam, & diligentiam pax daretur Ecclesiæ: ipse in hoc Urbani, & Bonifacii sectatus vestigia, non solùm unionis negotium prosecutus non exstitit, sed ægre satis ferebat de re illa sibi fieri verbum. Dum autem Romanus Populus graviter pateretur scissuram, & requisitus aliquando de unienda Ecclesia à Rege Franciæ: per suos Oratores zelo hujusmodi ducti elegerunt XII. ex præstantibus civibus Romanis, qui supplicarent humiliter Domino Innocentio, quatenus hoc negotium unionis aggrederetur, adducentes in medium rationes, quibus ad hoc sanctum opus intendere debebat.

tat. Innocentius legatione hac audita, satis bene pro tempore respondens, eos à se dimisit. Dum verò rediret domum, & transiret ante Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, ubi hospitatus erat Dominus Ludovicus nepos ejusdem Domini Innocentii, vocari ad se fecit omnes illos cives, quos sigillatim unum post alium trucidari mandavit, & corpora de fenestris in terram præcipitari jussit. Propter quod horribile facinus in cives Romanos perpetratum, Populus Romanus in iram & furorem versus, arma recepit. (*) Ejus occasione Papa una cum Cardinalibus magna cum festinantia Urbe exire compulsus est, & concito gressu in Viterbio se recipere. Multi tamen Curiales deprædati, multi etiam in domibus quorumdam Cardinalium Romanorum salvati. Aufugit etiam nepos ejus Ludovicus à facie Romanorum, qui ulcisci parabant tot electorum civium mortem, crudeliter & inique, & sine caussa occisorum.

Innocentius in Viterbio existens concordiam tamdem cum Romanis firmavit, ita ut Romam redire non dubitaret; ubi unam ordinationem plurium Cardinalium electissimorum fecit, inter quos creavit Dominum Angelum Corrarium natione Venetum tituli Sancti Marci, qui postea ei successit in Papatu, Dominum Petrum Philargi natione Cretensem, Basilicæ XII. Apostolorum Cardinalem, qui postea Alexander V. exstitit nominatus; Odonem de Columna natione Campanum de principibus Urbis Sancti Georgii Cardinalem, qui postea Martinus V. dictus est. Fertur, hunc Innocentium in moribus placidum & valde affabilem exstitisse, qui etiam magnus Juris interpres habitus, & paucos in Sede Petri post Innocentium IV. exstitisse, qui in Consistorio publico ita promte & recte de jure responderit. Nepotem suum Dominum Ludovicum prædictum Marchionem Marchiæ Anconitanæ, & Principem Firmanum constituit, qui multo tempore Marchiam gubernavit; & tamdem infirmans caritate se nutrivit, ubi vitam mutavit, & in pace mortuus est ex apoplexia. Demum Romæ moritur Innocentius, Pontificatus sui anno II. & in Ecclesia Sancti Petri sepelitur, in Cappella, quæ Pontificum nominatur.

Quum sic schisma protraheretur in longius, Principes Galliarum, Duces videlicet Bituricensis, Burgundiæ, & Aurelianensis, qui Regnum Franciæ gubernabant propter infirmitatem Regis Franciæ, hujus jam inveterati schismatis tœdio affecti, personaliter venerunt Avinionem ad Dominum Petrum de Luna, Benedictum XIII. nuncupatum in sua obedientia, qui ibi tunc cum sua Curia morabatur, supplicantes nomine Regis Franciæ, & suo pariter, ut per omnem viam possibilem, & usque ad cessionem Papatus inclusive, prout promiserat, & juraverat in Conclavi, daret pacem Ecclesiæ, quoniam hoc maxime ad suum officium facere pertinebat, & ne diceretur juramenti transgressor; & non minùs ad eos pertinebat, qui Catholici Principes erant, hoc procurare nomine Christianissimi Regis, ipso Domino Benedicto in partibus Galliarum potissime commoranti, parati etiam erant requirere contendentem secum de Papatu ad similem effectum, sicut & per solennes Oratores nomine Regis Franciæ requisiverunt. Quod dicto Domino Benedicto Principes prædicti persuadere minime potuerunt, allegans graviter se Deum offendere

A putare, si sic Ecclesiam Dei, cui se sponsum affirmabat, desereret ad preces cujuscumque; quum de justitia Papatus sui Rex & Principes ipsi minime haberent dubitare, quodque Ecclesiam Dei poneret in periculo, si ipso renuntiante, alter vero cum eo contendens renuntiare recusaret, vel renuntiatio fieret in loco non libero; & multa hujusmodi; dansque ipse alias vias, & media, propter quæ secundùm eum ad unionem poterat perveniri; & tamen caussam semper asserens, quòd quando haberet certitudinem, quòd per suam, & contendentis renuntiationem daretur pax Ecclesiæ per unius Summi Pontificis assumtionem, ipse etiam, ut tantum bonum sequeretur in Ecclesia, renun-

B tiare non recusaret. Et ad hunc effectum promiserat & juraverat, & non aliter; Sed hæc via admodum sibi impossibilis videbatur. Ii autem Principes intellecta intentione Domini Benedicti, & percipientes eum velle in suo proposito permanere, cogitaverunt, quomodo viâ facti possent dictum Benedictum ad hoc adducere; unde ipse suspirans, ne qua sibi violentia inferretur, munivit se in palatio Avinionensi, in quo per aliquot menses obsessus fuit; & tamdem paratis Galeis in Rhodano, de palatio clam aufugit, & in Cataloniam, unde oriundus erat, se transtulit. Referunt quidam, duos Cardinales Gallicos odio habentes Dominum Benedictum, pro eo quòd erat alterius nationis

C quàm Gallicæ, & qui inter se de uno Gallico post mortem Clementis VII. non potuerunt concordare, propterea in istum convenerunt, & non bene ferentes mores suos, quum esset homo contentiosus, & simoniacæ pravitatis maximus persecutor, moribus gravis, & continentissimæ vitæ, solicitasse hos Galliarum Principes ad hanc requisitionem & infestationem. Ex alia parte Cardinales, qui remanserant post mortem Domini Innocentii VII. videntes negligentiam horum Pontificum in tollendo dissidio, & quod Ecclesia periclitabatur in tam diutina divisione, attentis etiam requisitionibus multorum Regum, & Principum, qui contendentes de Papatu, & utrumque Collegium solici-

D taverunt ad remedia, per quæ schisma tolli posset; congregati, & in unum convenientes in Conclavi Romæ in palatio Sancti Petri pro negotio electionis unius Summi Pontificis, qui jam supradicto Innocentio succederet, Anno Domini MCCCCVI. indictione XIV. mense Novembri, ibi Deo, & omnibus Sanctis ejus voverunt, & invicem unus alteri juraverunt & promiserunt, ut si quis eorum assumeretur in Papam, renuntiaret suo juri, & Papatui pure, libere, & simpliciter, si & quando Antipapa, qui est, & qui erit pro tempore, consimiliter renuntiabit, & cedet suo prætenso juri, & Papatui, sive decedat; dummodo etiam Cardinales ejus velint sic convenire, quod ex ambobus

E Collegiis sequatur electio unius Summi Pontificis, & indubitati: Et pari modo promiserunt, & juraverunt, se curaturos, & facturos eamdem promissionem fieri per eum, qui de intra Collegium, vel fortè de extra Collegium eligeretur in Papam; infra mensem à die suæ inthronizationis per suas patentes literas dirigendas Imperatori, seu Regi Francorum, Antipapæ, & Anticardinalibus, & aliis Principibus Mundi, Prælatis, Universitatibus, & aliis secundùm videre Dominorum Cardinalium; quodque se offerret ad omnem aliam viam rationabilem,

(*) Inscio prorsus, immo etiam dolente Pontifice, nefas hoc fuisse commissum ab ejusdem nepote testantur Leonardus Aretinus præsens tunc temporis Romæ, et Theod a Niem legendi apud Rainaldum ad an. 1405. n. 7.

bilem, per quam prædictum schisma tolleretur. Et ultra præmissa intra tres menses à die inthronizationis suæ in antea computandos, suos destinabit Oratores ad eos, de quibus prædicto Collegio videbitur, cum plena potestate conveniendi de loco decenti ad implendum & exsequendum præmissa; & quod non creabit Cardinales de novo, nisi fortè ad æquandum nu merum Cardinalium alterius Collegii. Hocque intimabit Antipapæ, & Anticardinalibus suis, ut ipsi similiter faciant. Quodque post electionem confirmabit omnia supradicta authentico modo, & de novo, & similem faciet promissionem coram omnibus Cardinalibus de Collegio, Notario, & testibus ad hoc vocatis; & manu propria similem faciet subscriptionem. Quodque etiam in primo publico Consistorio hoc inter se voverunt, & juraverunt, se fortiter adstringendo ad prosequendum unionem Ecclesiæ creato summo Pontifice, etiam se propriis manibus subscribendo. Anno verò Domini MCCCCVI. die XXX. mensis prædicti elegerunt Dominum Angelum Corrario tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem, Patriarcham Constantinopolitanum, natione Venetum, qui vocari voluit Gregorius XII.

DE GREGORIO XII.
Ex Codice MSto Vaticano.

GREGORIUS XII. natione Venetus de Corrariis, primò Angelus vocatus, factus est Papa Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexto de mense Decembris. Hic tempore Bonifacii IX. erat Episcopus Castelli in Venetiis. Tantùm dominium Venetorum eum odio habuit, quòd diu procuravit de Episcopatu privari. Et quia Innocentius VII. dum esset Cardinalis Bononiensis, credens eum virum esse bonum, institit tantùm cum Bonifacio prædicto, qui eum privare volebat ad instantiam Venetorum, quòd eum transtulit ad Patriarchatum Constantinopolitanum. Demum, procurante Innocentio, Episcopatum de Nigro ponte habuit in commendam. Deinde venit Romam; sæpe Dominum Innocentium tunc Cardinalem frequentabat; & dictus Innocentius eum honorifice recipiebat, & commendabat. Pluries procuravit, ut Bonifacius eum in Cardinalem assumeret: quod omnino recusavit, immo odio eum habuit, & quemdam equum album, quem equitabat, recipi sibi fecit. Mortuo Bonifacio Innocentius adhuc Cardinalis, ut dictus Patriarcha Constantinopolitanus in Conclavi eligeretur, effecit. Innocentius factus Papa fecit eum Referendarium assistentem, & socium in Palatio. Post paucos menses in Marchia eum Rectorem misit; demum unà cum aliis promotis fecit eum tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem; deinde Legationem in dicta Marchia dedit. Factus Legatus quoddam Castrum in Marchia expugnavit, ubi sua culpa quadraginta homines interfecti sunt; deinde revocatus ab Innocentio venit Romam. Videbatur homo sanctissimæ vitæ. Homo staturâ magnus, sed ita macer & squallidus, & senex erat, quod solùm spiritus cum ossibus & pelle apparebat. Magister in Theologia sæpe in sermonibus publicis delectabatur. Mortuo Innocentio, Cardinales existentes in Conclavi, de delendo Schisma omnes pariter promiserunt; intrarunt simul, & voverunt, ut si quis eorum esset Papa, infra

A duos menses Legatos ad Antipapam mitteret pro unione fienda, & quantocius cum eodem conveniri posset, Papatum resignaret, & infra quindecim menses omnia solicite faceret; nec pendente tractatu novos crearet Cardinales, & pure omnia solicitè faceret ad fiendam unionem, & à promissis numquam absolvi peteret. De his facta sunt publica Instrumenta. Factus Papa, & post paucos dies coronatus, fecit primum publicum Consistorium, ubi sermonem diffusum fecit, & contenta in Instrumento in eodem sermone ore proprio alta voce iterum de novo omnipotenti Deo sponte promisit, juravit, & vovit, & Instrumentum prædictum in eodem Consistorio statui, legi,

B & publicari fecit: qua ex re tantum gaudium fuit, ut Curia, Cortesani, & omnes, qui audierunt, cœperint exsultare, & post paucos menses pacem & unionem in Ecclesia Dei videre crediderint; & omnes dignis laudibus eum extollebant ad cœlum. Post verò paucos dies Nepotem Dominum Antonium cum consocio ad Antipapam mittere deliberavit, recusato primò Malatestâ de Pensauro, qui personaliter suis expensis cum quadraginta equis iturum se obtulit. Tardavit etiam Legationem mittere ad diem ultimum duorum mensium, quod jam de promissis pœniteret: quæ magnam suspicionem dederunt quamplurimis. Interim Ladislaus Rex ad Papam Legationem misit,

C quæ, ut apparuit postea, confirmavit, & ab unione fienda omnino animum ejus revocavit: unde sæva persequutio in Prælatos obedientes facta est. Rex omnia fortilitia, & majorem partem fructuum Prælatorum accepit in Regno. Papa verò communia servitia, nova, antiqua, & antiquissima, ut Prælati solverent in brevibus mensibus sub pœna privationis mandavit. Et quia Prælati longo tempore guerrarum nimis depauperati erant, querelas lamentabiles proposuerunt, & omnes impotentiam ostenderunt in publicum. Papa verò magis sæviens in Prælatos, neque misericordiâ, neque caritate repertâ, amicos & consanguineos gravare pergebat: quare argentum sacrum Eccle-

D siarum & paramenta vendere, ut illa redimerent, compulsi sunt. Ex qua re Papa multam pecuniam extorsit, cum qua splendide & opulenter cum magna familia sua, & nepotum comitiva, in Palatio vixit. Plus in Zucaro consumebat, quàm sui Prædecessores in victu & vestitu. Post paucos menses sui seculares nepotes in omnes lascivias sunt conversi, & pompam equorum, & magnæ familiæ, in quorum victum pecunias Thesauri, & fructus consignavit. (*) Hic Papa etiam animum in nimiam ingratitudinem convertit, immemor Prædecessoris sui beneficiorum; nam familiam dicti Prædecessoris, & nepotem ex nimia paupertate exire Curiam compulit. Ludovicum

E alium nepotem officio Marchiæ privavit. Camerarium, licèt suis demeritis exosus Cardinalibus & toti Curiæ esset, in paucis diebus post sui assumtionem animose privavit, & Domino Antonio prædicto nepoti suo contulit; ceteram familiam de officiis & Palatio privavit & expulit. Papa quum audivit, nepotem acceptasse Saoniam de obedientia Antipapæ pro loco communi, ostendit displicentiam; sed nepos reversus cum Galeis Januensium, fecit sermonem in publico, & dixit quod pro meliori locum Saoniæ acceptaverat, & in secreto

(*) Male admodum loquitur de hoc Summo Pontifice auctor ejusdem Vitæ, damnans eum hic & alibi sævitiæ in Prælatos, avaritiæ, luxus, protractæ per subdolas tergiversationes unionis Ecclesiæ &c. cum tamen S. Antoninus eum appellet *Virum sanctum*, & propter summam in adversis constantiam Sancto Stephano Martyri comparet, teste Francisco Pag. T. IV. p. 420.

A to Papæ rationem diceret. Papa nepotem libenter audivit, & post paucos dies eum Camerarium fecit. Papa recepit Ambasciatores Januensium, qui Civitatem, & omnem eorum potentiam obtulerunt. Papa acceptavit, & eos remisit. Papa habens suspectum Castellanum Castri Sancti Angeli, mutavit, & alium nomine suo substituit. Post hæc gentes Regis Ladislai, Barones etiam exercitus Romani per Portam Sancti Laurentii nocte intraverunt; sed per Paulum de Ursinis repulsi sunt. Et Johannes de Columna, & Dominus Nicolaus de Columna, Jacobus de Nepis Miles Libertatis, Ricardus de Sanguineis, isti postea in Capitolio decapitati sunt, & multi alii exiti-
B tii Romani capti sunt à Paulo. Papa sentiens, timorem simulans, nocte ad Castrum Sancti Angeli confugit; demum Paulus de Ursinis prædictos captivos pecuniâ relaxavit. Deinde Legati Regis Franciæ, & Antipapæ, Romam venerunt, & Capitula de loco electo firmando & tempore portaverunt. Papa aliqua Capitula acceptavit, & aliqua recusavit; Papa vexatione Pauli prædicti, qui petebat stipendium, de mense Augusti recedens de Roma ivit Viterbium, deinde Senas, ubi residentiam fecit. Et iterum Antipapæ, & Regis Franciæ Legati Senas venerunt, annuntiando Papam per multos Sermones, ut ad unionem veniret. Papa verò plures menses deduxit tergiversa-
C tionibus; finaliter locum Saonæ tamquam suspectum omnino recusavit. Demum tractatum fuit de Luca, & Petrasancta; & firmavit ire Petramsanctam, & Antipapa ad Portum-veneris. Papa volebat fortilicia Petræsanctæ, & aliqua fortilicia Lucana; & plures menses deducti sunt in altercatione cum Domino Lucano. Hæc gesta sunt anno primo dicti Papæ.

Postmodum verò Ambasciatores Venetiarum Senis super venerunt, animantes Papam ad unionem & ad iter. Etiam Ambassiatores Regis Franciæ, Antipapæ, & Domini Lucani, ut Papa moveretur ad iter, solicitis studiis procurabant. Papa quasi duos menses anni secundi tali altercatione consumsit. Fina-
D liter in fine Januarii de Senis recedens Lucam ivit. Demum Cardinales, Ambassiatores Franciæ, & Antipapæ, ac Ambasciatores Venetorum, & Florentinorum diebus singulis, ut Papa se Antipapæ jungeret, solicitabant. Hinc Ambasciatores currebant pro tanto bono de Papa ad Antipapam, & de Antipapa ad Papam, non parcentes laboribus & expensis. Erat autem cum Collegio Antipapa Sarezanæ; Papa, simili modo ut Senis, plures menses altercatione consumsit. Ac tamdem Ambasciatores Antipapæ cum Papa convenerunt, quod petitiones & relationes fiebant in publico, nec stabant verbis hinc inde, nisi dicta darentur in scriptis. Multa loca pro conventione
E nominata sunt, Petra-sancta, Laventia, Motrone, Portus Liburni, & Civitas Pisarum. Cardinales & Ambasciatores omni cumulo laborum non laxabantur, Papam rogabant, infestabant, solicitabant, & molestabant horis congruis & incongruis, in publico & in privato, in Palatio & in Ecclesia. Curia tota, & Cortisani in animo torquebantur, depauperabantur; & spes, quæ differebatur, eos affligebat; & ad tantum venerunt, quod quidam sermocinator Lucanus in Ecclesia in celebratione Missarum Papam honeste, & demum ardue de perjurio, fide mentita, & voto fracto redarguit. Papa hoc tantùm molestum habuit, quod post Missam ipsum sermocinatorem carceravit, nutrimenta pluribus diebus prohibuit, excepto modico pane & aqua. Hoc nimiùm turbavit Curiam, & nisi Domini Lucani suis precibus mixtis suum Civem liberassent, tenebatur, quod idem sermocinator vitam in carceribus finiisset. Papa simulatione, & altercatione tot menses ita consumsit, quod Rex Ladislaus, ut Papa desiderabat, Romam obsedit. Populus Romanus ad defensionem Populi, & gentium armorum, post paucos dies Romam Regi tradidit. Intravit Rex per Portam Sancti Pauli, & ivit per Transtiberim ad Palatium Papæ, & ibidem residentiam fecit. Papa hoc sibi denuntiato per Nepotem primò, qui in Viterbio erat, demum per plures alios, assumsit animum, & verba mutavit; licentiavit Ambasciatores Antipapæ, ne de cetero de unione loquerentur; Cardinalibus sub pœna eis inferenda mandavit, ne ad aliquem locum privatum cum Ambasciatoribus Antipapæ per se consilia facerent. Demum in medio Quadragesimæ Papa ad novos Cardinales faciendos convertit animum. Cardinales verò diem præfixam præscientes, ad Palatium & Consistorium ire recusarunt. Papa exiens ad Consistorium, nullum Cardinalem invenit, & sciens caussam Cardinales rogavit per alium, ut solùm in Nepotem consentirent: qui omnino recusarunt. Sed factâ reconciliatione Papa promisit in illa Quadragesima de novis Cardinalibus non tractare. Deinde Cardinales Palatium frequentarunt. Post octavam Paschæ Papa simulans aliam promotionem facere, Consistorium fecit, & quum incœpisset novos Cardinales pronuntiare, omnes de Collegio pariter surrexerunt, & turbati de Consistorio recesserunt, & repererunt portam clausam cum magna custodia; sed post parum portam Palatii exierunt, Familiâ Papæ & Cardinalium tumultuante. Papa post paucos dies quartâ feriâ vocatis Prælatis Curiæ sine Cardinalibus, Cardinales novos pronuntiavit quatuor. Antiqui verò Cardinales turbati consilio habito deliberarunt discedere; & secunda die post dictam creationem Cardinalis Leodiensis simulato habitu portam Lucanam exiens ad Castrum Libræ fractæ Pisani territorii horâ Tertiarum applicuit. Nepos Papæ hoc sentiens, cum suis armigeris familiam, quæ postea Cardinalem sequebatur, persecutus est; aliquos derobavit in territorio Libræ-fractæ, & domum Cardinalis in Luca etiam derobavit. Sentiens hæc Lucanus Dominus, quod in territorio Pisano derobatus fuerat, Florentinos timuit, & eadem die familiam dicti Nepotis captivavit. Eadem die alii sex de Collegio Cardinales ad Dominum Lucanum iverunt, & obtentâ licentiâ, & salvo conducto, cum equis, familia, & rebus de Luca recesserunt, & ad Castrum Libræ fractæ venerunt. Et die sequenti XII. Maji omnes VII. cum honore Pisas venerunt, exceptis tribus, qui ex infirmitate in Luca manserunt. Papa vero istis non obstantibus die XIII. Maji in Consistorio sermonem cum lacrymis fecit, & Capellos novis Cardinalibus tradidit. Sed Cardinales antiqui, qui remanserunt, numquam consenserunt, nec ad Palatium iverunt de cetero. Hæc gesta sunt per Dominum Papam Anno secundo, mense tertio. Eodem tempore visa sunt prodigia in Tuscia; nam in Oppido Pisciæ Lucanæ diœcesis natus est puer habens caput Asini, & cum

cum uno oculo. Deinde Papa recessit de Luca, & ivit Senas, & ibi alios plures Cardinales creavit. Isto medio Cardinalis Petrus de Luna, qui erat in Civitate Saonensi, simulato modo visus est velle tractare concordiam cum Dominis Cardinalibus, qui recesserant à Gregorio. Ambæ partes venerunt ad Castrum Liburni, quod est portus Pisarum, & ibi tractarunt de novo generali Concilio celebrando, quod postea in dicta Civitate Pisarum celebratum fuit. Duravit mensibus novem. Isto medio Gregorius Papa ivit Ariminum; & finaliter Concilium generale, in quo interfuit, & se univit Gallicana natio, dictum Gregorium privavit, & Petrum de Luna, de Papatu contendentes, & creatus fuit Alexander Papa V.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem e Codice MSto Patavino.

GREGORIUS ergo XII. statim post electionem suam idem votum, juramentum & promissionem fecit, pro ut superiùs continetur, præsentibus Cardinalibus, Notariis, & testibus subscriptis in singulis Instrumentis, quorum quilibet Cardinalis habebat unum. Subscriptio autem fuit hujusmodi: *Ego Gregorius XII. hodie ultimo Novembris MCCCCVI. assumtus in Romanum Pontificem, sicut præmittitur, juro, promitto, & confirmo omnia supradicta.* Deinde Dominus Gregorius dum prosequeretur juxta promissa & jurata ad finem unionis consequendæ, ipse & Dominus Benedictus tractaverunt de conveniendo in aliquo tuto loco, ubi ambo renuntiarent, & pax daretur Ecclesiæ. Nec potuerunt concordare; & juxta sententiam Cardinalium utriusque Collegii ad invicem colludebant, suggerentes implere promissa. Inde Cardinales utriusque obedientiæ Pisis convenientes, generale Concilium celebraverunt. Ibique formato processu contra ambos contendentes de Papatu sententialiter deposuerunt Dominum Benedictum & Dominum Gregorium. Ac in Papam postea elegerunt Dominum Petrum Philargi, Basilicæ duodecim Apostolorum Cardinalem, qui vocari voluit Alexander V. Cui adhæsit tota fere obedientia Domini Gregorii, paucissimis exceptis. Accessit etiam magna pars obedientiæ Domini Benedicti, exceptâ Hispaniâ citeriore & ulteriore, nec non Regno Scotiæ, & Comite Armeniaci, Dominus verò Gregorius se primùm Gajetam contulit. Postea in Civitate Austriæ, ubi Concilium generale convocavit. Sed quia parùm se ibi tutum reputavit, tamdem Ariminum accessit, ubi à Carolo Malatesta benignissime susceptus, ibi Curiam suam continuit. Benedictus verò post celebratum Concilium, in Perpinianum ad Castrum Paniscolæ Dertonensis diœcesis confugit, ubi diutissime moratus est. Feceruntque uterque ordinationes Cardinalium, & inter ceteros Dominus Gregorius, dum esset in Luca cum Cardinalibus, qui nondum recesserant ab eo, assumsit in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Dominum Gabrielem Condulmerium, qui postea Eugenius Papa IV. dictus est.

DE ALEXANDRO V.

E Codice MSto Vaticano.

ALEXANDER Papa Quintus natione Græcus de Insula Cretensi, cujus Genealogiam ignoravi, electus Anno Dñi MCCCCVIII. fuit Frater Minor, Magister in Theologia, in qua Libros composuit, & fuit primò vocatus Magister Petrus de Candia, Episcopus Vicentinus, demum Episcopus Novariensis, deinde Archiepiscopus Mediolanensis, & deinde Cardinalis appellatus & creatus per Innocentium VII. Iste recedens de Pisis ivit Pistorium, deinde Bononiam, & sedit mensibus IX. Bononiæ defunctus & sepultus in Ecclesia Fratrum Minorum.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem e Codice MSto Patavino.

ALEXANDER Quintus natione Græcus, de Ordine Fratrum Minorum, vir profecto altissimæ scientiæ, in Concilio Pisano assumtus est in Papam post depositionem Domini Gregorii, & Domini Benedicti, Anno Domini MCCCCVIII. Sedit mensibus VIII. Hic à pueritia sua Ordinis Minorum Frater effectus vacavit disciplinis liberalibus in Studio Parisiensi; & in sacra pagina Doctor subtilissimus evasit, ita ut super Libris Sententiarum elegantissime scriberet. Magnus sermocinator etiam ex tempore fuit, & longam ex multis auctoritatibus & sententiis orationem refertam sæpe texebat. Vocatus à Galeatio Principe Lombardiæ se cum eo habuit in consiliis; deinde Episcopus Vicentinus, postea Novariensis, deinde Archiepiscopus Mediolanensis creatus, procedente tempore à Domino Innocentio VII. factus est Cardinalis Basilicæ XII. Apostolorum, ac demum, ut dictum est, in Papam creatus fuit. Hic Pontifex re & nomine Alexander, omnium prædecessorum, qui multo tempore eum antecesserant, superasset liberalitatem, modò habuisset in facultatibus. Sed juxta statum Pontificalem pauper multum existens, dicere consueverat, se fuisse divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, & Papam mendicum. Hic Ladislaum Regem Siciliæ, approbante Pisano Concilio, Regno privavit, & jus dicti Regni Ludovico Duci Andegaviæ competere declaravit. Finito Concilio venit Bononiam, ubi Legationem tenebat Dominus Baldassar Cossa Cardinalis Sancti Eustachii, cujus auxilio fuerat Concilium prædictum congregatum; ubi quum aliquot mensibus moram traxisset, infirmatur. Ante ejus mortem, vocatis ad se Cardinalibus, ad eos sermonem habuit, proponens illud Salvatoris nostri verbum: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*; exhortans eos ad unitatem servandam, & protestans per eam mortem, quam se facturum continuò cognoscebat, credere ac tenere, rite & juridice omnia processisse in Concilio Pisano; ipsumque licèt indignum fore Christi Vicarium, rite & legitime ad apicem summi Apostolatus vocatum. Familiam suam Cardinalibus valde commendavit, affirmans, quod propter modicum temporis, quo fuerat in Papatu, non potuerat esse gratus his, qui sibi servierant; ipseque lacrymans etiam lacramantibus Cardinalibus eos benedixit; & paulo post Deo animam dedit. In Ecclesia Fratrum Minorum sepelitur.

E MSto

E MSto Codice Estensi.

Epitaphium Alexandri V. Papæ.

DIVUS ALEXANDER, CRETENSI ORIUNDUS AB ORA,
CLAUDITUR HOC SAXO, SUMMO VENERANDUS HONORE.
ANTEA PETRUS ERAT, SED CELSA SEDE POTITUS
QUINTUS ALEXANDER FIT, CEU SOL ORBE CORUSCANS,
RELLIGIONE MINOR, POST AD SUBLIME VOCATUS.

E Codice Vaticano ex tribus antiquis paginis cujusdam Diarii Gentilis Delphini ab Archivo Columna datis;

Ab Anno MCCCLXX. usque ad MCCCCX.

CON XVII. migliaria de cavalli venne a vedere Papa Urbano V., e lo Papa li donao la Rosa.

In nel MCCCLXXIII. venne lo Duca d'Angnone in nello Reame. Quando un homo stà con un gran Signore, e fa lo Mastro da casa, quello deve honorare l'antiquezza, e la virtute per suo honore, perchè queste due cose fa Dio, e non li homini. L'homo, che usa in Corte, deve udir molto, e responder poco; deve avere recchie de mercante, e grugno de porcello; e l'homo, che magna pane d'altri fora della casa, deve far ciò, che se li commanda, forche tre cose, furare, tradimento, e cosa che dispiaccia al Signore. La campagna fu fatta prima in Campagna, e perciò se chiama campagna, e fu fatta a campar la fatiga, che chiama li homini. L'homo che và ad imbasciata vole aver quattro cose, bona lengua, gran memoria, scientia, & audacia.

In nelli MCCCLXXX. fò sconfito lo gran Mastro de Rode dalli Albanesi tradito.

In nelli MCCCXLVIII. foro fatte le scale dello Aureocielo per Rienzo Symon, che foro guadagnate de elemosine fatte alla Imagine della nostra Donna, che stà nell' Auro Cielo cinquemila Fiorini, che fò la mortalità.

Papa Clemente fò lo primo Papa che giesse in Avignone, e fò dieci anni in nello Papato, e poi fò fatto Papa Janni, che durò XXII. anni; e poi fò Papa Clemente VI., e durao XI. anni; e poi fò Urbano V, e stette cinque anni in Avignone, e poi venne a Roma, e poi fò Papa Gregorio, e durao sei anni, e venne a Roma, e poi Papa Urbano VI. Dall'hora se comenzao lo schisma, e radusse a XXXIII. anni il Giubileo, & poi fò Bonifatio da Napoli. Dall'hora de questi doi Papi non è stata la Corte in Avignone. Messer Jacopo delli Papacciuni dello Rione de Treyo della Parrocchia de Sancto Marciello nacque delli MCCCXXXIII. In tempo suo sò stati lo Vescovo de Chieti, lo Vescovo de Tiano, & chiamao Messer Hamo, e lo figlio de Jannetta, e lo Arcivescovo de Patrasso. Li Baroni, che foro occisi in nella vita di Messer Jacovo Orsini, lo primo Bertollo, & lo Conte Francesco dell'Anguillara, e Messer Mattheo de Castella. Bandino de Campo de Fiore, Messer Raynaldo, & Joanni Orsino. Cola Orsino dallo Conte de Maleappello. Delli Savelleschi fò occiso Nuccio Saviello, Francesco Saviello dallo Frate Carnale. Zancha lo figlio, & Janni Savello fò annegato. Guglielmo in Campagna. Degli Aniballi Buccio Ballo alla battaglia di Messer Sciarra, & Matthia, & un suo Frate bastardo Janni Aniballo. Cecco Ballo lo Frate de Corrado de Antiochia. Messer Pietro dallo Quinato lo Perfetto, & lo figliolo dello Conte Francesco dell' Anguillara; Martino de Porto, Stephano non andao. Stephanuccio, & Janni della Colonna, & Pietro de Agubito, & Petruccio del Belvedere alla porta. Agabito Pauluccio della Colonna, Messer Diurta, Paolo de Liano, lo figlio di Messer Bartolomeo de Belvedere. Quanno Sancto Servestro consacrao la Chiesia de Laterano apparse per pregaria sua quello Servatore, che stao sopra la Tribuna della ditta Ecclesia in presentia de tutto lo Puopolo de Roma, & allhora fò fatta Capo de tutte le Chiesie dello Mundo, & dotaola de tutte le Indulgentie. Quanno Papa Bonifatio de Anagni delli Gaytani fò fatto a Napoli per la renuntiatione de Papa Celestino dell' Aquila, fò fatto nelli MCCLXXXV. del mese de Marzo, cacciao li regali della Chiesia. Et in quello anno cacciao li Monaci di San Benedetto dall' Aureo Cielo, e misceci li Frati Menori, che li tolse quattromila Fiorini, che volevano comprare Albano, & lo Papa nelli disse, *havete renuntiato lo Mundo, & volete le ricchezze*; & perciò li mise nell' Aureo Cielo. Quanno Papa Nicola de Casa Orsina fece Cardinale Messer Jacovo della Colonna, lo ditto Messer Jacovo si cacciò li Monaci Regolari de Sancto Sylviestro, & misence le Monache del Monte di Pellestrina, & ancora parlano queste quasi Pellestrinese.

Come in Roma jaco VII. Corpora de Apostoli.

IN Sancto Pietro jace Sancti Simone & Juda. In Sancto Paolo Sancti Philippo, & Jacovo Menore. In Sancta Maria Majur Sancto Matthia. In Sancto Pietro jace Sancti Pietro, & Paolo. In Sancto Bartolomeo dell' Isola lo Corpo suo.

In Roma jaco doi Dottori.

IN Sancto Pietro S. Greguorio. In Sancta Maria Majur Sancto Hyeronimo. La Porta de Sancto Jovanni, che se chiama la Porta Sancta v'entrao Sancto Sylviestro quanno consacrao quella Chiesia.

Item nelli MCCCC. fò privato lo Imperatore de Bohemia, & fò fatto uno de Casa de Baviera chiamato Ruberto Demeus.

Come Casa dello Prefietto fò de Casa de Cesari, e porta l'arma de Cesari l'Aquila bianca in campo rosso, & portaci li pani bianchi, perchè Roma li dava onni dì un pane per forno, & un petitto de vino per taverna, & onni die una testa di bestia de castrato in gio. Et così esso doveva tenere secure tutte le strade da Roma a Viterbo, e da Riete, e da Nargni, & chiunque era arrobbato, lo satisfacea esso. Casa Gaytana fò della Gaytanella in Campagna, & Papa Bonifatio la fece granne. Casa della Colonna fò della Magna, e fò lo Duca Stephano, che venne in ajuto de quelli da Toscolana con MDC. cavalli a Sancto Judicio, & commattero con Romani, & occiserne molti, & questo fò nelli MCXXXVII. La Contessa Emilia Donna de Pellestrina se lo pigliao per marito, e nacquene Messer' Oddo, & Messer Janni della Colonna. Casa de Vallemontone fò cacciata dallo Reame per li Gubellini, & vennero da quì colla parte dello Imperatore Corradino, che erano Conti de Sora. Lo Imperatore li dette l'arme cioè l'Aquila schaccata, e lo Puopolo de Roma li dette lo Campo roscio. Li Orsini foro da Spoleto de una Villa, che se chiama Orsa, e foro figli di Giordano de Lione Orsa, & Papa Nicola delli Orsini li fece granni. Li Savelleschi foro delli Fabii, & erano poveri homini &, non havevano si non un Casale. Et Messer Jacovo Resaro Canonico de Sancta Maria Scola Greca aveva una nipote molto bella, la quale lo nepote de Papa Nicola de Ascoli se la pigliò per moglie, & essa fece fare lo zio Cardinale, e fò nel Cardinalato anni XVII., & gio nella Magna, & guadagneo molte migliaria de Fiorini, & venne de quà, & comprao moite Castella, e puoi fò fatto Papa, & nelli aquistao più cobille alli suoi, ma fece quattro Monasterii cicè Sancto Alesso, & Salvatore de Sancta Malvina, & Sancto Paolo de Albano, & Sancto Pietro de Argentilla in Palombara.

Questo (*) *non è vero, perchè Papa Honorio IV. di Casa Savelli fu prima di Papa Nicola IV. de Ascoli, e li Savelli ebbero un' altro Papa un pezzo innanzi, e questo chiamato Honorio III.*

Li Capoccini foro dello Reame, & cacciati nelli anni MCXXXVII. in tempo dello Imperatore Corradino quanno li fu mozzo il capo per lo Re Carlo, & ebbero in Puglia trè Castella, & una Cittade, & vennero de quà in tempo de Papa Innocentio de' Conti, & feceli lo figlio Cardinale in Sancta Maria Majure, & comparao decquà lo ditto Cardinale Micomio Lamentana, e Grotta Manezza, & Sancto Angiolo, & Castello Arsione, & molti Casali.

In nelli MCCCXLI. fò laureato Messer Francesco Petrarca esaminato per lo Re Roberto in presentia dello Popolo de Roma, & foroli posta una Corona in capo per lode delli Poeta, e Messer Stephano in Sancto Apostolo diè a mangiare ad esso, & a tutti i Laureati levatori.

In nelli MCCCLXXXIII. fò una piena de acqua, che impienao tutti li Rioni de Roma, salvo lo Rione delli Monti, Treyo, e Campitiello, e durao doi dì, & una notte.

In nelli MCCCCIII. tempo de Papa Bonifatio fu refatto lo Castiello Sancto Angelo per lo ditto Papa, lo quale fò disfatto per li Romani quanno fò morto Papa Gregorio.

In nelli MCCCC . . . . . . foro privati doi Cardinali Messer Jacovo de Ravenna, & lo Cardinale de Riete, & non se trova, che mai fossero privati Cardinali se non questi, & doi altri della Colonna, cioè Messer Pietro, e Messer Jacovo.

In nelli MCDIV. morto Papa Bonifatio, & era Roma tutta sbarrata, e tenevasi lo Campitiello per lo Senatore fatto per Papa Bonifatio, e per li frati dello Papa, & tennese circa un mese, & li Baroni erano tutti in Roma, li Guelphi, & li Ghibellini, & Francesco Orsino gio con CCCC. cavalli, & CCC. Fanti da piede per soccorrere Campituoglio, & foro rotti nella Capecroce de Casa de Rossi, che non potiero passare per molti balestrieri, che stavano in casa dello Santo. Et in questo fò creato Papa Innocentio, & Romani non li volevano dare la libertà, ma volevano essere liberi, & introdussero Re Lanzilao a venir in Roma, lo quale venne con gran compagnia, & subito che intrao, foro levate le sbarre, e favellato in Sancto Pietro con lo Papa, lo quale li concesse lo Dominio di Maritima, e di Campagna per cinque anni, & concordao esso Papa con li Romani, & esso Papa non ebbe lo Dominio de Roma. Lo ditto Re Lanzilao prima che se partisse da Roma pigliao molte amicitie con li Romani, & fece molte provisioni, & molti sudduffe, & provisionao per suoi denari, & fece Cavalieri Messer Galeotto Normando, & chiamavesi lo Cavalieri della libertà, & poi certo tempo li fò tagliata la testa per suoi mali costumi, che tenne contra de Roma, e che disse in Consiglio, che voleva far manicare tutti li Romani alli Cani. Lo detto Papa Innocentio fò creato quello mese medesimo che morse Papa Bonifatio, & chiamavase Messer . . . . da Bologna.

In nelli MCCCCV. Ludovico de Migliorati nepote di Papa Innocentio VII. ammazzao con certi suoi famigli, & homini suoi certi Romani buoni Cittadini conservatori, & Capi Regioni in Sancto Spirito, & feceli giettare per le fenestre dello Palazzo, poiche se addussero ad annare a parlare ad esso, li quali aveva fatto chiamare li andassero a parlare; li quali occisi foro questi: Janni Palosio, Messer' Angilo delli Foschi de Berta delli Monti, Messer Gualtieri della Pigna, Jacobello de Jucciolo Ciavattano, Stefano dello Bufalo Cancellieri de Colonna, Tomasuozzo de Pavolo Stati de Sancto Stati, Scudo della Pigna, lo quale visse certi die, poiche fù gittato per la finestra. Consia de Parioni, & Janni de Nola de Sancto Angilo, & trè altri, & questo si fece, perche Romani non osservavano quello, che promettevano allo Papa, & allo detto Ludovico. Lo ditto Papa subito se ne mostrao essere mal contento, ma per paura delli Romani subito se ne fuggìo da Roma, & fò del mese de . . . . in granfretta, che alcuni se morivano de sete per la via, & menào lo Papa con esso più genti de arme, fra quali fò Ceccolino de Perofcia, lo quale per camino poco lontano dallo Papa ammazzao un' Abbate de Perofcia figlio di Simone de Cecco, lo quale s'era trovato ad occidere Bigordo fratello del detto Ciccolino.

* *Muratorius*. Hæc periodus habetur in margine Codicis.

no. Lo Papa se partie dopoi mezzo die, & gionse la sera a Cesano, e l'altro die a Sutrio, l'altro a Viterbo, e là restette con la Corte. Li Romani armata mano giero perseguitanno lo Papa, e li Cortesciani, che fuggiro, e fò messo a sacco lo Palazzo de Sancto Pietro con tutta Portica.

In nelli anni MCDVI. Re Lanzilao se scoperse a la Impresa de Roma, & ebbe con esso tutti li Baroni de Maritima, & Campagna con sue provisioni, & anche alcuni Cittadini delle Cittadi, & mannao lo Conte Troja con gente de arme in Campagna, & in Marini, & facevano alcuni danni, non *tamen* che al tutto si scoprissero ad guerriare. Poi in quello medesimo anno Janni Colonna, & Messer Nicolò suo frate con molte genti de arme del Re Lanzilao entraro in Roma, & messoli a Portica, & li ditti Signori pigliorno la stantia in Palazzo de Sancto Pietro. In quello medesimo Anno Papa Innocentio raccuolse a suo suollo Paolo Orsino, & Mustarda, & vennero a Roma, & commattero con la gente del Re Lanzilao in nella Armaccia, & finalmente la ditta Gente del Re Lanzilao con li detti Signori se uscio de Roma, e li ditti Paolo e Mustarda ripigliarono lo Stato per Papa Innocentio. Poi immantinenti li Romani mandaro li Ambasciatori a Papa Innocentio colle chiavi de Roma, perchè li volevano dare lo Dominio.

In nelli anni MCD. . . . . venne Papa Innocentio in Roma, & fece alcuni Cardinali, intra li quali fu Messer Oddo della Colonna de Casa de Gennazzano, & nanzi che lo ditto Papa venisse a Roma, lo ditto Paolo Orsino fece ammazzare Mustarda, Janni Colonna, & Messer Nicola suo frate, Jacovo Orsino, Corradino de Antiochia, & Janni Paolo Manieri con certa loro gente, tennero trattato de entrare in Roma per pigliare lo Stato per lo Re Lanzilao, & tutti furo priscioni de Paolo Orsino, lo quale li pigliao alla Porta di San Laurentio, & bisognao se rescattassero; & Janni Colonna, & Messer Nicola allhora dettero Gallese a Paolo Orsino.

In nelli anni MCCCC. . . . . morio Papa Innocentio in Roma, & li Cardinali si misero in Conclave, & fu creato Papa Gregorio, lo quale era Cardinale d'Aquilegia, & era Veneziano. Esso poi che fò creato invitao lo Antipapa all'unione, e lo Antipapa respose volere attendere, & fò posto, se dovessero conducere a Petra Sancta, & là ambidoi renontiassero, & vedessise per ragione chi era vero Papa. Lo ditto Papa Gregorio se partio da Roma a questa intentione, & come fò a Peroscia se partio, & fò sedotto, che non renuntiasse, di che molti Cardinali si partiero da esso. Esso poi se ne gio nelle Terre delli Malatesta, & poi a petizione del Re Lanzilao se ne gio a Gaeta, & lo Re lo teneva come Papa, & altri non li dava credito. Li Cardinali tutti vedendo lo gabbamento dello ditto Papa, si congregaro tutti a Pisa, & là fò fatto lo Concilio, e lo Processo contro lo ditto Gregorio, lo quale poi se chiamò Onorio, e perchè non comparse, fò privato dello Papato.

MCD. . . . . Re Lanzilao con ben da dodici mila cavalli, e molti fanti da piedi, cioè diecimila fanti, & *etiam* con armata per Mare de LX. Fuste venne a Campo a Velletri doi dì, & pigliao Ostia per forza. Paolo Orsino era dentro in Roma con MCD. cavalli, lo quale fece certa resistenza, e poi finalmente si pattizò con lo Re, & recepeose da esso parecchie migliaria de Ducati, & dicevose venti milia Ducati, & subito lo Re ebbe Roma, & tutto lo Paise, & fò dello mese d'Aprile. Poi Paolo Orsino se partio, & lo Legato lo Cardinale de Sancto Angilo delli Aniballi se partiero da Roma, & lo Re Lanzilao entrao in Roma, & posese in Sancto Pietro, & mutao Officiali in Roma, & in tutte le Terre, & poi fece edificare Torri in Roma, & fece ordinare la Reccatura in Velletri, in Tyoli, in Core, & in mille altre Terre, & posense li Castellani.

DE JOHANNE XXIII.

E Codice MSto Vaticano.

JOHANNES XXIII. natione Neapolitanus de domo de Cossa fuit electus Anno Domini MCCCCX. Cubicularius Bonifacii IX. Papæ, qui fecit eum Cardinalem Sancti Eustachii, deinde Legatum Bononiensem. Ibidem factus Papa die XXIII Mensis Maji MCCCCX. Et stetit ibidem Mensibus novem. Deinde per tractatum ad Ecclesiam rediit. Idem Johannes Romæ existens, Cardinales undecim creavit. Item Romæ continuavit Concilium Pisanum, secundùm decretum in capite trium annorum. Per armigeros suos impedivit Prælatos in stratis, ne ad Concilium haberent tutum accessum; & quum in Sessione aliqua proponebantur contra Papæ voluntatem, statim surgebat Cardinalis Florentinus de Zabarellis de Padua, & faciebat sermonem longum, ut propositiones Prælatorum impediret. Contigit etiam in una Sessione, dictum fuit Papæ, quòd * *cocomia apparuit super panno serico super caput vestrum*. Cui Papa respondit: *Hoc est malum signum*. Eodem tempore Ambasciatores studii Parisiensis Romam venerunt, ut Papa Concilium generale ultra montes mitteret, qui eos remisit plenos beneficiis juxta vota. Deinde Papa animum convertit ad delusiones. Nam cum Rege Ladislao Neapolitano tractavit, ut cum exercitu veniret in Campaniam, ut incuteret timorem Romanis. Tractavit etiam cum eodem Rege, ut Gregorium supradictum in Concilio Pisano privatum cum suis Cardinalibus caperet, qui tunc in Gajeta morabatur. Quod Gregorius sentiens, per mare fugit Ariminum. Deinde Rex cum exercitu appropinquavit Romam, de nocte muros fregit apud Sanctam Crucem, & Urbem intravit. Papa hoc sentiens, non confisus de tractatu, qui erat nequior eo, fugam petiit, & ivit Florentiam extra Portam ad locum Sancti Antonii. Quare Rex in parte Urbem vastavit, portas fortificavit, & multos captivos Romanos Neapolim misit, & plures interfici fecit. Cepit omnes Terras Ecclesiæ, quæ erant in circuitu Urbis ad XL. milliaria; Barones Romanos pro majori parte fugavit. Isto medio Sigismundus Rex Romanorum & Hungariæ recessit de Buda, & venit ad finem Alemanniæ, non habens intentionem ad unionem, ut ipse asseruit; sed inspirante Spiritu Sancto, subitò in corde suo ascendit procurare & facere unionem. Misit Ambasciatores suos Florentiam ad Johannem Papam, requirens eum de futuro Concilio celebrando, & de loco eligendo. Qui Papa misit ad eum Car-

Cardinales duos, qui reversi sunt Florentiam, ut infra sex menses Papa & Imperator in Civitate Laudensi convenirent: quod & fecerunt de communi concordia. Civitatem Constantiensem in Alemannia pro futuro celebrando Concilio elegerunt, & idem Imperator Ambasciatores alios Ariminum misit ad Gregorium aliàs privatum, adhuc de Papatu contendentem, ut statuto termino Constantiam personaliter veniret. Nam & Papa Johannes, qui multotiens in veniendo variavit, tamdem Constantiensem Civitatem venit. Similiter ipse Imperator Ambasciatores ad Dominum Petrum de Luna, etiam aliàs privatum, & adhuc contendentem, ut similiter statuto tempore Constantiam veniret, transmisit. Gregorius verò misit Cardinalem unum, & alios Ambassiatores; sed Petrus de Luna duos Prælatos tantùm misit, qui in modico tempore recesserunt. Inchoatum est autem generale Concilium, Papa Johanne in Christo præsidente Anno Domini MCCCCX. de mense Novembris; & in prima sessione Papa fecit sermonem valde bonum, ut Prælati secundùm Deum intenderent, amotis præcipue amore & timore, & absolvit eos à juramento, quo Papæ tenebantur. Deinde nationes, Italica scilicet, Gallicana, Germanica, & Anglicana, repræsentantes totum universale Concilium, quæ de per se locum in diversis Ecclesiis pro ipsis nationibus divisim congregandis faciunt. Elegit etiam Præsidentem, Consiliarios sex, & etiam deputatos, ut ea, quæ in nationibus tractabantur, ad unum locum convenirent, tractarent, & referrent, & finaliter nomine nationum determinarent, & concorditer determinata in scriptis in publica sessione cantatâ Missâ de Spiritu Sancto, Papa præsidente, per unum Prælatum legerentur, decreta, & pro Constitutionibus haberentur. Et nota, quod Præsidentes, Consiliarii, & deputati elapso mense functi erant officio suo, & novi in principio mensis alterius creabantur. Nam & Romanorum Rex cum sua Regina in nocte Nativitatis Domini ejusdem Anni Constantiam intravit, & officio Papæ interfuit. Postea idem Imperator petiit, ut pro suo consilio de qualibet natione sex Prælati sibi darentur, & sic factum fuit. Nationes verò in principio magna in discordia fuerunt, & multi Prælati qui bona fide venerant, aliqui prece, & aliqui spe magnæ Prælaturæ, bonum irritarunt propositum. Quærebat Johannes Papa cum sua natione Italica, quod sui Adversarii contendentes rebelles Concilio publicarentur, & contra eos tamquam hæreticos procederetur; sed hoc in aliis nationibus non fuit obtentum; & plures Prælati de Italica natione contradixerunt. Tamdem per ipsas nationes dicti Concilii fuit conclusa cedula, quam Johannes Papa renuit aliquibus diebus acceptare; sed videns etiam quod sua natio Italica consenserat, acceptare decrevit, ut in sessione publica eo præsidente dicta cedula per ipsum lecta fuerit hujusmodi sub tenore: *Ego Johannes XXIII. propter quietem Populi Christiani profiteor, spondeo, voveo, juro, & promitto Deo, & Ecclesiæ, & huic sacro Concilio, sponte & libere dare pacem ipsi Ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis, paratus etiam facere & adimplere cum effectu juxta deliberationem præsentis Concilii, si & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII., & Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati, per se, vel Procuratores suos legitimos similiter cedant; &*

A *etiam in quocumque casu cessionis, vel decessionis, aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis Schismatis.* Quâ quidem cedulâ, sicut præmittitur, per ipsum Papam Johannem lectâ, Concilium deliberavit juxta tenorem præsentis cedulæ, quod ipse Papa Johannes legitime constitueret Procuratores ad renuntiandum Papatui juxta cedulæ prædictæ tenorem. Et quia hoc facere noluit, propterea de nocte clam in habitu dissimulato de Constantia recessit, & Sabasusam in Terram Domini Frederici Ducis Austriæ se transtulit cum Consilio & tractatu prædicti Ducis, qui eum personaliter associavit.

B Anno verò sequenti omnes Cardinales sequuti sunt Papam, exceptis duobus; sed Concilium integre Constantiæ remansit, Imperatore hortante & confortante nationes. Demum Papa volens ire ad terras Ducis Burgundiæ, ivit usque Brisacum de nocte, & cum astutia, eo non credente, reductus est Friburgum; & Imperatore indignato contra dictum Ducem Fredericum, composuit octo campos de multis millibus personarum, ex quibus in uno mense quadraginta bona Oppida perdidit. Deinde dictus Dominus Fredericus ad gratiam dicti Imperatoris, & Concilii revenit in Constantiam; & quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, Johannem Papam ad Oppidum Cellæ reduxit captum; &

C postea translatus est ad Castrum Gotlebe prope Constantiam. Et quia tractabat fugere, positus est in manibus Domini Ludovici Ducis Bavariæ Comitis Palatini, qui ipsum in fida custodia nomine Concilii in Castro fortissimo tenuit. Sed antequam Papa Johannes de Cellis, ut supra, transferretur, missi sunt ad gubernationem ejus de natione qualibet Prælatus unus. Isto medio formatus est Processus per Concilium contra eum, formatique sunt articuli multi, & sufficienter probati. Sunt etiam missi ad eum alii Prælati, ut articulos prædictos adprobaret, vel denegaret. Qui acceptâ induciâ per dies plures . . . .

D Johannem prædictum privavit solemniter in sessione publica. Misitque etiam Concilium alios Ambassiatores, si consentire vellet in sententiam; qui & consensit, & coram Prælatis ibidem existentibus se secularibus pannis induit, & Papalibus spoliavit, & Bullam Concilio misit, cujus Bullæ pars media, quæ nomen Papæ continebat, in sessione publica fracta est. Deinde ad dictum Castrum Gotlebe, ut prædixi, sub custodia armorum dimissus est, qui inde fugam tentavit, ut dictum est. Procuravit dictum Concilium cum Imperatore renuntiationem Gregorii XII. per Carolum de Malatestis, qui pro Romana Ecclesia Vicarius in temporalibus Ariminum regebat, & ibidem præsens erat, ac plenum habe-

E bat Mandatum, ut juri suo sponte renuntiaret. Qui Carolus molestè multos dies restitit, dicens, quod nolebat nisi simul cum Petro de Luna renuntiare. Tamdem motus precibus, sed ratificatione magis per deputatos nationum, in publica sessione renuntiavit, ibidem ostensâ dicti Gregorii Bullâ; sed primò longum fecit sermonem de virtutibus prælibati Gregorii, univitque obedientiam suam Concilio generali, & Gregorius Cardinalis Romanæ Ecclesiæ auctoritate Concilii remansit. Istisque Gregorio significatis, ipse statim se Papali habitu spoliavit, & habitum Cardina-lis

lis assumsit, & sic in eo defunctus est. Rursum Cardinales, & sui Curiales Constantiam venerunt, qui à Concilio magna cum mansuetudine quilibet in suo officio receptus est. Præterea Concilium Ambassiatores & Legatos pro qualibet natione in societatem Imperatoris, qui sponte onus accepit & iter, & plures Prælatos & Doctores destinavit ad Petrum de Luna, ut resignationem & cessionem similiter facere dignaretur pro pace Ecclesiæ. Recesserunt igitur de mense Julii MCCCCXV. de Constantia versùs Narbonam. Interim Concilium alios Ambassiatores & Legatos ad Reginam Neapolitanam, & Dominos temporales Siciliæ & Italiæ destinavit, qui post plures menses cum modico fructu reversi sunt. Imperator verò cum Legatis supradictis Narbonam applicuit, & primò partem Legatorum Concilii cum parte Dominorum Ducum & Principum Parpinianum præmisit ad Dominum Petrum de Luna, qui per mare venerat Parpinianum, & se in summo Castro de suis armigeris præmunito locavit. Rex verò Aragonum Ferdinandus nomine, qui zelo ferventi unionem desiderabat; quum sensit Imperatoris adventum, etiam per mare infirmus graviter, Parpinianum se transtulit, & in parvis resedit domibus Rex supradictus. Legati verò Concilii magna cum solemnitate sunt recepti in Parpiniano à Prælatis Domini Petri de Luna, & Regis Aragonum militibus. Post diem tertium Legati primò Regem visitaverunt, & animarunt ad unionem exsequendam. Rex verò in lecto sedens vestibus indutus, cum suis familiaribus, Consiliariis, & magno apparatu, multum catholice respondit, omnem operam se daturum. Deinde visitarunt Reginam cum filiis, qui similiter responderunt. Et post multos dies Legati intrarunt Castrum munitum gentibus armorum, inveneruntque Petrum de Luna in sede & habitu Papali, & in Consistorio, qui exspectabat eos. Legati verò fecerunt reverentiam, quæ solet Cardinalibus fieri, & stantes erecti in circulo Dominus Johannes Episcopus Turonensis sermonem fecit, qui incœpit: *Beatissime Pater* &c. confortans eum, ut pacem daret Ecclesiæ. Qui Petrus de Luna post multa verba respondit, quod præsentiam Imperatoris primò videre vellet, & cum eo de pace tractare, & quæ fieri deberent; & ab illo illa die Legati recesserunt. Sentiens autem Imperator hæc per literas & nuntios, Parpinianum personaliter venit, ubi ei omnes honores, ludi, & repræsentationes pacis Ecclesiæ per Populum exhibiti sunt. Descendensque ad locum Fratrum Minorum Rex Aragonum maximum fecerat apparatum, ac convivium in Vesperis, ubi in publico ipse Imperator cœnavit cum Legatis Concilii in una mensa; ceteri verò Domini seculares per circuitum Claustri mensis continuatis cum cibis diversis, & multitudine auri & argenti, sicut decebat.

Interim natio Gallicana cum suis Ambasciatoribus omnes Prælatos, Abbates, Doctores, & Magistros scientes leges de Regno Franciæ per diversas vias Parpinianum destinavit. Fuerunt numero LXXV. qui occultam practicam diu noctuque habuerunt cum Domino Petro de Luna de modo Concilii permutandi de Constantia ad alium locum, ut in Francia transferretur. Et multi etiam, qui degebant in Constantiensi Concilio consenserunt in odium Imperatoris, ut dissiparetur Concilium; & erant nonnulli Prælati de omnibus nationibus, & etiam Cardinales, qui cum magno desiderio hoc procurabant, ignorantes in futurum, quid volebat Deus, qui pie Ecclesiæ suæ misertus est, ut ipse ostendit in fine obedientias uniendo. Imperator verò Christianissimus, qui pro Fide labores magnos subiit, multas pecunias & personam infinitis periculis exposuit, dimissis Regnis, & aliis bonis suis omnibus, cum magna comitiva Parpinianum profectus est: de conspirationibus ignarus, prosequens materiam unionis, primò ad Regem Aragonum cum Legatis Concilii ivit, qui Rex gravi detinebatur infirmitate. Deinde de ordine dato per plures dies ad Petrum de Luna in Castro munito, ut prædixi, cum dictis accessit Legatis. Fuerunt factæ solemnitates multæ & sermones, ut Petrus de Luna pacem & unionem Ecclesiæ dare vellet humiliter, quum sui Adversarii jam cessissent. Nam & Petrus de Luna sermonem etiam fecit in Consistorio in suorum Cardinalium, & filii unigeniti Regis, qui summe unionem optabat, præsentia; sed finaliter conclusit Petrus de Luna verbum Apostoli, videlicet: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, & ideo reposita est mihi corona justitiæ*; concludens, quod ipse solus remansit. Imperator cum Legatis recessit, qui plus non rediit ad eum. Incœpit igitur Petrus de Luna per suos Prælatos & Doctores plura petere; & illis concessis iterum alia diversa petebat; & sic per verba & petitiones, ac in altercatione plures menses consumsit. Finaliter conclusione cum Gallicis Ambasciatoribus factâ, qui diu noctuque cum Domino Petro de Luna occulte conversabantur, & etiam publice sub simulatione bonæ concordiæ: idem Dominus Petrus de Luna die quadam per cedulam unam missam loca octo in Francia & Provincia petiit; quod si locus Concilii Constantiensis mutaretur in unum de prædictis locis contentis in cedula, illuc personaliter veniret, & veram faceret cessionem. Quâ cedulâ per plures dies consideratâ, & inter Legatos disputatâ, tamdem mane uno Johannes Archiepiscopus Turonensis Præses Legatorum post longam practicam & conspirationem cum suis, & etiam aliis Legatis nationum, congregavit omnes Legatos, & omnes de Regno Franciæ septuaginta quinque viros, & ut omnes haberent auctoritatem dicendi & terminandi, in loco Sancti Francisci in Refectorio, ubi Imperator comedere solebat. Ubi fuerunt in unum congregati, proposuit Dominus Archiepiscopus Turonensis de præfati loci mutatione, perscrutans, & per Notarium scribi faciens singulariter vota singulorum. Et primò Remensem Archiepiscopum interrogavit, qui respondit advisatus dicens: *Vos, Domini Legati, non potestis secundùm institutiones vestras tractatum Unionis dimittere, donec habeat spem aliquam unionis. Nam & Petrus de Luna aliter non vult cedere, nisi locus mutetur. Quare dico, quod loci mutatio fieri debet*. Et post multa verba dixit: *Et si quis contrarium dixerit, eum hæreticum judico; & de hoc peto publicum Instrumentum*. Gallici omnes sequentes singulariter interrogati, sententiam hanc confirmaverunt, & omnes de nationibus aliis, exceptis quatuor, Johanne Episcopo Ripensi, etiam Ambasciatore Regis Daciæ, & Norvegiæ, Jacobo de Opizis Episcopo Adriensi, Johanne de Opizis Auditore Palatii Apostolici, &

A & Conrado de Sufarro Magiſtro in ſacra pagina, & Conſiliario Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni, qui Concilium nomine Imperatoris defendebat. Facta igitur ſcrutatione per vota omnium, ſupervenit Imperator, & coram ſe Archiepiſcopus Turonenſis propoſuit, qualiter omnes, qui præſentes aderant, nemine diſcrepante, mutationem loci Conſtantiæ pro bono pacis & unionis Eccleſiæ determinarant. Cui reſponſum eſt per dictum Epiſcopum Adrienſem, hoc negantem. Imperator verò omnia patienter audiens, reſpondit, quod deliberatio hæc non valebat, quia nullam ſuper hoc habebant poteſtatem, allegans decretum Concilii, ſcilicet quod locus Conſtantiæ B tutus erat, & quod contra decreta non habebant poteſtatem; & rationes alias multas narravit; & finaliter dixit: *Scio, quòd in inſtructionibus & mandatis veſtris habetis, quòd in caſu diſcordiæ ego unà cum tribus ex vobis concludere poſſum*. Cui Turonenſis reſpondit: *Hoc dicimus, in quantum placet veſtræ Majeſtati*. Et ſic infecto negotio partes omnes receſſerunt de loco.

Sequenti verò die Turonenſis de Parpiniano indignatus receſſit; ſed ſui ſocii ipſum honeſte in Narbona retinuerunt. Imperator verò per dies paucos cum Legatis Concilii Narbonam rediit. Sed & Rex Aragonum Narbonam ſuos miſit Ambaſſiatores, & alios Rex Hiſ- C paniæ; & pluribus diebus de obedientiæ ſubtractione Petri de Luna per omnes Reges Hiſpaniæ tractatum eſt, ſimiliter concluſum & ſolemniter publicatum. Et facta eſt per omnes partes & obedientias lætitia magna, & ſolemnis Proceſſio per Civitatem Narbonenſem. Deinde omnes Ambaſſiatores Regis Hiſpaniæ licentiati primò receſſerunt; demum Imperator cum Legatis ſuis Avinionem ivit, ubi multa bona ordinata ſunt. Ivit igitur Imperator in Franciam, deinde in Angliam pro pace tractanda inter Reges; ſed modicum profecit. Et ivit poſtmodum per Alemanniam, Principes concordando. Legati verò redierunt Conſtantiam, qui à Concilio honorifice D in Seſſione publica recepti ſunt. Concilium interea captum tenebat Johannem quemdam Sacerdotem Bohemum, qui hæreſim Johannis Wicleph Anglici renovavit, & dogmatizavit, & propterea contra eumdem magna cum diligentia proceſſit, & finaliter de hæreſi condemnavit, & combuſtus eſt. Et poſt menſes decem Hieronymum de Praga, ſocium dicti Johannis, ſimiliter condemnavit. Interim natio omnium Regum de Hiſpania, quæ de obedientia Petri de Luna fuerat, Conſtantiam venit, univitque ſe Concilio. Et formato proceſſu contra Petrum de Luna, de conſenſu & voluntate omnium nationum quinque, Concilium in ſeſſione publica demum Petrum de E Luna privavit, & condemnavit. Concilium etiam incœpit de Reformatione Eccleſiæ tam in capite, quam in membris tractare. Qua ex re nationes omnes ſingulariter diviſæ ſunt, quia majori parti Reformatio non placebat. Audiens hæc Imperator, qui abſens per annum ſteterat, Conſtantiam rediit, cum ſolemnitate receptus. Diſceptatio magna erat atque diſcordia. Judices verò Concilii, qui in principio nominati erant, ordinatim de cauſis omnibus cognoſcebant bona fide, & ducebant partem, quæ Reformationem volebat, quæ modica erat. Sed & ambitio magnam contradicentem partem tenebat. Duravit Concilium annis tribus & ſex menſibus. Finaliter Imperator cum ipſo Venicen.... de Anglia, in quibus compromiſſum erat, quod primò fieret Papa, & deinde ad Reformationem procederetur, ſententiavit. Hæc ſtatim poſt obitum Domini Roberti Epiſcopi Sarisberienſis Anglici viri eminentis ſcientiæ, qui princeps in Unione fuit, & in Reformatione ſimiliter, ſanctam habens intentionem, facta ſunt. Sed hanc Reformationem Deus ad futura tempora reſervavit. Igitur nationes, deliberatione facta, quælibet ad locum ſuum convenit, & factis ſcrutiniis natio quælibet ſelegit Electores ſex auctoritate Concilii, & conſenſu Cardinalium, & omnem in eis tranſtulit poteſtatem eligendi Romanum Pontificem. Fuerunt nationes quinque; Electores verò nationum numero XXX. Cardinales etiam de per ſe unam repræſentarunt nationem, videlicet ſextam. Fuerunt Cardinales XXIV. numero; & ſic intrarunt Conclave. Ut moris, dati ſunt Prælati, Principes Imperatoris, & Cives Conſtantienſes notabiles. Concilium verò omni die poſt ſolemnem Miſſam in apparatu Epiſcoporum per Civitatem Proceſſionem faciebant. Die verò tertio electus eſt in Papam in feſto Sancti Martini Epiſcopi Anno Domini MCCCCXVII. Cardinalis de Columna, vocatus Martinus Papa Quintus, quum duraſſet hoc peſtiferum Schiſma annis quadraginta.

Quum igitur inter ſuperbos certatur, fiunt jurgia, atque uti eſt in Proverbiis, arma & gladii in via ſuperbi. Certe patet, quod mala hactenus enarrata proceſſere de dominandi libidine, & ambitione multorum iniquorum Prælatorum ad Papatum, & ad Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas. Quæ quidem ambitio derivatur ex peſtifera ſuperbia, ex qua ſuperbia naſcuntur hæreſes, invidia, ſchiſmata, & detractiones ſecundùm Chryſoſtomum. Quid ergo tales mereantur, ſeminantes inter fratres diſcordias, niſi ut ejiciantur in tenebras exteriores cum confuſione, & ſegregentur ab hominum communione, ut poteſt perpendi per Schiſmata præterita, quæ fere ſunt orta ex dominandi libidine & ambitione. Primum igitur Schiſma habuit (*) Felix à beato Petro XXXVIII. Arianorum tempore, cujus Antipapa fuit Liberius, qui fuit ejectus cum confuſione, quia crepuit medius, & diffuſa ſunt viſcera ejus divina voluntate. Secundum Schiſma habuit Cornelius Papa, cujus Schiſmaticus fuit Novatianus ſecundùm Chronicas, & habetur in Decretis VII. Q. 1. Tertium Schiſma habuit Damaſus Hiſpanus, cujus Antipapa fuit Urſinus, qui quidem ejectus eſt cum confuſione Concilio Sacerdotum Romæ. Quartum habuit Bonifacius Primus, cujus Antipapa fuit Eulalius, qui ejectus fuit Honorii Cæſaris Auguſti auctoritate poſt annum. Quintum Schiſma habuit Simachus Primus, cujus Antipapa fuit Laurentius. Sedatum eſt Schiſma, quia fuit ejectus ſententiâ Theoderici Regis Gothorum poſt annum. Sextum Schiſma habuit Bonifacius ſecundus, cujus Antipapa fuit Dioſcorus, quo naturali morte prævento, ſedatum eſt Schiſma, & citò. Septimum habuit Silverius, cujus Antipapa fuit Vigilius. Sublatum fuit per mortem Papæ,

(*) *Muratorius*: Parum accurate de hoc Schiſmate, ejuſque tempore ſcribit hic Auctor.

pæ, & reformationem Antipapæ in Sede Sancti Petri. Octavum Schisma habuit Conon Primus, cujus Antipapæ simul fuere Petrus & Theodorus. Sedatum est, quia ejecti sunt illi duo Concilio Sacerdotum. Nonum Schisma habuit Sergius Primus. Hic etiam habuit duos Antipapas simul, scilicet Theodorum & Paschalem; quibus ejectis sedatum est ante annum consilio Primatum Romæ. Decimum habuit Stephanus II. habens simul duos Antipapas, videlicet Constantium & Philippum. Sedatum fuit post annum per Romanum Populum illos duos ejicientem. Undecimum Schisma habuit Eugenius Secundus, habens duos Antipapas simul. Sublatum fuit per Lotharium Ludovici Imperatoris filium post annum. Duodecimum habuit Formosus Primus, qui post se maximum Schisma seminatum reliquit. Sedatum fuit per Romanum secundum ab isto Tertiumdecimum habuit Leo Quintus, cujus Antipapa fuit Christophorus. (*) Sedatum fuit armorum potentiâ per Regem Franciæ ante annum. Quartum decimum habuit Leo Sextus, habens duos Antipapas, videlicet Johannem & Benedictum. Sedatum est per Ottonem Primum Imperatorem post annum, ejectis duobus Antipapis. Quintum decimum habuit Gregorius Quintus, cujus Antipapa fuit Johannes Episcopus Placentinus. Sublatum est per Ottonem Tertium post duos annos. Sextum decimum habuit Benedictus Octavus, habens Nicetum per Romanos, & ejectus est per eosdem ante annum. Decimum septimum habuit Benedictus Nonus cum quinque mutationibus. Duo aliquando, & tres Antipapæ simul fuere. Sedatum est per Henricum Secundum post duos annos. Octavum decimum habuit Nicolaus II. cujus Antipapa fuit Benedictus. Sedatum fuit per eumdem Benedictum pœnitentem & conversum ad obedientiam Papæ post annos duos. Decimum nonum habuit Alexander II. cujus Antipapa fuit Cadulus Parmensis Episcopus. Sedatum fuit post annos XII. per Henricum III. Antipapa converso ad gremium Ecclesiæ & obedientiam Papæ. Vicesimum Schisma habuit Gregorius VII. cujus Antipapa fuit Guibertus Parmensis Episcopus & Archiepiscopus Ravennas. Sublatum est post tricesimum annum per concordiam factam inter Paschalem Papam, & Henricum Quintum. Vicesimum primum habuit Calistus II. cujus Antipapa fuit Archiepiscopus Bracharensis. Sedatum est, quia Antipapa manu armata fuit in Sutrio captus, & illico de terra deletus. Vicesimum secundum habuit Innocentius Secundus, cujus Antipapa fuit Petrus Leonis. Sedatum est vi & potentia per Lotharium Imperatorem. Vicesimum tertium habuit Alexander III. cujus Antipapæ fuere Victor, & alii duo. Vicesimum quartum habuit Johannes XXII. cujus Antipapa fuit Frater Petrus de Corbario Ordinis Minorum. Sedatum fuit intra triennium per captionem Antipapæ, ac ejus in carceribus mortem naturalem. Vicesimum quintum Schisma per XL. annos perpessa est Ecclesia unica sponsa Christi, in quibus se pro Papis gesserunt Urbanus Sextus, cujus Antipapa fuit Clemens VII. Bonifacius Nonus, cujus Antipapa fuit Benedictus XIII. Post Bonifacium Papam Innocentius VII. Gregorius XII. post Concilium Pisanum creatus est Alexander Quintus Pisis ex adhæsione nationis Gallicanæ, quæ se univit ibidem nationibus Italicæ, Germanicæ, & Anglicæ. Vixit Dominus Alexander mensibus IX., & creatus est Johannes XXIII. Qui ivit ad Constantiam ad Concilium. Et facta est ibi unio nationis Hispanicæ cum aliis quatuor nationibus supradictis, ac etiam unio realis universalis Ecclesiæ, pro ut plenarie est superius dictum.

(*) *Muratorius*. In horum Schismatum narratione multa sunt, quæ emendationem poscunt. Eam adhibere Lectoris eruditi erit: hæc enim extra chorum.

Ex Additamentis ad Ptolomæum Lucensem, e Codice MSto Patavino.

JOHANNES XXIII. priùs vocatus Baldassar Cossa, de nobilibus Neapolitanis originem ducens, dum esset Legatus de latere in Civitate Bononiæ, post mortem Domini Alexandri concorditer à Cardinalibus in Papam creatur Anno Domini MCDIX. sedit Annos IV. Menses .... Dies .... Hic tempore adolescentiæ suæ in jure Canonico Bononiæ studuit; tamdem sumto gradu Doctoratus, & ad Curiam Romanam veniens, Bonifacius Nonus eum suum Cubicularium secretum fecit, deinde ipsum Cardinalem Sancti Eustachii creavit; ad acquirendum Civitatem Bononiæ Legatum de latere misit, quam de manibus gentium armorum Ducis Mediolanensis eam occupantium acquisivit; sicque annis circiter novem prudentissime, & fortissime illam gubernavit. Floruit multùm Civitas, & aucta est longa pace. Dum autem instaret tempus celebrandi Concilii Pisani, ipse omnes Cardinales, qui à Domino Gregorio recesserant, pecuniis legationis suæ in Concilio sustentavit. Creatus Papa ad Electores Imperii misit excitando, ut Imperatorem eligerent Sigismundum de Lucemburg, Ungariæ & Boëmiæ Regem: quod & factum est. Et quia in Concilio Pisano decretum fuerat, aliud Concilium debere celebrari ad certum tempus pro reformatione Ecclesiæ, ipse Concilium Romæ convocavit, ad quod accessit. Sed Ladislao Rege Siciliæ privato Papam persequente, cogitur de Roma exire, & iterum Bononiam se conferre. Ordinationem unam fecit Cardinalium, hominum profectò magnæ commendationis, & non mediocris scientiæ. Dum autem gereret animo Ecclesiam unire, quæ adhuc superstite Gregorio, & Benedicto, scissa remanserat, de Bononia recedens ivit personaliter ad Civitatem Laudensem in Lombardia, ut cum Rege Romanorum Sigismundo, qui illuc venerat, loqueretur de materia Unionis, & celebratione Concilii generalis: propter quam caussam postea misit ad Alamanniam pro eligendo loco sæpe dicti Concilii Dominos Cardinales Florentinum, & de Corucho, qui concorditer elegerunt Civitatem Constantiensem Moguntinæ Provinciæ, ad quam personaliter accessit, duxitque secum peritissimos in jure divino & humano viros. Et dum stetisset aliquot mensibus ibi ad exspectandum vocatos ad Concilium, tamdem Sigismundus prædictus in nocte Natalis Domini venit Constantiam, & in maturinis Domino Johanne præsente, septimam lectionem cantare voluit. Deinde tempore procedente, quum multa Domino Johanni

ni objicerentur, & ipse timeret ne in personam committeretur violentia, habitu dissimulato de Constantia fugit, & Scaffusam se contulit, quæ Civitas, seu oppidum erat Frederici de Austria. Aliqui Cardinales secuti sunt eum usque ad locum illum; sed postmodum per Concilium, quod Constantiæ remanserat, revocantur. Dominus verò Johannes de Scaffusa ivit Friburgum cum proposito eundi ad terras Ducis Burgundiæ. Sed procurante Concilio per medium Imperatoris Sigismundi Dominus Johannes capitur, & in quodam palatio Episcopi Constantiensis prope Civitatem in carcerem detruditur, Anno IV. sui Pontificatus. Concilium tamen fugæ suæ, & criminum contra eum processum commisit certis judicibus, qui examinarent omnia, & caussam instructam Concilio referrent. Qui tamdem retulerunt, propositis, ut dicebatur, quadraginta capitulis, eo ultra, contra eum, quorum aliqua concernebant scandalum Ecclesiæ, & ejus incorrigibilitatem; quædam verò concernebant Fidem. Ex quibus Dominus Johannes sententialiter de Papatu deponitur & privatur, ipseque sententiam contra se latam approbavit. Sed post latam sententiam, de loco, ubi erat, mittitur custodiendus ad manus Domini Ludovici de Bavaria, qui erat de obedientia Domini Gregorii XII. fuitque Dominus Johannes positus in Castro quodam ipsius Ducis vocato Haldeberg, ubi annis tribus & ultra stetit absque alicujus Italici societate, aut de suis, sed tantùm custoditus per Theotonicos, cum quibus tantùm nutibus, & signis loquebatur, quia ipse linguam Germanicam ignorabat, & qui eum custodiebant, Italicam non noverant. Hujusmodi privationis sententia tantùm ab illis de obedientia Domini Johannis lata fuit, quia de obedientia Domini Gregorii, & Domini Benedicti nullus adhuc convenerat. Et ut fundarent suam jurisdictionem ad validandum eorum sententiam, Synodicum decretum promulgarunt; per quod affirmabant, Concilium generale legitime congregatum habere immediate à Christo potestatem: quo fundamento præsupposito ipsum etiam Papam Concilio submittebant. Privato Domino Johanne, actum est per medium Sigismundi Imperatoris, ut Dominus Gregorius convocaretur finaliter ad Concilium in Constantia prædicta, & quod unirent se Cardinales sui, & ceteri de sua obedientia cum Cardinalibus & ceteris de obedientia Domini Johannis in Constantia congregatis: quod factum est. Misitque Dominus Gregorius Dominum Carolum de Malatestis de Arimino cum pleno mandato ad pure, & libere resignandum juri suo, & Papatui: quod etiam factum est. Nam ipse Carolus solemni cessione nomine Domini Gregorii, illius mandati vigore, expresse renuntiavit, & ipse Gregorius per Concilium Legatus factus est in Marchia Anconitana. Qui Rachaneti existens, ante creationem Domini Martini diem obiit, & sepultus est in Ecclesia Racanetensi.

His duabus obedientiis unitis, restabat tertia longe major Domini Petri de Luna, pro quo reducendo, ut hoc ipsum faceret, quod Gregorius fecerat, Dominus Sigismundus prædictus ad multas Mundi partes perrexit; ad Regem Franciæ primùm, deinde ad Regem Angliæ, deinde Narbonam una cum Oratoribus Concilii, ubi etiam convenit Rex Aragonum Fernandus, qui & ipse non solùm Regnum suum Hispaniarum, sed etiam Aragoniæ, quod erat de obedientia Domini Benedicti, gubernabat; fueruntque capitula conclusa & firmata, quibus inter cetera continebatur, quod deberet requiri Dominus Benedictus, ut hoc ipsum faceret, quod Dominus Gregorius fecerat. Quod si non fecisset, promittebant Principes de sua obedientia eum deserere, & Concilio Constantiensi adhærere. Benedictus autem in Castro Paniscolæ manens, in sua permansit sententia, dicens, ipsum esse verum Christi Vicarium, & Constantiæ non esse locum tantum pro celebratione Concilii generalis, allegans quæ manu violenta facta fuerant contra Dominum Johannem, & per eos, qui erant de obedientia sua; & detestatus in loco non securo renuntiare in manibus illorum, qui impressionem fecerant. Principes Hispaniarum videntes duritiam Domini Benedicti, Concilio Constantiensi adhæserunt; sicque per solemnem Sessionem celebratam unitis istis de obedientia Domini Benedicti ceteris de obedientia Domini Johannis, & Domini Gregorii, ea, quæ gerebantur in Concilio, expediebantur per nationes, videlicet Italicam, Gallicam, Germanicam, Hispanicam, & Anglicam, quæ nationes constituebant totum Concilium; priusque in nationibus obtinebatur determinatio una, deinde in generali congregatione omnium nationum concludebatur, demum decretum fiebat super concluso, & publicabatur in Sessione. Hic erat modus & ordo procedendi in Concilio. Per hunc modum contra Dominum Benedictum inchoatus est processus per Concilium, & tamdem sententialiter privatus de Papatu. Nec venerant Cardinales Domini Petri de Luna ad Concilium, sed adhærebant adhuc una cum Prælatis aliquot de Regnis Hispaniarum, Scotiæ, & Comitis Armeniaci dicto Domino Benedicto. Et completis omnibus, quæ ad unionem perficiendam spectare videbantur, condemnatâ tamen prius hæresi Johannis Wiclef, & combustis duobus hæresiarchis Johanne Hus, & Hieronymo ejus discipulo magistris Pragensibus, quum jam Sedes Apostolica annis tribus & ultra vacasset, & circa reformationem Ecclesiæ non bene poterat vacari absque Papa: ob hanc caussam, & ut Sedes Apostolica non diutius vacaret, tractare cœperunt de electione futuri Summi Pontificis. Et ut debita auctoritas Concilio redderetur, & nullus futuram electionem calumniari posset, quodque electus in Papam pro vero & indubitato Summo Pontifice apud totam Christianitatem haberetur, sicque dici posset verè datam pacem Ecclesiæ, & antiquissimum schisma exstirpatum esse per canonicam & indubitatam electionem: totum Concilium in hoc convenit, ut quælibet natio eligeret sex, qui una cum Cardinalibus præsentibus in Concilio in Conclave intrarent, & haberent facultatem eligendi Papam una cum ipsis Cardinalibus; & qui à duabus partibus Cardinalium, & duabus partibus ex deputatis cujuslibet nationis eligeretur in Papam, ille pro Summo Pontifice haberetur & teneretur.

Anno ergo Domini MCDXVII. die VIII. Novembris Cardinales, qui erant numero XXXII. vel XXXIII. una cum deputatis cujuslibet nationis numero XXX. intrarunt Conclave, præmissis primò multis orationibus, & processionibus, ut Dominus inspiraret electores ad eligendum virum sanctum, & idoneum, in

A in cujus humeris cum pace & unitate quiescere[t] Ecclesia: arbitrabantur omnes, non esse facile tot nationum diversarum homines in unam personam posse convenire; præsertim quum in potestate trium personarum, videlicet ex sex unius nationis, esset electionem impedire, credebantque non solùm per dies multos, sed etiam per menses Electores debere in Conclavi stare, antequam concordarent. Fiebat omni die processio circumquaque Conclave, quod optime custoditum erat, à magnis Dominis & Prælatis. Tamdem Dominus compatiens longis calamitatibus Ecclesiæ, manum misericordiæ suæ aperiens, ita Electores inspiravit, ut tantùm tribus diebus in Conclavi starent: Nam die XI. Novembris, quo festum Beati Martini celebratur, hora Tertiarum Dominus Oddo de Columna, B Sancti Gregorii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis tam à duabus partibus deputatorum Concilii & ultra cujuslibet nationis, Sancto Spiritu inspirante, electus est in Papam. Non sufficeret lingua narrare, quanto gaudio totum Concilium unà cum Imperatore Romanorum Sigismundo repletum sit. Publicata enim electione, statim ipse Imperator Conclave intrans, ad pedes Summi Pontificis, ipsos, non sine lacrymis, cordis & corporis devotionem pariter exprimentibus, osculatus est. Ipseque Summus Pontifex econtra cum lacrymis Imperatorem ad osculum pacis recipiens, C eum benigne amplexatus est. Et quia in die Sancti Martini fuerat electio de se facta, & pax Ecclesiæ donata, ac etiam unio Ecclesiarum Christi subsequuta, vocari voluit Martinus Papa V.

DE MARTINO V.

E Codice MSto Vaticano.

MARTINUS Papa Quintus natione Romanus prius vocatus Dominus Oddo de Columna, & factus Papa in Concilio Constantiensi die XI. Novembris in festo Beati Martini Episcopi Anno Domini MCCCCXVII. D Stetit in Constantia post suam assumtionem menses octo; deinde ivit Gebennam in Sabaudia; stetit ibi menses tres, postea ivit Mediolanum, & Ecclesiam majorem, quæ de novo fit, consecravit; & ulterius ivit Mantuam, & ibi moram traxit menses quinque; inde ivit Florentiam, & stetit in domibus Sanctæ Mariæ Novellæ. Eo tempore Bononia rediit ad Ecclesiam; Papa misit ibi Legatum Cardinalem Sancti Eustachii de Hispania; & Cardinalem Senensem misit pro Legato Marchiæ Anconitanæ. Eodem etiam tempore rediit Castrum Suriani ad manus Papæ, quod rebellaverat per Bertones tempore Urbani, & fecit in Italia magna damna. Dicto autem tempo- E re Martinus Papa liberavit olim Johannem XXIII. vocatum Dominum Baldassarem de Cossa de manibus Ducis Bavariæ, & Comitis Palatini, quem tenebat in fida custodia, & mandavit, quod duceretur ad eum. Qui Dominus Baldassar ex tractatu quorumdam Florentinorum humiliavit se, & venit Florentiam ad obedientiam Papæ; & post aliquos dies Papa fecit eum Cardinalem; qui post aliquos menses in Civitate Florentiæ defunctus, in Ecclesia Sancti Johannis honorifice sepelitur. Eodem etiam tempore Papa coronavit Johannam secundam Reginam per Cardinalem Venetiarum, quæ Regina ob timorem adventus Ludovici Regis adoptavit in filium Alfonsum Regem Aragonum, qui obtinuit Castra Neapolitana & alia fortilicia; sed finaliter ortâ discordiâ cum Regina, Rex Aragonum magnam partem Neapolis igne ferroque vastavit, & per mare ivit Aragoniam. Regina postea vocavit Ludovicum Regem, sed nullam sibi dominandi potestatem dedit. Papa verò stetit in Florentia annis duobus cum dimidio; deinde venit Romam, quæ fame & aliis necessitatibus laboravit in extremis. Iterum pestis valida bis in tribus annis Romam afflixit. Papa & alii Cortesani iverunt per Terras vicinas: ex qua peste multi, & nobiles Cortesani extincti sunt. Iterum Brachius de Montono cepit Perusium, & multas Terras Ecclesiæ Ducatus, Patrimonii, & Marchiæ, & in Regno Capuam, & in Provincia Aprutina ultra & citra multis mensibus obsedit Civitatem Aquilanam. Finaliter campestri bello per gentes Papæ conflictus, debellatus, interfectus est; deinde omnes Terræ per ipsum occupatæ ad Ecclesiam redierunt. Tempore dicti Martini Romani cœperunt ædificare, & domos dirutas restaurare; & ipse Papa omnes Ecclesias Parochiales fabricare & renovare fecit; & maxime Ecclesiam duodecim Apostolorum renovavit; & ampliavit Palatium; ac Sanctam Mariam Rotundam de novo de Plumbo cooperiri fecit. Item suo tempore tenuit stratas & vias publicas securas; quod non fuit auditum à ducentis annis & circa. Martinus verò anno suo nono in quatuor Temporibus creavit Cardinales decem, unum Anglicum, tres Gallicos, unum Alemannum, unum Hispanum, tres Italicos, & unum de Insula Cypri. Demum venit novum, quod Successor Petri de Luna privati in Constantiensi Concilio, qui vocabatur Clemens VII. coronatus est in Paniscola, & fecit novos Cardinales ad instantiam Regis Alphonsi Aragonum, qui primò sperabatur, ut veniret ad obedientiam Papæ. Quare die XV. Julii dictus Papa in publico Consistorio monuit Regem Alphonsum, ut quatuor mensium spatio se purgaret. Deinde Rex Ambassiatores misit, ut concordiam tractaret. Bononia verò de mense Augusti Anno Domini MCCCCXXVIII. rebellavit se. Ceperunt Legatum Dominum Cardinalem Arelatensem, & deinde relaxarunt spoliatum, & venit Romam, & Cardinal... Sanctæ Crucis Cives Bononienses Ferrariam fugerunt. Papa verò per unum mensem Bononiam obsedit suis gentibus. Item die octava Novembris Anno Domini MCCCCXXX. extra quatuor Tempora fecit quinque Cardinales, tres Italicos, & duos Aragonenses; & antequam publicaret, duobus præsentibus Cappellum in Camera dedit, videlicet Nepoti suo, & Juliano, Diaconis Cardinalibus. Medio tempore Bononienses miserunt Ambassiatores Romam, & sub isto velamine quinque viros nobiles sub spe pacis reduxerunt Bononiam, & facto eis prandio in Palatio interfecerunt. Eodem tempore Florentini quasi omnia Castra Lucana ceperunt, Lucam obsederunt; sed Comes Franciscus cum gentibus Domini Ducis Mediolanensis dictum campum expulit, & Lucam recuperavit. Demum tractante Paulo de Guinisiis Domino Lucano cum Florentinis, is captus est à Populo, & cum filiis omnibus carceratus, & ad chordas plures tractus missus est

Januam. Quare iterum Florentini Lucam obsederunt; sed Januenses defensionem ceperunt, & cum magno exercitu iterum campum fugarunt. Martinus verò avarissimus fuit; miserabiliter in Palatio apud Sanctos Apostolos vixit. Nulla religio, nulla cœremonia servabatur; magnum thesaurum Nepotibus cumulavit, & Castra multa Ecclesiæ circa Romam eis dedit. Sedit annis XIII. mensibus III. Die verò XX. Februarii occubuit. Populus verò Romanus, ne Curiam perderent, Cortesanos illæsos servavit. Privato Domino Johanne &c. (*)

Ex eodem Codice MSto Vaticano, & ex Additamentis ad Ptolomæum Lucensem e Codice MSto Patavino.

MARTINUS Quintus, natione Campanus, de Principibus Urbis, Domus de Columna, electus concorditer in Papam Constantiæ provinciæ Maguntinæ, ut supra narratum est, exstitit Anno Domini MCCCCXVII. die XI. Novembris. Sedit Annis XIII. Mensibus III. & cessavit Episcopatus dies XII. Si Pontificis hujus dotes singulæ narrandæ forent, & quæ in armis sui Pontificatus tempore gesta sunt per eum, in modum Codicis surgerent: pauca tamen de multis dicentur, per quæ Domini hujus prudentia & vita satis prospici poterit. Hic in juventute liberalibus Artibus erudiendus à parentibus Præceptoribus liberalium Artium traditus evasit in virum magnæ commendationis & famæ. Erat supra modum humilis, gratus & dilectus hominibus; postea in Perusio Juri Pontificio aliquot annis operam dedit; indeque plusquam mediocriter eruditus discessit; & Romam rediens Domini Papæ Urbani VI. Referendarius factus, cum magna integritate munus illud explevit. Deinde in Diaconum Cardinalem à Papa Innocentio VII. assumtus, non propterea naturæ conditionem deseruit, quinimmo eamdem humilitatem, & vivendi modum in omnibus servavit, quem ab ineunte pæne ætate jam imbiberat, ita ut potiùs remissus nec multæ activitatis homo crederetur, in rebus publicis non multùm se inmiscens, nisi quantùm dignitatis suæ onus requirebat. Unde quum in Concilio Constantiensi multæ hinc inde altercationes propter contentiones hominum diversæ obedientiæ insurrexissent, ipse velut æquus arbiter in nullam se partium constituit defensorem, sibi ipsi potius vacans, & aliena non quærens. Gratus propterea tam Imperatori, quàm Cardinalibus, ceterisque de Concilio factus, hunc, quem omnium nationum parentem judicabant, sibi Summum Pontificem petierunt, tanto animarum consensu & concordia, ut nulla Summi Pontificis electio ex multo tempore majori votorum & animorum unitate celebrata fuerit. Hic in Summum Pontificem electus sciens se vocatum in plenitudinem auctoritatis & potestatis omnium, illam remissionem, & neglectum rerum præteritarum excussit, manum mittens ad fortia, & alios ad honorem Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ utilitatem excitabat. Somno, & quieti, ac cibo etiam parum indulgens, jam in virum alterum mutatus videbatur, de eoque rectè illud dicebatur: *Principatus vires ostendit*. Multa facilitate omnes ad se admittens & audiens, cunctas à se lætos, & vati compotes, aut contentos dimittebat. De prudentia verò ipsius, quæ certè eximia erat, omnium idem judicium habebatur, perpaucosque ex Romanis Pontificibus extitisse ferebatur, qui in consultando tam sapienter rei & rationis medium teneret, & quid esset amplectendum, quidve fugiendum esset, ex tempore tam aptè judicaret. Secreti sui abstinentissimus fuit, ita ut perpauci quid facturus esset, vix umquam intelligere possent. In sermone brevis; & quæ exprimebat, sententiis plena erant. In cæremoniis quoque Ecclesiasticis, quæ ad Dei cultum, ad statumque Summi Pontificatus pertinebant, ita se habebat, ut cunctos ad summam reverentiam & devotionem provocaret. Justitiæ amator, & nullius acceptans personam, æqua lance unicuique, quod suum erat, tribuebat. Talem profectò Pontificem decebat Ecclesiam Dei habere post tam longum & inveteratum in Ecclesia Dei dissidium, & antiquatum Schisma, qui sua bonitate, prudentiâ & tolerantia sciret & posset naviculam Petri, quæ pæne submersioni proxima fuerat, in tranquillo & quieto portu collocare, quemadmodum Domino adjuvante brevi tempore hic almificus, & à Deo dilectus Pontifex collocavit, & moriens etiam in magna tranquillitate & pace dimisit.

Post creationem itaque suam miraculose, ut sic dixerim, factam, Petro de Luna cum Cardinalibus, & nonnullis Prælatis sic in Paniscola permanentibus, quum adhuc quidam Populi Aragoniæ in animis suspensis remanerent, decrevit, sacro Constantiensi approbante Concilio, ad partes Aragoniæ destinare Legatum Dominum Alemannum de Adimariis tituli Sancti Eusebii Presbyterum Cardinalem, natione Florentinum, virum singularem pro exsequendo processu contra Dominum Petrum jam de Papatu abjectum, & contra ei faventes & adhærentes. Qui quum ingrederetur legationis suæ terminos, Cardinales quatuor, præfati videlicet, Montis Aragonum, Sancti Georgii, Sancti Eustachii, & Sancti Angeli, sic in sua dudum obedientia nominati, una cum certis Prælatis, qui remanserant in Paniscola, multum reverenter perpluries sæpe dictum Dominum Petrum de Luna requisiverunt, vellet jam facere & implere quod promiserat. Allegabant etiam privationem Johannis, & renuntiationem Gregorii per consensum fere omnium Christianorum postea subsequutam, Ecclesiam Dei jam unitam esse in persona Domini Martini, unde non poterat amodo dubitare, quod ipso cedente non remaneret amplius Ecclesia in Schismate; & quod ipse erat ille, qui per suam renuntiationem poterat indubitatam pacem dare toti Populo Christiano, & ita deinceps nullus scrupulus ampliùs posset remanere. Quod si hoc faceret, pro quo magnis precibus, & cum lacrymis supplicabant, sequeretur ei magna laus & meritum apud Deum; de mentibus quoque hominum omnis hæsitatio tolleretur. Ad quos Dominus Petrus de Luna respondit, se nolle renuntiare, satagens suis commentitiis argumentis electionem tam sanctam de Domino Martino prædictam improbare, addens se intellexisse multa de humilitate & bonitate Domini Martini, & quod cum ipso bene concordaret. Videntes igi-

(*) *Muratorius*. Codex Vaticanus habet heic ea, quæ superius in Additamentis ad Ptolomæum Lucensem exscripsimus, nequaquam propterea nunc repetenda.

igitur Cardinales & Prælati prædicti, non posse cor hominis induratum flectere, tamdem ab ipso recesserunt, & cum Legato Apostolico concordarunt, & ad obedientiam Domini Martini, recognoscendo eum unicum & indubitatum Pontificem, tamdem venerunt. Cum Domino Petro de Luna remanserunt duo Anticardinales, unus Cartusiensis, & alius qui dicebatur Dominus Julianus de Dobla, qui fuerat suus Auditor Cameræ. Jam etiam ab eo recesserat omnis Hispaniarum obedientia. Remanserant solummodo Rex Scotiæ, & Comes, qui tamdem veritatem cognoscentes, in plenam obedientiam Domini Martini venerunt. Sic tota Christianitas, Paniscolâ exceptâ, unum Ecclesiæ Sponsum Dominum Martinum tenebat & reverebatur. Ecclesiæ unione perfectâ, non tamen absque magnis laboribus tam Secularium, quàm Ecclesiasticorum Principum, & in primis invictissimi Romanorum Imperatoris Sigismundi, cui præcipue opus hoc, Deo inspirante, fuit attribuendum: restabat, ut fieret in sacro Concilio Reformatio morum tam in Clero quàm in Populo Christiano. Sed quum jam Anno circiter quarto Concilium in Civitate Constantiæ perstitisset cum multo Prælatorum & Ecclesiarum prædictarum incommodo & etiam gravi sumtu, placuit summo Pontifici Martino, sacro consulente Concilio, materiam hanc Reformationis in tempus, & in aliud Concilium differre, ita ut in proximo futuro Concilio materia Reformationis duceretur in medium. Et quia non omnium nationum idem est ritus, & vivendi modus, & juxta beati Hieronymi dictum, quælibet Provincia abundat in sensu suo juxta uniuscujusque nationis mores: in quibusdam Capitulis cum unaquaque ad quinquennium tantùm Dominus Martinus loco generalis cujusdam Reformationis concordavit. Et quoniam decretum de celebratione generalium Conciliorum inter cetera hoc habens, fuit promulgatum statim post Domini Johannis fugam, aliud quoque decretum ediderunt inter cetera hoc habens, quod à fine Concilii Constantiensis ad quinquennium deberet generale Concilium celebrari, & à fine illius Concilii ad septennium aliud identidem Concilium celebraretur, à fine cujus ad decennium, & sic dedecennio in decennium generalia Concilia tenerentur pro necessitatibus Ecclesiæ. Quod quidem decretum generalium Conciliorum, sic ut præmittitur, de tempore in tempus celebrandorum D. Martinus recepit, & per suam Bullam approbavit. Cetera verò decreta ante ejus assumtionem facta quantum Fidem Catholicam concernebant, & non aliter, similiter recepit, & auctoritate Apostolica comprobavit. Ut autem Dominus Martinus decreto de celebrandi Concilii satisfaceret, & aliud generale Concilium ad quinquennium celebraretur, tertio decimo Kalendas Maji publicam sessionem tenuit, in qua sacro consentiente & approbante Concilio, Civitatem Papiæ in Lombardia deputavit pro loco futuri Concilii in dicta Civitate celebrandi. Cujus quidem deputationis Apostolicæ tenor talis est. *Martinus Episcopus, servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Cupientes ac etiam volentes decreto hujus generalis Concilii satisfacere, inter alia disponenti, quod omnino generalia Concilia celebrentur in loco, quem summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii, approbante & consentiente Concilio, deputare & assignare teneatur: Civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, atque assignamus, statuentes & etiam decernentes, quod Prælati & alii, qui ad generalia Concilia debent convocari, tempore prædicto ad ipsam Civitatem Papiensem accedere teneantur. Nulli ergo hominum &c. Datum & actum Constantiæ in loco publicæ sessionis dicti Concilii tertio decimo Kalendas Maji, Pontificatus nostri Anno Primo.* Aliam quoque sessionem, ultimam videlicet, solemni ritu celebravit, præsente Imperatore, & copiosa Principum & Prælatorum multitudine, die XXII. mensis Aprilis Anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo octavo, in qua, sacro approbante Concilio, illud Constantiense tam magnum, & tam memorandum, quàm venerandum Concilium dissolvit, Reverendissimo Domino Ubaldo Sancti Viti in Macello Diacono Cardinali, de mandato dicti Domini Martini, & consensu totius sacri Concilii, hæc verba alta voce atque intelligibili dicente: *Domini ite in pace*. Sicque Concilio dissoluto quilibet cum gaudio ad propria remeavit.

Fuerat summus Pontifex Martinus magnis precibus exhortatus ab Imperatore, ut se aliquantulum tempus contineret in Germania; sed & Gallici precabantur eum, ut proficisceretur in Galliam; ipse verò Pontifex considerans, totum patrimonium Ecclesiæ in Italia occupari per Tyrannos & gentes armorum, quodque Urbs Romana peste, fame, & guerris laboraverat, & pæne ad interitionem redacta fuerat: compatiens sedi propriæ, & indolens ejus calamitati, tot malis in persona propria occurrere statuit, & ad sedem propriam remeare decrevit. Dicebat enim justum esse, ut facta unione in persona sua, in propria sede unicus & indubitatus Christi Vicarius, & legitimus Petri Successor collocaretur. Recessit ergo de Constantia, & iter faciens per Sabaudiam, venit Mediolanum; deinde Mantuam intravit Anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo octavo, die . . . . Novembris, ibique Curiam suam tenuit mensibus circiter quatuor. Anno verò Domini Millesimo quadringentesimo decimo nono III. Februarii de Mantua recessit, & per Ferrariam transiens & Romandiolam, venit Florentiam, ubi Curiam tenuit mensibus XVIII.

Non enim per Bononiam transire voluit, quoniam tunc rebellis erat Ecclesiæ Populus Bononiensis, seque à dominio Ecclesiæ post privationem Domini Baldassaris Cossæ subtraxerat, & in sua rebellione usque tunc perdurabat. Caussa verò, cur potissimum se ad Civitatem Florentinam contulit, illa fuit, quia Brachius de Montone totum Ducatum Spoletanum, & Patrimonium Beati Petri unà cum Civitate Perusina, & multis aliis Civitatibus, Castellis, & Terris occupaverat, sibique etiam confœderaverat multos Tyrannos, & armorum Capitaneos. Quibus sic per tyrannidem occupatis, non ipsi Domino Martino ad Urbem, ad quam proficisci proposuerat, tutus accessus erat. Per id tempus Brachius de Montone valde potens armis & terris, multum amicabatur Populo Florentino. Per hanc ergo occasionem, ut mediatoribus Florentinis, Brachius Ecclesiæ Terras restitueret, & tutum iter ad Urbem Pontifici faceret, Martinus ad Civitatem Florentiæ divertit; ubi quum Brachius in sua duritie persisteret, & Terras Ecclesiæ restituere recusaret, Beatus Pon-

Pontifex ad arma ſpiritualia recurſum habens, contra eum in forma juris proceſſit, ipſumque in publico Conſiſtorio excommunicavit, & in Terris, quas occupabat, Interdictum poſuit, Ducemque Spoletinum Comitem Antonium de Urbino creavit. Unde Florentini hoc videntes, ſe mediatores pacis conſtituerunt inter Dominum Martinum & Brachium occupatorem. Tamdem & pax firmata extitit, & Brachius ad pedes Domini Martini veniam poſtulaturus acceſſit, magnam partem Terrarum Eccleſiæ, quas occupabat, relaxavit; & inſuper contra Bononiam rebellem Eccleſiæ potenti manu ſe convertit, ut eam in poteſtatem Domini Martini revocaret. Pro qua expeditione creatus eſt tunc Legatus de latere Dominus Gabriel Condolmero tituli Sancti Clementis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, poſtea Eugenius Papa IV. cum quo Brachius contra Bononiam perrexit, & tamdem in poteſtatem Eccleſiæ Civitas ipſa reducta eſt.

Martino itaque Florentiæ exiſtente, venerunt pariter Florentiam quatuor illi Cardinales de obedientia olim Petri de Luna cum magna comitiva Prælatorum & Corteſanorum Hiſpanorum ad numerum fere ſexcentorum equorum in valde decenti apparatu, qui in publico Conſiſtorio cum magno gaudio à Papa & tota Curia ſuſcepti ſunt. Tres eorum erant Diaconi Cardinales, videlicet Sancti Georgii, Sancti Euſtachii, & Sancti Angeli, quartus verò Presbyter Cardinalis Sancti . . . . Montis Aragonum Canonicus Regularis. Erat per id tempus Dominus Baldaſſar Coſſa adhuc in carceribus apud Eldeberg in manibus Comitis Palatini carceratus in Germania, pro cujus relaxatione quidam Cives Florentini, pænes quos magna ejuſdem Baldaſſarris pecunia fore dicebatur, agere cœperunt apud beatiſſimum Pontificem pro liberatione præfati Domini, rogantes, ut partes ſuas interponeret, quod & fecit. Miſit enim Legatum ad Comitem Palatinum, perſuadens ei, ut dictum Baldaſſarrem relaxaret. Ipſe verò Palatinus acceptis primò triginta millibus Ducatorum, quibus ſe dictus Baldaſſar redemit, eum tamdem à carceribus dimiſit. Qui quum iter faceret ad Italiam pergens per Lombardiam, ut veniret Florentiam, rectâ viâ ad terras Domini Petri de Roſſis Parmenſis diſtrictus pervenit. Ibi Domino Baldaſſarri nuntiatum extitit, inſidias ſibi parari in via, & ſi progrederetur ulterius, futurum eſſe ut iterum caperetur, & carceri manciparetur. Hoc intellecto Dominus Baldaſſar duobus tantùm ſociis comitatus noctu de loco, ubi hoſpitatus erat, ſurrexit, & auxilio dicti Domini Petri de Roſſis, qui ſibi multùm amicabatur, clam nuntiis Papæ concomitantibus, fugam petiit, ſeque tamdem contulit in poteſtatem Domini Thomæ de Campo Fregoſio Januenſium Ducis, cui & in Cardinalatu & Papatu per multa retro tempora amicus & ſervitor exſtitit. Vulgatâ Domini Baldaſſarris fugâ, quum eſſet homo alti cordis, & fuerat unus de contendentibus de Papatu, creditum eſt à multis, periculum aliquod imminere Eccleſiæ, quaſi per hanc fugæ occaſionem Schiſma reintegrare deberet. Non defuerunt etiam, qui eidem perſuaderent, ut tentaret fortunam, & iterum Pontificatum arriperet; Sed Deus opus unionis tot periculis comparatum deſerere nolens, Domini Baldaſſarris animum inſpiravit, ut perſonaliter veniret Florentiam. Venit ergo cum magna totius Populi Florentini, & Romanæ Curiæ exſpectatione, & ad Domini Martini pedes procidens, eum verum & indubitatum ſummum Pontificem recognovit; & omnia, quæ circa Pontificis electionem geſta fuerant, quantum in ſe erat, approbando & ratificando ſuſcepit. Mira profectò res hæc viſa eſt omnibus, & Dei ſumma benignitate fabricata, ut homo in ſummo rerum faſtigio conſtitutus, de Papatu dejectus, in libero loco, & ubi plurimùm diligebatur, & poterat, poſitus, hoc faceret, quod multi etiam ex Cardinalibus, qui fuerant de obedientia Domini Petri de Luna vix ſiccis oculis inſpicere potuerunt. Hac humiliatione & recognitione peracta per Dominum Baldaſſarrem, decurſis diebus aliquot, Dominus Martinus eum Epiſcopum Cardinalem Tuſculanum creavit, ſicque uſque in diem obitus ejus inter Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſedit. Poſt aliquot verò menſes idem Dominus Baldaſſar Florentiæ moritur, & in Sancti Johannis celebratiſſimo Templo honorifice tumulatur.

Dum Papa ſic Florentiæ moraretur, venerunt Oratores Imperatoris Conſtantinopolitani, petentis velle uniri Romanæ Eccleſiæ, quos Papa benigniſſime ſuſcepit, atque Legatum Apoſtolicæ Sedis pro hoc creavit Dominum Petrum de Fonte-Sicii Cardinalem Sancti Angeli Hiſpanum, virum per omnia doctum, præmiſſo Conſtantinopolim Fratre Antonio de Maſſa Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro ad explorandam Imperatoris mentem & diſpoſitionem ad tam ſanctum opus. Appropinquabat tempus, quo beatiſſimus Pontifex Maximus Martinus Sedem ſuam Romanam peteret; ſed pro memoriali perpetuo Florentinorum voluit ante diſceſſum ejus Civitatem honore Metropolitico decorare. Quum enim habuiſſet Epiſcopum ab ipſa pœne origine Civitatis, Epiſcopatum erexit in Archiepiſcopatum, eique ſubjecit, & ſuffraganeos fecit Epiſcopatum Vulterranum & Piſtorienſem. Conſecravit etiam manibus propriis Altare Sanctæ Mariæ Novellæ Ordinis Prædicatorum, ubi continue, dum Florentiæ foret, moram traxit, ibi Indulgentias tribuendo. Et quum jam omnes difficultates ſuſtuliſſet, quibus iter ſuum ad Urbem retardabat, tamdem de Florentia diſcedens in craſtinum Nativitatis Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti, profectus eſt versùs Urbem, quam cum Romanorum omnium incredibili lætitia & ſingulari applauſu intravit XXII. Septembris Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo vigeſimo primo. Invenit Civitatem Romanam pacificam, ſed ita inopiâ laborantem, ut vix præ ſe Civitatis faciem ferret. Omnis cultus, omniſque ornatus propter mala, quibus afflicta fuerat, ab ipſa receſſerat. Compatiens pius Paſtor Civitati ſuæ, omnem modum, quo reſtaurari poſſet, adhibuit; & tamdem per Pontificis ſtudium de tempore in tempus ſic convaluit, ut inter primas Italiæ Civitates, quo ad opes & Cives egregios, veriſſime Pontificatus ſui tempore computari potuerit, meritoque ille non modò ſummus Pontifex, ſed Pater patriæ debuerit appellari.

De Menſe verò Novembris Anni ſequentis in Vigilia Beati Andreæ flumen Tiber extra alveum ſuum egreſſus, à Campo Floris per viam Papæ & Parionis, per Portam Flaminiam ingrediens, & uſque ad Sancti Marci Ec-

Ecclesiam se extendens, Urbem inundavit. Templum Pantheon aqua repletum est usque ad Altare majus; dumque aqua ad staturam fere duorum hominum excrevisset, navigareturque per vicos, quos aqua Tiberis repleverat, tamdem per duos dies siccatæ sunt aquæ, & Tiber ad proprium alveum regressus est, non sine multo Romanorum damno ..... quæ è campis remanserant, perditione. Venit futura æstate Romam Rex Ludovicus filius quondam Ludovici Regis pro titulo Regni Siciliæ, quem & à Domino Martino impetravit cum subscriptione Cardinalium tunc præsentium in Curia. Qui Rex adoptivus factus Reginæ Johannæ II. putabat per hanc viam consequi posse pacifice Regna Siciliæ gubernanda. Sed studio partium prædictus Rex Ludovicus repulsus in Calabriam secessit. Appropinquabat tempus quinquennii, infra quod juxta Bullam suam, & decretum Constantiensis Concilii, Summus Pontifex Concilium celebrare debebat, quod & ipse ante discessum suum de Constantia solemniter indixerat. Actumque est ergo secretiori Concilio cum Fratribus, ut Pontifex ipse præmitteret aliquot ad Civitatem Papiæ prædictam, qui Concilium illud inchoarent; ipse verò cum Cardinalibus initiato Concilio sequi destinavit. Itaque pro hoc Præsidentes suos numero quatuor, videlicet Petrum Donatum Episcopum Spoletanum, Petrum Abbatem de Rossatio Aquilejensis Diœcesis Referendarios suos, & Fratrem Leonardum de Florentia Generalem Magistrum Ordinis Prædicatorum, qui ad Civitatem Papiensem accedentes, neminem ferè invenerunt præter duos Abbates de Burgundia, qui illuc pro celebratione præfati Concilii jam convenerant. Statutâ tamen die Præsidentes ipsi unà cum iis, qui aderant, convocatis etiam Prælatis circumvicinis, in Dei nomine Concilium inchoarunt; & in prima Sessione Missam celebravit Reverendissimus Pater Andreas Episcopus Poznaniensis, & sermocinatus est Magister Johannes de Ragusio Ordinis Prædicatorum; sicque per multos dies steterunt, paucis adhuc comparentibus. Supervenerunt tamdem ex Anglia Prælati & Abbates aliquot, cum quibus vix aliquid fieri poterat, quoniam Concilium carebat partibus suis, illud videlicet constituentibus. Nam de natione Germanica nullus venerat, & de natione Gallicana erat Episcopus unus tantùm, videlicet Ambianensis, qui de Episcopatu constituto in Normandia litigabat. Et licèt fortè cum his paucis, qui ante aderant, multa potuissent expediri, tamen parvi momenti cognoscentes fore, quæ essent, licèt fortè juridice, à paucis stabilita, decreverunt adhuc modicum absentes præstolari. In hac itaque exspectatione stantibus tam præsidentibus Papæ, quàm ceteris paucis, supervenit Papiæ grandis pestis, quæ compulit Præsidentes ad transferendum Concilium ad alium locum tutum & sanum. Habitâque super hoc consultatione, de communi omnium ibi congregatorum concordia in solemi Sessione translatum est tamdem Concilium de Papia ad Civitatem Senarum, in quo loco major multitudo convenit ex omni natione, quàm Papiæ convenisset. Per id tempus Dominus Alphonus Aragonum Rex infensus erat Domino Martino, pro eo quod titulum Regni Siciliæ, ad quod aspirabat, ab ipso habere non poterat. Erat etiam eidem Domino Martino Brachius de Montone effectus inimicus, qui ruptis fœderibus pacis, etiam Ecclesiæ velut publicus hostis inimicabatur. Misit igitur Rex Alphonsus ad Concilium Senense quemdam Militem Oratorem suum, qui quotidie secretas practicas habebat cum quibusdam de Concilio de ducenda Synodo in longum, & quasi vellent iterum per distortas vias introduci facere caussam Petri de Luna adhuc superstitis in Paniscola existentis, quique de Papatu fuerat dejectus. Hæc perpendens Dominus Martinus, & intelligens, quantam perniciem hæc Concilii protractio parere poterat per hæc machinamenta, cum jam aliqua decreta Fidem cernentia in eodem Concilio fuissent publicata, mandavit Synodum dissolvi, priùs tamen electo & deputato loco, ubi haberet generale futurum Concilium celebrari. Præsidentes itaque una cum Prælatis omnium nationum Civitatem Basiliensem Provinciæ Bitontinæ concorditer deputarunt pro loco futuri Concilii ad septennium celebrandi. Per hunc modum & Concilio Senensi, & machinationibus volentium iterum Schisma suscitare, finis impositus est.

Hic Beatus Pontifex Anno secundo sui Pontificatus per manum Domini Petri Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinalis coronari fecit Dominam Reginam Siciliæ Johannam Secundam, sororem olim Ladislai Regis, quæ tempore procedente Alphonsum Regem Aragoniæ prædictum in filium, ut prædiximus, adoptavit, quum naturalibus & legitimis filiis Regina careret. In eaque domus nobilis de Durachio extincta est. Eumdem Alphonsum Regina præfata, publicè propositâ causâ, postmodum abrogavit, & Ludovicum filium Ludovici Regis Siciliæ, à Domino Alexandro V. & Johanne XXIII. de Regno investiti in filium adoptavit. Non desinebat Brachius de Montone eam multipliciter vexare, & se de Regno Siciliæ, & præcipuè Civitate Aquilana, quam multipliciter obsidebat, intromittere. Contra quem Dominus Martinus exercitum paravit; sed Dominus de cœlo victoriam monstravit fovendo partem justiorem. Victus enim est Brachius in campo prope Aquilam, captus, & interfectus, corpusque ejus Romam delatum, & extra Portam Sancti Laurentii in loco profano sepultum. Per hanc victoriam magna Domino Martino felicitas accrevit, & summa quies omnibus terris Ecclesiæ. Nam Tyranno hoc extincto, omnes Civitates, quas detinebat, in potestatem Ecclesiæ Romanæ pervenerunt, inter quas fuere Perusina, Tudertina, Asisium, innumerabiliaque alia Castella & Oppida munitissima. Multique præterea Tyranni, & occupatores terrarum Ecclesiæ se tunc Domino Martino sponte submiserunt. Hac igitur victoriâ partâ, & terris hujusmodi in dominio Ecclesiæ existentibus decrevit almificus Pontifex pace à Deo sibi de cœlo partâ frui, & ab armis penitus abstinere. Sicque omnes ejus nomen reverebantur & timebant. Nullus erat viarum obsessor, nullum peregrinis præstitum impedimentum; die noctuque hominibus securum iter erat, & cum omnibus bonis & rebus suis in nemoribus, velut in Civitatibus, aliquando transeuntes habitabant; tantaque erat tranquillitas, tanta fertilitas, tantaque etiam in omnibus Terris Ecclesiæ pax, ut Octaviani Principis tempora venisse crederes. Hic armatam Bohemiæ Hæresim exstir-

stirpare, quæ omnem pœne Germaniam timore perculsam terrebat, in manu forti & potenti destinavit. Primò Dominum H. Cardinalem tituli Sancti Eusebii ad hoc opus misit, deinde Dominum B. Cardinalem Placentinum, postremò verò Dominum Julianum Cardinalem Sancti Angeli, Apostolicæ Sedis Legatum, qui pro tunc, non tamen culpâ suâ, sed ignaviâ potius Catholicorum, Hæreticorum potentiam & sententiam nimiùm pertimescentium, parum profecit. Hic à Deo dilectus Pontifex multas Ecclesias Urbis reparavit. Nam porticum Sancti Petri, quæ ruinam minabatur, ex integro magnâ impensâ reædificavit. Pavimentum quoque navis mediæ Lateranensis Ecclesiæ sumtuose valde fecit construi lapidibus porphyreticis & serpentinis. Eamdem etiam navim de novo pretiosis figuris, & mirâ arte fabricatis, ex parte pingi procuravit; sed morte præventus complere opus non potuit. Palatium etiam Basilicæ duodecim Apostolorum, in quo magno tempore habitavit, quasi ex novo construxit. Ad ejus imitationem omnes fere Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales eorum titulos ruinnæ pœne proximos repararunt, & ad magnum ornatum usque perduxerunt. Hic Papa ordinationem fecit nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, inter quos Nepotem suum Dominum Prosperum de Columna, Sancti Georgii ad Velum aureum creavit Cardinalem.

Interea Petrus de Luna in Paniscola, ut sæpe dictum est, moram trahens, & usque ad ultimum vitæ spiritum in sua duricie persistens, diem clausit extremum. Ipso defuncto duo Anticardinales, qui ei adhæserant, quos supra nominavimus, novum conflare Idolum aggressi sunt; nam quemdam Ægidium Munionis Canonicum Barchinonensem, genere nobilem, elegerunt, & non sine voluntate Alphonsi Aragonum Regis moderni, qui adversabatur Domino Martino, pro eo quod ab eo titulum Regni impetrare non poterat. Et ipse Ægidius profanationi de se factæ consensit, voluitque Clemens VIII. appellari. Creavit Cardinales, & reliqua fecit, quæ per Summos Pontifices consueta sunt fieri. Tamdem de consensu Domini Alphonsi Regis Aragonum prædicti, reconciliati Domino Martino, in cujus patria & Regno erat Castrum Paniscolæ, Dominus Martinus ad partes illas Dominum Petrum Cardinalem de Fuxo misit Apostolicæ Sedis Legatum, in cujus manibus ipse Ægidius suo prætenso Papatui sponte resignavit, quem postea in Episcopum Majoricensem Dominus Martinus promovit. Ceteri autem Cardinales ab ipso creati, omnes libere cesserunt. Duo verò Anticardinales olim Petri de Luna, qui hunc Antipapam creaverant, in sua duricie permanentes, ab ipso Domino Cardinali de Fuxo capti sunt, & diris carceribus mancipati. Sicque ex omni parte Schisma tam longum studio hujus Pontificis, Deo adjuvante, extinctum est. Habebat hic Beatus Pontifex duos fratres ex utroque parente, tempore sui Pontificatus, Dominum Marcum Jordanum Principem Salernitanum, & Laurentium Comitem Albi. Erat Dominus Jordanus grandior natu, quem ut patrem ratione ætatis Pontifex ipse colebat; & Laurentius minor erat ætate; ipseque Dominus Martinus medius inter eos. Contigit, fratrem majorem ex acutissima peste infirmari; & quum morti proximus foret, nequivit se Pontifex continere, quin fratrem omni timore pestis abjecto, antequam obiret, videret, visitaret, alloqueretur, & vicinum tangeret, & per magnum spatium cum eo continuò Christiane exhortando remaneret: quod certe grandis, immo excessivi amoris signum ab omnibus exstitit judicatum. Et quod paucissimi etiam privati homines fecissent, ipse Pontifex nimio fratris amore devictus & fraterna pietate, intrepide facere aggressus est. Cujus mortem postea ita patienter tulit, ut de se cunctis spectaculum simul & exemplum præberet. Alter ejus frater, dum in Turri quadam esset, igne casu inopinato absumtus fuit. Mane, antequam celebraret (instabat enim dies solemnis) novum istud tam inopinatum, & casum tam miserabilem, quidam domestici ei nuntiarunt. Quo intellecto non dimisit propterea publice divina, etiam siccis oculis, celebranda; sed quieto & placido, ut videbatur, animo omnem Missæ solemnitatem explevit. Erat enim homo constans, & integri propositi, quique ad omnia adversa paratum jam animum haberet. Quum verò Deus statuisset post tot bene gesta Dominum Martinum ad æternam vitam vocare, circiter finem mensis Februarii Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Trigesimo, ex apoplexia jam sumto prandio infirmatus est, & nocte sequenti paulo ante diem hic beatissimus Pastor, & semper memorandus Pontifex Deo animam reddidit, ætatis suæ, ut ferebatur, anno sexagesimo tertio. Cujus quidem mors non modò Populum Romanum, sed universos Christi fideles magno dolore confecit. Dimisit tamen Ecclesiam ab omni prorsus Schismate liberam, & ab omni strepitu bellorum in feliciſsimo statu quietam. Nec erat Christianus Princeps, qui eum in summo honore & cultu pariter non haberet. Corpus terræ, ut ipse in vita mandaverat, in Ecclesia Lateranensi sepultum est ante Capita Apostolorum Petri & Pauli, ut quorum semper tenuerat memoriam, & pro quorum semper honore pugnaverat, ipsi apud Deum pro eo fierent intercessores. Cessavitque Episcopatus diebus XII. Numerus Sanctorum Pontificum est CCXII. de quibus octoginta novem fuerunt natione Romani.

DE EUGENIO IV.

Ex additamentis ad Ptolomæum Lucensem, e Codice MSto Patavino, & penes Baluzium.

EUGENIUS Papa IV. natione Venetus de Condulmeriis, primò fuit Thesaurarius Domini Gregorii XII. secundo factus est Episcopus Senensis, & tertio Cardinalis in Luca; quartò verò die Veneris III. Martii hora vesperarum in Sancta Maria de Minerva in Roma Papa factus & publicatus & coronatus est die XI. dicti mensis Martii cum lætitia Romanorum & Principum Anno MCDXXXI. Eugenius verò Papa partem de Ursinis cepit contra communem existimationem, quòd deberet recipere in filium nepotem Papæ Martini immediate prædecessoris, qui habebat thesauros Ecclesiæ, & gentes armorum, & plures terras; sed oppositum fecit. Pro primo capi fecit Dominum Ottonem Thesaurarium, & Dominum Episcopum Tiburtinum olim Cubi-

Cubicularios Papæ Martini, & domos eorum novas multis bonis spoliavit, Capitaneo Stephano Columna compatre suo, qui acceptâ portione sua de spoliis fugam petiit Prænestem. Post aliquot verò dies Cardinalis de Columna frater Principis sine Papæ licentia de Roma recessit; unde secutum est, quod in die Sancti Georgii, XXIII. Aprilis ejusdem Anni gentes Principis intraverunt Romam, & primò duas portas ceperunt; sed nulli violentiam fecerunt, sperantes quod pars Columnensis insurgeret contra Papam; ipsi verò non moverunt se, & statim Roma liberata fuit. Præfatus verò Stephanus fatue Romam intravit, firmavitque se in palatio Ecclesiæ Sancti Marci, volens ulterius prosequi. Quare die sequenti succursus de gentibus Papæ expulerunt gentes Principis, & inter alios portatores saccorum intraverunt inter eos, & dam nosius percusserunt. Deinde Romam, & alii plures domos novas bonis repletas de familia Papæ Martini turpiter spoliarunt, & domum Dominici de Capranica, qui pronuntiatus fuerat Cardinalis per Papam Martinum; sed quia non misit sibi Cappellum, vacante Sede eum Cardinales non admiserunt. Item domum præfati Cardinalis de Columna, qui habitabat juxta Sanctos Apostolos, domum Johannis Orlandi, domum præfati Stephani de Columna, & palatium Sancti Marci, unde vi expulsus est, & domum Mariani, & domum Antonii Baptistæ, qui portam Appiæ Principi dedit. Die verò Sabbati ultima Junii MCDXXXI. Frater Thomas Prior, qui tractaverat Castellanum Castri Sancti Angeli interficere, & Castrum capere, revelato tractatu captus, graviter tortus est, & per ejus confessionem; & duo cives propter seditionem, quam intendebant; ditiores Romani capti etiam sunt, & aliqui positi ad torturam. Numquam Roma in tali periculo fuit. Nam capto ipso Castro, si Papa ibi ignoranter confugisset, primò eo interfecto, regiones plures cum gentibus Antonii de Columna partem adversam de Ursinis, & Cortesanos omnes spoliassent. Ita Frater Thomas confessus est, & aliquos prodidit viros conscios hujus rei. Quare post degradationem solemnem in Campo Florum appensus, & mortuus in quatuor partes divisus est. Eodem Anno MCDXXXI. die verò XIX. Septembris Eugenius Papa die Mercurii primo quatuor Temporum, eo in loco existente infirmo, pronuntiavit nepotem suum Presbyterum Cardinalem Venetiarum, & Dominum Angelottum Romanum, Episcopum Cavensem, Cardinalem Sancti Marci, & eâdem horâ dedit eis Cappellos, & equitarunt per Civitatem soli cum eorum familia. Et die XXII. mensis Septembris facta est proclamatio, campanis pulsatis omnibus totius Urbis, de pace facta inter Dominum Papam, & Antonium de Columna Principem Salernitanum nepotem Papæ Martini. Recepit enim Papa super hoc LXXV. millia Ducatorum. Item eodem Anno venit Imperator Sigismundus in Italiam, & XXII. mensis Novembris intravit Mediolanum, deinde XXV. videlicet in die Sanctæ Catharinæ coronam assumsit in Oppido Monzæ.

Demum Anno MCDXXXIII. plura bella facta sunt in Lombardia inter Ducem Mediolani, & Venetos, & similiter in Forojulii cum Hungaris. Et Concilium Basileæ multùm fortificatum est, concurrentibus pluribus de Alamannia, & Rege Franciæ, & Duce Burgundiæ, qui posuerunt caussam suam in manibus Concilii. Papa verò cum auxilio Cardinalium, transtulit illud Concilium in Bononiam. Sed Imperator, Prælati, & Principes in Basilea congregati noluerunt consentire, & ter monuerunt Papam & Cardinales, ut ibidem deberent accedere; & post longam contentionem Papa Concilium Basiliense confirmavit per Bullas, & misit ibidem Præsidentes suos duos Cardinales, pluresque Prælatos, & similiter mandavit Prælatis aliis, ut ad Concilium irent. Postea Papa captus à Romanis honeste fuit; sed per astutiam fugit, & per Tiberim, & per mare ivit Pisas, deinde Florentiam; & stetit ibi anno uno, mensibus octo, & diebus vigintiduobus. Et relaxato nepote Cardinale à Romanis, venit Florentiam. Consecravit Ecclesiam Florentinam.

Demum recessit inde, & venit Bononiam, XXII. Aprilis MCDXXXV. Fecit reædificari Castrum, unde itur de Bononia Ferrariam. Et palatium plateæ muro fortissimo à parte retro fortificavit, & turribus circuivit.

Eodem tempore dictus Eugenius Papa, videlicet Anno MCDXXXVII. Anno sui Pontificatus VII. decima octava Septembris in generali Consistorio in Bononia, Concilium Basiliense transtulit Ferrariam Civitatem Italiæ; & hoc ad instantiam Græcorum solemnis ambasciatæ, qui cum Ecclesia Romana venire se promiserant. Eodem etiam tempore novum in Bononia venit, quod Dominus Sigismundus Romanorum Imperator die IX. Decembris in Pragha diem suum clausit extremum.

Die verò VIII. Januarii MCDXXXVIII. Concilium præfatum in dicta Ferraria cœpit, ubi fuerunt in prima sessione Prælati XL. una cum Legato Domino Cardinali Sanctæ Crucis. Demum Dominus Eugenius recessit de Bononia, ac die XXVII. Januarii Ferrariam magno cum honore intravit, & die VIII. Februarii MCDXXXVIII. applicuit Imperator Constantinopolitanus una cum suo Patriarcha Venetias cum Galeis suis & Venetorum, & intravit Ferrariam, ubi erat Eugenius Papa & Concilium congregatum, die IV. Martii cum solemnitate, sicut solet Romanus recipi Imperator, superposito pallio supra caput, Cardinalibus, & tota Curia comitantibus. Ejus nomen erat Johannes. Et una die idem Papa in Consistorio publico recepit Cardinalem Florentinum natione de Corneto, quem ante sex menses creaverat propter plures victorias contra inimicos Ecclesiæ habitas. Die verò VIII. Martii de mane intravit dictus Patriarcha Constantinopolitanus. Papa verò recepit eum in camera paramenti, qui fecit reverentiam debitam Papæ, & deinde Papæ osculatus est manum.

Die XX. Martii Anno eodem antedicto novum venit, quòd XX. die dicti Martii gener Imperatoris noviter defuncti, videlicet Dux Albertus de Austria, qui sibi successit in Regnis Boëmiæ, Ungariæ, & Bosnæ, electus fuit per Electores Imperii Romani in Regem Præterea Concilium Ferrariense die IX. Aprilis MCDXXXVIII. processionem fecit, ubi fuerunt centum & triginta Mitræ numeratæ, & processit ab Ecclesia Cathedrali circumiens Civitatem pro parte, & ad dictam redivit Ecclesiam; Missâque de Spiritu Sancto celebratâ cum reliquo officio, ut moris est, & fini-

finito officio, venit Imperator Johannes Græcorum cum omnibus Prælatis Patriarchæ Constantinopolitani cum reliquis Presbyteris, & universis Græcis. Qui ex opposito Papæ & Prælatorum Concilii in parte sinistra sederunt. Habuit etiam Imperator sedere more Imperatorum; & lecto in publico decreto Concilii per Prælatum per Bullam Papæ, tunc in eodem puncto Prælatus Græcus idem legit in Lingua Græca. Deinde per promotorem Concilii quæsitum fuit, si placebat, quod in Ecclesia & Concilio dicti Græci unirentur; cui responsum fuit per Prælatos omnes per verbum *Placet*; & simili modo Græci, qui petebant uniri, responderunt *Placet*. Eodem tempore Nicolaus Piceninus Ducis Mediolanensis Capitaneus cum septem millibus equitum transivit in Romandiolam. Prope Ferrariam cepit fortilitium, & Imolam, quæ erat Papæ, totamque Romandiolam Duci hæreditariam fecit. Finaliter intravit Bononiam nemine sibi resistente; expulsis gentibus Castrum novum, quod Papa fecerat, obtinuit, dictoque Domino Duci subjugavit, & die XX. Maji intravit MCCCCXXXVIII. Deinde versùs Lombardiam recessit, decursis aliquibus mensibus. Dominus Eugenius fecit sessionem in Concilio, & propter pestem transtulit Concilium de Ferraria ad Florentiam, in quo iverunt etiam omnes Græci, eorumque Imperator, & ipse Papa.

Die verò X. Januarii Anno Domini MCCCCXXXIX. in sessione Concilium translatum fuit. Die verò V. Julii MCCCCXXXIX. in octava Apostolorum facta est sessio in majori Ecclesia Florentina, ubi fuere (a) centum & viginti Mitræ, Papa Eugenio celebrante; & ita lecta est Bulla in Latino & Græco de concordatis Græcis labore plus sexdecim mensium super Symbolo, quod *Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedit*; & quod licitè appositum fuit Symbolo verbum *Filioque*; & quod in azymo sine fermento pane triticeo Corpus Christi conficitur, & quod sit Purgatorium. Item quod Romanus Pontifex in universum Orbem tenet principatum, ac Successor Petri, & Vicarius Christi, totius Ecclesiæ Caput, omniumque Christianorum Pater & Doctor existit. Et de ordine Patriarcharum secundùm antiquum morem stabilita sunt privilegia: videlicet quod Patriarcha Constantinopolitanus sit secundus post Papam. Lecta sunt hæc & promulgata in præsentia Imperatoris Johannis, ac aliorum nobilium Græcorum, & Jurisperitorum, & Philosophorum, & multitudine aliorum Græcorum. Sed in celebratione & in aliis suis moribus, sicut in primis terminis, remanserunt. Demum post discessum Græcorum laboratum est cum Armenis pro unione ferè mensibus IV. factumque est decretum, & præconizatum in Ecclesia majori Florentiæ, quemadmodum & Græcorum, circa instructionem Fidei, ut in omnibus cum Ecclesia Romana concordent & agant. Erant publice Prælati Armeni præsentes, & etiam pro absentibus promittentes. Igitur lecta est ibidem Bulla reformationis solemniter Armenorum data in sacrosancti Oecumenicique sessione Concilii Florentini Anno Domini MCCCCXXXIX. die verò XXII. Novembris. Præterea idem Dominus Eugenius Papa pronuntiavit, fecit, & creavit in Florentia die XVIII. mensis Decembris Anno Domini MCCCCXXXIX. Pontificatus sui Anno IX. in Consistorio publico XVII. Cardinales. Videlicet Archiepiscopum Remensem, Archiepiscopum Rothomagensem, Episcopum Tarentinum, Archiepiscopum Rossiensem Græcum, Archiepiscopum Capuanum, Archiepiscopum Eboracensem, Archiepiscopum Nicænum Græcum, Episcopos Morinensem, Cumanum, Augustensem, Agriensem, Cracoviensem, & Portugallensem, Andegavensem, Fratrem Johannem de Turrecremata, Presbyteros Cardinales, & Dominum Albertum de Albertis Diaconum Cardinalem. Et idem Papa dixit in sermone, videlicet: *& etiam creavimus certos alios, loco & tempore publicandos*. Eodem tempore, videlicet VI. Novembris Anno Domini MCCCCXXXIX. Amadeus Dux Sabaudiæ, qui tribus annis aspiravit ad Papatum, & fecit se Eremitam, electus est in Schismate in Papam per Congregationem Basiliensem, & vocatus Felix V.

Item eodem tempore anno Domini MCCCCXL. Dominus Eugenius transtulit Nepotem suum Cardinalem de Camerariatu ad Vicecancellariatum Romanæ Curiæ, & fecit Magistrum Aloysium primum Cubicularium suum Archiepiscopum Florentinum, inde Patriarcham Aquilegiensem, & cum illo titulo fecit eum Ecclesiæ Romanæ Camerarium. Demum verò prima Julii MCCCCXL. eumdem creavit in Presbyterum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem tituli Sancti Laurentii in Damaso; nec non creavit eadem die Petrum Barbo Venetum Protonotarium Nepotem suum ex sorore, Sanctæ Mariæ Novæ Diaconum Cardinalem. Penultimo die Julii MCCCCXL. gentes armorum Ecclesiæ prope Burgum & Civitatem Castelli fregerunt Nicolaum Picininum inimicum, & incursorem terrarum Ecclesiæ, & in quo exercitu erat principalis idem Dominus Aloysius Legatus & Patriarcha Aquilegiensis. (b)

Bulla Eugenii Papæ IV. adversùs Prosperum de Columna Cardinalem.

EUgenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad Apostolicæ dignitatis apicem divina dispositione vocati, gregis nobis crediti curam habere ac vigili sedulaque solertia considerare nos convenit, & singulorum discernere merita, ac deliberationis providâ staterâ librare debemus, ut quos justi vigor examinis reos ostendit, juxta sui operis qualitatem, ne fiant perditio plurimorum, neque ipsorum impunitas incentivum aliis tribuat delinquendi, pœnis debitis deprimamus, & sic quos timor Dei à malo non revocat, saltem pœna cohibeat à peccatis. Sane nuper pro parte dilecti filii Magistri Angeli de Boucianis de Florentia in Legibus Licentiati, generalis Procuratoris Fisci,

(a) *Muratorius*. Editio Baluziana habet *centum & decem Mitræ*.

(b) *Muratorius*. Diverso charactere hæc scripta sunt in Codice Patavino. *Propter quam caussam ipse Ludovicus creatus fuit Cardinalis, & cum eo prædictus Nepos Papæ Petrus Barbo: quod fuit propter illam gloriosam victoriam. Qui quidem Dominus Petrus postea succedente tempore factus est Papa. Et nunc est de præsenti, vocaturque Paulus II. quem Altissimus diu feliciter conservet.* Hucusque Codex Patavinus. Reliqua Vitæ hujusce Pontificis apud Baluzium continuata usque ad finem habentur.

Fisci, & Promotoris Caussarum & negotiorum criminalium in Romana Curia deputati super horrendæ rebellionis acerbitatibus, & detestabilium facinorum (a) *crudelitatibus per improbam Domum sive progeniem de Columna commissis & perpetratis, nobis in Consistorio generali præsentibus, venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus & Cleri & Populi multitudine copiosa, præsidentibus exposito quod per antea felicis recordationis Martino V. prædecessore nostro sublato de medio, derelictisque per eum in Palatio apud Sanctos Apostolos, quo decesserat, & aliis locis inæstimabilium pretiosorum mobilium & aliorum bonorum & rerum Romano Pontifici ornatui congruentium multitudine copiosa, ac immensis pecuniarum summis, dilectus filius noster Prosper Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis, & Antonius tunc pro Principe Salernitano, & Eduardus etiam tunc pro Comite Cellani se gerentes, fratres quondam Laurentii de Columna nati, & ejusdem prædecessoris nepotes, quantis eos Romana Ecclesia & Apostolica Sedes præsidiis ac divitiis & honoribus sublimaverat minime recensentes; pretiosa mobilia, res & bona, ac pecuniarum summas hujusmodi plerisque manifesta, & cognita subtraxerant & abduxerant & suis bonis miscuerant, ac per nos divina favente clementia ad apicem Summi Apostolatus assumtos ac præfatos Cardinales nec non certos Urbis Officiales omni caritate prævia requisiti, ut ablata seu subtracta & abducta hujusmodi, nec non Castra, Terras, & loca Ecclesiæ per eos notorie occupata restituerent, elata obstinatione non sine multæ temeritatis audacia id facere renuerant, quinpotius his & aliis ejusdem Ecclesiæ impinguati divitiis, ut ingratitudinis filii, in eorum juventutis primordiis contra eamdem Ecclesiam seditiones & oppressiones varias incitare moliebantur, nec non visitantes Romanam Curiam, & ad eam venientes & recedentes ab ea, spretis censuris, & pœnis contra tales promulgatis, cooperante etiam in iis Johanne Andreæ de Rigofrigido de Columna, hostiliter invadendo, vulnerando, mutilando, spoliando, & aliàs enormiter persequendo, vias & stratas liberas, & publicas violando, fideles Ecclesiæ, ac Cives Romanos capiendo, incarcerando, exactionando, illorumque animalia, & alia bona deprædando, abducendo & alienando, ac plura, & gravissima damna eis inferendo, quodque idem Prosper, qui plus aliis ab Ecclesiæ turbationibus debuerat procul dubio abstinere, cuique suorum fratrum reductionem commiseramus una cum certis aliis Cardinalibus per tractandam, licèt minus usque tunc perfecerant, seminatis in Urbe contra nos, & eamdem Ecclesiam diversis conspirationibus, postquam nostris precibus annuere se dicens Castra & fortalitia ad dictam Ecclesiam legitime pertinentia nomine ipsius Antonii occupantibus ut ea nobis, aut prædictorum Cardinalium Collegio restituere deberent scribere debuisset, è contrario ne eidem Ecclesiæ illa restituerent, suis scriptis animaverat, Castrum Marinum per dictum prædecessorem in quodam per ipsum, ut dicitur, condito Testamento insolidum sibi relictum in offensionem Urbis disposuerat, & Stephanum de Columna natum, ad stipendia Ecclesiæ conductum, ne pacta servaret seditiose corruperat, nobis, & eisdem fratribus nostris insciis, eamdem Urbem suos fratres prædictos, & alios Ecclesiæ æmulos visitando illicentiatus exiverat, eis auxilium, consilium,*

A

& favorem adhibendo, ita quod Antonius, & Eduardus prædicti, nec non Stephanus de Columna nobis & eidem Ecclesiæ fide præstita & nullatenus observata, eodem tempore obligatus, ut præfertur, suorum honoris & famæ prodigus Alexander Nicolai de Montefertino natus, Rogerius & Franciscus de Gajetanis, Franciscus & Cola de Sabellis præter consensum & voluntatem dilecti filii nobilis viri Baptistæ de Sabellis, Cunradus de Antiochia, & nonnulli Cives Romani, & alii eorum in ea parte complices, fautores, adhærentes, & sequaces equestres & pedestres numero copioso portâ Appiâ dictæ Urbis fraudulenter captâ & occupatâ, illam intraverat, illorumque mentes exagitaverat innata

B

perversitas & cupido malitiæ, cornu superbiæ contra eamdem Ecclesiam erigentes, ad Urbis, & Castrorum vicinorum subjectionem ambire, & personam nostram ipsosque fratres nostros offendere seu saltem ab eadem Urbe vituperosius profugare, Curiales & eorum bona prædæ, nonnullosque Cives gladio, domos igni submittere, aliaque nefandissima prosequi præsumebant, licèt bonorum omnium protectore succurrente fidelis Romani Populi resistentiâ virtuosâ frustrati proposito suorum progenitorum de Columna nefandorum scelerum Sententiarum per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum in illos tamquam infructuosos palmites, pestiferos, & nocivos, & eorum natos & posteros di-

C

vulgatorum, quotiensque Nicolaus Stephani genitor, & Jordanus de Columna patruus Antonii prædictorum, qui ut Militaribus frueretur calcaribus, contra dictam Ecclesiam se ad arma paraverat, & aliàs perversi progenitores eorum Ecclesiam, & Urbem præfatas invadentes, prout singulis innotescit, vituperosius ceciderant, immemores sequendo vestigia, ex dicta Urbe repulsi forent, districtum illius guerrarum commotionibus veros Ecclesiæ fideles, quorum aliquos in Civitate nostra Narniensi per eumdem Antonium occupatâ gladio crudelissime interemerant, alios graviter vulneraverant, damnosis discursibus per-

D

turbantes, nonnulla quoque Castra ad Monasterium Sancti Pauli extra muros Urbis ejusdem Ordinis Sancti Benedicti legitime spectantia, hostiliter occupaverant, & unum ex eis ignis incendio concremaverant, & alia diversa & execrabilia mala & flagitia perpetrare moliti fuerant, & ampliora ex his mala sequi, nisi celeri succurreretur remedio, præsumebatur verisimiliter in futurum in Dei offensam, Ecclesiæ vilipendium, ac aliorum perniciosum exemplum, ac pro parte dicti Procuratoris & Promotoris humiliter supplicato, ut quum præmissa adeo essent notoria ac publica & manifesta, quod nulla poterant tergiversatione celari, contra Prospe-

E

rum, Antonium, Eduardum, Stephanum, Johannem, Rogerium, Alexandrum, Franciscum, Colam, Conradum, & Franciscum, & Cives prædictos, eorumque & cujuslibet ipsorum complices, fautores, adhærentes, ac sequaces per nos procedi, ipsosque & quemlibet ipsorum pronuntiari & declarari pœnas & sententias tam generales quàm speciales à jure vel ab homine in talia committentes inflictas incurrisse ac læsæ majestatis crimen commisisse, nec non omnibus honoribus, dignitatibus, beneficiis, dominiis, terris, feudis, ac bonis quibuscumque privari, ac Ecclesiasticum Interdictum in Terris, ad quas ipsos declinari contigerit, observari mandare, aut saltem ad illa, & alia præmissis condigna inflict-

 gen-

(a) *Baluzius*. Vide Odoricum Raynaldum Anno 1431. §. 19.

genda, & ea fieri, & infligi, seu declarari videndum & audiendum personaliter citare mandaremus cum instantia debita postulato, nos præmissam Divinæ Majestatis offensam non valentes aliquatenus tolerare, & ne transgressiones invalescerent hujusmodi, transirentque aliis in exemplum, sed potius à talibus præsumtionibus arceantur, Omnipotentis Dei, qui licèt bonis bona retribuat, tamen usque ad terram humiliat peccatores, ducti exemplo, ac intendentes Columnensium calumniam obviare, & præmissa quantum Antonium, Stephanum, Alexandrum, Rogerium, Franciscum, Conradum, Colam, Franciscum, Johannem, Cives & complices, fautores, adhærentes & sequaces prædictos, quorum nomina habere volumus pro sufficienter expressis, concernunt, de venerabilium fratrum nostrorum Jordani Sabinensis, Antonii Ostiensis, Brandæ Portuensis, Hugonis Penestrinensis Episcoporum, & dilectorum filiorum nostrorum Johannis tituli Sancti Laurentii in Lucina, Ludovici tituli Sanctæ Cæciliæ, Antonii Sancti Marcelli, Johannis Sancti Petri ad Vincula Presbyterorum, Alfonsi Sancti Eustachii, Lucidi Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Ardicini Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium fuisse & esse notoria decernentes, & declarantes, ipsos omnes proxime supra descriptos tenore literarum nostrarum citamus ad comparendum coram nobis in Consistorio nostro generali hac die præsenti ad procedendum, & procedi videndum & audiendum per nos instante Procuratore & Promotore præfato usque ad diffinitivam sententiam ac declarationem & impositionem pœnarum pro prædictis excessibus & flagitiis debitarum inclusive, intimantes eisdem aperte quod sive comparerent in termino hujusmodi, sive non, contra eos procederemus prout justum foret eorum absentia sui contumacia non obstante, ac decrevimus quod citatio hujusmodi nostri palatii Apostolici valvis & aliis quibusdam publicis locis in Urbe affixa perinde ipsos citatos artaret ac si personaliter citati & apprehensi fuissent. Et ne præfati Antonius, Stephanus, Rogerius, Franciscus, Cola, Conradus, Franciscus, Johannes, Cives & complices, fautores, adhærentes, & sequaces prædicti palatium nostrum locum eis minus tutum allegare valerent, universis subditis nostris & armigerarum gentium Capitaneis ubicumque ad præfatæ Ecclesiæ, & nostra stipendia militantibus districte præcipiendo mandavimus, quatenus præfatos citatos cum decenti comitiva, & sine armis neminem offendentes in veniendo ad Urbem, morando in ea, & ab illa recedendo, in personis, & rebus seu bonis eorum nullam inferrent injuriam, molestiam, vel offensam, nec ab aliis inferri permitterent quovis modo. Et quamquam excessus hujusmodi Prosperum & Eduardum prædictos concernentes à plerisque etiam notorii censerentur, cum illis tamen mitius paterna benignitate agere intendentes, præfatis Johanni Sancti Laurentii in Lucina, & Ardicino Cardinalibus commisimus, ut super præmissis, quantum Prosperum & Eduardum præfatos concerneret, summarie, simpliciter, & de plano, facti veritate dumtaxat inspecta ad instigationem Procuratoris & Promotoris prædicti, & ex eorum mero officio, prout eis videretur, etiam extrajudicialiter, se informarent, & quæ per informationem hujusmodi reperirent veritate fulciri, nobis referre curarent, prout in eisdem nostris literis plenius continetur.

Hodie verò nobis in Consistorio nostro generali præsidentibus, idem Procurator seu Promotor coram nobis comparuit, ac de exsecutione citationis hujusmodi nobis legitima facta fide, citatorumque prædictorum non comparentium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces reputari, & nihilominus eosdem sceleratos viros diversas spoliationes, rapinas, ac mutilationes, & homicidia in personis, & bonis multorum, etiam ordini Clericali & fœmineo sexui non parcendo, post præmissa detestabiliter perpetrasse inibi proposuerat, quæ similiter notoria fore ipsa facti evidentia demonstrat, contra illos per nos ad pœnarum & sententiarum eis pro excessibus, insolentiis, & flagitiis, criminibus, & delictis ab eis commissis hujusmodi debitarum declarationum, & inflictionum procedi cum instantia debita postulavit. Nos igitur Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, cujus, licèt immeriti, locum tenemus in terris, & qui arborem bonos fructus non facientem præcidi & in ignem mitti edocuit, Evangelicâ Doctrinâ suffulti, non volentes nostram & Ecclesiæ sponsæ nostræ justitiam negligere, nec præmissa per eosdem citatos commissa, quæ notoria, ut præmittitur, reputavimus, pro ut etiam reputamus, absque Dei offensa ulterius tolerare, dictosque citatos reputantes, ipsorum præsentia Divina repleta præsentia, de prædictorum fratrum nostrorum consilio & deliberatione solemni per nostram diffinitivam sententiam pronuntiamus & declaramus, præfatos Antonium, Stephanum, Alexandrum, Rogerium, Franciscum, Colam, Conradum, Franciscum, & Johannem Andream, Cives, complices, fautores, adhærentes & sequaces, læsæ majestatis, conspirationis, rebellionis, & alia supradicta crimina, excessus, & flagitia nequiter commisisse, & perpetrasse, ipsosque tantorum maleficiorum patratores reos criminis læsæ majestatis, ac publicos & notorios Romanæ Ecclesiæ hostes, persecutores, ac bonorum ejus invasores, raptores, occupatores & sacrilegos existere, & ut tales perpetuò manere infames & semper existere intestabiles, ut nec testandi liberam habeant facultatem, nec in aliquorum bonis ex testamento vel ab intestato, succedant, omnesque ipsorum Civitates, Castra, Terras, & alia jura & bona nobis & Ecclesiæ Romanæ comfiscamus, non obstantibus venditionibus, locationibus, pignorationibus, donationibus, concessionibus, & quibuscumque alienationibus, si quæ forsan post concepta non commissa crimina hujusmodi de Civitatibus, Castris, Terris, ac aliis bonis & juribus ipsis, aut eorum aliquibus per eos, vel quoscumque alios sunt præsumtæ, & quibuscumque contractibus super iis initis & ineundis, sive literis inde confectis; quæ omnia viribus vacuamus, cassamus & irritamus, ac decernimus nullius esse momenti, ac omnia esse vacua & irrita nuntiamus. Decernimus etiam ac statuimus quod habitationes & alia universa ædificia eorumdem penitus diruantur, nullo umquam tempore reparanda, nec etiam innovanda, ut eis manentibus perpetuò sic dirutis & deletis, numquam infamiæ ac damnationis eorum memoria moriatur, insigniaque sive Arma Domus de Columna, eo quod sub eorum Vexillo tam nefanda patrata fuere, de loco quolibet deleantur. Et quia matris injuria tangit acriter filios, nec possunt de confusione materna corda non conteri filiorum, si jam fideles tanta matris Ecclesiæ offensa commoti ad ulciscendum ejus opprobrium destruendo vel diruendo ac demoliendo Castra vel ædificia seu res alias perfidorum hujusmodi nostrum prævenientes judicium processerunt, devotionis zelum vindictæ accelerationem monstrantes, nos id ratum

A *tum habentes & firmum, ea destrui ulterius ac dirui præcipimus, & etiam demoliri. Si quæ verò in feudum vel alio modo, aut si quæ dignitates, privilegia, officia, vel beneficia ab eadem Ecclesia vel quibusvis aliis tenent Ecclesiis aut Regibus vel Principibus seu quibusvis aliis personis, illis eos omnino privamus, quæ libere ad ipsos Ecclesiasticos & alios eorum Dominos revertantur; ipsorumque corpora careant Ecclesiasticâ sepulturâ. Et nihilominus eosdem abominabiles viros omnes & singulos per nos in die Cœnæ Domini prolatos & quoscumque alios tam à jure quàm ab homine, etiam per recolendæ memoriæ Carolum IV. Romanum Imperatorem per Sedem Apostolicam approbatas in talia committentes in* B *flictas pœnas & sententias incurrisse pari nostrâ sententiâ declaramus. Ceterum ut non solùm in ipsos auctores seculares, sed etiam in ipsorum progeniem ultio inferatur, & ne minus excessus quàm dictæ memoriæ prorogetur, constituimus, ut nulli eorum à prædictis delinquentibus descendentium ullo umquam tempore aperiatur alicujus janua dignitatis aut cujuscumque honoris Ecclesiastici vel mundani, nec horum aliqui ad Clericalem, seu Monasticum, seu Beneficium Ecclesiasticum seu in Domibus Regularibus ad alicujus prælationis honorem, nec ad Potestariæ, Judicatus, Tabellionatus, vel quodcumque aliud officium assumantur. Diffidamus nihilominus & forbannimus perpetuò præfatos reos læsæ majestatis & aliorum prædictorum patratores, vo-* C *lentes & præcipientes, ut pro diffidatis & bannitis ubilibet habeantur, bona quoque mobilia eorumdem capientium effici volumus. Eorum quoque subditos & Vassallos, & alios quoslibet à quacumque fidelitate, promissione, obligatione, Vassallagio, & juramento, quibus eis teneri viderentur, reddimus liberos & etiam absolutos.*

Ac universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & personis Ecclesiasticis, nec non Regibus, Ducibus, Principibus, & aliis Potestatibus, Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus tam Civitatum quàm Castrorum, nec non generaliter omnibus personis Ecclesiasticis & secularibus sub pœna excommunicationis & interdicti, prohibemus di- D *stricte, ne ipsos ad Civitatem, vel aliàs scienter ipsos vel eorum complices, fautores & adhærentes eisdem recipiant vel receptent, aut eis favorem, auxilium, vel consilium largiantur, quodque Antonium prædictum ex tunc in antea Salernitanum Principem nemo audeat nominare; decernentes illos, qui contra prohibitionem nostram hujusmodi fecerint, etiamsi Cardinalatus, Pontificali, legali aut quavis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, excommunicationis sententiæ, & loca eorum, quamdiu in præmissis rei fuerint, interdicto Ecclesiastico subjacere. Per hoc autem sæcularibus Potestatibus* E *non adimimus facultatem utendi contra illos legibus, quas adversùs tales Catholici Principes ediderunt. Deinde pronuntiando decernimus, ut ipsorum delinquentium filii à successione materna & avita, & omnium proximorum hereditate, & successione penitus sint exclusi, de testamento aliorum nihil capiant, sint semper egentes & pauperes; ut iis perpetua egestate sordentibus sit mors solatium & vita supplicium. Sintque ad perhibendum testimonium indigni, eorumque dictis tamquam fide vacuis non credatur. Decernimus insuper & inhibemus notatos taliter esse infamiâ sine venia, & pro prædictis vel eorum aliquo apud nos vel successores nostros intervenire tentaverint. Filiabus tamen eorum, ne remaneant indotatæ, portio in bonis maternis hujusmodi salva remaneat juxta legitimas sanctiones. Per prædicta autem non intendimus alias pœnas per jura Canonica vel Civilia, aliasque Constitutiones contra tales ordinatas quomodolibet tollere. Quinimmo præsentes pœnas cumulantes iisdem, illas decernimus in suo robore & efficacia permanere. Absolutionem verò omnium & singulorum, qui præfatas nostras sententias incurrerint, nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus reservamus. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam perducatur, chartas sive membranas hujusmodi processum continentes eumdem in Basilica principis Apostolorum de Urbe appendi vel affigi ostiis sive superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum quasi sonoro præconio & patulo judicio publicabunt, ita quod scelerati prædicti & alii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem prætendere quod ad eos talis processus non pervenerit, seu ignorarint eumdem; quum non sit verisimile quo ad eos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ vacuationis, cassationis, recitationis, constitutionis, nuntiationis, statuti, voluntatis & mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Primo, XV. Kal. Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

Ego Jordanus de Ursinis Episcopus Sabinensis manu propria subscripsi.

Ego Johannes tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, dictus Rothomagensis, etiam propria manu subscripsi.

Ego Alfonsus Cardinalis Sancti Eustachii manu propria subscripsi.

Æneæ Silvii Senensis Frederici Romanorum Regis Secretarii & Oratoris de morte Eugenii IV. creationeque & coronatione Nicolai V. summorum Pontificum Oratio coram ipso Rege habita Anno MCCCCXLVII.

CUpere te, Princeps serenissime, quæ nostra in legatione sunt gesta referri tibi, vel cernimus, vel opinamur. Magna namque, dum Romæ fuimus, contigerunt, quum & summum Pontificem unum sepeliri viderimus, alterum coronari. Innata est altis animis sciendi cupido. Animum nobilem nulla res magis quàm notitia rerum poscit maximarum. Te ergo qui generositate non solùm mortales antecedis, sed vicinus es superis, quo pacto Legatio nostra peracta sit, quæque vidimus & audivimus velle noscere non ambigimus. Gerentes ergo morem tuo desiderio relationem nostram quadrifariam, & quid in quavis parte acciderit, quàm brevissime absolvemus. Prima pars exponet iter nostrum de Vienna usque Romam. Secunda referabit quæ acta sunt ab introitu nostro usque ad declarationem. Tertia dicet quæ post declarationem usque ad obitum Eugenii & successoris electionem contigerunt. Quarta & ultima pars electionem novi Pontificis, Coronationemque & expeditionem, ac reditum nostrum ante oculos ponet. Nec enim delicata ingenia multis verbis tenenda sunt. Sententias graves, non verba longa nobilis animus exposcit; cui ut non simus molesti, narratio-

nis jam facimus principium.

Quum abs te recessimus, invictissime Princeps, sexta & decima dies Novembris currebat Anni Dominici Millesimi quadrigentesimi quadragesimi sexti. Aspera hyems fuit. Nives omnia contexerant. Hungari per Austriam debacchabantur. Nam fide facta contra jus fasque armati Austriam invaserant. Non licuit rectam nos viam facere. Montes imos pertransivimus, & per inhospitas gentes Tellas pervenimus. Illic fuerat Vincentius Hungarus Johannis Vaivodæ Nuntius, qui Venetos adiverat, tuam vim accusaverat, suum Dominum commendaverat. Accessimus & nos Senatum illum Venetum. Exposuimus statum caussæ, quæ inter te & Hungaros vertebatur; visique sumus tuam innocentiam, & Hungarorum injurias patefacere. Nihil tamen timere te ostendimus, sed parvipendere illorum vim. Sic enim facto opus esse censuimus. Iis enim, quos scimus non esse amicos, vel quos suspectos habemus, non debemus miseros nos esse ostendere, ne nostro lætentur infortunio ac nobis insultent, sed confidere nos & bonam habere mentem ostendendum est. Id fecimus abunde. Ob quam rem Dux ille Venetorum, qui omnium vice loqui solet, damnare se dixit facta Hungarorum. Retulit quoque, Philippum Mariam multis insidiis contra se uti, ob quam caussam coactum fuisse Dominium arma capere & suam tueri libertatem, retulitque victoriam in agro Cremonensi partam. Quum de Cancellario fecissemus mentionem suumque debitum peteremus, subrisit, dixitque satis solutum esse pergamenum ceramque septem millibus Florenorum. Nec replicantes aliud obtinere potuimus. Sic enim comparata est humana natura, ut apud omnes plerasque gentes nihil difficilius impetrandum sit quàm pecunia. Hinc vulgò dici solet, secundum sanguinem esse pecuniam. Admonet hic locus, ni fallor, ut rem Cremonensem referamus. Philippus Maria Dux Mediolani unicam habuit filiam, eamque minime legitimam. Hanc nubilem plenis annis Francisco Sfortiæ Vicecomiti nuptum tradidit. Dotis nomine . . . . millia promissa sunt. Hypothecata ob eam caussam Cremona est, & Comiti tradita. Fiunt ibi nuptiæ. Franciscus exinde in Marchiam proficiscitur, uxoremque secum duxit. Bellum interea illi Eugenius movet, Marchiamque repetit. Juvat Eugenium Rex Aragonum Alfonsus, Duxque Venetorum & Florentini Francisco assistunt. Impar est bello Franciscus, utque priùs illi succedat, repetit Cremonam offertque dotem Philippus. Sic enim conventum erat, ut pecuniâ traditâ restitueretur Civitas. Sed invalida sunt inter Principes pacta. Nihil servatur nisi quod necesse est vel utile. Honestati locus rarò est. Non suadent Veneti Cremonam restitui, quæ frænum est Duci Mediolani. Ipsi curam Civitatis recipiunt. Arx Comiti servatur. Philippus exercitum mittit, Civitatem, quæ jure negatur, vi petit. Resistunt Veneti, mandantque Duci ut desistat. Is jus suum vindicare se dicit, nec fas esse Venetis obviare. Illi contra allegant. At quum fortius oppugnatur Cremona, irruunt Veneti in exercitum Philippi, atque ex improviso confligunt. Magnam cladem exercitus Philippi perpessus est. Inde progressi Veneti Abduam usque grassati sunt; ibique arcem in altera ripa obtinuerunt, potitique omnium molendi-

A norum sunt usque Mediolanum ad tertium lapidem. Tanto afflictus malo Philippus à Pontifice maximo & Rege Aragonum, qui Regno Siciliæ potitur, auxilia petit. Equitum illi quatuor millia, peditum tria millia mittunt. Nosque jam ex Venetiis Ferrariam veneramus; quumque Bononiam proficisci vellemus, transire illos per agrum Bononiensem accepimus insecurumque omne iter reddere. Qui militiæ operam dant, neque notis, neque ignotis ignoscunt. Præda est quidquid obviat. Nihil morantur nisi fortiorem gladium. Obvertimus igitur viam, Faventiamque petimus. Nec sic tuti fuissemus, nisi petiturus Romam Estensis Marchionis Cancellarius se nobis adjunxisset. B Obvii enim in silvis Lucæ quamplures fuere, qui exercitum sequebantur, impedimentaque per viam securiorem ducebant. Sed venimus Florentiam posthabita Faventia, Senasque profecti sumus, ibique, sicut decretum fuit Francfordiæ, Principum Electorum, & aliorum Nuntios exspectavimus. Infra octendium affuerunt Maguntini, Palatini, Saxonis, Brandeburgensis, Bremensisque, & quamplurimi aliorum tum Principum, tum Prælatorum mandatum habentes. Ibi conventum est qua die Romam intrare deceret orationem fieri per Æneam nomine omnium, quæ post Romæ fieri deberet. Nemo enim alium per se loqui sinit, nisi quæ dicenda sunt sciverit. C Convenimus omnes apud Baccanum turrim. Locus sine muro est. Nulli major copia est. Pauca sunt Mapalia, eaque Hospitia faciunt Theutonici. Hoc hominum genus totam fere Italiam hospitalem facit. Ubi non repereris hos, neque diversorium quæras. Ex hoc loco similiter accepimus iter. Sexaginta equites numero fuimus. Intellexeramus jam antea Thomam Episcopum Bononiensem & Johannem de Carvagial Electum Placentinum, in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumtos, erectiorisque mentis eramus. Nec enim male sperare fas erat de re illa, cujus tractatores sublimati fuerant. Quum Romam jam in conspectu haberemus, occurrunt Apostolici fre- D quentes Nuntii, qui sistere nos gradum jubent, neque inhonoratos intrare nos sinunt. Magna est apud Italos Legatorum reverentia. Sciunt Evangelicum dictum: *qui vos recipit, me recipit*. Non missus, sed mittens, pandere. Ad horam & amplius exspectavimus. Jussi sunt omnes Curiales obviam proficisci. Effusa est ad spectandum maxima cum Civium tum Curialium multitudo. A Cardinalibus infra omnes Prælatorum ordines ad primum lapidem nos receperunt, secutique sunt ad domum usque nostram, quæ non longe à Capitolio fuit, omnesque seorsum se obtulerunt. Hæc acta sunt usque ad introitum Se- E nensium, quorum devotio erga Imperium non indiget testimonio. Soli enim ex omnibus Italis per viam nos honorarunt esculentis & poculentis ad hospitium ubertim missis. Et sic primæ parti modum imponimus.

Vix equis descenderamus, quum affuit & Franciscus Episcopus Ferrariensis Thesaurarius Apostolicus, pluribus Episcopis comitatus, qui nomine summi Pontificis nos recepit, obtulitque multa, quamvis nihil attulerit. Hortatus est tractabiles ut essemus, nam bene dirigi omnia possent. Huic gratias egit nomine omnium Æneas, (nam ei plerumque dicendi onus incumbebat) dixitque Regiam Majestatem nihil petere nisi honesta atque utilia. nec di-

A diversam esse Principum Electorum sententiam; in Oratoribus quoque non fore difficultatem. Contra etiam hortatus est, benignum ut se Papa præberet unicuique & facilem. Nec multa fuerunt verba. Jejuni adhuc eramus, & dies in noctem iverat. Famelicum, non plenum, Oratorem audire vellem. Sententiosus enim non verbosus est, qui cibi cupidus esurire se post orationem novit. Ea nocte Cardinalis Bononiensis aprum nobis, perdices, phasianos, vinumque optimum misit dono, Procurator pincernarum, confectiones, ceram, & vinum. Post hæc convenimus altera die apud Sanctum Laurentium in Damaso. Tria ibi discussa sunt. Visa est Oratio, quam B Æneas conceperat. Ea omnibus placuit, neque quicquam ex ea mutatum est, nisi quod ubi neutralitatis mentio fiebat, animorum dici suspensionem magis placuit. (*) Deliberatum est audientiam summi Pontificis per operam Thesaurarii petere, qui ad nos missus fuerat, ne Cardinalis unius studium implorantes, alterius indignationem incurreremus; ut sunt Curiæ insidiarum plenæ, atque ubi majora sunt ingenia, ibi plus invenias simultatis. Conclusum est etiam, quum adeundus esset Pontifex maximus Metropolitanorum Oratores accersiri. In ea re dubium erat. Nec enim auditurus Eugenius Oratores Brandeburgensis & Bremensis Archiepiscoporum credebatur, C qui Basileæ fuerant confirmati. Sed accepto consilio à Cardinale Sancti Angeli, non Archiepiscoporum, sed Ecclesiarum Nuntios vocare illos decrevimus. In omni re adhibenda est industria. Utilis est simulatio, quæ non habet mendacium. Contorquenda sunt aliquando nomina resque. Sæpe ille impegit caput, qui erecta cervice quodcumque ostium ingredi voluit. Ubi dicta est audientiæ dies, jussi sumus apud Sanctum Petrum convenire Missarumque interesse solemnibus. Illuc missi sunt ad nos Beneventanus Archiepiscopus, Ferrariensis Antistes, pluresque alii, qui nos ad secretum Consistorium adduxerunt. Eugenius in solio sedebat gravis, ac omni veneratione dignissi- D mus Pater. Circa eum XV. Cardinales consedebant. Ibique postquam ad osculum sumus, & arbitri omnes abierunt, Orationem, sicut decretum erat, Æneas habuit, quæ præ manibus est. In ea sic locutus est, ut Treverensis & Coloniensis Archiepiscoporum desideria complecteretur, & tamen neque Papam, neque Cardinales offenderet, sed ab omnibus audiretur. Ejus Orationis quamplurimi postea copiam petierunt, non tam propter ornatum, quàm propter materiam, quam omnes nosse ajebant. Ubi Æneas dicendi finem fecit, laudavit Eugenius, damnavit neutralitatem, con condemnavit Regem Electoresque. De Treverensi, Coloniensique admodum questus est, E suumque factum defendit, conclusitque in re principali cum fratribus deliberandum. Post hæc quum peteret Æneas in factis Hungarorum aliam audientiam, libenti animo annuit; literasque Johannis Vaivodæ, quæ præ manibus erant, Imperatoriamque Majestatem criminabantur, ut melius responderi posset, Æneæ tradi jussit. Erat ille Pontifex mirum in modum Regiæ Majestati affectus, nec timuit quemquam, dum amicum juvare voluit. Alti cordis fuit, & amicitiæ tenacissimæ. Felix quem semel dilexit. Malum, nisi vidit, numquam ille putavit. Nulla res magis illum illexit, nisi quia minùs se credidit diligere amicos, non ut Deos, sed ut homines decet.

His actis, dira febris adorta est Papam, diuque hominem torsit. De sanitate nunc desperatio nunc spes fuit. Accessimus tamen ad eum jacentem, & excusavimus Majestatem regiam, quia non antea se declarasset. Retulimus difficultates, quæ Francfordiæ fuerunt. Supplicavimus admitti petitiones, quæ in communi fiebant. Recommendavimus Coloniensis, germanique sui caussam. Questi sumus de his, quæ per Januenses fiebant. Pecunias, quæ dicebantur esse apud Picenos, uti commissum erat, petivimus, in scriptisque petitiones porreximus. Humaniter, ut solebat, Papa respondit accepisse se ex Bononiensi & Sancti Angeli Cardinalibus sinceram regiæ Majestatis intentionem. Dixit super re principali sex Cardinales deputatos esse; in aliisque deliberaturum se ait. Atque ut respondit tuæ Serenitati rescripsimus. Et quamvis febribus urgebatur, vultum tamen lætum, quamvis gravem nobis ostendit. Post audientiam apertum est ostium. Quæ subticeremus, nisi quia meminisse illorum oportet, qui nos ob reverentiam Imperatoriæ Majestatis honorarunt. Primus omnium invitavit nos Johannes Caltesenensis Magister Palatii, vir bonus doctusque. Tum Patriarcha Aquilegiensis, atque iste nos honorificentissime pavit, se seque ultra omnes regiæ Majestati obtulit. Hinc fecimus de Patriarchatu mentionem. Excusavimus præterita, futura limitavimus. Placuerunt omnia viro magnanimo. At quum accepissemus Petinensem Episcopum administratorem Patriarchatus per Basilienses deputatum, ac per regiam Majestatem admissum, ulterius loqui veriti sumus, ne mendaces inveniremur. Mentiri namque vel in maximis creduntur, quorum non est rata fides in parvis. Morinensis quoque nobis sæpissime convivia exhibuit: Bononiensis quasi commensales nos habuit. Cardinalis Sancti Angeli, numquam nos esse domi permisit. Mediolanensis non contentus muneribus missis, etiam cœnam apparare voluit. Andegavensis strenue nos excepit. Nec minùs Cardinalis Sanctæ Mariæ Novæ, Firmanus, ac Columnensis Sancti Sixti solos regios invitavit. Tarentinus omnes, Brandeburgensi Oratore excepto. Procurator quoque Theutonicorum nobis convivium struxit. Sæpius verò Ravennatensis Antistes, Portugallensis Cardinalis invitavit nos. Sed jam fastidiosi tantâ conviviorum frequentiâ respuimus. Vicecancellarius excusavit se, quia propter infirmitatem patrui minime convivari decebat. Nobis verò multo gratiores erant excusationes quàm convivia. Voluptates enim rarior usus commendat. Tunc sapiunt fercula quum rara sunt. Convivium magis fames, quàm copia laudat. Caret usu convivii qui sæpius convivatur. In adventu nostro duæ Cardinalium factiones erant. Rem nostram juvabant Cardinalis Aquilegiensis, Morinensis, Andegavensis, Sanctæ Mariæ Novæ, Firmanus, Mediolanensis, Sancti Pauli, Bononiensis, & Sancti Angeli. Ceteri fere omnes impugnabant, dicebantque venditam esse Theutonicis Apostolicam Sedem, seque quasi bubalos duci naribus. Ea res promotionem Bononiensis & Sancti Angeli acceleravit, ut literati literatos con-

(*) *Baluzius*: Vide Odoricum Raynaldum Anno 1447. § 4.

A contunderent. Hinc quum res coram Eugenio tractaretur, factumque nostrum impugnaretur: *Quis vestrûm*, inquit Morinensis, *est Bononiensi Theologior? Quis Cardinali Sancti Angeli in jure peritior? Quod si æquari istis non valetis, cur eorum facta reprehenditis?* renatusque est eo modo favor Eugenii. Ad tractandum tamen nobiscum utriusque factionis Cardinales deputati sunt. Acuit sæpe ingenium contentio, perspicaciusque reddit. Sex lecti sunt Cardinales, qui facta nostra discuterent, Tarentinus, Morinensis, Sancti Sixti, Valentinus, Bononiensis, Sancti Angeli. Septimus autem concordiæ caussæ additus est Firmanus.

B Alfonsus (*) eo tempore Rex Aragonum Tiburim venerat, Romæque ad quintum & decimum lapidem proximus erat. De suo adventu varii rumores erant. Quidam vocatum eum per Patriarcham asserebant; qui moriturum sciens Papam, sub ejus alis salutem quærebat. Alii verò Regem Aragonum ex suo arbitrio, novum creare Papam autumabant. Plures eum venisse ajebant Florentinos invasurum, & sic Philippo Mediolanensi opem laturum. Senenses certe in societatem belli ducebat, transitumque petebant. Circa hunc occupatus erat Cardinalis Valentinus, nec nostris potuit interesse tractatibus. Hujus Regis Secretarius Æneam domi convenit, ostenditque, carum esse Regi si ambo Tibur peteremus.
C Sed timuit Æneas ne suspectum Eugenio se redderet, nec ire voluit ad quem missus non erat. Diligenter namque mandati fines asservandi sunt. Nec Secretarius ille aperte fari voluit, ut Regem suum id commisisse diceret. Ipsius adventus Regis omnia, quæ victui necessaria sunt hominibus & jumentis præter aquam cariora reddidit, quin immo etiam domorum auxit pensiones, quamvis Urbem non intraverit. Sic avaritiam, quæ vis occasio manifestat. Parva pruina cellaria claudit. Accessimus deputatos quampluribus vicibus, dedimusque petitiones nostras in scriptis. Sed quum videremus ad ea quæ simul omnes petebamus aures surdas esse,
D ad ea descendimus, quæ seorsum conclusa Francfordiæ fuerant. Diximusque Cardinalibus, si priora concederent, Alemanniam totam in obedientia Sedis Apostolicæ futuram; sin secunda, solùm Regem, Maguntinensem, & Brandeburgensem cum adhærentibus, utilius autem esse totam habere nationem, quàm partem. Inter nos quoque variæ erant sententiæ. Dicebant enim aliqui declarationem tutius ad Norimbergensem differri Dietam, ibi ut tota natio se declararet. Alii dicebant nisi tunc declaratio fieret, desperatam rem esse. Inter hæc Curiales Alemanni qui Beneficia impetrant, intelligentes se nostris illudi tractatibus, ambire Cardinales, se dicere diutius ser-
E vivisse, nulla esse emolumenta laborum, ingratum Papam, ingratos Cardinales fore. Illinc omne malum in Alemannis suisque conterraneis prodire dicebant, eosque ad nos remittebant. His Æneas *Insulse agitis*, inquit, *qui declarationem impedire conamini. Si extra obedientiam sumus, nec quæ impetrastis, Beneficia potestis adipisci, nec alia impetrare. Si verò præstamus obedientiam, quamvis careatis impetratis, impetrare tamen alia Beneficia potestis. Stultum est rem simul spemque perdere. Nos quæ in mandatis recepimus mutare nequaquam possumus. Omnis concordia possessoribus favet.* In tractatu Cardinalium maximæ difficultates contentionesque fuerunt. Grave videbatur Cardinalibus annatas remittere, collationes Beneficiorum amittere, Concilium convocare, decreta recipere, privatos restituere; ajebantque non solùm in natione Germanica id esse nocivum, sed alias exinde nationes recessuras, & Apostolicam Sedem perditum iri, nec bene consultum esse ceteris Ecclesiis, quando Romana, quæ est caput omnium, langueret; conducere Christianæ religioni Romanum Pontificem fore potentem, ut tueri alios Prælatos queat, inter Principes pacem constituere, infidelibus resistere, hæreses exstirpare, numquam tot hæreses in Christiana religione fuisse quot fuerunt ante Silvestrum, quia paupertas Romani Pontificis neglectui fuit. Nos contra pauperem minime Papam velle dicebamus, annatarum loco, provisionem fieri debere, quæ tolerabilior nationi foret, nationes non posse exemplo uti nostro, qui temporalia non perpetua quærebamus ad futurum usque Concilium mansura. Ex Cardinalibus quidam auctoritatem Summi Pontificis minui timebant, quidam emolumenta, quidam utrumque. At postquam diebus plurimis disceptatum est, & usque ad desperationem litigatum, inventa demum concordia est. Concilium, uti petivimus, promissum est, decreta Basiliensis Concilii usquequo in futuro Concilio aliter ordinetur, recepta sunt, vel usquequo cum Legato aliter fuerit concordatum. Circa possessores amplius provisum est quàm nostræ instructiones exposcerent. Restitutio Dominorum Treverensis, & Coloniensis Archiepiscoporum, ut in articulis habuimus, repromissa est. Circa professionem major difficultas fuit. Auctoritatem namque Conciliorum, uti in Basilea declarata fuerat, nullo pacto admitti volebant. Sed opitulati sunt in ea re nobis Maguntini, qui ad Concilii Constantiensis decreta referri illam sufficere dixerant: quos secutus est Brandeburgensis Orator, & nos volupe accessimus. Super his omnibus fieri minutas obtentum est. Sed in illis etiam diutius disputatum est. Ad extremum, & verba, & clausulæ nostri arbitrio recepta sunt. Ad hæc autem obtinenda nomine regiæ Majestatis quatuor promittere nos oportuit, quæ à nostris instructionibus non erant aliena. Primùm quod regia Majestas quamprimùm commodè posset, intellecta declaratione Romæ facta, iterum se solemniter declararet, mandaretque Principibus & Civitatibus, ut suæ declarationi se conformarent. Secundum, quod recipi Legatum honorifice, ut moris est, præciperet. Tertium, quod ex Basiliensi Civitate mandaretur, ut salvum conductum revocarent illis, qui sub nomine Concilii illic degerent. Quartum, quod ad recompensam Apostolicæ Sedi faciendam regia Serenitas non solùm mediatricem, sed etiam adjutricem se exhiberet. Hæc omnia nomine regio promisimus, quia sic instructiones nostræ nos admonebant. Nunc Regi incumbit quod promissum est facere. Ipse enim, non nos promisimus. Quicumque pacta sibi servari vult, ne violator pactorum inveniatur caveat. Reciproca sunt ultro citroque beneficia. Qui facit, recipit. Otioso nemo beneficus est. Ceterum quum om-

(*) *Baluzius*: Vide Vitam Dominici Capranicæ Cardinalis pag. 277.

omnia composita forent, subortum est majus dubium. Invalescebat Eugenii morbus, timorque mortis erat, &, ut fieri solet, omnia in majus extollebantur. Cœperunt ex nostris aliqui hæsitare an facienda declaratio esset, nec morituro Pontifici præstandam censebant obedientiam, quæ Germaniæ Principes divideret. At Johannes de Lysura, acri vir ingenio & facundia copiosa, non Pontifici tantum, sed Apostolicæ quoque Sedi præstari obedientiam affirmabat, personam mori, Sedem non mori; si re infecta decederemus, magnas in natione futuras discordias Principum, huc illum, illuc alium tendere. Longum præteriturum tempus antequam Principes convenirent in cessam sententiam quot nuper convenerant, magna esse quæ obtenta fuerant, habendas esse omnino Bullas, difficile namque obtineri a successore talia possent; servandam esse unionem Principum, qui jam concordes essent, neque id fieri posse nisi per declarationem, qua neglecta, singulos esse liberos, facta pro fœderibus obnoxios: suum esse consilium suamque sententiam absque declaratione minime obeundum; etiam si unum tantùm digitum Eugenius moveat, nolle se multis irrisum iri, nolle rei bene gerendæ occasionem amittere. Eadem sui Collegæ sententia fuit. Nos postquam accessimus, & reliqui omnes subsecuti sunt, quoniam si mori contingeret Eugenium & canonicam fieri successoris electionem, nulli dubium erat, quin rata manerent omnia; sin autem discordes fuissent Cardinales, electionemque minus rite fecissent, nationem sui juris fere ac ex integro posse deliberare. Nec certa res erat de morte Papæ; qui si nobis in fecta re abeuntibus convaluisset, quum per eum concordiæ satisfactum esset, reprehensione non parva digni fuissemus.

Quum ergo conclusum esset fieri declarationem, mandavit Eugenius sexta Februarii die publicum celebrari Consistorium, adesse Prælatos, convenire Curiales. Sed quum Oratores Principum nondum particularia expedivissent negotia, neque sine illis publico vellent consulere, non sine scandalo in alium diem dilatum est Consistorium. Accessimus omnes Palatium Apostolicum. Nondum Bullæ omnes erant confectæ, quæ dari omnibus possent, sed de quavis materia una confecta erat. Vocarunt Cardinales Æneam & Johannem de Lysura, eosque interrogaverunt, an fieri declaratio posset. Responsum est, posse, si coram omnibus promitteretur etiam moriente Papa reliquas Bullas, quæ non essent scriptæ datum iri Legato Apostolico cum literis restitutionis Coloniensis & Treverensis Arciepiscoporum & literis similibus iis quæ Maguntiæ dabantur pro illis duobus, ac Palatino, & Duce Saxoniæ. Promiserunt hæc omnia Cardinales etiam coram aliis, verbumque pro Cardinalibus summa prudentia Pater Cardinalis Morinensis fecit. Post hæc introducti sumus ad Pontificem in penitiori cubiculo jacentem; quem velut unum ex Sanctis Patribus mirati sumus ac venerati, osculatique manus ejus. Inerat homini gravitas, plenusque majestate vultus erat. Ipsa facies Pontificis indicabat. Ubi nos vidit, benigne allocutus est, ac dicere jussit paucis verbis. Obedientiam suæ Sanctitati præstitimus. Recepitque de sua manu literis, eas Maguntinis assignavimus. Multum enim sæpe eis detulimus, ut rem concederemus ad finem. Ibi Palatini & Saxones suos Principes honestis verbis excusarunt, quod in exhibitione obedientiæ non concurrerent. Ajebant enim illos non Romæ, sed Norimbergæ, futuram declarationem intellexisse, atque idcirco non dedisse de declarando Mandatum, placiturum tamen illis, quæ Romæ fierent, nec se dubium habere quin Principes ipsi in Norimberga se declararent, ac Regiæ Majestati, ac ceteris se conformarent. Eadem verba in publico Consistorio postea repetiverunt. Papa gratias Deo retulit, nosque cum benedictione lacrymantes dimisit. Nec enim tenere lacrymas quisquam potuit, qui tam venerandum, majestosumque Patrem succumbentem morbo videbat. Jam Sol in Occasum ibat, quum publicum Consistorium adivimus. Multa illic hominum millia exspectabant. Insignis concio erat, mirificumque auditorium. Consedebant Cardinales, Præsules, Advocati, & ingens turba Doctorum stabat. Nos etiam e regione Pontificalis Cathedræ stabamus. Tum Æneas brevem ex tempore oratiunculam habuit, nec tempus longiorem ferebat. Et legendæ plurimæ literæ fuerunt. Nominavit etiam Æneas omnes qui se se tunc declarabant, reddiditque in medium literas Imperatoriæ Majestatis atque inclyti Boëmiæ Regni: quæ omnes lectæ fuerunt. Quumque inter alios nominaretur Ordinis Prutenorum Magister, Andreas Teologus miræ facundiæ ac probatæ conversationis Pater, qui Procurator Ordinis erat tamquam suus Dominus, suusque Ordo declaratus diutius ante fuisset, ejus dictis se se opposuit, quamvis antea se taciturum promisisset. Tum Æneas *Nihil opus est verbis*, inquit, *Reverendissimi Patres. Ipsius Magistri exstant sigilla, quæ meis dictis fidem adstipulantur. Ipse magni Magistri Orator apud Francfordiam unioni conventionique nostræ se miscuit. Quæ ibi conclusa sunt, heic exsequantur*. Erubuit homo, nec libertatem replicandi habuit. Cognovit tamen postea suum erratum, & ut virum decet bonum, veniam petiit. Nemo numquam errat. Sed animo pertinaci errorem tueri nefarium est. Vix errasse videtur qui correxit errorem. Declaratio nomine ipsorum facta est Frederici Romanorum Regis Regni Bohemiæ, Theodorici Maguntini Archiepiscopi, Frederici, Johannis, atque Alberti Marchionum Brandeburgensium, Frederici Magdeburgensis, Frederici Salzburgensis, Bremensis etiam Archiepiscoporum, Wilermi Ducis Saxoniæ, Jacobi Marchionis Badensis, Ludovici Lantgravii Hassiæ, plurium quoque Præsulum nationis Germaniæ, quorum epistolæ lectæ sunt, Mandataque inspecta. Johannes de Lysura pauca verba, ornata tamen, pro Maguntino effatus est. Nec aliis Oratio defuit, sed unusquisque suo loco verbum fecit. Postquam omnes locuti sumus. Vicecancellarius Cardinalis Venetiarum primùm omnium commendatis cum Rege omnibus divinæ pietati gratias egit, quæ deposita tandem neutralitate inclytam Germaniæ nationem Sedi Apostolicæ reintegravit. Orator Salzburgensis Archiepiscopi, etsi novissimus omnium Romam petiit, in tempore tamen venit, interfuitque tractatibus, & omnium gratior Apostolicam Sedem quibusdam pecuniis honoravit; cujus gravis tarditas, acceptior fuit quàm nostra levis celeritas. Ut primùm verba finita sunt, Consistoriumque dimissum, ingens, ac festivus campanarum sonus est auditus. Et quia jam

jam nox advenerat, ignes tota Urbe accensi sunt, præceptumque est in crastinum omnis interdicta venditio, & mercatum, diesque festus clausis tabernis & stationibus actus est. Sequenti verò Dominica processionem fieri solemnem placuit de Sancto Marco, cujus planum parùm à Capitolio distat, usque in Lateranum, portarique thiaram, quam Silvestro Papæ dono dedit Constantinus. Hæc diutius apud Constantinopolim delituerat. Postea per Romanos Pontifices redemta Avinioni degebat. Noviter enim illam sub pignore stantem lucratus Eugenius, afferrique Romam jusserat, & inter Reliquias apud S. Johannem condi. Mitra est oblonga triplici corona circulata. Margaritæ illic nonnullique lapides splendent. Minime tamen sunt quales vel in tuo diademate, vel in Apostolica Mitra hodie cernimus. Neque enim adhuc pompa hujus ævi luxuriam adæquarat. Castior ætas præcessit. Majores nostri neque ornatui, neque cibo, ut nos, indulserunt. Veniet adhuc lascivius sæculum, vitamque nostram minorum vitia commendabunt. Portata est igitur in processione Corona Silvestri, & apud Lateranum recondita. Ibi Morinensis celebravit; factusque est Sermo, ac mirifice commendati Rex Romanorum suique Principes cum omni natione, finemque illic solemnitas declarationis accepit. Et nos etiam sic secundæ parti nostræ relationis modum imponimus, atque ad tertiam festinamus.

Ex magnis scopulis, Dive Cæsar, incolumis nostra navigavit oratio. Superest tamen adhuc undarum pelagus, flant adhuc venti, insultantque procellæ. Sed superabuntur omnia, & navis nostra salva perducetur in portum. Declaratione, ut dictum est, facta, plusculos dies Romæ remansimus, expeditionique literarum intendebamus. Interea magis ac magis ægritudo Pontificis augebatur. Frigidus erat animus & ultra consuetudinem gravis. Hic pestifer seni fuit. Duplex illum febris urebat, vexabatque catharrus. Interdum & ventris fluxus impetuosior erat. Istis ille malis attritus sæpe nuntiabatur mortuus. Timor omnes Curiales invaserat, metumque propinqui Regis Aragonum augebat. Mercatores pretiosa quæque asportaverant. Tota in ancipiti Civitas erat. Viæ circumquaque prædonibus infestabantur. Apud Viterbium ex seditione Civium nonnulli cæsi sunt. Vulsinii Dominus quum audisset hostem suum ex primoribus Urbis Venetorum Roma reverti, insidias locavit; aggressusque hominem ex improviso, ex comitatu ejus plerosque truncavit. Illum pernix equus & admotum illi calcar salvavit. In eo congressu etiam Sacerdoti amota est vita. Frequentes in terris Ecclesiæ novitates fuere. Nec enim boni sunt, qui metu suas comprimunt manus, sed ut primùm sunt liberi, ad ingenium revertuntur. Recta ratio bonum virum, non timor, facit. Voluntatem, non opus, inspicit Deus. Sed nunc spes salutis, nunc mortis metum offerebat. Interea Præsul Aquensis, qui ad Regem Franciæ missus fuerat, Amadeique Ducis Sabaudiæ, qui se Felicem appellat, concordiam pertractaverat. Scripsit enim Eugenio venturum se Romam, resque optimas afferre, intellexisse tamen, Januenses novitatem fecisse, novumque Ducem elegisse, quod minime Regi Franciæ placeret; Civitatem illam ad Regnum pertinere, nec jus suum Re-

A gem neglecturum: rogare igitur Eugenium, ne quid auxilii Januensibus daret, Regem autem in recuperatione suæ Civitatis adjuvaret; sic illum animosius unioni daturum operam: Beneficium aut præcedat retributio aut sequatur, oportet. Nemo cuiquam sine spe servire potest. Significavit etiam Universitatem Parisiensem injussu Regis alia Regni Gymnasia literis commovisse ad pacem, Ecclesiasticam Concilii congregationem expetere, indignatum eo facto Regem Universitatis Oratoribus diu audientiam denegasse, tamdem per Consiliarios absque præsentia sua illos auditos, petivere plura incassum, reprehensis fore quod inscio Rege Concilium petierint, nec
B aptum illud unioni medium esse. Regi meliores vias patere, jamque in manibus pæne unionem videri: postquam verò unio haberetur, pro ceteris Ecclesiæ necessitatibus à Romano Pontifice Concilium expetendum. Ceterum quia Januensium incidit mentio, dicendum quo res illa modo peracta sit. Januæ Adorni præsidebant. Fregosii ejecti erant. Eorum Princeps Thomas, qui Dux secundus fuerat, in carcere tabescebat. Quærebant Fregosii in patriam reditum; concitataque multitudine Regem Franciæ in Urbem recipiendum suadebant, ejusque Oratores adesse curaverant. Multùm enim illa Civitas Franciæ afficitur, quamvis est Imperii & faveret Im-
C perio, si curam ejus haberet Imperium. Fit igitur in Civitate tumultus, Dux deponitur, qui ex Domo Adorna fuerat; fit novus Consultatus; introducuntur Fregosii; mittitur in carceribus Thomas, qui etsi omnium consensu Dux creatus, eâ tamen animi moderatione utitur, ut Ducatum renuat, nepotemque suum florenti ætate sibi senio confracto præferat. Felicem hominem licet dicere, qui dignitatem non admiserit, sed rejecerit. Bis Dux fuit, bis expulsus; ad extremum non Ducatu abdicatus est, sed Ducatum à se ipse abdicavit. Gallici, qui Regis Franciæ legatione fungebantur, petere se ad dominatum admitti, regimen Urbis, dominationemque
D sibi deberi dicere jurgioque flagitare. Iis Fregosii gratias agere, quòd recuperandæ patriæ adjutores fuissent, beneficium tamen non dominio sed alio privato officio recognoscendum dicebant. Nec deerant qui Urbem Imperialem, non Gallicam, dicerent. Sicque Januâ prohibiti Francigenæ sunt.

Dum hæc aguntur, Franciscus Sfortia, qui Venetorum stipendiis multis annis meruerat, sive quod Veneti ad retinendam Marchiam parum juvaverant, sive quod stipendiorum finierat terminus, sive quod eum ruinæ soceri sui pœnitebat (sciebat enim, quod illo succumbente nulli vel Principi vel Tyranno in Italia locum pateret, sed omnia Communitatum futura) sive quod aliud fuit, occultos
E habuit cum Philippo Maria tractatus, revertique ad eum decrevit. Quidam Eugenium, quidam Regem Aragonum, quidam Marchionem Estensem Leonellum sui reditus impulsores putavere. Nonnulli etiam Florentinos in caussam traxere. Nec enim tantum Venetorum successum Florentinorum reipublicæ consulere suspicabantur. Dominandi appetitum insatiabilem esse, nec vicino, nec amico parcere, proximam quamque victoriam sequentis esse gradum, nec Longobardiam sive Tusciam satis firmam videri Venetis. Apud Italos non est probro duces armorum nunc istis, nunc illis

illis servire. Temporaria stipendia sunt; quibus finitis, licet armigeris cui velint favere. Conventiones pactique capitula plura fiunt, dum Capitanei conducuntur. Nullum de proditione licet arguere qui pacta servavit. Sed aperiendi sunt in conventionibus oculi. Licere Francisco Sfortiæ sine violatione fœderum Ducem repetere rumor erat. Jamque conclusum ferebant dum captus est apud Venetos unus ex Cancellariis ejus, qui tormentis adactus secreta Comitis pandere, quamplures Cives Senatorios fassus est pecunia Francisci corruptos. Atque inter hos Andreas Donatus Dux Candiæ nominatus est. Ad quem intercipiendum missum retinere ferebat, nonnullos alios salutem fugâ quæsisse. Hoc accessu Comitis vires Ducis admodum augeri sententia fuit. Marchia illum cedere dicebatur, pecuniamque Pontificis & Regis Aragonum ad centum millia aureorum recipere. Tunc etiam non parva fama fuit Hungaros insultare Austriæ, tuæque famæ Rex inclite, plurimùm detrahebatur. Nos autem in Consistorio secreto præsentibus Oratoribus Principum, Electorum, aliorumque justitiam tuam, Hungarorumque perfidiam exposuera mus. Cardinales omnes de veritate instructos satis reddideramus. Quæ autem dixi in scriptis habentur, nec opus est illa repetere. Sed obviavimus rumoribus quoad potuimus, nec te formidare Hungaros asseveravimus. Cardinales Bononiensis, & Sancti Angeli, patres optimi, non quasi communes homines, sed quasi Australes, tuum honorem, tuumque decus tuebantur, & inanibus ibant tuis rumoribus obviam. Post hæc quum desperata salus Eugenii videretur, cœpit Archiepiscopus Florentinus, vir omnium judicio bonus, extremam Unctionem afferre. Cui Pontifex: *quid est? Tu me*, inquit, *innunges? Credis me tempus nescire. Satis ego adhuc sum fortis. Quum aderit hora, admonitum te faciam. Siste modò.* Pugnabat adversùs mortem intrepidus pater, ancepsque diu prœlium tenuit; nec medicorum satis erat certum judicium. Hoc quum accepisset Alphonsus Rex Aragonum, *quid mirum*, inquit, *si Comitem Franciscum, si Columnenses, si me, si totam Italiam bello impetiit Eugenius, qui ausus est cum morte pugnare, nec facile succubuit?* At quum certa mortis signa supervenissent, accersiti sunt Cardinales; quos in hunc modum alloquutus est Eugenius: *Meum tempus, meusque dies est, Venerabiles, amicique fratres.* (*) *Moriendum est mihi. Nec de naturæ legibus queror. Diu vixi, & honoratus. Utinam officio meo satisfecissem. Sed voluntatem magis quàm opera respicit Deus. Mihi Pontificatus, & si speranti, non tamen ambienti obvenit. Multa acciderunt adversa dum Sedi præfuimus Apostolicæ. Non tamen idcirco minus acceptos nos Deo credimus; quia quos diligit Deus, corrigit atque castigat; nec male acta esse cum hominibus renuit qui cum fortunæ varietate luctantur, sed esse arcanas caussas ad quas nulla mortalium curiositas potest pervenire. Utcumque res hactenus transierunt, nobis maximum solamen est antequam oculos clauderemus reunitam Ecclesiam cernere. Hoc Frederico filio nostro Romanorum Regi, Theodoricoque Maguntino Archiepiscopo fratri nostro, & dilecto filio Marchioni Brandeburgensi adscribimus. Ceterum quia jam horæ nostræ subripiuntur, modicumque vobiscum ero, quia vocor ad judicem Regum & patrem, testari prius volumus, testamentumque Domini nostri Jesu Christi vobis relinquere, qui transiturus ex hoc Mundo ad Patrem*, pacem meam, *dixit*, relinquo vobis. *Ego vos omnes præter unum, Cardinales creavi, & illum unum quasi filium tractavi, amavique omnes, meique estis fratres. Obsecro, dulcissimi, servate vinculum pacis, diligite invicem; non sint inter vos Schismata; adimplete legem Christi, & alter alterius onera portate. Mox vacatura est Apostolica Sedes. Scitis quem virum cupiat hoc Solium. Eligite Successorem, qui me doctrinâ & moribus superet. Nulla vos affectio seducat. Non privatæ rei, sed publicæ consulite. Ceterum si me audieritis, potius mediocrem virum unanimiter quàm præstantissimum discorditer eligetis. Ubi pax, ibi & spiritus Dei est. Nuper unionem effecimus. Sed radices Schismatis nondum evulsimus. Cavete, ne pullulet, ne germinet, ne vos ipsi fomentum scissioni præbeatis. Salva Ecclesia est, si concordes eritis; misera, si discordes. Sed ista circumspectioni vestræ magis paternè quam necessario dicimus, qui pro vestra prudentia non ignoratis quid Ecclesiæ conveniat dignitatique vestræ. Verùm ne me mortuo de funere disputetis, quod in cærimoniis Pontificum scriptum est, id solùm facite; nemo ampliùs agat, nec funus adornet meum. Absint pompæ & inanis gloria sepulturæ. Apud Eugenium III. humili loco sepeliri libet. Si quis impedimento fuerit, anathema sit.* Excussit omnibus lacrymas. Quum autem instarent plerique, revocari ab exilio Cardinalem Capuanum, nequaquam obtinuere; quod plerique sinistre interpretati sunt, absurdumque dicebant, Romanum Pontificem etiam in extremis laborantem odii custodem esse. Sed interpretantur omnes malum quàm bonum faciliùs. Non enim erat odium in Pontifice; qui potestatem hominem occidendi habuit, pepercitque. Sed, *nescitis*, inquit, *quid petatis. Et vobis desiderium ejus, & illi exilium magis convenit.* Post hæc inunxit Eugenium Florentinus. Ille in Cathedra Sancti Petri vitalibus exinanitis viribus invictum altumque spiritum exhalavit. Corpus ejus balsamo conditum per integrum diem Populo patuit, atque inde sepultus est apud Sanctum Petrum in Vaticano juxta Eugenium III.

Vix Pontificem invenies, sub quo plura & adversa & secunda contigerint. Is Concilium congregavit dissolvitque; is bella quamplurima gessit, vicit, atque succubuit. Sententiam depositionis sub nomine Concilii adversùs se perpessus est. Ipse deponentes deposuit. Adversarium, & competitorem in Pontificatu habuit. Neutralitas eo Pontifice res nova, & insuetata cœpit. Perdidit Alemanniam, & recuperavit. Græcos ad unionem redegit. Jacobitis Evangelium ignorantibus legem dedit. Adversùs Turcas classem misit, Legatoque Juliano in Hussitas potestatem præbuit. Sigismundo Cæsari priùs bellum intulit, post diadema concessit. Archiepiscopos, Episcoposque dignitate privavit. Nec Cardinales, nec Electores Imperii reliquit intactos. Sanctum Nicolaum de Tolentino canonizavit. Romæ captus est, fugit, rediit. Marchiam perdidit, recuperavitque. Braccium Montonium in agris jacentem excommunicavit, mortuum absolvit. Johannem Vitellescum sublimem fecit, post cepit, qui mortem in carcere obiit. Bononiam recu-

(*) *Baluzius*; Tom. 2. Oldoini pag. 889.

recuperavit, post amisit. Regi Aragonum infestus fuit, post illi Regnum confirmavit. Venetorum priùs amicus, deinde suspectus haberi cœpit. Alti cordis fuit. Sed nullum in eo magis vitium fuit, nisi quia sine mensura erat, & non quod potuit, sed quod voluit aggressus est.

Eo mortuo, affuerunt mox Oratores Regis Aragonum, qui in hunc modum Cardinales sunt allocuti. *Accepit Majestas Regia summi Pontificis obitum, doletque tanto patre orbatam esse Ecclesiam, sanctumque hortatur Collegium vestrum successorem illi uti dignum sufficiatis, vicinitatem suam nulli suspectam esse debere. Si quid vel juvamenti vel tutamenti ad liberam Pontificis electionem conferre potest, in promtu est. Quidquid jubetis, lubens faciet.* Iis actæ sunt gratiæ. Cardinales novem diebus exsequias celebrarunt. Has summo mane apud Sanctum Petrum habebant. Postquam pransi fuerant, apud Minervam conveniebant rei publicæ consulturi. Cardinalis Capuanus ut audivit Eugenium mortuum, venit Romam, magnoque Populi ac Cleri favore exceptus est, exsequiisque interfuit, & pro illo preces effudit, qui ipsum in exilium miserat. Magni consilii vir fuit multarumque literarum, ætate ac moribus maturus. Multi Papatum illi auspicabantur. Sed non quæ Populi est opinio, eadem est Senatus. (*) Raro Uulgus cum Sapientibus sentit. Pauci ex Cardinalibus remotiores illo fuerunt à summo Pontificio. Is post electionem factam in morbum incidit, Eugeniumque secutus est. Ejus ædes Cardinali Sancti Angeli non minori hospiti obvenerunt. Sic dum sibi ædificare homines putant, alienis construunt, nec heredem suum quisquam potuit scire. Incerti sunt & vani cogitatus nostri. Non quod sapienter, sed quod feliciter cogitamus impletur. Eugenio duo sermones facti sunt. Alterum Malatesta quidam ex genere Auditorum, alterum Cardinalis Bononiensis fecit, primâ & ultimâ exsequiarum die. Ille vitam Eugenii commendavit, hic obitum. Ille qualis fuerat Eugenius, enarravit; hic qualis eligi deberet Successor, edocuit. Comminatus est extremum judicium Cardinalibus, si amore, si odio, si aliquo affectu indigno in electione uterentur; tantâque vehementiâ locutus est, ut Angelum non hominem sermocinari putares, pluresque sibi summum Pontificium augurarentur. Interea portarum custodia Curialibus commissa fuerat. Capitolium Procurator Ordinis Prutenorum custodiendum accepit. Castri Sancti Angeli minime mutari custodiam placuit. Conclave apud Minervam haberi decretum est, quamvis jus Canonicum in eo Palatio haberi mandet, ubi mortuum Pontificem constat, quod eo tempore minùs tutum videbatur. Barones Romani ad futuram electionem Pontificis videndam quamplures convenerunt, qui mox exire jussi sunt. Prohibiti ceteri ne venirent. Timebant enim Cardinales ne Barones impetum facerent, vique Papam quem vellent sibi extorquerent, aut alio modo electionem macularent. Stante namque adhuc radice Schismatis, non solùm maculas electionis, sed macularum quoque suspiciones fugiendas esse arbitrabantur. Nemo acerbiùs excludi tulit quàm Baptista Sabellus, homo nobilis & senio gravis, qui jus sibi observandarum Clavium Conclavis secreti competere asserebat, atque hoc defunctum honore libenti se animo moriturum ajebat. Sed frustra questus. Privatam caussam publicæ oportuit cedere. Romani tempus nacti pluribus se levari oneribus obtinuere. Conclave in Dormitorio Prædicatorum Minervæ constructum est. Ostium primum quatuor Prælatis commissum est, qui quatuor claves habuere. Archiepiscopus Ravennas, Anconitanus, Aquilanus, & Semocensis Episcopi. Hi quoque sub duabus clavibus tenebantur. Alternatim nos cum Oratoribus Regis Aragonum, Regis Cypri, & Anconit.... has observavimus. Statio nostra in Campidolio fuit. Rursus aliud erat ostium, quod nos claudebat. Hujus custodiam Procurator Rhodiorum habuit. Finitis exsequiis, decimâ post obitum Eugenii die Cardinales apud Minervam horâ vespertinâ convenerunt; receptisque juramentis fidelitatis ab Officialibus quibusque, cum processione & invocatione Sancti Spiritus, humi deflexis capitibus atque oculis, Conclave sunt ingressi; reclusisque clavibus, Cellulas non ligno, sed panno clausas habent. Parietes omnes lanei. Audire quicquid inter se se agatur, possunt. Nullum ibi lumen nisi commentitium. Loca cellarum forte deliguntur. Post per se quisque ornat suam. Quidam rubeis, quidam viridibus pannis tabernaculum sibi faciunt. Solus omnium Cardinalis Bononiensis suam cellam albo vestivit. Forsitan nec purior nec mundior cujusquam erat mens. Nec enim ante illam diem extorquere quisquam ex eo potuit votum ejus. Capella in Conclavi fuit, ubi communis Missa celebrabatur. Eâ finitâ, soli Cardinales inter se scrutinium habebant. Octo & decem fuerunt numero. Nec Papatus ulli venire poterat nisi duodecim votis expetito. Quamvis sint, qui jure licere dicant Electi quoque vocem facere numerum. Lex est Cardinalibus prioribus quinque diebus quæcumque velint cibaria tradi, exin triduo unicum dumtaxat ferculum, sive assum, sive elixum magis cupiant, post solum panem vinumque permitti. In Conclave licet Cardinalem duos famulos habere, Capellanum, Scutiferumque. Ultra hos nemo intromittitur, nisi Sacrista, & duo Cæremoniarum Clerici, quibus post electionem lucro est cella novi Pontificis, & quod illic ornamenti est. Cibaria in cornuta feruntur clausa. Sed aperiuntur ante ultimum ostium per quatuor Prælatos, inspiciunturque, ne quid literarum, armorumve feratur. Cornutarum nomine nihil aliud intelligas, quàm Cistas ligneas depictas, & armis cujuslibet Cardinalis ornatas. Intus fercula reconduntur. Duo Scutiferi unam perticam suspensam portant. Alii bini præcedunt. Sequuntur in processione Episcopi ceterique Clerici de familia ejus Cardinalis, cujus Cornuta fertur. Tot funera duci credas, quot Cornutæ Cardinalesque sunt. Usque adeo miseros Curiales adulandi consuetudo illexit, ut quum Cardinalibus nequeant, Cornutis assententur; atque illas nihilominus quàm Cardinales honorant. Duæ his in rebus risu dignæ visæ sunt cærimoniæ. Hæc una. Altera, quoniam media hyeme sub pyra, quam doloris Castrum appellant, quatuor lugubribus induti vestibus flabellis, quæ non adsunt, muscas expellant, ventulumque non præsenti Pontifici faciunt. Alterum superstitiosum dixerunt quidam, alterum anile. Nos utras-

(*) Baluzius: Tom. 2. Oldoini pag. 902.

utrasque cærimonias ab Ecclesia secludi vellemus, quam puram & immaculatam esse prædicant. Sed concedendum est aliquid consuetudini. Illud admodum placuit nobis, quoniam singulis diebus processio Sacerdotum circa Conclave fuit, summis precibus Spiritus Sancti præsentiam electioni deposcens. Nec enim abesse solet, quum sincera mente deposcitur ille, sed ultro vocantibus adest, opusque dirigit. Is & orationis nostræ tertiam partem in finem perduxit. Sic & ipse quartæ & ultimæ partis directet, tuasque aures, Cæsar clementissime, benignas præbeat. Si quid est enim de his, quæ diximus, quod pietati divinæ tribuendum putes, hoc, quod restat, maxime Deo imputandum est. Bene mehercule atque verè Cardinalem Portugallensem dixisse constat. Is ut est voce quàm cruribus ac tibiis robustior, & linguâ quàm corpore agilior, quum locum electionis exiret, impedimentoque parvo cespitans cecidisset, interrogatus an Papam Cardinales fecissent, *non*, inquit. Quumque instarent famuli, factumque à Cardinalibus Papam contenderent, sic enim attestari alios ajebant, (*) *nequaquam*, inquit, *fecimus Papam; Deus fecit, non nos*. Audi ergo, Cæsar invictissime, opus Dei, opus sanctum, opus mirabile, Spiritus Sancti jam secreta pandemus. Quæ ultimæ orationis nostræ servavimus, ut magis hæreant quæ novissimè exeunt.

Quum intrarent Cardinales Conclave, communis opinio fuit, Prosperum de Columna summum Pontificium adipisci. Sed proverbium Romanorum est, *exire Cardinalem, qui Pontifex intrat Conclave*. Sic illi obvenit. Sed vir magnanimus, altique cordis summum etiam Pontificium spernere potuit. Nec enim illum spes erexit, nec dejecit desperatio. Nobilitate, moribus, & scientia Papatu dignus, hoc uno dignior, quia contemsit. Dum scrutinium Papatus fieret, favebant huic Aquilegiensis & Morinensis Cardinales, & alii quamplures. Vicecancellarius, & Tarentinus alium quemvis quàm hunc malebant. Simultates autem fuisse, & Urbis divisiones. Duo scrutinia feruntur habita. In primo Cardinalis de Columna decem, Firmanus octo, qui nunc Pontifex quinque, alii alia habuerunt vota. Portugallensis & Sancti Pauli Bononiensem superarunt. Sed nullus ad Papatum satis vocum habuit. Per eam diem, quæ Dominica fuit, varii inter Cardinales fuere tractatus; quidam Columnensi favebant, quidam summis conatibus obviabant. Ipse in utramque partem armatus erat. Ventum est die Lunæ ad scrutinium secundum. Quamplurimi extra Collegium voces habuerunt. Archiepiscopus Beneventanus, Florentinusque nominati sunt; Correctoremque & Nicolaum de Cusa nonnulli vocabant. Sed superavit omnes Cardinalis de Columna, qui etiam hac die decem votis flagitatus est. Bononiensem solùm tribus vocibus expetitum ferunt. Morinensis verò ubi Prosperum Apostolatui proximum vidit, *quid*, inquit, *Reverendissimi Patres, tempus terimus? Nihil Ecclesiæ periculosius est cunctatione nostra. Urbs anceps est. Rex Aragonum muris imminet, Amadeus de Sabaudia nobis insidiatur. Comitem Franciscum hostem habemus, heic multa incommoda ferimus. Quin Pontificem citiùs eligimus? Ecce Angelum Dei Cardinalem de Columna mansuetum agnum. Quin hunc Papam assumimus? Decem habet vota, duo absunt. Quin consurgitis, vocemque heic affertis? Acta res est. Si unus accedit, non deerit alter*. Stabant omnes immobiles. Tum Bononiensis, ne longior mora Ecclesiæ noceret, assurgens, Columnæ Cardinali accedere voluit. At Tarentinus veritus, quod erat futurum, si ille accessisset, *siste*, inquit, *paulisper Bononiensis. Cæcum est festinantis consilium. Grandem rem agimus. Nihil tarde fit, quod bene fit. Pervestigemus rem altius. Non qui Villæ uni præsit, sed qui totum regat Orbem, qui Cælum claudat & aperiat, qui liget & solvat, & alium in terris Deum electuri sumus. Nunc examine, nunc consilio est opus. Parum vidit, qui citò vidit*. Tunc Aquilegiensis: *omnia, quæ dicis, Tarentine, eo tendunt, ne Pontificatum Columnensis habeat. Si tua ex sententia Pontifex fiat, non incusabis celeritatem. Non consultantis est, sed nolentis diutina deliberatio. Dic, obsecro, quem vis Papam?* Tunc ille, *Bononiensem*, inquit, *vellem, eumque nomino. Placet & mihi*, Aquilegiensis respondit. Accedit Morinensis, accedunt & alii. Repente ad undecim voces pervenitur. Exit Cardinalis Sancti Sixti. *Et ego te*, inquit, *Thoma, Pontificem facio. Nam & Vigiliam hodie beati Thomæ facimus*. Mox alii omnes factum probaverunt. Ille postquam diu incassum se excusavit, imperfectumque suum testatus est, Cardinalium precibus acquievit; induensque Pontificale, nomen sibi Nicolai V. ob reverentiam sui sanctissimi patris Nicolai Cardinalis Sanctæ Crucis adoptavit. Exactâ jam horâ sextâ in nonam ferebatur dies; apertâque Conclavis fenestrâ, Cardinalis de Columna Prior Diaconorum, Crucem Pontificalem emisit, creatumque Papam Populo acclamavit. Altus erat locus, nec Cardinalis de Columna agnosci, nec vox bene exaudiri poterat. Exit rumor Cardinalem de Columna creatum Papam. Tum rapti repente cancelli. Ursini arma domi jam recipere atque ad tuenda sua festinabant. Populus hilaris, quia Romanum habebat Papam, & Columnenses saltationibus, risibus, vocibusque gaudium expromebant. Alii domum ejus prædæ exposuerunt. Ubi sedatus is rumor est, Cardinalis quoque Capuani diripiunt domum. Atque inde agnita veritate Bononiensis bona susceperunt, sed admodum pauca. Hoc pauperi beneficium est, quod pauca potest amittere. Rex Aragonum haud libenter hanc promotionem accepit, Columnensi namque affectus erat.

Hic novus Pontifex rupto muro Conclavis in Ecclesiam deductus est, & ante majus Altare collocatus; ibique sibi omnes Cardinales obedientiam præstiterunt. Post hæc ascendens equum niveum, qui ad hunc usum paratus erat, ad Sanctum Petrum perrexit. Equum ducebat Procopius Senator, & alii Oratores, qui aderant Regum & Principum. Ingens ubique Populi multitudo fuit, nec ab osculo pedum magnis percussionibus prohiberi vel viri vel feminæ poterant. Ferventiora sunt omnium rerum principia. Tempore frigescit caritas. Rursus Cardinales in Sancto Petro obedientiam exhibuerunt. Atque tamdem fessus, fractusque Pontifex, totaque immutatus facie in Palatium deductus est. Accessimus etiam eum die illa, quamvis importunum

(*) *Baluzius*; Oldoinus Tom. 2. pag. 949.

tunum erat tempus. Is ubi nos vidit, surgens amplexum dedit, vixque pedum permisit oscula. Pauca pro tempore diximus, te gavisurum assumtione sua, ut commendatum haberet supplicavimus, bene Ecclesiæ & Imperio fore si duo Mundi capita invicem se diligerent. Familiariter & benigne, ut solebat, respondit. Et quia confirmationem Eugenii petiveramus, *Ego*, inquit, *quæ cum natione Germanica meus antecessor fecit, non solùm approbare confirmareque volo, sed exsequi, & manutenere omnia. Nimis, ut mihi videtur, Romani Pontifices fimbrias suas extenderunt, qui nihil jurisdictionis ceteris Episcopis reliquerunt. Nimis quoque Basilienses Apostolicæ-Sedis manus abbreviaverunt. Sed ita evenit. Qui facit indigna, ut injusta ferat, oportet. Arborem quæ in unam partem pependit, qui volunt erigere, in partem adversam trahunt. Nobis sententia est in partem solicitudinis, qui vocati sunt, Episcopos, suo jure minime spoliare. Sic enim jurisdictionem nostram nos denique servaturos speramus, si non usurpaverimus aliena*. Rogavitque nos, ut ad Coronationem suam maneremus, quam in Dominica *Lætare* facturus erat. In ea, quæ secuta est, nocte maximi facti sunt ignes. Castellanus Sancti Angeli venienti ex Minerva Pontifici super pontem obvius venit, Arcisque tutissimæ claves restituit, contraque datas recepit. Hanc tamen postea, sicut accepimus, Arcem procurator custodiendam accepit. Tota Curia totaque Urbs ex hujus assumtione Pontificis lætata est. Fuerunt qui alium Cardinalem, à quo majora sperabant, Pontificem factum magis optassent. At hunc Papam nemo invitus vidit. Nemo ex Cardinalibus fuit præter hunc nostrum, quem non aliquod excluderet odium. Alium Ursinenses, alium Columnenses, alium Veneti, alium Mediolanenses, alium Gallici, alium Catalani formidabant. Et tamen unum ex his quem habituri erant inimicos improvida mens mortalium diligebat. Sed conscius omnium rerum Paraclitus hunc accepit, hunc præfecit quem amaturum sciebat omnes. Vidit scrutator cordium Deus in hoc patre summam humilitatem, hanc exaltavit. Vidit singularem justitiam, hanc præmiavit. Vidit præcipuam humanitatem, hanc amavit. Vidit prudentiam grandem, hanc delegit. Vidit ingentem magnitudinem, hanc probavit. Vidit scientiam profundissimam, hanc Ecclesiæ suæ sponsæ præfecit. Vidit exuberantem eloquentiam, hanc necessariam in Pontifice maximo judicavit. Neque enim unâ, vel alterâ doctrinâ callet, ut quidam ex nostris, qui una & hac minus nota scientia superbientes contemnunt ceteras. Artibus septem, quas Liberales vocant, sic à puero imbutus est, ut omnia præsentia sint. Philosophos omnes novit, Historicos, Poëtas, Cosmographos, Theologos; nam & sacris artibus initiatus est. Juris Civilis & Pontificii notitiam habet, nec Medicinam ignorat. Extra scientiam est hominum quicquid illi occultum est. Provincias plurimas peragravit, Principes Christianæ reipublicæ majores adivit; in rebus maximis versatus est, & domus & Civitatum regimina est expertus. Quod si umquam sperare beatam Ecclesiam futuram licuit, sub hoc Pontifice spes ista florebit, quoniam rectorem ejus sapientiæ studere contigit. Nunc vulgo dicitur exclusis vitiis, virtutes & doctrinas imperium habituras. Origo illi ex Sarzana est, quod Januensium est Oppidum in Tuscia juxta Ligusticum mare, ubi nunc Sedes Lunensis est. Honesto loco natus. Majores ejus quidam ex Luca, quidam ex Pisis profectos Sarzanam ajunt. Armis in Pontificatu nullis uti vult, nisi quibus Ecclesia utitur. (*) In crastinum electionis suæ duos Cardinales ad Regem Aragonum transmisit, Vicecancellarium & Camerarium. Ille contra quatuor ad summum Pontificem Oratores destinavit, qui publice sic concionati sunt: *Gavisa est Regia Serenitas ex tua promotione, Sanctissime Pater. Nam & sibi & toti Ecclesiæ exinde bene sperat. Commendat se tuæ Sanctitati, & offert regna & arma. Coronandum te scit. Et quia nequit adesse, misit nos venire suoque nomine Coronationem honorare*. Hilari fronte hos excepit Pontifex, gratiasque Regi & Oratoribus egit.

Ubi dies Coronationis advenit, adfuerunt omnes Urbis Barones; circumvicinæ Civitates Legatos misere: multi sua sponte venerunt. Ingens hominum multitudo ad spectaculum confluxerat. Cives ubi transiturus Papa fuit, vias quaslibet pannis adornarunt & texerunt. Summo mane res cœpta est. Crucem ante Pontificem Æneas Picolomineus portavit, in Diaconorum receptus ordinem. Epistolam unam e Comitibus Latine, & alter Græce decantavit. Cardinalis Sancti Angeli Evangelium Latine, & Abbas quidam Græce. Missam ipse summus Pontifex celebravit. Aquam ter recepit. Primam Orator Cypri, secundam Orator Regis Aragonensis, tertiam Orator Imperialis Procopius Miles dedit. Ibi Cardinales omnesque Prælati, obedientiam Papæ præstiterunt. Quum primùm autem Ecclesiam intravit, ante portam Canonici idem fecere. Acclamatum est ibi juxta Corpora Beatorum Petri & Pauli: *Nicolao V. a Deo decreto summo Pontifici & universali Papæ vita*. Lectisque Letaniis per Cardinalem de Columna, gradatim per sanctos quoslibet acclamatum est: *Tu illum adjuva*. Qui acclamant, sunt Auditores, Advocati, Secretarii, Acolythi, & Subdiaconi. Similis acclamatio fit in Ecclesia Lateranensi. Ubi Missa finita est, ad pulpitum itur, quod in gradibus prioribus est ante vestibulum templi. Illuc solus ascendit Papa cum Cardinalibus, Æneasque cum Cruce, & Clerici Cæremoniarum duo. Ibi rursus præstita per Cardinales obedientia. Primus Diaconus Cardinalis de Columna, acclamante universo Populo *Kyrie eleison*, Coronam capiti sacrato imposuit. His peractis, Prælati, Baronesque in equis, sed Abbates, Episcopi, Cardinales, equis albo vestitis insident. Tria ante Papam Vexilla feruntur & umbraculum unum. Corpus Christi ante processionem portatur, multaque circum luminaria. Rosam auream in manu habet Pontifex sinistrâ, dextrâ Populo se benedicere innuit. Equum ejus per vices ducebant nunc Aragonenses, nunc Barones. Apud montem Jordanum Judæi legem Pontifici tradiderunt; quam ille non damnavit, sed interpretes. Sic itum est ad Sanctum Johannem; ubi multis peractis cæremoniis, illæ fuerunt ultimæ, quia Prælatis, & Oratoribus pecuniæ datæ sunt; Cardinalibus argentei duo, unus autem aureus, & aliis aureus & argenteus. Longum jejunium, longamque vexationem hæc pæcunia pensavit; quæ

(*) *Baluzius*: Vide Vitam Cardinalis Capranicæ pag. 277.

quæ eo dulcior fuit, quia cum fine laborum venit. Apud Lateranum solemne Palatium est, & insigne Claustrum Monachorum, quod Eugenius reparator ædificiorum Urbis etiam communique Monasteriorum struxerat. Papa in Palatio, Cardinales in Claustro comederunt, nosque Cardinalis Sancti Angeli hospites habuit. Post prandium per eandem viam reditum est ad Sanctum Petrum jam nocte. Mandaverat Pontifex se ut sæpe accederemus. Paruimus non inviti. Literas confirmationis gestorum per Eugenium petivimus, obtinuimusque gratias plerasque, quas pro nobis & pro amicis petivimus. Interdum annuit, interdum negavit. Sic locutus est, ut non se difficilem, sed nos injustos ostenderet. Nempe Æneam nulla negatio læsit, nisi quæ Johanni Campisio Secratariatum negabat. Non tamen Pontifici, sed amicitiæ quod imputaret erat. Postquam Coronationis, literas Regibus ac Principibus scribi jussit, id inseri omnibus voluit, se Cameram Apostolicam ad institutum veterum reducturum. Dixit & nobis, se nolle prioribus exactionibus uti, caussasque illarum, bella & magnas expensas restricturum. *Qui exponit*, inquit, *ubi non debet, & ubi non debet recipere cogitur*. Ita est equidem. Rapit impie qui donat superflue. Et recipientis, & dantis moderandæ sunt manus. Post Coronationem rursus alii Regis Aragonum Oratores venerunt. Tres Curiæ suæ majores sunt Comites, duoque Milites, quorum unus etiam Doctor fuit. Hi publico in Consistorio obedientiam solemnem Nicolao Pontifici præstiterunt. Orationem habuit unus ex eis, qui sæpius cespitavit. At Pontifex paululum moratus tam ornate sententioseque respondit, ut omnes in admirationem sui converteret. Post hæc advenerunt Perusini. Orationem jure consulto dignam habuerunt. Sunt Perusinis, uti manus, ita ingenia promta. Advenerat Romam adolescens quidam ex Perusinis exulibus annos XVII. natus, egregiâ indole. Laurentium, ni fallor, vocabant. Is etiam oratione ornata gravique summum Pontificem adorsus est. Memoria illi æterna fuit. Nihil Ciceronis incipi poterat, quod ille non prosequeretur. Favet ingeniis Nicolaus, adolescentique benefacturus creditur. Nam & Ferrando Hispano summâ doctrinâ juveni initio sui Pontificatus pingue Beneficium contulit.

Expectavimus subinde Legati ad Germaniam venturi creationem; interrogatique ac jussi opinionem dicere, Cardinalem Sancti Angeli commendavimus. Papa etsi illo propter res Hispanicas ægre careret, nationi tamen Germanicæ voluit complacere. Quo Legato pronuntiato, & per Cardinales, ut moris est, domum usque associato, itineri nos accingimus; expeditisque literis III. Kal. Aprilis, ex Urbe recessimus. Oratores Florentinos ad primum lapidem obviam habuimus, Senenses in Vulsinio reperimus, Bononienses parum citra Florentiam. Majorem hebdomadam & Pascha alter nostrum Senis, alter Florentiæ fecit. Florentini adversus Senenses repræsalia concesserant. Eam ob caussam salvum conductum Æneas petebat jussusque erat unus ex familia Prioris illum conducere. Sed illo ad diem non veniente, jussis familiaribus sequi mutatis vestibus, Æneas solus præcessit, casuque in via famulum, qui ad se veniebat invenit. Inde similiter fecimus. Apud Tianum, quod moderni Tagleamentum vocant, ingens discrimen evasimus. Solutis in Alpibus nivibus, magnâque pluviâ, inunda-

A verat fluvius. Peregrini quamplures aderant tranare cupientes. Equi & homines simul vehimur. Ubi ad cursum navis venit, velociter sagittâ in ripam fertur. Peregrini submergi timentes in terram saliunt, chordaque navis percussi omnes prostrantur; dumque periculum fugiunt, magis incidunt. Quamplures tibias, brachiaque læserunt; parumper abfuit quin inter navem ripamque comprimerentur. Post XII. Calendas Maji ad te reversi sumus. In via percepimus Oratores Venetorum, Philippique Ducis Mediolani Romam missos, similiter & Januenses. Papa, sicut nobis dixit, nisi vult pacem Italiæ componere. Irritati animi sunt. Fama erat Delphinum in Italiam venturum, opemque Philippo laturum. Erant & B qui Ducem Sabaudiæ in partibus Philippi dicerent. Sed vincit omnia diligens cura. Sæpe res fieri vidimus quum minime sperarentur. Multa huic Pontifici fortunata cesserunt; forsitan & hoc sequetur. Nempe dum Romæ fuimus quamplures Hispanos, Catalanos, Gallos, Germanosque vidimus, qui mores Curiæ detestabantur, recessurosque dicebant, qui postea sub moderno Pontifice nec, si pellerentur, abituros se affirmant. sic probitas hujus Patris omnes allexit. Aquensis Archiepiscopus & Orator Regis Renati nihil se dubitare dicebant, quin Rex Franciæ, totaque Gallia modernum Pontificem sequerentur. Hæ C sunt Italiæ res, quas nostra in Legatione vidimus, audivimus, fecimus. Si mandatis tuis rite paruimus, si bene acta res est, Deo gratias referto, qui tuos dirigit actus; præteritoque & præsenti Pontifici votivam expeditionem adscribito, qui te amantes nil tibi potuerunt non concedere. Si quid erratum est, tuæque contraventum voluntati, ne malitiæ, ne desidiæ, sed ignorantiæ atque imbecillitati deputato. Nos certe in recessu nostro ex liberalitate summi Pontificis centum aureos, qui nos in via lætificarent, accepimus. Tuum est nunc promissa servare, renovare salvum conductum, innovare declarationem, mandare omnibus, ut Pontifici obediant Nicolao, Le- D gatum, quum advenerit, honorifice suscipere, & in his quæ restant agenda juvare. Hæc si feceris, observator, non violator promissorum judicaberis, (nam quæ promisimus te obligant) animosiores, qui tibi adhæreant, facies, schismati viam præcludes, neutralitatem, quam difficulter exivisti, non reintrabis, terror eris æmulis tuis, & Hungaris maxime, Papam tibi affectuosissimum reddes, & ad suscipiendam coronam Imperii iter habebis apertum. Dixi.

Æneæ Silvii Picolominei Senensis coram Divo Cæsare Frederico Tertio facta Oratio explicit, quam idem Orator in gratiam Nicolai V. compilavit, eique misit, aliam E quoque huic similem Regi Serenissimo præsentavit; ex tunc electus Tergestinus Episcopus in partibus Austriæ, post verò Senensis Episcopus, ac demum à Calixto III. Cardinalis creatus. Quo defuncto, summi Apostolatus apicem adeptus, nomen sibi Pii II. assumsit, coronatus Romæ tertia Septembris die Anno Domini MCCCCLVII.

Hactenus Eugenii IV. Vita à Baluzio edita.

Char-

Charta fœderis, & conventionis inter Eugenium Papam IV. & Philippum Mariam Ducem Mediolani adversùs Franciscum Sfortiam.
E MSto Codice Ticinensi.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi Millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, Indictione octava, die verò trigesima mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Eugenii, divinâ providentiâ, Papæ Quarti, Anno quintodecimo. Quum Illustrissimus Princeps & Excellentissimus Dominus Dominus Philippus Maria Anglus, Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus pro ea reverentia & devotione maxima, qua præfatum Sanctissimum Dominum nostrum Dominum Eugenium prosequitur, ad omnia semper intentus ac promtus, sicut decet Catholicum Principem, quæ Suæ Sanctitatis decus ac gloriam, nec non Status sui, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reintegrationem ac recuperationem quomodocumque concernant; medio primùm Reverendissimi in Christo Patris & Domini G. tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Comensis vulgariter nuncupati, & demum medio Spectabilis Viri Marcolini Barbavariæ Secretarii & Oratoris sui, quem specialiter ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam hac occasione direxit, pro recuperatione & reintegratione ejusdem Status Suæ Sanctitatis & Ecclesiæ, depressioneque Comitis Francisci Sfortiæ Vicecomitis illum occupantis, obtulerit propriis sumtibus ipsi Sanctissimo Domino nostro Papæ ex gentibus armigeris ipsius Domini Ducis subvenire de certa equitum summa, ex illis equitibus, quos Sanctitas Sua duxerit eligendos, qui usque ad finem guerræ servire perseverabunt, eâ tamen conditione, quòd veniente Serenissimo Principe & Excellentissimo Domino, Domino Alphonso Aragonum & utriusque Siciliæ Rege, aut mittente gentes suæ Majestatis ad hanc ipsam juvandam impresiam, non obligetur ipse Dominus Dux subvenire, nisi de equitibus duobus mille dumtaxat. Idcirco Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus Dominus L. tituli Sancti Laurentii in Damaso Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Aquilegensis, præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ Camerarius, habens à Sanctitate Sua vigore sui Camerariatus officii, & ex commissione vivæ vocis oraculo sibi facta ad infrascripta peragenda latum & plenum arbitrium, invocato Dei Omnipotentis, ejusque gloriosissimæ Matris Virginis Mariæ, nec non Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, totiusque cœlestis Curiæ præsidio, hanc præfati Domini Ducis bonam, optimam, & sanctam dispositionem acceptans, cum præfatis Reverendissimo Domino G. Cardinali Comensi, & Marcolino ab ipso Domino Duce sufficiens & plenum mandatum habentibus, sicut constat publico Instrumento tradito & rogato per Laurentium de Martignonibus Notarium Mediolanensem, & pænes me Notarium infrascriptum dimisso, ad infrascriptas conventiones, infrascriptaque pacta, & Capitula vicissim & mutuò devenire decrevit, videlicet. Primò dicti Reverendissimus Dominus Cardinalis Comensis, & Marcolinus nomine prælibati Domini Ducis agentes ut supra convenerunt & promiserunt, ac conveniunt & promittunt solemniter præfato Reverendissimo Domino Camerario &c. nomine Sanctissimi Domini nostri Papæ agenti & recipienti ut supra, quòd idem Dominus Dux, volente præfato Sanctissimo Domino nostro intendere cum effectu, & sine temporis perditione recuperationi Status Ecclesiæ, & agere contra Comitem Franciscum Sfortiam Vicecomitem ejusdem Status occupatorem, ipsi Sanctissimo Domino nostro Papæ ad hanc juvandam impresiam verè & realiter propriis sumtibus subveniet de Comitivis Magnificorum Domini Malatestæ Novelli de Malatestis Cesenæ &c. Taliani Furlani, ac Spectabilis Roberti de Montealbodio tam equestribus, quàm pedestribus ad servitia ejusdem Domini Ducis militantium; & ulteriùs de tot aliis equitibus, & gentibus ipsius Domini Ducis à præfato Sanctissimo Domino nostro, sive præfato Domino Camerario eligendis, quot sufficiant usque ad numerum equitum quinque mille, dictis Comitivis, secundùm quantitatem conductarum computatis: ipsasque Comitivas usque ad finem guerræ, & recuperationem Terrarum Ecclesiæ, quas dictus Comes occupat ac detinet, supra dicta impresia sumtibus suis, ut supra, manutenebit; nec minùs providebit quòd gentes ipsæ sine temporis perditione, & ad tardius per totum proximè futurum mensem Augusti, paratæ & promtæ erunt prope confinia Marchiæ ad agendum, pro juvanda impresia, quicquid præfatus Dominus noster Papa, sive præfatus Dominus Camerarius, sive alius deputandus duxerit ordinandum. Providebit etiam, quòd gentium ipsarum Capitanei & Conductores jurabunt & promittent in manibus præfati Domini Camerarii, vel alterius ut supra deputandi, quod ipsi Domino Camerario, vel alii deputando ut supra, parebunt & obedient non aliter quàm ipsi Domino Duci ad felicem & debitam dictæ impresiæ prosecutionem. Ea tamen conditione ipsi Dominus Cardinalis Comensis, & Marcolinus agentes, ut supra, hanc promissionem exhibendæ subventionis dictarum gentium fecerunt & faciunt, si præfatus Dominus Rex Aragonum non venerit, nec gentes suas miserit ad offensionem dicti Comitis Francisci. Sed veniente aut mittente ad offensas hujusmodi, non intendunt præfatum Dominum Ducem obligari, nisi ad subventionem faciendam de equitibus duobus mille dumtaxat: asserente præfato Domino Duce, quòd ipsi equites duomille unà cum Regiis gentibus, & potentia Ecclesiæ ad votivam expeditionem impresiæ plane sufficient. Et quòd sua Dominatio alias suas gentes sic exercebit, quòd paulominus favoris præstabunt impresiæ, quàm si præfatus Dominus noster Papa eas omnes in servitiis suis haberet. Item convenerunt dictæ partes & voluerunt, & conveniunt & volunt intelligi debere præfatum Dominum Regem tunc venisse, aut misisse, quando venerit aut miserit ad offensiones dicti Comitis in Marchia tria millia equitum ad minus, & per dies quindecim perseveraverit. Si tamen postquam venerit aut miserit elapsis dictis quindecim diebus recesserit, aut gentes suas revocaverit, perinde habeatur ac si non venisset, nisi ad minus super impresia dimiserit equites duo mille. Quod si non fecerit, eo casu & non

non aliter teneatur præfatus Dominus Dux exhibere integrum subsidium gentium, de quibus in proximo præcedenti Capitulo actum est. Vice versa præfatus Reverendissimus Dominus Camerarius, agens vice & nomine præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ, ut supra, convênit ac promisit, ac convenit ac promittit ipsis Domino Cardinali Comensi, & Marcolino nomine, quo supra, agentibus & recipientibus, quod ipse Dominus noster Papa sine temporis perditione, & ad tardius infra proximos dies octo post habitam subventionem equitum, de qua supra, aut factam oblationem de faciendo cum effectu subventionem ipsam, ita ut defectu ipsius Domini Ducis non remaneat, quominus infra dictum mensem Augusti proxime futuri subventionem ipsam faciat cum omnibus gentibus suis armigeris equestribus & pedestribus, omnique conatu suo publicam & apertam guerram movebit, seu moveri faciet præfato Comiti Francisco, sibique, ac Terris ab eo occupatis, nec non gentibus armigeris equestribus, & pedestribus, Feudatariis, Vassallis, adhærentibus, recommendatis, subditis, ac hominibus universis ejusdem offendet, & offendi faciet quomodocumque graviùs poterit, invadendo, capiendo, detinendo, & cetera omnia ad oppressionem ipsius agendo, quæ adversùs hostes fieri consueverunt ac debent, ut citiùs victi succumbant; nec ab hujusmodi offensione abstinebit, aut abstineri mandabit absque pleno consensu præfati Domini Ducis. Convênit etiam ac promisit idem Reverendissimus Dominus Camerarius dictis Cardinali Comensi & Marcolino nomine quo supra recipientibus, quòd præfatus Sanctissimus Dominus noster Papa in Terris & Territoriis Suæ Sanctitatis & Ecclesiæ dictis equitibus ut supra mittendis dabit & dari faciet, quandocumque opus fuerit, stantiam, reductum, transitum, & victualia pro suis pecuniis, & pretio competenti, eosque in his omnibus tractabit, & tractari faciet, sicut tractantur & tractabuntur gentes armigeræ ad Ecclesiæ servitia militantes. Item convenerunt dictæ partes & promiserunt, ac promittunt & conveniunt nihil agere directè vel indirectè, aut alio quovis modo, dicta impresia durante, quod eidem impresiæ præjudicare habeat, aut præfato Comiti Francisco favorem ullum præstare. Quæ omnia & singula promiserunt præfatus Reverendissimus Dominus Camerarius vice & nomine Sanctissimi Domini nostri Papæ præfati, & dicti Reverendissimus Dominus Cardinalis Comensis & Marcolinus nomine præfati Domini Ducis ut supra coram me Notario infrascripto, Testibusque infrascriptis ad hæc specialiter vocatis & rogatis, sub obligatione omnium bonorum Cameræ Apostolicæ & præfati Domini Ducis præsentium & futurorum, semper & omni tempore habere & tenere rata, grata, & firma, & ea observare, & executioni mandare, & contra ea non facere, nec venire aliqua ratione, nec causa, de jure, nec de facto, etiam sub refectione, & restitutione omnium expensarum, damnorum, & interesse litis & extra. Et de prædictis voluerunt dictæ partes, ut supra, per me Notarium infrascriptum publicum debere confici Instrumentum, unum, & plura tenoris ejusdem, manibus ipsorum Dominorum Cardinalium, & Marcolini subscribendum, & sigillis eorum muniendum. Actum in domibus solitæ habitationis præfati Reverendissimi Domini Cardinalis Comensis in camera sua, præsentibus ibi Testibus Reverendo Patre V. Roverellæ Episcopo Adven. Sanctissimi Domini præfati Cubiculario & Secretario, Zenone Amidano Cremonensi præfati Domini Cardinalis Comensis Secretario, Antonio de Luca filio quondam Dominici de Montesigatesio, & Gurello Garazulo filio Spectabilis Militis Domini Francisci Neapolitani, omnibus notis, idoneis, & ad præmissa specialiter vocatis & rogatis.

Et ego Stephanus de Judicibus de Varisio filius Domini Petri, Imperiali auctoritate Notarius, suprascriptis omnibus & singulis, dum sic agerentur, ut supra, præsens fui, & de eis publicum Instrumentum confeci & tradidi, quod propria manu scripsi & subscripsi, & munivi signo consueto mei Tabellionatus, in fidem & testimonium præmissorum &c.

Epistola de morte Eugenii Papæ IV. penes Patrem Pompejum Alexandrum Bertium Congregationis Matris Dei, Lucensis.

Epistola de morte Eugenii Papæ Quarti feliciter incipit.

SI cuncta corporis nostri membra verterentur in linguas, vix enarrare possemus virtutes & merita beatæ, sanctæque, & semper recolendæ memoriæ divini illius viri Eugenii Quarti Pontificis summi. Tanta siquidem erat sanctimonia, & magnificentia ejus, tanta pietatis relig.o, tanta benignitas, & sapientia, & gratia; ut ad prædicandum gloriam laudis ejus & eloquentissimi viri obstupescere potuerint, & præ magnitudine rerum potius obmutescere, quam aliquid loqui. Quoniam igitur tanta moles ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quam levandum nobis, quibus nulla est dicendi copia vel scribendi, relinquentes quæ de principio & medio, non sine laude, forent memoranda, pauca de fine dicemus, quæ oculis nostris vidimus & auribus audivimus. Post illum sacrosanctum Natalis Dominici diem, in quo præsentiam suam Pontificalibus indutus Populo exhibuit, cœpit corpusculum ejus lassessere & caro fatigari. Advenit Octava dies, quæ Circumcisio dicitur Salvatoris. Ipsa die Missam celebravit, & salutarem hostiam immolavit in camera secreta, præparans se ad occursum Regis, ut exiret obviam Sponso. Videbat enim dissolutionem sui corporis imminere, & sentiebat se vocari à Domino, ut postmodum nobis mirantibus indicare dignatus est. Hinc processus tardior, & cibus rarior: hinc pallor in facie, & labor in corpore. Sic se habuit duobus diebus sequentibus. Die verò Mercurii, convocato sacro Cardinalium Collegio, audivit Legatos Imperatoris, & Electorum Sacri Imperii, qui venerant illis diebus, portantes pacem, & totius Germanicæ Nationis obedientiam ipsi sanctissimo Papæ. Postquam dies recessit, nox venit, & hora noctis sexta, antequam daret membra sopori (ut ei semper moris erat) Matutinas legebat. Quum autem perventum esset ad Capitulum, quod in Laudibus dicitur, quasi fessus paululum substitit. Quod videns Pastor Arsenius, arbitratus reperisse gratum tem-

tempus alliquid dicendi, nescio quid fari cœpit. Cui pater sanctissimus responso illo suo gratioso, *sine*, inquit, *ut opus Dei compleamus, & tunc aliquid dicam joci gratiâ, quod tamen ad propositum meum congruat*. Finitis Dei laudibus petimus promissa. Incipit nil negans, & dicit. *Erat quidam ex Atheniensibus nomine Themo, paucis notus, eo quod rarò in publicum procedere sit solitus. Quum verò tamdem semel fuisset egressus in medium plateæ, circumstitit hunc plurima turba tamquam admirans & stupens novam visionem hominis. Postea verò quam multi sunt congregati, clamat voce magna dicens: Si quis vult ad ficum meam se suspendere, festinet antequam eam succidam. Est mihi necessaria pro reparatione domus. Erat illi quædam arbor, ad quam multi desperati abeuntes se suspenderant*. Nec plura his. Illico subinfert Pater Arsenius: *Quorsum hæc, beatissime Pater? aut quid sibi vult ista parabola? Hæc est*, inquit, *parabola. Si quis vestrûm ex me aliquid sibi necesse habet, festinet & se expediat, quia non possum amplius; admodum non valeo*. Cœpimus & spem vultu simulare, prementes altum in corde dolorem, & tristitiam abscondentes, conabamur bonis verbis sibi persuadere. At ille in proposito suo perseverans, lectulum adiit, ex quo deinceps vix aliquando exurgere potuit. Elapsis quatuor, forte aut quinque diebus, quum aliquid cibi pro cœna gustasset, advocans nos quatuor, scilicet Domnum Matthæum, Gabrielem, Arsenium, & Modestum, secretò tamquam pater filios cœpit monere & dicere: *Isti medici spem mihi sanitatis spondent. Ego autem ex hac infirmitate non credo convalescere posse. Sicut fuerit voluntas in Cœlo, sic fiat. Multa dixi non moderate: multa feci non temperate; unde non ædificationis exempla præbui*. Et quid? tanta se humilitate dejecit, ut diceret: *Quæso mihi parcite*. Quid animi tunc nobis erat, amantissime Pater, quid ruboris & confusionis? Quid nos facere oporteat ante Deum, ubi summus Pontifex tantum se dejicit ante homunculos, tantum se humiliat ante servulos suos? Tunc plangentes, & lacrymas ubertim fundentes, accusabamus potius nostros excessus & negligentias, indulgentiam & benedictionem a Sanctitate sua poscentes. Recordati sumus dulcium verborum Sancti Johannis Evangelistæ ante obitus sui diem. In mentem & venit illa Cœna, quam ultimam Dominus noster Jesus Christus iturus ad Patrem, priusquam pateretur, cum Discipulis suis manducavit. Sed ut propositum sequamur, quanta in illo patientia, quanta in infirmitate gloriatio! Non erat molestus in requirendo, neque contrarius in renuendo quæcumque Medici facere delegissent. Tanta æquanimitate, tanta semper modestia usus est, ut sæpissime diceret: *Facite quidquid vultis. Ego ad obedientiam paratus sum*. Rarò aliquid, ut solet ætas illa vel languor, petebat; & illud amore Dei tamquam mendicus & pauper postulabat, amore Dei asserens omnia in terra roganda ac perficienda esse. Quoties ingemuit, quum conspiceret sibi in necessitatibus subvenire, & recordaretur pauperum & egenorum, qui sunt sine lecto & tecto! Sæpe meminit Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum; quanta scilicet passi fuissent pro nomine Jesu. Sanctissimi quoque Job patientiam mirabatur, cujus historiam febri correptus libenter audiebat. De Sancto etiam Bernardo multoties referebat, qualis & quantus fuisset in fervore spiritus, in ætate infirma sitiente ad Deum fortem vivum, & cupiente dissolvi, & esse cum Christo. Aliquando tria grana uvæ petiit sibi dari propter febris ardorem & linguæ siccitatem: quæ quum conspiceret sibi afferri, nullatenus acquievit accipere, compunctus in recordatione David, quando pœnituit, quod aquam desiderasset. Venientibus ad se servis Dei viris Religiosis, spondentibus se rogaturos Dominum Deum pro incolumitate sua, beatissimus respondebat: *Non sic, non sic, sed tantummodo orate, ut faciat Dominus voluntatem suam. Nos plerumque*, ait, *id votis exposcimus, quod non impetrasse melius foret. Novit enim medicus quid expediat ægroto magis quam infirmus. Non opto, ut diu vivam, sed ut cito bene moriar, & cum salute revertatur spiritus meus ad Deum. Non deerit, qui regat Ecclesiam, qui vehat Naviculam Petri. Maledictus enim vir, qui confidit in homine*. Laudes divinas carminibus vulgaribus distinctas vel audiebat attente, vel sapide, quali poterat, ipse voce cantabat. Sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi tanta reverentia & devotione suscepit, aliaque ecclesiastica Sacramenta tanta veneratione complexus est, ut Ministros & circum adstantes cogeret lacrymari. In Cathedra Sancti Petri, quæ fuit in die Cinerum, petiit se lectulo deponi, & eo strato reponi. Proxima nocte adveniente die, surgente aurora, inter decimam & undecimam horam sol mundi occubuit. Nam quum a nobis lectus fuisset Psalmus Centesimus decimus octavus cum gradualibus propriis, Reverendus Pater Dominus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui aderat, incœpit devotum sermonem facere, & de gaudiis patriæ cœlestis, ad quam mox erat transiturus, prolixius tractare. Deinde Letaniis ex Christiana traditione cantatis, quum pervenisset ad illud: *Egredere anima Christiana*; quasi vellet dormire, & somnum caperet, sic placida compositus pace quievit in Christo Jesu Domino nostro, cui omnia vivunt. Ipsi gloria in secula. Incomposite & succincte de multis pauca perstrinximus. Parcite nobis. Date veniam & orate pro nobis. Valete.

Modestus mo...... Cubicularius ipsius Sanctissimi Papæ Eugenii IV.

Epitaphium Marci Vegii Laudensis, Viri eloquentissimi, Pro Eugenio Veneto Pontifice IV.

EUGENII HEIC QUARTI ROMANI ANTISTITIS OSSA
CLAUSA LEGE, ET PACEM DIC REQUIEMQUE SIBI.
PRÆSTITERIT FACTIS QUAMVIS INGENTIBUS ILLE,
QUIDQUID MORTALE EST, DUXIT INANE TAMEN.
INDE ETIAM TUMULI VANOS CONTEMSIT HONORES:
ATQUE HAC ME PRESSA CONDITE, DIXIT, HUMO.

IN VITAM NICOLAI V.
SUMMI PONTIFICIS
A JANNOTIO MANETTO SCRIPTAM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN *Praefatione ad Pistoriensem Historiam Tom. XIX. Collectionis hujus, quis fuerit* Jannotius Manettus *Florentinus, vir cum generis nobilitate, tum eruditionis copia Clarissimus, paucis indicavi; neque enim hominis fama jam pervulgata pluribus indigebat. Ejus etiam Vitam à Naldo Naldio conscriptam in Tom. XX. evulgavi. Nunc alterum ejus Opusculum profero, & ipsum numquam antea editum, videlicet* Vitam Nicolai V. Romani Pontificis. *Dignus certe fuit summus ille Antistes, qui à praestantissimis in Italia Scriptoribus celebraretur; ejusque gestis immortalitatis plane beneficium debebatur ab Eruditis eorum temporum viris, quippe is, ut reliquas animi virtutes & egregia illius facta praeteream, Scientias ac bonas Artes non solum mirifice coluit atque amplificavit, sed etiam quoscumque earum cultores mire dilexit, & liberalitate ad se attraxit, atque honoribus amplissimis auxit. Praecipue vero eum in se beneficum* Jannotius *noster sensit. Evocatus enim ab ipso Romam Anno VII. Pontificatus, hoc est Anno 1453. eidem Nicolao à Secretis esse jussus est, ad veteres etiam Libros è Graeca atque Hebraica Lingua in Latinam vertendos destinatus, assignatis ei annuis ex aerario Pontificio sexcentis aureis. Ab eodem quoque Pontifice praecedenti Anno Jannotius noster Equestri dignitate & cingulo decoratus fuerat, quum is Florentinae Reipublicae Legatus Romanae Coronationi Friderici III. Augusti interesset. Quare nil mirum, si Jannotius, ut aliquam referret gratiam generoso ac optimo Pontifici, Literarumque, ut ita dicam, parenti, Vitam illius postremo fato jam functi sibi describendam assumserit. Et ille quidem par tanto operi, utpote qui ad publica negotia saepe adhibitus, & in ipsa Romana Curia versatus, intime noverat eximium Pontificem, & Latino stilo atque facundiâ plurimum valens, ejus res gestas ac laudes copiose ac apte exprimere potis erat.*

Opusculum autem hoc Manettus vix post Nicolai obitum lucubravit, & ad umbilicum duxit, quum in calce Callistum III. nuper *electum Pontificem scribat. Illud vero, raro fortassis exemplo, diversis duobus viris dicavit, nempe* A. Cardinali Hilerdensi, *idest Antonio Cerda, sive Cerdano, Majoricensi, qui tunc Theologorum princeps habebatur, &* Johanni filio Magnifici Cosmi Medicei *Patris Patriae, magnae exspectationis viro, quem mors immatura sustulit vivente adhuc parente Anno* 1461. *Unum, quod mihi in hujusmodi Vita probari minime potuit, libere dicam. Refert Manettus in exordio mirabile Somnium, quo Pontificatus Maximus Thomae Parentucelli (fuit hic idem postea Nicolaus V.) ejus matri praedictus fuisse tradebatur; tum veritus, ne quis sibi, aut prodigio fidem adjungere nolit, eam Somniorum copiam futura quaedam praenuntiantium congerit, non è sacris solum Literis, sed ex Philosophis, Historicis, immo & ipsis Poëtis decerpta, ut plures paginas immoderato hoc centone repleat. Sed non erat his locus; ac praecipue quod incerta ac fabulosa cum certissimis ac vulgatissimis Scripturarum sacrarum Somniis commiscuerit. Itaque farraginem hanc, toedio solum futuram, intrepide expunxi, ne absterriti Lectores à reliquis legendis abducerentur. Vereor etiam, ne plerisque ingrati saporis appareat prolixa illa narratio ingentium aedificiorum, quae Nicolaus V. facienda sibi proposuerat. Paucorum est ejusmodi, quamquam magnificis, Architectonices inventis delectari. Attamen religioni mihi duxissem ex his vel unum verbum tollere; complectuntur enim exquisitam magnorum operum delineationem, animumque excelsum Pontificis illius luculentius produnt. Et sane Cl. V. Philippus Bonannus è Soc. Jesu periocham illam, quae ad Templi Vaticani novam substructionem spectat, à Nicolao V. excogitatam, veluti rem magni faciendam, ex hac eadem Vita MSta in Historiam Templi Vaticani intulit Cap. XI.*

Ceterum reliquam Nicolai V. Vitam multa sunt quae nobis commendant, atque illâ potissimum usus est Odoricus Raynaldus in Annal. Ecclesiast. ad celeberrimi illius Pontificis gesta illustranda, à Jannotio tamen pro more discedens, immo illi infensus, ubi quidquam ei excidit, quod Romanum Pontificem culpare videatur. Mentionem quoque hujus Opusculi fecere praelaudatus Naldius in Vita MSta Jannotii, Gerardus Johannes Vossius de Historic. Latin. Lib. III. Cap. VII. Julius Niger è Soc. Jesu in Histor. Scriptor. Florentinor. pag. 235. sed potissimum Clariss. Zenus in Ephemerid. Literat. Ital. Tom. XI. pag. 353. Hucusque vero manu tantum exarata delituit in Bibliotheca Vaticana, ubi ejus archetypum adservari nonnulli putant, quum contra Bonannus nuper memoratus illud affirmet prostare in Bibliotheca Medicea Laurentiana Florentiae. Ego vero eamdem Vitam evulgare cupiens, praesidium imploravi à doctissimo & in omnes Literarum cultores benefico Viro Antonio Francisco Marmio Florentino, Equite Sancti Stephani. Erat illi exemplum ejusdem Vitae, accurate olim scri-

tempus alliquid dicendi, nescio quid fari cœpit. Cui pater sanctissimus responso illo suo gratioso, *sine*, inquit, *ut opus Dei compleamus, & tunc aliquid dicam joci gratiâ, quod tamen ad propositum meum congruat*. Finitis Dei laudibus petimus promissa. Incipit nil negans, & dicit. *Erat quidam ex Atheniensibus nomine Themo, paucis notus, eo quod rarò in publicum procedere sit solitus. Quum verò tamdem semel fuisset egressus in medium plateæ, circumstitit hunc plurima turba tamquam admirans & stupens novam visionem hominis. Postea verò quam multi sunt congregati, clamat voce magna dicens: Si quis vult ad ficum meam se suspendere, festinet antequam eam succidam. Est mihi necessaria pro reparatione domus. Erat illi quædam arbor, ad quam multi desperati abeuntes se suspenderant*. Nec plura his. Illico subinfert Pater Arsenius: *Quorsum hæc, beatissime Pater? aut quid sibi vult ista parabola? Hæc est*, inquit, *parabola. Si quis vestrûm ex me aliquid sibi necesse habet, festinet & se expediat, quia non possum amplius; admodum non valeo*. Cœpimus & spem vultu simulare, prementes altum in corde dolorem, & tristitiam abscondentes, conabamur bonis verbis sibi persuadere. At ille in proposito suo perseverans, lectulum adiit, ex quo deinceps vix aliquando exurgere potuit. Elapsis quatuor, forte aut quinque diebus, quum aliquid cibi pro cœna gustasset, advocans nos quatuor, scilicet Domnum Matthæum, Gabrielem, Arsenium, & Modestum, secretò tamquam pater filios cœpit monere & dicere: *Isti medici spem mihi sanitatis spondent. Ego autem ex hac infirmitate non credo convalescere posse. Sicut fuerit voluntas in Cœlo, sic fiat. Multa dixi non moderate: multa feci non temperate; unde non ædificationis exempla præbui*. Et quid? tanta se humilitate dejecit, ut diceret: *Quæso mihi parcite*. Quid animi tunc nobis erat, amantissime Pater, quid ruboris & confusionis? Quid nos facere oporteat ante Deum, ubi summus Pontifex tantum se dejicit ante homunculos, tantum se humiliat ante servulos suos? Tunc plangentes, & lacrymas ubertim fundentes, accusabamus potius nostros excessus & negligentias, indulgentiam & benedictionem a Sanctitate sua poscentes. Recordati sumus dulcium verborum Sancti Johannis Evangelistæ ante obitus sui diem. In mentem & venit illa Cœna, quam ultimam Dominus noster Jesus Christus iturus ad Patrem, priusquam pateretur, cum Discipulis suis manducavit. Sed ut propositum sequamur, quanta in illo patientia, quanta in infirmitate gloriatio! Non erat molestus in requirendo, neque contrarius in renuendo quæcumque Medici facere delegissent. Tanta æquanimitate, tanta semper modestia usus est, ut sæpissime diceret: *Facite quidquid vultis. Ego ad obedientiam paratus sum*. Rarò aliquid, ut solet ætas illa vel languor, petebat; & illud amore Dei tamquam mendicus & pauper postulabat, amore Dei asserens omnia in terra roganda ac perficienda esse. Quoties ingemuit, quum conspiceret sibi in necessitatibus subvenire, & recordaretur pauperum & egenorum, qui sunt sine lecto & tecto! Sæpe meminit Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum; quanta scilicet passi fuissent pro nomine Jesu. Sanctissimi quoque Job patientiam mirabatur, cujus historiam febri correptus libenter audiebat. De Sancto etiam Bernardo multoties referebat, qualis & quantus fuisset in fervore spiritus, in ætate infirma sitiente ad Deum fortem vivum, & cupiente dissolvi, & esse cum Christo. Aliquando tria grana uvæ petiit sibi dari propter febris ardorem & linguæ siccitatem: quæ quum conspiceret sibi afferri, nullatenus acquievit accipere, compunctus in recordatione David, quando pœnituit, quod aquam desiderasset. Venientibus ad se servis Dei viris Religiosis, spondentibus se rogaturos Dominum Deum pro incolumitate sua, beatissimus respondebat: *Non sic, non sic, sed tantummodo orate, ut faciat Dominus voluntatem suam. Nos plerumque*, ait, *id votis exposcimus, quod non impetrasse melius foret. Novit enim medicus quid expediat ægroto magis quam infirmus. Non opto, ut diu vivam, sed ut cito bene moriar, & cum salute revertatur spiritus meus ad Deum. Non deerit, qui regat Ecclesiam, qui vehat Naviculam Petri. Maledictus enim vir, qui confidit in homine*. Laudes divinas carminibus vulgaribus distinctas vel audiebat attente, vel sapide, quali poterat, ipse voce cantabat. Sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi tanta reverentia & devotione suscepit, aliaque ecclesiastica Sacramenta tanta veneratione complexus est, ut Ministros & circum adstantes cogeret lacrymari. In Cathedra Sancti Petri, quæ fuit in die Cinerum, petiit se lectulo deponi, & eo strato reponi. Proxima nocte adveniente die, surgente aurora, inter decimam & undecimam horam sol mundi occubuit. Nam quum a nobis lectus fuisset Psalmus Centesimus decimus octavus cum gradualibus propriis, Reverendus Pater Dominus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui aderat, incœpit devotum sermonem facere, & de gaudiis patriæ cœlestis, ad quam mox erat transiturus, prolixius tractare. Deinde Letaniis ex Christiana traditione cantatis, quum pervenisset ad illud: *Egredere anima Christiana*; quasi vellet dormire, & somnum caperet, sic placida compositus pace quievit in Christo Jesu Domino nostro, cui omnia vivunt. Ipsi gloria in secula. Incomposite & succincte de multis pauca perstrinximus. Parcite nobis. Date veniam & orate pro nobis. Valete.

Modestus mo...... Cubicularius ipsius Sanctissimi Papæ Eugenii IV.

Epitaphium Marci Vegii Laudensis, Viri eloquentissimi, Pro Eugenio Veneto Pontifice IV.

EUGENII HEIC QUARTI ROMANI ANTISTITIS OSSA
CLAUSA LEGE, ET PACEM DIC REQUIEMQUE SIBI.
PRÆSTITERIT FACTIS QUAMVIS INGENTIBUS ILLE,
QUIDQUID MORTALE EST, DUXIT INANE TAMEN.
INDE ETIAM TUMULI VANOS CONTEMSIT HONORES:
ATQUE HAC ME PRESSA CONDITE, DIXIT, HUMO.

IN

IN VITAM NICOLAI V.
SUMMI PONTIFICIS
A JANNOTIO MANETTO SCRIPTAM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN *Praefatione ad Pistoriensem Historiam Tom. XIX. Collectionis hujus, quis fuerit* Jannotius Manettus *Florentinus, vir cum generis nobilitate, tum eruditionis copia Clarissimus, paucis indicavi; neque enim hominis fama jam pervulgata pluribus indigebat. Ejus etiam Vitam à Naldo Naldio conscriptam in Tom. XX. evulgavi. Nunc alterum ejus Opusculum profero, & ipsum numquam antea editum, videlicet* Vitam Nicolai V. Romani Pontificis. *Dignus certe fuit summus ille Antistes, qui à praestantissimis in Italia Scriptoribus celebraretur; ejusque gestis immortalitatis plane beneficium debebatur ab Eruditis eorum temporum viris, quippe is, ut reliquas animi virtutes & egregia illius facta praeteream, Scientias ac bonas Artes non solum mirifice coluit atque amplificavit, sed etiam quoscumque earum cultores mire dilexit, & liberalitate ad se attraxit, atque honoribus amplissimis auxit. Praecipue vero eum in se beneficum* Jannotius *noster sensit. Evocatus enim ab ipso Romam Anno VII. Pontificatus, hoc est Anno 1453. eidem Nicolao à Secretis esse jussus est, ad veteres etiam Libros è Graeca atque Hebraica Lingua in Latinam vertendos destinatus, assignatis ei annuis ex aerario Pontificio sexcentis aureis. Ab eodem quoque Pontifice praecedenti Anno Jannotius noster Equestri dignitate & cingulo decoratus fuerat, quum is Florentinae Reipublicae Legatus Romanae Coronationi Friderici III. Augusti interesset. Quare nil mirum, si Jannotius, ut aliquam referret gratiam generoso ac optimo Pontifici, Literarumque, ut ita dicam, parenti, Vitam illius postremo fato jam functi sibi describendam assumserit. Et ille quidem par tanto operi, utpote qui ad publica negotia sæpe adhibitus, & in ipsa Romana Curia versatus, intime noverat eximium Pontificem, & Latino stilo atque facundiâ plurimum valens, ejus res gestas ac laudes copiose ac apte exprimere potis erat.*

Opusculum autem hoc Manettus vix post Nicolai obitum lucubravit, & ad umbilicum duxit, quum in calce Callistum III. nuper *electum Pontificem scribat. Illud vero, raro fortassis exemplo, diversis duobus viris dicavit, nempe* A. Cardinali Hilerdensi, *idest Antonio Cerda, sive Cerdano, Majoricensi, qui tunc Theologorum princeps habebatur, &* Johanni filio Magnifici Cosmi Medicei *Patris Patriae, magnae exspectationis viro, quem mors immatura sustulit vivente adhuc parente Anno 1461. Unum, quod mihi in hujusmodi Vita probari minime potuit, libere dicam. Refert Manettus in exordio mirabile Somnium, quo Pontificatus Maximus Thomae Parentucelli (fuit hic idem postea Nicolaus V.) ejus matri prædictus fuisse tradebatur; tum veritus, ne quis sibi, aut prodigio fidem adjungere nolit, eam Somniorum copiam futura quaedam praenuntiantium congerit, non è sacris solum Literis, sed ex Philosophis, Historicis, immo & ipsis Poëtis decerpta, ut plures paginas immoderato hoc centone repleat. Sed non erat his locus; ac praecipue quod incerta ac fabulosa cum certissimis ac vulgatissimis Scripturarum sacrarum Somniis commiscuerit. Itaque farraginem hanc, toedio solum futuram, intrepide expunxi, ne absterriti Lectores à reliquis legendis abducerentur. Vereor etiam, ne plerisque ingrati saporis appareat prolixa illa narratio ingentium aedificiorum, quae Nicolaus V. facienda sibi proposuerat. Paucorum est ejusmodi, quamquam magnificis, Architectonices inventis delectari. Attamen religioni mihi duxissem ex his vel unum verbum tollere; complectuntur enim exquisitam magnorum operum delineationem, animumque excelsum Pontificis illius luculentius produnt. Et sane Cl. V. Philippus Bonannus è Soc. Jesu periocham illam, quae ad Templi Vaticani novam substructionem spectat, à Nicolao V. excogitatam, veluti rem magni faciendam, ex hac eadem Vita MSta in Historiam Templi Vaticani intulit Cap. XI.*

Ceterum reliquam Nicolai V. Vitam multa sunt quae nobis commendant, atque illâ potissimum usus est Odoricus Raynaldus in Annal. Ecclesiast. ad celeberrimi illius Pontificis gesta illustranda, à Jannotio tamen pro more discedens, immo illi infensus, ubi quidquam ei excidit, quod Romanum Pontificem culpare videatur. Mentionem quoque hujus Opusculi fecere praelaudatus Naldius in Vita MSta Jannotii, Gerardus Johannes Vossius de Historic. Latin. Lib. III. Cap. VII. Julius Niger è Soc. Jesu in Histor. Scriptor. Florentinor. pag. 235. sed potissimum Clariss. Zenus in Ephemerid. Literat. Ital. Tom. XI. pag. 353. Hucusque vero manu tantum exarata delituit in Bibliotheca Vaticana, ubi ejus archetypum adservari nonnulli putant, quum contra Bonannus nuper memoratus illud affirmet prostare in Bibliotheca Medicea Laurentiana Florentiae. Ego vero eamdem Vitam evulgare cupiens, praesidium imploravi à doctissimo & in omnes Literarum cultores benefico Viro Antonio Francisco Marmio Florentino, Equite Sancti Stephani. Erat illi exemplum ejusdem Vitae, accurate olim scri-

scriptum à nobili Viro Hieronymo à Sommaja, quod continuo mihi liberalissime concessum est, ut inde describeretur, publicique juris fieret Manetti Opusculum. Postremo tamdem loco monendi sunt Lectores, paucos ante annos à Bonaventura Rubeo J. U. D. erudito Cive Sarezanensi editam fuisse Nicolai V. Vitam Italicâ Linguâ conscriptam, quam ipse ex variis Scriptoribus consarcinavit. Illam si quis amet conferre cum Manettiana, ac praecipue quod est ad Patriam egregii hujus Pontificis, animadvertet, quantum praeferenda sit recentioribus Manetti gravissimi & synchroni Scriptoris auctoritas.

VITA

VITA
NICOLAI V. SUMMI PONTIFICIS
AUCTORE
JANNOTIO MANETTO FLORENTINO
NUNC PRIMUM PRODIT
EX MANUSCRIPTO CODICE FLORENTINO.

Jannotii Manetti Præfatio ad A. Cardinalem Hilerdensem, & ad Johannem Cosmi filium in Libros de Vita ac Gestis Nicolai V. Summi Pontificis incipit feliciter.

VEtus quidem priscorum Auctorum consuetudo fuit, Reverendissime Pater, ac præstantissime Vir, ut egregia laborum suorum opera Principibus atque excellentibus hominibus propterea dedicarent, ut illis partim in rebus dignis & gravibus obsequerentur, partim etiam ut operibus ipsis major exinde auctoritas proveniret. Hanc nos laudabilem atque inveteratam eruditorum Virorum consuetudinem in præsentiarum imitantes, quoddam Opusculum, cui titulus est *De Vita ac gestis Nicolai V. Summi Pontificis*, ad excellentiam utriusque vestram mittere constituimus, tamen ut ambobus, nobis de hoc nos sæpenumero rogantibus, morem gereremus, tum etiam ut ex præclarissimis ac celeberrimis nominibus vestris majorem quamdam huic Opusculo nostro apud quosque legentes tam Seculares quàm Religiosos homines auctoritatem nancisceremur. Ad hæc accedebat, quo libentius id ipsum faceremus, quia nullos in utroque statu & seculari & religioso, in quibus Nicolaus noster, dum vivebat, mirum in modum excelluerat, reperire poteramus, qui raras atque admirabiles virtutes ejus magis quàm vos cognoscerent, vehementius amarent, ardentius venerarentur. Quocirca suscipite, quæsumus, præstantissime Domine, atque Clarissime Vir, hilari lætaque mente hoc nostrum quodcumque est Opusculum, quod nos prædictis caussis adducti ad utrumque vestrûm potius quàm ad alios quoscumque, vel ad alterutrum separatim mittere maluimus.

LIBER PRIMUS.

THomas cognomento Sarazanensis, qui postea Nicolaus Papa V. dictus est, trecentesimo nonagesimo octavo supra millesimum Christianæ salutis Anno, Pisis feliciter nascitur, quæ est Urbs Etruriæ vetustissima à Pelasgis, qui è media Græcia jam pridem in Italiam venerant, ab initio condita. Inde celebratum illud Maronis nostri hemistichium exstat:

---- *Alpheæ ab origine Pisæ.*

Ac præter vetustatem, qua etiam nunc plurimùm celebratur, ipsa quoque cum situ loci tum pulchritudine oppidi, ac regionis ubertate, atque maritima potestate, quondam ita floruisse videtur, ut nulli Italicæ Civitati (pace cunctarum dixerim) quandoque secunda haberetur. Patre enim Bartholomæo peregregio Artium ac Medicinæ professore, Pisano Cive, de nobili & generosa quadam Parentucellorum progenie oriundo, ac matre Andreola Sarazanensi non obscuro genere, Pisis, ut diximus, feliciter natus est, licèt in novo quodam Liguriæ Oppido nomine Sarazana conciperetur. Proinde & quia ibi conceptus, & quod Sarazanensi matre genitus erat, idcirco *Thomas Sarazanensis* vulgo ab omnibus co-

A gnominabatur. Pater quippe studio partium, ut fit, & patriâ pulsus, Sarazanam in domicilium uxorium contenderat, ibi in exilio degens, hunc puerulum bonis faustisque ominibus feliciter genuit. A Petro namque propterea cognomine Gambacorta, qui ex vetusta & clara illa progenie Gambacortorum familia originem traxerat, ob egregias quasdam ac præcipuas virtutes suas magnis cum honoribus ac ingentibus anniversariarum mercedum præmiis in patriam allectus & revocatus est. Etenim Petrus ipse non multo post faustam commemorati pueri conceptionem, totum Pisanæ Civitatis dominium sibi soli arrogaverat. Quocirca pater cum uxore prægnante prædicto
B Anno Pisas reversus, paulo post hunc fortunatum & felicem filium natum jucunde hilariterque suscepit. Quem non ab re, sed potius opportune admodum, ut postea per ea, quæ subsequuta sunt, manifestissime apparuit, *Thomam* non immerito appellavit. Hoc namque nomen Hebraice *abyssum*, ac *geminum* significat, & Græce *Didymus* nuncupatur, ceu de Sancto Thoma Apostolo & Martyre in Evangelio legitur. Nempe hujusmodi Thomæ nomen sive abyssum, quod Latine aquarum profunditatem significare videtur, sive geminum, quod Græce Didymus dicitur, ei ipsi in principio

cipio nativitatis suæ non temere ac fortuitò inditum, plura præclara & admirabilia ejus gesta, memoratu laudibusque dignissima plane & aperte declarant. De quibus nonnulla, utpote ceteris omnibus digniora, velut ex magno quodam pretiosarum rerum acervo, atque ex admirabili præclarorum gestorum suorum congerie seorsum delecta, deinceps prosequemur, ab ejus fausta ac fortunata & felici nativitate bonis Christianæ Religionis ominibus incipientes. Sed ut ordine quodam & recta via nostra procedat oratio, primò de domesticis ejus moribus, & quemadmodum ad Ordinem Clericatus ascenderit, qualisque in eo evaserit, nonnulla breviter referemus. De studiis deinde Literarum egregia quædam ac admirabilia primo Libro enarrabimus. De gestis insuper Pontificalibus seorsum à primo, quo ad fieri poterit, in secundo diligentius accurateque tractabimus. Postremò de præcipuo quodam & admirabili testamento, quod pridie quàm moreretur, ab eo divinitus institutum fuisse scimus, brevius, quoad fieri poterit, tertio Libro absolvemus. Atque hæc ipsa eo ordine quo proposita sunt pro modulo nostro quum diligenter, accurateq; tractaverimus, pias quasdam ad omnipotentem Deum pro salute animæ suæ preces, orationesque devotissime effundemus, memoriæque mandabimus.

Nos igitur secundùm prætaxatum nostræ divisionis ordinem divino cum favore procedentes, hunc ipsum Thomam, cujus vitam, moresque, & gloriosa gesta scribere constituimus, tantis, ac tam magnis naturæ muneribus principio nativitatis suæ ornatum & illustratum fuisse dicimus, ut non communi & pervulgata naturæ lege natus, sed potius ab omnipotenti Deo vel factus, vel delectus esse videretur; nam statim ut in lucem apparuit, vultu, oculisque magnum quemdam peregregiæ & optimæ indolis infantem præseferebat. Quippe antequam per ætatem fieri & loqui posset, nonnulla futuræ magnitudinis & excellentiæ suæ signa evidentissime ostendebat, quæ paulò post quam fari cœpit, mirum in modum ad auxit. Quamquam enim parvula ac tenella ejus ætas esset, ita tamen loquebatur, ut non modo recte & congrue atque eleganter verba componeret, verùm etiam omne ejus eloquium nihil puerile, nihil leve, nihil temerarium, sed cuncta utilia & gravia ac seria ab omnibus, qui eum magno cum stupore mentis audiebant, sapere, ac redolere putaretur. Ubi verò per ætatem discendi capax fuit, ludo literarum deditus præ ingenii excellentia memoriæque magnitudine mirum in modum prima literarum elementa discebat, paulò post septimo circiter ætatis suæ anno patrem amisit. Unde mater ejus vidua cum hoc unico filio Sarazanam in patriam suam remeavit, ibi aliquandiu commorata, quum sese destitutam ab omnibus cerneret, alterum virum suscipere non injuriâ decrevit, ut sibi ad rectius & commodius educandum filium suum opitularetur. Etenim mater vidua unicum filium parvulum & tenellum unice diligebat. Itaque Thomam quemdam Sarazanensem alterum virum in conjugium accepit. Atqui hujusmodi materna de susceptione novi viri opinio eam vehementer fefellit. Etenim vir ille hunc puerulum potius ut privignum quàm ut filium amabat. Matre tamen de bona filii educatione anxia ac solicita, ipse studiis iterum deditus prima literarum elementa antea intermissa rursus ab initio resumsit, quæ quidem triennio post ita percepit, ut cunctos ejus condiscipulos longe ac mirabiliter superaret. Sed quum decimo post ætatis suæ anno pestilenti morbo ad mortem usque corriperetur, dici non potest quantum Andreola mater pro salute unici filii curæ angorisque susciperet; usque adeo enim timore mortis suæ angebatur, ut desperata à Medicis salute, ad divinas preces & devotas orationes recurrere ac confugere cogeretur: Proinde nullum piorum votorum genus intactum illibatumque reliquit. Quum igitur puer post aliquot dies malignitate morbi vehementius quàm antea cruciaretur, factum est, ut matri prædictæ pro ejus sospitate supra quam dici potest anxiæ ac solicitæ, dum fortè pro nimia lassitudine parumper quiesceret, vir quidam magnæ staturæ noctu in somnis apparuerit, albas ac Sacerdotales vestes egregie admodum indutus, atque coronam quamdam ornatissimam splendidissimamque is ipse capite suo gestabat. Hujusmodi igitur Sacerdos magnus eam ipsam clara voce alloqui, & ut secure de salute filii speraret admonere & exhortari videbatur: cui ipsa, quasi dubitaret titubaretque, cum lacrymis ac fletibus & ejulatibus respondebat, incolumitatem dilecti filii clementiæ suæ multùm commendans. Unde Sacerdos ille quum de certa quadam & indubitata proprii filii salute, quia ab omnipotenti Deo missus esset, eam admonere ac securam reddere concupisceret: *Andreola, Andreola*, inquit, bis eam nomine compellans, *de salute filii tui, quamquam graviter & ad mortem ægrotare videatur, nullatenus dubites; prius enim quàm moriatur, ad magnos quosdam & excelsos Sacerdotalis dignitatis gradus juxta præscientiam divinam ascensurus est. At verò si de hoc ipso certior adhuc fieri concupiscis, oportet, ut quandocunque opportunum Sacerdotii tempus advenerit, eum Sacerdotem futurum jurejurando promittas*. Quod quum ipsa sese facturam penitus & omnino, addito etiam juramento, promisisset, confestim experrecta est; & quum oculos suos hinc inde prospiciendi causâ converteret, neminem videbat: nam Sacerdos ille, datâ de incolumitate filii promissione, ac versa vice de futuro Sacerdote accepta, jam è vestigio abierat.

Mater verò ex prædicto somnio magnam quamdam de certa filii sui salute spem susceperat, quæ quidem paucis post diebus optatos sortiebatur effectus. Quippe non multo post ipsum incolumem factum apprime hortabatur, ut sese ad Clericatus Ordinem conferret, ac primam, ut dicitur, Tonsuram acciperet, somnioque sibi ordine enarrato, ut id faceret, faciliter persuasit; nam sese id ipsum facturum pollicitus est, ac non multo post, ut verbis promiserat, ita rebus & effectibus adimplevit. Hoc matris tam præcipuum & tam admirabile insomnium, divinum potius oraculum quàm humanum somnium unicuique gesta sua diligenter & accurate consideranti, non immeritò videri debet: ceu in calce hujus nostri Opusculi manifestissime apparebit. Si enim plerique Poëtæ, multique Historici, ac plures Philosophi Ethnici Gentilesque vera quoque somniasse comperiantur: quid nos de sacris ac Catholicis præsertim dignis hominibus sentiemus? An eos vana & inania semper somniasse existimabimus, quum profanos homines per ea, quæ ab idoneis Auctoribus scripta sunt, vera quandoque in somniis

niis prævidisse non dubitemus? Sed ut hoc nostrum qualecumque est insomnium verius ac certius fuisse intelligatur, ex multis & Poëtarum & Historicorum & Philosophorum, ac mortuorum hominum & Sanctorum virorum somniis pauca & ea quidem celebratiora referemus, à Poëtis initium sumentes. Hecuba Priami &c. (a) Sed quorsum hæc tam multa de egregiis quibusdam Poëtarum, Historicorum, Philosophorum, mortuorum hominum ac sacrorum virorum somniis? fortasse dicet quispiam. Ut hoc ipsum præcipuum sane, atque admirabile Andreolæ nostræ de magno illo Sacerdote albis vestimentis induto, ac Pontificali mitra capite redimito, somnium, non prope somnium, sed potius per ea, quæ postea in tota vita sua subsequuta sunt, certum & verum, non Apollinis Pythii, ut Gentiles appellabant, sed magis omnipotentis Dei oraculum fuisse intelligatur. At vero redeamus unde digressi sumus.

Decimo igitur ætatis suæ anno, Thomas noster primò sacros Ordines suscepit, quo facto in literarum ludo magna cum diligentia perseveravit, ibique brevi tempore mirabiliter profecit. Sed quum esset alti animi, atque illic parum proficere posse intelligeret, biennio post Bononiam, ubi liberalium & ingenuarum Artium studia apprime florebant, proficisci constituit. Atque hoc suo de profectione consilio cum vitrico matreque communicato, vel volentibus, vel invitis parentibus, Bononiam tamdem contendit, quamquam ab ipsis nihil ad profectionem suam juvaretur. Eoque loco quum plurimùm jam in Grammaticis valeret, Dialecticis assiduam operam navare cœpit, qua in facultate per biennium ita profecit, ut in miraculum usque procederet. Eoque facto parentes visere concupivit, ut ab eis aliqua pecuniarum emolumenta susciperet. Unde Sarazanam vacationum temporibus reversus; ibique paucis mensibus commoratus, absque ullis parentum favoribus, re infecta, cujus gratia venerat, Bononiam remeavit; atque ad Dialecticam ipsam, utpote principale ceterarum liberalium Artium fundamentum, totum animum mentemque convertit, atque in eo differendi artificio biennio altero consumto, ita valuit, itaque potens fuit, ut XVI. ætatis suæ anno & Dialecticorum & Sophistarum omnium princeps non immeritò haberetur: quod crebro cum privatis tum publicis disputationibus plane & aperte ostendebat; cuncta enim, quæ ad Artem Logicam pertinebant, ita avide arripuit, quasi mulsum bibisse, aut nectar quoddam potasse & hausisse videretur. Interea Andreola, quæ cum viro suo in Patria remanserat, duos filios diversis temporibus peperit, alterum masculum, quem Philippum, alteram feminam, quam Catharinam appellavit. Sed ad Thomam nostrum redeamus. Hic in Dialecticis, ut diximus, apprime eruditus, ad studia naturalis Philosophiæ se contulit, in quibus paucis annis usque adeo profecit, ut cunctos Dialecticæ atque Physicæ Aristotelis Libros (incredibile dictu) pæne ad verbum præcipuo quodam memoriæ suæ thesauro reconderet. Proinde ingens quædam admirabilium virtutum suarum fama in dies per varia & diversa loca hinc inde diffundebatur. Unde à duobus præstantioribus Florentinis Civibus, ambobus Equestris ordinis Viris, ut filios suos liberales Artes edoceret, Florentiam, non sine magnis præmiorum pollicitationibus, eisdem fere temporibus, quasi certatim agerent, adolescens adhuc (tunc enim XVIII. ætatis suæ annum agebat) accitus & evocatus est. Ipse verò quum pauper atque inops pæne omnium rerum ad victum necessariarum premeretur, obsequendi ac lucrandi gratia Bononiam parumper relinquere, ac Florentiam proficisci constituit. Et cum altero prædictorum duorum, quorum nomina honoris causâ (cum uterque postea, variante fortuna vices, exilio mulctaretur) de industria omittenda curavimus, domi suæ honorifice receptus est, ubi duos circiter annos commoratus, alteri evocatori postmodum adhæsit, atque secum biennium domestice ac familiariter conversatus, quum jam tantum ex hoc quadriennali famulatu lucratus esset, ut acquisita lucra ad commodam & honorabilem vitam sufficere valerent, rursus Bononiam bonarum Artium parentem & altricem, studiorum gratiâ, quo eum, ut arbitror, fata ferebant, XXII. ætatis suæ anno faustis omnibus remeavit. Ibi namque parum commoratus; nam quum virtutum suarum excellentia ad aures Nicolai tunc temporis Bononiensis Episcopi tamdem aliquando perveniret, ipsum pænes sese habere voluit, domique suæ commorandi gratia humane benigneque suscepit, atque ob hoc perspectius agnoscens ejus virtutes, paulo post ita dilexit adamavitque, ut ipsum totius domus suæ gubernatorem præficeret. Magister igitur Domus effectus, ad majora quidem Theologiæ studia Dialecticis ac Physicis facultatibus, supra quàm dici potest animatus, mirum in modum animum applicuit. Proinde quum Magistrum Sententiarum, tum omnes ejus Commentatores, & Explanatores cursim perlegit, atque Ægidium, & Alexandrum, Bonaventuram, Henricum, Scotum, & Albertum, Thomam, & Aureolum, Franciscum Maronensem, & Johannem Ripensem, ac reliquam sacrorum Commentatorum, & Explanatorum turbam ita memoriter tenebat, ut omnes, ipsum in quotidianis & privatis & publicis disputationibus audientes, in singularem quamdam sui admirationem stuporemque converteret. Nec hac moderna, ut ita dixerim, Theologia contentus, ad accuratam quoque Hilarii, Athanasii, Nazianzeni, Cypriani, Basilii, Cyrilli, Chrysostomi, Eusebii, Damasceni, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Ruffini, & Gregorii, lectionem contendit, quos omnes, pluresque alios hujusmodi sacrarum & divinarum rerum Scriptores non solùm celerrime legit, sed ita quoque hausit, ita probe intellexit, ita denique percepit, ut singula quoque prædictorum Auctorum memoratu digna suo illo perpetuo & quodammodo æternæ memoriæ thesauro mirabiliter reconderet, ac fideliter custodiret. Quod quidem toties ostendebat, quoties, vel paratis & excogitatis argumentis, quasi structis aciebus, cum singularibus viris (id enim fre-

(a) Muratorius: *Interserit heic Manettus, & in aliquot paginas producit farraginem quamdam de Veterum Somniis, si non insulsam, inanem saltem, & loco inopportunam. Quare liceat mibi eadem resecare, & suis relinquere tenebris. Poscit Lector Vitam Nicolai V. non Somniorum cumulum, quorum etiam nonnulla fabulis accensenda.*

frequenter agebat, ut virtutum suarum excellentia latius effunderetur) inter disputandum dimicabat, vel in aliquam Dialecticæ, Philosophiæ, Theologiæ mentionem, non consultò & de industria, sed fortuitò ac temere, & sine certo proposito incidisset. Tunc enim (mirabile dictu) omnia illa in suæ memoriæ potestate occulta & abstrusa ita, quasi de penu quodam, ex tempore depromebat, ut cunctos auditores suos, quemadmodum jam dictum est, in admirationem stuporemque converteret.

Atque hæc omnia, aliaque hujusmodi in secunda sua reversione, per triennium dumtaxat, optime perfecit. Itaque XXV. ætatis suæ anno, ubi præter Grammatica, Dialectica, ac Physica magnam quamdam utriusque Theologiæ veteris & novæ scientiam comparaverat, promissionis matri de susceptione Sacerdotii factæ opportuno tempore memor, Sacerdotii ac Presbyterii dignitatem à commemorato Nicolao hilariter feliciterque suscepit. Id enim tempus ad susceptionem Sacerdotii unicuique tunc idoneum & opportunum fore existimabat, quum exacta quædam divinæ legis cognitio (quæ profecto absque mediocri Secularium facultatum adjumento parari non potest) ad eum accesserit, qui in Sacerdotem ungendus est; non illud, qualecumque sit, juvenilis ætatis à sacris & Catholicis Canonibus institutum. Hoc namque in Malachia Propheta ad verbum legerat: *Dominus interrogavit Sacerdotes legem*: quod Hieronymus explanans: *Sacerdotis officium est*, inquit, *interrogati respondere de lege*. Ad hanc insuper tam singularem, tam præcipuam, ac profecto tam admirabilem bonarum ac sacrarum Artium doctrinam, tantam ac tam magnam Poëtarum, Oratorum, Cosmographorum, Historicorum cognitionem adjunxit, ut omnes, qui ipsum, vel de Poëticis fabulis, vel de ratione dicendi, vel de situ Orbis terrarum, vel de Assyriorum, Medorum, Persarum, Germanorum, Cimbrorum, Gallorum, Hispanorum, Celtiberorum, Græcorum, Romanorum, Gothorum, Hunnorum, Vandalorum, Longobardorum, & aliarum domesticarum & externarum Gentium rebus gestis differentem audirent, prorsus admirabilem, & potius divinum, quàm humanum Virum arbitrarentur. Dum igitur celebris quædam excellentium virtutum suarum fama, non solùm per totam Italiam, sed etiam quasi per universum terrarum Orbem hinc inde ferebatur, factum est, ut commemoratus Nicolaus tunc Bononiensis Episcopus ob probitatem morum, ac sanctimoniam vitæ, multarumque rerum cognitionem, ab Eugenio IV. summo Pontifice ad ingentem illam Presbyterii Romanæ Ecclesiæ dignitatem, quæ novo ac inusitato nomine *Cardinalatus* nuncupatur, non immeritò promoveretur, ac Cardinalis titulo Sanctæ Crucis crearetur. Unde Bononiæ habitatione relicta, unà cum prædicto Domino suo Romam habitandi & commorandi gratiâ contendit, ubi in eodem gubernandæ domus officio confirmatus, cuncta suo nutu proprioque arbitrio gubernabat. Non multo post inter Francorum, Anglorumque Reges, & inclytum Burgundiæ Ducem, vehemens quoddam, acre, & perniciosum, & ut ita dixerim pestilens & internecinum bellum per plures annos magna cum Gallicarum tum Britannicarum gentium strage jampridem viguisset, atque si diutius prio-

A ribus conditionibus obdurasset, ad ingentem quamdam utriusque Regni ruinam portendere, ac machinari videretur; Eugenius hujus componendæ pacis cupidus, ut tale bellum, vel omnino subverteret, vel saltem per inducias, aliaque vafrorum hominum machinamenta aliqua ex parte mitius redderetur, prædictum Cardinalem virum suapte natura prudentissimum, & multa rerum agendarum peritia sapientissimum, ac probitate morum, & sanctimonia vitæ, ac doctrinæ excellentia celeberrimum, ad sedandum quoquomodo hujusmodi bellicos tumultus, e Roma usque in Galliam, & Britanniam, ac Burgundiam, e Latere, ut dicitur, Legatum misit. Qua B quidem in Legatione Thomas noster, ut antea erat, sic totius familiæ personæque dominicæ gubernator accessit, atque in eo prædictæ Legationis officio anno pæne, non sine maximis diurnis nocturnisque laboribus, consumto, licèt inter prædictos Reges pax principalis nullatenus componi posset, ita tamen inter Regem Galliæ, Ducemque Burgundiæ concordia facta est, ut ex hac pacis inter eos compositione acerrimum illud inter commemoratos Reges bellum aliquatenus sedaretur, aliquantoque mitius redderetur. Quo facto Romam remeavit, ac non multo post reversionem suam iterum ad componendos plures Germaniæ Principes mutuis inter se bellis, & intestinis invicem seditionibus hostilem in C modum irritatos, in Alemanniam Legatus à commemorato Eugenio destinatur. Sed in hac secunda Legatione anno pæne integro contrito ac consumto, paceque cum magnis laboribus tamdem composita, Romam revertitur. Ubi non multum temporis commoratus, tertio Legatus Ferrariam ab eodem Eugenio transmittitur, quò Oratores Philippi Mariæ cognomento Vicecomitis Illustrissimi olim Mediolanensium Ducis, atque Oratores Venetorum, Florentinorumque ea tempestate adversus prædictum Philippum confœderatorum, pro componenda inter eos pace convenerant. Ibi quum paucos menses contrivisset, Philippum ipsum D Illustrissimum Mediolani Ducem, cum Venetis, & Florentinis simul adversùs eum, ut diximus, confœderatis ita reconciliavit, ut ex longo & diuturno bello inter eos ipsos jampridem per multos annos capitalibus odiis & acerrimis inimicitiis exacerbato, simultatibus hinc inde penitus omninoque sedatis, pax ac concordia sequeretur. Unde tertio ex hac tertia Legatione, cum plena injunctæ commissionis exsequutione Romam magnis cum honoribus rediit.

Sed quorsum hæc tam multa de gestis Nicolai Reverendissimi Cardinalis Sanctæ Crucis memoratu dignis, quispiam petat, quum Thomæ nostri vitam moresque describam? E Quorsum? ut unusquisque, qui hoc legerit, Thomam nostrum ad suam illam sapientiam tam singularem ac tam admirabilem, quam ex multarum Scientiarum genere sibi magna cum gloria comparaverat, præcipuam quamdam agendarum rerum, & quidem magnarum, peritiam adjunxisse intelligat. Quippe cuncta non solùm, quæ ad totius familiæ magnæ, ingentisque turbæ gubernationem pertinebant, diligenter & accurate exsequebatur; sed omnia quoque, quæ ad sustinendam confractam prædicti Cardinalis personam, ac pæne ætate confectam, & calculo insuper plurimum laborantem, exigebantur, suo arbitrio

nutu-

A nutuque gubernabat. Unde in longinquis itinerationibus, conductoris, ac ministri, gubernatoris, & medici officiis fidelissime simul atque accuratissime fungebatur. Quapropter & sapientissimus ob multiplicem cunctarum prope Scientiarum adeptionem, & prudentissimus quoque ob multarum ac maximarum rerum pertractationem magnis cum laudibus atque ingentibus honoribus evasit. Non multo post variante, ut plerumque fit, fortuna vices, factum est ut aliquot Romani scelestique Cives, & patriæ suæ proditores, adversùs Eugenium Romæ præsidentem, capiendi, prædandi, ac populandi causâ, nefarie simul conjurassent. Atque ita nimirum convenerunt, ut B nisi omnipotens Deus eum ex impiorum & perditorum, ac sicariorum & conspiratorum hominum nefariis manibus incolumem præservasset, profecto de ejus salute ac vita omnino actum fuisset. Sed quum divinâ omnipotentis Dei misericordiâ non sine maxima quorumdam suorum industriâ salvaretur, Pontificalibus indumentis exutus, & Monachali cuculla cujusdam habitu indutus, Româ tamdem abivit, ac uno dumtaxat comite, cymbique vectus, versùs Pisas contendit, ut exinde postea Florentiam applicaret. Itaque quum paucis post diebus valetudinarius, tum quia corpore suapte naturâ imbecillis erat, tum etiam quia in maximis periculis constitutus mente conciderat, Pisas accessisset, C exinde recto tramite postmodum Florentiam venit; atque ibi aliquot annos commoratus, non modò debilitatas corporis & animi sui vires, sed etiam solida quædam & principalia totius Pontificalis Curiæ fundamenta, propter repentinum recessum suum jam antea omissa, majorem in modum recuperavit. Ceterum ut est natura mortalium fluxa, varia, ac mutabilis, factâ cum Romanis Civibus, qui non multo ante adversùs personam Sanctitatis Suæ tam sæve ac tam crudeliter conjurassent, reconciliatione, Romam, quam quidem verum & unicum ac ordinarium Petri primi Pontificis domicilium, atque perpetuam & æternam summi Pontificatus sedem fore putabat; re- D dire statuit. Proinde quum e Florentia abiret, Senas se contulit, atque dum aliquandiu ibi cum tota Curia commoraretur, factum est ut prædictus Nicolaus Sanctæ Crucis Cardinalis illic graviter ægrotaret, ac paucis postquam ægrotare cœpit diebus, stranguriâ & calculi morbo vehementer oppressus, in præcipua quadam ac singulari Dei & hominum gratia interiit. Thomas itaque noster Nicolao Domino suo, cui per viginti circiter annos sine intermissione integerrime simul ac fidelissime & optime in gubernatione totius Familiæ, & E in personæ quoque suæ cura mirum in modum inservierat, per ejus mortem destitutus, Gerardo Andrianensi titulo Sanctæ Mariæ Transtiberim Romanæ Ecclesiæ Cardinali adhæsit, qui & ipse, paulo postquam Eugenius Romam redierat, e vita decessit. Proinde, quasi fatis ageretur, per se ipsum imposterum vivere ac sui juris fore fierique constituit. Quo facto Pontifex in ordinatione Curiæ, quam per propriam absentiam deformatam collapsamque repererat, cognitis eximiis virtutibus suis, ipsum Sedis Apostolicæ primo Subdiaconum ordinavit, eo deinde soli omnia, quæ ad Camerarium Apostolicum pertinebant, curanda & administranda permisit, ac per hunc modum eum Vicecamerarium creavit. Sed

quum peregregiæ virtutes suæ in dies celebriores efficerentur, Florentiam primùm, deinde Neapolim ad Alphonsum clarissimum Aragonum Regem pro magnis rebus agendis Orator ab eodem Eugenio transmittitur. Ac non multo post reversionem suam commissionibus egregie confectis exsecutionique mandatis, in Galliam, ac Britanniam ad componendam pacem concordiamque jam pridem inter commemoratos Gallorum Britannorumque Reges per intercessionem defuncti Cardinalis antea tractatam Legatus ab eodem Pontifice destinatur, quoniam incœptum inter eos bellum, etsi ab initio tractatæ pacis aliquanto mitius apparuisset, postremo tamen invaluisse dicebatur. Ibi aliquot menses in tractanda pace commoratus, dici non potest quantum laboris diu noctuque suscepit, ut accuratum commissionis suæ munus exsequeretur. Sed quum nihil vel parum persuasiones suas varias efficaces & elegantes ad componendam pacem valere intelligeret, Romam re infecta remeavit. In hac sua ad Pontificem reversione, quum Pontifex ipse munus commissionis suæ ipsum diligentissime & accuratissime, quantum in se fuit, prosequutum fuisse intelligeret, ei ita gratus, acceptusque fuit, ut non multo post Bononiensi Ecclesiæ vacanti, ne ullatenus laborum ac recte ab eo factorum ingratus putaretur, ipsum non immeritò præposuit, atque Episcopum Bononiensem effecit.

Sed quum Germanica concordia post aliquot annos, illorum Principum ejus Provinciæ animis ab invicem dissentientibus, jam vacillare ac nutare crederetur, ad tollendum omnes futurarum discordiarum scrupulos in Germaniam una cum Johanne [illegible] egregio tunc causarum Apostolicarum Auditore Legatus ex Urbe proficiscitur. In hac legatione uterque Orator ita egit, ita se gessit, ita mirabiliter operatus est, ut pace inter prædictos dissentientes Principes confecta magnis cum honoribus Romam redirent. Sed quum Eugenio Pontifici laudabilia & gloriosa horum duorum suorum Legatorum gesta plane & aperte innotescerent, mirum in modum lætatus & gavisus est; atque tantum exinde gaudii lætitiæque suscepisse videtur, ut ambos, dum Romam reverterentur, in ipso itinere antequam Urbem applicarent, magno cum honore atque ingenti utriusque gloria, Cardinales diversis titulis pronuntiaret, atque rubra & consueta illius dignitatis insignia ad eos sic itinerantes, & ex hac sua felici Legatione ad ipsum revertentes transmitteret. Quibus illi maxima cum devotione ingentique gaudio susceptis, veteri collegarum suorum Collegio, ac magnâ Romanorum Prælatorum catervâ sociati, & omnibus Ecclesiasticis pompis insigniti, quasi triumphantium more Urbem intrarunt; atque ubi ad sanctos Eugenii pedes constitere, omnia, quæ in hac tam fausta & tam felici Legatione sua gesserant, ordinè retulerunt, atque ad extremum de honore in hac nova maximæ dignitatis Presbyterii Romanæ Ecclesiæ ac Cardinalatus collatione sibi exhibito, quantum per admirabilem & pæne divinam Thomæ nostri elegantiam valuere, Sanctitati suæ immortales gratias peregere. Quo facto ab illo dignis laudibus ornati, ac benefica sanctarum manuum benedictione recreati, cum dominica licentia, ac præcipua & singulari omnium Prælatorum gra-

gratia domos suas læti & alacres rediere. Paucis post mensibus factum est, ut Eugenius graviter & ad mortem ægrotaret, ac intra aliquot dies ex ea ægrotatione moreretur. Proinde novendialibus sepeliendorum Pontificum exsequiis, ubi Thomas noster funebrem Orationem omni Pontificalium laudum genere refertam de more disertissime & elegantissime habuit, rite peractis, Patres sacrum Basilicæ ejus, quæ vulgo Minerva nuncupatur, Conclave ingressi, in parvo tridui spatio pæne cunctis quasi suffragiis in dignissimam hujus Thomæ nostri personam (mirabile & incredibile dictu) convenerunt, eumque summum Pontificem creaverunt, quemadmodum secunda, postquam Patres in Conclave ingressi sunt, die sibi ab Eugenio prædecessore suo in hunc modum revelatum fuisse constat. Patribus enim in cubiculis suis ad Pontificalem electionem de more, ut fit, instructis noctu quiescentibus, ei dum dormiret, & multa secum de novo Pontifice animo & mente revolveret, Eugenius opulentissimo Pallio indutus, ac Pontificali Mitra capite redimitus, in somnis apparuit, atque primo semetipsum Pontificalia indumenta exuebat, atque eum admonebat, ut idem sibi pariter faceret, ac pro suis dimissis illa Pontificalia susciperet. Quod quum ipse sese facturum recusaret, vim sibi sic repugnanti inferre videbatur. Sed quum diutius secum per hunc modum altercaretur, ne propriis vestibus nudaretur, atque ille opus incœptum perficere conaretur, inter altercandum, cur sibi ita faceret interrogare, & percontari cœpit. At Eugenius id propterea facere ajebat, ut ipsum prioribus suis exutum Pontificalia vestimenta graviter decenterque indueret, quoniam eum in Pontificatum sibi successurum plane & aperte præsagiebat. Sed quum ipse hujusmodi Eugenii dicta pro ridiculis haberet, ac penitus & omnino floccipenderet, Eugenius idipsum exuendi opus antea incœptum cunctis viribus perficere nitebatur. Proinde propria tamdem vestimenta illum exuisse, ac paulo post Pontificalia Pallia usque ad impositionem Mitræ super caput suum exornasse & decorasse videbatur. Quo facto à somno experrectus est, & quum totam nocturni somnii seriem optime recordaretur, secum ipse ridere & cachinnari cœpit. Quum verò à quibusdam familiaribus suis, cur ita cachinnaretur, familiariter domesticeque interrogatus fuisset, ridens, ut erat naturâ facetus & comis, id totum illis percontantibus diligenter & accurate recitavit. Quod postridie, quum ad summum Pontificatum sublimaretur, potius verum omnipotentis Dei oraculum, quàm humanum somnium, illi, qui ea noverant, non injuriâ fuisse credidere, præsertim quum duo diversa insomnia variis postea Pontificatus sui temporibus sibi eos ejus verissima relatione apparuisse intellexerint, de quibus hoc loco pauca dicere satius fore putavimus, quàm si reliquos Libros dispersâ quadam prædictorum somniorum narratione confunderemus.

Dum itaque Tolentini pernoctaret, quò e Roma tertio Pontificatus sui anno pestis causâ abiens, & versùs Fabrianum contendens applicaverat, ceu secundo Libro paulo post manifestius explicabimus, factum est, ut pessimum ac periculosum illum morbum in orificio ani pateretur, quem Medici veteres Græco verbo Ragadiam appellarunt, à quo quum ita vehementer cruciaretur, ut nequaquam febribus careret, illi fortè noctu ibidem dormienti, ac de periculo mortis aliquantulum suspicanti, prædictus Eugenius Pontificalibus vestimentis indutus rursus apparuit; atque ne de vehementia illius morbi aliquatenus suspicaretur, apprime & aperte hortabatur, ac iterum atque iterum ipsum non modò ex eo morbo non esse periturum, sed actutum evasurum manifestissime asserebat. Quod ut in mentem suam vehementius imprimeret, se ab Octavo Pontificatus sui anno perquam sibi pernicioso ac lethifero, vel maxime caveret, diligenter admonere videbatur. Quod Baverio Imolensi præstantissimo Medico suo, postridie mane ad eum visendi gratia proficiscenti, læto & hilari vultu postea enarravit. Et sicut in commemorato somnio viderat, ita & paulo post convaluit; & Octavo Pontificatus sui anno defunctus est; atque sic prædicto Baverio, dum graviter & ad mortem ægrotaret, de salute sua diffidens, commemorandi gratiâ non sine aliquo animi mœrore retulit. Sexto deinceps Pontificatus sui anno ei Romæ in cubiculo suo dormienti, Stephanus Porcarius Civis Romanus, qui cum quibusdam aliis nefariis hominibus, ac potiùs sicariis, tam crudeliter ac tam impie in caput suum ad necem conjuraverat, baculum quemdam dextera manu tenens apparuit, atque eo baculo brachium suum ita percutere videbatur, ut nullatenus læderet. Quod ipsum quale foret, detecta paulo post conjuratione, & conspiratoribus captis, ac ultimo, ut merebantur, supplicio affectis, in lucem venit, quemadmodum Secundo & Tertio Libro paulo latius & uberius explicabimus. Atque per hunc modum commemorata tria ejus tam egregia ac tam admirabilia insomnia, illi primo Andreolæ Matris magnam quamdam & certam fidem in effectibus & operibus subsequutis, non immeritò facere & astruere cernuntur. At vero quoniam nos vitam suam describentes, de gestis Pontificalibus in Secundo Libro tractare promisimus, idcirco heic in calce Primi de habitudine corporis, ac de naturalibus personæ suæ moribus pauca memoratu digna referemus, ut hoc onere liberati postea Pontificalia ejus gesta liberius atque audentius aggredi valeamus. Pauca ac modica statura ipsum fuisse scimus; at virtute maxima, ceu de Tideo scribit Homerus, quod Statius Poëta hoc Latino & celebrato carmine traduxit:

„ *Major in exiguo regnabat corpore virtus.*

Colore subcandido à principio nativitatis usque ad Pontificatus tempora perseveravit, in cujus quidem muneris diligentissima & accuratissima atque assidua gubernatione primis quatuor annis tantum laboris curæque ponebat, ut parùm comederet, minùs etiam dormiret. Unde factum est, ut in varios ac diversos morbos, non repente, sed paulatim incideret; nam & podagris chiragrisque crebro cruciabatur; & aliis quoque arthriticis doloribus nonnumquam angebatur; ac corporis & spiritus debilitatem interdum usque ad defectiones patiebatur: proinde & assiduo corporis otio marcescebat, & quotidiana mentis agitatione, & prædictis insuper ægrotationibus usque adeo affligebatur, ut vividum colorem mutare cogeretur. Itaque ex naturali, &, quemadmodum diximus, subcandido in croceum subcineri-

sericiumque color suus conversus est; & teretia ejus & valida membra, ob commemoratas caussas, exilia atque imbecilla evasere. Ore paulo pleniore, voce gravi ac sonora, nigrisve vegetisque oculis, habitu & formâ gravis, valetudine prospera, nisi quod extremo pæne ætatis suæ tempore ob nimios animi & corporis diurnos nocturnosque labores, ingentesque multarum & maximarum rerum curas, tam imbecillis & tam valetudinarius effectus est.

Atque hæc pauca de corpore; animi verò sui virtutes ac potentiæ profecto magnæ admirabilesque fuere. Siquidem, ut a naturalibus donis incipiamus, ingenio valido & acuto, ac pæne ad omnia cunctarum facultatum genera apto accommodatoque, ac maximâ & pæne incredibili rerum & verborum memoriâ viguit. Nam non modò sententias omnium, quæ ullo unquam tempore legerat, sed propria etiam (horresco referens) verba tenebat. Virtutes autem moris & intellectus, quas communi & trito verbo Morales, Intellectivasque appellare solemus, ita sibi comparavit, ut in primis humanus, comis, facetus, urbanus, liberalis, magnificus, fortis, justus, & temperans evaderet, nisi quod interdum improbis suorum domesticorum moribus subirasci & excandescere videbatur. Et ea insuper, quæ ad intellectum pertinere noscuntur, ita sibi ipsi vindicavit acquisivitque, ut Grammaticus, Dialecticus, Poëta, Historicus, Cosmographus, Orator, Philosophus, Physicus, Theologus, maximus revera & certis effectibus & operibus videretur, & esset, non Græcanicâ dumtaxat ostentatione, ceu Satyricus noster de leviusculis Græcis loquens, his egregiis carminibus maximam eorum arrogantiam incredibili quadam levitate in tanta rerum omnium professione conditam, non injuriâ delusit. Apud eos namque solos tunc primum Sophistæ reperiebantur, qui de quacumque re maximo in conventu frequentiaque hominum sese in utramque partem dicturos profitebantur: quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam, qui magnum quoddam, ut ait Cicero, suscipere ac profiteri videbatur, quum se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret. Postea verò ita facere cœperunt, ut nulla esset res, neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua non omnia, quæ dici possent, profiterentur se esse dicturos, ita enim inquit:

„ *Grammaticus*, *Rhetor*, *Geometra*, *Pictor*,
„ *Aliptes*,
„ *Augur*, *Scenobates*, *Medicus*, *Magus omnia*
„ *novit*,
„ *Græculus esuriens: in cœlum jusseris, ibit.*

Et reliqua. Atque hæc omnia prædictarum & aliarum hujusmodi Virtutum munera totiens vera & certa fuisse censebimus, quotiens mirabiles ac quotidianos earundem Virtutum effectus fructusque considerabimus. Nam, ut de singulis pauca quædam commemoremus, & ea strictim & quasi per transennam prætereuntes aspiciamus, quis in omni doctrinarum genere, quàm hic noster Nicolaus, plura intellexit? quis eo plura memoriæ mandavit, mandataque continuit? quæ ambo quotidie in privatis & publicis cunctarum Disciplinarum disputationibus, ac domesticis collationibus manifestissime ostendebat, quotiens familiares cum amicis & benevolis sermones instituebat, mira quadam elegantia, comitate, urbanitate; lepore, facetiis salibusque condiebat. Hujus singularis ac præcipuæ elegantiæ suæ nonnullæ Orationes in prædictis Legationibus habitæ literisque mandatæ, idoneæ atque accommodatæ testes esse possunt, licèt pronuntiandi vivacitas, sonoritasque, quibus primùm vigebat, Orationibus scriptis omnino perire ac penitus evanescere consueverit. Atque eos ipsos sermones Poëmatibus, Historiis, variis locorum descriptionibus, quas Græci unico verbo Topographias eleganter appellare consueverunt, ac crebris sententiarum verborumque luminibus mirum in modum exornabat. Quantùm denique utrâque Philosophiâ, & ceteris omnium Scientiarum facultatibus valuit, toties replicare, ac tam crebro eruditis legentium auribus inculcare supervacaneum ac superfluum existimamus & credimus. Idcirco ulteriorem eorum omnium, quæ pæ- infinita sunt, mentionem facere prætermittimus, tum quia jam antea satis commemoasse videmur, tum etiam ut ad Pontificalia gesta, quo tota mente totoque animo libentissime ferimur citius ac celerius accedamus.

LIBER SECUNDUS.

QUum igitur Quadringentesimo Quadragesimo Septimo supra Millesimum Christianæ Salutis, quadragesimo verò octavo ætatis suæ Anno, contra propriam spem, ac præter omnium prudentium sanorumque hominum opinionem, ad altissimum summi Pontificatus apicem, divinitus potius quàm humanitus, sublimaretur, ob memoriam nominis defuncti Cardinalis sui Nicolaum appellari & nuncupari voluit, atque per hunc modum Nicolaus V. quod in ordine Nicolaorum Pontificum talis erat, vocatus est, quemadmodum in principio hujus operis dixisse meminimus. Hic, ut erat alti animi, non otio desidiæque & inertiæ se dedere, sed e vestigio cuncta agere & operari, ac nihil eorum omittere decrevit, quæ ad rectam & justam tot tantarumque rerum gubernationem, & ad robustam & fortem tantæ molis sustentationem aliquatenus pertinere arbitraretur. Verùm quum Romanam Ecclesiam pluribus ac continuis bellis, quibus per aliquot Eugenii prædecessoris sui annos vexata fuerat, afflictam, ac propterea non solùm in peculiari ærario penitus & omnino bellicis sumtibus exinanitam, sed ære quoque alieno onustam inveniret; ac veteris belli reliquias nescio quas, multis opibus amissis, superesse, & præterea per Amadeum quondam Sabaudiæ Ducem, quem Concilio Basiliensi summum Pontificem creaverant, Felicemque appellaverant, maligno quodam ac perverso Schismate discissam reperiret: cum reliquias belli prorsus delere, & æs alienum solvendum, amissas Urbes recuperare, & Schisma ipsum diluere, omnibus corporis & animi, ut dicitur, viribus, ac denique omnia Pontificalis Curiæ officia priscis ordinibus disponere & ordinare constituit. Quocirca ceteris omnibus posthabitis, ad ea curanda & absolvenda animum mentemque convertit. Unde ad hæc ipsa celerius certiusque conficienda, ut erat suapte naturâ vehemens & acer, ac multarum rerum experientia prudens, nihil utilius fore existimavit, quàm si initio Pontificatus sui singularem quamdam & præcipuam per generalem humani cujusdam boni & liberalis Pontificis apud Principes, Reges, Populosque Christianos de se opinionem, auctoritatem, admirationemque nancisceretur. Proinde omnibus ad eum accedentibus, omissa, quinimmo & neglecta omni proprii corporis cura, se se facilem, benignumque præbebat, atque cunctis postulationibus & supplicationibus ita respondebat, ut benigne gratanterque suscepti, & humanis quoque responsionibus contenti, & optimis de probitate dexteritateque Pontificis opinionibus imbuti, læti alacresque recederent. Ad hæc celeris quædam, ac liberalis omnium postulatorum per fideles & accuratos ministros suos, nulla intercedente corruptela & Simonia, expeditio accedebat. Atque ob hæc & hujusmodi tam humana benignaque, & tam liberalia Pontificatus sui initia, velut certa quædam & expressa totius futuræ gubernationis pignora, tanta & tam admirabili fama undique increbrescente, apud cunctos Principes, Reges, Christianosque Populos, ac Respublicas auctoritatem consequutus est, ut omnes Oratores ac Legatos ad congratulandum de assumtione sua, & quasi ad venerandam ac adorandam novam Christi Salvatoris nostri humanitatem jam in terris existentem, & cum hominibus conversantem, libenter devoteque transmitterent. Quibus quum publica auditoria de industria præberentur, dici non potest, quantum sua illa maxima & innata acquisitaque elegantia accommodatis ex tempore responsionibus satisfaciebat; usque adeo enim omnibus satisfacere videbatur, ut exinde singularem ingenii & humanitatis famam, ac præcipuam & generalem cunctarum Gentium gratiam consensu omnium compararet. Quid plura? Per hos & hujusmodi admirabilium Virtutum suarum rumores hinc inde late ampleque dispersos, paulo post factum est, ut & veteris belli reliquias non armis, non tumultibus, non militibus, sed sola tranquilla ac benigna Sancti Spiritus auctoritate penitus omninoque sedaret; & Civitates quoque antea amissas idem non militaribus, sed Pontificalibus potius artibus, magnanimiter recuperaret; & commemoratum insuper Schisma jamdudum inveteratum, prædicto Amadeo illius Concilii Principe errata sua recognoscente ac confitente, & pœnitente, & Sanctitati suæ, ut par erat, adhærente, dissolveret deleretque. Ipsum enim Romanæ ac Catholicæ Ecclesiæ, ubi veteres perfidiæ suæ errores recognovit, Cardinalem sponte creaverat: quod solum, unicum, & certum dissolvendi illius Concilii remedium, conveniensque & idoneum ejusmodi dissolutionis antidotum fore sua sapientia existimaverat, sicut postea re ipsa comprobante contigisse compertum est. Siquidem ea ipsa tot Patrum Synodus post commemoratam prædicti Amadei promotionem. statim evanuit. Ac præterea Ærarium Apostolicum ab ære alieno celeriter liberavit. Atque hæc omnia de reliquiis veteris belli extinctis, ac de Oppidis Romanæ Ecclesiæ recuperatis, & de Schismate omnino penitusque deleto, primo sui Pontificatus anno, quasi cœlitus agerentur, supra humanum modum mirabiliter ac divinitus operatus est. Talibus igitur faustis, fortunatis, ac felicibus sacri Pontificatus initiis; velut egregiis quibusdam futuri ædificii sui fundamentis optime ac pulcherrime jactis paulo post ad conservandam pacem; ad instituendas omnes Romanæ Ecclesiæ Terras; ad ordinanda Urbis Romæ vectigalia, quæ profectò nervos cujuscumque Principatus, & cujuslibet Reipublicæ semper apud quosque Historicos fuisse legerat; ad distinguenda & distribuenda Ecclesiasticæ curæ officia ac beneficia, animum mentemque convertit. Itaque tribus prioribus mensibus, & de conservatione Pacis, & de externarum Terrarum institutione, & de urbanorum vectigalium ordinatione speciosissime ordinatis, quum principale Sedis Apostolicæ Collegium, quod novo, & non prisco nomine Cardinalium nuncupatur, per mortem quorumdam Collegarum aliqua reformatione indigere intelligeret, cum ut eum ordinem reformaret, tum etiam ut quibusdam excellentibus Viris ingentia illa Beneficia conferret, octo singulares præstantissimosque homines diversis temporibus ad eam dignitatem

non

non injuria promovit. Philippum namque uterinum fratrem suum, ceu antea diximus, Latinum Ursinum, Alanum Avinionensem, Antonium Ilerdensem, Johannem Eboracensem, Sbignejum Cracoviensem, Johannem Eduensem, ac Nicolaum Cusensem diversorum titulorum Cardinales non immeritò creavit. Quo facto prædicta omnia secundo Anno ita ordinaverat, itaque instituerat, ut multo plura ac majora exinde emolumenta susciperet, quàm prædictis antea temporibus fieri consueverat. Quod idcirco faciebat, ut absque illicitis, quamquam jamdudum usitatis, sacrorum Beneficiorum venumdationibus, nonnullis maximarum rerum cogitationibus designationibusque suis melius obsequi ac plenius satisfacere valeret. Quæ quidem magnifica suæ mentis proposita sine ingenti cumulandæ pecuniæ quantitate exsequi & efficere non poterat; atque duo in primis, pacis conservatio, & solida quædam Civitatum Ecclesiasticarum ordinatio, hæc ipsa sibi instrumenta ad prædictas ejus cogitationes designationesque explendas affatim subministrare posse videbatur. Semper omnia cogitabat, atque animo & mente volvebat, quæ ad exaugendam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, atque ad amplificandam Sedis Apostolicæ dignitatem ullatenus pertinere arbitrabatur. Proinde quum statum Ecclesiæ duabus, Spiritualibus scilicet, & Secularibus rebus, maxime contineri & conservari animadverteret, ad illa duo diligenter curanda inter cetera animum adjecit. Itaque Spiritualibus tota mente deditus, Ecclesiasticas cæremonias mirabiliter & ad unguem maxima cum diligentia & incredibili cura observabat, & ut etiam à Christianis Populis majori admiratione haberentur, atque accuratiori quoque devotione susciperentur, tapetibus, auleis, stragulis vestibus, vasis partim argenteis, partim aureis, & Sacerdotalibus indumentis de serico auroque confectis, ac magna unionum & margaritarum multitudine refertis exornabat, quæ communi & vulgato verbo *Paramenta* appellantur. Pontificalibus præterea Mitris sardiorum, smaragdorum, topatiorum, carbunculorum, saphirorum, iaspidum, ligurorum, acatum, ametystorum, chrysolitorum, onichinorum, berillorum, ac mira quadam hujusmodi gemmarum & pretiosorum lapidum copia exornatis, omnes Ecclesiasticas Pontificalesque cæremonias præter consuetum & usitatum morem mirabiliter condiebat. Unde ubicumque illa tam speciosa & tam digna officia intuebantur homines, tanta admiratione, tantoque stupore simul atque devotione capiebantur, ut adumbratam quamdam triumphantis Ecclesiæ in hac nostra militante imaginem recognoscerent, certamque & expressam umbram plane aperteque conspicerent. Atque hæc de sacris cæremoniis dixisse sufficiat. Quid verò de secularibus pompis referemus? Hæc etiam secularia opera multis inter cetera ingentibus & perpetuis ædificiis plurimum ornabat, quæ in dies, pluribus forensibus Oppidis partim extra Urbem, partim verò intra mœnia reparatis, ita undique augebantur, ut in miraculum usque procederent, de quibus quoniam res maxima, ac profecto admirabilis est, suo ordine seorsum enarranda, alibi opportunior dabitur dicendi & replicandi locus. Dum igitur Pontifex ipse hujusmodi dignis ac memorabilibus operibus mirum in modum primo ad honorem omnipotentis Dei, ad augendam deinde Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, ad amplificandam insuper Apostolicæ Sedis dignitatem, tota mente animoque contenderet, ecce felicissimus Jubilæi Annus, Sanctus vulgo appellatus, usque à Moysi divinæ Legis latoris temporibus institutus, ac postea secundum Canones Ecclesiasticos legitime confirmatus, opportune admodum supervenit, qui fuit CCCCL. supra Millesimum Christianæ Salutis, Tertius verò sui Pontificatus Annus. Ad hanc celeberrimam sanctissimamque solemnitatem, in qua certa omnium veterum peccatorum remissio, atque expressa cunctorum indulgentia delictorum à cunctis cum pœnitentia ac confessione adventantibus acquirebatur, non solùm ob hanc raram divinamque festivitatem, sed etiam ob admirabiles Pontificalis personæ conditiones, quæ jam per totum pæne terrarum Orbem fama undique intonante peragraverant, tanta Populorum omnium Christianorum multitudo concurrisse & confluxisse perhibetur, ut ceteris Jubilæis hactenus celebratis, quantùm conjectura augurari ac consequi valemus, numero & copia hominum utriusque sexus non immerito præferri posse existimetur. Tantæ enim Pannonum, Germanorum, Cimbrorum, Britannorum, Gallorum, Hispanorum, Celtiberorum, Portugallensium, Græcorum, Dalmatarum, Italorum, ceterorumque Christianorum Populorum (ut omnes uno verbo summatim comprehendamus) catervæ quotidie confluebant, ut concurrentium congregatio, cujuslibet mensis dimidio per arbitrium designato, in stuporem admirationemque procederet. Tantæ namque & tam magnæ adventantium gentium catervæ quotidie concurrebant, ut quasi sturnorum, apumve, & formicarum agmina, (mirabile & venerabile dictu) viderentur. Quid plura? tantus adventantium Populorum concursus factus est, ut ad celebratum illum Adrianæ Molis pontem, quo ad Basilicam Petri Apostolorum Principis recto tramite hinc inde ibatur redibaturque, ob maximam quamdam ac pæne innumerabilem euntium revertentiumque multitudinem, quadam die plures utriusque sexus homines diversis oppressionibus variisque suffocationibus interirent. Eorum suffocatorum numerus ad ducentesimum pæne pervenisse existimatur & creditur: quod profectò in humandis obtritorum, & inambulantium pedibus oppressorum, cadaveribus postea compertum est. Id ubi Pontifex rescivit, & satis indoluit, & ad perpetuam tanti & tam infortunati casus memoriam duas parvas Basilicas in commemorati pontis initio duobus ejus lateribus se se invicem è regione respicientes postmodum construxit, ubi ingens prædicti casus adversitas antea contigerat, quæ quidem ab omnibus hinc inde transeuntibus propalam visuntur. Et ne simile infortunium posthac accidere valeret, aream magnam, pluribus tabernis domibusque ad solum dirutis, ibidem effecit, quo catervæ hominum in plateæ latitudinem egrederentur.

Pontifex ergo ex hoc tanto & tam immenso, ac pæne tam incredibili hominum ad hunc Jubilæum accedentium numero, maximam ac fere infinitam argenti & auri copiam, cum ob ingentium vectigalium multiplicationem, tum ob magnam cunctarum rerum ad victum necessariarum quotidianam consumtionem, tum insuper ob generales uniuscujusque oblationes, adeptus est. Unde ad perpetuam hujus sacrosancti anni commemorationem amplos & inusita-

sitatos aureos ferri & cudi fecit, quos ab effectu ipso Jubilæos cognominavit; ac tanti ponderis erant, ut communi trium usitatorum aureorum pretio suo valore adæquarentur. Proinde ex his duabus & obtritorum hominum, & Jubilæorum aureorum caussis (quum ea ipsa numquam alias ceteris similibus annis evenisse comperiamus, ac illa non aliunde, quàm ob maximam quamdam & pæne incredibilem adventantium & concurrentium personarum multitudinem profluxisse cognoverimus) hunc, de quo loquimur, Jubilæum aliis singulis omnibus hactenus celebratis numero & confluentium Populorum copia meritò præponere ac præferre non dubitamus. At verò ubi Pontifex magnos ac ingentes pecuniarum thesauros, exinde ad ærarium Apostolicum provenisse cognovit, quamquam secundo Pontificatus sui anno pluribus simul locis, & intus & extra Urbem, non modicis sumtibus construere & ædificare cœpisset; & ingentem quoque Latinorum & Græcorum Codicum congeriem congregare statuisset; atque aliquot insuper doctrinæ & humanitatis studiis præstantes Viros, utriusque Linguæ peritissimos, ardore incredibili, & non ordinariis salariis ad sese evocasset: ex nova tamen & inopinata prædictarum pecuniarum acquisitione, non modo ad cœptorum operum prosecutionem, sed amplificationem etiam, & aliorum hujusmodi innovationem mirum in modum animum applicuit, ut ob perpetuam magnorum ædificiorum constructionem Romanæ Ecclesiæ honor, & Apostolicæ Sedis gloria simul cum singulari & præcipua Christianorum Populorum omnium devotione abundantius ac latius amplificaretur, & ob assiduam insuper novorum præclarorumque Operum cum traductionem tum compilationem, præsentibus & posteris studiosis hominibus plurimum adjumenti præberet: ad id enim dumtaxat officium prædictos doctissimos Viros annuis præmiis ad se se accersiverat. Atque hujus suæ mentalis tam magnæ ac tam vehementis, cum ad ædificandum tum ad traducendum & compilandum, & Libros congregandum, applicationis, etsi duas commemoratas caussas in primis fuisse intellexerimus, tertiam nihilominus propriæ gloriæ, cujus suapte natura avidissimus erat, adeptionem, ac sui nominis propagationem non immeritò accessisse existimamus & credimus; nullam enim humanarum rerum memoriam ea ipsa diuturniorem fore animadvertebat, quæ & ingentibus ædificiis quodammodo perpetuis, & æternis quoque Literarum monumentis mandabatur. His igitur tribus de caussis adductus, dici non potest, quantum ad hæc tria jampridem incœpta ædificationis, ac traductionis, compilationis, & Bibliothecæ opera, magnorum & inopinatorum thesaurorum opportunitate captata, prosequenda, amplificanda, perficienda, & consummanda animum mentemque converterit. Quæ quidem tria præsertim, usque ad ultimum pæne vitæ suæ diem, tanta diligentia, tanta cura, tanta assiduitate, tantisque impensis prosequutus est, ut in magnum miraculum processisse videatur. Tantam enim, ut de singulis pauca quædam memoratu digna, manifestandæ veritatis gratiâ, in medium adducantur, Græcorum & Latinorum Librorum in omni doctrinarum genere copiam ab eo, infaustâ illâ, ac profecto nobis & ceteris doctis hominibus infelici mortis suæ, vel potius nostræ die, congregatam fuisse novimus, ut

A supra quinque millia partim Grammaticorum, partim Poëtarum, partim Historicorum, partim Rhetorum, Oratorumque, partim Dialecticorum, partim Cosmographorum, partim Architectorum, partim Geometrarum, partim Musicorum, partim Arithmeticorum, partim Astrologorum, partim de Pictura, ac Sculptura, & de re Militari, & de Agricultura, partim Moralium, partim Physicorum, partim Medicorum, partim utriusque Juris & Civilis & Pontificii consultorum, partim denique Theologorum, cum plurimis prædictorum Auctorum Commentatoribus & explanatoribus, Codicum volumina recenserentur. De quo si quis fortè miretur, omittendæ admirationis B suæ caussâ, consideret quæso, quanta ipse in couducendis rebus, ad quas animum applicaverat, diligentia utebatur, quanta liberalitate, quanta denique, quum esset omnium dominus, potestate potiebatur. Quot enim Librarios cum Græcos, tum Latinos ad transcribendum & intra & extra Urbem, mercedibus conduxerat; quot exploratores doctos homines non per universam Italiam solùm, sed usque ad extremos etiam Germaniæ, ac Britanniæ angulos ad investigandum indagandumque transmiserat; quot insuper in Græciam ipsam & ante & post deplorandam Constantinopolis captivitatem, eruditos viros magnis cum salariis, ingentibusque emendorum & perferendorum carorum Codicum commissionibus desti- C naverat. In quo quidem Ptolemæum Philadelphum inclytum Ægypti Regem egregie imitatus est, quem in construenda illa sua tam celebrata ac tam admirabili Bibliotheca hunc congregandorum Librorum modum apud idoneos auctores tenuisse legerat, ubi novem circiter Librorum dumtaxat Græcorum millia (incredibile dictu) collocasse traditur. Quamobrem factum est, ut ex toto pæne Terrarum orbe novi ad eum Codices usque ad mortiferæ ægrotationis suæ finem quotidie deferrentur. Ex hoc tanto & tam ingenti & Græcorum & Latinorum Librorum numero, quem, si diutius vixisset, mirum in modum deinceps in- D dies adauxisset, singularem & præcipuam Bibliothecam opportuno quodam Palatii sui loco condere ac construere decreverat, ubi omnes simul congregatos ad communem cunctorum Romanæ Ecclesiæ Prælatorum utilitatem, & ad perpetuum quoque & æternum sacri Palatii ornamentum, suis locis propriisque designationibus collocasset: quod prædictum Ptolemæum, doctissimo viro ac nobili illorum temporum Historico, & Regio Commissario Aristeo procurante, magna cum nominis sui laude fecisse cognoverat. De optimo atque opportuno commemoratæ Bibliothecæ loco singularem mentionem faciemus, quum ad accommodatam urbanorum ædificiorum, ac sacri E Palatii designationem accedemus. Quid de traductionibus, ac diversis novorum Operum compilatoribus dicemus? quæ quidem, quum traductoribus, ac propriorum Operum Scriptoribus, certatim agentibus cum suis salariis, quisque pro virili parte ad operandum alliceretur, usque adeo creverunt, ut quinque ultimis fausti ac felicis Pontificatus sui annis longe plura, præsertim ad humanitatis studia, quorum amantissimus erat, pertinentia, quam quinque Seculis antea totis centum Prædecessorum suorum temporibus composita ac traducta fuisse videantur. Etenim, ut à Grammaticis, Poëtis, ac dispersis versibus, quæ se-

le-

lectiora, incipiamus, quot de Orthographia Libros, quot Poëmata, quot sparsa Carmina passim confecta fuisse scimus? Iliados quoque celebratum Homeri Poëma Latinis (difficile sane & arduum opus) versibus à duobus præstantibus viris eodem tempore traducebatur: quod Johannis Boccaccii Florentini Poëtæ temporibus à Leontio quodam Thessalonicensi, illius in Græcis Literis præceptore, soluta oratione multo facilius ad traducendum, quàm carmine factum fuisse novimus: nec Strabonis de Cosmographia opus silentio obruatur. Ad Historicos accedamus. Herodotum, quem Græci veteres patrem Historiæ appellare solebant, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Diodorum, Appianum, Philonem Judæum, fortunatis hujus summi Pontificis temporibus, Latini, ac Græcarum literarum expertes primum legere cœperunt. Plura insuper egregia Platonis, Aristotelis, Theophrasti, celebratorum Philosophorum Opera. Platonis celeberrimum illud Politicæ suæ, vel de Republica volumen, & alterum de Legibus præclarissimum. Multa Aristotelis, ut posteriora Analitica, ut tota Physica, Problemata, magna Moralia, Metaphysica, ac plures Rhetoricorum, & XIX. illos celebratos de Animalibus Libros tunc primum conspexerunt; quæ quidem & si prius traducta fuissent, ita tamen traducta reperiebantur, ut vix intelligi possent. Ac præterea Theophrasti de plantis Librum à priscis Græcis apprimè laudatum, eo tempore primum Latinum vidimus. Quid de Theologis, sacrisque Codicibus dicemus? Nonne præclarum illud de Præparatione Evangelica Eusebii Cæsariensis XIV. Libris distinctum volumen, ac plurima (ne omnium particularem mentionem faciamus) Dionysii Areopagitæ, Magni Basilii, Gregorii Nazianzeni, Johannis Chrysostomi, Cyrilli, hac ipsa temporis felicitate, è Græca in Latinam Linguam probe, fideliter, atque eleganter conversa fuisse non ignoramus?

Et ut aliquid de nobis captatâ præsertim hoc loco dicendi opportunitate sine arrogantia referamus: nos septimo Pontificatus sui anno ab eo e Florentia Apostolicis literis in Urbem evocati, quum tantam traductorum ac diversorum Scriptorum multitudinem, undique pro virili sua operantem, & in propria, ut dicitur, officina opera cudentem cerneremus, ne fortè soli otio marcesceremus, neve salarii, quod nobis sua benignitate largiri dignabatur, omnino deperditum ac penitus amissum fuisse videretur, & ut Sanctitati suæ aliquatenus obsequeremur, duo nova ac magna cœpta, profectò humeris nostris imparia, paulo post quam Romam applicuimus, invadere atque aggredi decrevimus. Primum erat ingens quoddam XX. Librorum volumen, quod adversus Judæos & Gentes pro Catholica Christi Salvatoris nostri Fide bonis Christianæ Religionis omnibus instituueramus. Nova deinde quædam utriusque & veteris & novi Testamenti, partim ex Hebræo, partim ex Græco idiomate, uti ab origine a propriis Scriptoribus suis literis mandata fuisse constabat, in Latinam Linguam traductio non injuria mentem irrepserat; & nisi importuna ac maligna, quinimmo ut expressius dixerim, importunissima ac procul dubio malignissima ejus mors prævenisset, prævenientsque assiduum operationis nostræ cursum non modo non impedisset retardassetque, sed omnino etiam abstulisset, forsitan divina ope adjuti, (quoniam ea ipsa boni gratia agebamus) utrumque Opus omnibus animi & corporis viribus, quemadmodum institueramus, prosequuti, non multo post ad finem usque produxissemus. Quod si hìc importunus dicendi locus non videretur, nimirum caussas, quibus & ad traducendum, & ad scribendum impellebamur, paulisper commemorassemus: quod in Præfationibus prædictorum Operum, si Deus, ut speramus, adjutor noster erit, absque justa reprehensione non injuria efficere posse videbimur. Sed ad institutum dicendi ordinem revertamur. Hoc eodem Jubilæi anno, ne aliquod ex gestis suis memoratu dignum a nobis prætermissum fuisse videatur, Bernardinum quemdam Massensem, hoc est Massæ natum virum, cum moribus, & sanctimonia vitæ tum multis quoque miraculis celeberrimum, Romæ solemni Patrum atque Prælatorum Concilio de more congregato, in Catalogo sanctorum non immerito collocavit & posuit. Proinde ad enarranda ædificia paulo post accedamus, quoniam quidem ipsum Dominum nostrum cum tota Curia, Pestis gratiâ, ad Fabrianum contulerimus, ne incœptum narrandi ordinem pervertamus. Dum igitur Pontifex noster & conservandæ paci, & unioni quoque Ecclesiæ Romanæ, & ordini etiam gubernandi, & congregandis undique & conficiendis Codicibus, & traducendis insuper Operibus, & ædificiis præterea construendis assiduam operam navaret, factum est, ut vehemens & acerba Pestilentia Civitatem totam, ac forensem Curiam, ac finitimum circumquaque agrum Romanum ita aggrederetur, ut paucis post diebus usque ad Palatinos familiares, ac domesticos suos majorem in modum desæviret. Quod ab omnipotenti Deo id circo Divinâ providentiâ permissum fuisse non injuria existimamus & credimus, ne forte in tanta ac profecto tam admirabili omnium tam Secularium, quam Ecclesiasticarum rerum prosperitate se esse hominem oblivisceretur, atque ingentem status sui excellentiam cernens, sic in detestandum nimiæ ambitionis ac intolerandæ superbiæ vitium dilaberetur: quod de se ipso Paulus Apostolus ad Corinthios scribens asserere ac testificari non dubitavit. Sic enim ait: *Ne multitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*, & reliqua hujusmodi. Unde hac peste in dies crudelius sæviente, ex Urbe recedere, & Fabrianum, ut diximus, proficisci constituit. Sed quum inter itinerandum Tolentinum applicaret, factum est ut a novo ac molesto Ragadiarum morbo vehementer caperetur. Sed paulo post, ut in calce Primi libri dixisse meminimus, penitus liberatus, atque incœptum iter prosequutus, Fabrianum se contulit. Ubi quum esset, incohata Librorum, ac commemoratorum ædificiorum opera, nequaquam deseruit. Nam & antequam e Roma recederet, ut continue & sine intermissione ædificaretur, Præfectos, & operum conductores instituit, & Librarios quoque, traductores insuper & compilatores, secum, ne fortè pestilenti contagio arriperentur, Fabrianum usque conduxit. Ibi parum commorati, quisque ad cœptorum Operum exsequutionem absolutionemque pro virili sua intendebat. Dum itaque Pontifex Fabriani

briani commoraretur, nova ædificandi cogitatio, ad quod propriâ naturâ trahebatur, animum suum irrepsit. Proinde tametsi paucis mensibus illic commoraretur, Oppidi tamen aream, quæ antea pusilla & angusta erat, longe, lateque amplificavit, eamque sive ergastulis, sive tabernis, sive tabernaculis, quæ Græco clariori & tritiori verbo Apothecæ nuncupantur, apprime corroboravit, exornavitque; & Beati insuper Francisci Basilicam, quæ jam ruinosa videbatur, egregiis fundamentis tectisque reparavit. Non multo post exinanita & extincta peste, cujus gratia abiverat, Romam remeavit, atque prorsus ad eadem suæ Bibliothecæ, traductionis, compilationis, ædificationis studia non intermissa, sed potius ob ejus absentiam parumper impedita, dici non potest, quantâ diligentiâ, quantâ curâ, quantâ, ut ita dixerim, solicitudine in prædictis operibus partim perficiendis, partim noviter inchoandis uteretur. Sed quum de ceteris hujusmodi gestis nonnulla superius retulisse meminerimus, de ædificiis dumtaxat in præsentiarum prosequemur.

Multa & quidem magna ædificia, de quibus solis, (prætermissis aliis hujusmodi, quum pæne infinita sint) verba facere instituimus, ab eo fabricata fuisse constat, quæ partim extra, partim verò intra Urbem, maximis impensis majorique magnificentia propalam visuntur. Atque ante omnia de exterioribus, postea de interioribus, quoad fieri poterit, brevius commemorabimus. Atque primo, ut à levioribus incipiamus, Gualdi principalem Oppidi Sancti Benedicti Basilicam reparavit, amplificavit, novisque ædificiis magnifice perpolivit. Assisinatem deinde B. Francisci ædem pluribus locis, vel jam collapsam, vel certe paulo post collapsuram, cum egregiis fundamentis stabilivit, tum novis tectis confirmavit. In Civitate quoque, quæ trito & vulgato verbo Vetusta appellatur, ingentia quædam magnificaque ædificia construxit. In altera etiam Civitate, quam Castellarum nuncupant, inter cetera, majorem quam tertiam mœnium partem nuper speciosèque refecit. Narniensem insuper Arcem novis constructionibus peregregie munivit. In Urbe Veteri ingentem Arcem simul cum magnifico quodam Palatio maximis fossis undique circumdato, opus sane impensa magnificentiaque visendum, pulcherrime fabricatus est. Quid præterea de Arce Spoletana dicemus? Nonne tantis sumtibus, tantisque, & tam egregiis cum atriorum tum cubiculorum ædificiis & corroboravit, & adauxit, atque ita exornavit, ut extrinsecùs mirabile opus videatur, & intrinsecùs eruditis quorumcumque cernentium oculis admirabilius ac magnificentius conspiciatur? Quid denique de Balneis Viterbiensibus referemus, quorum virtutes ad cunctas humani corporis ægrotationes & morbos magnæ mirabilesque ferebantur, & cum omnibus idoneis habitationibus pro quotidianis languentibus curandi causâ accedentibus privata ac nudata reperirentur, prudenter salubriterque curavit, ut plura ac diversa illic opportuna habitacula conderentur? Quæ quidem tanta magnificentia, tantisque impensis construxit, ut non solùm idonea ac salubria ægrotorum omnium tabernacula, sed cunctorum etiam Principum accommodata ædificia, Regalesque Regiæ haberentur. Sed quid nos plura de Fabrianensibus, de Gualdensibus, Assisinatibus, utriusque Civitatis, & Vetustæ, & Castellanæ, Urbevetanis, Spoletanis, Viterbiensibus, & multis aliis novis, quorum pæne infinitus est numerus, vel conditionibus, vel extrinsecis reparationibus singillatim colligimus? Ad urbana tandem ædificia veniamus. Quinque singularia & præcipua fabricandi & condendi opera, ac profectò memoratu laudibusque digna intra Urbem, partim ad munitionem, partim ad ornamentum, partim ad aëris salubritatem, partim ad devotionem vel maxime pertinentia, efficere & consummare cupiebat, ac sic in mente sua penitus & omnino proposuerat. Quorum primum erat, ut Urbis mœnia pluribus simul locis jam collapsa & confragosa noviter repararet. Secundum, ut sacras XL. Mansionum ædes, à Gregorio Primo cognomento Magno Sancto Pontifice primitus institutas, novis ædificiis & constructionibus reformaret. Tertium ut Vicum quemdam à Porta Adrianæ Molis inchoandum, & usque ad Basilicam Petri Apostolorum Principis porrigendum, ita suis stationibus ac munitionibus conderet, ut tota simul Curia intrinsecus secura tutaque sufficienter habitaret. Quartum ut Pontificale Palatium mirum in modum præmuniret, atque regaliter exornaret. Quintum ut sacram Beati Petri ædem à fundamentis nuper reædificaret, de quorum duobus prioribus singillatim idcirco pauca dicemus, quia jam ea ipsa ad finem suum perducta, & omnino consummata fuisse conspicimus. De tribus verò ultimis, quoniam ædificia inusitata, ac profecto mirabilia extitissent, si perfecta & absoluta, ut ipse instituerat, tamdem aliquando in lucem apparuissent, paulo latius postea tractabimus. Quippe, ut secundùm enarratum ordinem procedamus, Urbis mœnia à Porta Flumentana ex parte inferiori versùs Orientem per Collatinam, per Viminalem, per Næviam, per Latinam, per Capenam, usque ad Trigeminam, ubicumque ruinam minabantur, multis locis continuatis propugnaculis novis, trans Pyramidem lapideam mœnibus ipsis astantem, aliquot passuum millibus, generose admodum & utiliter reparavit. A parte verò superiori versùs Occidentem prosequens usque ad prædictum Molis Adrianæ pontem pulcherrime reformavit. Pontem verò pluribus turribus egregie munivit, & Molem ipsam extrinsecus crebris propugnaculis corroboravit, ac tectoriis dealbavit. Intrinsecus autem aulis & tricliniis ita inter se distinxit, ut utroque & habitationis & Arcis Regiæ officio accommodatissime fungi posse videretur. A Ponte vero usque ad Portam Palatinam nihil innovavit, cum quia ibi mœnia valida & solida apparebant, tum etiam quia in constructione Vici, de quo paulo post dicemus, ipsius amplificandi gratia, funditus diruere & demoliri constituerat. Ex transverso verò super Montem prope quasi ad verticem versùs meridiem totam Regionem illam novis muris, crebris Turribus, frequentibus propugnaculis trans Portam vulgato nomine Pertusam magnis impensis mirabiliter perfecit, atque usque ad Regionem Sancti Spiritus Xenodochium respicientem absolvit.

Nunc ad secundum membrum breviùs accedamus. Cunctas Sanctarum Stationum Ædes carie ac vetustate pæne consumtas Pontifex magnanimus, atque admodum pius, egregie reparare ac reformare decreverat, atque hoc ipsum

A ipsum reformandi & reparandi officium in plurimis minoribus Sanctæ Mariæ trans Tiberim, & Beatæ Praxedis, & Sancti Theodori, ac Petri in vinculis nuncupati, pluriumque aliarum hujusmodi Basilicarum, (ne omnium particularem mentionem faciamus) reparationibus constructionibusque inchoavit. Ad majora deinde conversus in septem celebratiores & principales, ut ita dixerim, totius Romanæ regionis Ecclesias animum adjecit. Johannis enim Lateranensis, Mariæ Majoris, Stephani Cœlimontani, Sanctorum Apostolorum, Pauli exterioris, & Laurentii extra muros, Basilicas partim munivit, partim ornavit, partim mirum in modum renovavit. De septem illis majoribus celebratissimisque ceterarum omnium principalissima, mira, ac devota Beati Petri ædes sola restabat, quam B quia à fundamentis magnifice renovare, ac totam usque ad tecta ipsa reædificare constituerat, idcirco ultimo loco post Palatinam renovationem de ea, partim seorsum, partim verò simul cum Palatio, idcirco tractabimus, quia finitima & contigua ædificia futura erant. Ad tertiam de Vico, ut ita dixerim, Curiali, juxta nostrum ordinem procedentes, novam hujus Vici constructionem à Porta Pontis Molis Adrianæ inchoandam fore cognovimus, ubi magnam quamdam aream, cunctis habitationibus inter mœnia Urbis, quæ tanto ulterius in latitudinem extendebantur, ut ad perpendiculum C magnæ Turris Palatinæ ab eo ad hoc ipsum ædificatæ dirigerentur, & inter Tiberim consistentibus, funditus demolitis, ante prædictam Adriani Molem instituebat. Ab hac maxima area tres latæ, & amplæ viæ ab invicem distinctæ, duæ ab utrisque lateribus, tertia intermedia, derivabantur, & ad alteram ingentissimam aream ante Apostolicam ædem apparentem protendebantur. Per intermediam verò ab area prima usque ad mediam prædictæ Basilicæ quinque januis distinctæ portam iter per rectam lineam dirigebatur. Per secundam autem, quæ a dextris prominebat, recto tramite ad Portam Palatinam ibatur. D At per tertiam à læva versùs Tiberim ad eum locum tendebatur, ubi nunc ingens ille & altissimus Obeliscus exstat, & ubi in nova Apostolicæ Ecclesiæ reformatione domestica pro Sacerdotibus Canonicis cubilia designabantur, quæ vulgo Dormitoria appellantur. Atque tres commemoratæ viæ diversis habitaculis, variis ergastulis, ac dissimilibus Opificum tabernis per hunc modum ab invicem separabantur. Nam à dextris via eisdem propemodum habiculis pro mediocribus diversorum exercitiorum Artificibus se se e regione respicientibus distinguebatur. Intermedia verò usque ad lævam similibus nummulariorum, pannorumque mensis, & hujusmodi majorum Opificum tabernis utrimque institutis, ac mu- E tuo se se intuentibus, disponebatur. A lævá autem usque ad murum super Tiberim ædificandum, diversorum generum pro infimis Opificibus apothecæ utrisque pariter lateribus ordinabantur. Atque tres prædictæ viæ, sex inter Columnas, usque adeo muniebantur, ut sex continuas porticus, duas à qualibet via se invicem respicientes, pulcherrime simul atque utilissime efficerent. Juxta variæ diversorum Opificum tabernæ, supra vero domorum habitacula condebantur. Ac per hunc modum quocumque tempore sub porticibus incedentes homines, & voluptate pulcherrimi aspectus capiebantur, & omni quoque, immoderata, & hyemali, & æstiva tempestate, partim ab jugibus pluviis, partim ab intemperie algoris & æstus, se se tutabantur. Necessaria etiam inferiorum tabernarum, ac superiorum domorum habitacula nequaquam suo lumine privabantur. Atque hic Curialis, de quo loquimur, Vicus à magnis membris, & altis turribus undique cingebatur, à quatuor namque ejus lateribus egregiis propugnaculis circumdabatur.

Siquidem primò à Ponte Adrianæ Molis, & ab ipsa Mole, quatuor novis turribus super quatuor angulis præmunita; à dextris deinde magnis mœnibus versùs maximam turrim ad Palatium vergentibus; à parte verò superiori duobus mirabilibus & dicti Palatii, & Apostolicæ Basilicæ propugnaculis; & versùs Occidentem, & ex transverso quoque versùs Meridiem perpetuis muris usque ad prædictum Adrianæ Molis Pontem continuatis, & ad Orientem revolutis, ita circumquaque muniebatur, ut nulla neque rationalia, neque etiam rationis expertia animalia, nisi volantes dumtaxat aves volatibus suis, ingredi potuissent. Quum igitur in capite hujus, quem descripsimus, Vici, hoc præcipuum & admirandum Pontificalis Palatii ædificium, ut diximus, construere & fabricare vellet, arduum opus ab ingenti & maxima Turri inchoavit, quam per diametrum LXX. cubitorum esse voluit, quum muri in latitudinem ad XVI. extenderentur, in altitudinem verò usque ad centum erigerentur, licet altius quàm ad XXX. cubitos non immeritò erexerit. Ulterius enim eam elevari voluit, quàm æquabile ædificandi Palatii solum designaretur; ex veteri namque approbatorum Architectorum disciplina nullum, præsertim magnum & excellens ædificium, nisi in plana superficie, & in solo undique adæquato bene speciosque construi intellexerat posse. Cuncta quippe novi ædificii loca ad æquabilem soli superficiem ab eo redigi necessarium est, qui probe, & ut dicitur ad regulam condere ac magnifice ædicare concupiscit. Hæc profectò tam ingens & tam admirabilis Turris ad tria officia maxima ac necessaria sibi opportune admodum famulari videbatur. Primo enim ad designatam commemorati Vici amplificationem munitionemque, veteribus mœnibus demolitis, novisque ab inde ex parte inferiori usque ad alteram Molis Adrianæ Turrim per lineam rectam constructis, speciosissime famulabatur. Secundo ex parte superiori ad alterum murum inserviebat, qui altioribus mœnibus, usque ad verticem montis jungebatur. Tertio ad quemdam grossissimum parietem aptabatur, qui ab uno ejus latere incipiebat, & ex transverso usque ad Apostolici Templi scalas protendebatur. Ab extremitate hujus parietis ex transverso sursum versùs alter murus porrigebatur, qui Basilicam à Palatio separabat. In extremitate hujus muri, qui à Turri incipiebat ea parte, qua cum illo divisore jungebatur, duæ magnæ Turres erigebantur, in quarum meditullio porta cum fornice triumphali condebatur, unde in Palatium introibatur. Atque primo per accommodatos gradus in quamdam ingentem Curtem paulatim ascendebatur, quæ pro opportuno quodam generalis descensionis loco, cum intercolumniis & porticibus instituebatur; atque hæc Curtis à muro divisore, & ab altero ex una memoratarum Turrium inci-

incipiente claudebatur. A muro insuper, qui à Turri incipiebat, & ad verticem montis usque protendebatur, quando ad superiorem Palatii partem attingebat, tunc ex transverso alius murus versùs meridiem dirigebatur, donec cum prænominato divisore conjungeretur. Ac per hunc modum Palatium totum à quatuor suis lateribus claudebatur. In hoc amplo totius soli ædificandi spatio multa ac pulcra diversarum mansionum, variis officiis inservientium, habitacula construebantur. Primo enim ab inferiori Palatii parte magnus pulcherrimusque Hortus cunctis herbarum atque omnium fructuum generibus refertus, ac vivis quoque fontibus irriguis, quos e vertice montis per subterraneos meatus usque in commemoratum Hortum, irrigandi & oblectandi gratiâ, magnis sumtibus, majorique industriâ traduxerat. Atque in hoc ipso speciosissimo paradisi spatio tria pulcherrima, atque optima ædificia exstabant. Primo enim à parte inferiori nobile quoddam egregiumque Theatrum super columnis marmoreis fornicatum in altum elevabatur. A dextera hujus Theatri magnum quoddam atrium ad Conciones, ad Conclavia, ad Pontificales coronationes, & ad alias hujusmodi raras dignasque celebritates in fornicem accommodatum cum duobus Tricliniis, sursum deorsumque se invicem respicientibus, ædificabatur, in cujus latere Apostolicum Ærarium designabatur, ubi Ecclesiæ thesauri condebantur. Super hoc atrium Cœnaculum magnum anniversariis & ordinariis summi Pontificis Benedictionibus designatum aptabatur, quod versùs Orientem in pontem Molis Adrianæ respondebat. A læva autem maxima quædam Cappella cum ingenti vestibulo à parte superiori in fornicis modum pariter condebatur. Trans murum verò Horti versùs Occidentem plurimæ & maximæ ac pulcherrimæ mansiones accommodabantur. Verùm à latere inter murum à magna Turri versùs summitatem Palatii tendentem, ac prædictas mansiones, magna Curtis perpetuis fontibus irrigua prominebat. Paulo superius ingens & ampla Bibliotheca transversalibus utrimque fenestris ordinabatur. Ultra vero Bibliothecam, alia Curtis continuis fontibus pariter irrigua pro tota familia versùs Septemtrionem designabatur. Juxta hanc Curtem à superiori parte magnæ, ingentesque coquinæ erant. Trans coquinas deinde alia maxima Curtis versùs Occidentem protendebatur, à cujus latere longa quædam lata & ampla ac nobilitata stabula constituebantur. A parte verò versùs Meridiem principale hujus Palatii atrium hinc inde late ampleque pandebatur; atque in uno hujus atrii latere versùs Septemtrionem domestica cubicula, ac triclinia, cum maxima quadam Cappella parabantur. In altero autem ad Meridiem vergente novæ mansiones pro Camerario Apostolico adjacebant. A parte verò superiori versùs Occidentem alter Hortus prospiciebatur, ubi diversæ à prioribus stationes prædicto Camerario accommodatæ ordinabantur. Sed quid nos plura hujus sacri Palatii singillatim ædificia conquirimus, quum tot, tantaque ac tam varia ab illo divino ingenio, maxima præsertim magnitudine animi condito, habitacula designarentur, ut pulcherrimus quidam, & distinctus, & non intricatus, ac involutus, ut à Poëtis fingebatur, Laberinthus, quinimmo potius speciosissima quædam Paradisus non immerito videri posset? At verò quum nos duo sola prioribus designationibus suis nuper adjunxerimus, de eo finem dicendi faciemus, ut ex his, quæ nostris literis mandata fuerint, reliqua hujusmodi, qualia quantaque fore debuissent, diligentis lectoris judicio existimanda relinquamus. Hoc, de quo loquimur, Palatium, non solùm urbanis mœnibus, quæ profecto maxima & ingentissima erant, & è magnis ac pulcherrimis junctis undique muniebantur & exornabantur, sed etiam à propriis muris ita hinc inde cingebatur, ut duplicatis etiam longioribus & proprioribus mœnibus circumdaretur; in tantum deinde à solo elevabatur, ut ad centum usque cubitorum altitudinem extenderetur, quousque ingens Turris illa erigebatur. Hoc propterea fiebat, ut tres pulcherrimæ mansiones, variis anni temporibus accommodatæ distinguerentur. In superficie namque soli prima, & infima, & ut ita dixerim terrestris habitatio, pro æstivis dumtaxat temporibus opportune designabatur, ubi & atria, & triclinia, ac cubitus, & ambulatoria, & porticus, & cappellæ, & omnia alia hujusmodi ædificia ita affatim suppetebant, ut exinde in omnibus necessariis ac utilibus & jocundis rebus optime simul atque abundantissime subministraretur. In secunda verò, quæ erat intermedia statio similis priori, cum omnibus necessariis, opportunis, commodisque dictis pro hyemalibus tempestatibus tantummodo ordinabatur. Suprema autem duarum antea commemoratarum similis mansio pro vernalibus, autumnalibusque temporibus speciosissime atque utilissime designabatur. Sed hoc de sacro Palatio hactenus dixisse sufficiat, quamquam plura, non sicut cetera celebrata à nobis, ne longiores essemus, prætermissa fuisse videantur.

Nunc verò ad mirabilem ac profecto magnanimam, & devotissimam Apostolici Templi designationem deinceps procedamus. Ante primum igitur hujus sacræ Ædis vestibulum super scalas prominens maxima quædam area ducentorum in longitudine, centum in latitudine cubitorum pulcherrime apparebat. A formosis namque prædicti vestibuli gradibus, quos marmoribus partim porphyreis, partim smaragdinorum colorum decoris, gratia intersecabat, incipiens, usque ad egregia & nobilitata intercolumnia per ducentos, ut diximus, passus in longum extendebatur, super quibus tres commemorati Vici Porticus, speciosorum omnium spectaculorum visu pulcherrimum specimen, sustentabantur. In hac amplissima & ornatissima area, & ut Græci expressius dicunt, platea, ingentissimum illum ac maximum Obeliscum in ipso areæ meditullio è regione ad intermediam prædicti vestibuli portam in hunc modum pulcherrime simul atque devotissime collocabat. Nam pro quatuor pusillis æneisque Leonibus, quibus Colossus ipse nunc pro basibus ac sustentaculis paulo superficie soli altioribus utitur, quatuor magnas totidem Evangelistarum statuas ex solido liquefactoque ære in staturam humanam fabrefactæ conflatas in superficie sola, distantibus inter se proportionibus secundùm Colossi latitudinem, ponebat; super quibus æneis statuis diversis invicem figuris vix varias cujuscumque personæ conditiones perpolitissime sculptis, Colossea moles sustentabatur. In summitate verò ipsius Colossi, alteram Jesu Christi Salvatoris nostri statuam, dex-

dextera ejus manu auream Crucem bajulantis ex ære confectam accommodabat. Inter prædictas scalas, & hoc primum vestibulum magnum quoddam & amplum superficiei solum interjacebat, quod maximæ hominum multitudinis longitudine ac latitudine sua capacissimum videbatur. In superiori hujus ampli soli parte oblongum vestibulum reperiebatur, quod quinque egregiis portis æquis inter se portionibus distinguebatur; & à primo scalarum gradu usque ad prædictas primi vestibuli portas LXXV. cubitorum latitudo, longitudo verò ultra CXX. passus protendebatur. Atque in utraque hujus vestibuli extremitate singulæ turres è pulcris marmoribus in altum ultra centum cubitos erigebantur; quæ quidem & ad munitionem Templi, & ad opportunam Canonicarum Horarum pulsationem simul famulabantur. Ab his duobus campanilibus, (sic enim commemoratæ Turres vulgato & trito verbo appellantur) duo longissimi & amplissimi muri utrimque, quisque à latere suo, usque ad primum cujusdam magnæ Crucis principium extendebantur. A dextris namque unus, inter Palatium & Templum dividens, cum exteriori curte; à sinistris verò alter intercedebat, à quo retrorsum via publica sternebatur. Ab hoc primo vestibulo in alterum simile per quinque egregias portas transibatur, & à secundo in magnam Curtem ante tertium vestibulum astantem per totidem aditus vadebatur, quorum tres patentes portæ cum extremis utrimque porticibus apparebant. Sed antequam ad Templi januas applicaretur, Curtis illa ampla interjacebat, in cujus meditullio vivum fontem à vertice montis per abstrusos cuniculos derivandum una cum ingenti . . . . fore designaverat. A lateribus vero utriusque porticus duo intercolumnia se invicem spectantia, decoris & utilitatis caussâ, figebantur. A sinistra enim porticu plures commodæ & opportunæ pro Regularibus Presbyteris mansiones constituebantur, quum ad dexteram murus divisor adstaret. Ex transverso verò horum duorum intercolumnium inter duas prædictas porticus porrigebatur, super quod ingentes fornices ad tertium Templi vestibulum volvebantur, quod quinque pulcherrimis portis peregregie fabrefactis, mirisque sculpturis adornatis, illustrabatur, unde in Templum ipsum transmittebatur. In hoc longo & amplo Templi spatio, quod usque ad primam Crucem magnam CLX. in longitudine, in latitudine verò CXX. cubitorum extendebatur, à dextris commemorata Curtis, quo omnes & Templi, & Palatii aquæ pluviæ à prædictis locis arcebantur, & per cloacas subterraneas emittebantur; à sinistris autem commodæ & opportunæ Regularium Presbyterorum Templo ipsi in divinis cultibus continue servientium mansiones construebantur, quæ usque ad illas paulo ante commemoratas contiguæ ducebantur, nisi quia parte superiori Sacrarium quoddam amplum & ingens, pulcrum, ac devotum opportune admodum ædificabatur. In reliquo verò soli spatio sex pulcra & spatiosa intercolumnia ad lineam se se pariter intuentia, tria à singulis lateribus, conspiciebantur, quæ quidem ea quinque latera in formam navis redigebant. Idcirco quinque Naves vulgo nuncupabantur. Quorum medium intercolumnium ideo ceteris lateralibus latius ostendebatur, tum quia ambulatorium amplius erat, tum etiam quia exinde mirum quoddam totius Templi spectaculum liberius apparebat. A dextris in extremitate prædictæ Curtis plurimæ ac speciosæ Cappellæ: à sinistris vero totidem per totam longitudinem, illis dexterioribus pariter correspondentes, designabantur. Reliquæ duæ Naves tribus commemoratis speciose admodum suis ordinibus respondebant. Ultimò magnæ Crucis intercolumnium octo à dextris versùs Curtem, & totidem à sinistris columnis versùs publicam stratam, ideo paulum utrimque extendebatur, ut majorem quamdam & ampliorem plurium inter se fornicum Crucem efficeret. Septem enim Cruces inter se invicem involutas fornicatasque in longo CLXXXV. cubitorum spatio, (tantum enim per longitudinem protendebantur) pulcherrime speciosissimeque reddebant, quarum intermedia ceterarum maxima in quadraginta; sex verò aliæ in vigintiquatuor cubitos pariter porrigebantur. Super maximam XL. cubitorum Crucem altissima centum cubitorum testudo prominebat, super quam altera similis XXV. cubitorum, pluribus diversarum formarum cornicibus, adjungebatur. Hæc parva testudo in summitate sua idcirco patens & aperta relinquebatur, ac in modum laternæ aptabatur, ut lumen undique clarius & apertius per totum spatium diffunderetur. Juxta commemoratam Crucem à parte superiori ingens Cappella in latitudinem XL. circiter, in longitudinem verò LXXV. cubitorum protendebatur. Hanc magnam Cappellam vulgo Tribunam vocant. Utraque hujus Tribunæ latera, ob majorem personarum capacitatem, sedilium gratia hinc inde extendebantur, ac utrimque pluribus fenestris in magnorum oculorum formas redactis egregie admodum ornabantur. Atque in ejus meditullio ingens ac pulcherrimum, & omnibus ornamentorum generibus refertum Altare ab extremitate prædictæ magnæ Crucis astabat. In summitate vero Tribunæ solium Pontificale altiuscule eminebat, ut & ipse ab omnibus circumstantibus videretur, ac pariter omnes astantes sedentesque videret. Utraque hujus Templi latera ab ingentibus fenestris se se mutuo respicientibus ornata singula, quæque ampla, & longi spatii, loca quæque illa Cruce magna inferiora suis splendoribus illustrabant. At verò universum ambitum superiorem rotundæ quædam fenestræ in magnorum oculorum formas, egregie, ut diximus, redactæ, velut formosa quædam fenestrarum corona speciosissime ambiebant, per quas quidem solares radii ita ingrediebantur, ut non modò singula testudinis loca luce sua collustrarent, sed divinæ quoque Gloriæ specimen quoddam cunctis devotis conspectoribus demonstrarent. In vertice verò testudinis rotunda quædam & ingens fenestra ceteris altius prominens in laternæ formam, ceu supra commemoravimus, redacta, cuncta mirum in modum condecorabat. Ceterum universum totius spatii pavimentum eisdem variis marmoribus partim porphyreis, partim smaragdinis coloribus ornabat, quibus scalarum gradus condecoratos fuisse superius diximus. Et ne tantum, tam pulcrum, tam decorum, tam admirabile, ac denique tam divinum potiùs quàm humanum Templum, aliquibus defunctorum Prælatorum, ac Pontificum humationibus ullatenus pollueretur, hujusmodi sepulcra à sinistro latere extra Templum è regione ad solium Pontificale construi condique volebat.

Verùm quum multa de mira hujus Templi fabricatione hactenus dixisse videamur, reliquum est ut de dimensionibus suis pauca quædam brevissime subjungamus. Area ducentorum in longitudinem, in latitudinem vero centum cubitorum ante ornatissimas scalas sternebatur. A primo ascensionis gradu usque ad solium Pontificale longitudo ultra ducentos cubitos porrigebatur. In latitudinem vero ab CXX. per totum fere spatium extendebatur, nisi ubi a duobus magnæ illius Crucis lateribus brachia utrimque dilatabatur. Ibi enim usque adeo amplificabatur, ut ad CLXXX. mensuraretur. Altitudo vero omnium fornicum ultra LXXX. passus ascendebat, quum maxime testudinis sublimitas ad centum supra XXV. cubitos attingere videretur. A Palatio in hoc Templum per plures pulcherrimos aditus a summo Pontifice, magna Prælatorum comitante caterva, incedebatur. Ab uno verò ceteris eminentiori per cochleam quamdam spatiosissimam vadebatur. At ne huic tam admirabili, & tam digno ædificio ullum ornamentorum genus deesse videretur, universum superioris spatii ambitum plumbeis laminis speciosissime simul atque utilissime adornabat. Verum ut hæc ingentia maximæ molis ædificia facilius construere valeret, Anienis fluvii alveum, quo a Tiburtino Oppido versùs Romam navigari consueverat, ita mundari atque ita purgari fecit, ut ea, quæ ad ædificandum necessaria sunt, aptius a Tibure transmitti, ac transferri possent. Admirabile, & stupendum, ac summa Christianæ Religionis devotione venerandum hujus sacri Templi ædificium, mihi crebro mecum ipsi animadvertenti, ac quale quantumque foret, mente & cogitatione volventi, instar humani corporis futurum videri solet. Nam à thorace ad pedes usque deorsum, oblongo hujus Basilicæ spatio, quantum à patentibus tertii vestibuli foribus ad magnæ Crucis initium porrigebatur, persimile apparebat. Alterum deinde illius Crucis spatium brachiis utrimque extensis conforme, cunctis diligenter & accurate considerantibus videbitur. Reliquum vero spatium, quod ambitu magnæ Tribunæ continetur, nequaquam humano capite dissimile censebitur. Atqui ne hæc, qualiscumque est, similitudo temere à nobis inducta, & ab ipsa rei veritate longe abhorrere existimetur, constitue quæso hominem in superiorem hujus Templi partem, cujus universum corpus humi prosternas velim, ita ut caput ejus ad Occidentem vergat, brachiis in diversa latera utrimque porrectis, altero ad Septemtrionem, altero verò ad Meridiem vergente, pedes autem ad Orientem spectent, atque humano corpore per hunc modum abste constituto, dubitare non poteris, quin hanc nostram similitudinem undique convenire ac quadrare arbitreris. Si itaque hujus Templi figura humano corpori instar fuisset, ceu supra potuisse videtur, nimirum ipsum nobilissimam speciem sortiturum fuisse constat, cum formam hominis ceteris omnibus & animatarum & inanimatarum rerum figuris longe prælatum esse non ignoremus; eam quippe ad similitudinem totius Mundi fabricatam fuisse nonnulli doctissimi Viri putaverunt. Unde Hominem, à Græcis Microcosmum appellatum esse existimarunt; nec defuerunt etiam, qui famosissimam illam ac saluberrimam justissimi illius Consolatoris (sic enim Noë nomen Hebraice interpretatur) Arcam humani generis, quod jam pæne totum ex primo & generali diluvio perierat, salvatricem, quoniam exinde reparati sumus, ad hanc perfectissimam humani corporis fabricam propemodum constructam fuisse autumarent. Etsi enim propria sui ipsius longitudo à vertice usque ad vestigia sexies tantum habeat, quantum latitudo, cujus mensura in latere a dorso ad ventrem reperiatur, cum hujusmodi dimensionum proportio in Templi nostri forma servari non potuerit, in figuris tamen lineamentorum similitudinem tenuit. Nam si jacentem hominem, seu supinum, seu pronum metiaris, sexies tamen longus est à capite ad pedes, quantum latus est à dextra in sinistram, vel à sinistra in dexteram, & decies tantum, quantum altius à terra. Proinde commemorata Arca CCC. in longitudine Cubitorum, quinquaginta in latitudine, XXX. in altitudine formata fuisse scribitur. Quippe vir suapte natura prudentissimus, & multarum quoque rerum experientiâ in tanta ac tam diuturna quingentorum annorum vita (nam hac ejus ætate generale illud diluvium universum terrarum Orbem inundasse accepimus) apprimè edoctus, & divino insuper quodam spiritu afflatus, cum hoc mirabile ac perfectum hominis opificium ab omnipotenti Deo profluxisse & emanasse intelligeret, tale tanti Auctoris, supremique Magistri exemplum sibi, Arcam humani, ut diximus, generis salvatricem fabricaturo, non immeritò ad construendum imitandumque proposuit. Quod quum Nicolaus apud idoneos Auctores legisse meminisset, in hac sua divini Templi constructione non injuriâ imitari concupivit & voluit. In hac nostra hujus admirabilis Templi descriptione quanto magnificentias ac celebritates suas magis magisque considero, tanto amplius admirari & obstupescere cogor; atque mihi sic consideranti, ac propterea vehementius admiranti plura singularia, & præcipua celebratorum Operum exempla comparandi gratiâ ante oculos offerunt. Primo enim si Athenienses de Armamentario suo à Græcis Scriptoribus tantopere laudato ob id magnopere gloriati sunt, quod fuerit opus impensa & elegantia visendum; & ita gloriati sunt, ut Philonem illius Architectum magnis cum laudibus domestici suarum rerum Scriptores memoriæ prodiderint: profectò nos tantò magis Nicolaum Pontificem hujus divini Templi Architectum æternis literarum monumentis celebrare debemus. Si Hiram quoque Tyrensem famosissimi Templi Salomonis non Architectum, sed singularem æris magistrum, opificemque ærarium, de sapientia, intelligentia, ac doctrina, & de sculpendi arte, statuariaque, sacris Libris apprime laudatum fuisse novimus: quanto nos majores Nicolao nostro laudes largiri præbereque impellimur, qui suopte ingenio suaque industria multos quotidianorum operum variosque Præfectos non injuria constituit, atque illis omnibus Bernardum nostrum Florentinum peregregium latomorum Magistrum unum præesse voluit, cui ceteri omnes, sive operarii, sive bajuli, sive opifices, & cujuscumque gradus Magistri & professores juxta Pontificias dumtaxat designationes ad unguem obtemperarent? Nam cum eo solo omnia ad prædictam fabricam pertinentia communicabat. Si singuli insuper septem illorum celeberrimorum totius Orbis Terrarum spectaculorum fabricatores ob sua egregia

gia opera à priscis Historicis admodum commendantur: tanto magis Nicolaus noster maximis in Cœlum laudibus extolli & exornari debet, quanto hoc Templum, si perfectionem suam, ut institutum erat, consequutum fuisset, singulis operibus illis, duobus dumtaxat exceptis, nobilius & excellentius videbatur.

Etenim ut de singulis conferendi gratiâ pauca quædam in medium afferamus, missas facimus Ægypti Thebas Urbem illam magnam, centum egregiis portis (mirabile dictu) mœnibusque conspicuis illustratam; missos facimus Babyloniæ Urbis itidem maximos muros, quos Semiramis Nini Assyriorum Regis uxor ex coctis lateribus ac bituminibus, admirabilibus magnificentiis, incredibilibusque impensis construxerat. Quid aliud ex quinque reliquis mirandis totius Mundi spectaculis cum hoc nostro Templo jure comparare poterimus? An illum nobilitatum Mausolo Cariæ cuidam Græciæ Provinciæ Regis sepulcrum, quod Artemisia ejus uxor tam amplum, tam magnificum, tam opulentum condidisse fertur, ut in omnium intuentium admiratione haberetur? An Pyramides Ægyptiacas, ædificia ita ingentia, itaque magnifica, ut à multis Scriptoribus mirum in modum laudentur? An nobilissimum illum Colossum, in quo Rhodii Apollinis Idolum colebatur? An celeberrimum illud Adriani Imperatoris delubrum in Circo mirabiliter constitutum? An denique Capitolium Romæ, quod Romanarum rerum Scriptores tantis in Cœlum laudibus extulerunt? Nullum profectò in toto terrarum Orbe, duobus illis dumtaxat exceptis, ita dignum spectaculum reperiemus, quod cum hoc nostro Templo meritò, ut diximus, comparare ac conferre valeamus. In his duobus ultimis Palatii ac Templi ædificiis Salomonem Hierosolymorum Regem, ceterorum omnium, qui ullo umquam tempore fuerunt, sunt, eruntque, hominum sapientissimum, non oraculo Apollinis, ut de Socrate scribitur; sed omnipotentis Dei sententia judicatum, Nicolaus noster magnanimiter animoseque admodum imitatus est, quem domum Regis, ac domum Domini sacris literis tam laute & tam opulente ædificasse legerat. Atque ita egregie imitatus esse videtur, ut si vita comite utraque incœpta, ac pæne semiperfecta opera absolvisset, divini Templi Regiæque domus, vel magnificentius adæquasset, vel potius majorem in modum excelluisset. Hæc enim sacri Textus verba sunt, ut illa duo Salomonis Regis tam laudata & tam celebrata ædificia cum his duobus Nicolai Pontificis tam commendatis ac tam admirabilibus operibus parumper conferamus: *Domus, quam ædificavit Rex Salomon Domino, habebat LX in longitudine, ac XX. in latitudine, & XXX. cubitos in altitudine; & porticus erat ante Templum XX. cubitorum longitudinis juxta mensuram latitudinis Templi, & habebat XX. cubitos latitudinis ante faciem Templi. Fecitque in Templo fenestras obliquas, & ædificavit super parietem Templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum Templi, & Oraculi. Tabulatum, quod super erat, quinque cubitos habebat latitudinis; & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis. Trabes autem posuit in domo forinsecus per circuitum, ut non hærerent muris Templi.* Atque hæc de Templo Salomonis Regis tam laudato & tam celebrato verba sacris Libris scripta reperiuntur. At hoc nostrum admirabile Templum ultra quingentos cubitos in longitudinem protendebatur. In latitudinem non ultra CXX. extendebatur. In altitudinem ultra LXXX. erigebatur. Et pro una sola porticu ante Templum Salomonis, tria vestibula ante nostrum astabant; & pro obliquis illius fœnestris transversales nostræ orbicularesque apparebant. Pro tribus autem tabulatis multi fornices per septem cruces in se ipsos mirabiliter involuti, altissimaque testudo videbantur. Ac paulo post de Regia ita scribitur: *Domus autem quum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, quum ædificaretur. Ostium lateris medii in pariete erat domus dexteræ, & per cochleam ascendebatur in medium Cœnaculum, & à medio in tertium. Ædificavit domum, & consummavit eam. Texit quoque domum laquearibus cedrinis, & ædificavit tabulatum super omnem domum V. cubitorum latitudinis, & operuit domum lignis cedrinis.* Atque hæc, quæ sacris literis scripta reperiuntur, ad verbum ponere curavi, ut ista nostra quatuor celebratorum ædificiorum vicissitudinaria comparatio melius discernatur. Pro lapidibus dolatis atque perfectis Regiæ illius veteris, ingentia saxa quadris instructa, ac ut unico verbo expressius dixerim, quadrata in novo Pontificis Palatio conspiciebantur. Pro ostio verò lateris medii, in pariete ingens porta duabus turribus & meditullio præmunita astabat; pro tribus cœnaculis tres admirabiles totidem fornicum ordines superius, inferiusque instituebantur; pro laquearibus cedrinis in totius Domus coopertoriis ac tegminibus plumbeæ laminæ ponebantur. In hac nostra quatuor prædictorum admirabilium ædificiorum comparatione paria unius cum paribus alterius ordinis ad invicem contulimus. Quod si quædam sacrarum Scripturarum veneratio, & Salomonis quoque Regis debita observatio non me talia conferentem parumper continuisset, profectò aliqua multa silentio prætermissa subdidissem, quæ quidem peregrina illa à nostratibus istis tanto magis superata ostendissent, quanto amplius nova Christi Religio veteri illi divinæ Legi præferenda ac præponenda dignoscitur. Sed quum de diversis atque procul dubio admirabilibus Nicolai nostri ædificiis jam multa superius retulisse videamur, nunc longo quasi postliminio in patriam reversi, ad nostrum dicendi ordinem paulisper redeamus.

Dum igitur & conservationi pacis, & traducendis & componendis novis, quæ quotidie cudebantur, Operibus sine ulla intermissione vacaret, & assiduam magnis diversarum fabricationum constructionibus, ut dictum est, operam navaret, factum est, ut Federicus jampridem per mortem Alberti prædecessoris sui ad Imperium jure delectus, ejus Sanctitatem per literas prius, per Oratores deinde, humiliter supplicaret, ut legitimam Imperii Romani Coronam ab eo recognoscendi causâ susciperet. Cujus quidem rei gratiâ, & ut debitam reverentiam Sanctitati suæ personaliter exhiberet, e media Germania usque Romam veniendi licentiam humilibus supplicationibus postulabat. Nicolaus verò supplicibus commemorati Federici postulationibus auditis, ac diligenter accurateque consideratis, ut debitam & per Canonicas Leges ordinatam, licèt aliquot temporibus intermissam, recognoscendi à summis Pontifi-

tificibus Romanum Imperium constitutionem, atque inveteratam consuetudinem renovaret, benigne faciliterque consensit. Unde Federicus non multo post impetratum veniendi consensum, unà cum Leonora uxore sua, magna Procerum ac Principum utriusque sexus comitante caterva, e media, ut diximus, Alemannia, hyemali tempestate movens, in Italiam venit, ubi diversis locis à Principibus & Dominis regionum, ad quas contendebat, honorifice susceptus, quinto sui Pontificatus Anno Romam tamdem applicuit, ubi in Palatio Pontificali unà cum prædicta uxore sua, separatis seorsum habitaculis, magna cum dignitate collocatus, plures dies eousque commoratus est, quoad celebritates pro Imperatoriis coronationibus, de more usitato & consueto, plene & omnino explerentur. De quibus pauca quædam e multis à nobis tunc visa, cum ad eam celebritatem Florentini Populi nomine Legati simul cum multis aliis totius pæne, ut ita dixerim, Christianitatis Oratoribus conveniremus, memoratu digniora breviter enarrabimus. Ut igitur commemoratus Federicus cognomento Tertius in sacrosanctum summi Pontificis solio Pontificali gravissime simul atque dignissime residentis conspectum, magna undique diversorum Prælatorum caterva adornatum, apparuit, primo genibus flexis ipsum veneratus est, & deinde ubi propius adhæsit, dexterum pedem, talemque manum, ac similem genam devotissime osculabatur. Atque his & hujusmodi ceremoniis de more habitis, parvam quamdam Oratiunculam precibus supplicationibusque refertam, habuit, grataque & humana responsione recepta, à sancto Pontificis conspectu abiit, atque ad ordinariam habitationem rediit. Quod postridie Leonora Imperatrix pariter fecit. His igitur & talibus ceremoniis, velut necessariis quibusdam futurorum ac gloriosorum gestorum præludiis, antea institutis, paucis post diebus in Basilicam Sancti Petri Apostoli, ubi prius suscepti fuerunt, ambo ad suscipiendum Coronas suas maxima cum devotione ascenderunt. Nicolaus itaque, qui Ecclesiasticarum ceremoniarum accuratissimus & diligentissimus observator erat, ubi ad ipsum Coronationis actum pervenit, antequam ad coronandum progrederetur in solemnibus Missarum, pias quasdam devotasque Orationes habuit, ac Federicum coram Sanctitate sua ad Altare genibus flexis humiliter procumbentem, ensem aureum incinxit, ac paulo post regale sceptrum dextera manu largitus est, ac deinde parvo postea temporis intervallo læva pilam auream præbuit, capiti præterea suo Imperatorium diadema ex puro & solido auro confectum, ac pluribus insuper margaritarum unionum gemmarumque, & ceteris pretiosorum lapillorum generibus redimitum, solemniter devotissimeque imposuit, atque quum hæc ipsa magna solemnitate, & eo quo enarravimus ordine, peregisset, ad extremum ambabus in cœlum manibus parumper elevatis in hunc modum altiuscule oravit. *Omnipotens & sempiterne Deus, qui ad prædicandum æterni Regni Evangelium Romanum Imperium præparasti, præsta, quæsumus, huic Federico III. novello Imperatori fideli famulo tuo arma cœlestia, ut superatis Barbaris & inhumanis gentibus, Pacis, ac Catholicæ Fidei inimicis, secura & intrepida tibi serviat humana libertas.* Qua oratione audita, Federicus ita respondens *Exaudi*, inquit, *quæsumus omnipotens & sempiterne Deus, pias & devotas preces Nicolai tui summi Pontificis, ut cuncti Ecclesiastici, & seculares Populi, Prælati, Respublicæ, & Principes, omnibus Christianæ Fidei hostibus penitus abolitis, atque ad ultimam internecionem usque deletis, liberius servire, atque efficacius famulari valeant, & per hunc certum ac securum omnium Fidelium nostrorum gentium famulatum cuncti Christiani homines digna utriusque, & præsentis & futuræ vitæ præmia consequi mereantur.* Quamquam verò Federicus ipse, ut diximus, coronatus esset, atque Leonora postea, super capite suo diademate dumtaxat suscepto, pariter coronaretur, aliquot tamen dies in Urbe commoratus est. Unde non multo post movens Neapolim cum Imperatrice ad visendum Alphonsum Clarissimum Aragonum Regem affinem suum, omnibus pomparum generibus contendit, atque exinde Romam reversus itineribus terrestribus per Etruriam, & Galliam Cisalpinam in Galliam remeavit. At Leonora per mare navigans, per Venetias in Alamanniam rediit. Ea verò, quæ ad dignos tantorum Dominorum, totque Principum, & Satrapum, tantarumque & tam externarum Gentium, & ab Italis moribus longe abhorrentium, apparatus exigebantur, singulari quodam ac præcipuo ordine à Nicolao nostro ita disposita & instituta sunt, ut ne unus, & quidem minimus error, aut aliqua offensio in non parvo temporis intervallo notaretur, neve aliqua dissensio, seu contentio inter tam diversas Germanorum, Pannonum, & Italorum nationes oriretur.

Sexto deinceps felicis Pontificatus sui anno quum Alphonsus jampridem, Florentinis apprime infensus, qui Francisco Sfortiæ ad acquisitionem Ducatus Mediolanensis, qui sibi à Philippo Maria testamento relictus fuerat, anhelanti, non parva, nec occulta, sed magna ac manifesta equitum peditumque auxilia miserant, multasque pecunias ad expeditionem novi belli adversùs Venetos propterea suscepti, atque ob id ipsum cum prædicto Alphonso confœderatos, Ferdinandum unicum filium suum inclytum Calabriæ Ducem cum toto ejus exercitu in agrum Florentinum, populandi, vexandi, ac diripiendi causâ destinasset: prudentiâ suâ ita se se gessit, ut nec Alphonso ipsi, nec Venetis, nec Florentinis, nec Francisco ullatenus displiceret, atque Ecclesiam à bellicis tumultibus, militaribusque direptionibus illæsam, inviolatam intactamque servaret. Quemadmodum & primo & secundo Pontificatus sui anno antea prudentissime fecerat, quando prædictus Alphonsus, priusquam ipse ad Pontificale fastigium assumeretur, cum infestis gentibus idcirco Tibur venerat, ut exinde adversùs Florentinos hostilibus exercitibus moveret. Ac in eodem deinde conservandæ & retinendæ Pacis proposito continue perseverans, quum per commemorati Philippi Mariæ mortem tota pæne Italia bellicis hinc inde tumultibus confunderetur, solus ipse, Alphonso, Venetis, Florentinis, Senensibus, ac Francisco inter se contendentibus, invicemque belligerantibus, quietem novit, quietem adamavit, quietem & tranquillitatem ceteris omnibus rebus humanis præposuit longeque prætulit, tum quia suapte natura à bellis abhorrebat, tum etiam ut præclara illa de componendis, traducendisque Operibus, & de construendis ornandisque & extra & intra Urbem ædificiis liberius vacare ac studiosius subministra-

re

ro posset, atque omnes insuper subditos suos A à bellicis fremitibus, & à militaribus direptionibus, velut à pestilentibus & contagiosis morbis illæsos inviolatos intactosque servaret. Septimo deinde Pontificatus sui anno, quum prædictus Ferdinandus infestis exercitibus per agrum Florentinum multa involvisset, atque in Gallia quoque Cisalpina cuncta pæne bellicis perturbationibus, Venetis adversùs Franciscum, jam Ducatum Mediolani ob prædictos Florentinorum favores, ut cupiebat, adeptum, omnibus eorum viribus belligerantibus, agitarentur: factum est, ut prædicti Principes, Respublicæ, & Populi, Oratores suos pro componenda inter eos Pace transmitterent. Ipse verò, dum coram eo de conten- B tionibus ortis ageretur, sapientia sua, quæ profecto in perpendendis & examinandis rebus maxima erat, hoc unum conabatur, hoc unum curabat, hoc unum operabatur, ut singulis gratificaretur, ac nemini suspectus haberetur: quod de industria, atque ex proposito ideo faciebat, primo ut nullis Principibus displiceret, deinde ut Ecclesiam suam in pace, atque Sedem Apostolicam extenuatis per continua ac vicissitudinaria inter se bella omnium belligerantium facultatibus majori auctoritate dignitateque conservaret. Bella enim inter prædictos totius pæne Italiæ Principes Ecclesiæ suæ pacem, concordiam verò eorum versa vice bellum Ecclesiæ, non modò verisimilibus C conjecturis, sed certis & expressis argumentis, & experientia quoque rerum magistra, intelligebat, præsagiebatque. Ob has igitur caussas, cum tepide in hoc ipso pacis concordiæque tractatu, ne dicam frigide, se se gereret, contigisse videtur post longam quamdam plurium mensium inanem futilemque tractationem, ut ea, quæ tractabatur, concordia ad nihilum recideret, atque propterea Oratores re infecta, quinimmò, ut expressius dixerim, confracta quoque, in patriam suam remearent. Hoc eodem Anno, etsi omnes Ecclesiæ Romanæ subditos in summa pace ac maxima tranquillitate continuisset, atque Romam ipsam partim mœnibus apprime muni- D visset, partim pluribus ædificiis circumquaque exornasset, Civesque Romanos multis privilegiis donasset, factum est tamen, ut quidam scelesti homines, & perniciosi Cives, ac propriæ patriæ proditores, in Sanctitatis suæ caput nefarie nimis conjurassent. Hujus conjurationis princeps erat Stephanus quidam Porcarius, Vir equestris ordinis, nobilis & elegans, atque animosus, sed parum prudens, quem ipse plurimis antea honoribus, & similibus emolumentis propterea honestaverat, ut magnitudine beneficiorum naturæ suæ perversitatem vel certe superaret, vel saltem leniret. Sed ubi ob prædictæ conjurationis patefactionem verè aliter quàm opinabatur, eve- E nire conspexit, detecta, ut diximus, conspiratione, atque quibusdam ejus auctoribus, ac principibus, ultimo, ut merebantur, supplicio per suspendium in Mole Adriani propalam damnatis, ipse & Civitas tota, ac universa Prælatorum caterva, & reliqua Sacerdotum turba, in sua solita securitate atque consueta tranquillitate remansit. Hic est Stephanus ille, quem sibi dormienti in calce Primi Libri per quietem apparuisse diximus.

Ad extremum octavo & ultimo Pontificatus sui Anno quum Veneti ex ingentibus ac diuturni belli sumtibus vehementer premerentur, atque Franciscus ipse facultatibus suis majorem in modum extenuaretur, ac utrique bellicis sumtibus usque adeo onerarentur, atque usque adeo exinanirentur, ut neutri magnos exercitus suos propriis, ut consueverant, stipendiis ulterius alere & sustentare possent, factum est, ut per intercessionem cujusdam Simonetti religiosi viri, ac probitate morum, & sanctimonia vitæ admodum celebrandi, pax & concordia, frustra Romæ tamdiu antea tractata (mirabile dictu) optatos & concupitos sortiretur effectus. Veneti enim cum Francisco prædicto, & cum Florentinis, inscio & ignorante Alphonso, cum quo adversùs commemoratos tamquam infensissimos hostes prius confœderati erant, acerrimis simultatibus penitus omissis, quibus in se invicem diutius belligeraverant, pacem & concordiam ac confœderationem (incredibile dictu) inierunt. Pace itaque mutua confœderatione condita, per hunc modum, ut diximus, inter sese mirabiliter conclusa, sex Legatos suos, clarissimos quidem viros, duos per singula membra ad Alphonsum mittere constituerunt, quem moleste & ægerrime hanc eorum concordiam laturum non dubitabant: quod idcirco faciebant, ut per hanc tam honorificam & tam gloriosam Legatorum suorum transmissionem ipsum ad eam concordiam allicerent, atque honestis precibus invitarent, & benignis suasionibus traducerent, vel saltem mitiorem redderent. Delecti itaque sex Oratores Romam ad Nicolaum nostrum, jampridem magnis non modò podagrarum & chiragrarum, & arteticorum dolorum ægrotationibus, sed lentis quidem febribus apprime oneratum, cum expressis ad Sanctitatem suam commissionibus venerant, cui cum pacem pro totius Italiæ salute inter eos factam fuisse significarent, Beatitudinem suam suppliciter cohortabantur, ut prædictæ paci pro salute Italiæ, ceu dicebant, confectæ assentiri & adhærere dignaretur, atque eos ad Alphonsum hac dumtaxat causså contendentes, suis sapientibus consiliis, suis devotis suasionibus, suis variis favoribus adjuvaret. At Nicolaus, Oratoribus benignè auditis, quum ipsos inter se pacem, & concordiam, ac confœderationem inivisse cognovisset, & ad prosequendum ulterius totis animis inclinatos esse conspiceret, atque se se malignitate morbi in dies vehementius oneratum oppressumque ita conjectura auguraretur, non amplius dissimulandum fore ratus, prudentissime simul atque gratissime in hunc modum respondisse fertur. Pacem namque semper sibi placuisse, inquit, pro qua componenda multos se labores suscepisse, ac tolerasse testatus est. Concordiam deinde simul cum confœderatione inter eos initam pluribus elegantibus verbis laudavit, atque sibi ipsis ad Alphonsum eâdem causså contendentibus, persuasionibusque suis, uti ab eis postulabatur, favere opitularique significavit, & ut omnis dubitatio è medio tolleretur, atque certa & indubitata pax cum Alphonso Rege conficeretur, Cardinalem quemdam, præclarissimum & prudentissimum dominum, & multa quoque secularium rerum experientia exercitatum, Legatum, ut dicitur, de Latere una secum mittere subjunxit; atque talia, & tam stricta mandata ei se daturum confirmavit, ut vota sua effectibus & operibus penitus & omninò adimplenda esse non dubitaret. Ad extremum, *ut mentem*, inquit, *nostram ad pacem Italiæ semper*

per inclinatissimam exstitisse intelligatis, non modò omnibus postulationibus vestris, & de adhæsione nostra, & de exhortationibus erga Alphonsum per nos faciendis libenter assentimus; sed Legatum etiam de Latere, ut efficacius & copiosius opitulemur, ad eum mittere constituimus, quod nequaquam postulabatis, ut omnes Christiani Principes, Respublicæ, & Populi plura in hoc vestro generalis Pacis desiderio, quod itidem nostrum abundantius esse ac videri volumus, quam separata & conjuncta totius confœderationis vestræ mentibus hactenus postulaverunt, facta fuisse intelligant planeque cognoscant. Hoc Nicolai Pontificis nostri sapientissimum & efficacissimum responsum quam gratum quamque acceptum prædictis Oratoribus fuerit, non satis dici explorarive potest, præsertim quoniam Dominicum titulo Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem, Dominum Firmanum, prudentissimum & optimum Virum, & magnæ apud omnes Mundi Principes auctoritatis, ac ardentem insuper pacis amatorem, vivæ vocis oraculo pronuntiatum, atque ad id sanctum opus peragendum destinatum designatumque acceperunt. Oratores itaque una cum Legato Neapolim contendentes, post longam quamdam & diuturnam præteritarum contentionum agitationem, tamdem per efficacem & profectò admirabilem prædicti Legati intercessionem, pacem ac concordiam præter spem omnium mirabiliter concluserunt. Qua quidem composita ac conclusa, Oratores una cum Legato ad Nicolaum nostrum, jam morborum gravitate vehementius oppressum, læti & alacres rediere; quos in conspectu suo assistentes magnis ac dignis laudibus sua illa singulari & præcipua elegantia plurimum exornavit. Oratores igitur, pace facta, & Pontificiis quoque laudibus ornati, & nonnullis insuper personarum privilegiis honestati, maximo cum gaudio quique in patriam suam remearunt. Non multo post quum omnia prope morborum genera, quasi agmine facto, in pusillum Nicolai nostri corpusculum concurrissent, atque in dies vehementius exaugescerent, ipsum continuis quibusdam diurnis nocturnisque angoribus usque adeo afflixerunt, ut extenuatis paulatim viribus personam suam interimerent, personam, inquam, suam omnibus naturæ muneribus ornatam interimerent, atque cunctis quoque ingenuarum facultatum scientiarumque generibus præditum LVII. ætatis suæ, VIII. verò Pontificatus Anno, indigne admodum, ne dicam crudeliter & impie, interimerent, quum id ipsum, qualecumque sit, ab omnipotenti Deo, cujus judicia velut abyssus multa, singulis hominibus occultissima, provenisse atque emanasse non ignoramus.

LIBER TERTIUS,

De testamento Nicolai V. summi Pontificis, priusquam moreretur.

QUoniam de Vita & Moribus Nicolai V. summi Pontificis, ac de gloriosis Pontificatus sui gestis duobus prioribus Libris pro modulo nostro superius tractasse meminimus: reliquum est, ut qualis quantusque in hac lethifera ægrotatione sua fuerit, & quemadmodum in morte se gesserit, deinceps ostendamus, ut hic ultimus ejus actus, tamquam absoluta quædam totius comœdiæ perfectio reliquis prioribus tam laudabilibus ac tam celebratis operationibus suis non injuria correspondisse & consonasse videatur. Proinde primò de magnanima ingentium dolorum, quibus die noctuque vehementer angebatur, toleratione, nonnulla brevissime attingemus. Secundò de benignis responsionibus paucis agemus, quas exhortatoribus faciebat, qui ad eum quoque visendi & exhortandi gratia accedebant. Tertiò de illo admirabili Testamento paulo latius explicabimus, quod pridie quàm moreretur divinitus instituisse perhibetur. Dolores suos, quibus sine intermissione cruciabatur, usque adeo ferebat, usque adeo tolerabat, usque adeo patiebatur, ut numquam toto diuturnæ ægrotationis suæ tempore ingemuisse, nedum ejulasse videretur. Nec hac tam singulari ac tam præcipua tantorum dolorum tolerantia contentus, plerumque Psalmos, & hymnos concinebat, ac reliquas divinas orationes ita condiebat, ut more suo laudes Dei, partim devotis cantibus, partim summissis susurrationibus, partim supplicibus deprecationibus jugiter redundarent. Quid de responsionibus suis dicemus, quibus ejus exhortatores suavitate & dulcedine sua consolari simul & transfigere videbatur? Quale fuit illud ejus memorabile responsum, ut hoc uno ex multis similibus brevitatis gratia contenti simus, quod ipsum Johanni, Episcopo Atrebatensi, in omni doctrinarum genere peritissimo, ex propria Episcopi relatione fecisse audivimus. Quum enim prædictus Episcopus lecticæ, in qua Pontifex moribundus jacebat, genibus flexis astaret, ac paucis verbis ipsum jam pæne morientem, etsi aliena consolatione non indigeret, pro virili tamen sua consolari cuperet, inter loquendum lacrymas jam oculis per totum vultum jugiter emanantes continere non potuit. Quod quum in ipsum luminibus fixis intueretur, plane & aperte conspexit, ac statim consolatoriæ orationis suæ jam lacrymis refertæ cursum his suavibus verbis, generose admodum ac magnanimiter impedivit. Atque, *Atrebatensis*, inquit, *ne fleas, quæso; quinimmo has tuas lacrymulas in devotas deprecationes converte, & pro me, paulo post moribundo, ad omnipotentem Deum Dominum nostrum humiliter deprecare. Unum tamen est, quod te oblivisci nolim, vel potius hoc unum scias velim, quod per mortem Nicolai tui V. Pontificis Atrebatensis meus, & magno & vero & singulari amico suo privabitur.* Quibus dictis, oculis in eum refixis continuo intuens, subtacuit. Hæc ultima Pontificis nostri verba, tantâ sententiarum gravitate, tantâque amoris plenitudine condita, ita in mentem peritissimi simul atque amantissimi Episcopi penetrarunt, ut dimidium cordis sui vehementer transfigerent; atque usque adeo transfixerunt, ut ceu uberrimi quidam lacrymarum non modo sponte, sed certatim etiam emanantium fontes, copiose & abundanter adaperirentur, quibus crebri singultus permixti ita affatim supervenerunt, ut exinde abire

abire è vestigio cogeretur. Sed hoc unum ejus tam memorabile responsum exempli gratiâ in præsentiarum sufficiat. Nunc ad Testamentum deinceps accedamus, quod cunctis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus hac dumtaxat causâ in conspectum suum generose admodum ac magnanimiter evocatis, pridie quàm moreretur, his verbis, atque in hunc modum divinitus habuit. Sic enim inquit:

Quum hanc vocationis nostræ horam, dilecti fratres, jam jam plane aperteque adventasse cognoverimus, pro majori quadam Romanæ Ecclesiæ auctoritate, ac pro summa Sedis Apostolicæ dignitate, grave quoddam & amplum Testamentum, non literis mandatum, non tabulis relictum, non membranis transcriptum, sed nunc vivæ vocis oraculo coram Venerationibus vestris dumtaxat expressum, facere constituimus. Quocirca audite, quæsumus, audite, inquam, quæsumus. Nicolaum enim adhuc V. summum Pontificem in extremo pæne mortis articulo constitutum, de condendo suo testamento, magna quadam pretiosarum & inusitatarum rerum copia referto, gravissime disserentem audietis; quippe tria tantummodo, seria & gravia, antequam naturalis memoriæ nostræ efficacia, ac consueta vivacitas ex vehementia doloris apprime transversa fortè in ruinam delabatur, referre atque commemorare exoptamus & cupimus. Primo namque omnipotenti Deo, de multis atque ingentibus beneficiis ab initio nativitatis hactenus in nos affatim collatis, quales quantasque poterimus gratias agemus. Quanto deinde statu, qualibusve conditionibus, quot privilegiis prædictam sacrosanctam Romanam Ecclesiam fraternitatibus vestris relinquimus, breviter respondemus, hanc denique ipsam Christi Salvatoris nostri Sponsam, quam tam ornatam, ac tam opulentam, & tam tranquillam, jam prope à nobis relictam fuisse conspicitis, totis mentis affectibus vobis multum admodum commendabimus. Atque tria principalia nostræ divisionis membra tunc seorsum explicabimus, quum prius nonnulla præcipua, ac memoratu digna de Sacramentis parumper attigerimus, atque alia quædam adversùs multiformes ædificationes nostras à plerisque carptas, & in nos objecta paulo latius confutaverimus. Septem esse novæ & Evangelicæ Legis Sacramenta cunctis Christianis hominibus ita manifestum est, ut nullatenus ambigatur. De quorum tribus, omissis generalibus & propriis singulorum diffinitionibus, cum quia notissimum sit, tum etiam quia nunc amplos de illis tractatus componere & compilare non volumus, cum ad mortem properatis cursibus, & cervinis, ut dicitur, saltibus festinemus, pauca, & ea quidem præcipua, & egregia dicemus. Nam de Ordine, ac de Matrimonio perpetuò silebimus, quum hæc duo solummodo voluntaria, & alterum eorum jamdudum renuerimus, & alterum susceperimus. Reliqua verò ad humani generis salutem necessaria habeantur, & sint; ac de his quinque, quæ necessaria appellantur, duo quoque Baptismum, & Confirmationem relinquemus, quum semel suscepta, iterari nec debeant, nec possint. Idcirco de tribus reliquis, de Pœnitentia, de Eucharistia, de Extrema infirmorum Unctione nonnulla in medium breviter afferemus, præsertim quum duo eorum talia esse videantur, ut omnibus temporibus usque ad ultimam cujuscumque hominis mortem necessariò exigantur. Nam Pœnitentia Sacramentalis, de qua in præsentiarum loquimur, pluribus distinctionibus, quæstionibus, & ambiguitatibus suis, utpote supervacuis quibusdam, & ad nostrum propositum minime pertinentibus prætermissis, ad sustinendam humani generis fragilitatem, & ad certam & expressam perpetratorum peccatorum abolitionem non modò utilis sed etiam necessaria reperitur. Etenim quum primus Homo in principio creationis suæ plurimis ingentibus multarum gratiarum privilegiis in justitia illa originali ab omnipotenti Deo crearetur, ob temerariam divini mandati prævaricationem, & dona naturalia ab origine accepta coinquinavit, & posteros quoque suos perpetuo originalis Peccati reatu, continua contagione infecit, infectosque damnavit. Unde quicumque postea nati sunt, & qui usque ad consummationem Seculi nascentur homines, non solùm illo naturæ peccato obnoxii, inviti, & nolentes quique sua nativitate polluuntur, sed & ad peccata voluntaria proniores suopte ingenio oriuntur. Atqui pro convenientibus horum duorum, tam involuntariorum quàm voluntariorum delictorum remediis, necessariisque antidotis, duæ salubres totidem humanarum, quàm naturalium ægritudinum Baptismi, ac Pœnitentiæ medelæ à Christo Redemtore nostro, ac unico infirmarum animarum curatore, cunctis ægrotantibus hominibus opportune admodum, ac plusquam necessario exhibentur. Per Baptismum namque, hoc est, per salutiferum purificationis lavacrum, quod prima post naufragium tabula à prixis Theologis non immerito appellatur, vetus homo, sicut secundina in prima nostræ nativitatis origine deponitur, & dimissa veste, illâque atramentali, scilicet peccato, coinquinata, nova quædam & candida tunica per Gratiam resumitur. Per Pœnitentiam verò, quæ secunda post naufragium tabula ab eisdem Theologis non injuria nuncupatur, sæva & confragosa secularium turbinum & procellarum tempestate jactati, veteribus delictorum nostrorum maculis & inquinamentis penitus omninoque deletis, mundi & puri in unicum salutis nostræ portum, tuti ac securi tranquillique confugimus. Atque quum hæc, & alia hujusmodi ad dignitatem, ad utilitatem, ad necessitatem prædictorum sacramentorum pertinentia ita plane & aperte intelligeremus, ut de his nullatenus dubitaremus, & antequam ægrotaremus, ad hanc secundam naufragii nostri tabulam crebrò concurrebamus, & nunc quoque in hoc nostro mortis articulo usque adeo confugimus, ut hanc ipsam tabulam ambabus manibus apprehensam, arctissime contineamus, & totis quoque nixibus nostris ita mirum in modum amplectamur, ut nullo umquam tempore dimittamus, quoad in tutum & tranquillum nostræ salutis portum per ineffabilem omnipotentis Dei gratiam, ac per infinitam Jesu Christi Salvatoris nostri misericordiam, & per immensam denique Spiritus Sancti Paracliti clementiam applicuisse cognoverimus, quemadmodum prædictis rationibus moniti non injuria exoptamus, speramus, & credimus; præsertim quum maximam ac summam omnipotentis Dei per continuam tantorum beneficiorum susceptionem in nos beneficentiam meminerimus, atque fidele & devotum, & usque ad hanc diem juge & perpetuum in agro dominico, agoneque Christiano obsequium diligenter & accurate impendisse recordemur. Atque præterea Eucharistiam, & Extremam Unctionem, duo reliqua humanæ salutis sacra remedia paulo ante devotissime susceperimus, quorum neutrum tametsi ad alleviationem, & ad meliusculam, ut ita dixerim, corporis habitudinem ne paululum quidem

dem profecisse sentiamus, ad salutem tamen animæ plurimum profuisse non dubitamus.

Hæc enim quinque novæ & Evangelicæ Legis Sacramenta, quæ ad consequendam humani generis salutem necessaria exstitisse diximus, à Christo Redemtore, & ab Apostolis successoribus suis in opportunam & accommodatam omnium delictorum medicinam, non frustra & incassum, sed ad certam veterum errorum abolitionem, & ad acquirendam vitæ æternæ gloriam instituta fuisse novimus. Nam si per Baptismum ad remissionem peccatorum secundùm celebratas omnium Theologorum sententias donatur Spiritus Sanctus; si idem Spiritus per Confirmationem ad robur perficiendum conservatur; si per Pœnitentiam voluntaria peccata abluuntur; si per Eucharistiam in bono confirmationis datæ, ac divinæ gratiæ acquisitione renovamur; si per Extremam denique Unctionem fortes efficimur; jam per Baptismum mundati, per Confirmationem roborati, per Pœnitentiam abluti, per Eucharistiam renovati, per Unctionem extremam ad certam quamdam divinæ gratiæ consequutionem accommodati, sic per hunc modum penitus ab omni cunctorum delictorum macula abstersi: quid est cur nos de infinita omnipotentis Dei misericordia desperare, aut de hac necessariorum Sacramentorum institutione diffidere valeamus? Vel potius, ut expressius dixerimus, quid est cur nos in ineffabili miserantis Dei gratia magnopere sperare, aut in maxima prædictorum Sacramentorum potestate confidere non debeamus: præsertim quum tria Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæque Unctionis Sacramenta, ad patientem quamdam ac magnanimam dolorum nostrorum, quibus continue & sine intermissione torquemur, tolerantiam tam devote ac tam pie adjunxerimus? Proinde his privilegiis apprime confisi, speramus & cupimus, ut quum ab hoc corpore avellemur, ob propriam omnipotentis Dei misericordiam, ineffabili illa divinaque gratia conditam, in cœlesti patria suscipiemur, ubi una cum reliquis beatis Spiritibus felici illa Patris, & Filii, ac Spiritus Sancti visione ævo sempiterno perfruemur. Atque hæc pauca de Sacramentis in præsentiarum dixisse sufficiat. Nunc ad diluenda ædificationum nostrarum objecta venimus.

In hac parte quamquam omnes Cardinales ad audiendum tota mente, totisque, ut dicitur, vultibus intentos paratosque videret, ut tamen eos ad hauriendum quidquid enarrabatur, attentiores redderet: *Audite, ait, audite, inquam, Venerabiles Fratres, rationes; caussasque considerate, quibus adducti ad ædificandum, construendumque tantopere conversi fuisse videamur. Duas principales ædificationum nostrarum caussas exstitisse, Venerationes vestras scire atque intelligere volumus. Romanæ namque Ecclesiæ auctoritatem maximam ac summam esse, ii soli intelligunt, qui originem & incrementa sua ex literarum cognitione perceperunt. Ceterorum verò cunctorum Populorum turbæ literarum ignaræ, penitusque expertes, quamvis à doctis & eruditis Viris, qualia, & quanta illa sunt, crebro audire, eisque tamquam veris & certis assentiri videantur, nisi tamen egregiis quibusdam visis moveantur, profecto omnis illa eorum assensio debilibus & imbecillis fundamentis innixa, diuturnitate temporis ita paulatim elabitur, ut plerumque ad nihilum recidat. At verò quum illa vulgaris opinio doctorum hominum relationibus fundata, magnis ædificiis perpetuis quodammodo monumentis, ac testimoniis pæne sempiternis, quasi à Deo fabricatis, in dies*

A usque adeo corroboratur & confirmatur, ut in vivos, posterosque illarum admirabilium constructionum conspectores continue traducatur; ac per hunc modum conservatur & augetur, atque sic conservata & aucta, admirabili quadam devotione conditur & capitur. Ad hanc Christianorum Populorum erga Romanam Ecclesiam, ac Sedem Apostolicam, devotionem tutæ quædam habitatoribus ipsis, ac terribiles inimicis, Oppidorum, Urbiumque munitiones accedunt, quæ nimirum per has magnorum ædificiorum constructiones adversùs externos hostes, ac domesticos novarum rerum cupidos, quotidie diripiendi gratiâ conspirantes, & in grave Ecclesiasticarum gubernationum damnum insurgentes, munitiores redduntur.

B Quo circa nos & Gualdi, (ut à minimis incipiamus) & Fabriani, & Assisii, & in utraque Civitate vetusta, & Castellana, & Narnia, & in Urbe Veteri, & Spoleti, & Viterbii, & multis aliis Ecclesiæ nostræ Locis, plura peregregia ad certum quemdam & expressum utriusque devotionis munitionisque effectum ædificia condidimus. Atque eisdem caussis abundantius vehementiusque adducti, multa, & quidem singularia, hìc in Urbe opera perfecimus; ac plura, & longe majora non immeritò inchoavimus. Quanto enim hæc alma Urbs ceteris omnibus major & dignior habetur, quantoque ampliori cunctorum Christianorum Populorum devotione magis celebratur & colitur, tanto profectò aliis

C omnibus ornatiorem atque munitiorem fore oportere censebamus; præsertim cum perpetuam summorum Pontificum Sedem, atque æternum Pontificiæ sanctitatis habitaculum ab omnipotenti Deo constitutum fuisse non ignoraremus. Proinde & Urbis mœnia, pluribus hinc inde locis collapsis & confragosis, reparavimus, multisque turribus circumquaque munivimus, ac nova insuper cum crebris propugnaculis absolvimus. Quadraginta præterea sanctarum Stationum Basilicas à Gregorio Magno prædecessore nostro ab origine institutas pæne ad ultimam absolutionem reformavimus; atque ad extremum hoc Palatium, in quo nunc sumus, idoneum Summorum Pontificum domicilium, & hoc sacrosanctum

D Petri Apostolorum Principis Templum, huic nostræ Domui contiguum, cum magno ac novo Vico adjacente, pro digna quadam & secura cum capitis, tum omnium membrorum, & totius Curiæ habitatione, jampridem ædificare ac reformare inchoavimus. Quæ quidem Opera antea, ut videtis, incœpta, nisi mors à tergo inopinata prævenisset, omnipotentis Dei gratiâ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, de quorum auctoritate & potestate confidebamus, opitulationibus adjuti, quando ea boni gratiâ agebamus, ad perfectionem usque perduxissemus. Quæ quidem si, ut cupiebamus, expleta fuissent, aut si, ut institueramus, ullo umquam tempore in posterum absolventur, profectò Suc-

E cessores nostri majori quadam Christianorum omnium Populorum veneratione adorarentur, atque tute, ac secure intra Urbem commorantes, impias & consuetas, & externorum hostium, & domesticorum quoque inimicorum persecutiones facilius evitarent. Quibus quidem nos caussis, non ambitione, non pompa, non inani gloria, non fama, non diuturniori nominis nostri propagatione, sed majori quadam Romanæ Ecclesiæ auctoritate, & ampliori Sedis Apostolicæ apud cunctos Christianos Populos dignitate, ac certiori usitatarum persecutionum evitatione, talia tantaque ædificia mente & animo concepe-ramus. Nos enim memoria sexcentorum circiter

anno-

minorum repetita, quo quidem tempore Christiana, & orthodoxa Fides hinc inde late dispersa, longeque amplificata (ne forte à primitivæ Ecclesiæ tempestate ulterius evagati, altius repetamus) multas Capitum Romanorum persecutiones quondam exstitisse accepimus, & usque ad tempora nostra profluxisse sensimus. Eugenium namque II., Johannem IX., Adrianum III., Johannem X., Johannem XI., Stephanum VIII., Benedictum V., Johannem XIII., Benedictum VI., Johannem XIV., Alexandrum II., Gregorium VII., Urbanum II., Paschalem II., Alexandrum III., Gelasium II., Innocentium II., Clementem III., Johannem XXIII., Eugenium IV. immediatum Prædecessorem nostrum, & hinc Nicolaum V. morientem, diversas tum externorum hostium tum domesticorum quoque inimicorum persequutiones non sine maximis Romanæ Ecclesiæ jacturis, ac ingenti Apostolicæ Sedis dedecore, subiisse novimus. Nam Eugenius, ut de singulis, secundùm seriem temporum paulo ante commemoratis, pauca quædam exempli gratia referamus, à nonnullis perditis Romanis Civibus crudeliter captus, atque oculis impie admodum privatus, miserabiliter vitam finivit. Johannes itidem captus, & carceri mancipatur. Adriani temporibus Arnaldus quidam Brixiensis Hæresiarcha, quibusdam Romanorum scelestorum hominum favoribus adjutus, & Urbem intrare, & Dominicum tituli Sanctæ Potentianæ Presbyterum Cardinalem, ad præsentiam summi Pontificis de more tendentem, in via publica temere aggredi, ac nefarie vulnerare, sua nimia & intoleranda arrogantia præsumsit. Leone in carcerem truso Presbyter quidam nomine Christophorus vi & armis aliquorum Romanorum malorum hominum opitulationibus suffultus, Pontificatum invasit arripuitque, licèt à Sergio postea canonico Pastore, Pontificia dignitate privaretur. Johannes alter in carcere pariter positus, crudelissime suffocatur. Stephanus ab aliquot conspiratoribus Romanis per omnia quasi ejus membra mutilatus occiditur. Benedictus Pontificatu dejectus, & in Saxoniam relegatus transmittitur. Johannes alius à Petro quodam ea tempestate Urbis Præfecto in ergastulum missus exilio mulctatur Benedictus alter in carcere similiter collocatur, paulo post strangulatur. Johannes alius in Mole Adriani à Populo Romano undique obsessus extrema frumenti inopia per sex continuos menses maceratus, tamdem fame moritur. Alexandri tempestate ingens incendium, instar Neroniani de industria immissum, magnam Urbis partem combussit; eoque facto Cadulus Parmensis Antipapa per Schisma creatus, Urbem intravit. Gregorius à Cencio quodam Stephani filio Romano, ac seditioso Cive captivatur, ad quem ubi ex ergastulo in pristinam libertatem restitutus fuit, Henricus illius temporis Imperator Legatos suos iniquis cum mandatis, paribusque commissionibus misit. Urbani temporibus Moles Adriani à Romanis obsidetur & capitur. Paschalis ab Henrico Henrici filio, quum in Etruriam infestis exercitibus venisset, Romamque intrasset, ac novum Schisma concitasset, captivus retinetur. Gelasius prædicti Henrici hostilibus cum gentibus ad Urbem adventantis pavore perculsus exinde aufugit, seque Cajetam contulit, ac post ejus fugam Mauritium quemdam Bracharum Archiepiscopum Antipapam creaverunt. Innocentius magna in Urbe contentione orta ex novo Schismate per creationem Petri Leonis suscitato, post fœdam & scelestam omnium urbanarum Basilicarum direptionem salutis suæ, causâ cum duabus triremibus in Galliam fugere coactus est. Alexandri tempestate, ex ingenti quodam incendio de industria immisso, multæ Urbis partes conflagravere. Hic per suggestionem Octaviani cujusdam, qui ad summum Pontificatum aspirabat, in Basilica Petri Apostolorum Principis armatis militibus ita obsessus fuit, ut fugâ saluti suæ consulere cogeretur, atque Transtiberim clanculum fugiens contendit. Hic à Federico Primo dum in Cisalpinæ Galliæ regione infestis exercitibus castrametaretur, per Imperatorios Legatos ad Concilium evocatus est. Quid plura? Hic Alexander ter salutis suæ causâ Urbem reliquit, terque unde aufugerat, adjutore Deo, reversus est. Clemens cum Populo Romano contentionibus habitis, multas ab eis injurias diversasque contumelias pertulisse fertur. Sed quid nos plurima antiqua, partim dedecorosa, partim damnosa, summorum Pontificum nefariarum persecutionum exempla conquirimus? Ad propinquiora ac nostratia veniamus. Nonne temporibus nostris Ladislaus Apuliæ Rex Johannem XXIII. hìc cum tota Curia ea tempestate residentem infestis exercitibus suis animose impetere, atque hanc almam Urbem invadere ita ausus est, ut & ipsum, & totam Curiam è Roma exigeret, atque universam insuper Civitatem militaribus populationibus diripiendam concederet? Nonne Eugenium prædecessorem nostrum quidam sicarii & pessimi patriæ suæ proditores (de Romanis loquimur) & Urbe ipsa ejecerunt, & Molem quoque Adriani armatis militibus obsederunt? Sed quid plura de nefariis Romanorum Pontificum persecutionibus dicimus? Nonne his temporibus Stephanus Porcarius Nobilis Romanus, & quidam alii perditi homines paulo ante reperti sunt, qui in nos conspirare, & in caput nostrum temere & sceleste admodum conjurare præsumserunt? Verùm conjuratione opportuno tempore, omnipotentis Dei gratiâ, ac continuis Petri & Pauli favoribus, paulo post detectâ, conspiratores ipsi in flagranti crimine deprehensi, capti, & ultimo, ut merebantur, crucis, ac suspendii supplicio affecti periere.

Has quidem & veteres ac recentes persequutiones Romani Pontifices, nullo unquam, ut jure existimamus & credimus, tempore pertulissent, si novis & inexpugnabilibus munitionibus se se, præsertim intra Urbem, protexissent; numquam enim neque externi hostes, neque domestici inimici, quamquam novarum rerum cupidi, usque adeo temerarii insanique fuissent, ut ea cum periculo capitis sui aggrederentur, quæ optatos designatosque effectus nequaquam sortiri posse videbantur. At verò, si temeraria audacia allecti, & cæca cupiditate raptati fuissent, profectò conatus sui ad nihilum recidissent; ac per hunc modum tuti, quieti, ac securi Pontifices in continua Sedis Apostolicæ tranquillitate cum maxima auctoritate, cum summa potestate, cum immensa denique dignitate semper resedissent. Quocirca, ut de hac ædificationum nostrarum recitatione à principali proposito parumper digredientes, aliquem certum, & solidum fructum capiamus, Venerationes Vestras in Domino exhortamur, quatenus prædicta constructionum nostrarum opera incboata prosequi ac perficere & absolvere velitis, ut successores nostri externorum tumultuum, domesticarumque persequutionum penitus omninoque expertes, Dominicum gregem sibi ab omnipotenti Deo commissum, tamquam vrei animarum Pastores, diligentius atque liberius salubribus cibariis alere, ac per hunc mo-

modum alitum in viam salutis æternæ traducere possint & valeant. Sed antequam ex hac digressionis parte abeuntes, ad principale mentis nostræ propositum redeamus, in hac ipsa objectarum rerum confutatione de luctuosa Constantinopolis captivitate nonnulla, manifestandæ veritatis gratiâ, brevissime simul atque verissime attingemus. Postquam nos celeberrimam illam Constantini Civitatem à Mehemetho Turcarum Rege accerrimo orthodoxæ Fidei, & Christiani nominis hoste, terrâ marique magnis exercitibus, præpotentique classe majorem in modum obsideri accepimus, quantum poteramus obsessis Græcis favere & opitulari constituimus. Verùm quoniam potentiam nostram talem esse non ignorabamus, ut tot tantisque immanium & barbararum gentium viribus sufficere valeremus, favoribus nostris opportuna quædam & necessaria aliorum Christianorum Principum, Rerumque publicarum auxilia adhiberi oportere putabamus, ut per hanc suppetiarum undique collectarum conjunctionem Turcos, vel volentes, vel invitos, à prædicta obsidione procul arceremus, atque ab ulteriori Christianorum infestatione longius propelleremus. Sic igitur in hoc sincero & efficaci mentis nostræ proposito perseverantes, Constantini Imperatoris Græcorum Oratoribus, qui ad nos impetrandi favoris gratiâ venerant, clara & aperta responsione omnia præsidia nostra, partim pecuniarum, partim Triremium, partim terrestrium exercituum parata, & in promtu esse foreque significavimus. Sed quia nostra dumtaxat subsidia ad arcendum & amovendum à cervicibus suis obstinatam illam tot immanium, tantarumque barbararum gentium obsidionem nequaquam sufficere posse arbitrabamur; ideo in Domino Serenitatem prædicti Imperatoris exhortabamur, quatenus ad celerem quamdam aliorum Christianorum favorum impetrationem animum mentemque converteret, ac subsidia nostra certa & vera, tamquam solida quædam ceterorum omnium fundamenta, semper parata esse intelligeret; sicque præsupponeret, atque in hunc modum nostro nomine aliis Principibus, Rebusque publicis denuntiaret. Oratores hac nostra responsione contenti, ad Imperatorem rediere. Is relationibus suis acquiescens, plures Legatos ad diversos Principes, Populosque Christianos obtinendæ opitulationis caussâ, hinc inde transmisit. At quum Oratores non nisi generalia responsa retulissent, re infecta iterum ad nos revertêre. Ceterum vera eorum relatione intellecta, nos qui nonnullos ab aliis Principibus, Populisque Christianis præter auxilia nostra favores ad eam tantæ obsidionis dissolutionem perventuros fore putaveramus, spe propria inopinato frustrati, non ulterius præsidia nostra differre statuimus. Sed prædictis Oratoribus illa qualiacumque forent, eo tempore momento parata esse significavimus; atque hoc eis gratissimum responsum non modò placitis & sinceris verbis, sed veris etiam effectibus, & certis opitulationibus enixe operati & prosequuti sumus. Verùm antequam hæc subsidia nostra, quæ opitulandi gratia mittebamus, ad obsessam Urbem applicarent, Constantinopolitani, sive volente Deo, sive Turcis ob timorem prædictorum auxiliorum ad opitulandum obsessis properantium enixius ac vehementius Urbem oppugnantibus, tamdem aliquando viribus victi & superati, (ah scelus indignum, & omnibus seculis cunctis Christianis hominibus dolendum, & detestandum) turpiter succubuere. Verum enim verò quum in hac digressione de Sacramentis nonnulla attigerimus, ac de ædificationibus, atque Constantinopolis captivitate, quædam à plerisque leviusculis hominibus, non satis magnitudinem rerum secundùm qualitatem temporum considerantibus & perpendentibus, nobis objecta, declarandæ veritatis gratiâ hactenus confutaverimus: deinceps ad propositum principalis divisionis nostræ ordinem breviter procedemus. Quo circa gratias, inquam, agimus tibi omnipotens sempiterne Deus, quoniam personam nostram ab origine sua corporea, sanitate, & singulari ingenio, ac præcipua memoria exornasti, atque nobis quum adhuc pueri essemus, gratiam concessisti, ut egregiis illis, & non pervulgatis naturæ adminiculis adjuti, ad literarum studia converteremur, in quibus quidem brevi tempore ob singularem quamdam prædictorum naturalium munerum excellentiam, ita profecimus, ut cunctas Artes libero homine dignas mirum in modum nansciseremur, quo facto, atque literis apprime instructi, & cunctis liberalibus Artibus ingenue admodum eruditi, cursum nostrum ad majora maximarum ac divinarum rerum studia direximus, in quibus profecto usque adeo valuimus, ut Sacerdotio assumto, admirabilem quamdam cunctis Italis paulo doctioribus viris de nobis opinionem præberemus. Unde primò Doctor Artium, Sacerdos deinde, ac sacrarum denique Scripturarum professor effectus, à felicis recordationis Eugenio IV. prædecessore nostro ad Subdiaconatus sui ministerium assumti sumus. Non multo post quum pluribus Legationibus & Florentiæ, & Neapoli suo nomine fungeremur, & in Galliam, & in Germaniam, atque Britanniam à Sanctitate sua aliquot annorum intervallo Legati transmitteremur, modo nescio quo evenit, ut ipse nos ad Vicecamerarii magisterium antea deligeret, & ad Episcopalem postea dignitatem sublevaret; ac sic Ecclesia Bononiæ vacante, Bononiensem Episcopum creavit, atque demum ultimo Pontificatus sui anno nos ad sedandum diversorum Principum Germanorum, Populorumque discordias rursus in Germaniam destinavit, e qua quidem Legatione quum votis nostris egregie potiti postea in Urbem remearemus, in qua ipsa reversione, antequam Romæ appropinquaremus, nos Sancto, ut credimus, Spiritu afflatus, ad altissimum Presbyterii, atque Cardinalatus gradum sublimavit. At verò quum ipse paulo post moreretur, factum est, ut vos eodem, quemadmodum arbitramur, Sanctitatis Spiritu adducti, cunctis pæne omnium vestrum suffragiis, nos in Summum Pontificem deligeretis, atque nobis in hoc ipso octo jam expletorum annorum intervallo, quibus soli hactenus Sedi Apostolicæ præfuimus, multa prospera ac memoratu digna, favente Deo, & Christo Domino nostro aspirante, contigerunt. Nam pluribus levioribus brevitatis causâ omissis & Jubilæum Quadringentesimi Quinquagesimi supra Millesimum Christianæ Salutis annum tanto Populorum omnium concursu refertum ac frequentatum vidimus, ut plurimi ex nimia quadam, ac pæne incredibili hominum utriusque sexus multitudine, ad Pontem præsertim Molis Adrianæ, oppressi atque obtriti suffocarentur. Federicum deinde Tertium unà cum Leonora uxore sua ex intima Germania in Urbem ad nos usque profectum Imperatorio diademate insignivimus, atque Imperatorem, Imperatricemque ingenti jubilatione, maximaque pompa, & admirabili quiete coronavimus; & Concilia quoque, ac Schismata adversus adamantinam Catholicæ Ecclesiæ unionem jampridem inita omnino dissolvimus, penitusque perfregimus; & omnes

omnes insuper Christianos, ac Schismaticos Sedis A Apostolicæ contemtores, quasi oves sine Pastore vagas errabundasque, ita ad pastorale ovile reduximus, ut ab ipsa pæne promotionis nostræ origine hactenus in summa semper pace ac tranquillitate viveretur. Postremo bella ipsa, quibus undique frementibus jampridem tota hinc inde Italia vexabatur, ita compescuimus, ita sedavimus, ita denique delevimus, ut omnes Principes, Respublicas, & Italos Populos ad maximam concordiam summamque pacem traduceremus.

Quum itaque hæc ipsa, pluraque alia (nam brevitatis causâ ad mortem festinantes multa omittimus) præcipue omnipotentis Dei in nos privilegia mente atque animo volutaremus, ne fortè tantorum, ac tam admirabilium beneficio- B rum divinorum usquequaque ingrati, & prorsus immemores fuisse videremur, si taciti, muti, & elingues obiissemus, Fraternitatibus vestris hac nostra breviuscula narratione in præsentiarum commemorare voluimus, atque ad Dominum nostrum Jesum Christum, cujus Vicarii, licèt indigni, jam per octo continuos & integros annos in tanta rerum omnium prosperitate soli Sedi Apostolicæ præfuimus, hac pia oratiuncula parumper conversi, ac sua infinita erga nos benignitate confisi, in hunc modum dicere atque orare desideramus. „ Concede, quæsumus, omnipotens & sempiterne Deus, ut hunc Nicolaum „ tuum, quem ex infimo, atque abjecto huma- „ narum conditionum gradu ad summam altitu- C „ dinem erexisti, atque in tanta rerum omnium „ celsitudine sublimasti, ut unctus Catholicæ Ec- „ clesiæ tua Pastor diuturna tempora maximis „ prosperitatibus præsideret, vitam suam in hoc „ extremo adventantis mortis articulo feliciter „ claudat, pro quibus quidem tuis erga nos be- „ neficiis, quum nulla alia, aut majora, aut „ paria, neque fieri, neque excogitari posse vi- „ deantur, quantas possumus humiliter gratias „ agimus, majores, immortales, infinitasque „ habemus. Hunc, inquam, Nicolaum tuum, „ quem tot tantisque privilegiorum cumulis au- „ xisti, hunc, inquam, Nicolaum tuum, quem „ cunctis & secularibus Principibus præficere, „ & Ecclesiasticis quoque Dominis præesse vo- D „ luisti, per sacratissimam ac pretiosissimam Pas- „ sionem tuam, unde totum humanum genus te- „ meraria illa primi Parentis prævaricatione „ damnatum redimere voluisti, à cunctis infer- „ nalium tormentorum generibus illæsum ser- „ vare, quæsumus, servatumque in cœlis collo- „ care digneris, ut unà cum reliquis beatis Spi- „ ritibus, divina illa Patris, & Filii, ac Spi- „ ritus Sancti visione perfruatur. „ Sacrosanctam Romanam Ecclesiam (ut de secundo divisionis nostræ membro nonnulla brevissime attingamus) quam à commemorato Eugenio prædecessore nostro per celebratum quoddam Amadei, olim Sabaudiæ Ducis, Schisma, quem quidem alterum Pontificem, advocato Concilio Basileæ, crea- E verunt, atque eum infaustis ominibus per antiphrasim Felicem appellaverunt, inter se se scissam & mutilatam, frequentibusque bellis aliquot Oppidis, & Urbibus apprime diminutam, atque ære insuper alieno admodum oppressam, bonis Christianæ Religionis auguriis suscepimus, divina omnipotentis Dei gratia ita resarcivimus, ita reformavimus, ita denique corroboravimus, ut & Schismata penitus & omnino aboleremus, & Oppida, Urbesque suas antea bellicis fremitibus amissas ac deperditas per pacem & tranquillitatem recuperaremus, & sedatis hinc inde bellis, atque ita deletis, ut nullum prorsus vestigium, neque in agro Ecclesiastico, neque in tota Italia usquam appareret, non modò à suo ære alieno liberaremus, sed pluribus etiam pretiosarum rerum formis cum margaritis & unionibus, tum gemmis, & aliis hujusmodi lapillis nobilibus, tum quoque novis ædificiis, & libris, & auleis insuper ac tapetibus, & plerisque præterea vasis, partim argenteis, partim aureis, & demum omnibus Ecclesiasticorum indumentorum generibus, ad cultum divinum vel maxime pertinentibus ditissimam ac opulentissimam redderemus. Atque hæc omnia, pluraque alia divitiarum & gazarum genera nobis, non ex avaritia, non ex Simonia, non ex largitionibus, non ex parsimonia, ut scitis, (quum nulla liberalitatis, nulla beneficentiæ, nulla magnificentiæ gratiâ partim crebris plurium munitionum ædificationibus, partim frequentibus multorum librorum emtionibus, continuisque Codicum Latinorum ac Græcorum transcriptionibus, partim plerisque erga Eruditos & doctos Viros assiduis donationibus intentata inexpertaque reliquerimus) sed ex divina dumtaxat benignissimi Creatoris gratia, & ex pace Ecclesiastica, perpetuaque Pontificatus nostri tranquillitate provenisse non dubitamus. Quum igitur multa, & ea quidem ingentia, omnipotentis Dei in nos beneficia superius commemoraverimus, tantasque propterea gratias egerimus, quantas pro facultate nostra referre valuimus: reliquum est, ut hanc sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quam tam opulentam, & tam tranquillam, ac tam præpotentem Fraternitatibus vestris à vobis abeuntes in præsentiarum relinquimus, apprime commendemus. Quocirca nos in hoc extremo adventantis mortis articulo, ac paulo post Creatori nostro animam reddituri, hanc ipsam omnipotentis Dei immaculatam Sponsam, jam non amplius nostram, sed potius vestram, Romanam Ecclesiam, quantum possumus, Fraternitatibus vestris unice commendamus. Hæc est enim illa Christi Sponsa, quam ille ipse proprio ejus Sanguine nobis peperit, partamque humano generi utendi, ac fruendi gratiâ reliquit. Hæc est, inquam, tunica illa inconsutilis, quam nefarii illi milites Christianæ crucifixionis ministri satellitesque inter se se dividere ac partiri non potuerunt. Hæc est denique illa Petri Apostolorum Principis Navicula, variis procellosi pelagi fluctibus agitata, quæ quamquam diversis hujus tumultuantis Mundi adversitatibus, ceu maritimis inundationibus, hinc inde conquatiatur, conquassetur que, quum à Christo sponso suo continue sustentetur, nullatenus periclitari submergique potest. Hanc totis mentis affectibus custodite; hanc omnibus corporis & animi viribus servate; hanc cordibus diligite; hanc operibus amate; hanc totius spiritus medullis & visceribus amplificate; hanc denique mente & corpore retinete. Quod profectò consequemini, si eam cunctis humanis, tam secularibus, quàm Ecclesiasticis rebus præponere ac præferre volueritis, & si fraternam quoque Caritatem invicem servaveritis. Quæ quidem si effeceritis, quemadmodum speramus & cupimus, primo communi Christianorum omnium utilitati, honori deinde vestro optime consulueritis, & omnipotentis denique Dei ita gratificabimini, ut ab eo digna utriusque & præsentis & futuræ vitæ præmia reportetis. Quod ut ceteris posthabitis facere & operari velitis, dilecti in Christo Fratres, nos quantum possumus Fraternitates vestras in Domino efficaciter exhortamur, ac suppliciter obsecramus, ad quem parumper conversi, his brevibus ultimisque verbis confugimus,

mus, sic elevatis sursum manibus dicentes. „ *Domine Deus omnipotens, concede propitius* „ *his Ecclesiæ tuæ Patribus, patronisque, ut* „ *eam conservare & amplificare valeant; atque* „ *eis gratiam largire quæsumus, ut ipsa intercedente, de bono & idoneo Pastore Dominico* „ *gregi præficiendo, facilius, maturius, & melius providere possint.* „ *Valete dilecti Fratres in Domino, pro salute animæ nostræ jugibus orationibus vestris semper memores.*

Quum itaque hæc & alia quædam hujusmodi memoriter, & clara voce, ac concinna & continua sonoritate peroraffet, dextero brachio ad eos parumper converso, *Benedicat*, inquit, *vos omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus*. Et quum hæc ipsa magnanimiter, quemadmodum Pontificalem gravitatem decere videbatur, animoseque dixisset, oculis, quos in Cardinales suo ordine consistentes, & ipsum maxima attentione audientes, & summa devotione admirantes, hactenus fixos intentosque servaverat, molliter clausis, paulo post cum gratia divina feliciter expiravit. Ac sic per hunc modum illud immortalitate dignum ingenium corruit, illa sapientia admirabilis evanuit, ille splendor Orbis extinctus interiit. Qui profectò, antequam extingueretur, in hac sua extrema Oratione, admirabili quadam sonoritate, gestuumque gravitate lepide ac pie admodum pronuntiata, instar lucernæ paulo post extinguendæ ingentem sonitum summumque fulgorem in ipsa sua extinctione manifestissime demonstravit. Illa enim Cignea sane fuit divini Pontificis vox & Oratio, quam quicumque audierunt, ut ex vera quadam & certa eorum relatione paulo pòst plane aperteque cognovimus, lacrymas & ploratus continere non potuerunt. Quod nos vel facile credimus, quum in nobis ipsis quotidie experiamur, qui nedum præsentia acerbissimi casus tunc ploraremus, sed toties etiam nunc ingemiscimus, lamentamur, & flemus, quoties ad lugubrem illam & flebilem tanti ac tam splendidi luminis extinctionem animum mentemque convertimus. O fallaces hominum spes, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpenumero franguntur & corruunt, aut ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt. Namque diu assiduus Nicolai Pontificis labor continuis Pontificatus sui annis in solutione Ecclesiastici æris alieni, in sedatione bellorum circumquaque frementium, in Urbium perditarum recuperationibus, in schismatum abolitionibus, in novis Oppidorum ædificationibus, in quotidianisque eorum munitionibus, ac reparationibus, in Cæremoniarum Pontificalium præparationibus, in Congregationibus, in transcriptionibus, compositionibusque Librorum, in doctorum hominum præmiis ac donationibus, in exornationibus denique omnium, quæ vel ad conservandam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vel ad exaugendam Sedis Apostolicæ dignitatem aliquatenus pertinere ac spectare videbantur, districtius occupabantur, tamdiu majoribus corporis morbis adversante fortuna, plerumque Viris invidia fortibus vehementius cruciabatur: & tamen ab instituto vitæ cursu nullo umquam tempore mentem suam deflexit, donec accuratis laboribus, atque immensis virtutibus suis Romanam Ecclesiam in ea, quam nunc videmus, auctoritate; ac Sedem quoque Apostolicam in illa, quam modo conspicimus, dignitate restituerit. Nunc verò cum ager hic Dominicus sentibus æris alieni, vespribus bellorum, sepibus Schismatum, spinetis turbationum animi penitus extirpatis, undique mundatus esset, ac grandiores & ampliores fructus deinceps redditurus merito speraretur, suo vero idoneoque agricola indignissime orbatur, ut neglectus, ac propria cultura desertus, ad priores illos sentes, vepres, & sepes cum usitatis & solitis spinetis revertatur: *O altitudo scientiæ, & sapientiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt judicia tua, & quàm investigabiles viæ tuæ!* O Judicia Dei quanta, & quantum abyssus multa videbuntur, cum paulo diligentius accuratiusque considerabuntur! O Judicia, inquam, Dei verè incomprehensibilia, quæ quanto magis comprehendere curamus, tanto longius ab eorum profunditate abhorremus! Idcirco de hujusmodi omnipotentis Dei judiciis prorsus inefabilibus deinceps taceamus, ne fortè hac nostra oratiuncula, velut pusilla quadam cimba vecti, in magnum & procellosum tumultuantis oceani pelagus traduceremur, ubi extremo naufragio faciliter periclitari valeremus. Proinde jam finem dicendi faciamus, quum lacrymis & fletibus præpediti ulterius loqui ac scribere nequeamus. Quod paulo post consequemur, si prius tamen ad infinitam omnipotentis Domini misericordiam ista parva sed devota Oratiuncula, ceu in hujus Operis præfatione promisimus, os nostrum parumper converterimus. Sed quis effrenem hujus deplorationis ac lamentationis præsertim, tam naturalis & tam piæ, cursum umquam tenere poterit? Heu, heu, heu, inquam, nobis domesticis ejus. Fuit enim, eritque hoc Nicolai Pontificis lethum luctuosum suis, acerbius Ecclesiæ, grave doctis omnibus, qui suo Domino, suo Patre, suo Patrono crudeliter orbati, & consuetis honorum & emolumentorum privilegiis penitus privati, perpetuo dolere, mœrereque cogentur. Pro quibus sacras Musas, divinasque Camœnas in hac tam exsecranda ac tam detestanda Nicolai nostri morte, non immeritò lamentaturas putaremus, quum Literarum columen extinctum fuisse cognoverimus, si immortales, ut ait Poëta ille, mortales foret fas flere, aut si ad humanos privatorum funerum luctus celebrandos instar veterum ac legitimarum præficarum pro dignitate sua in publicum prodire consuessent.

Verùm hæc pauca de hac lamentatione nostra à principali proposito, ut naturalibus fletibus, quos intrinsecos ulterius continere non potuimus, locum suum præberemus, paulum digressi dixisse sufficiat; præsertim quum maximam quamdam de præcipua & admirabili cunctarum virtutum Calisti Tertii novi Pontificis excellentia spem nuper susceperimus, quem Patres prædictis virtutibus inducti, ac divino, ut credimus, spiritu afflati, dignissimum Nicolai nostri successorem non immeritò substituerint, ut illi excellentissimo Pontifici, & omnium virtutum ac doctrinarum genere referto, quem Græci *Populorum victorem* interpretantur, novus quoque successor itidem præstantissimus, & cunctis virtutum ac Scientiarum generibus præditus, cujus nomen è Græco in Latinum eloquium traductum, *Optimum* quiddam plane & aperte significare videtur, opportunissime simul atque dignissime subrogaretur. Quod nisi certa quædam prædictarum virtutum spes, atque solida & expres-

sa

ta confidentia nos apprime ac majorem in- A modum consolaretur, profectò funebres lacrymas nostras in juges ejulatus perennesque ullatus converteremus. Sed ea, de quibus diximus, spe & confidentia unice recreati, ab incœptis ploratibus deinceps desistemus, & ad promissam orationem parumper accedemus: „ Concede, quæsumus, omnipotens & sempi- „ terne Deus, Nicolao tuo, concede, inquam, „ quæsumus, Nicolao tuo olim summo Ponti- „ fici perpetuum suorum laborum præmium, „ ut una cum reliquis beatis Spiritibus in fe- „ licissima illa divinarum Personarum visione „ ævo sempiterno perfruatur. De illo namque „ Nicolao dicimus, cujus Animam in creatione B „ sua naturalibus ingenii ac memoriæ muneri- „ bus mirabiliter decorasti, & eam in suo „ corpore ita collocasti, ut propriis agendi „ & intelligendi operationibus nullatenus im- „ pediretur, ac personam suam per aperta m. „ corporis & animi conjunctionem divinitus „ compactam admirabili & incredibili sapien- „ tia supra humanum modum in omni doctri- „ narum genere apprime exornasti, & cunctis „ denique secularium rerum prosperitatibus il- „ lustrasti, ut quibuscumque totius Mundi „ Principibus, Dominis, Regibus, Satrapis, „ atque Imperatoribus, gravissime simul ac „ dignissime præsideret. Concede igitur, quæ- „ sumus, & propitius concede, ut spiritus „ suus tua illa benefica visione, & facie, ceu „ dicitur, ad faciem semper gaudeat, lætetur, „ jubilet, & exsultet, cujus ænigmata assiduis „ laboribus, & pervigilibus lucubrationibus „ suis, per singula quæque humanarum crea- „ turarum vestigia, ceteris omnibus posthabi- „ tis, sine intermissione scrutabatur. Amen.

CA-

CALISTI PAPÆ III. VITA A BARTHOLOMÆO SACHO E VICO PLATINA CONSCRIPTA.

CALISTUS Tertius Alphonsus cognomento, Boria antea vocatus, natione Hispanus, patria Sativensis, Valentinæ diœcesis, patre Johanne, matre Francisca generosis parentibus natus, ac libere educatus, Cardinalium suffragiis Pontifex creatur, sexto Idus Aprilis MCCCCLV. Is enim quartumdecimum nactus annum: post prima literarum erudimenta ad Hileridense Gymnasium missus: tantum studio & diligentia profecit, ut brevi doctor in utroque jure factus, acute ipse aliis ac perdocte deinceps legerit. Hanc ob rem Petrus Luna (quem Benedictum tertiumdecimum appellarunt) proprio motu nemine rogante, canonicatum Hileridensis Ecclesiæ ei contulit. Verum cum jam ejus doctrina omnibus nota esset, ad Alphonsum Aragonum Regem profectus, ejus consilio & secretis statim adhibetur. Cum autem à Martino Pontifice Ecclesiæ Majoricensis Gubernator factus esset, persuaderentque amici, ut Ecclesiam ipsam in titulum acciperet, facturum se id renuit, quod diceret se expectare Episcopatum Valentinum, quem haud ita multo post suo merito consecutus est. Cum enim mortuo Benedicto tertiodecimo, duo illi Anticardinales, de quibus in Martino mentionem fecimus: Ægidium quendam Barchinonensem Canonicum in locum demortui Panischolæ Pontificem creassent, quem Clementem Octavum appellabant, eo statim missus ab Alphonso Rege, qui jam cum Martino Pontifice in gratiam redierat, Alphonsus Boria est non sine magno sui ac comitum discrimine, adeo locus ille Panischolæ tyrannice custodiebatur, & ab his potissimum, quorum maxime intererat discordias alere. Qui Alphonsus adeo rationibus & auctoritate Ægidium ipsum ad sanitatem deduxit, ut postea superveniente Petro Fuso Martini Legato, Pontificio nomine se abdicaverit, in potestatemque Pontificis devenerit. Hanc ob rem Martinus & Ægidium Majoricensem & Alphonsum Boriam Valentinum Episcopum creavit. Orto deinde bello inter Alphonsum Aragoniæ, & Johannem Castellæ reges, solus Alphonsus Boria delectus est, qui ad pacem & concordiam reges adhortaretur, quam septennio post inchoatum bellum tanta cum diligentia composuit; contracta etiam inter eos affinitate, ut hodie quoque aliquot illius fœderis pacta serventur. Verum cum postea invalescente Basiliensi Concilio, Rex Alphonsus qui tum in regno Neapolitano bellum gerebat, ut aliquem ex suis eo mitteret, Alphonso Boriæ id negotium demandavit, qui ægre ferens rem tam perniciosi exempli sibi committi, cum Regina egit Alphonsi uxore, ut in Italiam ad Regem proficisceretur cum Ferdinando Regis filio, eumque adhortaretur, ut tandem post multos labores, & tot pericula adita, in quibus tum etiam frequenter versabatur in patriam rediret. Rex autem se id facturum abnuens, hominem ad Eugenium misit, qui tum Florentiæ erat, quo cum de pace ageret. Vitellescus enim Eugenii nomine regnum Neapolitanum armato milite ingressus, longe ac late omnia populabatur, prohibiturus quo minus Rex Neapoli, quam tum oppugnabat potiretur. Cum autem in longum res protraheretur, Eugenioque in mentem venisset viginti Cardinales creare, Valentinum Episcopum horum in numerum retulerat. Quam quidem dignitatem constantissime renuit, quod diceret id sibi nequaquam integrum esse, re præsertim ob quam venerat infecta. Redeunte deinde Romam Eugenio, cum Patriarcha Aquilejensis Tarracinam ad Regem missus, pacem inter Pontificem & Regem composuisset, fœderaque iniisset, quibus Valentinus Episcopus semper interfuit, auctoritatemque suam interposuit & diligentiam, adeo à Pontifice diligi cœptus est, ut eum brevi Cardinalem creaverit tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, Romamque ad se accersierit. Non minore modestia in Cardinalatu utens, quam antea in Episcopatu fecerat, ab omni pompa & inani gloria alienus semper fuit. In dicendis autem in Senatu sententiis ita gravis habebatur, ut nihil unquam per adulationem & gratiam locutus sit. Mortuo deinde Eugenio, ejusque successore Nicolao Pontifice Alphonsus Boria (ut dixi) in ædibus Sancti Petri Pontifex creatus, Calisti nomen de more suscipiens, bellum Turcis statim indixit. Id se ante Pontificatum vovisse ostendens suo chirographo his verbis scripto, quod in libro quodam suo extabat. „ Ego Calistus Pontifex „ Deo omnipotenti voveo, & Sanctæ Individuæ „ Trinitati me bello, maledictis, interdictis, „ execrationibus, & demum quibuscunque rebus potero Turcos Christiani nominis hostes „ sævissimos persecuturum. „ Admirati sunt omnes qui aderant, quod Pontificatus nomen sibi desumpsisset ante adeptam dignitatem, quodque homo senex, ac fere decrepitus tantum animi haberet. Ut autem quod promiserat re ipsa præstare posset, prædicatores per totam Europam statim misit, qui omnes Christianos in Turcos animarent, quique facultatum aliquid & opum suarum ad tantam expeditionem conferrent. Ex his autem facultatibus ad sexdecim triremes Romæ ædificatas in hostem misit, Patriarcha Aquilejensi Præfecto, qui triennio maritima hostium Asianorum vexavit, insulas quasdam cepit, ac magnas calamitates hostibus intulit. Alphonsus autem Rex & Burgundiæ Dux crucis signum suscipien-

A pientes, ituros se quoque in hostem profite-
bantur, vel armatos milites eo missuros. Ve-
rum cum res uno impetu mota est, ita etiam
facile resedit, Principibus ipsis ob voluptatem
rem tantam & magnam gloriam parituram
omittentibus. At vero dum Pontifex ipse de
more in Basilica Lateranensi coronaretur, duo
milites, quorum alter sub comite Averso, al-
ter sub Neapolione Ursino diversarum partium
ducibus militabat, de adolescente armigero
contendentes, ita se mutuis vulneribus confe-
cere, ut uterque statim perierit. Hanc ob rem
Neapolio factionem Ursinam ad arma convo-
cans, ædes ubi Comes Aversus divertere con-
sueverat diripuit, aberat tum Comes. Ad La-
teranum itaque iturus Neapolio, ut Comitem
B adoriretur, ægre à Latino fratre, & à Came-
rario Pontificis retentus est. Non poterat cer-
te sine magna urbis calamitate eo proficisci
Neapolio, cum tota Columnensium factio,
quæ Comiti favebat, jam in armis esset. Mi-
serat & ad utrunque Pontifex Johannem Ba-
runcellum, & Lelium Valle Advocatos Con-
cistoriales, qui pacem inter eos componerent,
atque hoc modo auctoritate Pontificis sedata
sunt omnia, non tamen vetus simultas inter
eos sublata est. Bello enim sæpius inter se
concertarunt cum magno suorum incommodo.
Pontifex autem ad transigenda negotia pontifi-
cia animum adjiciens, Beati Vincentii Hispa-
C ni Ordinis Prædicatorum, & Beati Edmundi
Anglici memor, eos in Sanctos retulit, ob eam
rem supplicationibus Deo gratias egit, ab Ec-
clesia Minervæ usque ad Sanctum Petrum con-
tinuato magno cleri & populi Romani appa-
ratu. Verum ne quid ad disturbandam Eccle-
siæ quietem deesset, rustici quidam Palumbaræ
oppidi (quod in Sabinis est) extorres antea à
Jacobo Sabello loci domino facti, domum re-
deuntes, duobus Jacobi filiis obtruncatis, Ec-
clesiæ oppidum ipsum se dedituros polliciti
sunt, quod non modo Calistus renuit: verum
etiam eo Cardinalem Columnensem misit, qui
in gratiam Jacobi eos redigeret. Tum vero
Neapolio veritus, ne Cardinalis Palumbaram
suo nomine occuparet, eo cum militibus suis
D profectus, locum ipsum aliquot dies obsedit.
Verum superveniente Matthæo Pojano & Fran-
cisco Sabello, ac plerisque aliis militum du-
ctoribus Pontificis ac Cardinalis Columnensis
mandato soluta obsidione Palumbaram ingressi
ad viginti rusticos ex his potissimum, qui tu-
multum concitaverant, laqueo interemptos
membratim divisere, ceteris exemplum daturi,
ne in dominos suos tam grande facinus moli-
rentur. Apparente deinde per aliquot dies
cometa crinito & rubeo, cum Mathematici
ingentem pestem, caritatem annonæ, magnam
aliquam cladem futuram dicerent; ad aver-
tendam iram Dei Calistus aliquot dierum sup-
E plicationes decrevit, ut si quid hominibus im-
mineret, totum id in Turcos Christiani nomi-
nis hostes converteret. Mandavit præterea,
ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meri-
die campanis signum dari fidelibus omnibus,
ut orationibus eos juvarent, qui contra Tur-
cos continuo dimicabant. Crediderim tum
ego precibus omnium Christianos ad Bello-
gradum contra Turcos dimicantes duce Jo-
hanne Vajovoda viro clarissimo, astante etiam
Johanne Capistrano Ordinis Minorum, cru-
cemque pro vexillo hostibus inferente, eos
Bellogradum oppugnantes ingenti clade supe-
rasse. Ad sex enim hominum millia ex hosti-
bus interfecta sunt, cum parva nostrorum
manu, ut Carvagialla Sancti Angeli Cardina-
lis ad Pontificem, & ad Dominicum Capra-
nicum Sanctæ Crucis Cardinalem scripsit, ho-
stium quoque commeatus omnes ad centum
& sexaginta bombardæ captæ sunt: qua cla-
de perterritus Turcus Constantinopolim pro-
pere se recepit. Actum de crudelissimo ge-
nere tunc certe fuisset, si Christiani Principes
omissis intestinis bellis & odiis terra ac mari
tantam victoriam prosecuti fuissent, quemad-
modum Calistus prædicabat & monebat. Ve-
rum is resumptis viribus, & Trapezon prius
Imperatore interempto, & Bossinam deinceps
Rege ipso capto atque interfecto, postea ce-
pit, admonentibus Christianos omnes his, qui
rerum experientia, & locorum cognitione
tantam cladem à longe tanquam è specula
quadam prævidebant. Non cessabat Calistus
literis & nunciis Principes Christianos adhor-
tari, ut in tanto malo oculos aliquando ape-
rirent, frustra remedia deinceps quæsituros,
ubi jam hostis invaluisset. Ecce autem dum
vir bonus hæc meditatur & prædicat: Jacobus
Picenninus à Venetis discedens, cum magno
equitatu ac peditatu in agrum Senensem ho-
stili animo descendit, repetens à Senensibus
aliquot millia nummum aureorum, quæ (ut
dicebat) patri Nicolao, qui eorum auspiciis
quondam militaverat ipsi merito debebant.
Senenses autem suæ Reipublicæ consulturi,
omnes Italiæ Principes ex fœdere in auxilium
vocant, maxime vero Pontificem, qui eos pri-
mo admonuit, ut ne quadrantem quidem Ja-
cobo darent; deinceps vero & milites suos
contra Picenninum misit, ac Principes Italiæ
adhortatus est, ut idem ipsi facerent, ne ali-
quod grave incendium in Italia excitaretur,
quod non ita facile extingui posset. Veriti om-
nes ne id certe eveniret, quod Pontifex præ-
dicabat, auxilia propere Senensibus misere.
Solus autem Alphonsus, qui Jacobo favebat,
hominemque ad se vocaverat, ejus benivolen-
tiæ memor, quam antea cum patre Nicolao
Picennino contraxerat, Senensibus ex fœdere
auxilio non fuit; immo vero & Comitem Pe-
tilianum in Senenses ita concitaverat, ut tanti
mali prima causa inde exorta ita videatur.
Verum supervenientibus auxiliaribus copiis,
tum à Francisco Sfortia, tum à Venetis eo
redactus est Picenninus aliquot prœliis, si non
fusus at mutilatus & debilitatus: maxime vero
ad Orbatellum, ut conscensis Alphonsi trire-
mibus, quæ ad hominem missæ sunt, rerum
omnium inopia laborantem in Regnum tanta
re frustra tentata profectus sit. Quare & Ca-
listi & sociorum opera atque auxilio Senenses
magno periculo liberati sunt, qui certe non
minus intestino quam externo bello tum labo-
rabant, cum non deessent cives quidam, qui
spreta libertate factionem Alphonsi sequeren-
tur; quorum etiam opera tantum bellum con-
citatum crediderim. Sed cives bene sentien-
tes aut pulsis, aut cæsis male de patria mœ-
rentibus libertatem, quam tum magno labore
& sumptu peperere, nunc etiam & quidem
diligenter tuentur. Animadvertere & tum
acerrime in militarem licentiam & transfugas,
interfecto Giberto Corrigia, ejusque milite
in prædam dato, paulum quoque abfuit quin
idem etiam Sigismundo Malatestæ acciderit,
qui tum eorum stipendio militabat, quique
& bellum in longum ducebat, & prædam ex
agris eorum non aliter abigebat ac si hostis
esset.

esset. Eodem quoque anno tantus in Regno Neapolitano terræmotus exortus est Nonis Decembribus, ut & multa Templa & plures ædes cum magno hominum ac pecorum interitu corruerint, maxime vero Neapoli, Capuæ, Cajetæ, Aversæ, ceterisque veteris Campaniæ urbibus, quarum ruinas ego cum maxima admiratione deinceps inspexi, dum cernendæ vetustatis studiosus eo me contuli. Repetebat tum votum Alphonsus tertio quoque verbo, quod in Turcos fecerat, & se quod voverat brevi facturum dicebat, verum nec sic quoque impelli ad sanctam militiam potuit, adeo erat illecebris Neapolitani Regni irretitus. Calistus autem sedatis Italiæ rebus novem Cardinales creat, quorum duo ex sororibus fuere ejus nepotes, Rhodoricus Boria, & L. Johannes cognomento Milano ex sorore nepos. Æneam quoque Senensem Episcopum Cardinalem creavit, cujus opera in componenda Italiæ pace, dum Senenses bello vexarentur usus fuerat. Verum mortuo Comite Tagliacocii, quem superiore anno Pontifex urbis Præfectum creaverat, statim inter Aversæ Comitem, & Neapolionem Ursinum orta dissensio est, cum Aversæ Comes Monticellum non longe à Tybure positum occupasset, quod diceret eam hæreditatem ad nurum suam pertinere Comitis filiam; contra instaret Neapolio id suum esse debere jure hæreditario, quippe cum Comes ipse ex gente Ursina haberetur. Ex altercatione autem duorum de hæreditate inter se, armis etiam concertantium, maxima damna populus Romanus tum certe perpessus est. Verum composita hac etiam controversia, jusso utroque ab armis discedere, Calistus Boriam nepotem suum, & urbis Præfectum creavit in locum demortui Comitis, & eundem militibus Ecclesiasticis præfecit, quo facilius Barones urbis Romæ in officio contineret. Mortuo vero non ita multo post Alphonso hærede legitimo carente, tanti animi Calistus fuit, ut regnum illud repetere sit ausus, dictitans id ad sedem Apostolicam Alphonsi morte jure feudatario devolutum esse. Parabantur jam utrinque arma, nec Ferdinandus Alphonsi hæres animos hominis contemnebat. Norat enim hominis ingenium, & animi ejus amplitudinem. Verum etiam ejus morte disturbata sunt omnia, & tanto metu Ferdinandus liberatus est. Moritur autem Calistus Pontificatus sui anno tertio, mense tertio, die decimosexto sepeliturque in Vaticano ad sinistram Basilicæ Sancti Petri in Templo Rotundo, quod Sanctæ Mariæ in Febribus dedicatum est Nicolai impensa antea restitutum. Moritur etiam non multo post Borias nepos, qui Civitatem veterem confugerat, Ursinæ Familiæ odia declinans, quæ ipse contraxerat, dum alteri factioni magis favet. Calistus autem in omni vita vir integerrimus est habitus, sed hæc ejus præcipua laus est, quod dum Episcopus esset aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendatione numquam voluit, dicens se una sponsa, & quidem virgine contentum esse, hoc est Ecclesia Valentina, ut jus Pontificium mandat. Eleemosynas præterea pauperibus Christi & servis Dei frequentes dabat, tum publice, tum privatim. Virgines pauperes collata dote maritis collocabat. Nobiles ad inopiam redactos sua impensa in vita retinebat. Utebatur & munificentia erga Principes quando opus erat, maxime vero erga eos qui nomen Christianum auctoritate, & opibus suis juvare poterant. Ad Usuncassanum Persarum & Armeniæ Principem, ad Regem Tartarorum, Ludovicum Bononiensem Ordinis Sancti Francisci fratrem misit cum multis & magnis muneribus, eos in Turcum excitans, qui persuasu hominis magnas Turcis calamitates intulere, & Oratores suos quos ad Calistum destinaverat ad Pium Pontificem demum misit, quos certe cum admiratione, tum ob intervalla locorum unde venerant, tum vel propter habitum nostris oculis insuetum inspeximus. Ferunt Usuncassanum superatis persæpe hostibus ad Pontificem scripsisse, se quidem victoriam ex hoste reportasse ob preces ab eo ad Deum habitas, ejusque beneficii divini potiusquam humani se aliquando memorem futurum. Inchoata hæc amicitia à Calisto est, quam nunc constanter Christiani cum ipso Principe retinent, qui Turcum continuis prœliis vexat. In ædificiis autem parvos sumptus fecit, quod ei parum vivere licuit, quodque pecunias in usum tanti & tam periculosi belli colligebat. Restituit solum Sanctæ Priscæ in Aventino Templum, & mœnia Urbis dirupta ac fere solo æquata. Aulea tamen quædam auro intertexta ab eo empta cernuntur. In victu suo parcus est habitus, in sermone modestissimus. Facilis aditu quantum ei per ætatem licebat; jam enim octogesimum attigerat annum, nec tamen de studiis suis quicquam remiserat. Legebat ipse, aut legentes audiebat, si quid in tanto rerum fastigio ei temporis supererat. Officium Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi ipse composuit, jussitque eo modo atque cum his indulgentiis celebrari, quibus celebritas Corporis Christi in pretio habetur. Oratores ad se venientes mira benivolentia complectebatur, quorum precibus aut postulatis ab honesto discedere nunquam voluit. Hanc ob rem cum Alphonso simultates exercuit, quod is peteret Episcopatus interdum his dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorationem, tum literarum, tum rerum humanarum committi nequaquam debebant. Moriens autem Calistus centum & quindecim millia nummum aureorum reliquit, quos in usus bellicos contra Turcos comparaverat. Dum autem Calisti funus celebraretur, moritur & Dominicus Sanctæ Crucis Cardinalis, & summus Pœnitentiarius, vir quidem gravis ac sapientissimus, sepeliturque in Templo Minervæ, bonis omnibus præ dolore lachrymantibus.

VITA PII II. PAPÆ
E LIBRO NONO OPERUM
JOHANNIS ANTONII CAMPANI.

Michaël Fernus Mediolanensis B. Diacono Cardinali Reverendissimo ex bona auguratione.

SI quid umquam à diis immortalibus petii, Pater Reverendissime, in quo mihi bene optatum esse censeam, id in primis fuisse cognosco, quum illi à me rogati fuerunt, ut mihi quomodo vitam meam, studia mea, actiones omnes meas, meos omnes cogitatus tibi vovere, tibi dicare possem, occasionem præstarent. Nondum mihi prope quid esset Roma, quanta vestri Senatus gloria, quæ vitæ urbanæ ratio notum erat, quum divinæ virtutis tuæ claritas aures meas circumsonabat, & me ad tacitam quamdam in te devotionem excitavit. Porro ubi ad hanc vestram Terrarum dominam Urbem fata me pepulere, te animo, te oculis semper ita contemplatus sum, ut non majore cultu & reverentia quodpiam Numen venerari & observare potuerim. Cernebam quanta in te patriæ nostræ sita esset gloria. Qua prudentia, qua dexteritate, qua omnium benivolentia apud Illustrissimum & Reverendissimum Ascanium, cui totum te dederas, sublimia & excelsa natus ad imperia gubernanda, cuncta administras: & non jam conjicere modò hunc amplissimum in te dignitatum fastigium, sed intueri prope & suspicere videbar, quum te tua divina virtus vel invitum ad aliud extolleret. Præstantissimam virtutem tuam, prudentissima gesta omnia, altissima consilia palam in omni sermone prædicabam, literis mandabam; in omni hominum congressu tuam gloriam, tuam ingenii sublimitatem, mores integerrimos afferebam. Et jam nemo in tota fere Urbe fuit, qui meum in te studium, meam in te devotionem & non admiraretur & non obstupesceret. Hæc quamquam non obscuris jam pridem potuisse te argumentis nosse cogitarem, nec me lateret viros summæ apud te auctoritatis id sæpe tibi testatos fuisse. Unde spem tua mihi humanitas eam fecerat, ut de te mihi polliceri possem, quæ de quocumque optimo & beneficentissimo Principe. Non ego tamen conquiescere animo posse videbar, donec meum hoc in te studium & observantiam insigni quopiam munere & memorando tibi posterisque manifestum facerem. Cui desiderio quum mihi satisfacere magis posse quàm literaria monimenta ducerem, ex omnibus, quæ olim Campanus ille Antistes Teramnus, vir unus multorum memoriâ seculorum in his liberalibus studiis, & dicendi gloriâ summus, & quæ edenda ego illius ingenii captus amore suscepi, conscripsit operibus, Pii Vitam II. Pontificis maximi, viri in literis & imperio gloriosissimi, quam tuæ dignationi dicarem, elegi. Parvum sane opus, sed Pii ipsius gloria & splendore omnium, quæ ediderit umquam, amplissimum, & in quo cum admiratione cælestis ingenii, fortunæ feliciffimæ, rerum ab illo gestarum magnitudinis, tui etiam imagine quadam & futuræ felicitatis faustissima auguratione summam delectationem possis accipere. Equidem quum omnes illos Veteres percenseo, magna illi quamquam impleverint volumina, quem huic vel in literis vel in imperio gubernando conferam plane ex omni Græcia, atque nostra hac Romana Urbe, virorum præstantissimorum uberrimo seminario, neminem habeo. Neque puto Campanum, alioquin virum facundissimum, & qui nisi grandia strueret, neque nisi grande aliquid & eximium illius manibus tam de se benemeriti deberet, sine consilio & exacta ratione tanti viri Vitam & res gestas, in tam angustum libellum coëgisse; quasi illa spatiosa volumina plus ostentationis ingenii, quàm veritatis habeant & fidei: & Pii Vita exemplaris, & nobis tamquam formula semper ante oculos habenda, in latos historiæ campos diffundi non debuit, quæ longæ lectionis tædio prænosci non posset.

Quamobrem & tu, Pater amplissime, operis exiguitatem tam despicere non poteris, quàm non debebis; quandoquidem & nostri in literis non animi magnitudinem solere, sed auctoris eruditionem & rerum, quæ contineantur, dignitatem spectari. Et facile cognoscis potuisse me ingentes librorum fasces tibi dicare, verùm non quæsisse, me ostentatione & strepitu laudum aucupari tuam in me benivolentiam, at quidem geniali opusculo augurium, quædam & arcana præsagia pro votis & cupiditate protendere. Et spero equidem, ubi omnia evolveris, nihil me tibi gratius dare, nihil convenientius potuisse, fatebere. Nam quid à me tibi optabilius dari poterat quàm ejus tibi Vitam inspiciendam proponere, in quo quamdam prope tui imaginem tamquam in speculo posses introspicere? Quando enim mecum Pium illum contemplor, illius fortunæ primordia, gentilitia signa, res gestas, animi magnitudinem, Principum benivolentiam, Deorum & hominum beneficia, tantam in te cum illo paritatem invenio, quanta non possum ab admiratione desistere. Ardens utrumque vivida virtus ad præclarissimos honores evexit. Eadem utrique cæli sidera præfulsere. Utinam sic cetera augurio respondeant, ut quos Luna eadem cælesti agnatione illustrat, iidem Principes excoluerunt, par hominum benivolentia complectitur, eosdem quoque ad paria dignitatum culmina fata perducant. Coluit Pium & veneratus est usque adeo gloriosissimus Princeps noster Sfortia Franciscus, ut nulla major inter Pontificem & unum Principem benivolentia & mutuæ caritatis observantia exstitisse perhibeatur. Te quantùm & inclitus Dux Ludovicus, excellentissimus Cardinalis Ascanius illo nati dilexerint, emi-

eminentissima hæc tua dignitas ostendit. Pium Calistus in hunc vestrum ordinem sponte intulit: te Alexander illius Nepos ita dignum ea dignitate judicavit, ut ceteros illis Comitiis sine te non creaturum fuisse creditum sit. Et quum omnia pari quodam Divorum favore contigisse cernuntur, hoc tu præcelluisti, quod per dignitatum gradus ad Purpuratorum Ordinem ille evectus est, te ad culmen tanti Senatus una hora ex Protonotario sustulit. Dabunt hoc quoque votis nostris Superi, ut sicut ille Calisto successit, tu quoque Calisti genus imperio consequare: & in quo illum hactenus non exples, possis aliquando eodem Lunarum numero pari sub quinis zonis in omni Orbe terrarum potestate æquare. Hoc tibi nostra hæc dicatio auguratur: hoc illa tua animi magnitudo & excellentia, in rebus gerendis, liberandis, decernendis summa moderatio & sapientia promittunt. Ego immortalem Deum precor, ut hæc nos desideria non fallant. Vale atque augurium accipe.

AD EUMDEM.

Accipe quanta Pii fuerit, Lunate, Secundi
 Gloria: qui Vitæ splendor in Urbe fuit.
Hunc tu Pontifices dices superasse priores
 Moribus, ingenio, relligione, fide.
Nec minus hunc cunctis præstare fatebere Priscis
 Gestorum numero, viribus, ore, pede.
Tunc habuit veteres in quo confunderet ætas:
 Uni cesserunt sæcula cuncta Pio.
Edere ne similem posset natura creavit:
 Vel si quem voluit: tu modò factus eris.

VITA

VITA
PII II. PONTIFICIS MAXIMI
PER
JOHANNEM ANTONIUM CAMPANUM
EPISCOPUM APRUTINUM.

PIUS II. originem duxit ex Sena, celebri Tuscorum Urbe, familiâ Picolomineâ nobili ac pervetustâ, patre Silvio posthumo, qui aliquando militares duxit ordines, matre Victoria æque nobili, & fœcunditatis eximiæ feminâ; quippe duodeviginti & ex his gemellos aliquot, puerperiis edidit. Natus est XV. Calendas Novembris Corsiniani, quod Oppidum duo & viginti millia passuum distat à Sena in fundis gentilitiis, quo parentes paucis ante annis se receperant studio partium à Plebe dejecti. Nomen puero Æneæ Silvio inditum, in memoriam Avi. Prima rudimenta Corsiniani peregit admodum puer. Senæ propinquis commendatus celeriter, & in Poëtica & in Oratoria profecit. Jus Civile serò amplexus & lente brevì omisit, naturâ ad Poëticam inclinatiore. Initia famæ ex rhythmis comparavit, Etruscâ linguâ editis. Mox oratione & versibus laudari cœptus, multa scripsit ad æmulationem æqualium: inter quæ & leviusculæ quædam fabellæ quum excidissent, aliquando postea supprimere conatus minime potuit, Italiâ totâ pervulgatas. Pertæsus rerum domesticarum, simul & quærendæ gloriæ cupidus, Basileam Helvetiorum Urbem contendit. Quo in loco diu antea indictum Concilium tunc adversùs Eugenium Pontificem habebatur. Itinere obliquo & perdifficili propter ortum cum Florentinis finitimis bellum, quo metu navigaturus secundùm tractum Ligustici litoris, quum Populonia solvisset, adversam incidens tempestatem, Corsicâ omni ac Sardiniâ vi ventorum circumactus in Lybiam usque propellitur. Revectus in Ligusticum pelagus, & expositus in continentem, quum diversoria deessent, tædio rerum nauticarum & recenti periculo territus, pernoctare sub dio quàm redire ad navem maluit. Reliquum iter per Genuam atque Alpes egit. Basileæ quidem haberi in pretio & salutari ob ingenium cœpit. Sed rebus minùs, quàm speraverat, succedentibus, in Italiam reversus est. Nec diu perstitit, sequutus Eugenii Legatos, repetitâque rursus Basileâ, Coloniam Agrippinam secundo Rheno adnavigavit: brevique ibi commoratus, descendit Attrebates Belgarum Urbem, quem in locum Gallorum Reguli Britannorumque convenerant. Hinc ulteriorem in Britanniam, nunc Scotiam, missus ad Reges adversùs citeriores Britannos, qui paci adversabantur, sollicitandum, ad Calesium ingressus oceanum, gravi exorta tempestate pæne demersus, ex cursu à nostro cœlo in intimum oceanum perpulsus, duodecim dies ad casum navigavit. Rejectus tamdem in Britannicum litus, agnitusque à regiis speculatoribus, ac prohibitus ulterius progredi, remetiendo quoque oceano duas subivit tempestates, quarum alterâ, dum Scotiam petit, in Norvegiam pellitur. Ex eo loco delatus in Scotiam perpellere quidem ad bellum Regem non potuit. Effecit tamen ut legatos mitteret, qui de pace agerent, & auxilia Britannis deinceps non administraret. Ipse quoque duobus asturconibus donatus à Rege est, unione adjecto, quem matri destinaret. Hac insula votis solvendis, quæ inter fluctuum æstus Virgini Matri nuncupaverat, initium ejus morbi contraxit, qui dolore articulorum permansit ad vitæ exitum. Glacie decem millibus passuum nudis pedibus ad fanum usque calcatâ, ut rediret in oppidum, non aliter quàm lectica potuerit. Scotia decedens non ausus patenti se committere oceano, habitu mercatoris repetitâ Britanniâ regios speculatores æstu delusit. Basileæ duodecim viris, qui conventui præerant coaptatus, Concilium ut Papiam traduceretur, frustra suasit. Primùm Scriba, mox Abbreviator major designatus, postremò & inter Deputatores conscriptus, etiam epistolis Conciliaribus præfuit. Legati... præter Scoticam, quam diximus, eo in loco novem suscepit; ad Argentinenses tres, ad Constantienses duas, ad Francfordienses totidem, ad Allobroges & Tridentinos Rhetios singulas. Profectus etiam in Noricos ad Albertum Cæsarem designatum brevì apud eum mansit, traducere in sententiam Basiliensium conatus; an potuerit, subsequuta statim illius mors incertum fecit. Octoviratum ad conterendam Eugenii dignitatem institutum recusavit, quamquam sæpe oblatum, haud legitimum ratus magistratum, quem tanta de re privati instituissent. Felicem tamen Antipapam aliquandiu sequutus est, à quo Legatus missus ad Federicum Cæsarem Alberto suffectum, laureâ donatur, quod Poëtarum insigne præcipuum Germani habent. Mox & inter amicos Cæsaris relatus, adscriptusque Secretariis haud multo post præfectus est. Ad ultimum adscitus inter Consultores Imperii, invidiam quamquam Italus inter Germanos brevì superavit.

Prima legatione Cæsaris nomine ad Tergestanos functus, seditiones in Civitate exortas compressit, actis in exilium qui motum concitassent. Alterâ ad Eugenium adversantibus amicis, quòd offendisse illum graviter videbatur, oppugnatâ toties ad Basileam ejus dignitate. Eo reconciliato, & rebus ex sententia confectis, divertit ad patrem ultimo jam confectum senio: nec enim deinde vidit amplius, paulo post mortuum. Eugenii quoque Secretarius factus est absens: quo munere apud

A apud Felicem functus nondum se abdicaverat.
Tertiam inde obivit legationem ad eumdem
Eugenium de duobus Electoribus Cæsarum
restituendis, quos ille Felici assensos, & gra-
via in ipsius dignitatem molitos exauctorave-
rat. Profectus est eâdem de caussa Francfor-
diam simul ut neutralium conventus dissol-
verentur. Ii erant, qui diffidentibus ceteris,
neque Eugenio, neque Felici paruissent, ve-
luti ad nova consilia atque incerta spectantes:
rediitque iterum Romam, ac rursus Francfor-
diam, de conditionibus acturus, itinere hiber-
no, & cui magnitudine nivium, ac vi excre-
scentium fluminum prope succubuit. Reliquiis
contentionum Germanicarum tertiâ demum
B legatione sublatis, exceptus est Romæ ob ope-
ram prospere navatam omnium Ordinum sup-
plicationibus. Egrotanti Eugenio Germanos,
quorum operâ vocatus in judicium fuerat, re-
conciliavit secundùm supplicationem de rebus
Germanicis. Præfectus est Tergestanis, rumo-
re temere orto de Præsulis morte. Competi-
toribus multis, qui ad subitum nuntium coor-
ti sunt, ab Eugenio repulsis, mox quum vi-
vere Antistes nuntiaretur, Ypodiaconus effi-
citur. Eugenio mortuo Comitiorum custodiæ
præfuit jubente Collegio, quòd viro opus es-
set ad eam rem minime factioso. Nicolaum,
qui Eugenio suffectus est, multò habuit pro-
pensiorem propter vetus in Germania contu-
C bernium; in qua & ille functus Legationibus
fuerat Eugenii nomine. Itaque & confirmavit
decretos ab Eugenio honores, & novos ipse
addidit jusso, qua die est coronatus, auream
Crucem anteferre, & consul de religionis
summa abesset. Profectum deinde Româ,
certiore allato nuntio de Antistitis morte, id
quod Eugenius destinaverat, Tergestanis præ-
fecit, ignarum ejus rei donec in Germaniam
pervenit. Ibi & Nicolai ad Federicum, &
amicorum ad se literis rem cognoscit. Missus
paulo post ad Mediolanenses cohortandos, ut
mortuo Philippo Duce sine legitima stirpe,
Federico Imperii jure se dederent, exclusus
est, erectis in libertatem Civium animis, si-
D mul quod Germanicis imperiis, repetitâ prio-
rum temporum memoriâ abhorrerent, brevì
deinde circumsessis à Francisco Sfortia Philip-
pi genero. Jussus iterum redire, collegis ad
Novicomum metu subsistentibus, ipse magno
cum discrimine ingressus Urbem, civibus in
concionem vocatis, majorem partem eorum
perpulit, Federicum acclamarent. Et quum
armis quidam oppressuros alteram factionem
pollicerentur, recusavit, indignum, nec è le-
gatione sua esse dicens, in stabilienda justo
imperio Civitate cuiquam vim fieri. Fuit-
que constans opinio, mansuram in fide Ci-
E vitatem, si subventum in tempore obses-
sis. Mox legatione altera aliam excipien-
te, Neapolim missus, auctor fuit regiæ affini-
tatis, Leonorâ Lusitanorum Regis sorore, Al-
fonsi nepte, Federico desponsatâ. Interea de-
signatus est Senensium Antistes, absens, quam-
vis infensa nobilitati Civitas alium postularet.
Senæ omni rejecta pompa more majorum,
Urbe, agroque lustrato, rediit in Germaniam,
quo tempore & matrem amisit, duo de septua-
ginta annos natam. Inter redeundum, sum-
movit bellum, quod Veneti obsesso Tergeste
de contentione finium intulerant. Extemplo
ubi ad Federicum pervenit, ad Bohemos mit-
titur arma sumturos nisi properasset. Quum
enim Ladislaum Pannoniæ ac Bohemiæ Regem

admodum puerum fratris filium Federicus me-
tu insidiarum, & quod regno immaturus adhuc
esset, atque injuriæ obnoxius, apud se educa-
ret adhibitis custodibus, ne clam subducere-
tur, Bohemi indignum rati custodiri, arceri-
que à Regno patrio Regem, coactis copiis
bellum, nisi dimitteret, comminabantur. Ho-
rum conatus statim compescuit ratione adhi-
bita, cur ita fieri oporteret maxime injecto
metu veneni, quo paucis post annis dimissus
à patruo puer, fraude Bohemica assumtus est.
Veniente in Italia Federico recedens ipse, ut
cum Civitatibus de transitu cum Nicolao de
coronando Cæsare ageret, suspectus haberi
Senensibus cœpit, veritis ne spem vindicandi
imperii ad Cæsarem mutandum statum Civi-
tatis impelleret ejectis Popularibus, qui re-
rum potiebantur, ac Nobilitate ad pristinam
libertatem restitutâ. Qua de re inter se quum
agerent, & facta ejus dictaque clam palamve
explorarent, nec prodiere obviam, nec ubi
domum venit, frequentes salutavere. Cogita-
tum & de inferenda clam nece à potentioribus
rumor fuit. Quamobrem Decemviros adiens,
delere eam suspicionem frustra est conatus.
Auxit invidiam mortuus collega Fullendor-
fius, & in Æde Virginis Matris loco celebri
sepultus. Quam rem argumentum adesse jam
recepti imperii quærebantur homine externo
veluti perdita libertate in Civium sepulcra
delato. Tum demum, ut tempori cederet,
Telamonium se contulit, veluti Leonoram
excepturus ex Lusitania mari venientem.

Accitus inter hæc à Nicolao, minime pa-
ruit, valitudinem caussatus. Suspicionem ta-
men ejus literis sustulit, quòd vulgatum erat,
constare inter Conjectores, Nicolaum aut mo-
riturum intra Calendas Apriles, aut in vincu-
lis futurum: periculum ex Federico portendi
novo Imperatore, Urbem armis vindicaturo.
Quo metu Nicolaus Federici adventum extra-
here in Autumnum cupiebat, fatalem diem
occupaturus. Sed Æneæ literis confirmatus,
proposito abstitit. Leonoram comitatu regio
haud procul à Pisis descendentem e navi, Fe-
derici nomine primus excepit, quamquam
ægre ferentibus Germanis, qui aderant, Fe-
derico propinquis. Pisas ingressos Florentini
ex multitudine suspicione injecta quum depel-
lere mœnibus vellent, ejus gratia atque au-
ctoritate vi abstinuerunt. Idem ad Volaterras
factum, quòd hæ Urbes, altera subacta armis
exposita videretur ad omnem motum novita-
tis, altera in finibus sita esset. Senæ ad aream
Pomerii, Sponsâ Federico exhibitâ, orationem
habuit perelegantem, quæ puellæ, Lusitano-
rumque Regum laudes complecteretur. Ex-
stat adhuc pro portis marmorea columna pom-
pæ congressusque monumentum. Quum Cives
adventu Federici Nobilitatem relegassent, ar-
mata undique juventute ad custodiam Urbis,
ut eos metu solveret, non obscurâ operâ,
Federici discessum acceleravit. Ac tum demum
remissa suspicione & propinquis, Nobilitate-
que omnium revocata, ipse publico Civitatis
nomine Legatus ad Nicolaum designatur, con-
tinenti itinere Federicum sequi jussus. In quo
resalutandis Cardinalibus, qui obviam pro-
diissent, interpres fuit Linguæ Germanicæ igna-
ris. Nicolaum primùm adiens, quum omnia
septa armis invenisset, metu liberavit. Postri-
die orationem habuit de Imperatore coronan-
do, & variam & plenam vetustatis, interpres
ac moderator omnium, quæ inter Nicolaum

&

& Federicum acta sunt, utriusque in se gratiam auxit. Federico Neapolim ad Alfonsum conjugis avunculum eunte, Romæ substitit, dolore pedum demoratus: simul ut Regem Pannoniæ adhuc impuberem in adventu patrui asservaret. Orationes in reditu Cæsaris duas habuit. Alterâ gratias egit Nicolao & Collegio Patrum: alterâ hortatus est ad bellum adversùs Turcas suscipiendum: & posterior quidem ita movit, ut extemplo ipse Legatus cum summa potestate ad Pannonios, Bohemos, Noricos, ceteramque Germaniam destinatus sit. Quum Florentini Federicum Pisanâ & Volaterranâ injuriâ offensum, ac deinceps Neapoli ab Alfonso incitatum, existimarent, atque ideo transitum prohibituri dicerentur, præmissus utrimque suspicionem ademit. Ferrariæ Borsum à Cæsare Mutinensium Ducem nominatum, primus salutavit, laudavitque oratione clarissima. Venetis quoque pro munificentia in Cæsarem jussus est gratias agere. Eodem paulo post à Noricis obsesso, emissus ad hostes alterâ, quâ exiit, horâ obsidionem dissolvit. Quo tempore Bohemos Noricis ipsis conciliavit. Intercessit etiam rogationi Germanorum de majorum Decretis antiquandis, quum magna contentione res ageretur, contra Cæsaris dignitatem futura, si decerneretur. Pannoniorum apparatum bellicum Federico imminentem discussit legatione binâ, quarum posteriore & pacem confecit necquiquam toto biennio petitam. Legationem Germanicam in Italia susceptam de bello Asiatico per omnem Germaniam circumtulit. Qua de caussa peregit & conventum Ratisponæ, ubi progressum in concionibus omnibus, qui aderant, excussisse lacrymas constat, deploratis Græcorum calamitatibus, & recenti clade Constantinopolitana in medium exposita. Cupientem jam redire ad suos, nulla re alia Cæsar potuit continere, quàm spe injecta Asiatici belli, pollicitus sequenti anno expeditionem quantis maximis posset viribus suscepturum. Profectus eodem studio Francfordiam, quod in Ratisponensi conventu fecerat, ad suscipiendum in Turcas bellum excivit, ita ut passim arma caperentur, constitutis ex ejus sententia ducibus, qui essent publico nomine rerum summæ præfuturi. Ceterum subsequuta statim Nicolai mors omnia pervertit. Opinio fuit, Nicolaum voluisse eum coaptare Collegio Cardinalium, sed importunitate Regum, suum cujusque postulantium, ne recipere competitores cogeretur, & hunc neglexisse. Mortuo Nicolao rogationem Principum Germaniæ privato consilio evertit, petentium id, quod diu tenuisse Galli dicerentur, ne quid Pontifici Romano statuere de Templorum Præfecturis liceret. Legatione ultima missus ad Calistum Nicolao suffectum, ubi jusjurandum exhibuit, Cæsarem illi pariturum, hortatus senem ad bellum Asiaticum suscipiendum & lacrymas excussit, & ut statim ædificari triremes ad ripam Tiberis jusserit, effecit, bellumque maritimum ad Veris initium inferri. Perpulit mox & Alfonsum ad eamdem suscipiendam expeditionem, Neapolim ad eum profectus; simul & bellum deprecatus est, quod idem Rex duce Picinino Senensibus intulerat, quòd minùs adstitisse ei bello Etrusco viderentur. Constatque, Regem confessum propalam extortam sibi ad hoc pacem vi orationis, non impetratam, quum frustra Senenses tribus antea Legationibus postulassent. Mansit autem apud Regem compositis jam rebus menses aliquot, ac tum demum sero ægreque dimissus. Ultimo discessu aliquoties obvolutus pedibus Regem sic accendit ad bellum, ut extemplo & veterem classem recensuerit, & novam jusserit ædificari.

Tum demum reversus Romam Cardinalis postulatione Patrum designatur. Qua de re actæ Calisto sunt gratiæ, ac patribus Germanorum, Pannoniorumque Principum nomine. Fuitque statim multis in ore, providum senem Calistum esse, qui adhuc vivens successorem sibi creavisset. Fuit autem illi adeo carus, ut exercitum ab eo ad repellendum Etruriâ Picininum impetraverit, & mox Legatos, qui peterent, Goro Lolio consobrino suo remitti exilium. Mansit autem in eo ordine menses circiter viginti. Quo tempore postulatus à Collegio Varmiensi ad mare Balteum Antistes Urbis, nec multo post à Ratisponensi ad ripam Danubii, recusavit utrumque, dicens se Italum esse oportere. Secesserat ineunte æstate Viturnium lavandi gratiâ: & quod singulis annis vitare per id tempus cœlum Romanum consueverat. Quum nuntiatum est Calistum obiisse, celeriorem ejus reditum Patres fecere. Singuli ad properandum exhortari. Est & inter redeundum vulgo Pontifex maximus consalutatus. In Comitiis Pontificem suffragiis apertis acclamatum proruppisse in lacrymas constat. Attonitum aliquandiu, quum excitaretur, & lætandum amici esse contenderint, dixisse lætari tanto fastigio imperii eos posse, qui labores & pericula non cogitarent. Sibi verò jam omnia præstanda aliis fore, quæ ipse ab aliis & in Germania & in Pannonia & in Italia toties postulasset. Quum à Cardinalibus & cœtu Antistitum, ac postridie à Civibus per ordines singulos consultaretur, eodem perstitit vultu. Perductus in solium, Conventum Mantuæ indixit, cui affuturum se subscripsit ad Calendas Junias. Atque hoc primum ejus fuit decretum. Altero Ferdinandum Alfonsi filium à Calisto paulo ante hostem judicatum amicum declaravit, cujus & caussas attulit, quòd novum conventum agitanti potiora videbantur pacis consilia quàm belli, & involvere domesticis armis Italiam minus convenire Asiaticis rebus arbitrabatur; etiam quod ictum ab Eugenio primum, deinde à Nicolao, postremò initio Pontificatus à Calisto ipso renovatum cum Alfonso fœdus id expressum continebatur, ut Ferdinandus patris regno succederet, & Legati, qui aderant, hoc idem postulabant ex fœdere, in quod paucis ante annis Italia universa consenserat, & nisi fieret, certaturi armis videbantur. Proceres ergo Regni Alfonso mortuo sponte sua ad Capuam in filii sceptrum conjuraverant. Tamen jus Regni & coronam ea demum conditione promisit, ne cui præjudicium fieret, simul & tributum à superioribus pensum Regibus quotannis solveret aureum nummum duodequinquaginta millia. Pontificis Romani fines neque invaderet ipse armis, neque invadere alios, quantùm in se esset, permitteret. Picininum regia stipendia mœrentem, Assisio & Nuceria per Calisti mortem occupatis, quamprimum juberet excedere; Beneventum, agrumque Beneventanum restitueret. Terracinam ad usum imminentis belli relictam exacto decennio redderet. Pacem quoque daret Sigismundo Malatestæ conditionibus, quas esset ipse dicturus. Arcem Adrianam,

nam, Spoletinam, Narniensem, Surianam à Præfectis pecuniâ redemit, & pro Adriana quidem viginti millia persoluta, Spoletinam verò profectus magnâ operâ Troili Firmani, vix tradidit. Appetente jam Vere, priusquam Urbe discederet, ne qui fierent in Latio & Sabinis motus, jurare finitimos coëgit in fœdus absente se duraturum. Fecit & decretum ex Patrum consulto, ne, si mori sibi extra Urbem contingeret, Comitia de sufficiendo Pontifice alibi cogerentur quàm Romæ, præfinito etiam tempore, quo agentes extra Italiam Cardinales in dies Comitiorum exspectarentur. Judiciarios Magistratus Româ vetuit discedere. Legatis subditarum Civitatum & decreta majorum confirmavit omnia, & partem tributorum paulo minùs quàm dimidium in triennium remisit. Provocationes provincialium ad Romanos Magistratus ante reditum suum vetuit interponi, adjectâ mulctâ ei, qui provocasset. Ad exquilias jussis per Thermas Diocletianas ad Portam Flamineam, atque inde ad Pontem Milvium devectus, redire seniores Patrum in Urbem jussit, exstantemque exspectare. Iter primùm egit secundùm fluminis ripam haud longius quàm ad septimum lapidem, daturus spatium, si qui vellent privatim se alloqui. Narniæ concursu vulgi facto ad equum, umbellamque corripiendam in discrimine fuit vitæ, gladiis in ora dimicantibus: quo metu reliquum iter Perusiam usque, ac deinceps Mantuam lecticâ confecit, ad singulos quingentos passus mutatis lecticariis. Deflexitque Spoletum ad Sororem, ubi & quatriduum substitit. Assisii dimidio minùs, arcemque communivit turri eximiæ crassitudinis angulo extremo. Perusiam ingressus est pompa præcedente, equo vectus candidissimo, duodecim eodem candore præcedentibus stratis purpurâ sine sessore, & qui per frænos aureos manu agerentur, Magistratibus purpuream Umbellam auro intextam præferentibus, sub quam ipse candidâ sindone, stolâ aureâ commissâ, & purpureo galero vehebatur. Pompæ caussam prætendit, quod post ejectum Bonifacium septuaginta jam annis, Perusini Pontificem intra Urbem non aspexissent. Dedicavitque fanum Dominici postulantibus Civibus propter eximiam Templi magnitudinem, & dona primus intulit. Fenestram quoque eximiæ magnitudinis ponè Aram maximam opere vitreo jussit occludi, artificio & textura tessellatâ: Majores Magistratus togâ indui purpurea talari ad viros sexaginta. Perusiæ Legatos Allobrogum audivit, ac postridie Federicum Urbinatem virum pace ac bello æque clarissimum, & quo postea Marso ac Piceno bello copiarum Imperatore est usus.

Circumnavigato Thresimeno ubi ad Clavim amnem pervenit, Legati Senensium obviam progressi restitutos gentiles ad munia Civitatis quum nuntiassent, accelerare lecticarios jussit, Corsiniani haud amplius quàm triduum moraturus, ubi Senam venit; ceteram quoque nobilitatem restituit beneficio Populi quamquam diu recusantis; dispersitque per Tribus, ut coire totum in corpus Civitatis viderentur. Restituere conatus est & duodecimvirales Familias ad capita amplius quadringenta, aliquando Nobilitatem sequutas; sed visus remissiùs postulasse non tenuit. Statuit Antistitem Urbis Metropolitem, finitimis in jurisdictionem adjectis Grossetano, Massano, Clusino, Suanensi. Civibus Radicosanum munitissimum Etruriæ Oppidum, quod diu antea bello ceperant, consensu Patrum in perpetuum sub tributo concessit. Quum Legati Cæsaris, & Beticæ, ac Lusitaniæ Regum, & Philippi Burgundi Senam convenissent, omnibus sequi se jussis, Florentiam trium dierum itinere contendit. Tribus legationibus apparatu diverso excipientibus, inter quas & Galeatius Francisci Sfortiæ filius, sextumdecimum natus annum à Mediolano usque præmissus à patre, & cum eo Ariminensis, Faventinus, Foroliviensis, & Forocorneliensis Tyranni occurrerunt, ceteris autem sellam per vices subeuntibus, Galeatio per ætatem annum apponente. Postridie Ludi theatrales decreti, quibus Leones cum equis concurrerunt, mox cavea per medios spectatores dilapsi. Consultavit & de rebus Italiæ cum Cosma sene sui temporis prudentissimo, opibus verò, quantæ nulli ne veterum quidem privato fuerunt. Templa quoque ab eo facta, reliquaque ædificia percupide invisit, in queis circiter sexcenta millia insumta existimavit. Sigismundi Ariminensis caussam, qua proditionis accusabatur à Ferdinando Rege, distulit in Conventum Mantuanum. Bononiæ septem equitum turmas, quæ sequutæ Galeatium illic substiterant, priusquam Urbem ingrederetur, jurare coëgit futuras in ipsius potestate. Fuitque Civitas in trepidatione, armatâ circa Optimatum domos juventute, ne quid innovaretur. Auxit metum Brogma Orator quidem vehemens, ceterum qui parùm consulte in gratulatione publica Civitatis conditionem deploravit. Qua de re mox prævaricationis reus in exilium actus est, non ante Pii reditum remissus. A Civibus Ferrariam lembo delatus est per flumen Padum, omni genere magnificentiæ exceptus à Borsio. Ceterum postulata ejus de immunitate Civitatis & remissione tributorum rejecit, caussatus temporum difficultates, quibus augenda tributa in Asiaticam expeditionem essent non minuenda. Quamobrem Borsius Ferrariâ discedentem ad Stellatum Oppidum sequutus venturum se Mantuam quum recepisset, postea minime præstitit. Ad eum locum Ludovicus Gonzaga Mantuanorum Princeps occurrit, classe utraque in naumachiæ speciem concursante. Ingressus Mantuam est VI. Calendas Junias, quatriduo priusquam Romæ subscripserat, pompâ eâdem qua Perusiam, nisi quod heic Regum, Principumque Legati lecticam subire, Præfecturæ urbanæ, vigilesque portarum parere ei jussi, quem ipse statuisset. De Conventu acturus, orsus est à re divina, supplicationibus per Urbem totam continenti triduo decretis. Exposita ratione belli suscipiendi in Turcas, paucis inventis eorum, qui se conventuros erant polliciti, Religionis simul & Italiæ vicem deploravit oratione admodum mœsta & plena desperationis. Sed brevì frequens esse Conventus cœpit Legationibus Transpadanis. Mox & Gallica ac Burgunda, Casimiri quoque Getarum Regis splendorem quàm barbarorum apparatu. Venit & Blanca Francisci Sfortiæ uxor, Philippi filia, femina spectatæ probitatis, comitantibus eam quatuor alteris liberis, quorum Hippolytha natu maxima juniori Alfonso desponsata Latine oravit pereleganter, Pii studium in religionem complexa, Galeatio fratre orationem ejus excipiente, qui ambo patris adventum promisere. Inter hæc nuntio de Turcarum impetu in Peloponnesum accepto, tre-

trecentos pedes mittit, quorum centum Blanca mercede conduxit Centurione Zanono Cremonensi. Ad eum terrorem accessere Legati ex Rhodo & Cypro & Lesbo & Epiro atque Illyrio venientes, omnes petituri auxilium. Auxit trepidationem Sanderovia munitissimum Oppidum in ripa Danubii proditum Turcis. Itaque Ragusinos auxilia pollicitos, triremes duas armare, navigareque primo quoque tempore in Græciam jussit. Bellum exortum in Germania compescuit, missis Legatis, Verdeâque Oppido erepto Cæsari jusso restitui. Dedit Sigismundo Ariminensi pacem conditionibus, quas tunc acceptas brevì Gallico bello abrupit. Francisco Sfortia cum quadringentis purpuratis veniente tum demum non exspectatis ceterarum gentium legationibus rogationem tulit de bello suscipiendo: habuitque orationem omnium, quæ circumferuntur ipsius nomine, longe gravissimam, secundùm quam consensu omnium, qui aderant, bellum decretum est. Alteram tulit rogationem, mari an terrâ gerenda res esset, & Italo milite an externo, & quàm magno exercitu opus foret, & unde cogendum stipendium: ac sententiam ipse subjecit ad singula. Militem conducendum eum, qui vinci à Turcis non consuesset, præcipue Germanum exercitum: neque minorem comparandum, quàm satis esset repellendo hosti, neque majorem quàm alere provinciæ possent. Pecunias in Italia exigendas, corrogandas etiam in Gallia atque Hispania esse. Quum de Imperatore exercitus referret, qui communibus auspiciis rem gereret, Francisco munus per ætatem deprecante, Legati Burgundi Philippo eorum Duci receperunt, votis quoque ad eam expeditionem damnato. Misit & Gorum Lollium Venetias ad communicanda clam consilia belli. Rhodiis ad triremes celeriter ædificandas sexdecim millia aureum nummum dedit ex pecunia Gallicana.

Sed hæc belli consilia mutatæque undique res, oppressere. Nuntiatum sub idem tempus triremes quatuor & viginti ad ripam Rhodani ædificatas ad usum Asiatici belli, Renati Galli filium correptas adversùs Ferdinandum coarmasse, ac motis ad Genuam rebus, classeque ad Lyrim amnem delata, Campaniam vexare. Optimates Regni plerosque ad Gallos deficere. Romæ Tiburtium & Valerianum fratres illecta juventute, Agrippæ fanum communisse, tractis per vim ad stupra civium liberis, ac cæsis qui minùs obsequerentur. Picininum ad Gallos cum parte regii exercitus transfugisse. Sabellos Picinini præsidia recipere. In Picenis Sigismundum rupto fœdere Oppida regia invadere. Æsinos & Anconitanos, & in Umbria Fulginienses & Mevanenses propter fines tumultuari. Britannos ejecisse Regem. Hispanos majore fratre depulso, minorem Regno imposuisse. Nec ab Germanis quietiora afferuntur. Pannonios & Bohemos, Rege veneno abrupto, distrahere in partes Regnum. Noricos intra se armis certare. Maguntinis Dieterum Antistitem inferre bellum. Ad hæc tot simul coorta mala visus nonnihil animo succubuisse, rediit celeriter Senam, nec sine discrimine Pado inter navigandum glacie districto, ut necesse fuerit securibus excidi. Ad res Germanicas sedandas Legatum misit Bessarionem Cardinalem Nicænum principem Collegii. Regi subitaria collecta manu auxilium submisit; eoque mox ad Sarnum profligato, nihil cunctatus veteres instauravit copias, ac novas addidit, Duce Antonio sororis filio Picinino Federicum Urbinatem, & cum eo Alexandrum Sfortiam opposuit. Sigismundo Neapolionem Ursinum, ac mox & Federicum, qui illum ad Senegalliam magnâ victoriâ fudit. Romam Centuriones aliquot peditum præmisit & equitum præfectos, qui sicarios Tiburtianos comprimerent. In Britanniam Legatum Præsulem Interamnensem, quem mox abusum legatione, & pugnæ Britannicæ immixtum conjecit in vincula, Præsulatu quoque amotum. In Hispaniam etiam, qui fratrem majorem restituerent. Rediit post hæc celeriter in Urbem, exorta in Campania & Picenis ac Sabinis bella ex propinquo suppressurus. Sed undique extante motu rerum bello ita incubuit, ut aliquando quatuor & sexaginta equitum turmis re gesta non antea defuerit, quàm subactis undique hostibus, quod multis ætatibus vix contigerat, universæ Italiæ data pax fuerit. Bella suscepit invitus, nec umquam nisi lacessitus. Et nec sic quidem, nisi prius commonuisset, ut ab injuria desisteretur. Et Sigismundo quidem non antea inferri arma jussit, quàm ter denuntiasset. Misit etiam Legatos, qui oppida repeterent, media pace per fraudem occupata. Sabello syngraphâ manu suâ scriptâ conditiones æquissimas proposuit, quamquam obsesso, & rerum omnium inopi. Utrumque deinde vi ad deditionem compulsum servavit quidem. Ceterum erepta bello eorum Oppida neutri restituit, præfatus injuriam eatenus remittendam esse, ne secundò possit inferri. Sigismundo conditionem quoque adjecit, ut in Peloponnesum dux belli adversùs Turcas proficisceretur, ubi postea biennio variâ fortunâ bellum gessit. In Germania Dieterum Maguntinum Antistitem tribus legationibus monuit. Mox decretis ipsius parere recusantem abdicavit, quamquam familiâ ortum potentissimâ, alterumque suffecit. Visus est erexisse calamitatibus animum, quum nuntiaretur deletum in Picenis ejus exercitum, & quum domestici supprimere nuntium conarentur, ubi rescivit, nihil motus, *Sigismundus*, inquit, *si decies prœlio vicerit, semel victus fuerit; bello vincetur*. Quod mox instauratis copiis evenit. Ferdinando ad Sarnum profligato, insultantibus Gallis; *Fortuna*, inquit, *belli nobiscum est, nam ea, quos primùm fovet, postremò destituit*. In Germania quoque victis insigni calamitate, qui ejus auctoritate bellum gerebant, *nostrum*, inquit, *erit jam vincere, qui victi sumus*. Quæ tria bella, quamvis principio deteriori conditione ubique fuerint, brevi ex sententia confecit. Expugnari neque casibus fortunæ adversis, neque minis potuisse ex eo constat, quod post susceptum bellum nemini pacem dedit nisi victor, quamquam & à Sigismundo post victoriam Picenam, & à Gallis post fusas regias copias postularetur, conditionibus ut acciperé non dare viderentur. Auxit fines imperii, Benevento & Terracina jure fœderis à Ferdinando acceptis. Sabinos qui ad Gallos defecerant & Soranos atque Arpinates, & in Picenis ac Flaminea à Metaurensibus in Cæsenatem usque, Arimino excepto, armis obtinuit, Fanofortunæ mari simul terrâque oppugnato. Venetorum quoque classe, quæ illatura præsidium venerat, operâ Anconitanorum profligatâ, Cæsenates jurejurando adegit, ut post mortuum eorum Tyrannum Sigismundi fratrem, Urbem atque agrum Pontifici dederent,

rent, quod brevì, quamquam ipso jam mortuo, fecere.

Canale Tudertinorum Oppidum longa obsidione pressum cum machinis undique dirutum, non tamen ante promissa defensoribus præmia expugnari potuisse: & laudavit, qui defenderant, & ducem eorum Præfectum militum constituit. Quædam & sine bello obtigere. In Aquitania Valentinensis & Diensis Tetrarchiæ, quæ sunt ad ripam Rhodani, à Ludovico Rege incertum datæ sponte, an majorum testamento relictæ. In Peloponneso quoque Manovasia, munitissimum situ Oppidum à Palæologis traditum. In agro Tolphano prope Centumcellas montes aluminis patefacti, ex quibus proventus annui aureum nummum paulo minus percipi quàm centum millia feruntur. Insolentiæ eorum, qui minus justa peterent, aut molirentur constantissime restitit. Oratores Cypriorum natum ex comubina Regis filium, exclusâ Carlottâ ex uxore susceptâ, Regem dari sibi postulantium rejecit, quod Cyprum vectigalem promisisse Regi Syriæ, & jurasse quoque in ejus verba diceretur. Georgici Bohemorum Regis, quod Fantinum Dalmatum Legatum conjecisset in vincula, & mox quòd male de Religione sentiret, Regnum publicavit. Sigismundo Norico Cæsaris patrueli diem dixit, quòd nulla fretus auctoritate custodiri Cardinalem eumdem Antistitem Brixinnensem jussisset, interdixitque aquâ & igni, quamquam privatâ amicitiâ inter præcipuos habito. Sigismundum Malatestam obloquentem de Religione, atque ideo in jus vocatum nec comparentem, damnavit. Simulacro quoque ejus Romæ vicatim incenso, nec multò post fœdus Gallicum, in quo & Sigismundum contineri Galli contendebant, recusavit, indignum dicens inire cum eo societatem, quem paulo ante damnasset. Tudertinis tyrannicum morem creandorum Magistratuum sustulit, datis legibus, quibus rempublicam gubernarent. Increpuit Senenses, quod legem tulissent, ne qua deinceps rogatio fieret de Nobilitate restituenda, atque adeo acriter ut extemplo legem abrogarent. Arcem in Januensi magnis sumtibus ædificatam à Columnensibus & loco munitissimo demoliri extemplo jussit Veliternis imminentem. Cæsari legationem paulo obscuriorem recusavit audire, postulavitque clariorem; Burgundam quoque veluti superbiorem, injustaque decreta postulantem. Martialem Gallum, qui Virginem incestasse Vestalem ferebatur, Præfecturâ amovit, quamquam scelus non constaret, subdens in religione Præfectos suspicione non minùs vacare oportere quàm crimine. Gallum alterum Armeniaci Tyrannum cum sorore consuetudinem stupri per spem conjugii habentem, in judicium tractum mulctavit, conjectis in carcerem, qui falsò decretum Calisti corruptis tabulis adhibuissent. Actaque res est magnâ contentione propter familiæ nobilitatem. Quædam minùs visus est vindicasse. Perusiæ Pandulfi Balionii ac filii cædem à patruele in spem hereditatis securis illatam, & in Piceno Acti Sentinatis eâdem de caussa à patruo capti ac mox strangulati, & in priore quidem caussatus tempora extorqueri sibi paricidium, questus est. Sentinatem obsessum, ac mox sub conditione deditum dimisit, omnibus exutum rebus, affectis tamen supplicio, qui juveni manus intulissent. Nonnulla facetiis excepit aut morsu. Ludovico Rege Gallorum nisi copias in Ferdinandi auxilium missas è Campania revocaret, multa minitante, ac rursus nisi desisteret auxilio, Gallos qui Romæ essent revocare simulante, nihil respondit aliud quàm *& habitabimus laxius, & nugas non audiemus*, castigatâ simul insolentiâ & gentis levitate. Triballis confirmari sibi, quem ipsi nominassent, Regem postulantibus, negavit esse sui juris, sed ad Pannos pertinere. Contendentibus liberos esse, *quid*, inquit, *servitutem postulatis?* Præfecturam Rhodiensem exhaustam à Gallo, Hispano commisit, dicens *Gallicum morbum Hispaniensi medico esse curandum*, quòd Galli profusi, Hispani profrugi haberentur. Conventu Mantuano quum Burgundi duo millia equitum, quatuor peditum pollicerentur, Germani hominum armatorum duo & quadraginta millia, Hungari dimidio minus, Ragusini duas triremes, Rhodii quatuor, Cyprii totidem, Legati ex Cilicia hominum triginta millia, dicentibus Gallis non antea excitandum foris peregrinum bellum, quam ipsorum domesticum sopiretur, *mirum*, inquit, *Gallos, qui semper aliàs vicerunt, hodie verborum magnificentiâ vinci*. Borsii quoque Legatis trecenta millia aureum nummum pollicentibus, quum fidem non fecissent, *non*, inquit, *tot opus est, minus dimidio contentis*. Quum Veneti propter initum cum Turcis fœdus palam adversarentur, clam tamen habita ratione quantum essent collaturi, summam belli navalis dari sibi postularent, & classem insuper triremium sexaginta, & viginti navium rostratarum, ac peditum delectorum octo millia, & annuas Decimas, & præterea quindecies centena millia ex publico; *hoc*, inquit, *Veneti, est recusare non petere. Nos verò adeo vobis molesti non erimus, ut oneris tantum feratis*. Hispanorum assertionem de miraculis ejus, qui cum patre de Regno contenderat, quamquam asseverantissime instarent, irrisit, idque ægre ferentibus, *an nescitis*, inquit, *vitâ miracula fieri non morte?* Germanis offensis, quod inter respondendum Matthiam Pannoniæ Regem appellasset, tamquam ad eos jus Regni pertineret, *sinite*, ait, *Matthiam tantisper nos Regem appellemus, dum eum vos Regnum tenere permittitis*, temeritate simul & ignaviâ exprobrata, subdiditque, armis Regna dijudicari non legibus.

Clementem eum fuisse inditio est, quòd nemini petenti veniam non facile ignovit, alioquin pertinacibus inexorabilis. Bello regio parci Arpinatibus jussit ob Caji Marii & Marci Tullii memoriam, quod multi oppidanorum ita vocarentur. Donadeum Oppidum Sabinorum direptum à suis gravissime indoluit, ut opinio fuerit, cogitasse eum de ducibus exauctorandis. Correptos à suis greges Aquilanorum ad quinquies centena millia, quòd violata fide ad Gallos defecissent, restituit, dicens non esse mulctandos insontes: greges agrestium & multitudinis esse; defectionem à potentioribus factam. Qua liberalitate dedere se volentes, Aquilanos rejecit ad Regem. Expeditiones nonnisi ex consensu Patrum & serò suscepit. Susceptis ita incubuit, ut aliquando non suppeditante ærario, atque ægre conferentibus sociis, accitis Quæstoribus, *jam*, inquit, *si opus est vendi me, jubeo*. Pecuniarum usque ad vitium negligens, ut nec aspicere quidem sustinuerit. Impensâ belli ingravescente contraxerat aliquando ad ducenta mil-

millia æris alieni. Quod ubi ex rationibus ærarii percepit, Quæstoribus graviter succensuit, jussis prima quaque occasione dissolvere. Quæstore urbano usus est Julio Forti Pisano, acris & animi & ingenii viro, sed contrahendo ære alieno in sumtus bellicos paulò laxiore. Quo factum est, ut exhaustis vectigalibus, unde suppeditare domesticis sumtibus pecuniam posset, aliquando laboraverit, coactus unum in triclinium, & ipsum admodum frugi familiam omnem redigere: ut aliquando exclamaverit, & qui appeteret & qui contemneret pecuniam, stultum esse. Sed neque rationem Fisci vectigalibus aut portoriis auxit, neque Decimas antea exegit, quàm bello Turcis indicto, & tunc quoque moderatione adhibita, ne profani ultra quàm trigesimâ gravarentur, neve ad majorem summam infimi Magistratus quàm supremi: utque Judæorum vigesimæ non ex proventibus, sed ex capite deducerentur. Instituit quatuor Viros ex Collegio Patrum de luxuria coërcenda, primum Germanum, alterum ex Gallis, reliquos in Italia, sed homines diversarum nationum ac morum. Dum cunctantur, ipse è vita decessit. Novum etiam Collegium Abbreviatorum ad viros septuaginta literaturâ & moribus ex omni natione promiscue delectos. Redacturus ad castigatiorem elegantioremque stilum Acta publica videbatur, quod jam ab initio Pontificatus destinaverat. Sed deterritus diversitate controversiarum ac legum differre se in magis otiosa tempora non omittere testatus. Provocationem ad futurum Concilium temere à nonnullis illatam edicto summovit: Sceleratorum esse perfugium, eum judicem petere, qui nusquam esset. Episcopos Protonotariis ordine subselliorum antepOsuit, mutata consuetudine majorum, quamquam plerisque regio genere ordinis Cardinalium numerum duobus Comitiis auxit undecim adjectis: laudavitque singulos oratione diversa. Sed nec priorum contemsit suffragia, nec de quoquam retulit, cujus ratio non omnibus constaret. Testamenta eorum, qui Romæ decessissent, libera esse voluit: qui intestati obiissent, eorum bona ita demum referri in ærarium est passus, si nec propinqui comparuissent. Quæstore ejus quædam supprimere volente ad Fiscum devoluta, quum reddere iis, quorum fuerant, juberet, & ille vendita asseveraret, statim subdidit: *redimantur*. Nobilitati & studio sui & ex Germanorum consuetudine favit; respublicas non æque visus probasse, diffiniebat multorum esse tyrannides, & quæ optima haberetur, in ea non minus bonis quàm malis periculum esse, virtutis præmia non fere nisi apud Principes inveniri. Thomæ Palæologo ac liberis Peloponnesi imperio depulsis, in Italiamque fugientibus, occurri ad Anconam jussit, atque omnia regio more subministrari. Carlottam quoque Reginam Cypri, regno deturbatam à fratre, atque ad Socerum Allobrogum navigantem descendere ad Ostiam, ac Romæ excipi, datis equis, quibus iter reliquum terrâ conficeret, viatico etiam prosequutus. Accitis Romam fere omnibus, quos Turcæ patriâ ejecerant, pecuniam ad victum annuum constituit. Cæremoniis solemnibus permagnificus, ceteris in rebus habitus est intra modestiam. Caput Divi Andreæ ex Peloponneso delatum prosequutus est maximâ pompâ, Alexandro Cardinali Sentinati Anconam misso, qui à Græcis acceptum Narniam usque deferret, ubi in Arce reconditum, exacto post anno, tribus missis Cardinalibus diversi ordinis, & decretis itinere toto supplicationibus, Romam jussit afferri. Progressusque obviam ad Pontem Milvium mediis in pratis excepit, tabernaculo exstructo ad rem divinam faciendam, ubi mox & Sacellum erexit Ligustico marmore, & in Vaticano Cellam dedicavit simulacro argenteo confecto. Viturbii festum Eucharistiæ peregit insolito apparatu, stratâ undique sagis purpureis Urbe, velatâque linteis, quibus aureæ stellæ veluti cœlesti affixæ globo interlucebant, ut excluso cœlo inter flores ad digiti crassitudinem, & diversi generis cantus, supplicatio procederet. Silvestres etiam homines hedera vestiti cum leonibus atque ursis congredi videbantur artificio mirabili, & versus passim heroici cantabantur, fontiumque fistulæ utrimque ex adverso se se ferientium murmure continenti demulcebant; stravitque omnem Templi ambitum purpura.

Catharinam Senensem, cujus multa exstare miracula ferebantur, in Divarum retulit numerum apparatu æque magnifico. Ritus sacrorum & cæremonias ita ubique tenuit, ut ad Sublacum Cœnobitas cœnam eodem apparatu, quo illis ministrari sibi biduo jusserit, quod & Capriolæ in Etruria fecerat. Et ad Cœnobium Divi Benedicti in Mantuano, & in Florentino ad Cartusiam, quum ibi substitisset, lustrandi orbem & vagandi adeo cupidus, ut aliquando dederit calumniæ locum, & legationem quidem Scoticam non invitum suscepisse constat. Britanniam verò itinere obliquo, & unde circumspicere multa posset, obiisse, dissimulatâ veste Lundonias ingressum, voluisse etiam ad Orcades navigare. Sed deterritum male toties tentato mare dixisse tritum illud; *plusquam temere Neptunum accusare, qui tertiò jactetur*. Et Scoticam quidem, Norvegiamque descripsit, facturus idem de Britannia, si redire ad exactiorem inquisitionem licuisset. Amedeum Allobrogem, qui incertum specie sanctimoniæ an aucupandi Pontificatus gratiâ solitudini se dederat, quod locum delegisse amœnissimum ad ripam Lacus Lemanii ferebatur, ultro adiit, locumque descripsit. Habuit inter delicias & Vallem Sarentanam, quæ est in Rhetiis, fontium ubertate atque gratiâ eximie lætam. Ubi & Ædem consequutus est. Profectione Mantuana commoratus Clusii diem unum, reliquas Labyrinthi vetustate collapsi perquisivit. Et ad ostium fluminis Mincii divertit in Villam, quam constans est apud accolas fama, fuisse Virgilii agrum. Tusculanum & Albanum & Tiburtinum studio vetustatis circumlustravit omnem. Viam quoque Appiam, & aquæductus, & Ostiam, & Trajani Portum diversis secessibus inspexit. Et in Appia quidem Obeliscos ad hippodromium jussit excavari. Ostiæ verò in discrimine fuit, gravissimâ exortâ procellâ, compulsus metu inundationis nocte media cubiculo excedere. Phalerios quoque adiit, quod audierat muros adhuc exstare lapide quadrato, & Ocriculi eâdem de causâ substitit. Circumnavigavit Thrasimenum & Vulsinium Lacum, & utrobique in altera insularum pernoctavit. In Thrasimeno subscriptiones libellarias fieri, quæ in lacu factæ notarentur, in Vulsino summo jugo insulæ erigi Sacellum jussit, ubi est Christinæ Virginis Fanum, & certamen concurrentium naviculararum despexit, pro-

proposito accolis præmio. Fontes sereno die adeo cupide frequentabat, ut sæpe inter glaream & marginem cœnam postulaverit. Augustam & Alburnam & derivationem Anienis viâ Claudiâ ad Sublacum usque invisit. Saloram quoque viâ Tiburtinâ ad lævam deflectens, Augustam ubi contegi ad vitandum æstum audivit, egit accolis gratias, statimque accurrit. Struxit & Senæ fontem in hortis prope pomerium aquâ ductu subterraneo derivatâ, ubi diem sæpe totum decernendis rebus exegit: quem quum noctu quidam disjecissent, adeo tulit moleste, ut discedere statim voluerit; quæstionem tamen ultro offerentibus Civibus interponi vetuit, dicens, satis magnam pœnam suam cuique stultitiam esse. Montium quoque delectabatur ascensu, ut in Romano & in Tiburtino prope nullum prætermiserit, sed præcipue qui viverent arboribus, & in longissimum prospicerent. Amiatam in Etruria editissimum conatus ascendere, ad media substitit, lecticarii ægre ferentibus. Senæ quum diversaretur, sæpe Capriolam secedebat, quo in loco jugum est pinu, cupresso, ilice, ac lauro consitum, semitis per gradus sub umbra distinctis. Nisi per hyemem aut pluviam, rarò sub tecto prandebat, aut spatiabatur. Secedebat singulâ quaque æstate ab ortu Caniculæ, nisi qua re graviore distineretur, aut in proximas Urbes, aut si liberum esset, in Etruriam. Vere atque Autumno Vituruina balnea repetebat aut Petriolana. Destinabat aliquando & Bajana petere; sed revocatus precibus Senensium divertit ad Tusca. Lavabatur, perfricabaturque à paucis, & exiguo apparatu, ne quem deterreret eorum, qui prope lavabantur, qua de caussa nec horam sibi ullam præscripsit. Absterfus paulo plus minusve mille passuum vehebatur. Perpetuo Pontificatu lecticariis usus, ubi navigatio deesset. Annandi leviter secundis fluminibus, quum posset, occasionem avidissime arripuit, quod & minùs quateretur, & lecticariis parceret. Dierum ac noctium rationem ad horas usque distinxerat. Surgebat æstate ad primam auroram: hyeme ad alterum gallicinium. Studium ita partiebatur, ut inter legendum aut scriberet, aut dictaret paribus prope intervallis, nisi quum historias texeret, quas constat & verissime & festinantissime scripsisse, plerumque duas in horas, numquam minùs quàm in unam protracto studio.

Exceptorem habuit Augustinum Patricium, quem aliquando ad horas quatuor exercuit, sed dumtaxat valetudinarius, & quum chiragrâ laboraret. Deinde vel aderat rei Divinæ, vel ipse operabatur. Mox aut cum Patribus consulebat, aut dabat subscriptionibus operam. Quæ duo munera alternis diebus obiri solita, nisi quum feriæ aut solemnia prohibuissent, numquam intermisit. Subscriptiones etiam extra ordinem, ut quaqua postulator occurreret, & in mensa & in cubili faciebat. In itinere ubiubi subsedisset, acciri postulatores jubebat. Nec umquam ad fontem aut umbram accessit sine pugillaribus. Secundùm consultationes Patrum aut subscriptiones, primùm Oratores, mox privati admittebantur. Quum aliquando unus è Cubiculariis senem verbosiorem facere dicendi finem clam submonuisset, advertens, repeti omnia jussit, conversusque ad Cubicularium irato similis, *an nescis*, inquit, *ex quo inivi Pontificatum, aliis me vivere oportere non mihi?* Neminem plus triduo demoratus, Oratores sæpe qua die venissent, ceteros postridie admisit, præscriptâ cuique horâ, ne quem exspectando fatigaret. Integritatem eorum, qui secum versarentur, exactissime perquisivit, repudiatis quorum fama minùs probaretur. Initio Pontificatus Secretariorum numerum, quod offerri quædam temere dicerentur, ad paucissimos redegit: pauloque post ad duos Gorum Lollium consobrinum suum, & Jacobum Lucensem, spectatissimæ probitatis viros Et alterius quidem ingenium ac vitam ita probavit, ut paulo post Antistitem Papiensem, mox & Cardinalem effecerit. Qui de postulatis referrent, homines sibi ascivit moribus & doctrinâ probatissimos, præcipuum verò Agapitum Cincium Romanum clarum in Poëtica quoque, sed Juris scientiâ longe eminentissimum. Quem primùm Anconitanis, mox Camertibus præfecit Antistitem, majora collaturus, si diutius vixisset. Constantissimus fovendis, quos semel esset amplexus, gloriabatur inter suos neminem sibi fuisse inimicum suâ culpâ. Dilexit ex privatis Marianum Sozzinum Senensem Jurisconsultum veterem æqualem suum, & Procopium Bohemum, quem aliquando in Germania collegam habuerat. Ex Regibus Federicum Cæsarem, & Alfonsum Aragonem, & Matthæum Pannonium. Extremo tempore & Franciscum Sfortiam, quem bello regio socium habuit. Præcipue omnium complexus est Federicum Urbinatem, cui rei bellicæ summam commisit. Ex Patribus maxime Bessarionem Græcum Cardinalem Nicænum, ætatis suæ doctissimum, quem & orare aliquando secundùm se jussit, & legationem Germanicam commisit cum summa potestate: Carvajalium quoque Hispanum ejusdem ordinis clarum virum, quem jam senem & attritum legationibus ex Pannonia revocaverat, Dialogosque aliquot inscripserat. Ex domesticis plurimùm apud eum potuit Gorus Lollius. Catherinam & Laudomiam sorores æque dilexit, & Laudomiæ quidem virum ad equestrem evectum ordinem Umbriæ præfecit. Ex quatuor filiis primum Antonium in familiam regiam adoptatum, Marsorum ac Lucanorum imperio præficiendum à socero Rege curavit. Alterum Franciscum viginti annos natum coaptavit Collegio Patrum: reliquos duos Jacobum & Andream ad mediocres extulit opes. Catherinæ verò, quum unicam haberet filiam, minùs visus est præstitisse. Ceterum & Præfecturas dedit genero, & ipsi ad viginti millia aureum nummum comparavit. Auxit familiam numero adoptivorum, inter quos sororis filios, & Gorum consobrinum, & Cardinalem Papiensem, & Cubiculariorum aliquot gentilitiis donavit. Alexandrum præterea Mirabellum Neapolitanum, quem initio Pontificatus ob eximiam liberalitatem familiæ, reique domesticæ præfecerat, & Oppidum Frascatam in Latio secessus æstivi gratiâ concesserat. Amicis & propinquis rarò se subtraxit. Sermone gaudebat libero & festivo, & qui modice exiret in jocum. Fuitque ipsâ naturâ non infacetus, urbanitate extemporanea. Occurrentibus aliquando in itinere Lusitanorum Legatis, *nos*, inquit, *ad hos, an hi ad nos veniunt?* Exeunte eo à Cella Palatii, quum Germanus senex arreptâ lecticâ jus sibi reddi exclamaret, *unâ*, inquit, *de re, an de omnibus?* respondenti, *de una*, statim subdidit: *rectè sapis, nam actum de te fuerat, si de omnibus postulasses.* Alteri se ipsius

ipsius pedibus commendanti, *nescis*, inquit, A *o stulte, quàm debiles patronos imploraveris*. Corsiniani, quo in loco natum eum diximus, non comparentibus sodalitiis, *solus*, ait, *meorum convivio desum*. Paternum etiam fundum circumvisens, in quo Pinus erat à patre, qua die ipse natus est, consita jam prealta, quum ad eam descendisset, *hæc*, inquit, *me admonet esse jam grandiusculum*. Ad lacum Vulsinum contendentibus accolis de lectica subeunda, & ut gladios stringerent, repelli omnibus jussis, *quàm stulte*, inquit, *& onus & periculum quæritis!* Ad Amivatam porrigente pastore cymbium lactis, ori admovit, quamquam admodum sordidum, videntibus qui aderant, *& hoc*, inquit, *dulcius quàm Artaxersis poculum; & qui sitit, vitro non eget*. B

Ædificandi studium bella intereeperunt. Ceterum in Vaticano Cellas Templi maximi pro miscue passim ædificatas disjici jussit, ac mox secundùm parietis tractum collocari: quo reddita est facies interior Templi augustior & patentior. Addidit & Cellam Divi Andreæ ad primum angulum Templi lævâ subeuntibus, ubi postea & sepeliri se jussit. Scalas quoque instauravit pro foribus Templi, vetustate collapsas, stravitque aream amplissimam vestibulo Palatii communito turri excubatoria. Inchoatam supra scalas marmoream porticum imperfectam reliquit. Est & ipsius Arx Tiburtina opere tumultuario confecta, quòd nec prohibuissent transitu & juvissent commeatu hostes, C & recipere intra Urbem ipsius præsidia recusassent; exprobravitque dubiam fidem, & diripi eorum agrum est passus. Fuitque & nostrum disticon:

Tibur, habes Arcem, quòd non tibi creditur, hinc est:
Æneas Phryx est. Tibur es agricolum.

Corsinianum ex Oppido Urbem Pientiam appellavit, designatis Magistratibus urbanis in speciem justæ Civitatis; Episcopio, & Prætorio ædificatis, Episcopum & Triumviros instituit, & certamina gymnica per gradus ætatis. D Construxit & Ædes gentilitias eximia pulcritudine, symmetriâ quadrangulâ, lapide suffusco incrustatas ad digiti crassitudinem, commissuris paulo recedentibus, duplici ordine fenestrarum, annulis & cratibus ferreis. Addiditque porticum ad meridiem duplici concameratione, contignatione insuper acclivi, & triclinia æstiva atque hiberna, & cellas prom tuarias alte suffossas, hortosque pensiles. Templum quoque egregiâ structurâ, & aream pro foribus, & Cellas in ambitum Templi, Aramque subterraneam. Vetuitque in eo quemquam sepeliri præter Sacerdotes & Antistitem, quibus & tumulum seorsim assignavit: tam violari parietem picturâ quàm insigni, aut ap- E pendi iconas, aut Cellas erigi, aut Altaria, præterquam quæ ipse destinasset; & prædia in sumtus annuos coëmit. Architecto ad summam futuræ impensæ longe præmentito, post perfectum opus, addi centum jussit, dicens, *desipere Architectum, qui de impensa, quam nemo sit facturus, ante præfiniat*. Fecit & senex porticum gentilitiam concameratam, ædes quoque adjuncturus, quarum jam aream straverat. Erexit & Cellam ad Fanum Divi Francisci, & in ea Sepulcrum parentibus marmore Ligustico, hoc inciso distico, quod ipse condiderat:

Silvius heic jaceo. Conjunx Victoria mecum est.
Filius hoc claudit marmore Papa Pius.

Cogitaverat Anienem ad Tibur usque navigabilem reddere. Portum quoque Trajani repurgare, & in Pientino lacum facere, Orciâ flumine occluso, ac rivo ex Amiantæ radicibus eodem derivato. Ingenia sui temporis mirifice fovit, sed dumtaxat probatissima. Invertens nonnumquam aliorum epigrammata, visusque contemsisse mediocritatem, contraxit invidiam, dicere solitus, *Oratores & Poëtas aut supremos, aut nullo in loco esse oportere*. Laudabat in dicendo candorem & vim orationis; apparatum verborum nimium, dicentis otium appellabat. Juvenis delectatus Poëticâ, *Niraphilenticum* scripsit versu magis facili & expedito quàm accurato. *Poëmata* quoque in Epistolarum modum complura. Flexu ætatis Orationi incubuit, invitatus rerum & Legationum magnitudine. Scripsit ad Ladislaum Regem Bohemorum adhuc adolescentem *Libellum unum de Arte Grammatica*. Mox alterum *de Regia Institutione*, quum in Germania ageret. *De Rebus Bohemicis* ad Alfonsum. Ad Federicum *de Noricis* integros *Commentarios*. *Rerum* sui temporis *in Italia gestarum Libros duodecim*. Quod opus nondum absolutum cum vita finivit, vetuitque publicari, nisi emendaretur. *De Eurialo*: *De ortu Nihil*: *De studio venandi*: *De Hæresi Hussitarum*: *De dignitate Cæsaris*: *De Potestate Concilii*: *De Sanguine Christi*: *De veritate Christiana ad Mahumetem Turcam*: *De gloria belli suscipiendi ad Franciscum Sfortiam*: *De Erratis Basiliensium*: *De Fortuna*: *De defensione Poëtices*: *De miseria Curialium*, singulos Libros, quorum magna pars Dialogis constat. Descripserat in Pontificatu *Asiam Minorem*. Majorem mors intercepit. Inchoaverat & aliquando *Historiam universi Orbis rerum* ætate sua ubique gestarum, sed omisit, veritus ne parùm explorata colligerentur. Loca libenter exscripsit stilo extemporaneo, mox castigaturus, præter *Scotiam* & *Norvegiam*, atque *Luaniam*; *Rhodon* quoque & *Mitilenem* & *Lesbon* & *Cyprum* expressit accurata brevitate. Et Historiam quidem temporum recentiorum nemo putatus est & quæsisse diligentius & veriùs tenuisse. Reliquit *Epistolarum quatuor Volumina* distincta temporibus. Orationes nemo temporum nostrorum & nec veterum quidem tot habuit, omnes fere de rebus amplissimis. Ceterum sententiis quàm verbis illustriores, copiâ mirâ & ad magnitudinem rerum excrescente. De verborum delectu nonnihil illi Germania detraxerat coacto sæpe apud barbaros cultiora negligere. Sed earum magna pars Exceptorum negligentiâ periit. Quatuor & viginti exstant.

Pronuntiabat voce sonora & gravi: verùm de eodem spiritu semper & crebris intervallis, ut dicere ex tempore & sine cura videretur. Persuadendi longe potentissimus, neminem ad se dicendo non traxit. In Conventu Ratisponensi male sustentatas à Legato Cæsaris partes ipse suscepit Oratione extemporanea. Ubi dicenti adversario, *& quando desines molestus esse Germanis?* *Quum*, inquit, *tu incipies illis molestus non esse*. Prævidisse illum futura ex longo intervallo creditum est. Prædixit quadriennio ante se in belli apparatu decessurum hoc versu, quem ipsius manu vidimus scriptum:

In Turcas bellum dum parat, occubuit.

Senensi adultero afferenti de rivali querelam, *nisi desieris*, inquit, *brevì occidêre*. Quod accidit nondum exacto mense. Legatis Venetis in Conventu Mantuano societatem adversùs Turcas recusantibus, *fore*, ait, *ut quod tunc rejicerent, decimo post anno serò essent rogaturi*. Quod evenit. Nam decimo post Conventum anno amissâ Euboeâ, opem ex omni Italia imploratum circumiere. Quum Ludovicus Allobroga vir Carlottæ haud procul à Mantua transisset, Cyprum mari petiturus, nec eum, ut par erat, salutasset, *brevì*, inquit, *rectâ ad nos revertetur*. Quod sequenti anno fecit Cypri Regno depulsus. Staturâ fuit infra mediocrem, corpore per adolescentiam modico, flexu ætatis aliquanto pleniore, oculis lætis quidem, sed qui torve in iram exscandescerent, capite compacto, & ante diem cano, facie subcandida annis seniore, & ad minimam quamque valitudinem statim concidente. Fuit laboris & inediæ quàm frigoris atque æstus patientior. Calculo vexabatur prope menstruo, & assidua tussi. Pedum usum jam pridem amiserat cum rigore nivali, quem diximus, tunc etiam superveniente podagrâ, chiragrâ serò offensus & raro. Astrologas se manus habere jocabatur, quod æquinoctium tumore prædicerent. Quæ omnia adeo patienter tulit, ut constet legatione Germanica impeditum graviter podagrâ, tamen à collega, ut diem unum subsisteret, adduci nequivisse, & in aquis Petriolanis pertulisse duas in horas fistulam deuncem. Romæ quoque inter maximos calculi dolores continuasse orationem vix obtorto leviter ore, ac submorso paulum labro deprehensum. Magnitudinis ejus signa quædam antecesserunt. Mater nocte posteriore quàm peperisset, visa est in somnis puerum mitratum peperisse; diu graviter solicita de omine, donec designatum Tergestanis Antistitem audivit. Corsiniani septimum agens ætatis annum inter ludos pueriles Pontifex maximus salutatus ab æqualibus, singulos ordine ad oscula pedis admisit. Alfonsus venientem ad se Neapolim è fenestra digito amicis ostendens, *en*, inquit, *nobis Pontifex maximus*. Federicus quoque Cæsar quum è Cyminio monte Latium prospexisset, eo acciri ad se jusso, *citò*, inquit, *his in locis regnabis, Ænea: & qui tibi nunc imperamus, brevì parebimus*. Romæ unus ex regiis purpuratis ad eum jam Cardinalem veniens, quum lunas sagis intextas aspexisset, exclamavit fore eum Pontificem maximum, quòd agens ipse in Calabris, audisset esse in arcanis proxime futurum Pontificem ea signa habiturum. Qua in hora creatus est Pontifex Romæ, eâdem Laudomiæ sorori Corsiniani est nuntiatus, octoginta millibus passuum spatio, nec visus ampliùs qui nuntiaverat. Incidit sæpe in discrimen vitæ. Puerum pæne trimum decidisse præcipiti loco, & prope exanimatum constat. A bove quoque impetitum cornibus ac ter jactatum præter spem evasisse, multis in locis confossum. In Britanniam quum à cœna mercatoris amici reverteretur, qui funabulum præferebat, ipsius in oculis occisus est, prope ut ad eum vulnus pervenerit. Et transfretatione Britannica sereno die quum ad navigandum invitatus seriùs ad navem jam solventem venisset quàm posset admitti, exorta mox tempestate, navis, & qui

A in ea erant haud procul à litore ipsius in oculis demersi sunt. Mediolani quum febrim incidisset, graviore excepto pharmaco pæne consumtus profluvio est: quum alterum medicus supparasset, pixide casu affractâ, periculo eximitur. Nec multo post Basileæ pestilentiâ contactus, paulum ab interitu absfuit, ab amicis omnibus præterquam ab Andrea Panigalio destitutus, quem postea inter præcipuos habuit. Alpes Vindelicas hiberno æquinoctio ingressus, paulum absfuit, quin liquentium nivium lapsu obrueretur, semel ingenti globo dejectus. Apud paludes Pontinas quum noctu per flumen Ligulam navigaret, tribus horis limo inhæsit, navi, quæ eum sequebatur, cum undecim viris absorptâ. Ad Cumas quoque

B nocte quum appulisset, navis oppressa est, sed citra cujusque discrimen, quòd haud procul à litore, nec profundo admodum mari subsedisset. Qua quoque die coronatus ad Lateranum est, in periculo fuit, ne à turba congratulantium opprimeretur, ut necesse fuerit perfractis scipionibus gladiis arceri multitudinem: quod idem postea & Narniæ contigit. Insidiæ illi bis structæ: primùm ab everso Tyranno adjutore Boccardo Picinini Scriba, cujus interceptæ sunt ad eum literæ habere se venenum, quo simul paulum lectica illineretur, statim periturum, se quidem corrumpere aliquos ex lecticariis voluisse: verùm neminem inventum,

C qui facinus recepisset; adhibendam ejus auctoritatem & præmia majora proponenda. Quod ubi rescivit, tantùm admonuit Pazaliam Præfectum custodiæ corporis, ne quem parùm cognitum lecticarium admitteret. Alteræ à Sicariis Tiburtianis. Ii ex Etruria ad exitum autumni redeuntem, nonnullos subornaverant, qui veluti libellum porrecturi pugione conficerent. Sed illo properante, nondum confirmatis ad scelus animis, priusquam venisset ad locum insidiarum, patefacta res est. Et credidit alioquin se facile omnibus fiduciâ tantâ, ut profectione Mantuanâ aliquando per hostilem agrum sine præsidio transierit.

Mors quoque ejus præcognita, rumore passim dissipato ad exitum Anni Sexti decessu-

D rum. Et ipse in Pratis Quintiis, quum ex Urbe discederet, conversus ad mœnia, *vale*, inquit, *Roma, numquam amplius vivum me visura*. Qua die atque hora decessit Anconæ, in Etruria Camaldi, quod est in Appennini jugo, Senex Germanus victu aspero sex & quadraginta annos intra Sacelli claustra emaceratus atque inter Cœnobitas miraculis clarus, egressus ad limen primum vestibuli videre se exclamavit magnum Sacerdotem corona triplici & candido amictu deferri in cœlum, cantantium Virguncularum cœtu & nubeculâ septum, attonitis qui aderant, & quid id esset conjicientibus. Quarto post die quantum

E itineris Anconæ distabat, nuntius de morte ejus affertur, tempore & habitu convenientibus. Expeditioni in Turcas vehementius incubuit & festinantius quàm esset e valetudine & alieno tempore. Quum recens rediisset è balneis, objicientibus amicis senium & valetudinem, *patebit*, inquit, *in cœlum reditus, si Romam non dabitur*. Et Fano expugnato, sublatis in cœlum manibus, *recte*, inquit, *habet. Jam vocor ad bellum meum*. Acceleravit ejus profectionem Philippi Burgundi magnificis promissis, & præterea Telephi Armeniæ, & Georgii Persarum, & Asiæ, & Mesopotamiæ, & Gorgoræ majoris Hyberiæ, & Vitebechi mi-

A minoris Regum Oratores Romam unà ad eum missi, diversâ linguâ, habitu dispari & ceteris, quidem tonsi erant in morem nostrum capilli; Mesopotamiis globus unus in cincinni speciem relictus intonsus. Vestes omnibus laxe dejectæ, pileo præalto & sublimi. Horum, quum unus dies singulos viginti carnis pondo devoraret, *si in convivio*, inquit, *& ambrabis sociis dimicandum erit nobis, jam vicimus*. Oratio eorum gravis & stricta. Centum viginti millia armatorum pollicebantur, & Pancratium Hyberum socium belli virum magnæ in re militari auctoritatis. Quam summam quum audisset, non creditam, & luxuriæ quàm bello aptiorem ratus, *alere*, inquit, *tantum exercitum difficile erit Europæ*. B Maturandi caussam etiam Pannonii dedere, quos postulasse à Turcis pacem constabat conditionibus admodum iniquis. Quare misso statim equitum mille in annum unum stipendio, ac spe adventus sui factâ, in fide continuit. Crucesignatorum etiam concursus ad Anconam factus, quos ad triginta millia ex Gallia atque Hispania error attraxerat, vulgato temere, Pontificem omnibus, qui ad bellum transmarinum proficiscerentur, & navigium ad trajiciendum, & victum ad finem belli suppeditaturum. Igitur præmisso ad eos in adventu suo continendos Caravajalio Hispano Cardinali, ac rebus per Italiam omnem compositis, XIV. C Calendas Junias Româ proficiscitur, re divina in Templo maximo ad Vaticanum peracta, in quo descendere quoties Urbe abiret, & Aras singulas ordine venerari consueverat; ibi omnibus ad precandum rerum successum invitatis. Festinatò ad Pontem Milvium lecticâ delatus est. Avidius suscepto itinere incidit in febriculam, principio haud satis cognitam medicis. Et ipse, ne quid moræ objiceretur, aliquandiu suppresserat, eâ jam auctâ magis quàm ut dissimulari posset, medicos inhibuit, ne cui patefacerent, jurejurando & imprecationibus adactos. Ad Pontem Patribus ac turba omni dimissa, cum paucis lembum conscendit, adverso Tiberi navigaturus. Quum D effusa patentibus pratis Civitas abeuntem consalutaret, ac reditum audienti precarentur, prorupit in lacrymas. Substitit nocte prima ad Castellum Lobeleum, confessus navigationem ejus diei difficillimam fuisse, contrario flumine colluctanti, quod ex imbecilli potiùs valetudine quàm labore accidisse putatum est. Nec ausus in ripam descendere, gravi defatigatione confractus, noctem totam egit in lembo. Postridie quamquam inibentibus medicis matutinum iter multo ante Solis ortum solvere quum jussisset, ad Oppidum Fanum pervenit navigatione longissima, quadraginta millibus passuum uno die confectis. Quum pridie illius diei ad decimum milliarium sub- E stitisset, pernoctavit & secundo in flumine hoc in loco dum ageretur, de parte classis, quæ structa ad Portum Pisanum penetrare in Superum mare per fretum Siculum jubebatur, venireque Anconam ad copias excipiendas, nuntiatumque esset triremes, Genuensium & naves onerarias, quæ ad summam classis pertinebant, nondum esse paratas, & præterea Philippum Burgundum profectionem verbis extrahere, commotus animo est. Auxit molestiam prolapsus è ripa, demersusque in oculis adolescens ad remigium mercede conductus, tarde accurrentibus nautis. Quod adeo tulit acerbe, ut precatus veniam extincto, & abominatus casum, nec lacrymas continuerit.

Ad radices Montis Soractis tædio navigationis simul & mœrore extincti juvenis, exponi se primùm naviculâ jussit, questus semper male sibi navigationes cessisse. Quod verbum sinistre accipientibus Cubiculariis, & quid committeret se toties præsenti periculo, interrogantibus, ratus ad deterrendum se à transfretatione Illyrica dictum, quod sciebat invitis multis se Italiâ excedere, *neminem*, inquit, *cogimus*. Nec aliud loquutus reponi in lembum se jussit, provectum ad quindecim millia passuum lecticâ confectis. Supra Ocriculum maxime consternatus est, obvia Crucesignatorum multitudine; quos moræ impatientes retinere Carvajalius minime poterat, & agmine quum reverterentur, nec rapinis abstinebant: quocirca Medici aversari eo spectaculo illius oculos, obduci lecticæ velum perpetuo itinere caussati ventos jusserunt. Ab Ocriculo per Narniam, Interamnamque, Spoletum ægre & itinere quatuor dierum pervenit, conquievitque totum triduum, & Arce communita præsidium auxit. Iter deinde à lævâ per Fulginenses agens, Fulginensium quosdam subsequi ad Assisium jussos relegavit, præfinito in reditum suum exilio ausos & cœtus cogere, & Præfecto Urbis, ubi ille Italiâ discessisset, jam tunc insidias præstruere, tyrannidem sibi per cædem arrepturos. Instaurari & Assisii utramque Arcem jussit. Superato deinde ad Fabrianum Appennino, iter flexit ad Fanum Virginis Lauretanæ, vota nuncupaturus. Ubi & aureum obtulit calicem ac pateram eximiæ magnitudinis. Ingressus Anconam XV. Calendas Sextiles, supplicationes trium dierum decrevit, præfatus initia rerum Deo, cetera virtuti commendanda esse. Nuntio allato de incursione Turcarum in agrum Ragusinum, milites ducentos ad corporis custodiam comparatos, cum paucis sagittariis triremi expedita navigare extemplo Ragusium jussit. Triremes Venetas numero duodecim, in quibus & Venetorum Dux aderat, ubi appropinquare intellexit, deferri se jussit ad primum litus classem inspecturus, eâque inspectâ subgemuit, una edita voce, nuper sibi navigandi occasionem defuisse, nunc occasioni se defuturum. In cubiculum relatus, solvi statim profluvio cœpit, medicis nihil periculi promittentibus. *Et hæc quoque Principum miseria est*, inquit, *ne in morte quidem carere assentatoribus*. Postulavitque Eucharistiam, quam & triduo prius acceperat, & paulo ante ad Lauretanum. Acciri deinde Patribus jussis, hortatus est, in expeditione persisterent. Triremes & quæ in portu erant, & quas venire per fretum Siculum nuntiabatur, tradi Venetis jussit. Pecunias ad aureum nummum quadraginta millia ex Decimis exactis, Matthiæ Regi Pannoniorum mitti in sumtus belli. Quum disjicere vires sentiret, rejiciens se se in Cardinalem Papiensem, *fili*, inquit, *curam meorum ipse suscipito, & huic expeditioni adesto*. Interrogatus ab illo, an sepeliri Romæ se vellet, non tenuit lacrymas, subdens: *& quis id procurabit?* Illo recipiente se curaturum, refici visus est. Vocavitque Patres ordine ad osculum, postulatâ prius à singulis veniâ, si minùs recte rem Christianam administrasset. Lacrymantibus omnibus, & Bessarione ejus verba de re Christiana sanctissime gestâ excipiente, iterum amplexis omnibus inungi se jussit; ubi concurrens & ipse precibus inter hymnos exspi-

ra-

ravit, voce ultima ægre edita, rogare omnes, pro se precarentur. Decessit Anno Nono & Quinquagesimo, religionis nostræ MCCCC. LXIV. decimo octavo Calend. Septembrium, ex quo Pontificatum inierat, Anno Sexto. Polintores curato corpore, cordatissimum affirmaverant; præcordia exacta, in Templo Divi Ciriaci recondita fuere. Corpus decreto Patrum subsequentibus ipsis relatum Romam est, & in Cella Divi Andreæ sepultum ad Vaticanum.

Vita Pii nobis parvo conclusa Libello,
Digna elephantini tergoris Orbe fuit
Larga, sed hoc illi Papiensis vena, nec umquam,
Dum cœli stabunt, emoritura, dabit.
Campani exigua & rivo deducta minuto
Non explet: primum vix rigat illa labrum.
Quum tua mox ædes nunc pressa volumina dicent,
Campanus dormit, suscitat iste Pium.
Debilis at quamvis, atque omni manca labori,
Magnum si tetigit, dextera juvit onus.
Sic ego ponè sequens, & post tua terga, priorem
Laudabo atque auctor non ero: testis ero.

EPITAPHIUM.

Esse in hoc tumulo Pium Secundum
Ne tu crede. Pius petivit astra.
Terris gloria nominis vagatur:
Præterque ossa nihil reliquit Urnæ.

VITA

VITA PAULI SECUNDI
PONTIFICIS MAXIMI
PER
MICHAËLEM CANNESIUM
DE VITERBIO
Decretorum Doctorem, Canonicum Sanctorum Laurentii & Damasi,
COMPILATA
FELICITER INCIPIT.

A Scripturus Vitam moresque Pauli secundi Pontificis Maximi, non alienum fore ab instituto meo arbitratus sum, si antequam rem ipsam dicere aggrediar, professus fuero, me hoc scribendi munus accepisse, potius rerum dicendarum veritate, quàm aliquo orationis splendore, aut ingenii elegantiâ ductum. Talia enim exstiterunt, quæ descripturus sum, ut aut in illis ipse interfuerim, eademque perspexerim, aut fidâ coætaneorum ejus, & hominum quidem dignissimorum relatione, illa didicerim. Quæ mihi res non minorem ad prosequendum inceptum opus fiduciam præstat, quàm ceteris excellentissimi ingenii viris summus orationis ornatus, dicendique

B majestas impertiri consueverunt. At si forte mei ariditate ingenii plerisque legentium minùs satisfecero, me tamen juvabit, in parte negotiorum meorum hoc potissimum assumsisse, ex cujus aperta & integra veritate amplissimus scribendi campus, ingensque materia insurget his, qui plurimo verborum ornatu, dignâque orationis majestate, sua scripta contexere soliti sunt; maxime autem quum ea, quæ de Nicolao Quinto Pontifice Maximo, omnium bonarum Artium ac Virtutum patrono splendidissimo, perstrinxi, grata legentium animis ac jocunda esse intelligam. Verum quia idem Pontifex Paulus, cui ante electionem ad Apostolatus culmen Petrus no

C men erat, de nobilissima Barborum familia ortus est, consentaneum esse videtur, ut ab ea primordium incepti operis assumam, quo magis innotescat legentibus dignior in eo exitus ex dignis initiis prodiisse.

Barborum familia Venetiis magna ac nobilissima est, quæ tum magnificis gestis, tum etiam ceterarum virtutum muneribus, domi forisque, terra ac mari semper effloruit. Hujus autem familiæ originem à vetustissima Ænobarborum Romanorum profectam esse, ex multis ac variis rerum monumentis accepimus, & consentienti hominum famâ traditum est. Qui quidem Ænobarbi à L. Domi

D tio ob novitatem miraculi in eo repente apparentis, summamque animi virtutem in Senatorium Ordinem adscripto, principium traxerit. Eorumque plerique Consulatus, variosque Urbis ac Militiæ dignos Magistratus, summa cum laude atque gloria egerunt per multa etiam tempora post Neronem Claudium Imperatorem ex ea gente progenitum, de quo rerum Scriptores multa ac diversa commemorant. Sed ea Barborum gens fuit ex Colonia Romanorum in Parmam demissa cum plerisque aliis ingenuis familiis, quarum adhuc usque aliqui in ea Civitate supersunt. Ubi quum diversæ factionum partes inter Cives exortæ jam essent, Barborum familia sanior ac potior aliquandiu exstitit, rexitque feliciter consilio & auctoritate Rempublicam. Cujus familiæ dignitatem, ac præcipuos in Civitate honores adversæ partes molestissime ferentes, collectâ ex insperato ingenti hominum multitudine, factoque in Civitate tumultu, Barbos Parmâ ejecerunt, qui nobilitatem Venetæ Urbis, situm amœnum, rerumque opulentiam conspicati, illuc se receperunt magnâ cum omnium accolarum gratiâ & benevolentia. Dehinc parvo temporis decursu interjecto perspectâ eorum virtute, animique magnitudine, adscripti sunt à Senatu Veneto in Senatorium Ordinem, ac multis honoribus, dignisque Magistratibus tum in toga, tum etiam in bello, per cujusque familiæ successiones ornati sunt. Atque inter ceteros nostræ memoriæ propinquiores Johannes Barbus bello, quod Senatus Venetus adversùs Philippum Mariam Ducem Mediolanensem gessit, factus est dux exercitus, in quo belli negotio tantum prudentiæ ac magnanimitatis ostendit, ut hostium copias persæpe fregerit, & ex duro ancipitique certamine victor evaserit. Pari etiam laude ac splendore se habuit in aliis bellicis rebus, quibus ex Senatus consulto præfici contingebat. Item & in urbanis factionibus ac Magistratibus ita virtus ejus præstans semper enituit, ut omnium opinione ac totius Populi, Senatusque consensu, Francisco Foscaro in principatu præpositus fuisset, nisi ante obitum superioris Ducis mors Johannem Barbum eumdem confectum senio occupasset. Verùm silentio non est omittendum, quod Imperator Constantinopolitanus, qui superioribus Barborum proavis vicinior fuit, pro ejus familiæ virtute ac magnificis gestis, aureâ lineâ ex transverso albi Leonis ad perpetuum familiæ decus in eorum insignibus deferendâ Barbos donavit, qui, ut præfati sumus, ex Ænobarbis corrupto vocabulo Barborum cognomentum accipiunt, quod Venetiis & per omnem Italiæ oram percelebre atque honoratissimum viget. Sunt etiam qui ajunt, hanc familiam pro-

prodiisse à Germanis, & viris dignis atque ingenuis, qui Venetias profecti, virtute ac rebus in eam Rempublicam ab eis bene gestis, in Senatorium Ordinem à Senatu Veneto adscripti annumeratique sunt, perseverasseque jugiter eos Venetiis summâ cum laude ac dignitate. Sed quum hujus opinionis certus auctor non habeatur, nec satis probabiles eluceant conjecturæ, in ea non fore immorandum judicavimus, præsertim quum illa, quæ supra recensuimus, scriptorum auctoritate, ac certis monumentis vera esse probentur. Ejus insuper familiæ multi honores, maximi quoque Magistratus enarrantur, multæ atque in difficillimis rebus amplissimæ victoriæ in vasto mari partæ sunt, nec minùs in terrestri certamine, quemadmodum Venetiis multa & insignia monumenta passim testantur. Multi quoque post superiorem Johannem Barbum ex ea gente subsecuti, bello paceque viri insignes. Verùm quia dicti Pontificis Pauli Vitam moresque, non Barborum genealogiam hìc contexere nobis in animo est, pauca quædam de illius parentibus breviter attingemus, dehinc nostrum de ipso Paulo institutum felicibus auspiciis prosequemur.

Nicolaus igitur Barbus, qui postremo ab hujus familiæ optimatibus genitus est, tantâ morum honestate, tot tantisque virtutum muneribus claruit, ut sæpe censoriam potestatem, ac Decemviratus officium acceperit, atque insuper exercitus Veneti apud Veronam Proconsul exstiterit. In quo quidem Magistratu tantum gratiæ apud milites, & auctoritatis in universo Senatu sibi vindicavit, ut quod inter mortales difficillimum est, ab inferioribus plurimùm amaretur, & à coæqualibus absque invidia honoraretur. Is quinque liberos, mares tres, Paulum, Petrum, & Johannem, feminas verò duas procreavit ex conjuge Polixena Condulmeria, matrona honestissima, vitæque sanctimoniâ præstantissimâ. Ea fuit ex equestri ordine orta, & sanctæ memoriæ Eugenii Quarti Pontificis maximi germana. Sed Paulus eorum primogenitus usque adeo literis, ac paterna virtute excelluit, ut multos Urbis Magistratus, dignasque legationes magnâ cum laude obierit, atque ob id militaribus insignibus donatus fuerit. Demum verò destinatus à Senatu summâ cum omnium spe ad componendum bellum, quod tunc etiam gerebatur adversùs memoratum Philippum Mariam, maximeque attriverat Venetorum opes, difficultatibus ac molestiis omnibus exsuperatis, tantum facundiæ ac sapientiæ ostendit apud Principem illum Venetorum æmulum atque inimicum, ut ipsum in ejus sententiam attraxerit, bellum amoverit, ac diuturnam pacem inter Senatum Venetum, Ducemque Mediolanensem composuerit. Ex qua quidem re tantum splendoris & gloriæ sibi apud Venetorum Populum accessit, ut omnibus quoque gratissimus semper exstiterit, & apud ipsos Senatus Princeps magnus ac præclarus habitus sit. Verùm ne plura de ipso scribentes in prolixitatis vitium incidamus, unde nos declinaturos paulo supra professi sumus, res Pauli primogeniti Militis inclyti, ac Johannis Barbi ejus germani, viri non inferioris splendoris, & paternarum virtutum ornatissimi, in præsenti loco missas faciemus, & de Petro, secundo Nicolai Barbi filio, scribere prosequemur. Petrus Barbus, qui postea Paulus Secundus cognominatus est,

A ex Patre Nicolao Barbo, & Matre Polixena Condulmeria die . . . . . Februarii, Johanne Vigesimo tertio Pontifice Maximo, Sigismundo Imperatore, quem Eugenius memoratus Florentiæ coronavit, ac Thoma Mocenigo Duce Veneto, natus est. In cujus educationem nutrix honesta & prudens in primis adhibita est præcipuo studio, ac summa diligentiâ. Infantulus jam tum existens tantæ dilectionis & gratiæ apud omnes fuit, ut pleræque ex nobilibus feminis Venetiis prægnantibus Deo preces votaque darent, quo filium eis Petro similem pariendum concederet. Puer effectus honestis moribus ac disciplinis mox à parentibus instructus est, quibus apud

B universos propinquos ac notos ita carus atque benivolus evasit, ut cuncti mirificè gestirent paterno affectu illi plaudere, atque ad loquendum tunc interpellare. Et quoniam Polixena mater ejus femina morum honestate, vitæ sanctimoniâ, & summa Religione pollens, Ecclesias ac pia Sanctorum loca quotidianis studiis visere non intermittebat, plane factum est, ut Matrem puer subsequens ad ejusmodi Religionis studia traheretur. Qui robustior corpore, firmiorque ætate jam effectus, persæpe suapte sponte adibat Ecclesias, coætaneorum catervas puerorum secum ductitans, atque inter eos primus ipse imagines quasdam Sanctorum exiguas manibus deferebat, illisque

C tamquam eorum princeps imperitans: quo nescimus quidem, quod aliud majus præsagium futuri principatus ipsius captari queat. Pueritiâ igitur per honestæ documenta disciplinæ peractâ, Literarum studiis adolescentulus traditus est, à quibus si quando eum vacare contingebat, aut optimi genitoris vestigia sequebatur, aut honesti sodalis lateri adhærens, ad ipsas Ecclesias frequentius divertebat. Juventutem ingressus, tali probitatis studio cuncta illius spatia exegit, ut ab imbutis honestatis moribus numquam declinasse cognitus fuerit; immo usque adeo laudabili modestiâ & honestate se ipsum moderabatur & comprimebat, ut numquam per vanitatem, perque alia

D lasciviæ fomenta, sicut illa ætas suadere consuevit, districtus sit. Dum verò Nicolaus Barbus optimus ejus genitor apud Veronam Proconsul in exercitu ægrotans perseveraret, ac quid perperam minusque utile Reipublicæ, militum licentiâ committeretur, tamdem corporeis viribus imminutus usque ad animæ exhalationem, magnâ cum memoriæ sinceritate ac religione obiit. Quo factum est, ut rei familiari propensius intentus, diligentior in omnibus ac maturior efficeretur. Nam domum solus regere, cuncta domi forisque impigre disponere, omnia diligentissime rimari sedulo studio nitebatur: in qua quidem re plurimum gratiæ apud Paulum germanum,

E & Polixenam sanctissimam genitricem sibi vindicavit. Proinde Matrem dilexit plurimum, & summo semper honore veneratus est, quam in multis diligenter observavit, ita ut inter cetera pietatis opera interpolatis Quadragesimæ diebus pane tantùm & aqua contentus, cum ea religiosè jejunaverit. Inter Cives autem & graves viros usque adeo comiter ac laudabiliter se habuit, ut præcipuam omnium benevolentiam & amorem sibi vindicaverit. Sed enim dum talibus se probitatis studiis ageret, & Avunculus ejus Eugenius Quartus Pontifex Maximus pro Infidelium reductione Græcorum Ferrariam profectus esset,

fet, five confuetâ Avunculi pietate, five altiffimo Dei confilio, in eam Urbem ab eo accitus eft. Ubi mox habitu inmutatus, Clericalique charactere accepto, fe per omnia virum graviorem exhibuit. Et quo Literarum ftudiis, & Clericorum inftitutis perfectius imbueretur, ei funt adhibiti viri doctrinâ omnique virtute probatiffimi.

Quum autem fuccedente temporum curriculo, & caufsâ orthodoxæ Fidei optime diffinitâ idem Eugenius ex Ferraria Bononiam rediens in ea aliquandiu demoraretur, ac Petrum nepotem, licèt adhuc ætate juvenem, naturæ tamen docilitate, probifque moribus, & gravitate præditum certa fide intelligeret, ipfum Apoftolicum Protonotarium, & Archidiaconum Bononienfem illic ordinavit. Qualem verò in hujufmodi Protonotariatus officio, atque illo temporum decurfu ipfe fe gefferit, ex eo maximè conjectare licet, quod non minus amabatur ab omnibus inferioris ac mediocris conditionis viris, quàm veneraretur, & ipfi facri Senatus Patres eum acceptiffimum haberent, atque illi certatim obfequi cuperent. Reverfo deinde Eugenio in Florentinam Urbem, interjectifque multorum curriculis annorum, quum pro victoriâ in Nicolaum Piccininum partâ, qui eam Civitatem gravi bello urgebat, contra ipfius voluntatem ac mandata, & pro augendo facro Cardinalium Senatu novos Cardinales effet creaturus, plerique ex facri Senatus Patribus exftitere, qui fuapte fponte, atque animo libero, Petrum talia minime tunc reputantem, prorfufque infcium, ab Eugenio Cardinalem fieri petierunt. Quod quum Pontifex tamdem in facro Patrum Senatu honeftius ac tamquam remiffius proponeret, cuncti fimul in illum repente confenferunt, ac firma vota præftarunt. Quod ubi divulgatum eft inter Pontificios Curiales, atque ipfos Cives, ingenti omnium animos lætitiâ pariter affecit, atque ita quidem, ut à crebris congratulationum acceffionibus vix ei locus quiefcendi daretur. Accepto igitur in Urbe Florentina tam digno & ampliffimo rubei pilei munere, ac præcellenti Cardinalatus dignitate, numquam fe alicui per infolentiam elatiorem immodeftioremque præftitit, immo humanior multoque facilior erga omnes factus eft. Domi benigne cunctos advenientes, ac lætanti animo fufcipiebat. Foris verò inflexas omnium falutationes rutilantis Pilei fublevatione, feu reverenti aliquo figno præveniebat, atque ita laudabiliter fe in omnibus exhibebat, ut eum univerfi collaudarent, magnopereque diligerent. Quin etiam pro laudata apud omnes ipfius humanitate, ac fumma venufti corporis pulchritudine atque decentia, ipfe qua parte iter agebat, omnes cujufque fexus & ætatis per vicos, perque altas domorum feneftras certatim fe feftini ingerebant ad illum proficifcentem confpiciendum; nam dignitatem Cardineam, & ceteras virtutum partes mira corporis venuftas multo acceptiorem apud omnes efficiebat. Multa tum patrocinia in complures tam Curiales quàm Florentinos præftitit, alios dignationibus, alios aliis officiis attolli faciens. Demum Eugenio in almam Urbem magno cum omnium defiderio, ingenti Civium plaufu, ac fummâ lætitiâ reverfo, ufque adeo brevi temporis decurfu ipfe Romanos Cives benignitate, affiduifque patrociniis fibi devinxit, ut non minus Romanus quàm Venetus putaretur. Atque ob id magnæ Romanorum Prælatorum, & cujufque egregii Civis ad eum acceffiones erant, & quotidianæ omnium falutationes; ex his enim alios aliis dignitatibus condignifque officiis honeftari fecit; multis item religiofis & pauperibus interventu fuo commode à Pontifice Eugenio fubventum eft; plerofque etiam capitali fententiâ damnatos, liberos dimitti obtinuit. Paribus infuper officiis apud ceteros Eugenii fucceffores in omnes ufus eft. Poftquam verò idem Eugenius piiffimus Pontifex fuo functus fato, vitam in melius commutavit, ita fe fe omnium fequentium Pontificum moribus accommodavit, ut partialem fere gratiam & amorem ab eis reportaverit; ac nulla fuit umquam tam ardua tamque difficilis res, quam, quum operam diligenter navare volebat, plane non fit affecutus. Cujus quidem rei opinio ufque adeo apud Pontificios Curiales invaluit, ut frequentatiffimum illud inter Curiales exftiterit, oportere deferri ad Petrum Cardinalem Venetum, fi quid quifpiam optaffet illico ac recte curatum obtinere.

Apud Nicolaum Quintum Pontificem maximum, qui Eugenio primus in Pontificatu fucceffit, tantæ gratiæ atque dilectionis femper fuit, ut ei nulla in petitione defuerit, numquam illum in publica feu in privata confeffione afpexerit, five allocutus fuerit, quin fereno ac fubridenti vultu profecutus fit, veluti nos quoque inter alios fæpe obfervavimus. Apud Califtum III. & Pium II. Pontifices maximos eadem fuerunt virtutis & optimæ ipfius naturæ munera, ficut ex multis ac maximis rebus per eum ab illis confecutis plane dignovimus. Ordinem locumque Diaconalem, qui ab Eugenio inter facri Senatus Patres ei datus eft, perdiu tenuit, cujus myfteria tam apte tamque folerter exfecutus eft, ut omnia commodiffime ac polite admodum perageret. Dehinc ordinatus Presbyter ad titulum Beati Marci, brevi tempore cuncta fibi eo in ordine incumbentia didicit, ac fummâ diligentiâ, & obfervatione adminiftravit. Sæpe enim in ipfa Ecclefia celebrare; divinum cultum in ea laudabiliter & canonice obfervari facere; illam privilegiis magnifque Indulgentiarum gratiis attollere; Parrochianorum curam paternam habere; eos facrofancto Euchariftiæ pabulo in Ecclefia propriis interdum manibus religiofe reficere; Cereos item benedictos de more in ipfa Ecclefia Parrochianis elargiri; eis paterna caritate confulere, & plerumque ipfe fubvenire, minimè neglexit: quarum quidem rerum vix pauca in paucis ejufdem Ordinis & dignitatis memorari poffunt. Anniverfariam facere Euchariftiæ folemnitatem in ipfa Beati Marci Ecclefia magno rerum apparatu, dignifque cerimoniis, & diligenti curâ peregit; atque inter alios domefticos in Ecclefia medius ipfe confiftens, longa virentis mirti ferta, & cetera rerum ornamenta difponere, aliud alii faciendum oftendere, ineffabile Euchariftiæ Sacramentum per Ecclefiæ Parrochiam, omnemque titularem ambitum, ordinatiffima cum Sacerdotum luftratione religiofe fubfequi folitus eft. Domum juxta ipfam Ecclefiam magnis impenfis, teftudineoque ædificio funditus conftruxit, cujus quidem fundamenta ceremoniali cum benedictione, atque aliquanta auri argentique difpofitione, ut ex facris inftitutis mos eft, optimis aufpiciis jecit. Interjecto autem aliquot annorum

rum curriculo quum Ecclesia Vicentina, dignitate opibusque præfulgens, suo esset Pastore destituta, illius Præsul electus ac designatus est, cujus solicitudinem diligenter accepit, & jugi studio exercuit. Quam quum pro officio boni Pastoris tamdem inviseret, præcipuâ universi Cleri, Magistratusque Vicentini, ac Civium plausu & lætitia susceptus est. Deinde Venetias, & in paternos lares profectus, tam immensâ honorificentiâ, & apparatus majestate Illustrissimus ille Senatus, & omnis Venetorum nobilitas eum suscepit, ut nihil prorsus ultra habere visa sit, quod in eo ornando tunc amplissime non effecerit.

Verùm ut ad propria naturæ dona redeamus, memorandum profectò illud in eo est, & præcipua laude dignum, quod insignis Præsul, dignus ac nobilissimus Cardinalis, ingentique perfulgens Magistratu, tam facilis atque humanus inter ipsius domesticos semper exstitit, ut consocium potius, quàm Dominum crederes. Ægrotantis Familiæ ita sedulus ac diligens adjutor fuit, ut nequaquam satis actum fore putaret diligenter providisse, ne quid ægrotanti omnino deesset, nisi & ipse infirmum coram viseret, paternisque verbis cohortaretur, ac propriis interdum manibus cibaret, sicut nos inter alios suos familiares illum comitantes in ægrotantis usque cubiculum persæpe conspeximus. Alteri ex famulis sedulam infirmi curam, & jugem assistentiam demandabat, neque cibum ante capere solitus est quàm de infirmo intellexisset. Quam quidem curam in ipso etiam Pontificatu nequaquam omisit; sed tanto frequentius, atque abundantius egit, quanto amplior ægrotantis conditio erat. In gravi valetudine Theodori Ecclesiæ Tarvisinæ Antistitis viri literatissimi, virtutumque omnium refertissimi, quum in ejus cubiculum profectus intelligeret à Medicis illum non posse amplius medicinis juvari, quoniam omnia instantis mortis signa concurrebant: tam excellentis viri obitu vehementer indolens abstinere nequivit, quin in ipsos Medicos tamquam humanarum ignaros infirmitatum exclamaret, & quod in tam diutina ejus viri curatione veram infirmitatis caussam exquirentem edocere non valuissent. Decedentium verò famulorum funera pro eorum conditione honorifice peragi curavit, paterno interdum affectu ea subsequens Cardinalis adhuc persistens, sed in ipso summo Pontificatu locatus universam Familiæ suæ congregationem destinavit ad ea honoranda. In familiarium quempiam numquam ita graviter commotus fuit, quin brevi horæ momento suapte naturâ placaretur, atque ita toto quietus animo fieret, ut numquam excanduisse illum crederes. Tulit tamen molestissime inconstantiam eorumque levitatem, & acerrime arguit. Obtrectatores patientissimo semper animo pertulit, ac ceteros item ei graviter infensos, quorum in nullum cum per opportunitatem posset, umquam ultus est. Quàm maxime autem delectatus est indulgere, injuriarumque oblivisci. Multos quoque eorum, qui sibi hactenus infensissimi fuerunt, rerum summam adeptus non solùm in gratiam recepit, sed honoribus etiam honestavit. Adulatorum figmenta, & plausibiles hominum afflatus aspernatus est, & facetâ verborum interlocutione succidit, quos etiam in ipso summo Pontificatu pari animo contemsit, & ne ultra in ejusmodi sermonibus instarent admonuit. In rebus verò agendis talem semper prudentiam ac maturitatem adhibuit, ut omnes fere conatus felici auspicio concluserit, & ab omnibus parem reportaverit gratiam. Atque inter cetera illud non ad mediocrem laudem accessit, quod apud Eversum Anguillariæ Comitem, multis Oppidis præpotentem & opibus, Nicolai V. Pontificatu, officiose ac laudabiliter egit. Is enim quum ab ipso Pontifice Nicolao occultâ inimicitiâ dissideret, ac justam in se Pontificis indignationem veritus clam armatorum exercitum præpararet, tantum apud eumdem Comitem suis literis crebrisque internuntiis effecit, ut Eversus præparata arma deposuerit, exercitumque dimiserit, & tamdem Pontifici amicus & obsequens factus sit. Verùm ut memoratæ indignationis in Eversum caussa plenius innotescat, paulo supra repetendum est. Nursinorum Oppidum situ, ædificiis, atque ampla circumstantium Castellorum ditione magnum ac magnificum est; quod à longo jam tempore diversarum partibus factionum æstuare consuevit, & continuis fere dissidiis, atque odiis accolarum turbari, atque frequenti Civium & bonorum proscriptione, crebrisque hominum non infimorum exiliis.......
Ea tempestate Stasius, & Gargarius alterius partis primores, viri agrestes ac ferocissimi, summam Reipublicæ Nursinæ tenebant; quorum quidem arbitrio plures viri egregii atque insignes militaribus ornamentis & literarum studiis, Nursini patriâ exules facti sunt. Fueruntque inter exules Benedictus Miles ac Medicus totâ Italiâ celeberrimus, Jacobus Miles & Legum Doctor præclarus, qui Senatorium Magistratum magna cum laude in Urbe sæpius egit, ac multi diversarum insuper legum & disciplinarum Doctores, qui parvi animo eam rerum sortem indolentes, armis ac militum vi patriam repetere tentaverunt, quando aliter eis reditus patere non poterat.

Igitur Nursini omnes exules inito cum Cassianis, Spoletanis, ceterisque finitimis populis Nursinæ patriæ infensis, certo consilio statuunt patriam destinato bello aggredi. Fœdus in primis inter se jaciunt, in Nursinum oppidum omnes certatim conjurant, & quonam pacto victores evadant, maturius decernunt. Tum Eversum communi omnium pecuniâ cum quinque electorum militum cohortibus, quingentisque & eo amplius peditibus clanculum conducunt, rem brevi se confecturos arbitrantes; gregarios insuper milites ex omnibus eorum locis electos addunt, & diem postremo statuunt, quo in Nursinum agrum armati omnes conveniant. Ea res ut primum oppidanis Nursinis cognita est, gravis ac formidolosa vehementer accessit, præsertim quum ex insperato quàm citò bellum perpotentissimum incumberet, & magna Nursini populi multitudo in ipso Oppido à primoribus factionis dissideret, tum summâ exulum necessitudine, tum etiam consanguinitate impulsa. Itaque Nursini destinatis ad Nicolaum Quintum Oratoribus rem omnem ei denuntiant, auxilium ab optimo Pontifice, ac justo Judice postulant, ostendentes idem periculum non magis ipsis Nursinis, quàm aliis Ecclesiæ locis finitimis incumbere. Pontifex autem eâ rerum novitate commotus, Oratores in primis benignis verbis recreat, ac summa spe confirmat, se asseverans præcipua dilectione prosequi Nursinam patriam, hortaturque timorem animis excutiant, constanter & animose agant, nihil veren-

A verentes tumultuosum, & non diuturnum malivolorum insultum; pollicetµrque nulla in re Nursinis se defuturum. Dehinc ad Eversum, itemque ad commemoratos supra conjuratos literas destinat, vehementer se mirari, atque indolere, talem inopinati belli præparationem à suis subditis adversùs fidelem Ecclesiæ Populum Nursinum absque sui scitu ac voluntate factam esse, quandoquidem semper ipse paratissimus erat cuique justitiam expeditius exhibere, si quid damni aut injuriarum inter eos emerserat; admonetque ab incœptis desistant, ac præcipuè ut Eversus exercitum & arma deponat. Is verò ne grandem pecuniarum summam à conjuratis acceptam restitueret, si B ut cum conjuratis antea pactus fuerat, cum exercitu in Nursinum agrum non descenderet, contra Pontificis mandata exercitum omnem cum plurima militum gregariorum turba, & ipsis conjuratorum primoribus in Nursinum solum traducit. Sequenti die instructis magno ordine aciebus, assistentibus undique pro lateribus cunctis peditibus, Oppidum ipsum magno militum clamore, ac summa vi aggreditur, diffusis ex omni parte circum muros peditibus, quibus id munus demandatum fuerat. Nursini etiam contra alii forti animo militibus occurrere, cominus hastas vibrare, strictos enses inimicorum ensibus contundere, equos lanceis transfigere; alii per muros dis- C positi telis, sagittis, ac bumbardis inimicos propius ire audentes fugare, plerosque incautiores juxta mœnia occidere, nihil prorsus commodi concedere, ut hostes muris adhærerent, summo conatu student. Atque utrinque acris pugna committitur, ab aliis siquidem ut inimicos à mœnibus propulsent; ab aliis, ut in Oppidum armis ac vi aditum faciant. Quod profectò ita evenisset, nisi Georgius Cæsarinus Apostolicus Protonotarius in eas partes ad hujusmodi rerum novitatem comprimendam à Pontifice destinatus, Everso tum maxime obstitisset. Nam dum is in aperta Valle Sabinella nuncupata non longe ab ipso Oppido mille passus equitum cohortes parat, turmas D peditum disponit, & gregarios milites instruit, tum Cæsarinus, ne per conjuratorum amicos, qui Oppidum inhabitabant, tumultus in Populo exagitaretur, animose accepto Ecclesiæ vexillo ipsum Oppidum illico circumlustrat, universo Populo subsequente, Ecclesiæque nomen (ut in tali rerum turbine mos est) pariter acclamante. Quo quidem spectaculo concitatæ factionis consilia turbata sunt, compressi animi, & mutata sententia, præsertim quum Cæsarini diligentiâ undique in ipso Oppido disposita præsidia essent. Eversus autem, posteaquam aliquandiu utrimque manus ad bellum consertæ sunt, cognitis his, quæ per Cæsarinum gesta erant, rem secus atque arbitra- E tus est evenisse indolens, suos omnes milites retro convocat, castraque in ea Valle paulo remotius collocat, ratus quod primo aggressu efficere nequivit, aliquo dierum spatio interjecto facilius consequi. Cæsarinus vero illico per occultos nuntios rem omnem gestam, & Eversum prope Nursiam castra fuisse metatum, Pontifici significat, qui suas gentes per stationes dimissas repente in unum convocat, in Eversum omnes destinat, & cunctos aditus & loca, unde illi reditus ac fuga patere poterat, obsideri jubet. Sed ubi ea, quæ Pontifex paraverat, Everso nota fuere, mutato consilio castra inde illico submovet, ipseque paucis cum equitibus, & multis peditibus circumspectus, clam abiit, ac per occulta & asperrima montium diverticula tamdem ad Portam Reatinam præter omnium opinionem descendens, trajectoque amne Tiberino, & insidiis adversariorum declinatis, salvus atque illæsus ad sua Oppida rediit, ubi suos milites & exercitum dimissum ad propulsanda Pontificis arma congregat, multosque in dies ampliorem exercitum undique parat. Quæ quidem belli futuri & armatorum præparamenta per eum ante Pontificatum, ut paulo supra recensuimus, magnâ cum diligentiâ & ingenti curâ compressa & submota sunt.

Sub Calisto III. Pontifice Maximo in Campaniam profectus, æstivam Urbis intemperiem declinaturus, plerosque Populos acri odio & inimicitiâ dissidentes perpetua pace, atque amico fœdere conjunxit. Ex Campania verò in Urbem reversus ab eodem Calisto ad ipsum Eversum destinatus est, ut ab armis eum amoveret; nam maximis inimicitiis tum adversabatur Illustrissimæ Ursinorum familiæ ob successionem Comitatus Talliacotiani, ab ipsis Ursinis occupatam, & armis ac bello eam successionem vendicare statuerat. Exasperarat insuper odium & intestinum Eversi rancorem in ipsos Ursinos, quod plerique militum eorum magno & hostili impetu domum Eversi Romæ ipsâ Calisti Pontificatus celebritate invaserunt, opinantes Eversum domi incautum comperire, finemque liti, atque inimicitiis cruento ferro imponere. Sed quum Eversus penes Calistum Pontificem in Laterano tunc esset, conatus eorum frustratus est, & nihil præter animorum furorem consecuti sunt. Ast Eversus de hoc certior factus vehementer apud Pontificem Maximum, atque ipsos sacri Senatus Patres tam insperatum insultum, tamque insignem adversùs se injuriam questus est, præsertim cum in tanta Pontificis solemnitate omnia civilia arma, omnesque simultates conquiescere debeant. Demum paucis interjectis diebus inito cum Columnensibus perpetuo societatis & amicitiæ fœdere, atque etiam postea firmatis inter eum & Ursinos per ipsum Pontificem ac Patriarcham Aquilejensem Cardinalem in titulo Sanctorum Laurentii & Damasi induciis, se ad propria recepit. Quibus quidem induciis in ipso Calisti tempore jam exactis, ipse in semestre eas tamdem distulit, compresso Eversi furentis animo, qui armis ac bello cum hostibus congredi ardere videbatur. Quum autem sub Pio Secundo Pontifice Maximo induciarum tempus rursus esset inter Ursinos, & Eversum jam finitum, atque hinc Eversus, inde Ursini quotidianis incursionibus ac prœliis se se conflictantes, Romanos, circumstantiaque Ecclesiæ loca magnis incommodis afficerent, nec pro crebris bacchantium undique peditum insidiis iter viatoribus, neque peculium colonis tutum esset: iterum à Pio, sacroque Senatu, ad id malum tollendum destinatus est. Qui se iterum ac denuo ad utrasque adversantium partes non absque magna corporis defatigatione conferens, tali prudentiâ & auctoritate rem bellicam inclusit, ut XXX. mensium inducias inter eos sanciverit, quo pax inde facilius subsequeretur; frementia in ipsis Urbis faucibus arma compresserit; metum Romanis, insidias viatoribus, aliaque horrenda facinora cunctis ademerit, atque annonam paulo ante in Urbe ingravescentem abunde dilatari fe-

cerit. Interpositis dehinc paucis annis quum idem Pius contra Gentilem nobilem Urbevetanum iniquâ plebejorum suggestione ad Oppidum Ficullis, ubi tum demorabatur, exercitum destinasset, & Gentilis non Pontifici, sed malevolis plebejis Urbevetanis potius resistens, inimica arma in agrum Urbevetanum convocare statuisset: ipse ad Gentilem jussu Pontificis accedens, usque adeo illum in ejus voluntatem adduxit, ut Gentilis nihil ultra tentaverit, ac Pio obsequens supplexque factus sit. Amicos autem non inferiori pietate in adversis, quàm secundis rebus prosecutus est. Nicolao siquidem V. Pontifice maximo, qui literatorum ac virtutum omnium amplissimus portus & aura fuit, ab hujus vitæ caligine revocato, germanum ejus Philippum Antistitem Bononiensem, & Cardinalem in titulo Beati Laurentii in Lucina, cum sua & Pontificis extincti familia summo amici officio, & præcipua caritate complexus est, omnique in negotio die atque ad multam interdum noctem illi semper affuit consilio ac favore. In Calisti III. obitu memorandum illud amicitiæ facinus exhibuit erga mortui Pontificis nepotes; nam quum acres & apertæ jam inimicitiæ Ursinorum ex insperato delatæ essent P. Alovisio Borgiæ Pontificis extincti nepoti, qui diu militarem Ecclesiæ rexit exercitum, & tamdem Ursini per nocturnas insidias Borgiam abeuntem male tractari mandassent, omnesque viarum aditus, unde illi ad Portam Capenam directum iter erat, occupari fecissent, ita ut Borgiæ maximum vitæ periculum immineret: ingenti solicitudine, ac vigilanti curâ incumbens, illius discrimen magnanimus abstulit. Nempe cum Rodorico Diacono Cardinali, Borgiæ germano, multisque aliis dignis Prælatis, ductore insolitarum viarum Georgio Cæsarino, cujus supra meminimus, nocte intempestiva dissimulato itinere, per Pontem Milvium, viamque Flaminiam, ac per insperatas Urbis vias profectus, crebras Ursinorum insidias declinavit, atque illum tamdem deduxit illæsum, unde triremem ad Arcem Civitatis Vetulæ ascensurus erat. Et quamquam maxime defatigaretur multis insolitarum viarum anfractibus, duri itineris asperitate, atque obscuræ noctis molestiâ: tamen ipse numquam se à Tiberino litore subtraxit, quoad usque Borgia tutus vela triremibus dari jussit, seque ab ejus conspectu dimovit. Quam Borgiæ tutelam ac salutem Ursini gravius æquo accipientes, vehemens odium acresque minas adversùs eum concitarunt: quæ ipse parvi existimans susceptum amici patrocinium magnifice prosecutus est, Rodorico Borgiæ germano, ceterisque affinibus consilio ac favore semper assistens. Neque verò se alium exhibuit erga inferioris conditionis benivolos: nam & Gentilem memoratum domo paterna cum suis profugum inter alios ejus familiares tenuit, aluit, & fovit, quo caritatis officio multos etiam commendatissimos habuit, eosque in gravissimis rebus tutatus est. Non minus insuper amicis vitâ jam functis integra amicitiæ jura servavit; nam eorum testamenta & legata præcipuâ diligentiâ & inviolabili fide exsecutus est. Cuncta ipse conspicere, omnia bene disponere, atque in omnibus ipse intervenire. Funus Johannis Ecclesiæ Metensis Antistitis Cardinalis in titulo Sanctæ Sabinæ solemni pompâ, & magno honore peregit, atque ipsius testamentum officiose implevit. Idem effecit in funere ac testamento Petri Brixiensis Ecclesiæ Episcopi, & post sacram Principis Apostolorum Sedem adeptam testamentum optimi amici Nicolai Cardinalis in titulo Sancti Petri ad Vincula, cujus antea Cardinalis existens exsecutor relictus fuerat, magnâ diligentiâ & quotidianâ solicitudine adimpleri demandavit.

Liberalitate autem ac munificentiâ erga omnes supra modum ita per quosque ætatis suæ gradus usus est, ut adhuc adolescentulus quum aliquando redargueretur a collactaneo, & condiscipulo honesto ac nobili, quod ipse plusculum daret, quam decens videretur, responderit:........ *unde id faciam ...... amicis esse munificus*. Demum post aditam Clericalis militiæ professionem, atque acceptis Cardinalatus insignibus, tantæ liberalitatis exstitit, ut ad omnium petitiones facillimus fuerit, & ultro ipse pro rerum atque hominum conditione se munificum exhibuerit. Quo factum est, ut interdum non modicâ pecuniâ plerisque amicorum obnoxius exstiterit. Inter cetera liberalitatis officia id maxime dignum memoriâ est, quod erga eumdem Nicolaum Cardinalem in titulo Sancti Petri ad Vincula præstitit. Is enim quum Brixiensis Ecclesiæ Præsul esset, & jura Ecclesiæ suæ gravi tyrannide diu oppressa legitime tueretur, neque ulla minarum opprobriorumque asperitate à suscepto Ecclesiæ patrocinio desisteret, tamdem à sævissimo barbaro per insidias captus, horridi carceris squallore attritus est, & tamdem occasione præstita inde effugiens, cunctis Ecclesiæ alimentis enudatus est. Quam amici sortem consuetâ pietate ipse adjuvit, quo ad ejus conditio & facultas tum suadebant, elargito illi Monasterio Beatorum Severi ac Martyrii, sito in agro Urbevetano, quo sanctus ille pater æstivabundus proficisci consueverat. Quod quidem factum ob id maxime illustratur, quod ipse suâ sponte suisque impensis illi inscio omnia expedita destinavit, quæ ad possessionem Cœnobii memorati adipiscendam opportuna erant. Pari etiam liberalitatis officio functus est erga Æneam tum Ecclesiæ Senensis Antistitem, & Cardinalem in titulo Sanctæ Sabinæ, qui deinde Pius II. appellatus memorato Calisto successit. Siquidem quum ipse Æneas pro Cardinalatus novitate rerum quasi penuriâ laboraret, Cœnobium Beatæ Mustiolæ in solo Senensi situm, quod diu ipse possedit, Æneæ postulanti summâ animi alacritate dimisit. Munera ipse numquam nisi à familiarissimis, & ea modica esculentaque accepit; cetera vero destinata remisit, & ne amplius afferrentur prohibuit. Quam quidem continentiam in ipso Pontificatu jugiter & accurate observavit. Nam in primis Pontificatus initiis munera ceteris Antecessoribus largiri consueta per diversorum Principum ac Civitatum Oratores ipse constantissime recusavit, se his minime opus habere asseverans, sed perseveranti fidelitate atque obedientiâ erga Sedem Apostolicam opus esse. Convivia amicis frequenter mediocrique sumtu exhibuit; ceteris autem tarius diligenti præcipuoque apparatu dedit. Jubilæi tempore Nicolaum V. Pontificem Maximum magnâ cum sacri Senatus parte honorificentissime ac summâ cum rerum omnium affluentiâ die ac noctu Domi suscepit. Solitus est etiam in anni decursu aliquem ex Cardina-

dinalibus, seu excellentibus Oratoribus convivam habere, maximam diei partem exponens in convivio peragendo pro varia electorum ciborum appositione. Privatis verò amicorum cœnaculis, aliisque secessionibus rogatus sæpissime intervenit, jocundus cum omnibus ac festivus. Spectaculis publicis si quando eum interesse contingebat, remotiori atque honestiori parte cum aliquo ex sacri Senatus Patribus, aliisque dignis Prælatis, se ad conspiciendum locabat. Omnium vetustatum exactissimus perscrutator exstitit, atque aureas Cæsarum imagines, alteriusque metalli in ipsis Numismatibus tam probè dignovit, ut primo aspectu illico Cæsaris nomen exprimeret: proinde Cæsarum, summorumque Pontificum tenacissimam habuit memoriam. Hypocritas ac pestilentissimum simulatorum hominum genus semper exhorruit, acerrimeque insectatus est. Adulatores, ac plausibiles assentatorum affatus graviter audivit, interpositoque sermone succidit: quod etiam in summo Pontificatu perseveranter egit, atque se vero vultu, contractisque superciliciis adulatores intuitus, in alia verba declinare cogebat, quæ præter adulationes prosecuturi erant. Quum autem idem Pius II. adversùs efferam Turcorum perfidiam sanctam illam expeditionem per omnem terrarum Orbem concitasset, eum in Anchonem subsecutus est tam ardenti sub Solis exustione, itinerumque defatigatione, ut delicatum corpus adversâ valetudine correptum fuerit. Pius quum paucis diebus Anchone exactis ibi tamdem obiisset, & sacer Patrum Senatus pro eligendo extincti Pontificis successore in almam Urbem rediisset, ipse febre adhuc gravatus lecticâ inter postremos sui ordinis Patres Pii cadaver subsecutus est. Qua quidem febre usque adeo contritus, ut post exactas de more Pontificias exsequias in ipsum Conclave pæne ultimus lecticâ etiam delatus sit. Celebratâ igitur sacrâ Eucharistiæ oblatione in eodem Conclavi, invocatoque Sancti Spiritus auxilio (sicuti mos est in tam arduo Fidei negotio) usque adeo conformis de eo electio fuit, & consona ac firma in eum vota exstiterunt, ut ipsi sacri Senatus Patres admirarentur, & cetera hominum multitudo divino quodam numine id factum esse affirmaret, quando quidem in tam eximiâ unici terrarum Pastoris ac Domini per multos sæpe dies elaboratum sit, & plerumque non correspondentia eligentium vota tantam molem seu in longum tempus, seu in aliam personam traxerint. De cujus quidem electionis miro ordine, deque eligentium nobilitate ac præstantia, & de uno omnium voto, atque egregiis electi Pontificis virtutibus Jacobus Antistes Papiensis Cardinalis in titulo Sancti Grisogoni, Vir maximi ingenii, ac summæ facundiæ, & copiose & ornatissime scripsit. Pontifex autem ubi se uno omnium consensu electum intellexit (quod ipse minime sperabat) illico sibi ex Petro Pauli nomen imponi ac vocari voluit. Fuere nonnulli doctrinâ & prudentiâ viri præstantes, qui ut primum Pauli secundi Pontificis assumti nomen audivere, compensatâ ejus amplissima rerum experientiâ, integritate, & excellenti animo, ceterisque virtutum dignissimis partibus, è vestigio prædixerunt, eum fore vigilem Ecclesiasticæ ditionis pugnatorem, sanctæ disciplinæ directorem, atque acrem malefactorum correctorem. Ejusmodi autem electio quam-

A primum innotuit, maximo gaudio & lætitiâ exspectantium Populorum animos explevit; tum omnes uno ore verum sibi Patrem patriæ, fundatorem quietis, ac justitiæ amatorem desuper datum conclamare; tum certatim per vicos ac plateas Romani, & omnes accolæ mirifice exsultare, festos in triviis focos agere, vota precesque Deo optimo pro tali Pastore servando, ac fausta verba concinentes frequentare. Quod equidem haud mirum fuit, quum permultum differat inter eum, quem ducem hominum, rerumque dominatorem non homines, non ambitio, non precatus, non factiones, non congestæ opes, non denique formidolosa potestas, sed quem

B naturæ bonitas, ingens erga omnes pietas, quem bonæ artes, virtus inclyta, & quem ille supremus rerum artifex Deus hominum corda dignoscens fecisset, & ad regendam divini Piscatoris naviculam, Pontificaleque ministerium pertractandum elegisset, immò electum demonstrasset. Divulgata mox in finitimas, ac deinde in remotas regiones talis de Paulo II. electio pari gaudio ac lætitia Principum ac Populorum animos affecit, quemadmodum Cæsaris Frederici Imperatoris III. Regum, atque Provinciarum & Dominorum Oratores publico in Consistorio demonstrarunt: quibus ipse præcipuâ modestiâ & humanitate particulatim amplissime satisfecit.

C Legationes omnium Principum summâ cum honorificentiâ excepit, quarum fere omnes condignis muneribus donavit. Private autem omnes patientissime audivit, & ad cunctorum petitiones gratus ac liberalis fuit. At qui ut mox Pontificias regere habenas occepit, tanto rerum moderamine cuncta disponere, agere, & administrare studuit, ut nihil omnino prætermitteret, quod ad optimum Pontificem ac verum Patrem Patriæ spectarent. Populis autem in ejus pedum oscula confluentibus illud sæpe repetiit, sereno vultu, benignisque verbis eos alloquens, bono omnes essent animo; nam tranquillam pacem, amplam rerum copiam, & intrepidam justitiæ administrationem

D ab se habituri erant

Annonam rei frumentariæ Romæ in Campo Floræ cunctis patentem instituit. Et quum grani pretium immoderatius ingravesceret, minusque frumenti per Romanos venum exponeretur, convocatis primum ad se Romanis Civibus, qui agriculturæ operam impendebant, ita eos alloquitur: *Inter ceteras animi nostri solicitudines ea quoque nobis cordi est, ut dilectissima Urbs nostra Roma, quam incolimus, nullâ rerum penuria gravetur, sed præcipue frumento redundet pro divitum ac pauperum commoditate. Quod autem vos pro vestra utilitate, atque Urbis necessario usu, non exhibeatis granum publice vendendum, graviter molesteque ferimus, quandoquidem vos non minus*

E *studere debeatis, ut in hac Urbe saltem grani copia habeatur pro vestro honore ac nostri contemplatione, qui omnium commoditati prospicere cupimus. Requirimus igitur vos, & hortamur, ut quisque pro ejus decentia & facultate granum publice venum exponat: quod nobis ob omnium consolationem pergratissimum fiet.* Quum autem illos ad id exsequendum tepidiores intelligeret, aliusque aliam excusationem causaret, qua cogebatur pro sua familia nutrienda frumentum potiùs emere, quàm ceteris venumdare: tamdem ipse ait. *Quamquam multa dixeritis ad suadendum nobis, frumentum in Urbe*

apud

apud Cives venale nequaquam esse, tamen adduci nequimus, ut credamus, in hac Urbe nostra tantum grani non esse, quod ultra Civium necessitatem huic publicæ indigentiæ satisfacere non possit, præsertim cum ager Romanus etiam in ipsa frugum raritate atque intemperie supra ceteros fertilissimus sit, ac magna ex parte Cives nostri Romani agriculturam sequantur. Nos autem eorum consuetudinem non ignorantes, tali diligentiâ aliunde providebimus, ut nullus occultatione seu tarditate grani vendendi, præter honestatem locupletari queat; sed omnibus par emendi frumenti copia sit decenti pretio ad id statuto. De hinc ut maturius tale negotium ageretur, certiorique rei frumentariæ præparatione firmatum esset, Urbem omnem per Regiones, perque singulas Ecclesiarum Parrochias unitim exquiri fecit, atque examinatâ necessariâ frumenti præparatione facienda, tantum grani ex circumstantibus locis brevi temporis spatio Romam deportari fecit terra & mari, ut non solùm frumenti, sed farinæ ac panis amplissima emendi copia omnibus facta sit. Repletis insuper horreis grano, quod in Campo Floræ pro annona servanda deputaverat, præstitâque omnibus maximâ grani habendi facultate, tot per diversas Urbis partes horrea frumento explevit, ut etiam sequentis anni sterilitatem comprimere potuisset. Granum verò, quod antea tribus & eo amplius aureis vix emendum comperiebatur, ipso uno ac dimidio aureo, minus quoque tribus denariis argenteis, venum omnibus dari fecit. Carnibus item, & piscibus ad æquam normam pretium restrinxit, quod vendentium avaritiâ indecenter auctum erat. Quum deinde Macellarios in vendendis carnibus obstinatiores intelligeret, quo magis ostenderet, posse se Urbem omni tempore omnibus necessariis rebus lautissime abundeque absque Romanis mercibus alere, tot diversorum pecorum greges brevi dierum intervallo in Romanum agrum ac circumstantia loca deduci fecit, injuncto negotio Lucæ de Amadeis Senensi, Viro diligentissimo atque prudenti, ut erectis in diversis locis Urbis, ac frequentatis plateis, novis Macellis, ingentem carnium copiam cunctis effecerit. Ut vectigalia nova advehentibus in Urbem venales carbones, lignaque mediocria ad varias ædificiorum structuras necessaria, imponi passus est. Et quamvis ad paucissimos denarios pretium esset portitoribus limitatum, tamen quia ex his reditus maxime augebantur, ea usque etiam continuare voluit. Civiles simultates ac scelesta brigarum portenta ingenti curâ, & pertinaci animo ex Urbe abstulit, omnesque in ea re optimates & amicos pari conditione habuit. Antonium Caffarellum, utriusque Juris Doctorem excellentissimum, Advocatum Consistorialem, & Johannem Alperinum nobilem Romanum, ei non mediocri benivolentia conjunctos, capitali inimicitiâ diffidentes, post notabiles pœnas utrisque illatas, tamdiu in Arce Romana detinuit, quo ad eorum obduratissimos animos ad pacis fœdera deflexit. Quum verò quidam ex primoribus Urbis Johannis affines pro eo supplicarent, commemorantes innatam Pontificis benignitatem, clementiam, & multa insuper beneficia erga ipsum Johannem hactenus per eum impensa, ipse non minus graviter quàm prudenter respondit, eos de se vera in Johannem narrasse, sed reputandam esse rerum temporumque conditionem, ac se hactenus Johannis advocatum fuisse, nunc verò ipsius omniumque Judicem esse, qui cunctis justitiam exhibere intendat. Ut autem cuique jus expeditius ministraretur, tàm Romæ, quàm in ceteris ditionis locis, ad omnium causas viros graves ac doctissimos deputavit, nullumque damnari passus est, prius ejus causâ non discussâ & convicto judicio. Jacobum Ptolomeum nobilem Senensem Pontificatu Pii Secundi Custodem Arcis Romanæ, ingentis crudelitatis atque injustitiæ coram se accusatum, ex itinere, quo Senas clandestinus properabat, Romam redire coëgit, eumque compulit universis pro justitia satisfacere. Adversùs quem quum Romanus quidam inquilinus acrius instaret, ostentans brachium, quod ei Ptolomeus truncari fecerat, justitiam contra illum clamitans, ipse Pontifex illi tamdem respondit, se optimis Judicibus caussam Ptolomei examinandam commisisse, qui omnibus justè satisfacturi essent. Quum autem importunius clamaret, justitiam sibi ministrari, gravi ac faceto responso eum tacere compulit. *Fortè*, inquit, *non expediret tibi hanc justitiam ministrari, quando quidem reliquum brachii abscindendum tibi foret, si justitia tibi ministraretur.* Intellexerat enim, illum ante manus abscissionem impetuosum tumultum in famulos Ptolomei fœnum deportantes ante Portam Subjanicularem fecisse. Justitiam tantâ clementiâ & misericordiâ temperavit, ut delinquentes levioribus pœnis multari voluerit, & si quando de alicujus capitali sententiâ ac judicio coram se proponebatur, vultum animumque exasperaverit & per multum indoluerit. In caussa Antonii de Toccho, Oppidulo in Aquilana regione sito, ita justitiam exsecutus est, ut clementiam non prætermiserit. Nam quum Ludovicus Cardinalis in titulo Ecclesiæ Sanctorum Laurentii & Damasi, qui eum tamquam de stercore ac vilissima conditione ad dignum & opulentum sortis eventum erexit, inter multa alia beneficia Canonicatum in eadem Ecclesia ei contulerit, & tamdem Ludovicus mortuus in eamdem Ecclesiam delatus fuerit: idem Antonius tantorum immemor beneficiorum, patronum defunctum suis honoratissimis vestibus atque anulis enudavit, addens derisum scelesto facinori; *heus*, inquiens, *Domine, totiens ego tibi reverentiam feci: tu nunc parem mihi reddes vicem*, simul cum verbis novissimum ex ejus capite birretum eximens, ac suo imponens. De hinc propalatum sacrilegium subtegere cupiens, patroni sepulcrum diffregit, fœtensque cadaver subtractis vestibus induit, violati sepulcri reus effectus. Quæ quamquam ceteris Canonicis ante nostram in ea Ecclesia institutionem nequaquam ignota essent, tamen quia is Antonius in patronum beneficum impiis manibus omnia memorata patrare ausus est, atque ob id multisque aliis ex justis capitibus tam atrox facinus longe gravius in eo damnandum erat, exiguâ pœnâ ipsum puniri voluit. Nam ceteris Canonicis ad eorum Canonicatum benigne restitutis, universa, quæ Antonius possidebat, integra & intacta ei dimisit, præter ejusmodi Canonicatum, quo à Judicibus in ea caussa deputatis privatus fuerat. Nicolaum, ejusque germanum Aluisium Scarampos, Cubicularios memorati Ludovici, pro occultatâ maximâ gemmarum aurique copiâ, proque fugâ jam abreptâ ex Urbe contra Pontificis impe-

imperium, tam leviter castigavit, ut beneficium potiùs, quàm speratam pœnam acceperint. Siquidem non solùm eos publicâ reclusos custodiâ in brevissimo dierum spatio liberari fecit, sed etiam duo millia aureorum & eo amplius ipsis donavit ex bonis, quæ Ludovicus patronus testamento legaverat: quod quidem testamentum honestâ ac justâ ex caussâ Pontifex aboleri, irritarique fecit. Ligur quidam per insanæ mentis stimulos quum contumeliosos minusque decentes codicillos ei obtulisset, satis habuit eum detineri aliquot menses in Arce Romana, deinde ad saniorem mentem deductum ipsum illæsum dimitti. Romanos juvenes vagos insolenterque agentes nullo alio animadversionis genere puniri voluit, quàm aliquanta maceratione in ipsa Arce Romana: quod supplicii genus usque adeo indomitorum juvenum insolentiam compressit, ut & à depravatis moribus abstinuerint, & se ab ea perditissimorum juvenum scelesta societate retraxerint, quæ Calisti III. Pontificatu Romæ insurgere occepit, atque ipsi etiam insanæ conversationis consocii, qui in Urbe aderant, illico omnes Româ effugerint. In ea juvenum correctione per jocum se jactare solitus est, plurimumque sibi Romanos Cives debere professus, quod tali disciplinæ temperamento natos eorum devios comprimeret, atque modestiores & prudentiores efficeret.

Sacræ Religioni, divinisque officiis deditus admodum fuit. Cui ante adeptam summi Pontificatus dignitatem religionis studia exstiterant præcipuum aliquod Dei Templum diebus festivis visere, persæpe in Quadragesima stationales Ecclesias adire, atque aliis anni solemnitatibus nunc ad Lateranensem Ecclesiam, nunc ad ipsam Principis Apostolorum Petri Ædem (cujus ipse Archipresbyter erat) sese conferebat, divinis officiis non minus devotus quàm patiens assistens. In clivoso ad Aram Cœli Templo frequentius convenire solitus est, ad extremum usque divinorum officiorum demoratus: Ubi ligneam arcam ad retinendos psallentium libros, variâ ac politissimâ structurâ ornatam in chori medio propriis impensis erigi fecit. In cultu divino splendidissimus atque cerimoniosissimus fuit, ita quidem ut & Cardinalis existens multas Sanctorum Reliquias, devotissimasque imagines argento ornari, plures Sacerdotales ac sericeas vestes, & mitram Episcopalem multis gemmis atque ingenuo opere confici, Librosque Ecclesiastici mysterii multo ornamento conscribi fecerit, & Pontifex summus effectus quamplura summi Pontificatus magistratu condigna multo ornatius multoque magnificentius addiderit: Quippe multa varii generis atque usus argentea vasa auro desuper linita vastæ magnitudinis ac mensuræ confecit, quorum pleraque in solennioribus conviviis, alia verò in sacris mysteriis habuit. Fuere inter ea vasa argentea duo in ampliorem magnitudinem atque mensuram, quorum quodque viginti & septem metretularum, quas vulgo *boccalia* nuncupamus, mensuram accipiebat. Pondus verò amborum centum & decem atque octo librarum fuit. Thiaram quoque, quam mitram seu regnum appellamus, tam ingenti auri, gemmarumque electissimarum sumtu ac splendore confecit, ut omnium antecessorum Pontificum industriam & impensam evicerit. Dehinc primæ Tiaræ ponderositate gravatus, alteram gestatu leviorem, capitique aptiorem fecit, demandatâ operâ Paulo Jordano Romano aurifici clarissimo. In qua tantam gemmarum, diversorumque lapidum insignium ac margaritarum incredibilis ferè magnitudinis congeriem adjecit, ut centum & octoginta millia aureorum, atque eò amplius, pretium adjudicatum fuerit. In qua quidem Tiarâ multi lapidum elegantissimorum alligati sunt, quorum plerique viginti duo millia, nonnulli quindecim millia, aliqui duodecim millia, reliqui verò lapides, quorum ingens præter electissimas gemmas numerus erat, quinque millia aureorum communi æstimatione valebant. Quum autem ipse in Natali die secundùm humanitatem Salvatoris Mundi solemnia Missarum pro sua consuetudine celebraturus in Templum Apostoli Petri descenderet, tamdem Tiaram capite gestans, quammulti fuere, quibus lapidum gemmarumque usus notior erat, qui pro tantorum excellentia lapidum atque gemmarum ipsam Tiaram ducenta millia aureorum, & eo amplius æstimarent. At vero quum ceteri Pontifices vix semel in anni decursu Tiaræ usu delectati sint, ipse primus pro rerum ac dignitatis conditione frequentius, atque id solemnioribus anni diebus eam magna cum venustate deferre consuevit. Sacrificia Eucharistiæ, quæ vulgo Missas dicimus, solemni apparatu perraro egit, sive ne ipsos Patres assistentes longiori mox tœdio ac molestia gravaret, sive longam succi pleni corporis defatigationem pertœsus in ipso sacrificio peragendo. Cetera verò Pontificia munera frequentissime, atque ingenti cum diligentia & majestate exsecutus est. Sacras insuper cærimonias supra modum novit, accuratissime observavit, & pleraque in eis magnificentius ac dignius adjunxit. Siquidem sacri Senatus Patribus rubeas infulas equorum, ac paludamentum ejusdem coloris deferenda concessit, suamque singulis Patribus infulam ac paludamentum elargitus est, edicto prohibens, ne quis extra Senatorium Ordinem tali genere infularum atque paludamenti deinceps uteretur. Ipse autem sericam infulam aliquanto auro contextam à duobus lateribus candidi aut rubei coloris pro exigentia temporum gestavit. Itidem & eorumdem colorum sericeam cappam absque ulla alia rerum textura amictus est. Mitras insuper, quæ olim à Cardinalibus, ceterisque Prælatis, parimodo in diversis officiis deferebantur, juxta cujusque ordinis dignitatem distinxit. Nam Senatorii Ordinis Patribus sericeas albas, reliquis verò inferioribus Prælatis absque . . . . coccineas ut hactenus adjudicavit. Ex omnibus sacræ Religionis professionibus illam Christi Jesu, Apostolorumque ipsius professionem & institutum maxime amplexus est, ac viros in ea dignos pro virtute ad majora extulit. Sed Lateranensem Ecclesiam Pontificiam ipsius sedem institutis ac professione Canonicorum Augustinensium sugillavit, ac regi voluit, subtractis inde primi ordinis Sacerdotibus, quos Canonicos Seculares appellamus, sive existimans primam ejus sedem tali religiosorum Patrum continua assistentia, & multo diligentiori sacrarum rerum exsequendarum solicitudine sanius ac felicius gubernari, sive ut avunculi sui Eugenii supra memorati parem voluntatem, idemque factum sequeretur & approbaret; qui Eugenius hujusmodi religiosos Lateranensi Ecclesiæ præfecit atque instituit,

ſtituit, ab ea deſtituens Canonicos Seculares, quos deinde Caliſtus III. rogatu precibuſque Romani Populi ad eamdem Eccleſiam revocavit & inſtituit, fugatis à Populo Auguſtinenſibus, quos ipſe in ea rerum turbatione tali cura, & pietate circumfovit, ut inter popularem tumultum quidam ei gladio minaretur, niſi deſiſteret. Verùm magis magiſque invaleſcente tumultu furentis Populi, cenſuit furori cedendum eſſe, juratus, ſi quando facultas adeſſet, Auguſtinenſes per impetum atque ignominiam à Laterano effugatos, honorificè ac proceſſionaliter in ipſam Eccleſiam ſe revocaturum. Dehinc illos trepidantes ac vitæ dubios ipſe pleriſque digniſſimis Prælatis comitatus ſecum illæſos inde ſubtraxit, partem ad Aram Cœli Monaſterium, partem in Cœnobium Beatæ Mariæ novæ, partem verò eorum in ejus Palatium adducens, cunctiſque tam diu opportune proſpiciens, quoad eorum quilibet ad Urbe diffugit. Eos autem in ſui Pontificatus initio, quemadmodum proteſtatus fuerat, in Lateranenſem Eccleſiam ſolemni cum proceſſione revocavit atque inſtituit, ſervato tamen honore ac priſtinis emolumentis Canonicorum Secularium, quos ad ſervitium Baſilicæ ad Sancta Sanctorum deputavit. Auguſtinenſibus vero pro eorum victu centum aureos quolibet menſe diu dare perſeveravit, quoad ex fructibus Caſtri Fraſcati, atque aliunde commodius eis certiuſque providit.

Ceterum ad Orthodoxæ Fidei tutelam adversùs perfidiſſimos Turcos ab ipſis Pontificatus ſui primordiis centum millia aureorum quotannis contribuit, quas quidem pecuniarum ſummas ex minera Aluminis juxta oppidum Tolfæ noviſſime comperta accipiendas conſignavit. Quoque diligentius atque accuratius illa in tam ſancta expeditione diſpenſarentur, tribus ex ſacri Senatus integerrimis atque graviſſimis Patribus ejuſmodi negotium demandavit. In obſignandis literis, quas Bullas trito ſermone nuncupamus, novo ac magnificentiori plumbationis genere uſus eſt, & quidem non diſpari à magnitudine priorum plumbationum, ſed multo artificioſiori digniorique opere atque ſculptura. Eccleſiaſticas dignitates nec ſubitò, neque ullius etiam maximæ auctoritatis viri precibus, ſed libero animi judicio pro cujuſque virtute contulit; immò inrogatus multos præſtantes viros diverſis Eccleſiis inſcios atque abſentes præfecit. Reliquos autem Magiſtratus alicujus ex ſacri Senatus Patribus ſupplicatione interdum ſigillatim conceſſit; frequentius verò ipſe aut amicitiæ, aut nobilitatis, aut virtutis gratiâ eos dedit. Primus inſuper inter Pontifices exſtitit, qui præcipuas quaſque ac diſcriminoſas arces Prælatis, Eccleſiaſticaque Beneficia habentibus, cuſtodiendas aſſignavit, quo tutius ac fidelius omni temporum eventu Apoſtolicæ Sedi conſervarentur. Fuit autem in peragendis negotiis excellentis prudentiæ, altiſſimique conſilii, ac tam ſummæ taciturnitatis, ut quod prædeceſſorum temporibus indecenter inoleverat, nullus eſſet maximæ familiaritatis aut conditionis, qui quicquam eorum, quæ acturus eſſet, intelligere potuerit. Familiares quoque ſuos coram ſe taciturnos eſſe, niſi interrogarentur, admonuit; neque cujuſpiam ſupplicationem porrigerent, niſi tantùm hi, quos ad id munus deputaverat. Et quamquam tardiuſculus videretur pro eorum voluntate in extollendis familiaribus, tamen ipſe pro ſuâ conſuetudine juxta cujuſque meritum, dum minus ſperabant, illis decenter providit. Fredericum Regis Siculi filium Principem Tarentinum, proficiſcentem Mediolanum pro adducendâ Ducis filiâ germano ejus deſponſatâ Romamque ad ſe ipſum Pontificem venerandum accedentem, magno cum honore ſuſcepit, & humaniſſime audivit, elargito illi ampliſſimo aureæ Roſæ munere, quæ per id tempus à Pontificibus donari conſuevit; eumdemque ad proprios lares cum Ducis Mediolanenſis filiâ, ac maximâ Principum & nobilium pompâ redeuntem pari honorificentia per omnem ipſius ditionem tractari fecit, deputatis in hujuſmodi rerum præparatione digniſſimis Prælatis, viriſque aliis circumſpectiſſimis. Populis atque Univerſitatibus publica debita magna ex parte in ſui Pontificatus initio relaxavit. Publicos carceres quotannis in præcipuis ſolemnitatibus, omnibus fere captivis vacuare ſolitus eſt, præterquam homicidis, aut inſigni delicto publice convictis. Romanis ludos ac præmia ludorum plurimum auxit. Ut enim omnes, ex quibus Reſpublica Romana coaleſcere videbatur, ludos ſuos, præmiaque ludorum ſortirentur, primum Hebræis, tum adoleſcentibus, dehinc adultioribus, poſtremo ſenibus pedeſtres ludos præmiaque ludorum addidit. Pallia verò hactenus currentibus equis in præmium dari conſueta multò amplioris pretii nobilioriſque texturæ dilargitus eſt. Et quo feſtivum Populo cunctis ludricorum diebus ſpectaculum exhiberet, aliud ſequenti die poſt Equorum curſum Aſinis, aliud autem Bubalis altero die currentibus pallium condecens adjunxit. Convivia quoque ante ædes, quas ipſe juxta Baſilicam Beati Marci conſtruxerat, publice Romanis Magiſtratibus, & univerſo Populo poſt diem Agonalium exhibuit, interdum electiſſimis piſcibus, aliquando autem conquiſitis undique diverſarum volucrum, quadrupedumque optimis carnibus ipſos convivas depaſcens. In quibus quidem conviviis tanta rerum omnium eſculentarum, & vini varii generis atque coloris exuberantia fuit, ut poſt Magiſtratuum Populique refectionem maxima rerum appoſitarum copia ſuperfuerit, quam turba pauperum poſt ſupinam omnium repletionem, alii lances, nonnulli ſciphos, plerique ſcutellas plenas deportarint. Fuit autem in ipſis conviviis tantus ordo ac taciturnitas, ut nihil prorſus in eo factum dictumve incommode ſit. Præterea Marcus Barbus Eccleſiæ Vicentinæ Antiſtes humaniſſimus, plurimæque literaturæ, cum ceteris Pontificiis Prælatis, diſcumbentes circumluſtrabant, certatim exhortantes, uti ſeſe ex appoſitis optime reficerent: quod eſſet Pontifici quam gratiſſimum. Cetera vero Pontificis familia deputatis menſæ locis hilaris diligenſque deſerviebat. Sed poſtquam Magiſtratus, Civeſque Romani probe refecti ſunt, tum in omnem plebem fragmenta, quæ diſcumbentibus ſuperfuere, ab ipſis Pontificiis miniſtris diſperſa ſunt. Ipſe autem Pontifex ad majorem erga Romanum Populum benivolentiam atque animi hilaritatem oſtendendam, nummos argenteos paſſim in omnem Populum diffudit. Enimverò ſicut in omnes beneficus, pius, & humanus Pontifex exſtitit, ita quoque acrem ſe ac pertinacem exhibuit adversùs contumaces ſubditos atque rebelles, quorum alios alio correctionis, ac ſupplicii gene-

genere insectatus est absque ulla amicitiæ aut pristinæ necessitudinis & dignitatis reservatione. Deiphebus, germanusque ejus Franciscus supramemorati Eversi filii, quamquam vetustâ amicitiâ, & spirituali Baptismatis nexu Pontifici conjunctissimi essent, non minus tamen severus in eos delinquentes animadvertit. Everso enim mortuo in primordiis Pontificatus Pauli ipse Pontifex summâ diligentiâ curavit, quo filiis ipsius cuncta pacatiora essent, inducias ad multos annos inter eos, & Ursinos complicesque ambarum partium firmare. Ursinorum verò parti Securansa, & Menelaus ejus germanus, viri bello insignes, naturales filii Jacobi Præfecti Vicani, adhæserant, qui ex plurimis paternæ ditionis Oppidis tantùm obtinebant Oppidum Caprarolæ, situm in regione Faleriarum, à Lacu Vicano, Civitateque Nepesina duo millia passuum distans, & in saxosi collis parte, atque in altissimis rupium appendicibus conditum. Id Oppidum lege induciarum ab omni bellorum insidiarumque feritate eo tutius esse decebat, quo summa Pontificis auctoritate ipsæ induciæ firmatæ erant. Verùm superba ambitio, æraque habendi cupiditas, quæ multos mortales exagitat, animos filiorum Eversi usque adeò invasit, ut Castrum ipsum Caprarolæ contra jus fasque in eorum ditionem usurparint, quamquam res ab ipsis oppidanis acta fuisse visa fuerit, qui Castrum eis tradiderunt. Sed forsan id quippiam apparentis veritatis habere potuisset, nisi illi suos armatos milites ac pedites ad Oppidum invadendum præmisissent. Quâ quidem re auditâ Pontifex illico ad Eversi filios literas destinat, se molestissimum habere scribens, si quid per eos adversùs Oppidum Caprarolæ bellicose minusque pacificè gestum esset, quandoquidem ipse tali fœdere inducias inter ambas partes stabilierat, ut & partium complices, & eorum bona tuta ac salva esse deberent. Proinde monet eos ab inceptis desistant, Castrumque, uti hactenus possidebant, ipsis Securansæ ac Menelao dimittant; & si quid contra eos petendum habuerint, caussam juridicè agant, seque promtum justitiæ exsecutorem pollicetur. Illi verò, literis Pontificis acceptis, Oppidum nec minus dimittunt, sed dissimulato animo respondent, Castrum ad Pontificis jussum se se tenere, ac nihil eos commisisse, quod sibi molestiam esset allaturum; neque Oppidum Caprarolæ, aut Oppidanos aliquo belli genere turbasse, sed vocatos ab eis misisse suos milites ad ipsorum tutelam, ac re frumentaria ceterisque ad vitam opportunis eos adjuvisse. Dehinc perversa mente agitati Castrum ipsum Caprarolæ, aliaque eorum Oppida frumento rebusque omnibus bello ac pace necessariis communiunt, frequentiores custodias adhibent, & Oppidanos benevolis verbis hortantur, uti bonâ essent spe, nihil verentes, si quid forsan dictu aut factu durum afferretur, quandoquidem ipsi eis opportune subvenirent, & cuncta simul adversa, si qua tandem inferrentur, brevì propulsarent. Pontifex autem ea non ignorans, rursus illos admonet, Castrum pacificè reddant, Romamque veniant, eam caussam compositur. Quod quum illi pertinaci animo exsequi contemnerent, tantò gravius animum Pontificis exacerbaverunt, quantò propensioris erga eos benivolentiæ erat. Itaque statuit in eos vindicare, tum ne in futurum per impunitatem malefactorum graviora inferre auderent, patris Eversi consuetudinem imitati, qui multis superioribus Pontificibus ob ejus improbanda facinora exosus atque infestus admodum fuit, tum etiam in ceterorum exemplum, operæ pretium se facturum existimans, si ipse in eos conficeret, quod nonnulli Prædecessorum ipsius magno astu ingentique conatu in Eversum patrem facere nequiverunt. Igitur quo res ipsa cautius ageretur, captata occasione, ac divulgatâ famâ parandi exercitus in Regem Siculum turbantem Arcem Gulielminam, rem Caprarolæ nihil curare Pontifex dissimulat, & tamen sub ea omnium opinione arma impigre ex convicinis regionibus parat, ac milites suos ex stationibus revocat, eorumque nonnullos cum plerisque militum turmis juxta confines Pontis Corbarii, atque Arcis Gulielminæ destinat, à quo quidem loco circiter duo millia passuum distantes nonnullas electorum militum acies idem Rex collocari fecerat. Quo verò Eversi filiis omnem prorsus suspicionem Pontifex adimeret, Deiphebum per domesticos tentantem conduci stipendiis ipsius, quammaxime benivolis verbis, ac summa spe allicit, suspensumque animo tenet salarii statuendi deputatione. Interim jubet partem exercitus in Provincia Patrimonii, partem in Romano agro congregari. Per id tempus Jacobus Piccininus, Dux belli magnanimus ac præclarus, à Francisco Sfortia Duce Mediolanensi ejus socero, ad tuendas Regis Siculi partes destinatus, magis, ut asserebatur, dolo, quàm ejus extollendi gratiâ, magno stipendiorum præmio conductus Parthenope apud Regem demorabatur, milites etiam ipse undique ad bella præparans, quæ ignarus rerum eventus futura sperabat. Dum Rex ac Piccininus bello, quod maxime instare videbatur, intendunt, Deiphebus per occultos Nuntios conditionem à Piccinino studet accipere, ac multis hincinde inter utrosque contractatis, tamdem fœdus perpetuandæ amicitiæ clam inter se se jaciunt. Cujus quidem rei caussâ Deiphebus pertinacior erat apud Pontificem in petitione augendi stipendii, indecenter & apertè jam per Nuntios protestatus, se habere paratos, qui ei stipendia maxime aucturi essent, si Pontifex nollet augere. Quod multo quidem acrius Pontificis animum adversùs eos concitavit, quamquam ipse minus id ostenderet. Inter hæc Piccininus à Rege capitur, brevique dierum spatio interjecto illum in carcere obiisse divulgatum est. Quo audito Pontifex rem adversùs filios Eversi multocius accelerat. Igitur pridie ante solemnitatem Apostolorum Petri & Pauli, celebratis de more Vesperis à sacro Patrum Senatu cum inferioribus Prælatorum ordinibus assistentibus, cunctisque Urbis Magistratibus, & multis simul primariis Civibus intervenientibus, Pontifex literas publice legi facit, quibus Eversi filios ob ea, quæ adversùs Oppidum Caprarolæ contra jus, contraque ipsius mandata fecerant, & ob contumaciam ac rebellionem, multaque alia indigna facinora, excommunicatos, & hostes Apostolicæ ditionis judicat, omnibusque in eos ulciscendi licentiam facit. Atque ad Nicolaum Fortiguerram Cardinalem in titulo Sanctæ Cæciliæ tum Viterbii demorantem consimiles pæne literas dat, quibus eum etiam Legatum Apostolicum in ea expeditione deputat, cujus virtus inclyta, & illustria facta cum summo splendore ac gloria satis perspecta in cunctis memorati Pii diffi-

difficillimis & arduis rebus, fortunatum victoriosumque belli eventum Pontifici videbantur polliceri, & è contra hostibus timorem ac diffidentiam vehementer incutere. Lectis itaque his Apostolicis literis in frequentissimo Populi Viterbiensis conventu Legatus ad bellum peragendum se accingit, milites in convicinis locorum stationibus considentes admonet, uti omnes parati sint, quum ipse aliud agendum jusserit, finitimisque Populis literas dirigit, ut electos gregarios milites destinent in rebelles Eversi filios, contra quos ipse jussu summi Pontificis castrametaturus esset. Tum lege publica universa hostium bona occupatoribus adjudicat, Populisque in Pontificis fidem accedentibus veniam cunctorumque impunitatem commissorum dictat ac sancit.

Cognitis itaque his, quæ Romæ ac Viterbii gesta erant, Eversi filii literas ad Legatum per Nuntios dant, se se non absque admiratione ac summo animi dolore intellexisse, quæ adversùs eos dicta ac facta referebantur, neque se talia fuisse promeritos, nec tali dignos animadversione, quando pro eorum bene ac fideliter gestis, vetustâque in Pontifices observantiâ, magis sperasse à Pontifice beneficia quàm damna ac persecutionem. Proinde Legatum obnixe obtestantur eos commendatos suscipiat, atque in tali rerum discrimine consulat, adjuvet, indignati Pontificis animum placans: quod eis esset immortale beneficium, immensumque erga eum ac suos omnes obligationis vinculum. Legatus autem hujusmodi literis lectis palam, cunctis circumstantibus audientibus, illorum Nuntiis ita respondet: *Ego quidem indignum censeo, excommunicatis ac summi Pontificis hostibus respondere privatis literis; neque ipse tam horrendæ censuræ nexu adstringar. Verùm vos illis ista referte, qui vos huc ad me destinarunt, ipsos justam dedisse caussam eorum, quæ adversùs se se agerentur, quandoquidem per inobedientiam, ac rebellionem Pontificis benivolentiâ sunt abusi; atque eam esse Pontificis naturam, ne quem injustè damnet, immo invitum ad ultionem trahi. Eosque tanto gravius contra se Pontificem concitasse, quanto obstinatiores fuissent in parendo illius mandatis; minusque immemores esse debeant vetustæ benivolentiæ, ac multorum erga Patrem, atque eos illius beneficiorum. Demum quod eis aliud consulam non habeo, nisi ut se se dedant libere in Pontificis ditione, à quo forsan aberratorum veniam, & consuetam clementiam consecuturi essent. Aut si obduratis animis secus agent, brevì me exspectent ipsos conspecturum magnam cum Militum vi, multis bellatorum præsidiis, & asperrimis bombardis, ceterisque machinarum munitionibus circumfultum.* Ea verba postquam filiis Eversi renuntiata sunt, usque adeò mentes animosque eorum perturbarunt, ut plurimùm rebus suis diffisi sint, nec quidnam dictu aut factu potius expediret, satis intelligerent. Itaque se diversis Pontificis exercitibus undique circumclusos intuentes, & ex parte alia eorum Oppida expugnari dignoscentes, tamquam futurorum præscii trepidare omnia cœperunt, cunctos habere suspectos, Oppidanorum fidem jurejurando implorare, nihil fidi aut certi reputare, nunc hic, paulo post improvisos alibi adesse, vagari certatim, & ex uno in aliud Oppidum festinare, dies noctesque inquietos & insomnes ducere, omnia denique metu, dolis, suspicione plena habere. Legatus nihilominus convocatis ocius militibus, exercituque parato, in Eversi filios progreditur, atque uno die cuncta illorum Oppida non longe distantia dispertito exercitu obsidet, Forumque Cassii, quod Vetralla nuncupatur, multo remotius positum, crebris deputatorum equitum ac militum gregariorum incursionibus oppugnari, agros vastari, segetesque diripi jubet. Itidem etiam ex parte alia per Commissarios Pontificios in cetera illorum Oppida agebatur turmis Regis Siculi, exercitui Pontificio favore ac auxilio non longe considentibus: quod à primordio minime putabatur, quandoquidem utræque gentes juxta pontem Corbarium demorantes adversari simul videbantur. Mira quidem res atque investigabile Dei judicium id visum est, quod quamquam omnia filiorum Eversi Oppida multitudine hominum inhabitantium, situ, locique natura, & ingenio humano fere inexpugnabilia essent, tamen absque ulla sanguinolenta ferri acie nihil sub illorum ditione fuit, quod undecimo dierum circulo Pontifici non subactum fuerit, atque in ejus ditionem non devenerit, Francisco Everso cum universa sui ac germani familiâ capto, & Deiphebo in præruptam fugam dato. Sed dum ab initio bellum per Legatum perque ipsos Pontificis Commissarios undique in terris filiorum Eversi geritur, Romani Cives, ut fieri assolet, in contraria studia divisi, alius aliud de tam vicino ac subitaneo bello mussitabat, ac tamquam minus commodum tali tempore damnabat; præsertimque hi, qui illorum beneficiis obnoxii erant, aut eorum partes sequebantur. Igitur Pontifex ratus opportunam se rem facturum, si animos omnium bona spe confirmaret, factiososque verbis comprimeret, lectis publicè his literis, de quibus paulo supra diximus, tum ita exorsus est. *Facile credimus pro vestra omnium devotione, dilectissimi filii, vos existimaturos ea, quæ paulo ante legi audivistis, tali nos ratione fecisse, ut absque ullo vestro discrimine, absque jactura, utilitati omnium ac paci consulamus, & nostræ Sedis Apostolicæ servemus honorem, quæ plerumque ad coërcendam improborum audaciam, & inobedientium pertinaciam castigandam, ac pro tutela justitiæ tali cogitur animadversione subditos corrigere, quali numquam aliter uti vellet. Bellum adversùs Eversi filios vetustâ nobis benivolentiâ & internâ caritate conjunctissimos inviti coactique indiximus, culpâ, inobedientiâ, rapinis, ac rebellione ipsorum nos provocantibus, quæ quidem eo nobis molestiora fuerunt, quo nos majori eos dilectione prosequebamur, illique erga nos minus observantiæ habuerunt, atque indecentius nostris justis mandatis, nostrique Apostolatus honori obstiterunt, quos vel maxime nobis obsequentes ac modestiores in omnibus fore confidebamus. Verum tali parente filii progeniti quid aliud quàm paternam consuetudinem imitentur? Ipse enim pater eorum Eversus sanctæ memoriæ Eugenio Avunculo & prædecessori nostro, Nicolao, Calisto, ac demum Pio subsequentibus Pontificibus ob ejus apertam tyrannidem, multaque alia nefanda facinora, molestus, infensus, exosus fuit, adversus quem per eorum plerosque vindicatum fuisset, nisi nos partes nostras favorabiles interposuissemus, consulentes potius expedisse statui Sedis Apostolicæ ac Romano Populo eo tempore, talem hominis insolentiam tolerari; ac tamdem in diversis temporibus firmantes inducias inter ipsum Eversum ejusque adversarios multis nostris laboribus, magnis molestiis, atque impensis. Sed ne mortuo male-*

A *maledicamus, Deiphebus, ac Franciscus, patre Everso defuncto, in paternam ditionem successerunt, quorum nos quieti ac statui prospicientes, iterum in primordiis nostri Pontificatus inducias inter eos, atque Ursinos, & utriusque partis complices in longa tempora sancivimus, quibus quidem induciis brevi temporis intervallo per eos infectis, Oppidum Caprarolæ contra voluntatem nostram, contra honestatem, præter omne jus fasque occuparunt, diversa nostra mandata contemnentes, ac per ignominiam Menelaum cum fratris Securansæ uxore atque universâ familiâ è pacificâ Oppidi possessione expellentes, qui Ursinorum parti adhærebant, & ob inducias per nos dictatas tuti jam facti erant. Qui quum*

B *apud nos justitiam adversùs illos suppliciter efflagitarent, illico ad eos paterno affectu scripsimus, hortati sumus, ac demum admonuimus, ut Castrum id Caprarolæ Securansæ ac Menelao dimitterent, memores induciarum jam compositarum & honestatis, Romamque venirent, si quid cum illis juste agendum habebant, quoniam expeditam utrisque justitiam exsequeremur. Ipsi autem obduratis animis nostrorum contemtores mandatorum, omnisque immemores honestatis, nihil prorsus eorum, quæ repetitis vicibus ad eos scripsimus, agere curaverunt; sed quod multo gravius est, rebelles nobis jam effecti contra nos, Sedemque nostram Apostolicam, stipendia*

C *tentarunt accipere, dum nos in Ferdinandum Regem Siculum jura Sedis Apostolicæ, si quoquo modo expediret, teneri studeremus; atque id coram nobis aperte per Nuntios professi sunt, se habere paratos pro eorum voto conductores stipendiorum, si nos eis pro voluntate stipendia non augeremus, veluti minis ac terrore compulsi animis eorum immodestis satisfacere deberemus. Nos verò ut rapinas, multaque alia perversissima eorum facta omittamus, tot injuriis, tantisque sceleribus commoti, decrevimus ea castigatione illos corrigere, quæ in subditos ita delinquentes condigna visa est, ceterisque in exemplum accessura esset, ne illis malefactorum impunitas graviorem delinquendi materiam in futurum præstaret. Eapropter gentes nostras ad-*

D *versùs eos destinavimus, tum pro exsequenda justitia, proque nostræ Sedis honore tuendo, tum etiam pro firmiori subditorum nostrorum pace ac securitate. Atque id hoc potissimum tempore aggressi sumus, quando minus agi credebatur, minusque illi parati erant, & ipsi Oppidani urgenti bello oppressi minus resisterent, faciliusque nostris adhærerent. Demum vos nihil incommodi ex hoc accepturi estis pro diligenti cura in cunctis adhibita. Quare plurimùm vos hortamur, uti omnes bonâ sitis spe, ac vestris hæsitationem mentibus abjiciatis, sperantes brevi dierum spatio & bellum cum victoria confectum iri, & omnia illorum Oppida Deo propitio nobis in ditionem ac fidelitatem accessura. Ceterum*

E *sicuti bene ac utiliter pro nostro ac Sedis Apostolicæ statu agentes amplissime remuneraturi sumus, ita si quos per insolentiam quippiam temere ausos intellexerimus, acri eos correctione nos punituros sciatis.*

Postquam dicendi finem Pontifex fecit, omnes circumstantes alter ad alterum conversi, Pontificem recte ac juste fecisse dicunt, prudentiam, & animi virtutem in cœlum extollunt, atque Eversi filios maxime arguunt, eorumque malefacta damnant ac detestantur; ipsique Romani cuncti simul animis inmutati sunt, bellum ipsum legitimum justumque comprobantes, quod prius damnarant; factiosis verò tantum timoris incussum est, ut ne verbum quidem minimum perperam proloqui ausi fuerint. Partâ igitur victoriâ, captoque Francisco, ac Deiphebo fugato, Pontifex eorum filios cum universo Matronarum & inermis familiæ grege liberos omnes dimisit, dote ac jocalibus sponsalitiis integre redditis uxori Francisci Eversi; ipsum autem in Arce Romana detineri fecit multo decentius quàm ceterorum conditio captivorum exposcat. Pari quoque animadversione punivit Franciscum, reliquosque consortes dominii Alviani, Ursinorum parti adhærentes, qui Pontificis mandatis repugnantes in restituendis prædis acceptis ex Oppido ..... usque adeo acriter in se Pontificem commovere, ut uno fere die cuncta eorum Oppida ab eis in suam ditionem amoverit, & ne quid turbationis Oppidanis inferretur, eâdem cum Francisco Everso sorte in ipsa Arce illos custodiri mandavit. Imperium Ecclesiæ plurimum dilatavit. Siquidem duodecim Eversi ampla atque opulenta Oppida partim in Provincia Patrimonii, partim vero in agro Romano sita, præter diversas Arces ditioni Apostolicæ addidit. In ultimis Umbriæ finibus ac Provinciæ Patrimonii capite Alvianum cum duobus Oppidis; in extrema regionis Flaminiæ parte, quam Romagniolam vulgo appellamus, atque in principio Galliæ Cisalpinæ, vetustam opibusque redundantem Civitatem Cæsenam, Civitatemque Bertenorii, ac præcipuum Sextini Oppidum, & alia ultra XIV. Castra ad Etruriæ confines usque porrecta; in memorata Patrimonii Provincia amplissimum Arignani Oppidum supereminenti arce munitum; item in eâdem Provincia nobile ac dives Galesii Oppidum; in Campaniæ ora non longe à Civitate Tiburtina sex millia passuum Arcem Saraceni, loci ambitu atque altissimo montis cacumine munitissimam, cum alia ...... omnia absque ulla ferrea vi, sine ullo prœliorum certamine, sed fide Populorum, ac deditis animis eidem Sedi adauxit. In faucibus Regni Siculi ingens ac ditissimum Oppidum Sancti Germani, cum plerisque aliis Castris convicinis perdiu ipse tenuit, deputato illic ad rerum gubernationem *Nicolao Lucensi*, quem *Ecclesiæ Mutinensi* pro ejus virtute præfecit. Insuper plerasque ipse suis impensis elegantissimas Arces in diversis ditionis suæ locis funditus ac vasto inexpugnabilique ædificio construxit. Quod quidem opus permagnam Ecclesiasticæ ditioni tutelam ac præsidium attulit. Siquidem in Umbria Civitas Tudertina est magna ac magnifica, sed continuis fere atque intestinis civium factionibus ac discordiis æstuans, & plerumque erectâ cervice Pontificibus resistens. Ad quam rerum fluctuationem tollendam, Arcem in ea ingentis molis mirique operis erexit. In regione Samniæ, quam trito sermone Aprutinam dicimus, non longe ab Oppido Nursino quatuor millia passuum situm est amplissimum Cassiæ Oppidum eâdem rerum turbatione inquietari solitum, ubi pro loci conservatione atque accolarum quiete, insignem Arcem condidit. Itidem in eâdem Aprutina regione in Oppido Montis Leonis, quod est initium Ecclesiasticæ jurisdictionis, ad arcendos adversariorum incursus necessariam Arcem vastissimæ molis ædificavit. Romanis autem parantibus ob ingentia beneficia Pontifici ludos, festasque ovationes agere, quadringentos aureos elargitus est. Ludos eorum pro- spe-

ſpexit aſſidue ac feſtive ex abdita feneſtræ parte, nonnullis ſacri Senatus Patribus una commorantibus. Ludricorum verò perſonatus gigantum primò incedebant, tum aligeri ac pharetrati Cupidinis, dehinc Dianæ equeſtris, magnâ Nympharum catervâ comitante, tum candidatorum juvenum centum ſexaginta, & eo amplius, quibus tamquam militiam profeſſis more priſcorum, ſingulum numiſma ſigillatim à Præfectis ludorum traditum eſt; deinde Regum, aliorumque Ducum à Romanis devictorum, tum Cleopatræ ab Auguſto Cæſare ſuperatæ, demum Martis, Faunorum, Bacchi, & nonnullorum etiam falsò à priſcis creditorum Deorum turba ſequebatur. Poſtea Plebiſcita, Senatuſque Conſulta ſericeis tabulis deſignata, vexilla, aliaque Romanorum inſignia bellica, tum Conſularis ac Senatorius Ordo, cunctis Urbis Magiſtratibus circumſeptus, quem currus quatuor ingentis altitudinis variis perſonatibus, mirisque operibus circumornati ſubſequebantur. Eis autem, qui in ipſis curribus aſſidebant, paria erant in diverſis vocibus laudum carmina, verum Patrem Patriæ, optimum quietis fundatorem, rerumque copioſum largitorem. Fuit inſuper pauperibus benignus ac munificus, ingentique aſtu conatus eſt clam eleemoſynas dare, profeſſus aliquando inter ſuos ſecretiores, ſe non tantùm in apertis eleemoſynis ſperare, quantùm in occultis, quas ſuas proprias ſtabileſque divitias putabat. Verùm nos pleraſque referemus ex multis, quas ipſe pro diverſa hominum conditione eleemoſynas feciſſe audivimus. Cuidam nobili Veneto ad inopiam jam redacto quingentos aureos dedit, quo poſſet honeſtius filias nuptui tradere. Domno Timotheo viro in tota Auguſtinenſium Religione præſtanti ac facundo, quum eum intelligeret ægrotaſſe, illico quadraginta aureos dari fecit, quæve forent ad victum neceſſaria, ſubminiſtrari. Quidam Romanus non ignobilis, pauper, antiquus, ac podagricus quum die publicandorum Officialium inter alios cives ad eum laborioſe acceſſiſſet, eumque Pontifex proſpexiſſet, vigintiquinque aureos illi tradi fecit, concedens eidem pro vitæ ſubſidio officium in Actis Capitolinæ Curiæ ultra ſemeſtre agendum. Auditâ inſuper cujuſdam nobilis & honeſtæ Romanæ inopiâ, centum ei nummos aureos tranſmiſit, quo poſſet decentius nubere. In ipſa Urbe per quaſque regiones viros, ac mulieres integros, approbatæque vitæ clam deputavit, pecuniaſque dedit, ut pro conditione inopum in eorum regionibus commorantium cuique ſubvenirent. Duobus Deſpoti filiis in Urbem poſt patris obitum profectis, ob paternam virtutem ac munus Patris Deſpoti quammaximum, omnique ævo memorandum, ſcilicet caput Beati Apoſtoli Andreæ ex Peloponneſo in Urbem Romam Pio II. allatum, ſingulis menſibus ducentos aureos ſtatuit, Magiſtrumque adhiberi mandavit, qui eos Latinis inſtrueret literis, ac bonis moribus imbueret. In audiendis Populis difficulter ſe exhibuit, & ad multam jugiter noctem, fuitque plus æquo in hac parte remiſſus, ſive quia rerum expediendarum negotia Marco Barbo, cujus ſupra meminimus, quibuſdamque aliis integerrimis Prælatis audienda demandaverat, ſive quia ipſe variis gravioribuſque curis occupatus, minus commode ſui præſentiam exhibere poterat. Longioribus verò diebus publice omnibus ſui copiam fecit, ſtatu- A tis certis diebus ad Romanos tantum audiendos, quibuſdam verò ad externos. Fuit autem in audiendo patiens, ad multarumque horarum ſpatium ſedulus atque hilaris, nullius perſonam etiam infimæ ſortis aſpernatus, attractanſque, ut illi mos erat, perſæpe capitiolum, quod ei ab utroque armo ante pectus dependebat. Solitus eſt inſuper inter loquendum ſales ac facetias pro temporis proque rerum exigentia intermiſcere. Quum autem inter cetera per jocum in publica audientia cuidam plebejo diceret: *tu nunc vera non loqueris*, pſittacus, qui multâ arte inſtructus circa eum advolabat, acceptâ Pontificis voce, de repente clamare occepit: *Abigite eum, quia vera non loquitur*. Ad cujus vocem tantus eſt B plebejo homini ſuffultus rubor, atque adſtantium ora ita in eum converſa ſunt, ut illico obmutiret, nihilque magis expeteret, quàm inde ſe ſubtrahere.

Ad regna præſertim Italiæ pacifice conſervanda diligentem ac maximam adhibuit curam. Siquidem Franciſco Sfortiâ Duce Mediolanenſi defuncto, qui ob inſignem virtutem ac bellicam artem cuncta Italiæ Regna, ſecundâ quaſi manu ſecum confœderata tenebat, ut primùm de illius morte nuntius ei allatus eſt, perſenſitque hinc inde ad arma regionum Principes commoveri, & militum exercitus quotidie magis parari, illico ad Ferdinandum C Regem Siculum, ad Illuſtriſſimum Venetorum Senatum, & Galeatium extincti Ducis filium, ceteroſque Italiæ Principes literas dat, nuntioſque mittit Prælatos auctoritate dignitateque præcipuos, ſcribens inter cetera, non dolendum eſſe obitum tam excellentis, & Chriſtianiſſimi Principis, tamque devoti erga Sedem Apoſtolicam Romanoſque Pontifices, non autem quin ſperandum ſit ipſum ad meliora pro bene geſtis profectum eſſe, ſed quod noti omnes, propinqui, atque amici tanto præſidio & conſilio deſtituti viderentur, quibus tamen divina gratia ſemper ſuffragabitur, quum bene agentes in ea confiſi fuerint. Sed quoniam ea omnium erat communis ſors, ut D cui naſci contigerit, eidem omnino ſit moriendum, & Princeps ille religioſe atque Catholice obierat, multos relinquens paternæ virtutis imitatores filios cum pacifico dominio, non fore ultra alendum dolorem, neque ipſos filios luctui amplius vacare debere, ſed pro æterna illius animæ gloria debitis officiis rogandum. Demum ſe promtum ac paratum offert in his, quæ ad pacem conſervandam atque omnium quietem opportuna fuerint; ad quod eos etiam maximopere hortabatur, & auctoritate ſuâ admonebat. Proinde Nuntiis alia atque alia verba coram illis ſigillatim enarrando, pro pace tamdiu habita conſervanda, ac de armis deponendis, exercituque E comprimendo injungit. Qui omnes ipſis Pontificis Nuntiis honorifice ſuſceptis, literiſque perlectis, uſque adeo libenter hujuſcemodi Pontificis exhortationibus paruerunt, ut & ei gratias haberent, & omnia undique tranquilla facta ſint. Magnum Civitatis Rhodiorum Magiſtrum cum centum ſexaginta Cruceſignatis Hieroſolymitanæ Religionis in Urbem advenientem, honorifice ſuſcepit, eiſque partem ſui Palatii juxta Templum Beati Petri inhabitandam conceſſit, multiſque eſculentarum rerum muneribus eos donavit. Qui quum ad celebrandum eorum ſolenne Capitulum Romam devotione adducti, potiùs elegerint, quo abun-

abundantius eorum devotioni satisfaceret, ipse Pontifex paucis post diebus eo se contulit, demoraturus illic, quoad iidem Cruciferi Capitulum celebrassent, & ipse Pontifex natalitia Redemtoris nostri more suo solemnius ageret. Postquam verò Pontifex illuc accessit, sequenti die Cruciferos omnes ad se convocari jubet, suique præsentiam cunctis benivolam exhibet, magna sacri Senatus parte assistente. Alio autem die Missam Spiritus Sancti universo Ordine Senatorio, atque ipsis Cruciferis adstantibus, solemniter celebrari fecit. Dehinc illi de ipsorum consuetudine Capitulum rite celebrarunt. Pridie autem ante Natalitia nostri Redemtoris celebrato de more publico Consistorio, in quo Rex Bohemus convictus damnatusque est de nova hæresi quorumdam perniciosorum Fraticellorum, Pontifex eum publice excommunicavit, nefandæ hæreseos eumdem damnans, Regnumque ac bona ipsius occupatoribus adjudicans. Idem egit die Natalitio Salvatoris nostri in Templo Beati Apostoli Petri, celebratis Missarum solemniis, ubi pæne innumerabilis hominum multitudo convenerat. Ad purgandam immunditiis Urbem, plerosque Pontes super Tiberini fluminis ripa diversis locis construi fecit. Sed adnotatus est in solvendo operariis, ac publicis Magistratibus jam functis aliquantâ tarditate, quia illis ante decimum & quintum diem, istis ultra mensem satisfieri non contingebat. Quam quidem tarditatem secretius nos discutientes, comperimus non, ipsi Pontifici, sed Præpositis earum rerum impingendam esse, quibus assignaverat ex quotidianis ipsius reditibus, unde possent unicuique satisfacere: immo neque id usquequaque Pontifici cognitum esse; nam ita eis satisfieri mandasset, sicut memorato Paulo Jordano, dum sibi centum aureos minus debito Pontificis Cubicularius sive per jocum, sive per inadvertentiam dinumerasset: quod ut Pontifex novit, illico centum ei aureos tradi fecit. Multis insuper ex sacri Senatus Patribus minus pro eorum dignitate ac familiæ onere habentibus, centum aureos nummos quolibet mense dedit. Ceteris verò inferioribus Prælatis, aliis duodecim, aliis decem aureos deputavit; plerosque verò publicis Magistratibus ultra annum præfecit. Scanderbech Albanensium Principem magnanimum, armis belloque insignem, qui multas ac magnas Turcorum strages quam frequenter egit, ad ipsum Pontificem venerandum Romam profectum, honorifice suscepit, grateque audivit, & à primordio sui adventus trecentos sibi aureos destinavit; deinde illi diversa rerum esu electarum munera sæpe largitus est; & quo ei multo plus honoris impenderet, Pileum, Ensemque Militarem, à Pontificibus per id tempus illustribus viris tradi consuetum, eidem condonavit. Verùm quia hoc in loco scribendum occurrit, non est prætereundum silentio, quod ipse jus feudarium Regni Siculi, quod priorum tempore Pontificum quammaxime diminutum ac neglectum fuerat, ad æquam taxam redegit. Nam cum sexaginta millia aureorum Reges Siculi quotannis Sedi Apostolicæ pro Regni feudo persolvere tenerentur, ac pro ea pecuniarum summa equum album, atque accipitrem, Romanis Pontificibus dare consueverint, ipse hujusmodi abusum feudi, utpote indecentissimum ac supra modum damnosum, sustulit, recusatis constantissime equo accipitreque ad eum destinatis, atque ipsum Regem suosque successores, in quadraginta millibus & quingentis aureis Sedi Apostolicæ annuatim solvendis obnoxios fecit. Nobilem atque illustrem Regis Galliarum legationem, quæ ob quotidiana cum Duce Burgundorum bella postremo ad Pontificem adventavit, tantâ honorificentiâ & liberalitate suscepit, ut & per universam ejus ditionem omnes lautissime impensis propriis sustentaverit, & Palatium suum juxta ædem Beati Petri eis inhabitandum concesserit. Sed exhibitâ in publico Consistorio, ut moris est, verâ atque indubitatâ filiali Regis obedientiâ, in extremâ luculentissimæ Orationis particulâ Regius Orator subdidit, Regem Galliarum pro Sedis Apostolicæ jure tuendo, proque ipsius Pontificis statu servando gazas, Regnum, ac suam insuper Coronam, si expedierit, expositurum: quod numquam antea ceteris Pontificibus expressum fuisse meminimus. Ipse autem Pontifex tam pertinenter & copiose Oratoribus respondit, mirifice dilaudans illius Christianissimi Regis, omniumque Regum antecessorum constantissimam fidem, sinceram devotionem, filialemque obedientiam erga Sedem Apostolicam, Romanosque Pontifices, ut longe magis omnes ejus responsionem admirarentur, quàm diu lucubratam Orationem Oratorum laudarent. Angelum Bubalum Militem Romanum, qui ob congestas ex bubalis magnas opes cognomentum de Bubalis accepit, quem ipse Pontifex Militari honore insigniverat, quia filiis consensisse affirmabatur in mortem Francisci de Capocinis, minus honeste se habentis in familiam suam, ad quorum honorem conservandum Pontifex interna odia jam pridem concepta gravi edicto magnisque pœnis sedaverat, quum ejus filios habere nequiret, in Arcem Romanam deponi fecit, suaque bona fisco adjudicavit, ut & creditoribus facilius satisfieret, & debitores quod Angelo debebant solvere non recusarent.

F I N I S.

IN

IN GESTA
TEMPORE PAULI II. PAPAE
AUCTORE
GASPARE VERONENSI
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PAuli II. Pontificis Maximi temporibus egregios viros, ob Latinarum praecipue Literarum culturam laudatos, Romana Curia alebat, inter quos etiam Gaspar Veronensis Opusculi hujus Auctor numeratus est, quo praeceptore se usum Aldus Manutius senior grati animi caussa profitetur in Dedicatoria Carminum Theocriti. Non unum Gaspar Librum scripsit de gestis tempore ejusdem Pauli II. verique videtur simile in Primo actum fuisse potissimùm de Pontifice ipso. At istum ego adhuc desidero; & quod tantummodo possum, tres subsequentes Libros exero e MSto Codice Bibliothecae Vaticanae descriptos, in quibus Gaspar praestantiores Literatos Viros aetate sua Romae degentes, aliaque temporibus iis gesta describit. Progressus etiam fuit ad Librum Quinctum, fortassis & ultra, Gasparis labor. Sed ne ista quidem proferre posse mihi datum est. Me tamen per literas monuit amplissimus atque Eminentissimus S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarius, Angelus Maria Quirinus, Episcopus Brixianus, sibi tantum diligentiae adhibitum fuisse, ut reliquam etiam partem hujusmodi Librorum in Angelica Augustinensium Bibliotheca detexerit, spe etiam mihi factâ, omnia sibi evulganda in Vita Pauli II. Pontificis conterranei sui. Itaque ab ipso Cardinali, cujus singularem eruditionem, judicii soliditatem & elegantiam ingenii, in Libris jam editis Literaria Respublica suspexit, uberiusque in dies suspiciet, ubi Opera Sancti Ephrem Syri, pretioso accedente Auctario, ab ipso illustrata in lucem prodibunt, exspectet Lector integrum Gasparis Veronensis foetum. Ego interea quae possum profero. Ad ipsum verò Scriptorem quod attinet, nihil de eo, utpote obscuri nominis viro, mihi dicendum succurrit. Ludum literarium Romae aperuisse videtur; haec enim habet de Cardinali Vicecancellario, qui postea Romanum Pontificatum adeptus Alexandri VI. nomen assumsit, atque heic nativis coloribus pingitur: Hic in bene meritos gratissimus esse pernoscitur, praeterquam in Gasparem Veronensem olim suum Præceptorem, quem saepe negligere videtur, & parvi pendere: qua in re non parum à via recta secedit. Eumdem Gasparis foetum in Bibliotheca Barberina legit, atque exinde haustam non levem laciniam Ughellius intulit in Tomum V. Italiae Sacrae. Istius viri honorificam mentionem vide apud Clariss. Marchionem Maffejum Lib. 3. de Scriptor. Veronen. qui etiam monet, adservari Romae in Bibliotheca PP. Praedicatorum S. M. ad Minervam Commentarium illius ad Satyras Juvenalis.

GAS-

GASPARIS VERONENSIS
DE GESTIS TEMPORE PONTIFICIS MAXIMI
PAULI SECUNDI
LIBER SECUNDUS.

NOn pudebit maximos viros, quorum mentionem faciemus, si quando hunc Secundum Librum legerint, & se sublatos ad æthera splendoribus suis, dignitatibus, ac honoribus esse pernoverint: non pudebit, inquam, me à *Leonoro* incepisse, addito *Leonardo Datho*, illo Bononiensi, hoc Florentino, de quibus priori volumine dicendum fuit. Nam & eos inter clarissimos viros, & doctissimos homines, connumerandos esse censeo, qui non minori literatura, & rerum plurimarum cognitione, atque prudentia valent. Latinis literis Græcas Bononiensis adjecit, atque adeo probe eas pulcreque novit (de Græcis dico literis) ut æque Græce loquatur ac Latine: quod paucos inter Italos novimus esse assequutos. Audivit enim Leonorus Theodorum Thessalonicensem ejusce Linguæ peritissimum, & non ignobilem Philosophum, à quo multa perdidicit, præsertim in Hellenica Lingua, quam, ut diximus, Theodorus excellentissime tenet, & plurimos edocuit. At Leonorus in primis eruditissimus noscitur evasisse; scribit enim Græcè concinne: quod tamen perdifficillimum est etiam doctissimis hominibus; Nam si comparare voluerimus, longe facilius est sive Græce, sive Latine loqui, quàm scribere. Itaque sæpe demirantur magnâ auctoritate viri, qui illum non ignorant, quonam pacto tempus terat incassum, etsi apud summos Pontifices vitam degere constituerit. Nam post Pii Secundi obitum apud benignissimum Paulum Secundum vivere statuit, non tamen, quemadmodum prius, in Brevibus Pontificiis conscribendis, quæ formam epistolarem habent; non enim idem genus laboris insequitur, sed Cubicularius jam evasit, & dignior multo quàm antea umquam exstiterit, perhibetur. Posset profectò excellentiori ac præstabiliori re tale & tantum ingenium exercere; Nec ideo hujuscemodi Epistolas, quæ Brevia dicuntur Pontificia, umquam contemsit. Verùm quæstus gratiâ is status, ea vita ad exercitium genusque laboris ab illo ante diligebatur fortasse eo animo, ut quum ad ingravescentem ætatem pervenisset, poëtari, philosophari que commodius faciliusque, & sine mendicitate posset, præsertim habitis aliquibus bonis pinguibusque Beneficiis. Audivit enim sæpe doctissimum proverbium: *Neminem sine his, quorum fortuna domina est, posse esse felicem*; & illud: *Satius esse ditari, quàm philosophari*. Nec video hactenus eum à literis abhorrere: quin nunc longe magis literis insudat. Nam quum datur aliquid otii, nunc hunc, nunc illum Librum libentissime versat, adeoque intente lectitat, & tanta voluptate perfruitur, sententias tam Græcorum, quàm Latinorum accipiens, ut vix ab eorum

A lectione abstrahi possit. Et paucis ante diebus pæne omnes Poëtas, qui hodie inter Græcos potissime habentur, à me comparavit, & grande impendium animus ejus parvifecit. Voluissem comitatem & humanitatem ejus meritis laudibus extollere. At virtutes aliorum me vocant, præsertim ejus, quem modò dixi, *Leonardi Dathi* à secretis Pontificis maximi Pauli Secundi, illum unice amantis & magnifacientis. Nam apud hunc beatissimum Patrem annis plurimis vitam suam exegit. Et quum sit jam senex, (de Leonardo dico) annorum * quinquaginta, ut conjicio, gaudet atque lætatur mirum in modum Pontifex aliqua uti in eum gratitudine ac remuneratione, qua

B superiori tempore, quum Cardinalis esset, uti non adeo licuit. Et tamen Dathus, quem tantopere laudo, atque laudabo, suo in officio tam honeste, tam liberaliter, atque mansuete se gerit in omnes, ut nemo hactenus de eo minimam etiam querimoniam effecerit. Servat enim * muneris sui inter satisfaciendum sibi consuetudinem; immo minus quàm ceteri mercedis solutionisque deposcit. Quid dicam, quàm egregiè, quàm eleganter, quàm graviter, & solutâ & metricâ oratione conscribat? Nescio profectò, quid addi possit & orationi prosæ, & metricæ ejus, quantum ipse censere possum: quam facultatem non sine industria & labore annis multis habito conquisivit.

C Vellem, nisi essem alia dicturus, exponere, quàm ab omni insolentia secedat, quàm diligens in serviendo & obsequendo Domino esse videatur. Nec fuit umquam verbosus, & gloriæ cupidus, se nusquam jactans, immo ceteros extollens, nec de ullo oblocutus. Sed jam ad alios festinat oratio. Superest laus nulli crimini connexa, laus, inquam, *Christophori Placentini*, Cubicularii sanctissimi Pontificis, quem omnes dicunt omnium meritissimum eorum, qui Palatium summi Patris incolunt. Itaque ob illius mansuetudinem ab ipso præsertim summo Antistite non parum dilectus est: ea est hujus hominis simplicitas simul, & bonitas, ac integritas, nec tantùm

D attenta notataque est ejus literaria facultas, aut etiam quia à secretis fuerit Pontificis hujus, quum Cardinalis esset, sed etiam & longe magis hominis modestia, & moribus mirè facilis atque suavis. His alteris sex mensibus, de quibus loquimur (nam Libro Primo de primis scripsimus) dicemus, quæ nobis vera esse fuisseque visa sunt, & quæ digna memoratu acciderunt: quocirca plenior & major erit hic Liber Secundus, quàm prior. Illud tamen servabimus, quod semper à veritate, & à rebus ipsis fundamenta Historiæ nostræ sumemus. Neu sit, qui nos reprehendat, quod non numquam immisceamus, quæ ante Pontificatum acta fuere, & quæ primus mensibus

facta

facta exstiterunt, modò veritati innitamur. Inchoabimus igitur dicenda à *Ludovico Patavino Patriarcha Aquilegiensi*, Cardinali ab Eugenio creato, quem, ut fama fert constantissima, nemo umquam jam negaverit omnium pæne mortalium Italorum fuisse ditissimum (posthabitis tamen Principibus terrarum, & Cosmo Florentino) quem quidem Patriarcham probe Petrus Barbus, nunc Pontifex summus atque dignissimus, noverat à vertice ad plantas, & sub Eugenio Quarto, & post. Nam quum Eugenius Florentiæ Curiam collocasset post discessum ab Urbe Ferrariâ, illud constat, Ludovicum Patavinum contra Petrum Barbum summis viribus esse conatum: quod quum non successisset ad vota, deinde semper indoluit, nec ullâ lætitiâ affici potuit. Verùm aliorum tempore Pontificum, qui sequuti sunt, res atque indignationes & discordiæ parumper sedatæ videbantur; malo etenim in Paulum animo, & falsâ mente Patriarcha revera semper fuit, & aptissimus simulator ac dissimulator. Nec ullâ alia ratione diem suum obiit, quàm dolore ingenti, atque summo mærore, quod Barbus summus Pontifex evasisset. Ille fuit gladius, quo confossus est, ut medicus, & qui ei assistebant, apertissime censuerunt: quod Cardinalis Sanctæ Anastasiæ Johanni Aretino Subdiacono Pontificio, & Gaspari Veronensi non dubitavit asserere, ejus facultates (de Patriarcha loquor) cum essent inmensæ, & ultra ducenta millia aureorum, parvulam particulam Ecclesiis, & pauperibus dereliquit, sicut nec in vita indigentibus & inopibus distribuere conatus est, testatur. Pæne omni consilio & ratione carens, Scarambos Ludovicum, & Nicolaum heredes instituit, quos pæne à pueritia educaverat. Verùm ea cuncta bona Eugenii Quarti fuisse credunt; quippe apud eum Ludovicus ipse princeps exstiterat, & Camerarius omnem Eugenii pecuniam pro suo arbitrio pertractabat: quod non erat huic Pontifici summo incognitum. Quas ob res testamentum illud pæne irritum fecit & cassum, & pæne omne abrogavit, & ad se fere omnem illam hereditatem jure contraxit, cum omnium mortalium laude & benedictione non parva, quam tamen pro sua innata humanitate distribuit. Quum autem Scarambi detenti, de quibus mentio facta est, è custodia se in pedes dedissent, & detegerent Pontifici Paulo multum auri & argenti, & aliarum facultatum, fugientes capti in Novo Castello ad decimum lapidem aut circiter ab Urbe Romana, deinceps arctius detenti & custoditi sunt. Interea omne argentum & aurum cum ceteris rebus innumerabilibus, quas Florentiam Patriarcha miserat, quo, si vixisset, iturus fuerat, reportata sunt ad Pontificem, actoribus primariis & adjutoribus Antonio Eugubino protectore caussarum & Fisci acutissimo, & Falcone Sinibaldo Romano Cameræ Apostolicæ Clerico dignissimo, qui quicquid expetiverunt à Florentinis ea in re, impetraverunt, & summo cum honore & laude Romam cum grandi illo pondere divitiarum reverterunt, pecuniâ numeratâ, indumentis immensi pretii, annulis aureis, lapillisque pretiosissimis pæne infinitis, tapetibus quoque, & auleis, labris & lancibus argenteis omnibus, & omni denique pretiosorum genere, quarum omnium rerum ipse parcus, imò avarus in vita exstiterat. De quibus quidem facultatibus satis superque humanus liberalisque summus Pontifex esse constituit; nec relicta sanctissimis Ecclesiis denegavit, nec Nepotes ejus neglexit, nec familiam sprevit, cui quidem familiæ septem millia aureorum dispertivit, & plusquam menses duos aluit largiter & benigne. Inopibus etiam, præsertim Virginibus maritandis; & Pannoniis, quos Hungaros vocant, non parvam partem dicitur indulsisse, adversùs Turcas, hominum bestiale & perfidum genus pugnatores. Sed interea postquam sepultum est Ludovici cadaver, instituerant Canonici quidem Sancti Laurentii in Damaso, ut vulgo fama volavit, sepulcrum reserare, & nonnullos anulos, & alia ornamenta cum illo contecta, non parvi pretii surripere. Quod quum factum esset, simul & restitutum, reposita sunt ab eisdem eodem tumulo cuncta, quæ abstulerant, ornamenta: nonnulli tamen eorum capti sunt, & in custodiam publicam trusi, pœnasque debitas persolvisse ferunt.

Dum verò hæc fierent, Jacobus Tolomeus Senensis quum aufugisset tempore mortis Pii Secundi, Spoleti occupatus est. Cupiens autem ex Arce Adriani effugere, subornatis quibusdam juvenibus comitibus facinoris sui, pæne se dedit in pedes, adulterinis clavibus inventis. Quapropter jam arctius incommodiusque detinetur. Existimatur tamen tanta esse summi Pontificis clementia Pauli Secundi, ut absolutus & pæne illæsus sit egressurus. Nam unicuique est insitum à natura à morte refugere, & incommoda vitare; quamquam revera ex sua ingenti sævitia tempore Pii Secundi actitatâ ultimum supplicium mereatur: etsi semper se expurgare videatur, quod quæcumque fecisset tempore Pii, ad malos plectendos perterrendosque se diceret effecisse, ut Urbs Roma juvenes petulcos & intolerabiles tamdem bonos haberet, nec aliquid malarum herbarum usque relinqueretur in Urbe. Testamentum autem Ludovici Cardinalis prædicti non omnino irritum factum est; nam legata religiosa, & pia, ut dixi, reddita sunt Templis, & Puellis conjugandis, nullâ factâ retentione à Paulo Secundo, Scarambis tamdem, & nepotibus Ludovici satis, abundeque lætis abeuntibus, quum tamen paulo ante nil se assecuturos existimassent. Non est omittendum, in Christiana Republica nullam Provinciam remansisse, quæ non miserit Legatos, nec Regem, qui non procuraverit Oratores ad summum Pontificem Paulum Secundum mittere. Nec defuerunt crebri Pannonii, qui pro pecuniis sæpe in Italiam irent, quibus propellere possent genus detestabile Turcarum. Nec tamen satis forent Pontificis Maximi pecuniæ, nisi quotannis illi animosissimi Populi à Venetis adjuvarentur. His igitur diebus sexaginta aureorum millia in Pannoniam reportarunt. Qui verò Cardinales his temporibus apud summum Pontificem vitam ducant, dicendum est; nam de mortuis nulla pænè mentio à nobis fiet. Integritate igitur vitæ ac prudentia, & omni laude virtutum accumulatissimus *Johannes Cardinalis Carvagial*, qui Sancti Angeli dicitur, sex annis aut circiter, adversùs Turcas Ecclesiastici exercitus dux, laudem inauditam est assecutus ex incredibili patientia, ingentibus laboribus, diligentia, & industria singulari. Id enim fecit, quod alius ejusdem ordinis hactenus fecisse nescitur, tot mala & incommoda tolerando, ægre ab Ecclesia adjutus, semper egenus, nullo munere cor-

corruptus, dux vigilantissimus, à Germanis, A Pannonibusque dilectus, immo amatus & cultus, & summo honore à Calisto Tertio habitus, ad extremum Pii Secundi tempus usque, in illis tum sudoribus tum frigoribus, atque vigiliis perseverans. Qui nisi vocatus fuisset in Italiam à Pio Secundo, minime revertisset; nam alii, qui in transalpinas regiones cum honore profecti sunt, & in eo Magistratu quæ effecerint, & uti redierint, silentio prætereo. Sed quàm pudica, quàm honesta, quàm temperans sit hujus Cardinalis familia, nostris temporibus innotescit nec seculis futuris, nobis, aliisque scribentibus, erit ignotum. Non sunt apud illum effeminati juvenes, non implacidi, atque difficiles, nec habitu sumtuosi; B nec hactenus eorum ullus ebriosus, arrogans, turbarum ciens, Civibus Romanis, aut etiam peregrinis contumeliosus. Omnes ad unum virtute aliqua præditi, aut literatura, aut consilio, aut fortitudine viribusve quisque exornatus apparet. Ipse verò (de domino loquor) mansuetissimus, & tamen mirâ gravitate fulgens, de omnibus benemeritus, modo possit; juris consultissimus & Pontificii & Canonici, laborumque patientissimus, ut sum præfatus. Ob quas virtutes & à Pio Secundo, & à Paulo successore res graves & arduæ ei commissæ sunt: de quo longo tempore dicerem, nisi ad alios quoque properaret oratio. Hunc tantummodo innuam ab Eugenio Quarto Cardinalem esse creatum. Transeo nunc ad *Cardinalem Mantuanum*, à Pio Secundo creatum, C vix egressum adolescentiam, formosissimum juvenem, sine dolo malo, & omni humanitate refertum, ab universâ Curiâ Pontificiâ summe amatum ob facillimos mores suos, quem meruisse honorem Cardineum Curiales omnes affirmant. Nam quum esset Pii Secundi Curia in Urbe Mantua, omnes, qui Pium secuti sunt, à summo ad minimum adeo benigne tractati sunt, ut unanimes non modò Cardinales cum Pontifice illo, verùm etiam universa Curia, ad filium Domini Mantuani Cardinalem efficiundum fuerint. Omnia abundantissima in ea Urbe exstiterunt, frumenta, D vina, pulli cum reliquo victu, omni rerum caritate penuriâque abjectâ. Nulla igitur vox exaudita est à quoquam, quâ intelligeretur animus cujusquam esse obnoxius atque contrarius. Romæ vivit magnifice, ut decet Dominos atque Principes, ab omni avaritia refugiens, unicâ mendâ laborans, qua & nonnumquam senes infecti sunt, non juvenes modò avide, sed & puellas intueri. Sed hoc in formoso juvene non magno vitio adscribitur; tot enim virtutibus fulget, ut hæc macula pro nihilo habeatur, & penitus contegatur. Cujus statura & recta & speciosa proceraque, omnibus est spectabilis. Ab officio suo numquam, dum tempus adest, desistens; legit, E dum licet; Paulum Secundum fere quotidie visit, à quo unice diligitur, & Beneficia non parva in menses & pinguia accepit & copiosa; ut quum sit extra patriam, queat ample victitare, ne dedecori sit fortunæ, & statui suo, quum Cardinalis sit, & Principis Mantuani gnatus, ingenuus & liberalis.

A Pio Secundo creatus *Cardinalis Episcopus* longo tempore *Reatinus*, tam egregiâ famâ fuit, ut superiores Episcopos integritate vitæ, & morum sanctimoniâ antecesserit. Post verò quum Pius Secundus eum Gubernatorem Civitatis Bononiæ legasset, semper se sancte gessit; nec minus * ab eodem Pontifice in ordinem Cardinalium redactus esset, modeste, graviter, constanter se habuit, adeo quidem, ut nullum alium se velle Legatum ejus Civitatis Oratores exposuerint Paulo Secundo. Itaque multis annis Bononiensibus præfectus, eos sanctissime gubernavit. Est enim miraculi loco diu quempiam Gubernatorem atque Legatum apud illum Populum permanere ac perseverare posse: adeo durum est ejusmodi genus hominum, qui inter se digladiantur, & occidunt, ut hostes inter se capitales facere consueverunt. Sive autem ex se & natura sua probe vitam degat, sive Cardinalem Firmanum ejus fratrem sapientissimum virum de industria imitetur, nil vitii ei adscribi potest. Nam si inspicitur ejus familia, usque ad infimum omnes eum vitæ ordine honestateque imitantur. In hoc Principe nulla avaritiæ scintilla hactenus apparuit, nullum furoris signum est visum, immo à vertice ad plantas humanissimus ab omni hominum genere est judicatus. Quanto autem honore Cardinales Urbem Bononiam prætereuntes, aut etiam Prælatos acceperit, illi dicent simul, & dixerunt, qui eo honore affecti fuerint, adeo quidem ut vel nihil, vel certe parum ex hujuscemodi legatione pecuniæ sit reportaturus; quod ostendit hominis magnificentiam, veramque sapientiam. Omitto nunc, quàm doctos, quàm solemnes Bononiæ in omni facultate viros ad legendum conduxerit, conducatque quotidie; quàm Literas, & Literatos amet; quantâ doctrinâ in omni Scientiarum genere, præsertim Jure Civili & Canonico, sit præditus. Et certe si de re quacumque illum tetigeris, satis abundeque dissertabit. Sed de eo satis, si unum illud addiderimus, Paulum Secundum eum probè pernovisse, & ejus virtutes ad unguem annotasse, & eapropter semper dilexisse, & in eo Magistratu confirmasse, & maximis laudibus ad sidera extulisse, si quando de eo absente sermonem habere incœptavisset.

Cardinalis Senensis ætate juvenis à Pio Secundo, cujus erat Nepos, creatus, moribus senex, omnibus Cardinalibus acceptissimus semper exstitit, præterquam Patriarchæ Aquilegiensi, quem (de Senensi loquor) Ludovicus oculis cernere minime poterat, non quidem crimine aliquo, verùm odio, quo in Pium fuerat affectus. Nam revera Pius Secundus Patriarcham numquam dilexerat, numquam laudaverat, numquam recto lumine inspexerat. Sed redeo ad Senensem Cardinalem, qui quum Pius Secundus ab Urbe abesset, Legatus remansit, & cunctis gratissimus exstitit, atque adeo acceptus, ut nihil supra. Ea fuit viri prudentia, ea justitia, ea mansuetudo, ut nemo ab eo non contentus abierit. In sententiis ferendis non solùm gravis, sed etiam mitis habebatur, neminem perterrefaciens ullo vultus terrore, quo penitus caruit, simul & caret, aut ullâ sermonis sævitia, quæ profectò ab ejus ingenio semota cognoscitur. Ædificio vehementer est oblectatus adeo quidem, ut Palatium suum prope Campum Floræ magno impendio exhauserit, nulli pecuniæ parcens, & ab omni avaritia prorsus amotus. Complura de hujus Principis, à Paulo Secundo dilecti, gratitudine scribi possent in familiam, & in benemerentes, quæ brevitatis caussâ reticentur.

Cardinalis Sanctæ Anastasiæ à Calisto Tertio

tio creatus est, frater Simonis Medici eximii, Philosophique præclari, uno titulo laudatur ab omnibus; nam bonus vulgo existimatur; nec docti aliter quàm indocti eum autumant, qui illum diutius experti sunt. Quem nominibus diversis alii probum, alii integrum, alii justum appellant, ut si mille aliæ laudes huic adscriberentur, ea satis superque esse credatur. Omitto, quod omnibus est dilectus, nulli invisus, misericors, & ab omni duplicitate simulationeque semotus. Juris Civilis scientiâ præditus; a matre prædictus atque prævisus, femina primaria atque sanctissima; prædictus, inquam, Episcopus, Cardinalisque: quam rem multi mortales prænoverunt. Capellam in Templo Sanctæ Mariæ, ubi olim Minerva colebatur, non parvo sumtu ædificari curavit. Illud tamen non prætereundum censeo, quod quum Cardinalis Aquilejensis esset omnibus Cardinalibus odiosus, nec amaret quemquam, hunc unice diligebat. Quanto autem amore semper amplexus Princeps hic fuerit à Paulo Secundo, vix scribi potest: quod munera ac beneficia à Paulo ei præstita evidentissime declarant. At de hoc satis.

Cardinalis Theanensis se & suos nobilitasse non dubitatur; nec prosapiâ ullâ ad tantum apicis umquam pervenisset: at quod laudabilius est, virtutibus suis ad id gradus aspiravit. Est enim inter mortales quædam Virtus, cui Prudentiæ nomen est, qua is plurimùm floruit, quam difinierunt Philosophi esse Magistram vitæ, ut etiam si literatus quis minimè foret, tamen si hac insignis esset, summis laudibus extolleretur. Sapienter enim se gessit apud Principes, præsertim Pontifices Summos. Cognovit eum Pius Secundus arduis rebus idoneum, & rebus Ecclesiasticis gubernandis aptissimum, ex quo illum rubro apice donavit. Legationibus non parvis insignibusque est functus, semper cum honore rediens, & famâ percelebri. Non loquax, non detractor; libens legit, præsertim à Planto abstrahi minime potest, ubi Latinam Linguam dicere consuevit veram antiquamque comperiri. Comœdiis Plauti adeo oblectatur, ut etiam illas sit ausus in otio lecticare secum ac interpretari, quæ personis adnotatis carere noscuntur; quas quidem paulo ante Comœdias inventas esse perhibet diu amissas, quas nemo publico præceptor legitat, quandoquidem collocutorum nomina signata minime discernuntur. De hoc satis sit, si addiderimus, eum haud parum diligi à Pontifice Paulo Secundo, virtutum amatore sincero.

Cardinalis Rotomagensis prius, post verò *Andegavensis*, nobilissimo sanguine ortus, nobilissime vivit, & excelsum Palatium adeo exornavit, ut etiam Rex quivis inhabitare honorifice posset. Est enim ejus domicilium Templo Sancti Apollinaris contiguum in Urbe. Hic splendide quidem omnia efficit, adeo ut Templum Sanctæ Mariæ Majoris miris figuris, sculpturisque exornari curaverit; nec ullas metitur impensas quotannis illic exponendas, simul & expositas. Quid dicam de præceptoribus Grammaticæ & Musicæ, quos & salariis optimis & dignitatibus insigniri eo loco procuravit. Organa musica & organistas illic deesse nullo umquam est tempore passus. Canonicos moratissimos doctissimosque in ea Ecclesia habere conatus est, prædicatores quoque non ignobiles, præsertim Fratrem Robertum Apulum Ordinis Sancti Francisci, principem inter prædicatores, nec non Alexandrum Bononiensem Ordinis Prædicatorum, dote una præditum præter omnes, quos vidimus modo tales, nam Testamentum Vetus cum Novo adeo pulcre probeque componit, atque connectit, ut nihil supra. Hujus Cardinalis excellentissimi quum antea amicissimus esset Cardinalis Sancti Marci, nunc amicior est atque dilectior in Pontificatu constitutus. Nam ut sæpe diximus, Paulus Secundus bonos liberalesque & sacrosanctæ Ecclesiæ cultores semper amavit. Hic Campanas operâ atque labore Fratris Roberti sonoras, gratas, suaves confici jussit. Denique omnes reditus in rebus honestis, laudabilibusque, & arduis libentius impendit, quàm possit quisquam opinari. Hic mire loquitur Italice, quum difficile sane Galli Linguam hanc ediscere videantur. Is igitur Italus inter loquendum videtur; nam Latinâ oratione haud dubium est eum congrue eleganterque proloqui. Hic quum audivisset Laurentium Vallam de laudibus sanctissimi Thomæ Aquinatis Oratorem hic in Templo Sanctæ Mariæ supra Minervam, illum insanire judicavit; nec à vero judicio destitit; nam quum de virtutibus pæne inenarrabilibus Thomæ Aquinatis Valla esset dicturus, evagatus est, atque stulte digressus, de exordiorum natura dissertans more Rhetorum, qui sic disputare in Scholis consueverunt. Fuit ergo illius Oratio velut pannus consutus, & ex varietate pannorum confectus. Quamobrem censura hujus Principis apud omnes valuit plurimum. Sed de hoc hæc pauca sint satis, quum tamen plurima de tanto Principe dicenda forent.

Cardinalis Bessarion Nicænus tempore Pontificis Pauli Secundi maxime floret, & in pretio non parvo esse pernoscitur, licèt & antea exstiterit, nec immeritò; nam literatissimus est, & hominibus Latinis & Græcis multò dilectissimus, præterquam Georgio Trapezuntio odio quodam privato. Hic Cardinalis literaturâ semper oblectatur, & lectione tum Grecâ tum Latinâ, semper aliquid componit, aut transfert. Nunc est in ejus manibus mirum Opus de comparatione Platonis & Aristotelis, in quo sui vires ingenii evidenter ostendit. Nam, bone Deus! quanta est intelligentia ejus in eo Codice, atque profunditas, quod tamen nondum absolvit opus! quanta majestas! Quid dicam de acumine ingenii? quid de elegantia utriusque sermonis? Hic etenim Latine proloquitur, ut si ab ipsis incunabulis à Latinis Musis esset educatus. Grandi consilii Vir est; quod vel Bononiæ satis eluxit, ubi diu Legatus homines duræ cervicis sapientissime moderatus fuit; & apud Germanos, gentem barbaram & efferam, legatione functus, apud quos mirum est quàm prudenter se gesserit, quamque mire ab eis se excluserit atque dissolverit. Eum verò censuit Imperator Fridericus, censuit, inquam, sapientissimum hominum, uniceque dilexit. Qui licèt in Legatos alios amore & reverentiâ quadam fuerit usus, in hunc maximo cultu primo usus est; secundo verò loco in Episcopum Torcellanum, nunc Brixiensem; tertio in Archiepiscopum Sipontinum....... Nicolaum Helium, quem secum Nicænus illuc ab Urbe abduxit, consilio & lingua mirum. Quàm largus munificusque est in eum Paulus Secundus! attamen eâ lege servatâ, ne quid ab ipso præter bonum honestumque peta-

petatur: quod semper servavit Cardinalis; quippe modestissimus est. Taceo, quantam Librorum Linguæ utriusque Græcæ Latinæque multitudinem comparavit. Taceo, quod plerosque juvenes alit, & ut discant, Præceptoribus abunde persolvens. Equidem paucis eum comparo. Hic calculo vesicæ renumque * sinistime antea laboraverat; nunc sospes. Qualia convivia instruat sapientissimis & clarissimis viris, Legatisque, nemo est, qui ad unguem describere facile posset. Hic dulci & serenâ est facie, vultuque jucundo; sic sermone & moribus humanus; Bibliothecam grandem utriusque Linguæ est aut Romæ, aut Florentiæ, aut potius Venetiis ad usum publicum dimissurus. Hic ab Eugenio est Cardinalis, nemine adversante, creatus, ex ingenii acumine atque doctrina, & adjutore prudentissimo Cardinali Cæsarino.

Cardinalis Ravennas ab Episcopatu suo est dictus. Hic ex prosapia Roborella descendit. Hic inter primates in Eugenii Quarti Palatio & Curia apprimè cognitus fuit. Nec tamen prosapiâ aut sanguine aut aliquorum dominorum precibus Cardinalis evasit. Verùm pro sacrosancta Ecclesia Romana plurimùm laborans, apicem illum est bene meritus. Nec est ambiguum, quod Regnum Neapolitanum jam esset sub Gallorum dominatu, & Sanctis Pontificibus fortè inimicum. Fusum quoque plurimum sanguinis foret, nisi industria, & sapientia, intercessioque hujus Principis affuisset. Hic flexit vetulum durum illum Principem Tarentinum, hic Regem Neapolitanum. Hic omnes Populos Samnites, Lucanos, Bruticos suo arbitrio facile inclinavit. Quas ob res jure ornatus pileo rubro fuit. Hic etiam in Gymnasiis publicis suis impensis alit adolescentes: quod pietatis & misericordiæ opus esse quis ambigit?

Cardinalis Spoletanus ab Episcopatu dictus, Narniensis est, Juris Civilis cognitione mirabilis, nec non Juris Canonici. Ipsum rectum virum & opinatus sum & opinor. Ab operibus etenim suis cognoscitur, & qualis sit optime judicatur. Cardinalis hic severus, asper, durus à compluribus habetur. Ego tamen nil habebam præter auditum; quum tamen satius interiusque vestigo, durus est in eos, qui sic merentur. Pius Secundus hunc Cardinalem creavit, qui legationibus nonnullis est functus, & semper rectis bilancibus dicitur processisse, à nullo hominum genere perperam flexus, nullâ familiaritate concitus, nulloque odio stimulatus. Nunc sub Paulo Pontifice triumphat; nam hoc tempore plurimùm ob suas virtutes amatur ab eo, honorificeque tractatur pro suis meritis atque virtutibus.

Cardinalis Ursinus, cujus cognominis fuit .... patruus, qui vixit diu, & mortuus est admodum senex, legationibus multis est functus. Hic nomine Pii Regem Neapolitanum coronavit, Piceni Legatus. Hoc tempore fungitur amplo Magistratu; & bonum, immò optimum nomen est hactenus adeptus, quum jam annum eam Provinciam sapientissime moderatus sit. Hic est, qui Calisti, nepotumque suorum benivolus minime fuit. Nam Calistini Columniæ Familiæ erant amicissimi. Borgiam autem Paulus Secundus, quum Cardinalis esset, ex sua pietate protexit maximo cum periculo, non tamen quia factionis ullius esset amator, at ut bonum decet Christianum, medius vellet nepotem tanti Pontificis tueri, & Ostiam versùs illum est comitatus, ut ad Civitatem Veterem, quâ donatus fuerat à Calisto, proficisceretur. De hoc Cardinali plurima conscribenda forent. Verùm

„ *Ante diem clauso finiret vesper olympo*.

Cardinalis Sancti Sixti ab Eugenio Quarto creatus, semper minus optavit maximum Pontificatum, quàm ceteri, tum quia dives, tum ad maximas curas effugiendas, tum ad tutiorem salutem animæ. Podager est, & iracundus & difficilis plus quam credi à quoquam possit. Artium Liberalium, necnon Theologiæ peritissimus, cui vix universa Italia parem habet, quot opera ediderit copiâ rerum, ingenti profunditate, & sententiarum gravitate composita, præsertim in Theologica facultate, Scientiaque Canonica, ostendunt Bibliothecæ in Urbe Roma publicæ, & aliis Urbibus Italicis, præsertim super glorioso volumine Gratiani, ubi Decreta sanctissima complectuntur. Taceo Opus egregium de Virginis Mariæ Conceptione, in quo apprime dissentit à sententia Fratrum Minorum, qui Mariam Christi Matrem ab originali peccato prorsus absolvunt. Taceo reliqua non pauca non abjecta, quæ composuit Opera, in quibus se fuisse mirandum Philosophum, fidelissimumque Christianum præsefert. Quàm verò sit severus, quamquam durus in Fratres Sancti Dominici, Monialesque sibi subjectas, pernoverunt expulsi simul & expulsæ. Claustrum sanctissimæ Mariæ super Minervam pulcherrimis Epigrammatibus Historiisque egregie exornavit. Testudinem Templi grandibus impensis absolvi diligentissime curavit. Quibus ex rebus immortalis futurus est. Quod autem sit adeo asper & difficilis, famulorum facit ...., & podagricus morbus; ea enim duo ad bilem facile stimulant. Quàm juste universam Sublacus Abbatiam & regat & rexerit, dici vix posset, aut scribi: sed de hoc satis.

Cardinalis Elibret. Hic prudentissimus vir (quod omnes uno ore consentiunt) tantâ est rerum prudentiâ, ut absque tumultu ac turba aliqua familiam suam regat atque gubernet. Humanissimus etenim & justissimus est, & ab omni arrogantia semotus. Quam autem tenet Regii sanguinis & prosapiæ generositatem, animo & moribus hactenus demonstravit. Cui profectò est ingenii acumen, & probata rerum plurimarum censura atque judicium. Solent nonnumquam de heris domestici obloqui atque detrectare: de hoc verò universa familia nescit perperam fari, nescit detrahere. Captant enim recte vivendi exempla à Principe suo, bene beateque vivente. Illum ergo jure extollunt, & illius virtutes libenter enarrant. Liberalitatem enarrant, justitiam non occultant; humanitatem & mansuetudinem referunt; Juris utriusque scientiam Canonici & Civilis.......... non queunt. Habet autem apud se adeo suaves, adeo placidos, adeo prudentes juvenes & senes, ut vix scribi queat; & omnes ad unum literis oblectantur. Immò & coqui à Gaspare Veronensi Aristotelis Ethica audiverunt. Hujus autem Principis vitam optimam si quis rogaret, Florentinum Johannem è Casa (hoc enim est ei cognomen) responderet, sibi opus fore ore ferreo, & ænea

ænea voce, pluribusque linguis, quum tamen Johannes sit vir eloquentissimus, & maximis laudibus dignissimus, & inter loquendum, simul & inter scribendum paucissimis Florentinis comparandus. Habet enim rectissimum judicium. Valet hic Princeps plurimâ literaturâ, nullâque ducitur insolentiâ. Postremò non est reticendum, à Pio Secundo hunc clarissimum Principem Cardinalem esse creatum, non habitum in postremis à clementissimo Paulo Secundo.

Cardinalis Constantiensis, hic est ille vir prudentissimus antea incognitus, qui .... Atrebatensi Cardinali pileum roseum est meritissime consecutus. Hic quum Perusiæ, & totius illius Provinciæ Legatus à Paulo Secundo esset effectus, adeo sapiens est cognitus & rectus, ut nihil supra. Tanto valet ingenii acumine in regendis gubernandisque Populis, tantâ auctoritate, gravitateque perfulsit, ut potestatem atque licentiam à summo Pontifice concessam bene distribuerit, bene locaverit, bene sit usus; nec quisquam antea credidisset, eum tanto sensu intellectuque valere, nec tam activum, rebusque arduis aptum, quàm exstitisse cognovimus. Non ergo sanguine solo se generosum, sed etiam constantiam & animum illustrem evidentissime ostendisse cognoscitur. Hic verò cum Atrebatensi, de quo statim subjiciam, Cardinalis, quum esset in Gallia, designatus est à Pontifice maximo Pio Secundo, illius eximiis virtutibus moto.

Cardinalis Atrebatensis à Pio Secundo creatus, pileoque insignitus, solis virtutibus promotus est. Nam quum esset omnibus Artibus Liberalibus, & omni scientiâ præditus, præterea in sacrosanctam Romanam Ecclesiam pius & liberalis, galero rubicundo dignissime donatus est. Quid enim est in Artibus Liberalibus, quod ille non teneat? quid in Physicis, in Mathematicis, ac Metaphysicis quod hic Vir clarissimus non intelligat, & acute differtet? Copiosissime orat, elegantissime loquitur; ab omni avaritia remotus, suos reditus & proventus læto vultu, & alacri fronte Pontificibus summis mutuat, tradit libentissime, impendit nullo fœnore inde sperato: quod rarò ceteri ejusdem Ordinis effecerunt. Hic Pragmaticam summâ cum diligentiâ Regi Gallico demsit. Hic Cisterciensis Ordinis pallio diu indutus incessit. Verùm in Ordinem redactus Cardinalium melioribus honestioribus indumentis est usus. Quippe galerus roseus, & cilicium non bene conveniunt, nec in una sede morantur. Verùm pullatis vestibus jure semper incedit.

Cardinalis Vicecancellarius ex ea parte Hispaniæ est, quæ Valentiæ Regnum dicitur, immò Valentinus est. Est autem Valentia hodierna luce clarissima Urbs, quam Calistus Tertius ejus Avunculus cum Urbe Roma convenire, prædicare solebat. Verùm de nomine loquebatur. Nam, ut ipse sæpemumero dictitabat, Roma Argolicum nomen Robur & Valentiam significat. Hic ergo ab Avunculo in Cardineo numero adhuc adolescens collocatus est una cum fratre, qui Sanctorum Quatuor Cardinalis est appellatus. Hic heres Borgiæ splendidissimi Equitis, & fratris amantissimi, est relictus, quum diem suum obiisset in Civitate Vetere, quæ Urbs in litore maris Tyrrheni sita est. Quæ quidem hereditas non parum adjumenti Palatio decoro ac magnifico præstitit, in Urbe & regione Pontis condito, quod inter eximia Palatia Italiæ facile potest connumerari, & summis laudibus tolli. Huic Principi, quum esset Abbreviaturæ ablatum officium a Pio Secundo, restitutum est à Paulo Secundo, fractusque ac discerptus Abbreviatorum Ordo ille sexagenarius. Est ergo Præfectus, ut olim, Abbreviatoribus, quibus supplicationes à Pontifice summo signatas pro suo arbitrio distribuit; & inopes plurimos alit, qui inediâ facile deperirent. Hic in bene meritos gratissimus esse pernoscitur, præterquam *Gasparem Veronensem* olim suum Præceptorem, quem sæpe negligere videtur & parvi pendere: qua in re non parum à via recta secedit. Formosus est, lætissimo vultu, aspectuque jocundo, linguâ ornatâ atque mellifluâ, qui mulieres egregias visas ad se amandum gratior allicit, & mirum in modum concitat, plusquam magnes ferrum: quas tamen intactas dimittere sane putatur.

Cardinalis Sanctorum Quatuor Vicecancellario comparari minime potest. Nam etsi illius frater sit, non est tamen eâ eloquentiâ, vultu, & affabilitate, qua Vicecancellarius est. Hic Bononiæ Præses, & Legatus fuit; post verò se Romam contulit, inde Valentiam se recepit. Nec tempore Pauli Secundi est ad Urbem reversus, majori pace atque quiete suæ domi fruens, pinguibus Beneficiis gaudens, præsertim Ilerdensi Episcopatu gloriosus. Sic vitam pacatissimam ducit: de quo nunc haud plura.

Cardinalis Bononiensis, vir nulli visus est, qui tantâ probitate sit insignis atque laudabilis, quantâ hic Princeps; nam à vertice ad usque plantas rectus, bonus, integer, simplex (non tamen simplicitate rusticâ) & sine felle esse cognoscitur. Juris Canonici consultissimus. Hic procul dubio inter mortales innocentissimus est; qui si magis sedate accurateque loqueretur, nec verba frangeret atque confunderet nimiâ fandi celeritate, nescio quid vitii ei possit adscribi. Sed illud satis, immo maximum est, quod ejus animus atque conscientia pura ac munda, & omni labe libera sit: quæ quidem de paucissimis mortalibus dici possunt. Frater Nicolai Quinti hic fuit, à quo & creatus fuit Cardinalis, qui ambo Sarrazanenses Matrem admodum annosam viderunt, & in Urbe sunt osculati, quæ præmortua est; nec multo post Nicolaus Quintus diem suum obiit. Sed longiori vitâ fuit Cardinalis hic, de quo loquimur. Quum esset Episcopus ante pileum rubeum Civitatis Bononiensis, dignus visus est fratri, qui inter Cardinales assumeretur. Creditur eum diuturnâ vitâ esse futurum, & vix moriturum; quippe semel quaque die comedit sine cœnâ, & à fluore capitis rheumatico, catarrhoque sit liber. Hic renovari jussit pulcherrimè Templum Sancti Laurentii, ubi olim Junonem Lucinam Gentiles coluerunt. Sed de hoc satis.

Cardinalis Papiensis Jacobus, natione Lucensis, solis virtutibus & industriâ magnus evasit, & inter Cardinales collocari meritus est, quem Pius Secundus tali apice dignissimum judicavit, Cardinalium nemine discrepante. Fuerat enim apud Dominicum Cardinalem Firmanum diligentissimus à secretis; & tunc quum plurima sibi commissa prudentissime esset exsecutus, tum ob alia eximia multa atque præclara, censuerunt illum omnes ad unum

Car-

Cardinales maximos honores benemereri. Gravissimus fuit in primis, & acceptissimus Calisti tempore Tertii non modò Cardinali Firmano, cujus mentionem modo fecimus, sed etiam cuncto ordini Cardinalium, præsertim Senensi, qui post Pius Secundus dictus est. Quid dicam de hujus Lingua Latina? quid de sermonis elegantia? quid de acumine ingenii, & de in omnes misericordia egenos & ægrotos? quid de largitate victus, quum ab omni avaritia abhorreat? Lætissimam vitam ducit, gratissimus in amicos veteres, præsertim in Gasparem Veronensem, quum ambo Calisti Tertii Secretarii fuissent, & summâ benevolentiâ juncti: cujus quidem non immemor extitit, cum apud Pium plurimum posset. Curavit enim summis viribus, ut publice conductus Gaspar aureos centum quotannis assequeretur, tunc Poëtas & Oratores lectitans. De hoc satis.

Cardinalis Avenionensis, Gallorum optimus, vir procul dubio sine exemplo liberalissimus, & in nulla re duplex, bonique consilii Princeps est habitus. Sed hoc uno ceteros creditur anteire, quod nullam rem citò credibilem producit in tempus, sed aperto ore simul & corde fatetur hoc fieri posse; illud verò minimè: quod utinam ceteri factitarent. Sed de hoc in Tertio Libro, & de ejus virtutibus amplissimis differemus.

Cardinalis Zamorensis Hispanus, vir longævus super terra, & in Curia Romana usque ad ætatem decrepitam officiis egregiis & dignitatibus versatus, pileum rubeum est meritus, & à Calisto Tertio in sublimem apicem devectus. Hic Juris Civilis & Pontificii peritissimus est, nec quisquam eum duabus his facultatibus creditur antecedere. Sed illud in primis eum decoravit, quod in benemeritos numquam lentus fuit, immo semper promtus adjutor, & beneficiorum numquam immemor acceptorum. Qui ut aspectu deformis, ita virtutibus & conscientia decorus semper apparuit. De quo in sequenti Libro latius scribemus. Voluissem in calce hujus Voluminis aperire permulta, quæ his sex mensibus facta & visa exstiterunt, quæ in Tertium Librum differemus, præsertim *Dominicum Zachariam* Patavinum, Astrologum non ignobilem non solum Pii Secundi tempore una cum Johanne Castrensi allumen prope Tulpham invenisse, sed etiam tempore Pauli Secundi copiam ingentem sulphuris à Dominico solo esse inventam. Præterea Castella Deiphebi imprudentissimi hominis olim filii Comitis Aversi à Paulo Secundo nullis prœliis, & paucis diebus esse revocata, atque recepta in corpus bonorum Ecclesiæ, cujus & sunt & fuerunt. In qua quidem re plurimùm valuit prudentia Johannis Archiepiscopi Spalatrensis, diligentissimi viri Thesaurarii Domini Pauli Secundi, tunc illi militiæ Præfecti. De annona, & omnium rerum fertilitate eo ipso Tertio Libro multa referentur. Reliqua silentio prætereo, quæ latissime ibi explicabuntur. Procederet enim nimium Liber hic Secundus. Digniora autem tunc & excellentiora, animisque legentium gratiora videbuntur.

DE

DE GESTIS
TEMPORE CLEMENTISSIMI PONTIFICIS
PAULI SECUNDI
PER
GASPAREM VERONENSEM
LIBER TERTIUS.

A HOc Quarto Volumine relatu digna minime tacebuntur, & certe legentibus non ingrata, nec à veritate semota. Ut hæc historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, ut Cicero scripsit quidem quàm gravissime. Nam Poëtæ fingunt atque mentiuntur; de quibus nostro tempore vitam de gentibus sequenti Libro non pauca scribemus. A *Trapezuntio* igitur *Georgio* inchoandum esse putavi, cujus tamen factum priore Libro antecessit, quod imperfectum quidem & mancum (ita dixero) ibi remansisse videtur. Nam quum fuisset mensibus quatuor in Adriani Arce detentus, quæ Sancti Angeli hodie nuncupatur, B qui carcer est & custodia publica reorum, & quidem pæne inexpugnabilis, piissimus Dominus Paulus Secundus eum senem jussit relaxari, qui olim suus Magister, Artisque Grammaticæ præceptor exstiterat, nec minus virtutum multarum intuitu, simul etiam habitâ ratione Andreæ filii in patrem pientissimi, & Apostolici Scriptoris, non ignobili & optimo ingenio adolescentis, qui nonum jam & vigesimum annum aut agit, aut juxta id ætatis transivit. Sed ut ad Trapezuntium patrem redeam, non sunt in eo tot inventa facinora, quot de eo prædicabantur. Verùm quum custodiâ publicâ esset egressus, ea lege domi mansit, ne injussu Pontificis umquam pedem C efferret, nec domo ulla ratione exiret. Quæ quidem lex paucis nempe diebus permansit, quam summus Pontifex abrogavit. Et id quidem legitimâ causâ motus effecit, quum satis pœnarum dedisset, & jam decrepitus esset, otiumque nimium & quies illi affutura foret, quumque Magister fuisset ejus adolescentis. Sed jam de hoc Græcæ Linguæ simul & Latinæ peritissimo viro, multorumque Voluminum conditore, nostrisque hominibus utilissimo, finem scribendi facio. Interea Romæ diem suum obivit *Magister Rhodi magnus*, *Petrus Raimondi Cost*: quem suspicio fuit, curis & angustiâ cordis mortuum fuisse; libellos enim D suo in syndicatu accepit mordacissimos. Tuncque non pauci exstiterunt hujus hominis inimici, & quidem capitales; adeoque indoluit, ac indignatus est, & in tantam bilem incidit, ut nec die nec nocte quidem ullo sopore quiesceret. Itaque eum mori necessarium fuisse omnes & existimaverunt, & prædicaverunt. Sed hoc satis.

Baptista Ursinus, Romanæ Urbis Prior, Ordinis Sancti Johannis, inter Cruciferos ejus Religionis clarissimus atque dignissimus, à summo Pontifice Paulo Secundo Magister magnus Insulæ Rhodiæ creatus est; nec multo post, magnâ juvenum catervâ comitante, se ad Rhodum contulit, defensurus pro viribus Insulam sibi commissam, & Turcas gentem nefandam ab eo loco repulsurus. Hoc Anno, tertio Pontificatus Pauli Secundi, procul dubio omnium felicissimi Pontificum, qui hactenus fuerunt, Romam profecti sunt Legati Regis Poloniæ, ut salutarent, viserentque, & se sponderent Pontifici maximo ejus Regis nomine, atque expurgarent. Quippe quum alii Populi & Reges Anno primo obedientiam dare consuevissent, ipsi in Annum tertium distulissent, multis bellis præpediti. Quibus Paulus Secundus mansuete, eleganter, breviter more suo respondit, expurgationemque excepit benignissime. Hoc tempore Marcellus Angeli Busali filius Equitis Romani, à Paulo Secundo gladio militari accincti, Franciscum Johannis Cappuccini filium, non ignobilis Civis Romani, perimit, qui (Franciscum dico) se adulterium cum uxore Marcelli commisisse jactabat, passimque gestibus variis atque diversis eum illudebat. Quo homicidio patrato se Marcellus dedit in pedes, Ferrariamque profectus est. Cujus quidem pater (Angelum Busalum dico) in Molem Adriani trusus est, & compluribus mensibus detentus. Quippe venerat in suspicionem ejus homicidii conscium fuisse, & id filio penitus persuasisse. Nec dum eam custodiam publicam est egressus. Et quidem si Franciscus in memoria tenuisset summi Pontificis monita, uxorem alienam missam penitus fecisset. Moniti enim fuere adolescentes Romani, uti virtutibus essent intenti; & eorum patres ab ore Sanctissimi Pontificis audiverunt, & moniti sunt, ut filios bonis moribus insignirent: alioquin delinquentes plecterentur. Interea quum hæc agerentur, Florentinorum, necnon Neapolitani Regis, Mediolanique Ducis Oratores ad Urbem sunt profecti, & multa cum Pontifice tractaverunt. Qui quum fœdus & colligationem cum ipso Pontifice quæritarent, sapientissime dicitur illis respondisse, non esse Pontificum Maximorum se immiscere bellis & prœliis, & esse factiosos; verùm potius pacem Populorum curare, & interpretem ac medium fieri, uti Christiani sint unanimes & concordes, justeque vitam degant. Harum enim rerum se dixit auctorem esse velle pro viribus. Quæ autem fuerint inter Legatos Regis Neapolitani, & Sanctissimum Pontificem de Censibus red-

reddendis, longum esset narrare. Tamdem tam apertissimis rationibus succubuerunt, quas in medium attulit sapientia Pontificis. Noverat enim optime, quæ Oppida Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ipso jure forent, & quæ ablata ab Alphonso patre hujus Regis Ferdinandi, & quanta tempore Pii Secundi facta fuerant. Itaque confusi devictique ad Regem ipsum redierunt, unam conclusionem secum deferentes, quam à Pontificis ore perceperunt: Nec Reges, nec Populos umquam fore gratos Summo Deo, nec Pontificibus quibusvis, nisi officium peragerent suum, Censumque debitum quotannis redderent, quando etiam rebus Ecclesiasticis se abstinerent, nec falcem in messem alienam imponerent. Sunt qui arbitrentur, Neapolitanum Regem non magni facere facultatem, auctoritatem, potestatem summi Pontificis Pauli Secundi. Quippe in gazam Principis Tarenti inciderit, magnum profecto thesaurarium, ex cujus possessione adauctus est, & pæne quosque contemnit. Additur cumulo rerum, eum grandem conflasse familiaritatem cum Turco: quæ duo ferunt in caussa esse, cur summum Pontificem minime magni faciat. At certe aberrant ab omni recto calle, qui sic arbitrantur. Qui recte sapiunt, verius sentiunt, non solum Regem Neapolitanum, verùm etiam ceteros & Reges, & Populos formidare Pontificem Paulum Secundum, & in primis Turcum, quum nihil infestius objicitur, quàm potestas hujus Pontificis. Nec tamen eundum est inficias, Turcos præter Pontificem vereri, & admodum pavere & contremiscere magnam mari terrâque ditionem Venetorum, qui revera hactenus Christianam Rempublicam pro viribus sunt tutati.

Hoc Anno Tertio Sigismundus Arimini Dominus Rosâ donatus est, quæ non nisi magnis Principibus à summo Pontifice dono tradi consuevit; qui (Sigismundum dico) Pauli Secundi benivolentiam non parvam meritus est. Quippe pro Fide Christiana longo tempore adversùs Turcos bestiales homines multa incommoda perpessus est noctesque diesque, quamquam antea à Pio Secundo odio habitus est. Sed de his aliàs. Quam pulcre magnificeque Palatium Sancti Marci vigescat, vix dici scribique potest, adeo quidem ut juxta fundamenta res ipsa futura excelsa atque mirabilis videatur. Nam Sancti Petri in Tuscia Palatium certe grande, & sumtuosum esse, atque magnificum, non adeo mirum est: quippe plurimi Pontifices illud curaverunt, atque auxerunt; & eorum quisque haud parvum impendium effecit, sicque sur sim venit, & magnificatum est. Hoc verò, de quo in præsentia loquimur, à solo Paulo Secundo & incœptum est, & ut speratur, perficiendum magnis laudibus, & ornatu specieque decorandum. Cui quidem ædificio Architectus ingeniosissimus Franciscus Burgensis præfectus est, etsi aliquot diebus à præfectura sua rejectus fuerit, delatus summo Pontifici quod peculatum fecerit. Qui tamdem, datis tamen fidejussoribus, innocentissimus est inventus, & ad officium restitutus cum integritatis suæ eximiis laudibus, benivolentiâque Pontificis. Mores suos hactenus non omisit maximus Pontifex clementiæ & misericordiæ; neque enim sanguinem mortemque mortalium cupit; nec delinquentes impune tamen abeunt. Publica enim custodia reorum pœna est hoc tempore felicissima Moles Arx Adriani, carcerque Capitolinus. Cantalicius, qui publicus pirata fuerat, & multa maria peragraverat, inimicus Rhodiorum capitalis, fuit in mari captus Anconitano, & Pontificis jussu Romam advectus. In Mole verò Adriani plusquam annum hactenus permansit incommode; misericordiam tamen & clementiam impetraturus. Hoc tempore Ragusini, quum eorum Episcopus permutaretur, sibi Timotheum Maffeum Veronensem, Canonicum Regularem delegerunt, virum maximæ prudentiæ & eloquentiæ, aspectu & moribus facillimum: qua electione lætatus est mirum in modum Pontifex, & eam accepit, & firmam esse voluit. Quem (de Timotheo loquor) quum interrogarem, quid caussæ subesset, cur Populus ille ita expetivisset ipsum, respondit, nugas suas aliquando placuisse illis, quum eo loco prædicasset Evangelium. Noluit uti alio verbo, quàm nugas, ut se & sua minueret atque deprimeret. Sed illud mirum est, & magnæ bonitatis, bonique regiminis argumentum, quod his tribus annis fere nil pestis apparuit in Urbe, quæ quotannis tabe pessima aëris solet affligi. Hoc summus Deus, ut creditur, effecit, ut bonorum operum remunaratio aliqua tribueretur Pontifici optimo, utque in annos melior foret; & qui futuri Pontifices essent, ab hoc discerent sancte gubernare. Sed jam ad alia transeamus, præsertim ad familiam hujus sanctissimi Pontificis. Hac tempestate, ut antea semper, optimâ familiâ gaudet, beneque moratâ, humanâ, atque clemente. Cui longe dissimilis fuit Pii Secundi familia, & universus famulorum cœtus aliquo Magistratu functus. *Gorum Senensem* semper excipio; sic enim Gregorium Senenses appellant. Hic enim dulcissimis moribus exstitit, & multa tractavit, quum à secretis illius Pontificis esset, apud quem plusquam quinquaginta millia aureorum lucratus est, sine cujusquam querimonia, aut aliquo suo crimine. In primis maximas meritus est laudes *Episcopus Vicentinus*, qui his diebus galerum roseum, concedente summo Deo, Pauloque Secundo, est accepturus. Cujus virtutes, & literaturam non facilè dicerem; sed de eo aliàs diximus, & dicemus. Sed illud in primis evidentissimum est, multis & arduis negotiis summum Pontificem ab hoc hactenus esse levatum; adjuvat enim eum corporis robur, prudentia ingens, memoria non parva, acumen ingenii, exercitatio rerum, vigilia crebra, cibi potusque sobrietas. Sed de hoc satis. De *Episcopo* verò *Feltrensi* satius est tacere, quàm pauca loqui; qui in omni re non solùm accuratè & diligenter, sed etiam perbenigne & pie se gerit. Quod ostendit, multis mensibus carcerem publicum Capitolii crebro visens, ut nisi eo accessisset, complures ipsa in custodia periissent, & pediculis exesi forent. Itaque prudentissimus vir remedium adhibuit magna omnium cum laude & benedictione. Alii enim alia de re conquerebantur, aut quod inopes essent, nec solvendo forent, aut quod perperam carcere essent detenti, denique nisi grandi scelere illuc essent intrusi. Operam is dabat, ut quoquo pacto exirent cum pace & benivolentia actorum & creditorum. Sed quam sit Literarum & Literatorum cultor, non facile scripsero, quamquam ipsa experientia id docet. Habet enim egre-

egregiam Bibliothecam, optimos Codices, & perornatos simul & multos, legitque lubens, si modo otium habere queat; & publici Gymnasii Magistris curat quam diligentissime solutiones: quod ex auctoritate summi Pontificis & licentia efficere potest. Sed de hoc satis.

De Archiepiscopo Mediolanensi dicenda nulla mihi videntur præter ea, quæ superioribus Libris dicta sunt. De *Leonardo* autem *Dato*, primo Secretario, & jam Episcopo Massano, non alia in præsentiarum narranda videntur. Nec itidem de *Doimo* optimâ prudentiâ tuto, & Pontifici maximo fidelissimo. Nec de *Johanne Cremensi*, omnium mortalium humanissimo, cujus vultus moresque affabilitatem & comitatem quamdam singularem redolere videntur. Necnon de *Petro Gallo* jugiter assistente Paulo Secundo, qui quidem (de Petro loquor) totus à vertice ad pedes mellifluus est, & verbis & aspectu jucundissimus. Pertranseo etiam *Carolum Mantuanum* non illiberalem, non imprudentem, non iniquum, verùm aliquantulo magis credulum quam oporteat. Taceo *Episcopum Trasonensem*, inclytâ Juris doctrinâ pollentem, numquam a justitia pietateque secedentem. Eleemosynas verò prosequitur more suo sanctissimus Pontifex, & in misericordia consueta in egenos perseverat. Illud enim firmissimum est, & prorsus immotum, quod quoque mense aureos centum tradit Alexio Mentaoni, civi Romano haud dubie optimo, & religioso vitæ sanctimoniâ, qui pro arbitrio suo id pecuniæ inopibus magna æquitate distribuit. Quas autem Pontifex maximus eroget pecunias extraordinarias private atque occulte, quis explicabit? quæ paucis cognitæ sunt. De Thesaurario sanctissimi Domini nostri *Laurentio Archiepiscopo Spalatensi* semper aliquid melius dici potest, meliusque conscribi. Quippe jugiter summus Deus adjuvat quicquid agat. Cesenam est profectus jussu Pauli Secundi, ubi plagam illam regit, tuetur, atque defensat sine alicujus querimonia. Ad Tulfam jam eundum est, ubi dominantur optimi viri Ludovicus, & Petrus ejus loci . . . . qui prius incultus, informis, rusticanus, sine muris fu , & annis plusquam quinque millibus ea plaga ignota mansit, usque scilicet ad tempora nostra. Tamdem elaborante Dominico Zacharia Patavino magis quàm Johanne Castrensi, inventa sunt illa saxa aluminosa, & tempore Pii Secundi cœpta est dari opera illis silvis & montibus, & res verissima intellecta est, & quotannis est inde redditus fructus octoginta millium aureorum Ecclesiæ Romanæ. Pauloque post quum audisset Gaspar Veronensis à Ludovico Domino Tulfæ, illic esse quædam signa minerarum auri atque argenti, factus est Ludovicus Gasparis compater, & ambo ex Urbe abierunt Tulfam, & cœpit Gaspar effodere, & apertissime invenit vestigia quædam optimorum metallorum una cum Johanne Jurdi Catalano, qui Siculus dicitur, perspicacissimo in his rebus Magistro, & artifice, & aurifabro incomparabili, qui hoc tempore una cum Paulo Romano affabre fabricat opera summi Pontificis, & Vasa, & Mitras, & talia; cujus (de Johanne loquor) integritas præterit omnem, cujusque viri bonitatem, & in his rebus parem judicio meo nusquam habet. Effecit autem illic grandem cavum in Monte Gaspar Veronensis, ubi miras Mineras (sic enim appellant) invenit. Inde profecuti sunt nomine Pontificum, præsertim Pontificis Pauli Secundi, & effoderunt, semperque melius meliusque, & utilius invenerunt, inventumque iri creduntur atque sperantur. *Cardinalis Sancti Sixti* Cardinalium doctissimus, Theologus, atque Philosophus, Templum Minervæ (quod antiquum nomen est, hodie verò est Sanctissimæ Mariæ) instauravit egregie, quum antea ruisset, nempe suis impensis conditum ac decoratum. Bibliothecam præter omnium spem eo loco reliquit, & chorum affabre factum; & si nondum ipso vivo cernatur, mox tamen admirabile cunctis videbitur opus. Idem antea quam suum obiret diem, Sublacensem Abbatiam summo reliquit Pontifici; & nonnulla quibusdam Beneficia, volente summo Pontifice, in vita dimisit habenda. Nonnulla verò pænes se retinuit ad victum, uti Cardinales solent habere. Quamquam ferunt, sanctissimum Pontificem seni, & podagro optime consuluisse & decentissimam pecuniam quotannis ei constituisse. Perseverat optimus Pontifex usque in sancto & omni laude dignissimo opere antea probe inchoato. Facit enim ipsius misericors providentia quosdam adolescentes literis operam dare sub præceptoribus longe doctissimis, quibus egregie satisfacit, & necessariis omnes alit. Sed & publice in Urbe legentibus eadem salaria præbet, aut etiam majora, quàm consueverit. Literatos & eruditos viros amat unice, amavitque simul, & amabit, si modò boni censeantur. De amore & caritate Pontificis in Cardinales quod attinet dicere: res ipsa cognoscitur, & cernitur manifeste. Universos quidem diligit ut fratres, & ab eis mire colitur. Nec quidquam ab ejus sanctitate honestum petunt, quod non facile impetrent. De ejus more edendi atque bibendi quod opus est scribere, Romanis notissimus est. Vixque in horis viginti cibum potumque, & quidem temperatissime, sumit. Reficit enim vires, instauratque deperditum. Quum verò nocte quaque pervigilet, nunc hujusmodi hos, nunc illos audiens, opus est mane quiescere, & naturæ debitum soporem capere. Hoc enim pacto incolumitatem servat atque tuetur.

DE

DE GESTIS
TEMPORE
PONTIFICIS PAULI II.
PER
GASPAREM VERONENSEM
LIBER QUARTUS.

Annales nostri jam jamque deposcunt, ut Pontificis summi Nepotes conscribamus, qui ad se Venetiis Romam, aliquam dignitatem habituri, sunt profecti. *Johannes* igitur, *Michaël*, & *Baptista Zeno*, jam Protonotarii evaserunt à summo Pontifice Paulo Secundo creati. Ii ex sororibus ejus geniti sunt, qui vix dici posset, quantâ humanitate valeant, quanta virtute polleant, quanta literatûra sint decori. Hi Protonotariatum ab Avunculo acceperunt eo tempore, quo *Marcus Episcopus Vicentinus* Galerum rubeum est adeptus, quum & septem viri clarissimi Cardinales crearentur (octo enim simul Cardineo honore sunt insigniti) *Marcus* enim nomen est, quod antea memoratum est, Vicentini Cardinalis, quem mavult Pontifex Sancti Marci nuncupari. *Oliverius Archiepiscopus Neapolitanus* ex sanguine Caraffio secundus est post Marcum illo in ordine collocatus. *Amicus Episcopus Aquilanus* locum tertium obtinuit, quem ferunt aliquando praeceptorem fuisse Pontificis. *Franciscus Savonensis*, Sancti Francisci Ordinis Generalis, quartus exstitit. *Theodorus Protonotarius Montisferrati* quintum locum obtinuit. *Stephanus Archiepiscopus Callocensis* Pannonius eos consequitur. *Thomas Archiepiscopus Cantuariensis* cum *Episcopo Andegavensi* sunt secuti. *Johannes Barbo* sanguine exortus, templum (ita dixero) est mansuetudinis, qui una cum *Simone Contareno* sine dignitate permansit; at Pontificis sapientia eos sine honore minime derelinquet. Qui profectò & honestissimi sunt, & literis plurimùm dediti, praesertim Johannes, qui lectione saturari non potest, & nonnumquam Opus aliquod scribit, ut nunc vitam prosapiamque Pontificis. Sive Italorum sit iniquitas & imprudentia, sive nimia cupiditas, sive divina providentia atque permissio, jam jamque Italia universa in arma versa est atque coacta, praesertim apud Bononiam, ubi Bartholomaei Coleoni militia sedet; qui tamen creditur pro Venetis militare, & quidem adversùs Populum Florentinum, qui Venetos apprime exosus est, nec minus Florentinos Veneti oderunt. Ad quod bellum confluunt Rex Neapolitanus, Bononienses, Dux Mediolani cum Florentinis. Ad quos sedandos atque pacandos haud parum elaborat, elaboravitque jamdudum Paulus Secundus, si modò fructum aliquem percipere posset. Undique autem bella fremunt. At certè Italos adversùs Turcos, se praeparare longe satius digniusque foret, ut ipse Pontifex maximus saepe numero dictitare consue-

A vit. Est autem gens Itala cervicis durae, potens, & non parum prudens, quam difficillimum est etiam à summo Pontifice ad pacem revocari. Haec etenim erit summa laus & gloria Pontificis, si modò pacatam reddet Italiam. Ceterum Italorum reatus grandes grandia supplicia manent. Praeterea nequaquam musca movetur, nec vermiculus, nec folium quidem in arbore sine voluntate permissioneque divina. Sed de his satis. Detulit fama his diebus, Neapolitanum Regem ad Paulum Secundum accipitrem & equum dono dimisisse: quod quidem munus Paulus tenuit, simul & illusit; Nuntiisque respondit: fabros fabrilia pertractare, & aucupes aucupia. Sed non

B esse Pontificum hujuscemodi rebus versari. Nec verbum insolens extulit, sed perhumane dicitur respondisse. Sicque Nuntios munusque remisisse, nullam indignationem praeseferens. Sapientiam enim suam gravitatemque vel apertissime demonstravit. Nec enim bene conveniebant donum, donatariusque, nec in una sede morabantur.

Sancti Angeli Cardinalis Johannes jam aetate ingravescente, quum esset Venetias missus, suum munus diligenter obivit, officiumque peregit. Erat enim ardua pertractaturus, quae hoc loco mihi tacenda videntur, quaeque arcana prorsus esse debent. Honore autem non parvo, & laude eximiâ reportatâ, & in coe-

C lum à Venetis famâ sublatâ, Romam est reversus ad Summum Pontificem laetissima fronte exceptus. Hac tempestate ad sanctissimam Romam quidam juvenes accesserunt, & ii quidem Teutonici, qui Lactantium Firmianum de hominis opificio, de Dei ira, necnon contra Gentiles mense uno formaverunt, & ducentos hujusmodi Libros quoque mense efficiebant. Quorum artificium narratu perdifficile foret, sed plurimi omne ipsum cognoverunt; quae fuit magni ingenii inventio. Sed & Augustinum de Dei Civitate itidem finxerunt, necnon de Oratore ad Quintum Fratrem, & Ciceronis Epistolas, & vili venumdederunt pretio; sicque alios Codices sunt formaturi.

D Interea *Franciscus Burgensis* è Burgo Sancti Sepulcri, quod oppidum nunc Florentinorum est, in suspicionem incidit fraudis & peculatus. Nam quum esset magnis aedificiis Sancti Marci Praefectus, atque Architectus, plurimas pecunias à Summo Pontifice accipiens, artifices & adjutores fallere creditus est; sicque pependerunt opera interrupta mensibus aliquot. Interea fidejussores praestiti sunt de solvendo judicato, si foret opus, deque non abeundo, quo tempore rationes viderentur. De quo non nisi bene semper speratum est; tamdemque

purus liberque à furto est inventus: quod antea diximus. His diebus Nursini invicem digladiati sunt, & Ecclesiastici non parva supplicia dederunt. Et quum præsensissent Vicecamerarii adventum, Ecclesiasticorum hostes se in pedes dederunt; resque ad illius accessum satis sedata est, non redituris tamen hostibus Ecclesiæ. Nec ulla delebit oblivio Summo Pontifici, Nursinum publice pilâ ludentem, & illam sublime jactantem, temere hæc verba dixisse: *O utinam sic jactare possem Paulum Secundum*. Quod quum audisset Pontifex, tunc delatori subrisit. De Summi Pontificis auro atque argento multa atque varia feruntur; omnes tamen in hac sententia conveniunt, ut non pauca pecunia ab eo possideatur; & apertissime creditur, quod antea fere nulli Pontifices tam divites fuerint. Illud tamen Pontifex ipse dicere consuevit, se censum non aliam propter causam accumulare, quàm ut necessitate & usu ingruente, rei suæ, & Christianæ Reipublicæ subvenire possit, præsertim adversùs Turcos, gentem detestabilem atque nefandam. His actis diebus quum & advenæ quidam, non ignobiles viri, & Cives egregii in Floræ Campo Romano (sic enim nuncupatur) invicem confabularentur, verba de Summo Pontifice palam effecerunt, cuncti ejus virtutes extollentes, nec aliquid ausi, quod majestatem tanti Pontificis læderet ac detereret. Verùm quædam eo loco frivola ferebantur, uti quod Ludovicus, Petrusque fratres, Tulphæ Domini adeo negligerentur, nec eis pars ulla Aluminis, nullusque fructus concederetur, sed jam esset frigidus Pontifex, atque desistens ab eo stipendio, quod ab initio tribuere his Tulphensibus Dominis dignatus fuerat. Quapropter in sui Pontificatus initio ex ea liberalitate ingentem laudem est assequutus. Nunc plerique demirantur, quod ita refrixerit, præsertim quum septem natos, fere omnes nubiles, Ludovicus habeat, nec eo umquam ipsi Cardinales, Nuntiique Pontificis proficiscuntur, quin ab ipsis fratribus Tulphensibus magnifice excipiantur: quod sine impendio magno fieri minime potest. Additum præterea, quod Arcis Custodibus minime satisfieret, omnesque clamarent. Quibus sic loquentibus ego respondi, neminem adhuc aut aufugisse, aut ullo pacto Arcem deseruisse; nam licèt in solvendo nonnulla accidat dilatio, tamdem tamen omnibus satisfacere Pontifex ipse decernit atque proponit, illisque jure satisfacit, contentosque reddit ad ultimum. De pietate ejus plura conscripsimus, quæ quotidie augescit in melius. Quot inopes alit! quot nobiles juvat! Trecentos quoque mense aureos adolescentibus olim filiis Despotæ (sic vulgo appellantur) donat; & nunc curat, ut Cypricus Rex sororem eorum ducat uxorem. Pro quo negotio adeo laudabili ac digno in Cyprum se contulit Athanasius Episcopus Hieracensis, qui necdum ad nos revertisse videtur, ac opperimur in dies. His diebus Regina Bosfinæ, quæ Pannonia inferior est, ad Urbem magnis incommodis & inopiâ coacta accessit, occiso à Turcis marito: quam Summus Pontifex alacri animo suscepit, eam aliturus. Quæ quidem magno honore Urbem est ingressa, missis ei obviam nonnullis Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, Civibusque Romanis. Pullis vestibus ullâ sine pompâ Romam introivit, nisi quam pompam Pontifex ipse constituit. Immo & nonnullæ claræ mulieres, ejusdem

A Pontificis jussu, ipsi Reginæ occurrerunt, præsertim Florentinorum uxores, feminæ primariæ, in primisque soror fuit Nicolai Quinti, & ipsius Cardinalis Bononiensis, prudentissima scilicet mulier. Huic Volumini erat addendum, tempestate hac quemdam in honore esse, & certe immeritò, *Dominicum* * *Cardinalem*, rusticum & aspectu & moribus, hominemque iniquissimum ac injustissimum, quem scimus pro tribunali longo tempore sedisse, & judicem nonnullis in Curiis Jus dixisse, immò injuriam atque injustitiam servavisse, præsertim apud Vicecamerarium, à quo bis terve expulsus esse cognoscitur. Hujus (de Dominico loquor) omnes, quas tulit sententias, si quæsita fuit provocatio, revocatæ sunt

B ut iniquissimæ & injustissimæ. Nam Simoniæ cultor est eximius, & cujusque sui benivoli gratiâ & precibus omnem justitiam torquet, injustitiamque ministrat, omnibus detestabilis & cunctis invisus. Quin Summus Pontifex hæc resciffet, procul dubio eum exauctoratum fecisset eo munere, officioque privasset, dignum postremo potius supplicio, quàm tribunali.

Non est mihi visum incongruum, & operi meo ineptum, juvenes aliquos tempore hujus Pontificis describere, qui acutissimo ingenio valere videntur. Incipiam igitur à *Falcone Sinibaldo* Clerico Cameræ Apostolicæ, qui mihi non solùm juvenes, verùm & senes antecedere

C videtur ingenii subtilitate, & Linguæ Latinæ promtitudine, facetiis, ac proverbiis aptissimis ac paratissimis, tam Civium quàm advenarum adjutor, ac intercessor egregius, non invisus Summo Pontifici, immo summe dilectus, universæque Curiæ acceptissimus, gratissimus quoque in benemeritos, in suos autem beneficentissimus, de quo optime speratur. Credunt, qui eum pernoverint, ad magnum apicem perventurum: ea est viri, licèt juvenis sit, gratia, mores, facilitas, consilium. Qui quum his diebus esset ad Galliæ Regem à Paulo Secundo Legatus, quanti esset facile ostendit. Nec tribus annis legavit quemquam Pontificis prudentia (excipio Cardinales) quo

D magis gauderet ac lætaretur. Adeo cautus prudensque profectus est, & redivit, ut sibi benivolentiam Pontificis magis magisque conflaverit. Jam venio ad *Nicolaum Gallum* Legum Doctorem, cujus majores Imolenses fuisse traduntur. Qui miro acumine ingenii valere cognitus est, cujus Lingua Latia Ciceronis videbatur, adeoque comte scribebat (de orationis ornatu loquor) ut qui melius ignorarem. Scribit & ornate *Baptista Reatinus* Scriptor Apostolicus, simul & copiose; sed uter melius, in præsentia reticebo. Nec *Cardinalem Papiensem Episcopum* elegantissime Latine loquentem istis comparare propono. Judicent, qui comparationes Doctorum diligen-

E tius exquirunt. Nec indictus abibit *Angelus Jacobinus*, Nicolai Galli, qui iis diebus diem suum obivit, consobrinus, qui tantâ memoriæ profunditate insignitus est, ut pro miraculo habeatur; & eâ quidem naturali, non artificiosâ, cujus experientiam ipse ego, qui affui, ac vidi, non negabo mirabilem. Nam omnium Psalmorum David maximum ac longissimum, quem numquam legerat, in horis quatuor memoriæ mandavit. Sed mansuetudine cunctos mihi videtur mortales superare, adeo ut numquam irasci videatur. Taceo ingeniosissimum *Bernardinum Vallensem*, Lælii Vallensis gnatum, fratremque Bernardini *Nicolaum* longe

longe eruditiorem, & jam inter Poëtas connumeratum (de Nicolao loquor); nam Bernardinus adolescens ingratissimus in dies magis magisque proficit, proficietque mirum in modum, nisi cœptis fortè desistat. Non prætereibo etiam Alexium Matthæi Martinelli, quietissimum adolescentem, ac cunctorum Romanorum studiosissimum, & honestatis amantissimum, ingenioque promtissimum, sed minus audentem, quàm & pater & præceptor concupiscit. Quid dicam de *Johanne Baptista ex Capreolis* adolescente Romano, Alexii æmulo, qui etsi non tantopere carmine delectetur, audentior tamen quàm Alexis, & linguâ promtior esse cernitur, quo nemo Romæ libentius disceptat, & acutius argumentatur? Fratrem verò ejus Agapitum, non minus in literatura & studiis Humanitatis, ac Philosophiæ diligentem exstitisse cognovimus. Verùm mortuo patre studia deseruit; & Musas, seque ad mercaturam, qua pater unice delectabatur, consilio propinquorum, invitus tamen, contulit.

A Voluissem acumen ingenii proferre *Johannis Sosannæ* Civis Romani non infimi, adhuc quidem pueri, verùm omni tempestate memorabilis. *Laurentium Pauli Viterbiensem*, apud Falconem Sinibaldum victitantem taceri non convenit. Ex quo cum postulassem prosapiam suam, ita quantum memini, meis respondit his versibus:

Dic mihi, quæso, tuum cognomen, dulcis amice,
Et patriam. Nostra hoc poscit & Historia.

Ita inquit:

Ut patriam, nomenque, tibi stirpemque renarrem,
Spes nostri, Gaspar, temporis una jubes.
B *Viterbum patria est, Bajanis clarior undis,*
Et gelidis Sulmo, qua minor exstat aquis:
Ac Laurens nomen tribuit, quod laurea Phœbi;
Stirpsque nec obscuros Actia monstrat Avos.
Fertur ut Alcides nostros fundasse penates.
Sic genus & nomen præbet Apollo mihi.

Cetera desiderantur.

IN SIXTI IV. VITAM
MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

E*Ducta est è MSto Codice Vaticano Urbinate hæc Sixti IV. Vita. Ejus Auctorem certò minime tenemus. Attamen invaluit opinio, elucubratam fuisse à magni nominis viro* Bartholomæo Platina, *cui & reliquas Pontificum Vitas debemus. Odoricus Raynaldus, qui istius Vitæ fragmenta intulit in Annales Ecclesiasticos ad Annum MCCCCLXXI. sine ulla dubitatione ipsam* Platinæ *tribuit. Non desunt tamen, qui Platinæ phrasim hæc redolere negant. Utcumque sit, stilus elegans, & plurima non indigna quæ sciantur, Opusculum commendant. Quod unice dolendum, medio in cursu vitæ Sixti Auctor iste sive sponte, sive à morte coactus, calamum deposuit. Anno MCCCCLXXXI. pestilentiâ sublatus diem suum obiit Platina, Sixto adhuc vivente. Si is Auctor, uti plane veri simile est, hæc fortè fuerit caussa, cur is plura non scripserit. Quamquam narratio ne ad eum quidem Annum deducta mihi videtur; atque hanc etiam Platina interrupisse potuit, ut Vitas præcedentium Pontificum colligeret; quæ ei provincia ab ipso Sixto IV. demandata fuit. Accipe nunc, quid Onuphrius Panvinius in Præfatione ad Diarium MStum Jacobi Maffæi Volaterrani, in hac collectione editum, scripserit, uti habetur in Codice Vaticano.*

ONUPHRIUS PANVINUS VERONENSIS
FRATER EREMITA AUGUSTINIANUS
LECTORI SALUTEM.

HOs rerum sacrarum Libros constituenti venit in manus ex Bibliothecâ Romani Pontificis Vaticanâ hæc Sixti IV. Vitæ pars, ab ipsius ortu, usque ad Pontificatus ejusdem Annum Nonum, à Bartholomæo Platina, viro docto ac illustri paulo ante mortem edita. Quæ quum in id potissimùm tempus terminetur, quo Jacobus Volaterranus suis Diariis initium dedit, operæ pretium me facturum putavi, si eam hisce Commentariis præponerem. Ita enim fiet, ut totius Sixti IV. Pontificatus paulo accuratiorem cognitionem habeamus. Platina enim priorem, Volaterranus posteriorem ejus Pontificis Vitam hisce scriptis complexi sunt: quibus ea omnia literarum monumentis tradiderunt, quæ Pontifex ille, vir acer, ingentis animi, & spiritualis homo, toto tresdecim annorum, quibus rerum potitus est, intervallo gessit.

VITA

VITA SIXTI IV.

AUCTORE ANONYMO

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

SIXTUS IV. patriâ Savonensis, patre Leonardo, matre Luchina, Cellis nascitur in Pago maritimo, qui ab Urbe Savona quinque millibus passuum distat. Eo nam parentes confugerant, vitandæ pestis causâ, quæ tunc maxime Liguriam vexabat. De Ruvere cognomentum Familiæ est vernaculâ eorum Linguâ. Nos autem *Robur* Latine appellabimus, vel *Quercum* potiùs, ne ab insigni gentilitio Scuto Familiæ discedamus. Videre per somnium visa est mater ante partum editum infantem à Francisco cucullam pie ac sanctè indui, quo habitu ipsius Sancti Francisci Fratres utuntur. Adstare enim duo Fratres videbantur, quorum alter Tunicam, alter verò Caputium & Cingulum infanti porrigebat. At verò dum obstetrix puerum, cui Francisco nomen indiderat, ut fit accurate in balneo lavaret, eumdem cernit duos digitulos quasi signaturum aquas erectos tenere. Quare mater, dum puer in undis aliquando defecisset, ac pæne necatum obstetrix ad se detulisset, somnii memor, vovit se induturam filium Sancti Francisci habitu, facturamque, ut eumdem sex mensibus ferret. Transacto autem hoc semestri, amatoque habitu, puer iterum in gravem ægritudinem incidit, annum jam natus, & eo ampliùs. Repetito itaque voto mater filium incolumem recepit. Verùm quum infans adolevisset, elegansque ac scitus Civibus omnibus videretur, non defuere, qui parentes increparent, quod tam bonæ indolis puerum tam tetricæ & austeræ vitæ addixissent, anteaquam ipse per ætatem saperet, quod vivendi genus sibi potissimùm eligendum esset: ac dicerent non esse vinciendum tali habitu puerum, sed sinendum potiùs seculari & civili more vitam ducere. Hoc idem quum reprehendisset Petrus cognomento Juppus, castigassetque verbis parentum superstitionem (ut ejus verbis utar) puero habitum detraxit. Qua ex re febri statim correptus, intumescente gutture, liberari tantâ ægritudine nullo modo posse videbatur, nisi denuo votum repeteret. Mater itaque Juppo ob spretam religionem, filiique discrimen, infensa, puero habitum restituit, Sanctoque iterum addicit. Qui demum liber factus nonum agens annum, Cœnobiumque frequentans (domo enim quotidie proficiscebatur) Johanni Pinarolo, viro optimo committitur, à quo Ordinis mores vitamque Minorum imbiberet. Grammaticam deinde tanto studio perdidicit, ut brevi Ciceronis volumina partim ab aliis audierit, partim verò bonitate ingenii intellexerit. Audiendæ præterea Dialectices cupidus, Cherium profectus, Doctores loci ita diligenter & accurate audivit, ut postea doctrinam eamdem aliis ipse legerit. Verùm, ut fit, cognitione unius disciplinæ ad alteram incitatus, Papiam primo, mox Bononiam, ubi publica Gymnasia in pretio erant, proficiscitur, Philosophiæ, ac Theologiæ causâ Jacobo cognomento Testore, Parisino Doctore, Bononiæ ut optimo Præceptore usus est. Audivit & Andream Nolanum, qui postea Senensis Episcopus ob doctrinam & integritatem vitæ meritò creatur. Quem quidem hominem Præceptorem summopere dilexit & observavit, atque dum Generalis esset, mira comitate invisit. At verò dum Genuæ Capitulum generale haberetur, quo undique ex tota Europa convenire viri doctissimi solent, adolescens XX. natus annum, & nondum Doctor, ita acerrime & eleganter disputavit, ut unus omnium doctissimus sit habitus. Quare audientibus omnibus Guilielmus Casalis Ordinis Minorum Generalis ejus merita collaudavit, & mirâ benevolentiâ præ gaudio amplexus est cum maxima commemoratione laudum suarum. Demum verò quum Patavii Philosophiæ ac Theologiæ gradus magno omnium consensu suscepisset, & publice legit ipse multa & acute disputavit, non sophismatum anfractibus, ut à plerisque in Gymnasiis publicis fieri solet, sed apertâ & simplici disputandi ratione utens, ut veri inveniendi, non jactandæ doctrinæ causâ contendere videretur. Tantâ autem ac tam constanti famâ permoti Itali Principes, & qui rerum potiuntur, hominem publico salario conduxere. Publice enim Patavii, Bononiæ, Papiæ, Senis, Florentiæ, Perusii legit: quem Perusini ob singularem doctrinam & integritatem in Civium suorum numerum accepere. Tantum autem his in locis legendo profecit, ut nemo fere doctus in Italia sit, qui non hujus auditor fuerit. Testatur hoc Præceptor meus Johannes Argyropylus; testatur Bonfranciscus Arlatus, aliique permulti viri doctissimi, qui ex hoc fonte, quod sapiunt, hausere. Hominem quoque frequenter audivit Bessarion Cardinalis Nicænus, vir Latinâ & Græcâ literaturâ insignis, cujus familiaritate ita delectatus est, ut eodem contubernio persæpe usi sint; nihilque edere Nicænus ipse umquam voluerit, quod non hujus limâ prius & judicio emendatum esset: tanti faciebat hominis doctrinam & ingenium. Prædicavit etiam (ut istorum vocabulo utar) in multis Italiæ Civitatibus magnâ hominum coronâ & gratiâ. Duorum autem Generalium, quorum alter Antonius Rusco, alter verò Angelus Perusinus fuit, socius est habitus & comes: qui gradus apud tantum Magistratum non parvo habetur. Eumdem quoque, his mortuis, & Jacobo Mozanicâ, qui tertius post hos Magistratum obivit, Jacobus Sarguella Generalis creatus, socium sibi delegit, & Procuratorem totius

totius Ordinis in Curia Romana: quo in Magistratu, audiente Pontifice & Cardinalium cœtu, in celebritatibus publicis sæpe oravit magna cum laude & gratia. Verùm quum Sarguella ob senium ferre tantum onus non posset, eum totius Italiæ Vicarium sibi delegit; neque hoc certe contentus, eumdem Genuæ & Liguriæ Provincialem creavit. Quo quidem Magistratu, quum provinciæ Conventus optime reformasset, se sponte abdicavit, Romanumque amplexus est, ut pariter Curiæ, & Provinciæ vacare posset.

Orta tum quidem magna altercatio est de Sanguine Christi inter Fratres Minores, Prædicatoresque, dum Jacobus Marchianus vir optimus, ac bonorum opinione sanctissimus, Brixiano Populo prædicat ex sententia Francisci Maironis, Christum in resurrectione sua totum Sanguinem nequaquam assumsisse. Parum enim abfuit, quin ex hac contentione Populus ille Brixianus bifariam divisus rem manu decerneret. Hanc ob rem Pius Pontifex maximus, convocatis ad se primoribus utriusque Ordinis, discutiendam disputationibus rem ipsam censuit. Deligitur locus in ædibus Pontificiis; disputatur acerrime non ab his solùm, qui Ordines suos tuebantur, verùm etiam ab Episcopis quibusdam, qui partim Minoribus, partim verò Prædicatoribus favebant. Instabant Prædicatores affirmantes, illud quidem impossibile esse, Sanguinem Christi in terris reperiri sine Deitate sibi unita. Hoc autem diluentes Minores ipsi affirmabant, fieri quidem potuisse, ut aliquid de Sanguine in terris remanserit, licet Deitas non esset illi unita: quod ex ipsa Circumcisione, & clavis Sanguine delibutis ostendi posset. Verùm quum Pius in longum altercationibus rem protrahi videret, litem ipsam diremit, statuens, ne alter istorum Ordinum hæreticus haberetur, quum revera disputationis caput non fuerit ut esse debebat: An Deitas esset Sanguini unita, si Sanguis in terris reperiretur; sed hæreticumne esset, alteram istarum opinionem pertinaciter defendere. Qua de re quid esset judicandum, Franciscus Cardinalis à Paulo creatus eleganti volumine ad eumdem perscripsit. At verò quum Sarguella ob ætatem Magistratu generali se abdicasset, habito Perusii Fratrum Conventu, omnium consensu Franciscus Generalis decernitur. Quare statim ad reformandos Fratrum Conventus animum adjiciens, circuire Cœnobia instituerat, nisi in gravem ægritudinem incidisset, per annum enim ægrotavit quartanâ, demum graviter afflictatus. Verùm ubi convaluit, institutum iter repetens, Conventus invisit, Gymnasia restituit, iis loco pulsis, qui doctrinarum gradus largitione & ambitione occupaverant. Accitus deinde in Urbem à Paulo, qui eum unà cum reliquis Generalibus Mendicantium ad futurum Concilium appellasset, propere venit. Constans namque fama erat, Paulum propediem promulgaturum esse literas Apostolicas à Calisto Pontifice editas, quibus Mendicantes omnes suis Privilegiis exauthorabat, eosque dumtaxat ad jus commune remittebat. Incidit autem in ægritudinem, dum exspectat, ut ei adire Pontificem liceat. Verùm quum tamdem aditum exorasset, velletque se apud Pontificem purgare, nulla audita satisfactione dimittitur. Somniasse eam rem visus est Paulus: adeo leviter inchoatam dimisit. Franciscus autem ab Urbe discedens, Florentiæ Capitulum generale habuit, quo in Conventu multa sunt instituta ad dignitatem Ordinis, componendosque Fratrum suorum mores. At verò quum ob ægritudinem Romæ contractam nondum bene convaluisset, Savonam primò recuperandæ sanitatis causâ, mox Papiam proficiscitur, Venetias iturus, ubi sequentem hyemem transigere in lectione Theologiæ constituerat, comparatis jam sarcinulis, librisque omnibus. Sed ecce, dum hæc ita accurate agit, supervenere Cardinalis Mantuani, mox Nicæni literæ, quibus intelligit, se à Paulo Cardinalem creatum esse. Romam itaque veniens, comiter ab omnibus suscipitur, & quorumdam Cardinalium benignitate adjutus (pauper enim erat) ædes Sancti Petri ad Vincula rimosas & jam collabentes ita restituit, ut à se & familiâ percommode incoli possent. Hoc autem in Cardinalatu ejus potissimum institutum fuit, ut familiam suam in officio contineret; nec tamen ob dignitatem adeptam & negotia, literarum studia omisit umquam. Nam & librum edidit, ut dixi, de Sanguine Christi, & scripturis suis errorem impugnavit à Carmelita quodam Bononiæ excitatum. Ausus namque est homo temerarius asserere, Deum quidem suâ omnipotentiâ (ut vocabulo Theologico utar) hominem damnatum salvare non posse. Scripsit etiam de futuris contingentibus propter altercationem Lovaniæ ortam inter Henricum quemdam virum doctum, & omnes Scholasticos Lovanienses. Affirmabat Henricus ipse contra opinionem Aristotelis, de futuris contingentibus esse determinatam veritatem propter futurum judicium, & quid contingens * aggressus est, & opus admodum necessarium. Ostendere etiam nisus est rationibus quidem non vulgaribus, Thomam Aquinatem, & Scotum in sententiis convenire, licèt verbis differre viderentur. Ad tollendas discordias & altercationes, quæ ob hanc rem inter utrumque Ordinem quotidie nascebantur, delectus est Cardinalis; tantæ enim integritatis habebatur & doctrinæ, ut huic uni ex cœtu Cardinalium ad Fidem pertinentia potissimum committerentur.

Verùm dum his rebus intentiore curâ vacaret, dumque jus Canonicum legendo percurreret, mortuo Paulo Patrum consensu Pontifex creatur Anno salutis 1471. quinto Idus Augusti. At verò dum, ut fit, coronam Pontificiam apud Lateranum in magna celebritate ac hominum multitudine suscipit, tantus repente tumultus ortus est, dum pedites ab equitibus in angulo premuntur, ut paulum abfuerit, quin lapidatione obrueretur; ausi enim sunt temerarii quidam in eum quoque lapides conjicere. Sedato autem tumultu celebratâque coronatione, ad rem Ecclesiasticam, Christianamque componendam animum adjicit. Concilio itaque tantam rem indigere arbitratus, ad Lateranum se id habiturum ostendit, quo bellum Turcis indici commodius posset, quemadmodum Pius Pontifex instituerat, si ei vivere licuisset. At verò dum hac de re maturius consultaretur, Imperator rem Christianam in magno discrimine cernens, Pontificem rogat, ut Utinum habendi Concilium locum idoneum deligat. Sed Pontifex, quum videret Mediolanensium Ducem, aliquotque Populos, & Italiæ Principes id nequaquam approbaturos: quumque etiam proventus suos, belli nervos, absente Curia, immi-

imminui videret, non sine suspicione tumultus, si ab Urbe discederet: Mantuam primò, mox Anconam proponit, quo Imperator venire percommode poterat, hinc ex Tergestino sinu navigatione, illinc ex Austria terrestri itinere. Verùm quum hac deliberatione rem in longum protrahi videret, Patrum consensu Legatos decernit, Bessarionem Nicænum in Galliam, Rodericum Borgiam Vicecancellarium in Hispaniam, Marcum Barbum in Germaniam, Pannoniasque . . . . Oliverium Carafam Neapolitanum Cardinalem classi maritimæ in Turcas præfecit magnâ cum impensâ; singulis enim Legatis singulis mensibus quingenti aurei nummi assignati sunt. Omitto quod Pontificatum adeptus, concurrentibus Eugenii, Nicolai, Calisti, Pii, & Pauli creditoribus, satisfieri voluerit ex gemmis, quas Paulus in thesauris reliquerat; nam præter hominum opinionem solum quinque millia nummûm signatorum inventum est. Credebant omnes (quod ipse quoque jactabat) magnam vim auri ab ipso fore congestam, quum studiose admodum pecunias undique conquireret, jactaretque sæpe, se habere, unde Principum quorumdam insolentiam coërceret. Capti ob hanc rem quidam ejus Cubicularii, Camerarii potius quàm Pontificis jussu; quippe qui semper aurum aspernatus est; quumque minis tantummodo adhibitis nil faterentur, incolumes tamdem dimittuntur, restitutis etiam quibusdam gemmis, quas vel Paulo expilaverant, vel ipsi, ut dicebant, à mercatoribus emerant. Sixtus itaque mercatorum postulata nequaquam contemnens, quod in Sedis Apostolicæ dedecus tenderet, octo & quadraginta millia nummûm aureorum creditoribus Pii persolvit, viginti autem millia cum Civibus Romanis ob emtas ad Sanctum Marcum domos, tum mercatoribus enumerari jussit. Fuere etiam Cardinales quidam, qui pecuniam Pontificibus datam, vel suâ industriâ, ut ipsi dicebant, acquisitam, repetiere, ac repetitam accepere. Expensum præterea fuit ad octo & viginti millia aureorum partim in funere Pauli, partim verò in Sixti coronatione; sed hæc parva sunt, quum centum millia & eo amplius primo bello, dum classem in Turcas mittit, Legato & duce Oliverio Carafâ Cardinali Neapolitano; secundo autem sexaginta quinque millia expenderit, Laurentio Patriarcha Antiocheno una cum Ferdinando & Venetis tantum bellum obeunte. Nam cum Oliverio, Pontificio nomine cum viginti quatuor triremibus bellum gerente, quinquaginta Venetorum, Ferdinandi autem triremes viginti quatuor militarunt; nil tamen præclare eo Anno gestum est, nusquam prodeuntibus ex Bosphoro in Ægeum hostibus. Smyrnam tamen in Asia cepere, abactis inde omnibus incolis. Oppugnare prius Sataliam adorti, occupato per vim Portu, refractâ catenâ ferreâ (cujus partem ante valvas Divi Petri cernimus) defendentibus acriter, qui in præsidio erant, prœlium omittunt. Atque ita re infectâ abeuntes, plus terroris quàm calamitatis Turcis intulere, quum fere omnium constans fama esset, nostros eo Anno magnam Asiæ partem occupaturos fuisse, si ipsi mari, quemadmodum Usumcassan Persarum Rex terrâ, vexare Turcas voluissent. Sunt qui hanc culpam in Venetos transferant: per quos autem steterit, quominus res ex sententia gesta sit, haud satis constat. Legato multum . . . . . . ob ejus fidem, & animi integritatem. Sed perfacile non est, tot classarios ac variorum Principum auspiciis militantes, in eamdem sententiam trahere.

Ad Sixtum redeo, qui auditis publice quidem ac perbenigne Legatis Christianorum Principum, qui Sedi Apostolicæ ac sibi obtemperaturos se pollicebantur, duos Cardinales designatos antea eo die in publicum mittit, quo Legati domos quisque suas magno cum honore reducti sunt. Ex his autem Petrus ex consobrina Nepos, Riariâ familiâ, nobili quidem ac vetustâ Savonæ natus, & ab eo à teneris annis in Ordine Sancti Francisci educatus, atque Episcopus Tarvisinus creatus, Sancti Xisti Presbyter Cardinalis est habitus; Julianus verò ejus ex fratre Nepos, vir quidem singularis modestiæ & religionis, Sancti Petri ad Vincula titulum patrui ante Pontificatum, obtinuit. Istorum quidem in tanta dignitate diversa studia sunt habita. Ingentem ille supellectilem argenti & auri, vestes egregias, aulea & peristromata, equos perferoces, famulos multos sericatos & cincinnatos, nascentes Poëtas, Pictores insignes, domi habere magnâ cum impensâ conatus est; gaudere item, ludos celebrare magno apparatu, nec urbanos solum, verùm etiam bellicos. Convivia ita sumtuosa dedit Legatis quibusdam, & Leonoræ Regis Ferdinandi filiæ ad maritum eunti, ut hoc uno lautior habitus sit nemo. Munificus quoque & liberalis erga doctos & pauperes fuit. Præterea verò ædificare apud Sanctos Apostolos ita magnifice cœpit, ut illis fundamentis nil augustius esse videatur: certare ille quidem cum antiquis magnificentiâ rerum omnium videbatur. At Julianus insigni moderatione usus, familiares quo ad fieri potuit modestos sibi delegit, raram supellectilem, & dignitati suæ convenientem sibi comparat, apparatu modico in victu & vestitu utens, nisi suo recipere quempiam hospitio vel convivio oporteret: quod præstetulit, dum & Regem Daciæ cum Francisco Gonzaga Cardinali Mantuano laute excipit, dumque sæpius Federicum Urbinatem Comitem splendide ac magnifice hospitio suscipit. Ædificatione verò Templorum ita delectatus est, profanas ædes ad tempus omittens, ut Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula, quemadmodum cernimus, brevi & magnifice restituerit. Inchoavit & porticum mire fastigiatam ante vestibulum Apostolorum; ædes quoque à Petro inchoatas perficere nititur. Castellum apud Cryptam Ferratam bellicâ rabie olim disjectum & eversum instaurat, ad Monasterii tutelam, commoditatemque ad Urbem ventitantium. Eodem quoque Anno Sixtus Sophiam Thomæ Palæologi filiam magnis muneribus donatam ultra dotem, quæ sex millia nummûm fuit, ad maritum Rutenorum Ducem cum egregio comitatu mittit. Hoc requirere Pontificis clementia, & Regia puellæ indoles videbatur. Præterea verò Pontifex ipse ditionem Ecclesiæ confirmaturus (quod Paulus destinaverat, & prope jam effecerat,) affinitatem cum Ferdinando Neapolitano Rege iniit, Regis filiam Leonardo ex fratre Nepoti, quem paulo ante Præfectum Urbis creaverat, in matrimonium collocat. Ut verò omnis inter Reges deinceps, & Pontifices controversia tolleretur, Oppida quædam in Hernicis, partim à Pontifice, partim à Jo-

à Johanne Comite possessa, Puellæ in dotem adscribunt. Johanni autem quinque millia nummûm aureorum à Pontifice persoluta sunt, ne queri posset, illa loca vi sibi ademta fuisse. Oppida illa fuere Sora, Arpinum, Arx quædam ultra Lyrim munitissima, atque alia Castella non contemnenda, pro quibus tanta contentio inter Paulum, & Ferdinandum est orta, ut paulum abfuerit, quin bello decerneretur, utrius esse deberent. Nam Pius eo bello, quo Ferdinandum contra Gallos pugnantem juvit, pulso Sorano duce Ferdinandi hoste, Oppida illa ex fœdere cum Rege inito occupat. Verùm postea mutatâ sententiâ, mortuo Pio, hæc loca in Regno posita, minis etiam adhibitis, repetit. Petebat item, ut tributum, quod Ecclesiæ Feudi nomine quotannis debebat, aliquà ex parte diminueretur, quum Regnum tantummodo cis, non etiam ultra Pharum possideret: nam mortuo Alphonso patre Regnum Siciliæ ad Johannem Aragonum Regem devolvitur. Sixtus autem hac quoque in re Ferdinando satisfacturus, totum remisit tributum, modò equum album quotannis Feudi nomine persolveret, tueretur que oram maritimam à prædonibus; & milite, si opus esset, Pontificem juvaret suâ impensâ, ut in fœderibus legitur. Hoc qui improbarent fuere multi, sat esse dicentes, si diminueretur, non omnino tolleretur tributum, sive quod numquam solverat, ei condonaretur. Petrus autem Sancti Sixti Presbyter Cardinalis sive æmulatione rei motus, sive quod ita cupere Galeatium Mediolanensem Ducem cognosceret, fratri Hieronymo, Conradi Cotignolæ Ducis patrui filiam in matrimonium locat. Ut autem hoc libentius à cognatis puellæ fieret, Boschum Oppidum quatuordecim millibus nummûm aureorum emitur. Fecerat & id quidem perlibenter Galeatius ob discessum Johannis Sixti Nepotis, quem ille sibi adjungere affinitate aliqua cupiebat. Adolescens enim Papiâ furtim ad Julianum fratrem perducitur. Verùm postea Galeatius mutatâ sententiâ, quum puellæ mater pacta quædam ad dotem pertinentia detrectaret, posthabitâ primâ, filiam naturalem Hieronymo in matrimonium collocat, eumdemque Boschi Comitem creat. Agebantur hæc quidem Pontificis auctoritate interpositâ, quum Volaterrani in Etruria à Florentinis deficiunt, quòd ut ipsi dicebant societatis fœdera eis nequaquam servarentur; socii enim Populi Florentini, non vectigales habebantur. Sixtus autem veritus, ne deficientibus Volaterranis tota Italia bello confligaretur, motu etiam Florentinorum, & Ducis Mediolani percitus, eò statim partem copiarum suarum cum signis militaribus mittit: quibus visis Volaterrani statim animis concidunt. Urgentibus itaque Florentinis Federico Urbinate exercitus duce, post aliquot mensium oppugnationem tamdem capiuntur fœderibus interpositis. At milites prædæ cupidi, adhortante quoque ad hoc Johanne Veneto, qui in præsidio erat, Urbem diripiunt, Federico Duce frustra reclamante. Pœnas autem tam atrocis sceleris Venetus ille captus statim dedit, finire vitam laqueo coactus. Tulit hanc rem iniquo animo Sixtus, quod diceret, ad sedandum bellum milites suos misisse, non ad diripiendam Urbem.

Sequenti anno Sixtus aucto Cardinalium numero (ad octo enim creavit) Tibur vitandi æstus urbani caussâ proficiscitur. Dum hæc in Italia gererentur, Bessarion Nicænus in Galliam, ut dixi, proficiscens pacem inter Regem & Ducem Burgundiæ componere nequaquam potuit. Regis enim sententia erat, de pace convenire posse, si prius Burgundiæ ac Britanniæ Duces Coronæ Regiæ nequaquam obtemperantes, excommunicarentur. Facere id quidem Nicænus recusabat. Hanc ob rem re imperfecta abiens, dum ad Urbem revertitur, Ravennæ febri, & dysenteriâ moritur. Petrus autem Sancti Sixti Presbyter Cardinalis, totius Italiæ Legatus ab Urbe discedens, & per Umbros & Sabinos iter faciens, ad arma studio partium spectantes componere lites annixus, nil admodum profecit, Spoletinis præsertim parere dicto recusantibus. Perusiam deinde proficiscens quum studiosius sedandæ discordiæ intentus esset, quæ inter Senenses & Perusinos orta erat ob annulum Beatæ Virginis à quodam Fratre dolo & furto Clusii sublatum, Perusinisque venditum, paulum abfuit, quin tumultum in Urbe excitaret, dum Fratrem cognoscendæ rei caussa ad se perduci jubet. Fidem namque Perusini homini dederant, eum apud se incolumem futurum. Petrus verò inde abiens, Perusinis non dissimulanter iratus, Eugubium proficiscitur, ubi conventum Principum Flaminiæ Picenique habiturus, Nicolaum, qui Tipherni tyrannidem occupaverat, ad se vocat. Respondit ille, id sibi nequaquam integrum esse, quod ille conventus Principum, non privatorum hominum haberetur, se quidem Typhernatem civem ac privatum nolle sibi tantum nominis tribui. Hac autem verborum cavillatione & forum declinavit, & Legatum irrisit. Petrus autem puniendi hominis tempus exspectans, Mediolanum proficiscitur visendi Ducis caussâ, quocum mira cum benevolentia conjunctus erat. Magnifice exceptus, Imolam, quod Forum Cornelii antiqui appellarunt, XL. millibus nummûm aureorum emit à Taddæo Manfredo loci domino, inde filii & uxoris seditione pulso; Hieronymumque fratrem, consentiente Pontifice & Cardinalium Senatu, loci dominum & Vicarium creat. Patavium deinde voti caussâ proficiscens, Divo Antonio statuam argenteam magni ponderis quum donasset, Venetosque salutasset, à quibus honorifice susceptus est, Romam magnis itineribus statim revertitur. Ubi non ita multò post gravissima febri afflictatus moritur. Parum autem illis fere temporibus abfuit, quin Rodericus Borgia, quem diximus in Hispaniam profectum, ad Urbem cum triremibus Venetorum rediens, in litore Pisano procellâ maritimâ obrueretur. Altera enim triremis, qua multi ex suis vehebantur, perpetua nocte, & magna parte diei fluctibus quassata, tamdem subsidit, ac undis submersa est. In ea ad centum & octoginta homines periisse constat, inter quos fuerunt Episcopi tres, & aliquot viri in civili Pontificioque jure doctissimi. Annixus est Rodericus, dum in Provincia esset, Reges Hispaniæ ad bellum spectantes ad pacem cohortari his rationibus, ut Regis Hispaniæ soror, quæ Regi Siciliæ nupserat, in Regnum succederet, quemadmodum multi Barones volebant, si cum Rege bene sentiret, ejusque dicto obtemperaret. Regi enim in mentem venerat, quum stirpe virili careret, filiam heredem relinquere. Quam ideo quidam

dam Regni Principes aspernabantur, quod suspicio inerat, puellam ex adulterio natam esse. Barchinonenses autem, qui decennio ante à Rege defecerant, bellumque cum eo obstinate gesserant, missis persæpe de suis Legatis aliquot, ut in gratiam redirent cum Rege, adhortatus est. Qui diutino bello fessi, tamdem ad fidem Principis redierunt impetratâ veniâ, & præteritarum injuriarum oblivione. At Sixtus, quia venturum propediem ad Urbem voti causâ Daciæ Regem cum magno comitatu intellexerat, parari ædes, quibus suscipi Imperatores solent, mandat, hominemque duobus & viginti diebus ita honorifice suscipit, ut addi ad magnificentiam nil potuerit amplius. Quem postremo B multis muneribus, & Rosâ Pontificiâ donatum, in Regnum remisit. Conversus deinde Pontifex ad curandam annonam, qua tota Italia, & magna Europæ pars tum laborabat, alia occupatione à tanta re subitò distrahitur. Interfecto enim à sicariis quibusdam in Urbe Gabriele Catellano Guelphæ factionis apud Tudertinos principe, tantus repente Tuderti tumultus exoritur, ut paulum à perturbanda tota Italia abfuerit, concurrentibus eò ex tota Umbria factiosis quibusdam, maxime verò Spoletinis, qui Jordano Ursino, & Comite Pitiliano ducibus usi, pellere Tuderto Matthæum Canalem cum factione Gibellina annixi, & ædes plerasque C direptas incendunt, & vim propulsare conantes obtruncant. Motus itaque Pontifex Tudertinorum calamitate, eò statim Julianum nepotem Cardinalem Sancti Petri ad Vincula Legatum mittit, qui seditiosorum petulantiam coërceret. Verum quia Civitatem armatam ingredi nequaquam tutum videbatur, exspectare Julium Camertinorum Dominum, virum in re militari præstantem cum armato milite instituit. Quocum postea Urbem ingressus, cedentibus Jordano & Petiliano Comite, partem seditiosorum in carcerem conjicit, partem verò ad tempus per diversa loca relegat, separatis etiam à Civitate rusticis, quorum armis & præsidio in tumultu Cives D ipsi utebantur. Compositis autem hoc modo rebus Tuderti, proficisci Spoletum instituit, ut eam quoque Civitatem Apostolicæ Sedi obsequentem redderet: quippe quæ Ursinæ factioni potius, quàm Pontifici, obtemperantior haberetur. Comparato itaque undique ad se venientium militum satis justo exercitu, Spoletum movens, quum ab Urbe tribus millibus passuum consedisset, Cives admonet, præmisso Laurentio Patriarcha Antiocheno, ut positis armis ejus dicto velint obtemperare. Ii primo, & seditiosi potissimùm suorum scelerum conscii, ut antea sæpe per Legatos minabundi, & ultro arma intentantes, cognitâ Legati mente, qui per vim se E prope ingressurum ostendebat, Urbem relinquentes, asportatis pretiosis quibuscumque rebus, ad Castella montana confugiunt. Cessere tamen, qui in Urbe remanserant Cives, & obviam Legato cum supplicationibus prodeuntes veniam deprecabantur. Cum paucis itaque Legatus ingressus (neque enim id facere sine milite tutum videbatur) firmatis etiam statione Portis, convocare ad se Cives instituerat, Civitatisque statum componere. Verùm milites prædæ cupidi, cognitâ civium paucitate, ad arma conclamant, Urbem diripiunt, irrumpentibus etiam per vim, & muros conscendentibus, qui foris remanserant; frustra reclamante Legato, ac pæne in ipso tumultu vulneribus confosso & obtrito. Hunc certe exitum habuere Spoletini, qui & mandata Pontificis contemnebant, & ex vicinis rapere, atque in Urbem suam congerere studebant, quod aliquando cum rebus suis militibus prædæ esset; maxime verò Camertinis, & Ceretanis, quos toties petulanter vexaverant. Legatus tamen Spoletinorum calamitatem miseratus, per Urbem discurrens, Episcopatum & Monasteria ne diriperentur, tutatus est; cavitque in tanto tumultu, quo ad fieri potuit, ut minus incommodi Civitas pateretur, prohibito saltem milite à virginum & matronarum raptu. Relegatis deinde seditionum auctoribus, & quibusdam in carcerem conjectis, edictum proponit, ne rustici, quorum armis perturbare omnia audebant, ullo modo Civitati obtemperent. Separato itaque hoc potissimo veluti totius corporis membro, Spoleto abiens, in Tifernates movet, præmissis prius Nuntiis, qui Nicolao Vitellio bellum indicerent, si dicto Pontificis parere abnuat; nam, ut paulo diximus, Nicolaus Civitatis suæ dominatum occupans, cæsis persæpe, qui suis conatibus obstare nitebantur, verbis quidem ac simulato animo se obtemperaturum Pontifici prædicabat; verùm ubi id experiri Pontifices per Legatos volebant, Urbemque pro arbitrio animi ingredi, & egredi tentabant, nil minus eis licebat. Fecialibus itaque re infectâ redeuntibus, ferociamque Nicolai, & Tifernatum in propulsando hoste enarrantibus, primo quoque tempore ducere eò exercitum Legatus instituit, ac interea intercedere, ne & civibus & rusticis colligendi frumenti occasio daretur. Instabat tum messis, maturescentibus jam segetibus; castra itaque circa Urbem metatus, mitius primò cum civibus agere cœpit, si quo modo humanitate & gratia redigi ad sanitatem possent. Verùm quum id nil admodum proficeret, supervenientibus quotidie majoribus copiis, eos acrius coërcere instituit, expugnatis quibusdam turribus, excitatisque castellis, unde ut ex propinquo loco mitti tela in hostem possent. Erumpebant illi persæpe, & cum nostris congredi aperto marte audebant; quibus in prœliis vulnerati multi, & plerique cæsi sunt, maxime verò Johannes Baptista Ursinus, & Chiappinus turmarum Ecclesiasticarum Præfecti. Pressus hoc modo Nicolaus ad externa auxilia confugiens, Mediolanensium Ducis, ac Florentinorum auxilia exposcit. Ii autem, maxime Florentini, accepti in Volaterrano bello beneficii à Pontifice, immemores, haud dissimili in re tyranno auxilium pollicentur; militem conscribunt, ac Johannem Comitem Ducis Mediolani auspiciis militantem Burgum haud longe à Tiferno mittunt. Qua quidem spe fretus Nicolaus ferocius quàm antea nostros à mœnibus propulsabat. Tum vero Legatus acrius instandum existimans, non obsidione solùm, verum etiam bombardis urgere hostem instituit. Quibus aliquot diebus in Urbem conjectis ita terrore Civium animos fregit, ut ultro pacem exposcere, & deditionem facere sint coacti, nullo apparente auxilio. Terrebat etiam eos Federici Urbinatum Comitis adventus, quem Pontifex ex Comite Ducem Urbinatem creans, nullo non genere honoris adhibito, eò cum magna potestate mittebat, ut una cum Legato hostes quovis modo

modo ad deditionem cogeret. Adventante itaque Duce, ad colloquium egressi, post trium mensium oppugnationem deditionem hac conditione faciunt, ut eis vivere in Patria liceret. Caverat jam sibi Nicolaus, amicitiâ Ducis fretus, ut accepto à Pontifice quanti ejus bona vendi possent pretio, exulatum quo vellet abiret.

Dum hæc in Italia gererentur, & Scodra, quod nunc Scutarium vocant, ditionis Venetæ oppidum à Turcis oppugnaretur, acriterque qui præsidio erant defendentibus, Sixtus obsessos commeatu & pecunia juvat, ne Turcæ occupato loco & Arce illa munitissima ad occupandum Cyprum deinceps, Illyricumque verterentur. Legatus autem compositis hoc modo rebus, præsidioque Tiferni relicto, donec exules omnes redirent, Arxque ædificaretur, reverti ad Urbem unà cum Duce instituit. In itinere verò multæ Civitates gratulabundæ ob victoriam adeptam obviam factæ, munera, & quidem præclara, ei obtulerunt, quæ Julianus non superbia motus, sed quod virum Ecclesiasticum minime decerent, vel constanter rejecit, vel ad pios usus transtulit, utpote ad Templa, Cœnobiaque restituenda. Ut hæc autem amicitia in bello contracta affinitate connecteretur, Federicus Dux filiam suam Johannam Johanni adolescenti, Juliani Cardinalis fratri in matrimonium locat. Verùm ne puella ex Principe nata Principatu careret, Sixtus nepotem Senogalliæ & Vicariatus Mondavii Dominum creat, adversantibus primò Cardinalibus, qui postremò in Pontificis sententiam venere, ejus auctoritate, & precibus Juliani Cardinalis permoti. Dux autem post contractam affinitatem in patriam rediens, Johannem adolescentem secum ducit, ut haberet unde mores Principis, & rem militarem perdisceret. At Florentini cognitâ Pontificis, & Regis Ferdinandi amicitiâ & societate, quando Ducem Federicum pari prope stipendio conduxerant, inire fœdus & amicitiam cum Venetis instituunt, quod bello Tifernate delusos se & à Rege & à Duce Mediolanensium arbitrarentur. Eorum namque erat Nicolaum Vitellium amicum & socium armis in tyrannide retinere, pollicente ad eam rem auxilium Duce. Verùm quum Dux vel turpitudine rei, vel magnitudine impensæ motus, tempus terendo recuperandi Tiferni Legato Pontificio occasionem dedisset, eos perpulit, ut cum Venetis pacem & fœdus inirent. Dux autem, ne mancus omnino sine Florentinorum amicitia videretur, hanc quoque societatem secutus est, relicto tantùm Pontifici, & Regi loco, si vellent, æquis conditionibus pacem inire. Motos Venetos ad hanc ineundam pacem arbitror, ne eodem tempore hostes haberent, & Ducem ob Famaugustam, & Regem, qui ægre ferebat Cyprum Insulam à Venetis occupatam esse. Nam superiori Anno, mortuo Jacobo Rege, cui Veneta puella ex gente Cornaria nupserat, quæque puerum ex Rege pepererat, Andream Reginæ patruum Veneti tutelam præseferentem gugernando Regno proponunt. Qua ex re moti seditiosi quidam, qui & Ferdinando Regi favebant, & Venetorum imperium detrectabant, tutorem obtruncant. Verùm superveniente non ita multò post Venetorum classe, sponte cedentes Insulam Venetis relinquunt. Mortuo deinde Regio puero, ac Reginâ ipsâ gravi ægritudine correptâ, Insulam

A Veneti omnino occupant, ne in barbarorum manus magno cum detrimento reipublicæ Christianæ deveniret. Crediderim itaque, ob hanc simultatem inter Regem & Venetos ortam, de pace cum Duce, & Florentinis, quibuscum armis & odiis toties certaverant, convenisse, præsertim quum inter Regem & Ducem occulta quædam odia intervenirent. Sixtus autem, recepto honorifice M. Barbo Sancti Marci Presbytero Cardinali è Pannonia redeunte, ut pacem inter Pannoniæ, Poloniæque Reges de Regno Boëmiæ contendentes componeret, ad Urbem Romam exornandam omnino conversus, Pontem jampridem disjectum, quemque Romani Cives merito Ruptum

B vocabant, magnâ curâ & impensâ à fundamentis ex Tiburtino lapide restituit, ad utilitatem Populi Romani, peregrinæque multitudinis ad Jubilæum venturæ, suoque de nomine Sixtum meritò appellari voluit. Aggressus sane opus, ut cernere licet, Principe dignum, quod certe nulli Pontificum antea contigit umquam. Hoc ideo potissimum ab eo factum existimo, ne peregrini euntium & redeuntium multitudine obtriti perirent, quemadmodum Nicolai V. tempore, ut diximus, in Adriani Ponte contigit. Præterea verò utilitati consulens, ductus Aquæ Virginis pæne amissæ, elimato prius perpetuo fornice, à Monte Quirinali ad Trivii fontem suâ impen-

C sâ perduxit; & ne monumenta æternæ Urbis perirent, equum illum æneum vetustate quassatum, & jam collabentem cum sessore Marco Aurelio Antonino, restituit, quem ante ædem Constantinianæ Basilicæ cernimus. Divorum quoque Templa exornare aggressus, Divi Petri in Vaticano Basilicam repurgatam prius, marmoreis & vitreis fenestris Templo accommodatis dilucidiorem reddidit. Appendicem quoque miræ profunditatis, & altitudinis ad sinistram ejusdem Templi non longe ab Obelisco ducit, ne paries ille à reliquo corpore parumper sejunctus ponderi aliquando cederet. Sternit & latera Basilicæ Constantinianæ, repurgata prius, & in meliorem formam re-

D dacta. Ædificatur præterea suâ impensâ apud Sanctos Apostolos, fornixque major, quem Tribunam vocant, mirè fastigiatus ad Templi caput ducitur tantâ cum arte, ut nulla Basilica Romæ pro magnitudine futura sit augustior, si quod Julianus nepos mente concepit, etiam inchoavit, tamdem perfecerit. Verum est certe, quod dici solet, Populos studia Principum imitari: adeo enim ubique per Urbem ædificatur, ut brevi novam formam omnino sit habitura, si Sixto vivere contigerit. Hoc studio ductus Guilielmus cognomento Tuotavilla Episcopus Ostiensis Basilicam Sanctæ Mariæ ad Præsepe, quam nunc Majorem appellant, ducto lævâ dextrâque fornice, ita

E illustravit, ut nil videri decentius possit. Idem quoque Ostiam jam pridem eversam magnâ impensâ restituit, ducto circumquaque muro, vicisque directis, ac domibus ædificatis ad decorem loci & utilitatem incolentium. Hac autem laude excitatus Pontifex, quem Guilielmus his diebus honorificentissime cum magno comitatu aliquot diebus hospitio susceperit, Portum è regione Ostiæ ultra Tiberim à Claudio inchoatum, à Trajano perfectum, repurgare instituit, ac navigiorum, ut antea fuit, capacem reddere: opus sane Regium, & Pontificio nomine dignum. Hospitale item Sancti Spiritus, sepulcrum

crum potius ob situm & incommoditatem loci, quam pauperum & ægrotantium Hospitium, restituere adortus, magna jecit fundamenta, cum ad ornatum Urbis, tum vel maxime ad peregrinorum & ægrotantium commoditatem. Magnâ quoque impensâ Assisii Sancti Francisci ædes illas egregias, & multorum Fratrum capaces, jam collabentes ob rimosos parietes, & fundamenta subsidentia, restituit, ductâ ingenti appendice, qua totum Cœnobium sustineretur. (*)

Sixtus Quartus Pontifex Maximus quum Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, quod est in alma Urbe, vetustate pæne collapsum, instaurandum curasset, illudque variis picturis, quæ hactenus visuntur, exornandum jussisset, congruis unicuique appositis inscriptionibus, non ignarus, Xenodochium id ab Innocentio Pontifice Maximo ejus nominis Tertio primum constructum fuisse, ut erat homo minime invidus, alienæ gloriæ minime appetens, priorem picturarum atque inscriptionum partem ad Innocentium, posteriorem ad se ipsum pertinere voluit, ut vel sic ostenderetur, quid ab unoquoque eorum gestum fuisset. Earum inscriptionum exemplaria ex ipsis originalibus desumta hæc sunt. Qualiter ex damnato coïtu progenitos, ne in lucem veniant, crudeles matres diversimode trucidant. Qualiter infantes de Ponte in Tiberim projecti à Piscatoribus rete pro piscibus capiuntur. Qualiter Piscatores compertos pueros, Innocentio III. deferunt: quod indignum facinus illico detestatur. Heic Innocentius III. de Comitibus, admonetur per Angelum, ut Hospitale pro salvandis expositis ædificet, locumque in Saxia designat, ubi passim omnes recipi, & educari debeant. Isaiæ XLV. *Dicam Aquiloni da, & Austro noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filios meos ab extremis terræ.* Heic Innocentius III. Angelicæ visioni parens in honorem Sancti Spiritus Hospitale fundari & erigi facit. Hieremiæ XXVIII. *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est refrigerium meum, subvenite egeno.* Heic Innocentius III. Religiosos Hospitali servientes instituit, eisque assudarium & habitum donat, & ut expositorum saluti & educationi assistant, attentissime mandat. Hieremiæ XLVIII. *Relinque puellos tuos, & ego faciam eos vivere.* Hucusque quæ ad Innocentium III. quæ sequuntur ad Sixtum Quartum pertinent inscriptiones. Ut Divus Antonius cum Beato Francisco Sixtum pariturae apparuit, & alter chordam, alter habitum infanti porrigebat. Heic Luchina somnii & visionis memor, vovit se induturam filio Sancti Francisci habitum, facturamque, ut eumdem sex mensibus ferret, quæ sine dilatione votum effectui mandat. Dum obstetrix puerum, cui Francisco nomen indiderant, in ulnis per forum gestaret, sæpe manus ad instar benedicentis ducebat; à senioribus verò quibusdam factum admirantibus, nutrici dictum est, *Infantem diligenter observa, quando ad aliquid magnum natus sit.* Transacto semestri, amotoque habitu, quem ipse ex matris voto gestaverat, puer iterum in gravem ægritudinem incidit. Reperito itaque voto, mater filium incolumem recipit. Dumque puer jam grandiusculus foret, rursus ei habitum vi detrahunt, qua ex re, febre statim correptus, intumescente gutture, tanta infirmitate liberari non posse videbatur, nisi mater denuo votum repeteret, quo habitum reassumeret. Dum puerulus juxta Savonæ mœnia solus vagaretur, casu ex scopulo in mari præceps labitur, cui pæne submerso visum est, manibus Divorum Francisci & Antonii attolli. Ab astantibus verò procul, tum visa est nubecula quædam è cœlo prolapsa super puerum. Nonum agens annum, habitum Sancti Francisci ob recuperatam valetudinem repetit. Adeo brevi doctrinâ & eruditione profecit, ut juvenis adhuc, publice Bononiæ, Patavii, Florentiæ, Papiæ, Senis legerit. Prædicavit etiam in multis Italiæ Urbibus magnâ hominum coronâ & gratiâ. Ortâ Brixiæ de Sanguine Christi inter Fratres Minores, & Prædicatores contentione, mandato Pii Pontificis Maximi publice disputans, probavit, aliquid de Sanguine Christi in terra remansisse, licèt Deitas non esset illi juncta, ut ex clavis Sanguine delibutis cernitur. Habito Perusii Fratrum conventu, magno hominum consensu, Franciscus Minorum Generalis decernitur. Mortuo Paulo omnium consensu Pontifex decernitur. Præterea verò Coronam Pontificiam apud Lateranum in magna celebritate & hominum multitudine suscipit. Animum deinde ad restituenda loca pia adjiciens, hoc Hospitale invisit, quod vetustate pæne collapsum à fundamentis instaurat. Iterum locum repetens, quum puellas puerosque expositos, ad pedes ejus prostratos vidisset, pietate motus, ad tantum opus conficiendum accenditur. Pontem quoque, quem meritò Ruptum appellabant, ad utilitatem Populi Romani, peregrinæque multitudinis ad Jubilæum venturæ, à fundamentis magnâ curâ & impensis restituit. Ut autem hoc Hospitale obsoletum & sordidum in meliorem formam redigeret, totum usque à fundamentis disjecit. Accitis undique optimis Architectis, conductâque magna fabrorum multitudine, Hospitale ipsum magno studio ædificat. Quum pueros expositos, puellasque ad pedes ejus cum nutricibus prostratos videret, locum habitandi his assignat, mandatque puellas nubiles maritis cum dote locari, nonnullas verò religiosiores servitio Projectorum perpetuò dicavit. Nobilium calamitate & ægritudine motus, seorsum ab aliis locum idoneum decenterque ornatum his attribuit. Motus religione & singulari devotione, quam semper erga Beatam Virginem habuit, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Populo à fundamentis erigit. Regem Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ, Gothorumque ad limina Apostolorum, & ad Sedem mirâ cum devotione venientem, magnifice, ut Pontificem decebat, in ædibus suis recepit. Regem Ferdinandum mira religione ad Jubilæum suo Pontificatu celebratum magno comitatu venientem, regio ac splendido apparatu in Palatio Apostolico hospitio suscipit. Bossinæ quoque Rex, atque Valachiæ, licèt gravis annis & senio esset confectus, ad visenda Apostolorum limina veniens, Sixtum Pontificem Maximum exosculatis ejus pedibus, supplex adorat. Privilegia quondam à summis Pontificibus, non sine caussa, quatuor Mendicantium Ordinibus concessa, quieti Ecclesiasticæ & communi saluti consulens, confirmat & auget.

(*) *Muratorius*: Neque plura in eo Codice occurrunt.

Templa, Domum expositis, Vicos, & Mœnia, Pontes,
Virgineam Trivii quod repararis aquam;
Prisca licèt nautis statuas dare commoda Portus,
Et Vaticanum cingere, Sixte, jugum:
Plus tamen Urbs debet nam quæ squallore latebat,
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

Carlota Cypri Regina spoliata Regno, fortunisque omnibus, supplex ad Sixtum confugiens, comitantibus Christophoro de Ruvere A Castellano Sancti Angeli, & Dominico Cubiculario secreto, fratribus pientissimis, benigne suscepta, & bene sperare jussa, Pontificis munificentiam & gratiam summis laudibus extollit ob inclytam Sabaudiæ Familiam. Smyrnam ubi cepisset Oliverius Cardinalis Neapolitanus, dux classis, Portum Sataliæ vi ingrediens, catenam inde ad nos retulit, quæ ante valvas Sancti Petri adhuc visitur. Pietatis præmio in Paradisi possessionem Sixtum IV. Beatus Petrus introducit.

DIA-

DIARIUM
ROMANUM URBIS
Ab Anno MCCCCLXXXI. ad MCCCCXCII.

AUCTORE

ANONYMO SYNCHRONO
NOTARIO DE ANTIPORTU

Nunc primum educitur

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

V*aticanus Codex* 6823. *Diarium hoc nondum editum mihi suppeditavit ex eorum indulgentia, qui studio juvandi bonas Literas nemini concedunt. Quis illius Auctor fuerit, unus titulus indicabit: neque enim aliud quidquam de illo mihi occurrit,* Notarius de Nantiporto *tantummodo appellatur, ita ut ejus nomen & cognomen desideremus, incertumque etiam sit, cui loco is præfuerit, Notariatus munere fungens.* Ante Portum, *aut* ante Portam *locus aliquis fuisse videtur. Sunt & qui suspicantur legendum esse* Nantiposto, *& quosdam Notarios olim Romæ nuncupatos fuisse* Antepositos. *Omnia hæc obscura. Neque plane refert rescire, quodnam Auctoris nomen ac munus fuerit. Habemus (id quod præsertim nostra interest) Auctorem Synchronum, qui ab Anno MCCCCLXXXI. usque ad MCCCCXCII. res Romæ gestas identidem literis consignabat. An ejus auctoritate usus fuerit Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis, quæsivi, & nondum inveni.*

DIARIO

DIARIO DI ROMA
DEL
NOTAJO DEL NANTIPORTO
Dall' Anno 1481. al 1492.

A Dì 11. di Febraro 1481. Pietro Casale menò moglie; li dettemele l'Ambasciator de Venezia. Di Marzo, novelle, che fu pigliato lo Bassà del Turco per mare con legni 18. cioè fuste dodici, e sei Bolloncere: tutta Roma fece letizia. A dì 2. di Giugno venne la certezza della morte del Gran Turco, e ne fu fatta festa, cioè i fuochi, Sabbato, Domenica, e Lunedì, e li tre dì fu fatta la Processione per lo Borgo de Santo Pietro, e vi andò Papa Sisto co i Cardinali, e tutti i Cherici; sonò Campidoglio, e tutte le Chiese a festa. A dì 30. il dì della Commemorazione di San Paolo stettero XXIV. Galee alla volta di San Paolo. A dì 18. de Settembre fu riavuto Otranto a' patti.

Anno 1482.

A dì 24. di Gennaro fu fatta costione a casa di Stefano Margano con lo Vicecamerlengo, che vollero pigliare Cornacchino, il quale fu ferito e passatagli una coscia. A dì 3. de Febraro morì Francesco Porcaro. A dì 4. tornò il Cardinale San Pietro a Vincola Legato di Francia, e menò il Cardinale di Balrì, che era stato prigione del Re di Francia. A dì 3. di Aprile Mercordì la notte venendo, Messer Giorgio Santa Croce assalì Casa della Valle con ducento persone, e fecero cinque squadre, e fuvvi morto il Signore Jeronimo Colonna, & Antonio Janpede, & ferite undici persone, tra le quali fu ferito Bernardo della Corona, al quale fu passata la gamba da banda a banda; e di quelli di Santa Croce ne furono feriti sette. A dì 11. Giovedì andò il bando, che furono fatti ribelli della Chiesa Francesco della Valle, Prospero, e Messer Giorgio Santa Croce; e chi ne avesse morto uno, avesse ducati mille; e chi il desse vivo, ne avesse due mila, e se fosse diffidato quello, che ne ammazzasse uno, fusse raffidato lui con tre compagni alla volontà dello occidente, oltre lo premio. A dì 14. Domenica fu canonizzato da Papa Sisto Quarto il beato San Bonaventura nella Chiesa di Santo Pietro con grande solennità. A dì 30. di Maggio fecero una correria gli uomini di Marini, & entraro per porta San Giovanni e fecero gran folla, e pigliarono Pietro Savo Macellaro de' Monti e menaronlo con essi. Alli 2. di Giugno Domenica furono intertenuti in Palazzo del Papa ad ore 23. il Cardinale de' Savelli, e il Cardinale Colonna, e Mariano Savello per certe lettere, che furono trovate, che andavano al Re Ferrando di un trattato, che dovesse entrare in Roma il Duca di Calabria. Alli 3. Lunedì furono i detti Cardinali la sera menati in Castello prigione col detto Mariano Savello, e furono pigliate le case de i detti Cardinali, e messivi

A fanti del Papa. Alli 4. furono portati i letti e forzieri de' detti Cardinali in Castello. Alli 5. vennero sette Galere del Re ad Ostia, le quali condusse Villamarina, e il Duca di Calabria si condusse, & alloggiò in Marini, Grotta Ferrata, e Borghetto con venti squadre di cavalli e tre mila fanti. Alli 6. Giovedì *Corpus Christi*, si partì il campo della Chiesa con 23. squadre di cavalli da Quinto, & andossene ad alloggiare a Santo Janni Laterano dentro delle mura, e non fu corso Pallio. Alli 7. venuto è il tempo delle bugie e delle novelle. In campo della Chiesa vi è prima il Conte Jeronimo Capitano della Chiesa, il Signore di Camerino con due figliuoli, uno legittimo, & uno bastardo, il Signore

B Virginio Orsino, il Conte Nicola di Pitigliano di Casa Orsina, il Signor Giordano Orsino, il Signor Paolo Orsini, il Signor Jacomo Conte, & uno suo figliuolo, il Signor Janni Colonna di Pellestrina figliuolo del Signore Stefano, Lione di Montesecco, Gian Francesco da Tolentino, il Signore della Mirandola, Andrea Conte, e molti Conestavoli da conto. Alli 8. Sabbato fui a vedere il campo a Santo Janni con Messer Bartolomeo della Corona, e facemmo colezione con Messer Belardino nella camera di Messer Luca Mellino; e poichè avemmo veduto il campo, e volemmo partire da Santo Janni per la via, che va a Santa Maria Maggiore, facemmo colezione

C nella tenda di Alberino de gli Alberini con uno chiamato Luca Migliaccio, *alias* era stato clientolo di Messer Bartolomeo della Corona. Alli 9. tornai a vedere il campo con Antonio mio figlio, e stando là a vedere, si levò il campo a rumore, & uscì fuora il Signor Virginio Orsino, il Conte Nicola di Pitigliano, e il Signore Jordano Orsino armati di corazzina coperta, con una frotta d'uomini d'arme armati; e così facevano di dì in dì, come sentivano qualche bisbiglio. Alli 10. Lunedì fu saputa la novella di Bernardo della Corona, e di cinque altri compagni, i quali erano stati mandati a Palombara, e furo ritenuti tutti prigioni. Alli 12. fu appiccato

D Luca Migliaccio dinanzi a Torre di Nona, perchè aveva mietuti circa due scorzi d'orzo, come saccomano; e stava con Alberino Alberini, come è detto; e furono pigliati tre di Palombara da gli uomini di Tivoli. A dì 13. Giovedì ottava *Corporis Christi* non furono fatte Processioni per le Chiese, come si suol fare, per rispetto della guerra; e fu pigliato Pietro Guadagnolo, e menato in Campidoglio, e messo nella pubblica; e furono pigliati quindici uomini di Marini, e menati a Torre di Nona, e feronsi la taglia di ducati cento dieci fra tutti; e fu pigliato un Contestabile con 70. fanti, che andava a Palombara. Alli 14. Venerdì tornò Bernardo della Corona da Palombara, che era stato prigione nel

Pozzo

Pozzo lui co i compagni, & avevano corso pericolo d'essere appiccati per la gola, per modo che furono menati a i Merli della Terra con le mani legate dietro, e con le capezze in canna. E tornarono con promissione di ritornare, che quelli, che stavano prigioni in Tivoli, fossero lasciati; e furono lasciati i compagni di Bernardo. Alli 15. Sabbato furono mandati tre Cittadini, cioè Messer Lodovico Matteo, Lodovico Margano, e Liello di Ubitonio di Alesso al Duca di Calabria, se gli piaceva di lasciar mietere il grano a i Cittadini; e rispose, che lui non lo voleva mietere, nè voleva, che lo mietessero i Cittadini; e così se ne tornarono con bellezze. Alli 16. mandò a dire il Duca di Calabria al Conte Jeronimo, che gli voleva parlare personalmente, e che ciascheduno di loro menasse tre squadre di cavalli in loro compagnia. Di che il Conte gli mandò a dire, che era contento. Consigliandosi il Conte co i Signori, che erano in campo con lui, chi diceva, che vi doveva andare, chi diceva di nò. Levossi su il Conte di Pitigliano, e disse: *Signor Conte, buono è, che la Signoria vostra non vada; ma poichè avete detto di sì, in questo atto voglio essere io il Conte Jeronimo, e voglio andare, e menare le tre squadre a mio modo: e così fu deliberato*. Questa ordinanza aveva fatta il Duca di Calabria, credendosi di pigliare il Conte Jeronimo, che come s'era condutto al luogo diceva di volergli parlare da parte, & aveva ordinato di menare, e menò tre grosse squadre con lui; cinque ne mandò dall'un lato, e cinque ne mandò dall'altro lato, credendosi di metterlo in mezzo. Il Conte Nicola di Pitigliano fece mettere tutto il campo nostro in ordine, dicendo, che nissuno si movesse, per fino che non erano fatti avvisati, e lui si mosse con le tre squadre, che aveva mandate prima le scorte. Andando il Conte di Pitigliano, scontrò una delle sue scorte, e dissegli: *Signore, non andate: che per tutto ci è gente di là e di quà*. Allora il Conte disse alla scorta, & al Trombetta: *andate al campo nostro, e dite a quella gente, che ne venga*. E il campo della Chiesa allora tutto si mosse: Vedendosi per la via il Duca di Calabria, e il Conte Nicola, sapendo il Conte la gente, che menava il Duca, e che il campo suo veniva, andava volentieri. Il Duca vedendo le tre squadre, si credette di menarle tutte prigioni; ma poichè s'avvide, e scoperse tanta gente dietro al Conte Nicola, diede volta addietro, e tornossene: che ebbe paura. Alli 19. Mercordì venne la bombarda chiamata la Sistina Papale da Fuligno, e passò il Tevere sotto di Horte a guazzo su i carri, e fu passata nel campo di Castello, e molta gente andò a vederla. Alli 20. Giovedì venne la nuova, che Messer Nicolò Vitelli era entrato nella Città di Castello con quattro squadre di cavalli, & eravi il Signor Costanzo da Pesaro. Alli 25. Martedì fu detto e bandito per lo campo, che si dovevano scontrare tutti due i campi il Giovedì alle Forme. Alli 26. furono raffermate le medesime parole dell' incontrarsi i campi alle Forme. Alli 27. Giovedì uscì fuora tutto il campo della Chiesa, & uscì fuora il Conte in persona, & uscirono fuora circa tre mila giovani Romani tutti bene armati; uscirono fuora i Conservatori di Roma, de' quali giovani Romani il Conte n'ebbe gran piacere, e miseli sotto la custodia di Jacomo Conti. E stando il campo della Chiesa alle Forme ad aspettare il Duca di Calabria, non ne volle; e fece per gabbare quelli del campo della Chiesa, perchè in questo medesimo dì rimise di molta vettovaglia, la quale gli era venuta per mare, e poi mandò a dire al Conte Capitano della Chiesa, che gli perdonasse, che non era possuto affrontarsi, perchè in quella mattina volendo cavalcare gli cascò il cavallo addosso, e guastolli un braccio: e questa fu bugia. Alli 29. furono confermati tutti gli Officiali, e Conservatori, i quali sono Domenico di Boniaugurj da Tivoli, Cristofano di Pietro Janlongo, e Francesco Foscu; e lo Scrittore della presente Istoria era Notajo dello Nanziporto.

A dì primo di Luglio il Signore Paolo Orsino andò a Ponte Mammolo, e pigliò otto uomini d'arme, e trenta cavalli, e settanta fanti, i quali andavano per entrare in Palombara. Alli 3. la gente del Signore Giovanni Colonna di Palestrina con una squadra di Balestrieri a cavallo pigliarono venti uomini d'arme, fanti cento cinquanta, cavalli trenta, i quali facevano la scorta a 40. Carriaggi, che andavano al campo del Duca di Calabria. Pigliarono ancora i detti Carriaggi con una brigata di persone da taglia, e tra gli altri un Medico, che si mise di taglia mille Ducati. Fecero il fatto nella cava dell'Astraro. Alli 4. la gente del Duca di Calabria fece una gran preda a' Velletrani; pigliarono circa quaranta uomini da taglia, de' quali ad una brigata cavarono gli occhi, & ad altri tagliaro la testa a man salva: del che ne fu avuto grande sdegno. Alli 8. i fanti, che erano in Velletri con circa tre mila uomini della Terra fecero fossi a certi passi, e misero molta gente in aguato, che sapevano, che della gente del Duca di Calabria andavano lì d'intorno. Poichè furono entrati quelli del Duca, i Velletrani si scopersero, & ammazzarono circa trenta uomini d'arme, e più che cento fanti quasi a man salva per vendicarsi dello ricevuto. Alli 10. avvegna che più dì sia stato detto, che il Duca di Calabria tenesse prigione Giovanni Colonna di Marini, e Fabrizio, e che il Protonotajo della Colonna si sia fatto forte in Marini, e messosi nella Rocca, oggi si rafferma molto più, e dicesi, che il Duca tenga prigioni i detti Signori, & ha mandato a Napoli il Protonotajo prigione. Alli 11. tutte le Porte di Roma furo serrate, che non ne poteva uscire nullo di fuora, e il Conte Jeronimo era andato a Palazzo su l'ora di pranzo, e fino a mò non si sa la cagione certa, ma molto si parla secondo l'opinione degli uomini. Alli 14. fu una gran tempesta di vento e nuvolo per tutto lo dì e misese il fuoco nel campo della Chiesa, & abbruciò molte tende; e cominciò il fuoco allo Canneto di contro Porta Santo Janni; e fu sì grande la tempesta, che ognuno diceva, che era segno di gran tradimento. Alli 16. venne la nuova, come la Città di Castello era in tutto perduta per la Chiesa, e che Messer Nicolò Vitelli, e Fiorentini avevano avuto tutte e due le Rocche per danari, che avevano dati a i Castellani, ad uno ducati 4000. & all'altro ducati 1500. Et in questo medesimo dì venne la nuova, che in Marini era entrata gente del Re per trattato degli uomini della Terra, ma non hanno avuta la Rocca. Alli 20. avvegna che non si noti ogni dì: da tutti due

due i campi ogni dì escono genti a saccomanno; e le più delle volte i nostri fanno prigione de' fanti di là, e fanno ad usanza de' soldati: pigliati, e spogliati, li lasciano. Alli 22. uscirono forse cento cavalli de' nostri per andare a saccomanno con due squadre di cavalli per iscorta, & affrontaronsi con sette squadre del Duca di Calabria, di modo che i nostri perderono quasi tutti i cavalli, che erano usciti per far saccomanno. Alli 23. venne il Magnifico Roberto Malatesta Signore di Rimino, & entrò in Roma per Porta Viridaria, accompagnato dal Conte Jeronimo, e da molti altri Signori, e dall' Ambasciator Veneziano, e da tutte le famiglie de' Cardinali; e fugli fatto grande onore, e fatto far gran festa, come cosa che era aspettata con desiderio. Alli 24. andò il Magnifico Roberto a Palazzo a parlare allo Papa, dove intervennero tutti i Cardinali, e furongli fatte gran carezze. Alli 25. venne la nuova come il Re aveva avuta la Rocca di Marini. Alli 26. il Magnifico Roberto sta per istanza a Santa Maria Maggiore, e per vedere il campo fu a piacere con molti altri Signori. A dì primo d'Agosto venne la nuova, come il Duca di Calabria ha messo il campo a Città Nevina, & havvi piantate le bombarde. Et in questo dì vennero dodici Galere del Re, e quattro Fuste, in tutto sedici legni, ad Ostia. In questo tempo è detto, che debbono venire 32. squadre di gente d'arme di quelle del Magnifico Roberto, e si aspettano tuttavia. A dì .... cascò la Torre di Messer Lorenzo Rosso. Alli due vennero dodici Galere, e quattro Fuste del Re ad Ostia; stetteronvi tre dì, e furono messi fanti nella Rocca di Ostia, & andovvi Majannino Fiorentino; e trasse un passavolante contra le Galere, e le Galere ebbero paura, e se ne andarono con Dio. Alli 3. perchè le cose non si possono sapere dì per dì, alli dì passati venne ad Ostia una Galea del Re, nella quale erano 25. Turchi, ovvero Janizzeri, i quali annegarono il Patrone della Galea, & molti Compagnoni, & pigliarono per loro la Galera, e condusserla ad Ostia, e donaronla al Papa; e loro ne usciro fuora, e perchè di sopra non è fatta menzione, la fo quì.

Alli cinque venne la nuova, come il Duca ha avuta Città Nevina, non già per battaglia. Dicesi, che Macchiarone, il qual'era Contestabile, e stava dentro la Terra, gliela diede; ma non ebbe la Rocca. Alli 8. venne la nuova, come il Duca di Calabria ha avuta la Rocca di Città Nevina per colpi di bombarda, & ammazzarono il Castellano, e così l'ebbero. Et in questo medesimo dì vennero quindici squadre del Magnifico Roberto a Prima Porta. Alli 10 le squadre ne vengono a poco a poco, & pongonsi in Quinto, & a Prima Porta. Alli 13. fino a questo dì sono fra Prima Porta e Quinto, squadre trentadue d'uomini d'arme, e due grosse squadre di Balestrieri a cavallo. A dì 14 non è fatta festa di Santa Maria, nè con fiaccole, nè anco con talami. E venne la nuova, come il Signor Prospero Conte di Monte Fortino si è voltato, e levatosi dal Duca di Calabria, e messosi con la Chiesa. E perchè il Duca aveva presentito, come il Signor Prospero voleva far questo tratto, mandò il Signor Prospero Colonna con molti uomini d'arme, che entrassero in Montefortino, come amico; e

A come era dentro, pigliassero la Terra, e il Signore. In questo mezzo il Signor Prospero aveva fatto sapere al Signor Jacomo Conte, come voleva chiamare la Chiesa, e che gli mandasse gente. Ma prima entraro nella Terra 40. uomini d'arme, e 60. fanti di quelli del Duca, che menavano il Signor Prospero; e subito entrati dentro, la gente di Jacomo Conte pigliarono a man salva tutti i 40. uomini, e i 60. fanti. Dicesi, che sia prigione il Signor Fabrizio Colonna, e questa fu tenuta buona novella. Alli 15. *festum Sanctæ Mariæ*, in questo dì si sono adunate tutte le dette squadre, che stavano a Prima Porta & in Quinto, schierate in Prata; e poi entrarono per Porta Viridaria, e nella Piazza di Santo

B Pietro ebbero la benedizione da Papa Sisto, che stava alle finestre del Corritore; e poi a squadra a squadra passarono il Ponte Santo Angelo, & andarono verso Campo di Fiore, e passarono Porta Santo Janni. E quelli, che stavano a Porta Santo Janni, sono usciti tutti la Porta a buon'ora, e furono quelle, che passarono il ponte, di veduta, e contate squadre d'uomini d'arme trenta due, grandi e grosse, e due grossissime squadre di balestrieri a cavallo. E tutti andavano molto contenti, & andarono tutti ad alloggiare sopra le Forme insieme con quelli, che stavano a Santo Janni, cioè tutto il campo. E dicesi, sono

C tutto il Campo squadre cinquanta grandi e grosse, e buona gente; e quasi tutta la brigata di Roma corse a vederli passare, in modo che poichè furono passati, pareva che fosse come la Domenica di Pasqua, che torna la gente da vedere il Volto Santo, e la Benedizione: tanta era la moltitudine della gente. Et andarono molte some nel campo di Artiglierie cavate da Castello Santo Angelo. Alli 16. fu una grossissima acqua. E perchè di sopra dico dover venire 34. squadre del Magnifico Roberto, le sue proprie sono 15. cioè quattordici d'uomini d'arme, & una di balestrieri a cavallo; dieci ne sono del Conte Jeronimo, delle quali è capo Giovan Francesco

D da Tolentino, le quali stavano a Forlì; tre ne sono del Prefetto, cioè due d'uomini d'arme, & una di balestrieri a cavallo; una è del Nipote del Cardinale di Milano; una ne è di Messer Lorenzo de' Justini da Castello; quattro sono del Signore di Camerino. A dì ..... morì Mastro Jacomo di Paolo, *Lias de Gottifredis*, Cancellieri: fugli fatto grande onore. Alli 17 venne la nuova, come il Duca di Calabria ha fatti prigioni circa quaranta uomini di Velletri tra uomini della Terra, e fanti Romani; e fuvi morta una brigata, e vi morì un' uomo d'arme del Duca, e molti cavalli. Alli 18. lo campo della Chiesa se partì dalle Forme, dove stava alloggiato, & andossene

E verso Albano; e subito giunti pigliarono Albano, Castel Pandolfo, e Savello, senza colpo di spada, e con patto, che salve fossero le robbe e le persone; e così fu loro osservato; alloggiarono appresso Albano. Alli 19. avvertasi, che ieri fu pigliato solo Albano, & oggi è stato preso Castel Pandolfo, Savello, e la Riccia. Alli 20. il Duca di Calabria si partì dallo alloggiamento suo con tutto il suo campo di notte senza suono di trombe, e non abbruciarono alloggiamenti per non essere sentiti; & andarono ad alloggiare a Santo Pietro in Forma, credendo che i nemici non li seguitassero.

Die

A *Die 21. Mercurii, dies laudabilis & memoranda*: in questo santo dì fece fatto d'arme il campo della Chiesa col campo del Duca di Calabria ad ore 16., e durò fino a ore 23. in modo che il campo del Duca fu rotto e fracassato nel tenimento di Santo Pietro in Forma presso a Velletri; e furono prigioni della gente del Duca circa 300. uomini, tra i quali vi sono tutti gl'infrascritti Signori & uomini da conto, cioè il Duca di Melfi, Rossetto de Capua . . . . Alli 22. non fu fatta cosa alcuna a Santa Maria Rotonda, e fu avuta nuova della detta rotta, & andò il bando, che si facesse festa, letizia, e fuochi la sera: e così fu fatto. Sonò Campidoglio a gajo, e tutte le Chiese risposero al suono, e si fecero fuochi. B Alli 23. gli uomini del campo della Chiesa fecero la richiesta della brigata, che era morta. Alli 24. venne la nuova, come gli uomini di Marini hanno portate le chiavi di Marini al Papa, & hanno menato il Signor Fabrizio Colonna della Terra con tutti i forestieri, che vi stavano; e il Papa gli ha accettati graziosamente, e perdonato loro, vedendoli venire a misericordia, e feceli liberi per dieci anni. E gli uomini di Civita Nevina vedendo, che Marini s'era dato al Papa, volendo far loro il simile, i fanti, che erano dentro, avvisandosi di ciò, saccheggiarono parte della Terra, e poi se ne partirono, e C lasciarono la Terra; e così gli uomini della Terra vennero al Cardinal di Roano come Signor loro, e consegnarongli le chiavi della Terra. Et in questo medesimo dì venne il Conte Jeronimo dal campo a Roma, e menò prigione i detti Signori co i detti uomini d'arme e fanti, e portò gli Stendardi, i quali aveva tolti al Duca di Calabria, cioè tre, tra i quali v'era lo Stendardo della Chiesa, il quale perdette la Chiesa nella guerra di Rimino; e gli altri due erano con l'arme del Duca, i quali furono portati per Roma strascinando, e i detti Signori & uomini di conto rimasero prigioni nel Palazzo del Papa; e tutti gli altri furono messi prigioni in Campidoglio nella sala del Martorio. E fecersi fuochi sì per allegrezze, e sì per la Coronazione. D *Die XXV. Coronatio Papæ Sixti*. Alli 29. il campo della Chiesa si partì donde stava appresso Velletri, & andò alla Torre de' Pescari per circondare Cave, Jennazzano, e Marini. Alli 2. di Settembre andò la Bombarda di ferro nel campo della Chiesa. Alli 3. venne la nuova, come il campo della Chiesa aveva avuta la Torre de' Pescari. Alli 4. venne la nuova, come il campo della Chiesa andò appresso a Cave, e posesi vicino alla Fontana, che si chiama Zenticelle, & infino a questo dì sono in Cave circa mille fanti forestieri, e 40. uomini d'arme, & ogni dì escono quelli E della Terra a scaramucciare co i nostri nel fossato. Alli 5. si partì la Bombarda grossa di metallo, detta Sistina, da Roma, & andò a Cave. A dì 7. fu fatta la festa di Santa Maria con le solennità, secondo il consueto, con fiaccole e talami, e furono liberati tredici prigioni, per ogni Rione uno; e Trejo, Parione, e Ripa non giocarono. E perchè il Rione di Trastevere non poteva avere il prigione, che voleva, come uscirono di Campidoglio, ruppero le fiaccole e le mazze de' Camerlenghi; & in fine ebbero quello, che vollero, & andarono dappoi tutti ad accompagnare il Salvatore. E il Rione de' Monti fece circa venti fiaccole alla antica, come quelle, che stanno scolpite di marmo: che fu una gentilezza a vederle. Tra i quali prigioni liberati fu Mariano di Menico di Tebaldo per lo Rione di Ponte, che iva fuggendo per omicidio. Alli 8. Domenica fu seguita la festa secondo l'usanza. Alli XI. morì il Magnifico Roberto di febbre in Roma in casa del Cardinale di Milano, e Papa Sisto andò a visitarlo, e diedegli la estrema unzione. E la sera ad ore 24. fu portato il corpo a Santo Pietro, e furono forse 64. torcie. E quasi tutta Roma ne ebbe malinconia della sua morte, perchè era valentissimo uomo. Alli 14. avviso, che questo anno corre la Profezia, la quale dice, che i Turchi dovevano venire; perchè vendemiai, & ebbi tre Turchi a vendemiare, & uno ne stette con me cinque dì a guardare la vasca, & a pestare; e molti degli altri ne ivano per Roma. Alli 15. questo Anno per rispetto della guerra è carestia d'ogni cosa. Il Vendemiatore ha bolognini X. l'uno, il Corviatore ha 20. Corciatori pochi, & hanno due e tre carlini per cavallo dalle Porte di Roma; il pajo de' cerchi da botticello bolognini 4., e non ne trovate; il grano carlini venti il rubbio; la soma di legna da cavallo, tanto fieno triste, bolognini X. da somari otto, e da muli 12. e due carlini: sicchè stiamo bene acconci. Alli 23. venne al Porto di Torre di Nona a fiume un Barchio con 32. botti di vino, che pareva, che fosse una Ripa, e condussello Nicolò Morelle da Rieti, e miselo in casa di Nuccio da Marsi verso le case nostre, che pareva che fusse quella casa un Magazzeno; e questo per la gran carestia, che molte taverne furono serrate, tra le quali stette serrata la Corona di Ponte circa due mesi. Alli 24. furono ristretti i Cardinali di Castello, e furono licenziati i loro servitori. Alli 25. fu fatto l'esequio del Magnifico Roberto in Santo Pietro, e fu fatto il Ciburio, come se fusse un Papa, con tutte le cerimonie, che si usa di fare, e con molte bandiere, e molti stendardi, l'uno con l'arme sua grande, e nero, e con questo motto: *Veni, vidi, & vici, victoriam Sixto dedi, mors invidit gloriæ*. Fuvvi uno stendardo con l'arme della Signoria di Venezia, e col bastone come Capitano della Signoria. E vi stette Papa Sisto con dieci Cardinali, e il Vescovo di Vintimiglia fece l'Orazione. Il detto dì venne la nuova, come i soldati della Chiesa hanno rotte e guaste tutte le Mulina di Palliano, Jenazzano, e di Cave, e pigliati i Mulinari. Alli 30. levossi il campo della Chiesa da Cave con poco onore, che quelli, che stavano dentro, fecero grandi encanate con suoni di caldarozzi e correggie. Et è rimaso alle stanze tra Palestrina, Vallemontone, e Montefortino, il Signor Jacomo Conte, il Signor Jordano Orsino, la gente del Signore di Camerino, & il Signor Giordano Colonna da Pellestrina; e tutto il resto del campo se ne va verso Cortona per darle soccorso, perchè vi sono attorno le genti de' Fiorentini, cioè il Signor Costanzo di Pesaro.

Alli 2. di Ottobre fu pigliato il Mastro di casa del Papa, e Messer Filippo da Ponte Corvo Notajo di Camera Apostolica, e certi altri, da gente, che stava in Ardia; e il Mastro di casa si gittò per taglia ducati tre mila, e Messer Filippo ducati cento cinquanta. Et in questo venne la nuova, come il Signor

gnor Jacomo Conte con gli altri Signori pigliarono circa 200. uomini di quelli, che stavano in Cave tra uomini della Terra, e forestieri, & ammazzarono una gran parte de' Jannizzeri, e Spagnuoli, & ebbero prigioni circa 70. uomini da taglia. Alli 3. venne nuova, come gli uomini d'Ardia vennero di notte a Ponte di Lura, e pigliarono circa dieci prigioni, menarono molte bestie, e misero fuoco nell'osteria. Alli 4. venne nuova, come il Signore Jacomo Conte ha pigliato due Castelli de' Colonnesi, cioè Vico, e Juliano; Vico ebbe a patti, e Juliano saccheggiarono. E se ne andò il Signor Jacomo di Conte a Ponte Corvo per istare alle frontiere di Don Federico, il quale sta a Terracina con dieci squadre di cavalli, e molti fanti. Et ha pigliato il detto Don Federico fino a questo di l'Abbadia di Fossanuova. Alli V. son dati danari in casa del Camerlengo a' fanti per istare in Pallestrina alle frontiere di Cave. Alli XV. venne la nuova, come la Rocca di Cisterna è presa per la Chiesa, & hannòla pigliata Fiorentini per danari, che dettero al Castellano, il quale era da Imola. Alli 26. furono diffidati i Signori di Casa Colonna per lo Senatore di Roma, e furono confiscati i loro beni, cioè il Signor Prospero, il Protonotajo, Jordano Duca di Marsi, Janni di Marini, e Fabrizio di Casa Colonna. Di Casa Savella non so. Et il detto giorno furono presi Messer Marco de' Tebaldi figlio di Mastro Simone, & Alberino figlio di Francesco Alberini, & furono mandati in Castello per sospetto. A dì 4. Novembre venne nuova, come il Signor Lodovico Savello con gli uomini di Palombara hanno preso Cresoni. Alli 6. venne nuova, come gente del Re, cioè cinque squadre di cavalli, e mille fanti, e cento cavalli leggieri con cento Jannizzeri ruppero 400. fanti della Chiesa appresso a Cave, tra i quali fu morto Vangelista di Segni, & entraro in Palombara. Alli 7. vennero 200. fanti di Palombara di quelli del Re, e pigliarono Castel Jubileo di San Pietro, il quale tiene il Cardinale di Roano, e saccheggiaro ogni cosa; fecero preda di bestiame de' Cittadini, e pigliarono un Burchio di grano carico, il quale era di Santo Spirito, che veniva per fiume. E perchè non si può sapere puntualmente ogni cosa, ben vero è, che saccheggiarono Castel Jubileo, ma non lo tennero; e il bestiame de' Cittadini, che pigliarono, non lo menarono, perchè si smarriro ne' pantani di Monte Ritondo; e certi di Lementana ne lo tolsero. E del Burchio di Santo Spirito ne brugiaro certa canepa, che stava dentro, e pigliarono certe sacca di grano, e poi lo lasciarono: e questa è la verità. Alli 8. ritornò il Conte Jeronimo col Signor Virginio Orsino da Romagna, e dalla Marca, e lasciaronvi Menico di Mastro Cristofano, il quale fu appiccato in Ancona, ma non già per ruberia. Alli 13. venne la nuova, come il Duca di Ferrara è stato rotto per lo Pò, e per terra dalle genti de' Veneziani, e furono prese da 300. persone, tra le quali vi furono gl'infrascritti uomini di conto tra Signori e Condottieri . . . .
Alli 14. vennero le genti del Re da Rocca di Papa, e furono circa cento cavalli, e molti fanti fino a San Paolo, e combatterono con le genti, che stavano in San Paolo, cioè vaccari, bifolci, pastori, & altra gente di casa,

A di modo che menarono il bestiame di San Paolo, e di molti Cittadini, e i muli d'Antonio della Galea: il che fu saputo in Roma, e il Conte Jeronimo mandò la guardia di Palazzo; e di molti giovani Romani uscirono fuora armati dietro a loro, e non li trovarono. Alli 15. per Roma si dice, che sia venuto Messere Aniello Imbasciatore del Re per trattare la pace, e che abbia portato il foglio bianco al Papa. Alli 16. per Roma si diceva, che era fatta la pace, e dicevasi in più modi; ma per fino, che non si publica, o si bandisce, non lo credo: tanta è la voglia, che ne ho. Alli 17. non si rinfresca molto la nuova della pace; in qualche luogo si dice
B esser conclusa; ma io sono Santo Tommaso. Alli 19. seguitano i ragionamenti della pace, ma senza certezza alcuna. Alli 21. le genti del Re, che stavano a Rocca di Papa, corsero fino a Porta Santo Janni, e a Porta Maggiore, e fecero poca preda, perchè non trovarono bestiame; e della pace si parla, ma poco. Alli 28. fu bandita la triegua fra Papa Sisto, Re Fernando, e'l Duca di Milano, e Fiorentini, la qual dura a beneplacito del Papa; e prima che si finisca, lo notificherà 15. dì prima, acciò ognuno possa salvare le robe sue, e che nissun bandito del Papa possa praticare in Terre del Re, del Duca, e de' Fiorentini senza licenza di esso Papa. Alli
C 13. Dicembre, Venerdì, festa di Santa Lucia, Papa Sisto andò per Roma, & entrò in Santa Maria delle Virtù, e stato lì un pezzo ad orare, battezzò la Chiesa della Madonna delle Virtù, e chiamolla Santa Maria in pace. E tornato che fu a Palazzo, Messere Aniello Imbasciatore del Re di Napoli andò a Palazzo pubblico con molti Cittadini. Alli 14. ritornò Marcello della Corona da Spagna, e da Francia. Alli 16. il Cardinale di Mantova andò per Legato a Ferrara, perchè si dice, che Ferrara ha alzate le bandiere della Chiesa. Alli 17. fu fatto il Consiglio segreto in Campidoglio nel Palazzo de' Conservatori, perchè i Velletrani dimandavano al Papa di
D non istare più sotto al Popolo: non so che fosse risoluto. Alli 23. andarono i Cittadini di Roma co i Conservatori, & altri Offiziali a casa del Conte Jeronimo, e dimandarongli in grazia volesse dimandare al Papa, che liberasse i Cardinali, che stavano prigioni in Castello; & ebbero poco grata risposta. Et in questo dì andò il bando per Roma, che la mattina vegnente dovesse andare la Processione ordinata da San Lorenzo in Damaso fino a Santo Pietro ad ora di Vespero, dove il Papa collegialmente con tutti i Cardinali doveva pubblicare la pace della guerra, che è stata tra il Re Fernando di Napoli, Duca di Milano, e Fiorentini, e Sua Santità, e che si dovesse far fuochi, letizia, e sonare campa-
E ne; e dicesi, che verrà il Duca di Calabria. Alli 24. *Vigilia Nativitatis* fu fatta la Processione da San Lorenzo in Damaso fino a San Pietro, dove furono tutte le Fraterie, secondo che va il dì di San Marco, con le Chiese Cattedrali, *immo plus* che vi furo tutte le Compagnie di Roma con le fiaccole in mano. Per tutto questo dì le botteghe non cavaro fuora, benchè fosse la Vigilia di Natale. Et ad ora di Vespero Sisto in San Pietro fece pubblicare la pace, e furono letti i Capitoli. E perchè quando Papa Sisto fece lega co' Veneziani, i Veneziani fecero due versi, in questo

sto dì i Fiorentini ne fecero quattro, i quali A
furono messi nella facciata di San Celso verso
i Banchi.

Anno 1483.

Alli 25. di Dicembre *Nativitas Domini*, in
questo dì il Duca di Calabria smontò in
Ostia; & in questo medesimo dì il Popolo di
Roma volle mostrare letizia a Papa Sisto della
pace, e mossesi il Popolo, cioè tutti gli Offi-
ziali con molti Cittadini dal Palazzo de' Con
servatori con le torcie in mano accese, con
molte trombette, & innanzi andavano molti
garzonetti come Ninfe vestiti, i quali dove-
vano dire certi versi, e ciascheduno portava B
una frasca di Oliva in mano, tanto i Cittadi-
ni, come i garzonetti. E come furono alla
Porta di Palazzo, non potevano entrare, per-
chè la Porta stava sbarrata, & aperto solo lo
sportello; e dopo avere aspettato gran pezzo,
non potendo entrare, diedero volta addietro,
& allo tornare stavano circa cinquanta fanti
armati dinanzi a Santa Caterina. Innanzi la
piazza di Santo Celso stava il Camerlengo in
persona con tutta la fanteria sua; poi al Vi-
cecamerlengo andava Jan francesco armato con
lo stocco nudo in mano, e co i fanti suoi, e
portavano le balestre cariche; e poi a questo
passò nanti di casa nostra la fanteria di Cam-
pidoglio. Fu detto, che il Papa aveva fatto C
far questo, perchè non si fida de' Romani, e
credo sia il vero. Alli 26. entrò il Duca di
Calabria in Roma, accompagnato da quindi
ci Cardinali. Furonvi il Conte Jeronimo con
tutti gli Offiziali Romani, e fugli fatto molto
onore. Si posò in Palazzo, e menò con esso
molti Turchi, che quasi per tutte le strade
ne stavano sette a spese del Papa. A dì 28.
il Duca di Calabria andò insieme col Conte
Jeronimo a visitare Madonna Francesca moglie
che fu del Signor Napolione Ursino, madre
del Signor Virginio, la quale stava nella ca-
sa, dove abita Messer Francesco da Castello
sopra l'Immagine di Ponte; e lì smontarono
tutti due il Duca, e il Conte, e vi stettero D
un pezzo, poi se ne tornarono a Palazzo.
Alli 29. Papa Sisto diede la Spada e il Cap
pello al Duca con molta solennità. Alli 30.
si partì il Duca con tutta la sua brigata alla
volta di Ferrara, & uscì per Porta del Po-
polo. Alli 22. di Gennajo la notte passata il
Signor Paolo Orsino andò a Cretoni, e pigliò
la Terra, & in essa due Signori, e poi la
rendè al Cavalier Savello. Morì Onorio, &
un Romano della Regola, e quattro ne mori-
rono di quelli di dentro. Alli 23. morì il
Cardinale di Roano Camerlengo di nostro Si-
gnore, il quale stava a Santo Apollinare, e
fu rubato da Messer Bernardo de' Massimi in-
nanzi la sua morte; entrò per la Chiesa di E
Santo Apollinare, e rubò argenti lavorati per
trenta mila Ducati in circa, e portoseli a Ve
nezia. Alli 24. il povero Cardinale di Roano
fu rubato in vita e in morte: che quando fu
portato il corpo a Santo Agostino si appiccia-
rono i Frati di Santa Maria Maggiore con
quelli di Santo Agostino, perchè quelli vol-
lero tollere certi capitali di broccato d'oro,
i quali portava il corpo da capo, e da piedi;
e fu fatto tanto rumore, che si diedero un
pezzo con le torce, e furono poi sfoderate
molte spade, *adeo* che fu pigliato il corpo, e
portato in sacristia; e gli furono rubate le
anella, che teneva in mano; e dicesi gli fu
tolta la Mitria, che teneva in capo. Alli 25.
Conversio Sancti Pauli clara. Fu fatto Camer-
lengo il Cardinale di San Giorgio Nipote del
Conte Jeronimo, e fugli data la casa di Roa-
no con tutte le masserizie. Alli 3. Febbrajo
fu consegnata alla Chiesa la Città di Beneven-
to, Terracina, e Citerna, e il Papa fece con-
segnare Marini a i Signori di Casa Colonna
secondo i Capitoli; & in questo medesimo dì
furono cavate di Zecca le monete di Papa
Sisto con la sua testa. Alli 6. Giovedì fu fat-
ta la festa de' Naoni molto solenne, che non
era stata fatta anni sette. Alli 8. Sabbato,
fu fatta la festa della Caccia a Campidoglio,
dove fu fatta gran rissa tra i Contestavili de'
Monti, e quelli di Trastevere, e furono in
ajuto de' Monti, Trejo, Colonna, e Santo
Agnelo; e quelli di Trastevere chiamarono
in ajuto i Pontisiani, e non ve ne fu nullo,
perchè erano stati sbandati; e fu sì gran co-
stione, che i Conservatori fuggirono in Cam-
pidoglio, e non potero stare nelle scale. Alli
9. Domenica fu fatta la festa in Testaccia in
pace, perchè i detti Rioni fecero la pace la
sera innanzi in casa de i Conservatori. Alli 6.
Marzo fu portato il corpo del Cardinale di
Roano da Santo Agostino sopra un mulo in
una cassa coperta di panno negro con la Cro-
ce, e tutti i Frati di Santo Agostino dicendo
l'Offizio con molte torcie; e dietro a detto
corpo andavano in compagnia molti Vescovi
a cavallo; e fu portato in Francia. Alli 24.
Maggio morì Antonio del Bufalo, e lo am-
mazzò Jacopo suo fratello, e Jacopo ebbe da
Antonio quindici ferite. Alli 21. Giugno fu
tolto lo stendardo al Senatore di Roma, dove
stava l'Arme di Siena: tolselo il fratello del
Senatore con tre cavalli. Alli 25. Luglio, in
questo dì fuggì il Signor Mariano Savello da
Castello: che cenarono i Cardinali, cioè il
Camerlengo, Savello, e Colonna, e il Signor
Mariano nell' orto dietro al Castello. E dopo
la cena i Cardinali si misero a giocare, e gio-
carono infino ad ore tre di notte; & in que-
sto tempo che giocavano, il Signor Mariano
se ne fuggì, di modo che tutta la notte andò
di molta gente armata per Roma cercando, e
non fu trovato. Alli 26. fu avuto nuova del
Signor Mariano Savello, che se n'era andato
a Rocca Priora; e Papa Sisto andò in Ca-
stello, e stettevi quasi tutto il dì, e cacciò
via il Castellano, il Contestavile, e tutta
l'altra brigata; e il Signor Paolo Orsino fa
fare le guardie ogni notte per Montegiorda-
no, & alcune volte per Roma. Alli 27. fu-
rono ristretti i Cardinali nel Maschio, e data
licenza a i loro famigli. Alli 28. mandò il
Signor Mariano Savello una lettera al Papa,
e il Castellano fece levare tutte le robe sue,
che aveva in Castello, e mandolle in casa del
Conte. Alli 21. di Agosto fummo citati di-
nanzi a i Conservatori, perchè avevamo ec-
ceduti gli Statuti nell' essequio di mia Madre,
perchè avemo fatti cinque rivestiti. Alli 20.
Settembre, Sabbato, Papa Sisto mise in pos-
sessione i Fraticelli, che già stavano altre
volte in Santo Janni Laterano in Santa Maria
della Pace. Alli 30. morì Messer Luca de'
Tozzoli, e fugli fatto molto onore, e fece di
uomini ventitre rivestiti. Alli 13. Ottobre
andò il Cardinale di Balù *aliàs* Andegavense
per Legato in Francia a coronare il Re di
Francia, e non fu Audientia. Alli 17. venne
la

la nuova della morte del Cardinale di Mantova. Alli 22. si abbruciò la stalla del Cardinale di San Giorgio, la quale fu di Roano, e vi morirono molti famigli, e fu di gran danno. Alli 6. di Novembre ritornò il Conte Jeronimo. Alli 9. andò Papa Sisto ad Ostia, e misesi in una Barca chiamata Bucentoro a Ripa Romea, la quale era del Cardinale San Pietro in Vincula, & era molto adornata. Alli 15. furono liberati i Cardinali, che stavano in Castello, cioè Savello, e Colonna, & uscirono di Castello per lo Corritore, & andarono a Palazzo; e furono pubblicati cinque Cardinali nuovi, cioè l'Arcivescovo de' Conti . . . . . . Ambasciatore del Re di Spagna, Messer Batista Ursino, Messer Gian Jacopo Vescovo di Parma, il Vescovo di . . . . e fu fatto Legato di Peroscia il Cardinale di Novara. E fu fatta compagnia da tutti i Cardinali a Messer Batista Orsino fino a Monte Giordano, e lui andava in mezzo al Cardinale Savello, e Colonna, e portava la Cappa Cardinalesca, e il Cappello negro, e poi fu fatta compagnia al Legato, e poi al Colonna, e poi al Savello da tutti i Cardinali; e fu fatta gran festa per Roma gridandosi: *Orsino*, *Colonna*, *Savelli*, e di molti fuochi. Alli 19. pigliarono il Cappello i sopradetti Cardinali.

Anno 1484.

Alli 26. di Dicembre Pietro de Andreozzo di Paolo del Rione di Ponte combattè à steccato chiuso con un fante chiamato Petrazzo d'Ascoli Capocolonello di fanti, e fecero in corazzina, celatina, e gorzarino, spada e cappa, allo Turrione di Porta Viridaria incontro a Santo Pellegrino; e Pietro di Andreozzo ebbe grande onore, e stroppiò della mano diritta della spada il detto Pietrazzo. A dì primo Gennajo venne nuova, come il Vicecamerlengo col Signor Paolo Orsino Messer Giorgio Santa Croce, con tutta la guardia del Papa, e Gianfrancesco saccheggiarono e spianarono Albano. Alli 2. fu detto, che il Signore Antonello di Albano ha abbruciata la Riccia: se sarà vero, lo certificherò di sotto. Alli 3. fu bandito da Roma, e dalle Terre della Chiesa il Signore Antonello e tre altri suoi fratelli con tutti i loro famigli, e furono fatti ribelli. Alli 20. la notte passata circa mezza notte fu il terremoto, e durò un' *Ave Maria*, e fu grande; non fece danno in Roma, ma sì bene a Lementana, a Castelnovo, e a molte altre Terre. Alli 5. di Febbrajo morì il Commendatore di Santo Spirito Romano. Alli 6. successe nel Commendatorato Don Pio Piacentino Monaco di San Paolo, & il dì seguente entrò in possessione, & il Papa gli diede l'abito. Alli 21. fu il tumulto della Valle, assassinio di Francesco Santa Croce. Credo fusse, quando ammazzarono Paolo della Valle, che stava in gippone dicendo l'offizio nel Porticale, & era Canonico di Santo Pietro. Alli 26. non fu fatta la festa de' Naoni. Alli 29. non furono corsi Palii per sospetto delle brighe. Alli 2. Marzo fioccò, e per lo piovere non potè allegare. Alli 14. venne la nuova della morte del Signor Giordano Orsino in Fiorenza. Alli 17. fu publicato Cardinale Messere Ascanio de Milano. Alli 19. fu fatto Legato a Venezia per conto della pace il Cardinale di Portogallo Ulisponense. Alli 26. furono pigliati due figli di Jacopo Cola Santo di Santo Angelo, overo di Ripa con tre altri compagni, e furo appiccati i due fratelli alle finestre della prima Sala di Campidoglio, e fu tagliata la testa a Giann' Antonio Arlotto a piedi delle scale, e questa giustizia fu fatta senza suono di campane, e senza sentenze; e si diceva, che si avevano a giustiziare Romanello, e il figlio di Cola Jacovaccio. Alli 25. si mise in arme Casa della Valle, per dubbio che si diceva che la Corte con la guardia del Papa volevano andare a pigliare Bernardo della Corona, il quale il giorno innanzi aveva ammazzato un Fiorentino; e il Vicecamerlengo mandò Mario Ceratano in casa della Valle per vedere, se vi stava Bernardo, e vide alcun luogo, e nol trovò, e così riferì che non v'era. Alli 29. fu nuova, che mai non fu simile a tempo mio. Si mise in arme tutta Casa Orsina, cioè il Signor Virginio, il Signor Paolo, e il Signor Jeronimo di Tuttavilla chiamato di Casa Orsina con Casa di Santacroce, e Casa di Stefano Crescenzi per andare contra Casa Colonna, cioè il Protonotajo; e con lui s'intendeva Casa della Valle, e Casa Margana, in modo che per Roma tutto il dì fu gran travaglio, e tutti stavano in arme. Dicevasi, che Casa Orsina voleva ire a trovare il Protonotajo Colonna la notte, e si fecero per Roma grandi guardie, & ognuno si forniva in casa il meglio che poteva; e io misi due Carrattelli alla Porta carichi di sassi, e pontellai molto bene; e a tutte le finestre, & alla loggia misi sassi ben grossi; e tutta la notte si gridava per Ponte *Orso*, & in Monte Giordano si fecero fuochi con suoni di trombe e molti scoppj. Alli 30. furono molti più travagli, che jeri. Andò il Signor Virgilio Orsino armato come un San Giorgio per Roma a Palazzo molte volte per rimediare, che la cosa andasse in pace, e il Signor Paolo Orsino ben'armato con la sua squadra di molti fanti e molti giovani Romani, e il Signor Jeronimo Orsino con la sua squadra, & eravi Messer Giorgio Santa Croce armato a tutte armi, come se volesse giostrare. Così andarono molte volte per Ponte gridando, *Chiesa*, & *Orso*. Venne molta gente comandata dal Signor Virgilio, furonvi molti balestrieri a cavallo, & intanto il Protonotajo Colonna si mise in ordine in casa del Cardinal Colonna, e fece certe sbarre verso le cavole di Trejo, e per molti altri luoghi; e simile fecero quelli della Valle sbarrarono la strada con molte botti piene di terra, & travi, e fuvvi di molta gente, perchè si diceva che doveva ire la Corte a casa loro, dove cavalcaro tutti gli Offiziali di Roma, cioè Conservatori, Caporioni, e molti altri Cittadini a Palazzo, e parlorono col Papa per poter mettere in pace la Terra. Al che rispose il Papa, che il Protonotajo dovesse andare a Palazzo; e così gli Offiziali andarono dal Protonotajo pregandolo da parte del Papa, che dovesse andare; & il Protonotajo promise di andare, e gli Offiziali tornarono dal Papa con la risposta. In questo mezzo si era messo in ordine il Conte Jeronimo armato a tutte armi. Lione da Montefeoco con tutta la guardia del Papa, il Vicecamerlengo armato con la celata in testa, e la mazza in mano, la Corte di Campidoglio, Janfrances-

co i suoi, e tutti stavano per andare à dare la battaglia a casa del Protonotajo; e di nuovo mandò il Papa gli Offiziali pel Protonotajo, e con loro Lione da Montesecco, e lui voleva venire, e la gente, che teneva in casa, non lo lasciò venire; e lui solo se ne venne a cavallo fino a San Marcello, e i suoi gli vennero dietro, il pigliarono, e il minacciarono di tagliarlo a pezzi, se veniva; e così si stette, e gli Offiziali tornarono al Papa a dire, che non veniva. E così andarono tutte le dette genti, e portarono parecchi bombardelle, passavolanti, & cerebottane co i cavalletti, molte accette, e grampie, e passarono parte da casa nostra, e parte ne andò da Campo di Fiore, & andarono a trovare il Protonotajo, e circondarono la casa del Cardinale per tutto, *adeo* che in ispazio di due ore entrarono le sbarre, pigliarono la Piazza, la casa & il Protonotajo: dove fu morta della brigata dall'una parte, e dall'altra, tra i quali vi fu morto il Signor Filippo Savello con tre uomini d'arme, & altre persone, e fu messa a sacco la casa del Cardinale, dove stava il Protonotajo, & eravi tutta la roba del Cardinale, e fuvvi cacciato fuoco, e furono messe a sacco di molte case di poveri uomini, e la casa propria del Protonotajo, e prima che fosse pigliata la casa del Cardinale. Avendo i nostri pigliata la Piazza, andò un bando per parte del Papa, che qualunque persona dava ajuto o favore al Protonotajo della Colonna fusse ribello della Chiesa, e per quel bando si partì molta gente, che stava in casa del Cardinale; e certi giovani Romani, de' quali non so il nome, avevano pigliata Porta maggiore. E pigliato il Protonotajo si arrendè al Signor Virgilio Orsino. Et avendolo prigione, e tenendolo per mano, il Conte Jeronimo gli trasse due volte con lo stocco per ammazzarlo; e il Signor Virgilio non volle, stando in mano sua; e poi il menò prigione dinanzi al Papa, e passò da casa nostra; e il Signor Virgilio sel mise a mano diritta, e tenevalo per una mano, & andava parlando con lui, e il Protonotajo iva portando addosso un mantelletto corto a mezza gamba, & una berretta pavonazza; & essendo innanzi al Papa, poichè gli ebbe il Papa molto detto, il mandò in Castello prigione. Alli 31. si partì tutta la brigata di casa della Valle, che non vi rimase uomo, e il Papa comandò si dovesse buttare a terra tutta casa della Valle, e così fu cominciata a rovinare, e seguirono fino alli 9. del mese seguente. Et in questa notte venendo le calende di Giugno, il Signor Paolo Orsino ebbe spie, come il Signor Jacomo Conte di Montefortino stava in Roma, e pigliollo con un Capo di parte da Santo Jemini.

A dì primo Giugno la notte venendo fu tagliata la testa al Signor Jacomo da Montefortino in Castello. Si seguita a buttare casa della Valle. Alli 4. il Signor Virgilio Orsino andò a Vicovaro. Alli 8. Vittorio di Janni di Vittorio ammazzò Mariano Stalla, che era Caporione di Santo Stati, e Mastro Luca Filippino in casa propria di Janni di Vittorio. Fu ferito il detto Janni, due figli di Mastro Luca, & Antonio figlio di Paolo Grosso, & uno Spagnuolo servitore di Mastro Luca. Alli 9. fu fatto l'esequio del detto Caporione, e non fu toccata più casa della Valle. E perchè di sopra non fu fatta menzione de' privati, Messer Bartolomeo da Cicigliano Canonico di Santo Pietro privato, & ebbe il suo Canonicato Messer Francesco fratello del Signor Paolo Orsino, e pigliò il possesso il dì di Pasqua rosata. Messere Apollonio Valentino Canonico di Santo Janni, e con molti altri Benefizi privato; ebbe i suoi benefizi Nicolò da Imola, che sta in casa del Conte Jeronimo. Dicesi, che Gianbatista del Crapolo ha avuto l'offizio di Mastro . . . . di Luca di Scipio; ma fino a quest' ora non ha avuto il possesso. Alli 10. la notte passata quelli di Marini entrarono in Santa Maria di Grotta Ferrata su per le mura con iscale, dove sta il campo della Chiesa, & ammazzarono una brigata di persone, e ragazzi, tra' quali fu morto Lione da Montesecco, e circa quaranta cavalli, e svaligiarono molti uomini d'arme, e ferono molti prigioni, e fra gli altri Messer Sinolfo da Siena, il quale stava nel campo per Commissario. Et all' ultimo furono ributtati fuora, e se ne tornarono alla Terra. Alli 12. ritornò Messer Sinolfo da Marini senza pagare, perchè dicono quelli di Marini di non aver guerra con la Chiesa. Alli 15. fu fatta mostra di tre Compagnie di 500. fanti. Alli 16. andò nel campo della Chiesa una squadra di cavalli de' Perusini, e molti de' detti fanti. Alli 17. il Corpo di Cristo, il Papa andò in Processione la mattina a buon' ora, e diede la volta per la Piazza di San Pietro, e non secondo l'usato, e non fu corso Pallio. Alli 21. venne la nuova, come il Signore Andrea Conte, e Messer Nicolò da Castello Commissario di Campagna hanno pigliato Collepardo, e Vico due Castelli di Casa Colonna, i quali si sono resi d'accordo; & in questo dì andai a vedere le Bombarde nel campo di Castello, delle quali una ne era messa nel carro, e fatti due ripari; & in questo medesimo dì le andò a vedere il Papa, e diede ad esse la benedizione. Alli 22. Martedì fu ritenuto in Castello Messer Pietro da . . . . e Francesco del Bufalo per la Rocca di Monticelli, e quelli di Marini fecero una gran preda di bestiami di Cittadini. Alli 23. in questo dì fu in Roma un gran rumore da niente, onde si armò la guardia del Papa, i fanti di Castello, & altre brigate, e tutti andavano a casa del Conte, *adeò* che pareva fusse Terra rotta; e dicevasi, che era venuto Francesco della Valle in Roma con gente, e non fu vero; ma fu, che Bernardo di Mastro Antonio del Rione di Trastevere aveva nimicizia con uno detto la Volpe, & andò con certi suoi compagni armati nella portica di Jacoviello Capparella Speziale a canto a San Sebastiano in via di Papa, per vedere se poteva trovare il nemico suo, e fu visto per quella strada, e così si levò il rumore, che Francesco della Valle era venuto. Alli 25. venne Luca Antonio da Marini con salvocondotto per fare accordo, del che pare a me non ne facessi niente; & in questo dì si partirono le genti, che stavano in Marini, & andarono ognuno a suo camino. Alli 26. entrò Andrea da Norcia Contestabile in Marini, e pigliollo per la Chiesa; & in questo dì tornò il Signor Virgilio Orsino, che aveva avuti tutti i Contadi, e messivi gli Offiziali e Castellani. Alli 27. venne la nuova, come il Signor Paolo Orsino ha pigliato Monte de' Compatri. Alli 28. ven-

venne la nuova, come il Signor Cola Gaetano volendo entrare in Rocca di Papa con certe genti d'arme, fu affrontato e rotto dal Signor Paolo Orsino, e fatte prigione molte delle sue genti, e furono ammazzati alcuni del Signor Paolo, e non potè entrare alcuno in Rocca di Papa. Alli 29. dì de' Santi Pietro e Paolo, fu corso il Palio, che si doveva correre il giorno della festa del Corpo di Cristo: ebbelo Milano. Alli 30. fu tagliato il capo allo sfortunato Protonotajo Colonna in Castello Santo Angelo, che era circa un' ora di dì, e fuvvi presente il Senatore Giudice de' Malefizi, e Marescia llo di Campidoglio; poi fu messo il corpo in una cassa, con la quale fu sotterrato; vi fu messo un pezzo di seta nera, e fu portato in Santa Maria Traspontina da certi fanti, e lì stette fino a XX. ore; e la sua povera Madre mandò per lo corpo, e furonvi i Frati di Santo Apostolo, di San Marcello, di Santa Maria del Popolo, e di Santo Agostino; e fu portato da certi Fiorentini, e da certi suoi giovani di bassa mano, accompagnato da trenta torcie, e dietro al corpo andava la famiglia del Cardinale de' Conti a cavallo, e non vi fu Cittadino alcuno. In Santo Apostolo aspettò la Madre con moltissime femmine e gli fece gran lamento. A dì primo Luglio furono confermati tutti gli Offiziali per rispetto della guerra; furono acconcie due artiglierie grosse, & altri pezzi su le carra. Alli 2. si partì il Conte Jeronimo, & andò al campo, & alloggiò sopra Marini, tra Marini e Rocca di Papa; e questo dì partirono le bombarde, & andarono verso Trastevere. Alli 3. partì il Signor Virgilio Orsino, & andò a trovare il Conte Jeronimo. Alli 4. giunsero le bombarde al campo, dove stava il Conte Jeronimo. Alli 5. partì tutto il campo con le bombarde, & andarono verso Cave, e provaro di pigliare la Torre de i Pescari, e non ne ebbero onore; & in questo dì partì la Contessa da Roma con molta scorta, & andò a Frascati. Alli 7. il campo fu deliberato a Cave, e fu messo verso San Lorenzo di Cave. Proverbio: *A tempo di guerra, di bugie si governa*. Alli 12. si partì la bombarda, che stava a Santo Spirito, la quale era venuta da Foligno. Alli 13. certi di Cave assalirono certi fanti della Chiesa, tra i quali era Giovanni da Ragusa, e ne ferirono molti, e pigliarono trenta muli; e Giovanni ritornò a Roma ferito con molti altri; & in questo dì cominciarono a tirare alla volta di Roma. Alli 19. venne la nuova della morte del Cardinal Torsì, e del Marchese di Mantova. Alli 20. venne la nuova della morte del Signor Prospero Conte di Montefortino in Cave, che gli fu dato da un Pastore sopra il ginocchio, e morì subito. Alli 23. fu pigliato Antonio figlio di Giuliano Pittore, perchè aveva dipinto Cave in una carta, e fugli dato due tratti di corda, e gli fu tolta tutta la roba a lui, & a suo padre, e gli diedero bando, che fra quattro dì uscisse delle Terre della Chiesa. Alli 27. in questo dì a ore 23. si rendè Cave alla Chiesa a patti, salve le robe e le persone; e fu fatto l'accordo dal Signore Antonello Savello con la Signoria del Conte Jeronimo Capitano della Chiesa. Et uscì fuor di Cave il Signor Fabrizio Colonna col Signore Antonello e fratelli, e il Signor Giovambatista da Collalto, & andarono in campo, dove stava il Signor Virgilio Orsino, & abboccaronsi insieme; e poi di compagnia andarono al Conte, il quale fece loro carezze. Uscirono di Cave tutti i forestieri, che erano circa 250. fanti, & uscì la Duchessa, e Pietro della Valle, & andarono a Genazzano. Alli 28. andarono gli uomini di Cave ad offerire al Conte Jeronimo le robe e le persone, & a raccomandarsegli. Alli 29. vennero molti di Cave a Roma con lettere del Conte Jeronimo al Camerlengo per capitulare, e giurare fedeltà alla Chiesa, & in questo mezzo degli uomini di Cave fecero il presente al Conte. Alli 30. andarono i nostri a Capranica, cioè Messer Lorenzo da Castello, pensando di poterla pigliare, ma non potè loro riuscire. Alli 31. andò il Signor Paolo Orsino a Capranica, dove stava Romanello Corsetto con circa 200. fanti in guardia, & arrendè al Signor Paolo la Terra con patto che fussero salve le robe e le persone, e vi entrò il Signor Paolo, & uscì fuori Romanello, il quale essendo andato a Genazzano, fu fatto appiccare e squartare dal Signor Prospero Colonna, perchè aveva resa la Terra.

A dì primo di Agosto si partì il campo donde stava, andò alla Torre de' Pescari, e lì fece alloggiamento. Alli 2. partirono le artiglierie per battere la Torre. Alli 3. si rendè la Torre, salve le robe e le persone. Alli 5. si partì il campo dalla Torre de' Pescari, & andò a Paliano, & accampò dal canto dietro appresso ad Auagni; e nell'accampare uscirono fuora quelli di Paliano, e scaramucciaro un gran pezzo, donde che i nostri pigliarono tre de' ripari loro, e furono feriti circa 130. de' nostri, e fu pigliato Rosso Bonsignore, il quale stava in Paliano. Alli 6. partendo io da Cave andai al campo in compagnia di forse dieci persone, perche non si andava sicuro, & aspettavano l'un l'altro; & essendo appresso al campo vidi attaccata una scaramuccia, nella quale furono feriti molti de' nostri, & alcuni morti; & alloggiai con Vangelista da Segni nella sua tenda, dove stetti tutto il dì, & andai vedendo il campo, e parlai col Signor Paolo, che mi fece carezze. Et in questo dì furono pigliate ventitrè persone forestiere di quelle di Gennazzano, & io ebbi tanta paura, che averia pagato assai a non vi essere. Alli 7. il dì seguente partii dal campo con Mariano Corso Contestabile, & arrivammo i muli del Conte, i quali avevano la scorta di cinquanta persone, & andavano in prescia per lo sospetto; & arrivammo a Valle Montone, e di lì tornammo a Cave, & a tre ore di notte partimmo per Roma, & arrivammo all'alba. Et in questo dì fu scaramucciato in sei luoghi a Paliano alle mura della Terra, e nel piano tra le Vigne. Alli 9. fu lasciato Rosso Bonsignore, e mandato in Paliano cambiato con Francesco Boccamazzo, il quale stava prigione in Rocca di Papa. Alli 10. giunse una bombarba grossa nel campo. Alli 12. fu saputa pubblicamente la infermità del Papa, e molti tenevano che fusse morto, onde non si ragionava d'altro. E la notte venendo tra le 4. e le 5. ore Papa Sisto morì, e dopo la morte per ispazio di un' ora andarono a Palazzo tutti i Cardinali, e molti altri Prelati; e Roma cominciò ad andare in bisbiglio, & in questo dì si cominciò a battere Paliano. Alli 13. andò tutta Roma in arme, & erano di molte collette

A lette per Roma, e fu messa a sacco la casa del Conte Jeronimo, guasto tutto il giardino, e levate fino le porte e le finestre. Furono saccheggiati magazeni e navilj a Ripa, i quali erano de' Genovesi; furono rubate di molte cariche di roba, le quali si portavano da una casa ad un' altra per salvarle, e certi giovani, e Spagnuoli levavano con dire, che erano robe di Genovesi. Et in questo dì il campo, che stava a Paliano, sapendo la morte del Papa, seguitarono a tirare, e furono in tutto colpi ...... di bombarda grossa. E perchè non ho fatta menzione di sopra de' colpi, che furono tirati a Cave, furono 553. E saputa la morte del Papa, il B campo cominciò a fardellare, e a ridursi insieme, e caricarono tutta l'artiglieria nei carri per condurla in luogo sicuro; e quelli di Paliano essendosi accorti della morte del Papa, e che il campo si levava, uscirono fuori a scaramucciare, e ferirono circa 300. de' nostri, i quali abbandonarono l'artiglierie, e molti le loro tende e padiglioni, che furono abbandonati, e tutto il campo se ne venne a Roma. E furono fatti gli Offiziali, e date le porte, e i ponti secondo l'ordinario. Alli 14. venne il Conte Jeronimo con tutto il campo a Roma, & alloggiò in Prata; e la Contessa entrò in Castello Sant'Agnolo, e tenevalo ad istanza del Conte; & il Palazzo si C teneva ad istanza del medesimo; e furono fatti steccati a piedi le scale della Porta del Palazzo. Alli 15. non fu fatta festa, e cominciarono a venire le cerne delle Terre di casa Orsina. Alli 16. partì il campo da Prata, & andò all'Isola del Signor Virgilio Orsino, e vi andò il Signor Virgilio, e venne a Roma il Cardinale Savello col Signor Mariano e molta gente, & alloggiarono in casa loro. Alli 17. fu cominciato l'esequio di Papa Sisto cantò la Messa il Vicecancelliere, e non vi furo più di undici Cardinali. Vi mancarono Santo Pietro in Vincola, Molfetta, Savello, Colonna, e Milano per divisione, che era tra di loro per le parti di Casa Orsina, e Ca- D sa Colonna, e col Signore Antonello e fratelli. Et il dì innanzi entrò in Roma il Cardinale della Colonna col Signore Antonello Savello e fratelli, e menarono circa dumila persone tra fanti e cavalli, & alloggiarono verso Santo Apostolo. Donde furono fatte di molte sbarre per Roma. E sapendo ciò quelli di Casa Orsina, si mise in arme il Signor Paolo con tutti quelli di Monte Giordano; e pareva che tutta Roma andasse sottosopra, *adeo* che Mariano da Fabriano Padre del Signor Paolo, andava per Ponte dicendo ad ognuno, che si mettesse in arme, e stesse in guardia della casa; e si dubitava, che i Colonnesi venissero a saccheggiare il Rione di E Ponte; e furono fatte molte guardie in detto Rione, & andarono due squadre di cavalli con le lancie alla coscia, e con gli elmetti alla testa tutta la notte gridando *Orso* e *Chiesa*; e venne co i detti Signori Francesco della Valle. Alli 18 fece l'offizio il Cardinale d'Ardia Frate di Santo Francesco, e furono tredici Cardinali; mancarono i sopradetti. Et in questo dì fu cominciata una costione in casa de i Santa Croce, e furono certi uomini de' Signori Savelli non con volontà de' loro Signori, e vi furono morti tre. E corse Messer Giorgio Santa Croce, & il Signor Mariano, & il Signore Antonello Savelli per ispartire; e fu gran rumore per Roma. E perchè le cose vanno con tanto tumulto, i Trasteverini ferrarono tutti i Ponti loro; e Ponte Sisto fu rimurato, e lasciato solo lo sportello aperto, acciò non vi potessero entrare cavalli. Alli 19. fece l'offizio il Cardinale Maccone, e vi furono 17. Cardinali. Alli 20. fece l'offizio il Cardinale di Lisbona, e vi furono 18. Cardinali. Alli 21. fece l'offizio il Cardinale di Parma; vi mancarono alcuni Cardinali, & andò il Vicecamerlengo all'Isola a parlare al Conte Jeronimo, e ritornò la notte medesima. Alli 22. fece l'offizio il Cardinale d'Ardia. E perchè non si poteva vivere per Roma, nè fuora per ruberie che facevano i soldati, il Popolo di Roma, cioè i Conservatori con tutti gli Offiziali, e molti Cittadini, che furono circa 200. parlarono a tutti i Cardinali nella Sagristia di Santo Pietro, che erano stati all' Offizio. Parlò Vangelista di Renzo Martino primo Conservatore in nome di tutto il Popolo, dicendo e pregando le loro Signorie, che volessero cavar fuora di Roma tutta la gente d'arme e cerne per rispetto del danno, che facevano. Che se loro Signorie non provedessero e cacciassero le dette genti, averia provisto il Popolo; pregandoli ancora, che dovessero essere uniti, e d'accordo in fare il nuovo Pontefice, e che il Castello fusse in mano del Collegio. E poi replicò Valeriano Frajapane Priore de' Caporioni, e disse quel medesimo, e così Batista Arcioni. Poi rispose il Vicecancelliere, come primo Cardinale, dicendo, che fino a questo dì non hanno potuto rispondere, perchè non erano d'accordo, e perchè il Venerdì innanzi il Cardinale Savello & Orsino furono in casa di Novara insieme, dove fecero certi Capitoli, i quali poi erano stati accettati per tutti gli altri Cardinali, e che il Popolo stesse di buona voglia, che loro hanno proveduto ad ogni cosa; che il Castello è in mano loro; e le genti d'armi e cerne se ne anderiano alle loro stanze per tutto questo dì di Domenica; e ringraziò il Popolo da parte del Collegio, che mostri esser tenero dello stato della Chiesa.

Alli 23. fece l'Offizio il Cardinale di Molfetta, & andarono all'Offizio Savello, e San Pietro in Vincola, per Trastevere, non si fidando di passare per Castello Santo Angelo, ma al tornare vi passarono. Alli 24. fece l'Offizio il Cardinale di Napoli, e fu detto, che era l'ultimo esequio, e furono tolte molte torcie e levati i Palii dal letto, e tutti i fornimenti, di modo che i Cardinali dopo la Messa andarono a fare l'Offizio nella Capella, dove sta il corpo di Papa Sisto, e vi furono quasi tutti i Cardinali, e quello della Colonna, e Messere Ascanio Cardinale di Pavia. Et in questo dì fu cominciata la costione in Piazza Ritonda, e furono certi Spagnuoli, che attaccorono gridando una parte *Valle*, e *Colonna*; l'altra *Orso* e *Crescenzi*, in modo che sopragiunse Francesco della Valle con Pietro suo fratello con molta gente, & attaccossi con quelli di Stefano di Francesco, e scaramucciarono un pezzo grande; e furonvi molti feriti dall'una parte e dall'altra, e de i morti; & a Pietro della Valle fu morto il cavallo sotto. E per questo si mise in armi tutta Casa Orsina, e Casa di Messer Giorgio Santa Croce, & andarono a casa di Stefano di Francesco, e quando furono arrivati, trovarono, che s'era-

s'erano ftricati. E per Ponte furono fatti fuochi, e fi mife in armi molta gente gridando *Orfo, Orfo*. Alli 25. perchè fu fatto folo otto dì l'efequio del Papa, il Cardinale di San Marco volle gli fuffe fatto il nono; e così fu fatto, e cantò la Meffa il Cardinale Maccone nella Capella, dove fta il corpo, e furo meffe nel Ciburio certe torcie fenza le altre fiaccole. Et in quefto dì fi partì la Conteffa da Caftello, & entrarono là dentro fette Cardinali, i quali lo providero di ogni cofa, e lafciaronvi Caftellano il Vefcovo di Todi; e Meffer Francefco fratello del Camerlengo ad iftanza del Collegio; e il Camerlengo promife a tutto il Collegio di confervare il Caftello al Pontefice nuovo fotto pena di ribellione, perdita degli offizj, e del Capello. In quefto dì venne la nuova, come il Signor Diofebo era entrato in Ronciglione, & in Vetralla, chiamato dagli uomini della Terra, ma non aveva potuto avere le Rocche. Alli 26. fi cantò la Meffa dello Spirito Santo nanzi i Cancelli dell'Altar Maggiore di San Pietro dal Cardinale di San Marco, e poi entrarono i Cardinali in Conclave. In quefto dì venne la nuova, come il Signor Diofebo ha avute le Rocche delle Terre dette. E diffe l'Orazione Meffer Guglielmo Pertia Auditore di Rota. Et in quefto dì fi attaccarono quelli di Cafa Colonna co i Contefchi per una cafa da fieno, che fta a Monte Magnanapoli, che era del Conte Jeronimo, del quale ne pigliavano quelli di Cafa Colonna, e i Conti; ma i Conti, acciò i Colonnefi non ne pigliaffero, vi attaccarono fuoco, e vi fu gran rumore. E Cafa Orfina venne in foccorfo de' Conti, ma trovò che era finita la baruffa. E quefto dì a ore 22. andò a Palazzo il Cardinale di Frafcati Focari, & entrò in Conclave, il quale non era ftato all'efequio per la fua infermità. Et in quefto dì entrarono fino a i 600. fanti Aquilani, Norcini, e Cafciani a favore di Cafa Colonna, e fi pofarono in Santo Apoftolo. Alli 27. fu fatta la Proceffione per tutte le Chiefe, eccetto le Cardinali, e partironfi da San Pietro, & andarono a Palazzo, e diedero la volta dal Palazzo, & ufciro per l'altra Porta. In quefto dì fi mife in arme Cafa Orfina con tutta la loro gente; finfero di andarfene, ufciro la Porta, e fubito tornaro gridando, *Orfo, Orfo*. Alli 28. ftettero i Cardinali in fcrutinio fino alle 17. ore, di modo che fu detto, che era fatto il Papa, e fi diceva, che era il Cardinale di San Marco; ma poi fi feppe che non era vero, quando tornarono le cornute, che avevano portato da cena. Alli 29. fu fatto Papa Innocenzo Ottavo, il quale era Cardinale di Molfetta di nazione Genovefe, e fu creato la notte paffata circa le fette ore. Vidilo entrare in San Pietro e far le cerimonie confuete. Et in quefto dì entrò il Signor Diofebo (*) in Roma, & andò ad alloggiare in Traftevere in cafa fua, e nel dì medefimo andò a Palazzo al Papa, e portolli le chiavi delle Terre, che fe gli erano date, e con lui andarono tutti i Signori di Cafa Colonna, e Savelli. E la fera furono fatti fuochi, e fuoni di campane. E perchè di fopra non ho detto delle cafe de' Cardinali, tutte s'erano meffe in fortezza con bertefche; e cafa del Vicecancelliere aveva due baftioni, uno dalla porta dinanzi, e l'altro dal giardino; e vennero in Roma circa 800. cerne de' contadini di Tagliacozzo e d'Alvi. Alli 30. andò a Palazzo il Cardinale Savello col Signore Mariano, e con molti altri Cittadini, & andò il Cardinale Colonna con tutti i Signori di Cafa Colonna, e con Francefco, Pietro, Stazio, & Antonio della Valle con molti altri Cittadini. Alli 31. andò a Palazzo Stefano Crefcenzi con Mariano fuo figlio, con una brigata a piede & a cavallo armati, mandato a cercare dal Papa per far fare la pace. A dì primo Settembre fi cominciò a trattare la pace, e partirono tutti i Signori di Cafa Orfina. Alli due partì di Roma Francefco della Valle per comandamento del Papa, che doveffe ire fuora per un Mefe. Alli 3. andò il bando dell'arme, e molti le pofarono. Alli 5 fu fatta la triegua di Cafa della Valle co i Santa Croce, e con Stefano di Francefco per tutto il Mefe di Novembre proffimo. Alli 6. cominciarono tutti i detti brigofi ad andare per Roma foli fenza armi. Alli 7. fu ammazzato un Palaferniere del Cardinale Orfino da i famigli di ftalla del Cardinale Colonna fenza faputa de i Signori; e con tutto quefto il Papa lo feppe, & ebbelo molto a male. Alli 10. andò il comandamento, che tutti i Baroni fi partiffero da Roma per lo dì della Incoronazione; e partì il Signore Fabrizio, e il Signor Profpero, e partirono tutti di Cafa Orfina. Alli 11. andò il bando, che tutti i diffidati fi doveffero partire di Roma. Alli 12. fu fatta la Coronazione di Papa Innocenzo. Il dì detto morì il Cardinale Maccone uomo dabbene. Alli 24. venne l'Ambafciatore di Lucca, & entrò con molto onore, e dopo la Coronazione furono fatte molte giuftizie quafi ogni dì. Alli 19. di Ottobre entrarono in Roma molte genti del Duca di Calabria, le quali erano ftate alla guerra di Ferrara, & il Papa fece loro le fpefe. Alli 20. entrò in Roma il Duca di Calabria accompagnato da molta gente e da venti Cardinali, & andò ad alloggiare in Palazzo. Alli 21. certi di Cafa Colonna diedero delle ferite ad un'uomo d'arme ...... nella Piazza di San Pietro, e vi corfe la guardia del Papa per pigliarli, ma fi falvarono in Santa Caterina, dove ftava il Prefetto. Il ferirono, perchè fparlava di Cafa Colonna. Alli 22. fu un'altra gran baruffa tra' Conti, e Colonnefi, e ve furono feriti e morti molti, e tra gli altri uno della Zecca. Alli 23. morì il Cardinale di Milano. Alli 26. partì il Duca di Calabria accompagnato da 20. Cardinali; e quefto dì in poi quafi ogni giorno fi faceva gran giuftizia. Alli 31. morì il Senatore. Alli 21. Novembre morì il Cardinale di Girona Spagnuolo. Alli 23. in quefto dì fi avvidero i Canonici, & altri Preti di San Giovanni Laterano, che era ftato rubato il Regno di Santo Silveftro, & doi Calici d'oro mafficcio, i quali erano venuti da Francia, dal luogo, dove ftanno le Reliquie. E per quefto furono pigliati Meffer Belardino da Stramofcia, e Tomao della Palma, e menati in Tor di Nona. Alli 3. di Dicembre nella notte paffata gli uomini di Trejo rovinaro un muro fatto dal Cardinale Santo Agnolo, il quale occupava circa palmi quattro della ftrada pubblica. Alli 9. andò Papa Innocenzo a Santa Maria del Popolo, & entrò l'Ambafcieria de' Fiorentini affai bene accompagnata, e con

(*) *Muratorius*: hæc addita recentiori charactere leguntur in margine: *Credo fia Ridolfo dell' Anguillara, che volle ammazzare Re Fernando.*

con loro venne il figlio di Lorenzo de' Medici. Alli 10. morì Stefano Arcione Caporione di Campitello. Alli 22. venne l'Ambascieria del Re Fernando, e venne il figliuolo Don Gianfrancesco molto bene in ordine, e tra gli Ambasciatori venne il Signore Antonio Duca di Melfi, e il Conte di Marconi, & altri Signori. Alli 25. *Nativitas Domini*, Papa Innocenzo diede la Spada, e il Capello a Don Gianfrancesco figlio del Re Fernando, e tornò da Palazzo con la detta Spada e Capello, che la portava un Cavaliere, e lui veniva accompagnato dal fratello Cardinale di Aragona. Alli 27. Papa Innocenzo fece Capitano della Chiesa il Signor Giovanni nipote di Papa Sisto, e fratello carnale del Cardinale San Pietro in Vincola, e diedegli il bastone in San Pietro con molte solennità; & andò il detto Capitano da San Pietro a Santo Apostolo accompagnato da molti Signori, tra i quali non vi fu nessuno di Casa Orsina.

Anno 1485.

Alli 6. di Gennajo fu canonizzato San Leopoldo Alemanno Duca d'Austria dal Papa in San Pietro con molta solennità, e vi andarono tutte le Chiese processionalmente. Alli 10. Febbrajo fu fatta la festa de' Naoni molto solenne, & andò da Campidoglio fino a Palazzo in pace. Alli 12. fu fatta la festa in Testaccio in pace, e non furono dati due Palii, cioè il secondo e il terzo per male mosse; e Sebastiano mio fratello vi perdè il mantello, il meglio che avesse. Alli 14. andò il bando, che i Palii si dovevano correre il Martedì seguente da Campo di Fiore fino a Santo Pietro. Alli 15. furono corsi i Palii; uno ne hebbe il Protonotajo nipote del Vicecancelliere, cioè il secondo; l'altro ebbe Cristofano del Bufalo. Alli 26. furono banditi i Grossi Lucchesi, perchè si dice, che i Lucchesi hanno alzate le bandiere de' Veneziani. Alli 15. di Marzo fu levato per Roma il rumore, che Papa Innocenzo stava molto male per morire: donde che i Mercanti di Ripa sgombraro tutte le loro robe, e il Signor Paolo Orsino pigliò Ponte Salaro, Ponte Lamentano, e Ponte Molle. Alli 16. fu l'ecliffe del Sole alle 21. ora, e durò un gran pezzo. Alli 17. la nuova della morte del Papa era incerta, e chi diceva di sì e chi nò; e gli Orsini tenevano i Ponti, e molti si cominciarono a mettere l'armi, come si fa in Sedia vacante. Alli 19. non contenti gli Orsini di nuovo pigliarono Ponte Lucano, e tagliarono il Ponte di legname di Ponte Molle, e lo lasciarono andare in fiume, dicendosi per Roma, che il Papa fusse morto. Alli 20. il Papa diede la Rosa, avvegna che sia Domenica di Passione, perchè non l'aveva potuto dare la Domenica prima per la infermità sua; e diedela all' Ambasciatore di Francia; e fu detto, che i Cardinali videro il Papa. Alli 21. si dice, che il Papa stava bene, e i Ponti si lasciarono. Alli 31. non fu fatta Benedizione, nè cerimonie per l'infermità del Papa. Alli due di Aprile non furono fatte le cerimonie per la infermità del Papa, & andò il bando, che voleva fare la Benedizione. Alli 3. la Pasqua, fece la Benedizione il Papa da una finestra del Corritore, & il Popolo il vide. Alli 7. venne l'Ambascieria di Genova, e furono dodici bene in ordine. Alli 11. ebbero audienza i detti Ambasciatori di notte.

Alli 12. giunse in Roma Messer Giovanni Bentivogli da Bologna con 150. cavalli, che veniva da Santa Maria di Loreto, e vestiva lui con tutta sua gente di berrettino. Alli 18. fu trovato in un Casale di Santa Maria Nuova sopra Capo di Bove un corpo intero in un Pilo di marmo. Alli 19. Martedì fu portato il detto corpo in casa de' Conservatori, & andava tanta gente a vederlo, che pareva vi fosse la perdonanza. E fu messo in una cassa di legname, e stava scoperto. Era corpo giovenile, mostrava da quindici anni, non gli mancava membro alcuno, aveva i capelli negri, come se fusse morto poco prima. Aveva una mistura, la quale si diceva l'aveva conservato, co i denti bianchi, la lingua, le ciglia. Non si sa certo, se fusse maschio o femmina. Molti credono, sia stato morto degli anni 170. Et in questo dì venne l'Ambasciatore di Bretagna. A dì primo di Maggio San Filippo e Jacopo, fu fatta la festa in Santo Apostolo, e predicò un Fraticello di 13. o 14. anni, che fece meravigliare ognuno. Et in questo dì andava per Roma un'Eremita a cavallo ad un Bove, domandando limosina. Alli 13. fu ammazzato Bartolomeo Santa Croce in casa sua: ammazzollo Paolo Margano, il quale andò vestito da Lombardo; portava un fascio d'erba su le spalle, e dentro del fascio portava la spada. Alli 27. vennero gli Ambasciatori di Venezia, Milano, e Ferrara insieme, furono dodici per uno. Alli 30. fu degradato un Frate di San Francesco alle scale di San Pietro, perchè falsava monete: e per questo atto furono fatte ferie in Campidoglio. Alli 31. fu appiccato il Frate. Alli 9 Giugno, se dice, che Don Federico aveva preso Pesaro. Alli 14. fu tagliata la testa e la mano ad uno Schiavone di quelli, che avevano ammazzato Valeriano Trajapane. Alli 18. fu fatta la medesima giustizia di un' altro Schiavone per lo medesimo conto. Alli 22. venne la nuova, che il Signor Prospero Colonna aveva preso Frascati, e pigliovvi il Signore Jeronimo Tuttavilla, e la madre, e Messer .... e tutti furono lasciati, eccetto il Signore Jeronimo, che il tengono prigione, e sono andati per pigliare l'altre Terre di Tuttavilla. Alli 25. la nuova, che non hanno pigliato niente, & evvi stato ferito il Signor Fabrizio Colonna, & il Signore Antonio Savello, e due suoi fratelli. Alli 26. la nuova, che hanno avuto Genazzano, e la Terra di Cività, ma non la Rocca. Alli 29 che quelli di Casa Orsina ruppero a Cività Nevina il campo de' Colonnesi. Alli due di Luglio andò Papa Innocenzo a Santa Maria del Popolo. Alli 3. la nuova della preda, che hanno fatta gli Orsini a Sermoneta, e la nuova, che il Duca di Calabria ha preso il Conte di Montorio. Alli 16. questo dì andò il bando, che si dovessero far fuochi, e sonar campane per una vittoria, che aveva avuta il Re di Spagna contra il Re di Granata. Alli 18. in questo dì fu fatto Legato de Bologna il Cardinale Ascanio. Alli 20. Mercordì i Signori di Casa Colonna con circa 300. cavalli leggieri e 400 fanti entrarono in Roma, e passarono per Trastevere, & uscirono per Porta Turrione, & andarono nella Trasteverina. Fu fatta una grandissima preda; pigliarono circa 500. capi di bestie grosse, e 113. persone, cioè villani delle Terre di Casa Orsina: di che il Papa ne fu molto sdegnato,

e mandò a dire al Signor Paolo, che si appressasse a Roma co i fanti; e il detto Signor Paolo venne a Ponte Mammolo, e lì si fermò con la sua gente, e il Papa gli mandò la vettovaglia. E mandò il Papa verso Ostia, acciò i Colonnesi non potessero ripassare, e menar la preda, il Signor Jacomo Conte con tre squadre di gente d'arme, e Messer Domenico Doria con tutta la guardia del Palazzo. E mandò un Breve a i Signori Colonnesi, che dovessero andare a Palazzo, e consegnar la preda al Capitano della guardia. E così fu fatto: lasciarono la preda in mano del Capitano e i Signori vennero a Palazzo il dì seguente. Alli 23. i Signori Colonnesi erano ancora in Palazzo, & il Papa aveva mandato pel Signor Virgilio, e pel Signor Paolo Orsino, che dovessero venire in Roma, e pel Signore Jeronimo Tuttavilla, il quale aveva fatto rilasciare. Alli 24. entrò in Roma il Signore Jeronimo Tuttavilla, & andò in Palazzo, & i Signori di Casa Colonna se ne andarono alle case loro. Alli 25. il Papa fece levar le difese a tutte due le parti per volere rimediare. Al primo di Agosto fu portata la Madonna di Santo Agostino a Santo Pietro in Vincola, la quale venne da Costantinopoli per mare: questo fu per la peste. Alli due fu portata detta Madonna da i Frati di Santo Agostino, e dalla Compagnia del Confalone da San Pietro in Vincola a Santo Apostolo. Alli tre fu portata da Santo Apostolo a San Silvestro. Alli 4. da San Silvestro a San Lorenzo in Lucina. Alli 5. da San Lorenzo a San Celso; e di lì a San Lorenzo e Damaso; da San Lorenzo a Santa Maria in Monticelli; di là a Santo Stati; da Santo Stati a Santo Janni di Mercato; di lì a Santo Agnolo; da Santo Agnolo a San Nicola in carcere: da San Nicola a Santa Maria in Trastevere; di lì a San Gusmato, dove stette forse un' ora, e tornò a Santa Maria. Alli 14. dopo essere andata la Madonna di Rione in Rione, e consegnata sempre da quelli del Rione, dove era stata la notte, a gli altri dove andava, fu portata a Santo Pietro; e come fu fuora del Rione di Trastevere per Ponte Sisto, la portarono la Compagnia de' Battuti de' Fiorentini; e Papa Innocenzo concesse, che si cavassero sei prigioni. Alli 15. fu fatta la festa in pace. Alli 19. andò il bando, che Domenica mattina, che erano li 20. si doveva portare la Madonna da San Pietro a Santa Maria Rotonda, che tutta la Chericia, Fraternite, e Compagnie co i loro fiaccolini, e i Caporioni con Cittadini la dovessero accompagnare; e di lì nel Martedì venendo l'accompagnassero a Santo Agostino: e così fu fatto. Alli 28. Domenica venne il Signor Virginio Orsino in Borgo, & entrò in Palazzo a parlare al Papa, e stette circa un' ora, e poi tornò indietro, e non entrò altramente in Roma. Alli 29. la Creazione di Papa Innocenzo: furono fatti fuochi, & illuminata la Città.

Alli 9. di Settembre fu ammazzato Messer Paolo della Valle alla Porta di casa sua con un pugnale velenato: lo ammazzò Valeriano Santa Croce figlio di Prospero, & andò travestito fingendo vendere bicchieri. Alli 11. andò il bando della festa della Coronazione di Papa Innocenzo; disse il bando Lionardo di Primafoglia, & uno Spagnuolo gli tolse il bando di mano, e stracciollo, e vi salì co i piedi sopra; e il banditore con certi altri pi-
A gliarono lo Spagnuolo, e il menarono in Tor di Nona, dove fra due ore gli furono dati quattro tratti di corda in istrada. Alli 5. di Ottobre fu preso Menico famosissimo ladro a Santa Agnese. Alli 17. morì il Cardinale di Ragona, figlio del Re Fernando Re di Napoli, la notte passata, e fu portato il corpo a Santa Sabina in deposito per essere portato a Napoli. Alli 23. l'Arcivescovo di Fiorenza andò a Fiorenza mandato dal Papa. Alli 25. dì di Santa Caterina, fu grande crescenza di fiume *adeo* che venne l'acqua nella strada di Tor di Nona, e toccava il muro del forno; e la notte seguente sboccò la Chiavica di Giovanni Bonadies, e venne l'acqua fino al Banco
B de' Medici, e il fiume di Santo Spirito si giungeva con quello di Prata, *adeo* che non si poteva passare per lo ammattonato. Alli 30. fu fatto Confaloniere il Signor Roberto da San Severino, e il Papa gli diede in San Pietro gli stendardi della Chiesa, e gli fu fatto molto onore; e tornando da San Pietro portò addosso un Piviale di Broccato d'oro, & in testa come un Regno imperlato, & in mano portava come una bacchetta da Senatore, la quale era tutta d'oro con certo lavoro da capo, & andò a mangiare col Cardinale Balù, il quale fu fatto Legato sopra la guerra contra il Re di Napoli. E la notte innanzi entrarono in Capo di Bove, & a Casal Rotondo
C genti di Casa Orsina. E le genti di Civita il dì innanzi fecero gran preda di bestiami de' Cittadini, che stavano a Campomorto; e quelli, che erano venuti a Casal Rotondo, e a Capo di Bove avevano fatto preda nel Lazio. Et in questo dì medesimo il Signor Paolo Orsino pigliò Ponte Lementano, il quale teneva Brizio di Santo Apostolo; e il detto Brizio fu pigliato e menato in Castello. Et in questo dì cavalcarono certi balestrieri del Signor Roberto con alcuni della guardia del Papa, e molti Cittadini, & andarono a Casal Rotondo, e pigliarono quelli, che vi stavano, i quali furono tredici balestrieri a cavallo; e quelli di Capo di Bove si partirono la not-
D te vegnente circa le quattro ore. Et andarono il Capitano della Guardia, il Cardinale San Pietro in Vincola, il Savello, e il Colonna con molta gente armata, ed entrarono in Monte Giordano, saccheggiarono ogni cosa, e misero fuoco, e fecero saccheggiare certe casette da lato, & ancora casa di Messer Francesco da Castello. Al primo di Dicembre andarono gli Offiziali & altri Cittadini al Papa pregandolo volesse rimediare, che si diceva dovevano i Colonnesi venire a saccheggiar Ponte, e che non si truova pane; e la Santità Sua disse, che non si dubitasse, che non si faria novità nella Terra, e che ognuno attendesse a fare buone guardie; e che i Conservatori facessero ben guardare la casa loro, e il
E Campidoglio; e che i Caporioni dovessero per li Rioni loro far buone guardie e fuochi; e che voleva dar danari a tutti gli Offiziali per poter supplire, di modo che la sera io tra gli altri andai col Caporione, il quale era Cola Bonaventura, e fu fatto il fuoco nel porticale di Santo Celso; poi andammo una volta per Roma, cioè per lo Rione, & andammone a casa.

Alli 2. seguitano le prede gli Orsini, e tengono il Ponte Lementano; e fu detto, che veniva il Duca di Calabria. Alli 3. non fu tenuta ragione in Campidoglio, e furonvi messi i

si i fanti in guardia; & andò il bando, che tutti i diffidati potessero ritornare, e servire alla Chiesa, con questo che quelli, che erano diffidenti per omicidio, avessero la pace della parte. Alli 4. il simile delle prede, e del Ponte; e il Cardinale Savello, e Colonna andarono rivedendo le mura di Roma con molta gente armata; e il Cardinale Colonna portava una veste di velluto nero con un gabbano di rosato senza rocchetto col Cappello. Alli 5. il simile delle prede e del Ponte, di modo che nullo Casengo nè Mulatiere andavano per legna, e domandavasi della soma di legna Carlini quattro, ovvero Bolognino uno del pezzo, Bolognini dodici del boccale dell'Olio, nè si trovava pane. Alli 6. gli Orsini hanno messo fuoco in Monte Rotondo. Alli 7. pochi Cittadini Romani sono, che non sieno stati predati fino a questo dì. A Santo Spirito non è rimasa bestia alcuna. Alli 8. scorrono ogni dì tutto il paese fino alla Porta di Roma; & in questo dì furono tagliati gli Olivi della Vigna mia da certi Spagnuoli, in modo che avemmo da essere alle mani con loro, & ebbimo pazienza. Alli 9. il medesimo delle prede, e del Ponte; e fu detto della morte del Re, e che il Duca di Calabria era tornato addietro: non so se sia vero. Morì Alariano di Menico de' Tebaldi. La nuova della morte non fu vera, nè che il Duca tornasse addietro. Alli 13. La notte innanzi furono gli Orsini a Porta Pinciana per pigliarla, dove tutto il Rione di Colonna, e di Trejo furono in armi. Et in questo dì cavalcò il Cardinale Colonna, e il Signor Roberto con molti armati verso la Porta, *adeo* che si levò la voce, che si combatteva alla Porta. Gran quantità di Romani uscirono fuora armati, e non fu niente, e i nemici si menarono le vacche di Augustino Jacovisse, e il bestiame de' poveri Cittadini. A chi n'era rimaso qualche capo, stavano in Testaccia, a Cerchio, & a San Silvestro, tutti dentro le Porte, e si morivano di fame solo con un poco di fieno; e la notte si andava per la Terra con molta gente facendo la guardia. Alli 14. fu detto, che i nemici avevano pigliato il Borghetto di San Pietro sopra prima Porta. Et in questo dì fu pigliato Cencio de' Rustici, e Bernardo della Rosa, e menati in Campidoglio; e più dì fa fu preso Bernardo Mastro Antonio e messo in Castello, il quale ha avuta la corda; Cencio fu messo in Castello, e Bernardo della Rosa in Campidoglio. Alli 16. fu pigliato Messere Aniello Ambasciatore del Re e fugli saccheggiata la casa, e lui menato in Campidoglio da i Signori Conservatori di Roma; e non fu senza commissione del Papa. E vennero i Signori di Casa Colonna col Signor Cola Gaetano a Marini. Alli 17. fu menato Messere Aniello da i Conservatori a Palazzo, e lì il lasciaro: credo sia mandato in Castello; e i Signori di Casa Colonna vennero la notte innanzi a Roma, e menaro cinque squadre d'uomini d'arme a Roma, e venne anche Francesco della Valle. Alli 18. andò il Signor Roberto co i Signori di Casa Colonna a Ponte Lementano, e disse il Signor Roberto a quelli di Ponte, che si volessero rendere. La risposta, che diedero, fu col passavolante. Alli 19. fu appiccato Bernardo della Rosa alle finestre della scala di Campidoglio per omicidio, ladroneccio, & altri delitti ventitrè. Alli 20. quelli di Pon

A te s'approssimano più alle mura di Roma, perchè le genti della Chiesa sono a Rignano. Alli 22. venne la nuova che il Signor Francesco aveva pigliato Bassano, e saccheggiatolo; e la notte innanzi fu saccheggiata la casa di Romanello Persicone, e di Messer Celso Mellino ne i Monti. Alli 23. vennero le genti del Signor Roberto a Castelnuovo senza impedimento. Alli 24. entrarono in Roma trenta squadre di cavalli del Signor Roberto, tra le quali vi furono cinque figliuoli del detto Signore, cioè due legittimi, e tre bastardi. I legittimi furono Fracasso, & Antonio Maria. Entrarono, che era circa un' ora e mezza di notte; e Fracasso alloggiò a Monte

B Giordano, e le altre genti per Roma, cioè a Santo Janni, Santa Maria maggiore, & altri luoghi. Fu detto l'Offizio, il quale si dice la notte di Natale, a 23. ore, e la prima Messa all'Aurora per le ruberie, che si facevano. Et avvegna che sia assediata, e con le porte serrate, non è carestia di grano, che i Caporioni lo danno a' Panatieri di commessione del Papa a venti Carlini il rubbio; & in Campo di Fiore alla abbondanza per Carlini 15. Dell'altre cose non domandare: un' uovo per un bolognino; cinque quattrini la libra della Vaccina; un bolognino la libra del Porco; sei quattrini il Castrato; e tanto la Vitella grossa. Vennero con le dette squadre circa

C mille fanti.

Anno 1486.

Alli 25. *Nativitas Domini*, non fu data la Spada nè il Cappello. Alli 27. le genti del Signore Roberto, cioè le trenta squadre fecero la mostra, e vennero da Campo di Fiore, & andarono a Palazzo con molta fanteria, & fuvvi quasi tutta Roma a vederla. E nella Piazza di San Pietro il Signor Roberto, & i due figliuoli legittimi corsero le lancie; e Papa Innocenzo stava a vedere; e poi il Signore co' due figliuoli entrarono in Palazzo, & andarono dal Papa, il quale fece

D loro molte carezze, e baciolli, dando loro una scarsella dorata per uno con danari dentro. Et in questo dì partirono le bombarde grosse con due passavolanti da Castello, & andarono verso il Ponte Lamentano. Alli 28. giunsero le bombarde grosse al Ponte, e furono piantate; ma non tirarono, perchè il Ponte fu preso per battaglia da mano datogli tre volte la scaramuccia, volli dire l'assalto; e non potendo più quelli di dentro si renderono a discrezione, e calarono giù basso. E perchè il Bombardiere aveva tratto di un' archibugio al Signore Fracasso nella bocca, e feritolo malamente, gli furono tagliate le mani; e gli altri suoi compagni vedendo ta-

E gliar le mani al Bombardiere, cinque se ne buttarono in fiume. Allora i Roberteschi ne tagliarono a pezzi una brigata, e de i cinque del fiume due ne annegarono, e tre ne furono ammazzati; e tra tutti, nove furono ammazzati, due annegati, e cinque camparono, e gli altri fino al numero di ventidue, che stavano nel Ponte, restarono feriti e spogliati. Alli 29. andai a vedere il Ponte, che era riavuto, e voltai a Ponte Salaro, e vidi certi passavolanti fitti nel muro.

Alli 4. di Gennajo uscì fuora il Signor Roberto con 22. squadre di cavalli e molta fanteria, & andarono a campo a Lementana, e il

e il primo dì andarono a Santa Agnese, e cominciarono ad avviare le bombarde. Alli 5. giunse il campo a Monte Gentile, & alloggiò; trovovvi molto legname lavorato, e molte tavole; e venne la nuova, come il Re di Napoli aveva perduto Barletta in Puglia, e l'aveva pigliata il Principe di Altamura. Alli 6. la nuova della pace tra' Fiorentini, e Genovesi, e del Contado d'Alvi, che s'era dato alla Chiesa, eccetto le Rocche, e che v'erano entrati gli Aquilani dentro per la Chiesa; e giunse il campo a Lementana. Alli 7. venne la nuova, che è stato pigliato il borgo di Lementana, & era stato pigliato il dì innanzi; e fuvvi guadagnato di molto grano, orzo, e spelta, in modo che lì si vendeva Carlini cinque il rubbio, e per cinque ducati il pozzo pieno. Alli 8. venne la nuova, che l'altro campo della Chiesa, che sta in Abruzzo, è andato a Città Ducata con molti Aquilani. Cominciò, al tardo, cioè la notte, a dar la bombarda in Lementana. Alli 9. fu cominciato a tener ragione nel reclaustro de' Conservatori. Alli 10. fu data una battaglia a Lementana al tardo; & in questo dì manda a dire il Cardinale Orsino al Signore Roberto, che gli voleva parlare. Alli 11. fu avvuta Lementana a patti, salve le robe e le persone; & andò il Cardinale Orsino a parlare al Signore Roberto. Alli 12. fu levata voce, che si faceva la pace, cioè il Cardinale Orsino, i fratelli carnali, e consobrini, e l'Arcivescovo di Fiorenza, & il fratello col Papa; e che il Conte di Pitigliano era venuto a Baccano con 14. squadre di cavalli e fanti, & il Cardinale Orsino aveva da venire a Roma. Alli 13. venne a Roma il Cardinale Orsino col Signore Roberto, & andarono dal Papa in Palazzo, e lì si posò, e non ebbe audienza. Alli 14. ebbe il Cardinale audienza dal Papa, e furongli fatte molte carezze, di modo che si accordò di mettere genti del Papa nella Badia di Farfa, e Monte Rotondo. E vennero a Roma certi Oltramontani, i quali furono tutti spogliati da gente, che stava col Signore Roberto in questo modo. Il figlio del Signore Roberto, il quale stava a Sutri con dieci squadre di cavalli afficurò questi Oltramontani, e fece loro pagare Ducati due per cavallo, onde si partirono tre delle sue squadre, due di gente d'arme, & una di balestrieri senza saputa del detto figlio, e cominciarono a gridare *Orso*, e spogliarono i detti Oltramontani fino alle camice; e così gridando *Orso* se ne fuggirono, & andarono al Signore Virgilio Orsino, e lì rimasero. Fu detto, che togliessero loro di valuta di sette mila ducati, e menarono uno degli Oltramontani prigione in Formello. Alli 15. si partì il Cardinale Orsino col Signor Roberto, & andò a mettere gente della Chiesa ne i sopradetti luoghi. Alli 16. fu detto, che il Duca di Calabria se ne sia andato verso Piombino per suspizione e paura. Alli 17. fu raffermato il detto del Duca di Calabria. Alli 21. fu in Roma gran bisbiglio. Vennero circa trenta cavalli leggieri del Conte Nicola da Pitigliano per ripigliare certa quantità di pecore, che avevano predate i fanti della guardia, e seguitarono quasi fino alla Porta di Palazzo; e fu levato rumore, che era morto il Papa, e quasi tutta Roma fu in arme; e fu cosa molto pericolosa, e si crede fusse fatta a posta. Alli 22. venne

A nuova, che il Signore Fabrizio Colonna aveva preso il Contado d'Alvi parte per forza, e parte resi. Alli 24. fu la costione tra Bartolomeo del Cavalieri, e Cola Jacovaccio in Campidoglio sotto il Palazzo de' Conservatori. Alli 25. venne la nuova, che il campo della Chiesa aveva passato il fiume, & era andato a campo a Turrita. Alli 28. i fanti della guardia fecero prede all' Isola e Galera, e menarono circa otto migliaja di pecore; e venne la nuova, come Turrita s'era data alla Chiesa. Alli 29. la notte innanzi vennero certi cavalli leggieri degli Orsini con certe squadre e fanti per ripigliare la preda delle pecore, e vennero fino a Porta Viridaria, e

B lì misero fuoco. Avvegna che bruciasse poco, tutto il borgo andò in arme, il Papa si levò da letto, e tutti gli uomini di Palazzo si misero in arme. E gli Orsini come ebbero messo fuoco, si menarono circa 200. capre di un povero Corso, e dieronsi in fuga. E furono vendute le dette capre da i detti soldati all' ingrosso, & a minuto davano per bolognini dodici, e quindici il capo, di modo che pochi erano i grifaldi, che ne portassero qualche una. Alli 30. venne la nuova, che è stato pigliato Folacciano, e che il Signore Fabrizio Sparello s'è partito con due squadre sue dal Signor Virgilio, & andatosene verso Regno con salvocondotto del Papa nostro

C benignissimo Signore. Alli 9. di Febbrajo tornò il Cardinale Orsino per restare, e smontò in Monte Giordano. Alli 11. andò parte del campo a Città Nevina, e vi andarono due bombarde grosse. Alli 12. andarono circa 20. fanti de' nostri per fare preda in quello di Ceri, & avendo fatta gran preda di bestiami, sopragiunsero i nemici, e ripigliarono la preda, & ammazzarono parecchi, e molti ne ferirono. Alli 13. condussersi i nimici per insino a Santa Maria del Riposo, poichè ebbero mandata la preda, in modo che fu rumore in Roma, che erano i nimici alla porta, e molti de' nostri uscirono fuora. Alli 14. fu certo rumore, che quelli di Fra-

D casso avevano rubato certe vitelle di quelli del Bufalo, e bastonati i vaccari, *adò* che quelli del Bufalo fecero gente, & andarono a casa di Fracasso, e furono alle mani con loro, ma non si fecero male. Alli 15. cominciarono a tirare le bombarde a Città. Alli 18. fu data la battaglia a Città, in modo che morirono circa trenta de i nostri, e molti feriti da quelli di dentro; morirono due della Terra, e ne furono feriti assai. Alli 19. si diedero quelli di Città al Papa a discrezione circa le 22. ore. Alli 20. venne la certezza, che Città s'era data a discrezione, e vennero a Roma il Signor Bartolomeo di Alviano, Giovan-Batista Caracciolo, & Anton

E Maria, & il Signore Prospero Colonna al Papa, e sua Santità li mandò in Castello per lo Corridore.

Alli quattro di Marzo fu pigliato Jacomo di Mastro Cristofano Ferraro a Monte Ritondo; fecelo pigliare il Cardinale Orsino, e fecegli dare di molta corda. Alli 7. fu strascinato il detto Jacomo per tutto monte Rotondo, & appiccato ad una noce fuor della Terra. Mandò il Padre per lo corpo con un mulo, e con la cassa, e ritornò senza, che il Cardinale nol volle rendere. Alli 11. certi uomini d'arme, e cavalli leggieri, e fanti della Chiesa pigliarono otto uomini d'arme

e sei

e sei fanti degli Orsini, e li menarono a Roma. Alli 16. si partirono quattro burchi per lo fiume, in cui andavano tre bombarde grosse, e negli altri due di molte artiglierie, e vettovaglia, & in guardia loro andarono due fuste di Monte Nero; una grande & una piccola. Alli 20. s'ebbe nuova, che i burchi sono arrivati al porto di Monte Rotondo. Alli 26. Domenica di Passione fu mostrato il Volto santo, e fatta la benedizione. Tutto Santo Pietro fu pieno di gente d'arme, e stavano parecchie squadre nella Piazza. Fuvvi giostrato; giostrò Jacomo Ciambetta con Luca da Riete. Alli 27. fu corso un Palio di broccato d'oro da Campo di Fiore fino a San Pietro: ebbelo Fracasso. Alli 28. fu fatta la festa della Nunziata. Alli 11. Aprile venne per lo fiume un burchio carico di roba, cioè panni, & altre robe di valore di circa otto mila ducati, & in sua guardia venne la Burchiella di Messere Gianfrancesco, e la fusta; il quale fu assaltato dal Signor Paolo Orsino, in modo che ne furono feriti di questi del fiume circa sette, e di quelli del Signor Paolo ne furono morti undici, e molti feriti; e non poterono i nimici far niente. Alli 20. vennero gli Orsini per infino alla Maddalena, e Santa Maria del Riposo, e saccheggiarono tutto il paese, e furono circa otto squadre di cavalli, e molta fanteria, in modo che i nostri ebbero paura di andarli ad affrontare. Alli 26. fu pigliato il Castellano, che stava nella Rocca di Santo Agnolo in Capoccia da i nimici; e poi andarono per poter avere la Rocca, dove stava il fratello del detto Castellano, e non la poterono avere, in modo che vi andarono tre squadre de' Signori da Correggio, e molti Stradiotti e fanti per ricuperarla, e fu ricuperata. Alli 10. Maggio venne la nuova di un fatto d'arme del Signor Roberto col Duca di Calabria, del che ne fece peggio il Duca, che perdè circa 38. uomini d'arme, e molti furono morti e feriti dall'una banda e dall'altra. Alli 25. *Jovis Corporis Christi*, fu corso il Palio da Campo di Fiore a San Pietro: ebbelo il Protonotajo Agnelli. Alli 30. venne l'Ambasciatore del Re di Francia e del Duca di Loreno. Alli 5. di Giugno fu fatto Legato il Cardinale di Santo Agnolo per andare in campo. Alli 7. tornò il Signore Roberto da campo con circa 300. fanti. Alli 13. si partì il Duca di Calabria da Cervetri, avvegna che non vi si accampasse; pigliò solo la Mola, e tennela un dì & una notte. E più dì prima s'era partito, donde era stato accampato di là da Toscanella, e partì per non potere più restare; e nella sua venuta pigliò Santa Marinella alla Marina; e di là pigliarono quel che vollero, e poi la lasciarono. Alli 16. accostossi il campo del Duca verso l'Anguillara, e lì fu fatta alcuna scaramuccia con quelli dell' Anguillara, di modo che di quelli del Duca ne furono morti e feriti; e per non volere stare a perdere tempo, si levarono di là, e vennero verso Roma. Alli 17. posossi il campo del Duca all' Isola con molti disagi, e grande carestia di pane e vino, in modo che vi erano moltissimi, che più dì non avevano bevuto vino. Et in questo tempo s'è molto ragionato della pace; e per rispetto della guerra sono state fatte molte are nella piazza di Santo Janni, e molti s'hanno fatto portare le greggie a Roma per paura. Alli 18. il Duca è pure all' Isola con tutto il campo, avvegna che alcuni cavalli leggieri sieno stati veduti appresso a Roma, e per infino a Prata; & il Signore Roberto la notte passata venne a Roma con circa cento balestrieri, e lasciò le genti sue al Lago di Vico. Alli 19. cominciarono a fuggire dei fanti del Duca per la carestia del pane; e dicesi per tutto, che il Duca ha in campo sessanta squadre di gente d'arme, sedici di balestrieri, dugento cavalli leggieri, e tre mila e cinquecento fanti, e che sia accostato verso Roma per potere passare, & andare in Reame, e che sta in isperanza di pace; e della pace si fanno molte scommesse. Alli 20. il campo del Duca venne a Porcareccia, e stesesi per la Magliana; e per la detta carestia massime del vino fuggono molti fanti. Alli 22. *ad idem*, & oltre i fanti fuggirono alcuni uomini d'arme. Alli 24. andai a vedere i ripari fatti alle mura di Palozzola, e calai in Palozzola, e nel Monte di Palozzola vi sono circa cento alloggiamenti di soldati; e non mi bastò l'animo d'andare alle Vigne, che ebbi paura. E sono stati fatti due bastioni, l'uno sopra le Vigne di Messer Coronato, e l'altro sotto, dove mancavano le mura. E tutto il dì si fanno ripari, & è stato innalzato il muro de' Torrioni. Alli 25. la rissa della famiglia del Vicecancelliere co i Roberteschi: durò circa un' ora, e ne furono morti tre, e molti feriti. Alli 26. *ad idem* il detto campo del Duca, & è stata fatta una bastia ad Ostia nella foce già più dì; & è stato levato il Ponte di legname di Ponte Molle, cioè quello di fuora. Alli 27. *ad idem* del campo; e perchè di sopra non ho fatto menzione della festa di Santo Janni, che si solea fare, non fu fatto fuoco, non che altro. Alli 28. *ad idem*, in modo che è stato stimato, che tra i fanti del campo del Duca, e quelli della Chiesa, e forestieri, sieno circa sei mila. E Lunedì, cioè alli 26. venne nuova, che era stato garbuglio nell' Aquila, e mortavi di molta gente.

Al primo di Luglio furono confermati tutti li Offiziali, che erano Conservatori, Batista Arcioni, Vangelista de' Rossi, e Gentile della Palma. Et in questo dì venne la nuova, come il Signor Paolo Orsino, e il Conte di Pitigliano avevano passato il fiume, & erano entrati in Monte Rotondo con circa dodici squadre per passare nel Lazio. Alli due fu confermato il detto, che il Cardinale Orsino è prigione, & è preso Leprignano; ma le tengo per bugie. Alli quattro *ad idem*, e molte più bugie, che non iscrivo. Alli cinque il Duca di Calabria si dice ha pigliato Leprignano, e certe altre Castella di San Paolo, e fu vero. Alli sei il Papa diede danari a' soldati, e fu detto, che il Signor Prospero Colonna ha pigliati circa quaranta cavalli di Trojano Savello, e feritolo. Alli 7. fu detto, che il Duca aveva pigliato il Borgo San Leonardo, e non fu vero. Alli 9. fu messo prigione in Castello l'Abate di San Paolo, perchè aveva fatto rendere Nazzano al Duca. Alli 15. fu attenagliato, mozzo la mano, e squartato Alberico da Modena, perchè aveva voluto assassinare il Signor Vicino Orsino. Alli 16. la gente del Tolentino pigliarono villani, bovi, e bufale di Monte Rotondo, e pigliarono il fratello del Signore Paolo Orsino. Alli 17. andarono tre squadre de' Corregeschi per infino a Monte Rotondo a cor-

a correre, & andaronvi di molti fanti con loro, e passarono per Roma. Alli 19. la notte passata partì da Roma il Signore Roberto con tre squadre, e molti fanti, & andò nel campo della Chiesa. Et in questi dì gli Offiziali di Roma, cioè Caporioni, e Maniscalchi andarono per le piazze, dove si vendono frutti, & in Naona, ordinando che i Lombardi non mettessero la carestia nelle frutta, e spezialmente ne i Meloni. Alli 25. giunsero nel Campo della Chiesa il Protonotajo Torello con quattro squadre di uomini d'arme, & una di balestrieri a cavallo, e così venne la nuova. Alli 30. la nuova, come il Signor Fabrizio Colonna col Signore Antonello Savello pigliarono Paolo Vitelli Conduttiere di Casa Orsina con 80. cavalli, e molti ne furono feriti di quà e di là; e fu alle Cese del Contado d'Alvi. Alli due di molto si ragiona della pace.

Alli V. andò il bando della prorogazione della festa di Santa Maria alli 8. di Settembre. Alli 7. la notte innanzi venne Messere Gian Jacopo de' Trivulzi al Papa per trattare la pace, e stette circa tre ore col Papa, e poi se ne tornò addietro. Alli 8. della pace per tutto se ne ragiona. Alli 9. ritornò il detto Messere Gian Jacopo al Papa. Alli 11. il Cardinale di Napoli andò a Palazzo circa l'ora di pranzo con alcuni altri Cardinali, & in questo dì fu dibattuto grandemente in Palazzo per la pace, e fu molte volte conclusa & esclusa. Alla fine alle 4. ore di notte fu conclusa, & i Cardinali tornarono alle case loro alle cinque ore. Et in questo dì fu uno bisbiglio a San Paolo. Alli 12. fu detto della pace per Roma, e il detto Messere Gian Jacopo tornò in campo, e con lui andò l'Arcivescovo di Cosenza, e Messere Antonio Doria a manifestare la pace, & a dare licenza al Signore Roberto. Alli 14. fu ammazzato Sao di Goccio da Stazio della Valle, e non fu fatta festa. Alli 15. fu fatto l'esequio di Sao di Goccio, e fu ammazzato Bernardino Sanguigno da certi Franciosi in casa di una puttana, e i detti Franciosi si fecero forti in quella casa, in modo che vi concorsero delle persone due mila in ispazio di un quarto d'ora, e misero fuoco nella casa, & abbruciarono un pover' uomo, che stava di sotto, & ammazzarono i tre Franciosi a man salva, poichè furono fuora della casa; & un pover' uomo, che correva al rumore, fu morto alla salita di Monte Giordano, di modo che fu in Roma gran rumore, e ne furono morti in altri luoghi; e tutti i morti in questo dì furono nove. E questa fu la festa di Santa Maria; e non fu aperto il Salvatore. Alli 17. fu confermata la pace, e dicesi essere bandita nel campo del Duca; ma non si sa in che modo. Alli 24. Papa Innocenzo mandò un suo Scudiere per Commessario a Tivoli per manifestare la pace, e per far partire la gente d'arme, che stava in Tivoli. La qual gente d'arme partita che fu da Tivoli, fu assaltata da i Villani di Castel Santo Agnolo e Santo Paolo uomini di Casa Orsina, *adeo* che v'intervenne il detto Commessario gridando *Pace Pace*, e mostrando loro il Breve del Papa; & non gli giovò, e fu ammazzato da i detti Villani degli Orsini. Et attaccaronsi con quelli, che erano usciti di Tivoli, e morivvi una brigata di persone. Alli 25. fu portato il corpo del detto Commessario a Roma, e sepellito nella Chiesa di San Pietro. Alli 12. Settembre *Coronatio Innocentii*. Fu bandita la pace tra la Chiesa, & il Re Ferrante, & il Duca di Milano, e Fiorentini, & aderenti; e tornò il Cardinale di San Pietro in Vincola. Alli 13. entrò l'Ambasciatore di Spagna a dare l'obedienza al Papa. Alli 16. venne il Cardinale Orsino dal Papa in Palazzo; stette circa tre ore, e tornossene a Monte Giordano. Alli 21. tornò l'Arcivescovo di Cosenza, e l'Arciprete Vignola, che erano stati Commissarj nel campo. Alli 22. fu degradato un Frate di San Domenico Fiorentino alle scale di San Pietro. Alli 25. tornò l'Arcivescovo di Fiorenza di Casa Orsina, e posossi nella casa, che fu di Agnolello di Zaccheria, perchè la casa sua era guastata; e la notte innanzi diede la saetta in casa del Signore Paolo Orsino, e fece poco danno. Alli 27. morì il Cardinale d'Agria, detto l'Ongaro, e fu sepellito in Aracœli. Alli 29. fu ferito Francesco del Bufalo da Luca di Sorice, e con Luca fu Lorenzo de' Dattoli, e fu buttata per terra la casa del detto Luca dalla Corte, e scoperta quella di Lorenzo. Alli due di Ottobre fu cominciato a tener ragione. Alli tre venne Messere Gianjacopo Trivulzio con molta brigata: *ad quid, nescio*. Alli 7. tornò il Cardinale Orsino, e posossi nella casa della Santa Croce dietro a Santo Martinello. Alli 12. venne la nuova, come il Duca di Montorio era entrato nell' Aquila con dieci squadre del Duca di Calabria, e 800. fanti, in modo che ripigliarono l'Aquila pel Re; e fuvvi morto l'Arcidiacono, il quale Papa Innocenzo fece Protonotajo, e promise di farlo Cardinale. Alli 21. la nuova, come i Signori del Reame, i quali s'erano ribellati, tutti mandarono obedienza al Re per Procuratore. Alli 22. fu notificata la pace di Casa Margani co i Santa Croce, e con Casa della Valle, e di Stefano di Francesco Crescenzj, eccetto rimase la briga di Casa della Valle co i figlj di Sao di Goccio; e tutti gli altri cominciarono ad andare per Roma senza arme e soli. Alli 30. fu uccisa la moglie di Francesco del Bufalo da Pietro figlio di detto Francesco, & era pregna di otto mesi. Alli 17. di Novembre tornarono le bombarde da Gallese per fiume. Alli 24. fu appiccato, & abbruciato Giglio di Menicuccio della Palma di Venerdì, e di dì feriato, che fu San Grisogono, dentro delle sbarre di Campidoglio, e fu cosa inconsueta. Alli 25. morì Messer Jacopo Cecchino, e fugli fatto molto onore. Alli 9. Dicembre *fuit factum examen Domini Justini in domo Vicecancellarii per Advocatos Consistoriales, & habuit septem A. & quinque R. tamen fuit approbatus*. In questo Anno si sono cominciate le Maschere nel principio del presente mese di Dicembre.

Anno 1487.

Alli 17. di Gennajo venne il Principe di Salerno in Roma, partito in disdegno dal Reame. Andò il bando della lega tra il Papa e Veneziani. Iddio la lasci esser bona per Roma. Alli 18. di Febbrajo furono cominciati a correre i Palii da i Giudei, e da i Vecchi, & io diedi la mossa a i Vecchi. Alli 19. corsero i Giovani, e non fu buona mossa. Alli 20. corsero i Giovani, & i garzoni. Alli 21. corsero gli Asini. Alli 22. fu fatta la festa de' Naoni molto bella. Alli 23. corsero le Bu-

Bufale. Alli 24. la festa a Campidoglio. Alli 25. fu fatta la festa di Testaccia in pace. Alli 26. fu cominciata la Giostra. Alli 27. finì la Giostra, & ebbe il premio uno del Signore Prospero Colonna detto Ricciardetto. Alli 10. Marzo si partì la notte il Cardinale San Pietro in Vincola Legato a Venezia. Alli 30. fui assaltato sopra la Piazza di Santo Stati per andare alla Minerva, e fummi rubata la scarsella con circa otto Carlini, & un'anello d'argento, e certe scritture, e menatomi due colpi a traverso il viso; e mi tagliò il gabbano in tre luoghi, e poi si diede a gambe a fuggire. Tolse dalla detta scarsella tutti i danari, e l'anello, e poi la buttò verso Santo Stati; la mattina seguente ebbine sentore, e riebbila. Al primo di Aprile fu la grandine grossa come noci; fece molto danno, massime in Prata e porta Torrioni. Alli due di Maggio, *introitus Domini Hieronymi Salerni de Verona*. Alli 9. entrò l'Ambasciatore del Re d'Inghilterra, e venne Messer Gian Jacopo Trivulzi da Napoli per andarsene verso Milano. Alli 13. fu fatta la festa di Joseppe nella Piazza di Santo Celso. Alli 20. entrò il Duca di Ferrara in Roma con circa 300. cavalli. Alli 31. fu fatta la caccia al Duca di Ferrara in Campo di Meroli; pigliarono un Cervo solo; la caccia fu poco ordinata; ma fu molto bene ordinato il mangiare a San Giovanni della Magliana. Alli 3. Giugno fu Messa Papale; la disse il Cardinale di Balù. Alli 5. si partì il Duca di Ferrara, & andò ad alloggiare la notte a Rignano; fecegli compagnia il Cardinale Ascanio, & un Matteo suo Cameriere il rubò. Alli 8. entrò in Roma la sorella del Signore Vergilio Orsino con grande trionfo, accompagnata da Vescovi, Ambasciatori, famiglie de' Cardinali, e molti Cittadini, la quale andava a marito al figlio del Signore Jacomo Conti. Alli 14. *Corpus Christi*, andò il Papa in Processione, portò il *Corpus Domini*, e diede la volta da Castello secondo il consueto; e Porta Castello stette serrata non senza sospezione. Alli 23. la nuova, come i Fiorentini hanno avuto Serazana. Alli 26. fu mutato il Castellano di Castello, il quale era il Vescovo di Ferrara, e messovi Messer Lorenzo Arcivescovo di Benevento. Alli 29. dì di San Pietro e San Paolo si levò un gran viluppo di vento, e fece uscire la bandiera dell'Agnolo di Castello, e buttolla in fiume; e sopra la Rocca di Tagliacozzo fino alla Rocca di Cerrone piobbe sangue, che sono circa due miglia. Alli 12. Luglio venne la nuova, che il Duca di Milano ha avuto Genova e tutte le Fortezze. Il Cardinale Ascanio ne fece feste e fuochi. Alli 18. ritornò il Cardinale di Santo Pietro in Vincola. Alli 19. ritornò il Signor Paolo Orsino a Roma. Alli 11. venne il Signore Vergilio Orsino a Roma con molta brigata; e fu frustato uno, e tagliatogli il naso a Campidoglio. Alli 14. fu fatta la festa di Santa Maria in Pace, e non furono dati i prigioni. Alli 28. partì il Cardinale San Pietro in Vincola in disgrazia del Papa, & andò a Bologna. Alli quattro di Settembre venne il Prefetto a Roma, e fu da Papa Innocenzo. Alli 10. di Ottobre venne la certezza di Malega, che aveva presa il Re di Spagna. Andò il bando, che si facessero feste, e fuochi, e si sonassero le campane. Alli 11. andò il Papa a Santa Maria del Popolo, e fu fatta festa fino ad ora di pranzo. Alli 13. fu morto Messer Lorenzo da Castello. Alli 27. *visitatur Archipresbyter Vignolæ Dominus Bartholomæus Morenus, ut Commissarius*. Alli tre di Novembre venne in Roma Madonna Clarice moglie di Lorenzo de' Medici, e menò la figliuola moglie del Signore Francesco figliuolo piccolo.

Anno 1488.

Alli due di Febbrajo Messer Bartolomeo Moreno Arciprete di Vignola fu fatto Governatore di Roma; pigliò il bastone, e tornò a casa sua con gran trionfo. Alli 3. entrarono in Roma cento Mori, li mandò il Re di Spagna a donare al Papa, tutti vestiti a una livrea con un ferro al collo per uno, e tutti ad una catena; e dove mancava la catena, suppliva una fune. Alli 4. Marzo furono presentati al Papa i detti Mori, e sua Santità ne donò a' Cardinali, & ad altri Signori. Alli 7. fu appiccato uno degli Altoviti Fiorentini a Torre di Nona, e subito fu levato e portato via. Alli 12. venne il fiume tanto alto, che arrivò al porticale di Santo Celso; e il Papa il dì era andato a San Gregorio, e non potè ritornare in Palazzo, di modo che si fermò in Castello; e l'acqua della Porta di Castello si giungeva con quella di Santo Spirito; e si portò il fiume di molti pali e nuovi e vecchi. Alli 16. Aprile venne la nuova che fu ammazzato il Conte Jeronimo in Forlì. Alli 24. cominciarono quelli della Compagnia de' Battuti ad accompagnare quelli, che si andavano a giustiziare. Alli 9. Marzo furono fatti cinque Cardinali, cioè Messere Lorenzo nipote di Papa Innocenzo Arcivescovo di Benevento, e Castellano di Santo Agnolo, Messere Ardicciono della Porta da Novara Vescovo di Aleria, Santa Anastasia Genovese e Datario, il Vescovo di Bordeo Franciosо; e diceſi del figlio di Lorenzo de' Medici, del quale non so certo. Alli 11. del detto mese & anno entrò in Roma il fratello del Gran Turco; lo mandò il Gran Mastro di Rodi per mare; smontò a Civitavecchia, e di lì venne a Roma. Fugli fatto grande onore di suoni e scoppietti; accompagnollo il Signor Franceschetto; smontò in Palazzo nelle stanze della Camera Apostolica. Alli 14. fu Concistorio publico, e furono publicati i detti cinque Cardinali, e dato il Cappello a Lorenzo Aleria il Datario; e nel Concistorio venne il detto Turco, il quale per sua superbia non si volle inginocchiare al Papa, solo gli baciò su la spalla, e tirossi addietro sei passi; poi baciò i Cardinali ad uno ad uno. Alli 29. Giugno oggi ha dato Papa Innocenzo il bastone, e gli Stendardi della Chiesa al Conte Nicola di Pitigliano, e fecelo Capitan Generale; e per festa fu corso un Palio di cremesi da Campo di Fiore fino alla Piazza di San Pietro.

Anno 1490.

Alli 23. Gennajo andò il bando, che si dovessero far fuochi, festa, e sonar campane per la vittoria, che aveva avuta il Re di Spagna di Malega, che l'aveva avuta tutta; & il Re era andato ad obedienza. E Papa Innocenzo voleva andare Lunedì, che era la Conversione di San Paolo, e non andò per la molta pioggia, a dire la Messa. Fu presa Malega con un gran paese.

An-

Anno 1491.

Alli 6. Dicembre venne la nuova, che il Re di Francia aveva tolta la Moglie di Massimiliano Re de' Romani, la quale era figlia del Duca di Bertagna, & andavasene a marito a Massimiliano. Il Re di Francia aveva per moglie la figlia di Massimiliano, & avevala tenuta appresso di se parecchi giorni, ma non ci aveva usato; e come ebbe tolta la figlia del detto Duca, rimandò la figlia a Massimiliano.

Anno 1492.

Alli 2. di Febbrajo venne la nuova come il Re di Spagna aveva avuta Granata, la quale era stata oppressa da gl'Infedeli 780. anni; e fu gran nuova, & allegrezza di tutta la Cristianità. Alli 3. andò il bando, che si dovessero far fuochi, sonar campane, e far festa per la sopradetta nuova, e nettare le strade. E la Domenica seguente andò la Processione da San Pietro fino a San Jacomo degli Spagnuoli, & avevavi da andare il Papa, e non vi andò pel molto piovere; ma andò a cavallo a San Jacopo con tutta la Corte, dove disse la Messa con le solite cerimonie; e la sera il Vicecancelliere fece ammazzare tre Tori innanzi casa sua, e tutto il dì si fece festa; e il Lunedì seguente non volle il Papa, che si tenesse audienza in Rota. Alli 9. Aprile venne nuova della morte di Lorenzo

A de' Medici, che morì alli 7. d'Aprile. Alli 13. entrò il Duca di Ferrara in Roma con molti Signorotti; dicesi sia venuto al perdono; furongli fatte le spese da Papa Innocenzo, & alloggiò in San Marco. Al primo di Maggio entrò in Roma il Cardinale de' Medici figliuolo di Lorenzo de' Medici, posossi in Santa Maria del Popolo, e lì stette tutta la notte, & il dì seguente andò al Concistorio, accompagnato da tutti i Cardinali; e pochi dì innanzi aveva avuto il Cappello in Fiorenza. Alli 15. fu fatto Legato del Patrimonio il Cardinale de' Medici. Alli 16. si partì da Roma il Duca di Ferrara, & andò via. Alli 26. entrò in Roma l'Ambasciatore di Venezia con molto onore. Alli 27.
B entrò in Roma il Principe di Capoa figliuolo del Duca di Calabria con gran trionfo in mezzo al Cardinale di Benevento, & al Cardinale di Siena; e menò con seco molti Signori, & alloggiò nel Palazzo del Papa. Alli 29. andò il Principe visitando i Cardinali, e cominciò col Vicecancelliere. A dì detto entrò in Roma il santissimo ferro della Lancia, con la quale fu passato il Costato al nostro Signore Gesù Cristo, e fu portato in Santa Maria del Popolo. A dì 31. il dì dell'Ascensione Papa Innocenzo portò il ferro prefato da Santa Maria del Popolo fino in Palazzo in Processione con tutti i Cardinali, e tutta la Corte, come la Processione del
C Corpo di Cristo. Alli 25. Luglio morì Papa Innocenzo.

IN

IN DIARIUM
ROMANÆ URBIS
SCRIPTUM
A STEPHANO INFESSURA
SCRIBA SENATUS POPULIQUE ROMANI
PRÆFATIO
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

AD complementum *Romanæ Historiæ, summorumque Pontificum, accedat tamdem* Diarium à Stephano Infessura, *partim Italico, partim Latino sermone conscriptum. Codicem, in quo illud legitur, manu tantùm exaratum, suppeditavit mihi Estensis Bibliotheca. Sed & ipsum aliæ Bibliothecæ adservant, & præsertim omnium princeps Vaticana. Et ipso quidem Vaticano Codice non semel usus fuit in contexendis Annalibus Ecclesiasticis Odoricus Raynaldus, qui Auctorem* Stephanum Infissuram *appellat. Fuit autem Infessura, ut ipse testis est ad Annum MCCCCLXXVIII. Civitatis* Hortæ Prætor, *ac deinde* Senatus Populique Romani Scriba *sive Cancellarius. Reliquas ejus dotes ac gesta atra nox contexit. Mihi saltem nihil aliud de eo dicendum succurrit, nisi identidem ab ipso literis consignata fuisse, quæ Romæ atque in finitimis partibus suo tempore contingebant. An is auctor fuerit universæ narrationis, quæ ab Anno MCCXCIV. usque ad MCCCCXCIV. per ducentos Annos deducitur, petat fortasse aliquis. Clariss. Vir Johannes Georgius Eccardus, in Catholicorum castris ante paucos annos vitâ functus, qui Diarium hoc primus evulgavit, in Præfatione sua animadvertit, adnotatum fuisse ab Honorato Nicquetio Avenionensi Soc. Jesu in Libello de Cruce, sibi visum in Bibliotheca Fulvii Archangeli Balneoregiensis,* Romanæ Urbis Diarium à Lælio Petronio, Paullo de Magistris, & Stephano Infessura conscriptum. *Ergo, inquies, non unus Diarii hujus Auctor. Addit Eccardus, adservari in Bibliotheca Hanoverensi Codicem cum hac inscriptione:* Diario della Città di Roma di Stefano Infessura, e suoi Antenati, Scriba del Popolo e Senato Romano. *Indicant & ista, præter Infessuram alios ad Diarium istud conficiendum operam suam contulisse: eâque in sententiâ Eccardus conquievit. Mihi aliter visum fuit. Scilicet, uni Infessuræ tribuendum esse integrum hoc Diarium, qui è præcedentibus quidem Ephemeridum Scriptoribus pauca delibarit, sed ipsas eorum Ephemerides in suum Opus minime intulerit. Quæ pauca is habet de Bonifacio VIII., fragmenta sunt aliunde petita. Cetera usque ad Infessuræ ætatem, fortassis è Diariis Petronii, & Paulli de Magistris excerpta fuere: verùm longe diversa sunt hæc ab illorum Diariis. Ut enim per literas amicorum didici, Diarium* Paulli de Magistris *ab Anno MCCCCXXII. continuatum usque ad Annum MCCCCLXXXIV. continetur in Codice Vaticano 5255. & Auctor ibi appellatur* Pavolo di Benedetto di Cola dello Mastro dello Rione de Ponte. *Vox illa* dello Mastro *Latine reddita fuit* de Magistris. *Ita cum Infessuræ Diario nil rei habet Diarium* Paulli filii Lælii Petronii, *quod supra Lector accepit. Neque enim Romæ notum est, Diarium aliquod exstare à Lælio illius patre conscriptum. Diu autem, quum Collectionem hanc instruebam, dubius fui, num Scriptorem hunc publici juris facerem. Dissimulare quippe nolo, ipsum ad maledicentiam proclivem satis fuisse. Potissimùm verò, ubi de Sixti IV. moribus agit, calamo licentiam nimiam dedisse deprehenditur. Sed postquam Anno 1723. prælaudatus Eccardus consilium meum præoccupavit, edito Lipsiæ inter Historicos medii ævi Tom. II. ejusdem Infessuræ Diario, cur subtraham ego Eruditorum oculis, quod ipsis sine me legere alibi licet? Accedit, quod ne rejicienda quidem eo titulo Historia est, quòd vitia hominum referat, dum hæc non odium fingat aut somniet, sed amor Veritatis exprimat, & publica in publicum efferantur. Certe quin Sixtus IV. Pontifex ab humanis affectibus se praeripi interdum siverit, nemo illorum temporum gnarus negarit, idque palam testantur Platinæ Continuatores, aliique veteres Historici. Neque aliorum Pontificum, si qui à recto virtutis tramite declinarunt, crimina, errores, gestaque illaudabilia siluerunt Historici. Annalium sacrorum parentem Baronium in primis vide. Verùm uti Christianorum vita, vel teterrimis vitiis & criminibus inquinata, nihil revera detrahit sanctissimæ Christi Religioni & Legi, quæ immaculata est, & vitia quæque aversatur & damnat; ita pravi nonnullorum Pontificum mores, si verum amamus, gloriam & sanctitatem minime inficere possunt Apostolicæ Sedis, uti neque aliarum Sedium, quæ bonos semper cupiunt Pastores, malos exsecrantur, neque illorum, sed proprio nitent decore. Illud etiam cordati viri facile animadvertent, perspectis vitiis & probris paucorum Pontificum, qui corruptis Seculis Cathedram Petri tenuere, commendationem augeri nostrorum temporum, quibus optimi eliguntur, & tot è solio Apostolico continuata exempla virtutum promanant. Attamen pauca mihi placuit expungere, quæ fœdiora mihi visa sunt atque indigna, quæ honestis auribus atque oculis offerantur. Qui ejusmodi sordibus delectatur, editionem Eccardi adeat.*

DIARIO
DELLA CITTÀ DI ROMA
SCRITTO
DA STEFANO INFESSURA
SCRIBA DEL SENATO E POPOLO ROMANO, E DA' SUOI ANTENATI;

Dove si narrano i maggiori successi della detta Città, e di tutta Europa in tempo degl'infrascritti Pontefici:

Bonifacio VIII.	Giovanni XXII. detto XXIII.
Benedetto XI.	Martino III. detto V.
Clemente V.	Eugenio IV.
Urbano V.	Nicola V.
Gregorio XI.	Callisto III.
Urbano VI.	Pio II.
Bonifacio IX.	Paolo II.
Innocenzo VII.	Sisto IV.
Gregorio XII.	Innocenzo VIII.
Alessandro V.	Alessandro VI.

NEll' Anno Domini Mille Ducento Novanta Quattro, nella Vigilia di Natale, fu creato Papa in Napoli il Cardinale di San Martino in Monte, e fu chiamato Bonifacio Ottavo di Casa Caetana, e nel suo tempo fiorì in modo la fazion Guelfa e Gibellina, che ne nacquero grandissime contese, e massime tra lo detto Papa, e Colonnesi Gibellini, i quali anco in Anagni fomentavano le parti della fazione contro il Papa; il quale sdegnato li privò de' benefizj, Castelli, Terre, e di tutti i Luoghi, che possedevano nello Stato Ecclesiastico.

Nell' Anno seguente nel giorno di Santo Andea Apostolo venne un terremoto tanto repentino, quanto mai si sia sentito, che durò molti giorni con alcuni intervalli, e cascarono di molte case; e lo Papa Bonifacio, che si trovava a (*) Rieti con tutta la Corte, dubitando di non essere oppresso, o soffogato dalla rovina degli edifizj, ordinò, che fosse fatta una Casetta di legname in mezzo al Claustro de' Frati Predicatori, come in un largo Prato, & in quel luogo ci stette alquanto tempo, quantunque fosse grande e rigorosa quell' Invernata. In questo stesso tempo apparie ancora una Cometa con continui terremoti; e ritornato poi il Papa a Roma creò alcuni Cardinali, cioè l'Arcivescovo di Toledo, Ricciardo Senese, Niccolò da Treviso dell' Ordine de' Predicatori, Giovanni Morone Generale de' Frati Minori, e Pietro Ispano.

Nell' Anno 1300. celebrò il Giubileo dell' Anno Santo, per lo quale concorse tanto Popolo a Roma, che appena si poteva camminare per le strade. Et anco in quel tempo venne a Roma Carlo Conte di Valois, fratello di Filippo Re di Francia, che aveva preso per Moglie la figliuola di Balduino ultimo Imperadore di Costantinopoli, & aveva ottenuto da Papa Bonifacio, che lo suocero suo potesse ricuperare l'Imperio, dal quale era stato discacciato. E questo fece volentieri lo Papa, perchè aveva pensiero con l'ajuto di questi Principi di mandare un' esercito in Asia, che ricuperasse Terra Santa. E mentre queste cose si andavano ordinando, lo Papa dichiarò Capitano di Santa Chiesa con stipendio & ampla podestà lo istesso Carlo, e mandò un Legato in Toscana per rimediare ad alcune sedizioni nate tra' Gibellini e Guelfi. Ma il Legato non facendo alcun frutto, ancorchè pubblicasse bandi, lo Papa ci mandò lo detto Carlo, il quale anco lui non poteva quietare i tumulti de' Fiorentini, se prima non erano scacciati dalla Città con gran strage i Gibellini. Ma lo Papa pure persistendo nel pensiero di ricuperare Gerosolima, per questa cagione mandò il Vescovo Apamense a Filippo Re di Francia, acciò l'esortasse a quell' impresa, il quale, vedendo di non potere con le supplicazioni conseguire cos' alcuna, alterato proruppe in alcune minacce; per lo che sdegnato Filippo fece subito carcerare lo Vescovo. Il che saputo da Papa Bonifacio, incontinenti mandò in Francia l'Arcidiacono Narbonese, Uomo veramente insigne, che a nome dello Papa comandasse allo detto Re, che rilasciasse lo Vescovo Apamense, e che, se non l'avesse ottenuto, che gli dicesse subito alla presenza di tutti, che il Regno di Francia

(*) *Edit. Eccardi* si ritrovava a Quieti, *cioè* Chieti.

A ci ricadesse alla Chiesa per la disubbidienza di Filippo ; & anco vi aggiungesse la scomunica , & assolvesse i Francesi dal giuramento Regio. Ogni cosa fece molto diligentemente lo detto Arcidiacono , e forzò lo Re a lasciare andare lo dettn Vescovo Apamense. Ma il Re , per vendicarsi in qualche parte delle ingiurie ricevute dal Papa , fece pubblicare eddito, che nessuno si partisse dal suo Regno per venire a Roma , ovvero mandasse danari per qualsivoglia spedizione. Et in quel tempo Sciarra Colonna , che si trovava nel Porto di Marsiglia con Guglielmo Nogaresio Cavaliere Francese , vestitosi di abito vile , e radunati alcuni suoi amici venne alla volta di Roma . B E questo fece per comandamento dello detto Re , e di notte nascosamente entrò in Anagni con l'ajuto de suoi parteggiani , i quali Papa Bonifacio aveva perseguitati lungo tempo : e rotte le porte entrò in casa propria dello detto Papa , e pigliollo , e condusse a Roma , e così addolorato non visse poi dopo più , che giorni trentacinque, e fu sepellito in S. Pietro . . . . pontificalmente , e dissegli : *Piglia tesauro quanto tu vuoi* . La Campana d'Agnani sonava a stuormo . Lo Conte Romano di Casa Orsina veniva con gran gente , mandato dal Re Roberto, che lo Papa venisse a Roma , D'onde i Cittadini Romani gridavano: *Muora li fuorestieri , e fuora caciati d'Anagni i Colonnesi* . C E in tre dì venne lo Papa a Roma , e i Cittadini Romani gridavano : *Pace* . E lo Papa rispose : *Pace e sanitate vi doni Dio* . Et entrò in San Pietro Napolione di Castello , lo Cognato di Sciarra . Lo Papa l'invitò a pranso , e domandollo , se sapeva , dove era Sciarra , *lo quale m'ha detto che la sua zitta è pregna*. E Napolione rispose e disse : *Tanti ragazzi sono in casa , che l'avranno potuta impregnare . Ma ormai saria tempo di perdonare alli Colonnesi* . E lo Papa gli disse , che non voleva . Napolione disse : *Ti bisogna di fare , e non partirai di quì* . Lo Papa addolorato scrisse una lettera allo Re Carlo , che lo cavasse di Roma , che voleva fare peggio agli Orsini , che a i Colonnesi . D E la lettera venne in mano a Napolione , e raddoppiarono le guardie. E quando lo Papa lo seppe , dette tanto de lo capo a lo muro , mandendosi le mani, che così addolorato visse tre dì. E così finì sua Profezia , cioè : *Intrabit , ut Vulpes ; regnabit , ut Leo ; morietur , ut Canis*. (*) La morte sua fu a dì otto di Ottobre , e jace in San Pietro in quella Capella ferrata a' piedi de la Chiesa , e regnò otto anni nel Papato. Dopo seguitò un'altro Papa, che fu fatto a Perugia , il quale fu attossicato da un Cameriere suo in un fico , perchè gli aveva promesso di farlo Cardinale , e non lo fece. Lo quale Papa era Frate Predicatore , E e durò nel Papato otto mesi , *& fuit Benedictus Undecimus* ; il quale sta sepolto al Borgo di Perugia in San Domenico.

Mentre la Corte era in Francia.

E Dopo fu fatto Papa l'Arcivescovo di Bordeos della Provincia di Francia , e fu fatto a Perugia ; & avea paura di venire a Roma a coronarsi per la promessa fatta al Collegio; che però ordinò che dovessero gire in Francia a coronarlo . Messer Napolione de' Marini ruppe i Cardinali , e giosene in Francia , e tutti gli altri lo seguitarono , e allora lo coronarono. Lo Re di Francia pregò Papa Clemente Quinto, che così si fece chiamar lo Papa , che dovesse restituire Messer Pietro , e Messer Jacomo in Cardinalato , e che le ossa di Papa Bonifacio fossero arse, come Eretico. Levossi un Cardinale Spagnuolo in piedi , e chiese licenza di poter parlare , e disse : *Se si ardono le ossa di Papa Bonifacio Ottavo , come Eretico , e tu consenti questo , tu non sei vero Papa , perchè esso ti fece Arcivescovo di Bordella. Noi avemo eletto per Papa l'Arcivescovo di Bordella ; e però se non fu Papa , non ti potè fare Arcivescovo*. Allora il Papa ruppe lo consiglio ; e subito si levò Messer Pietro , e Messere Stefano delli Roselli , e mise mano alla spada, e disse: *Che qualunque persona vol dire, che l'ossa di Papa Bonifacio non s'ardessino , mentono come traditori*. E vollelo provare con la spada in mano , salvo che non contradicesse a nostro Signore lo Papa. Allora lo Papa lo fece pigliare e volevali fare tagliare la testa . Lo Re di Francia lo dimandò per uomo morto , & ebbelo ; e questo fece lo Re per lo piacere , che fece alla Moglie , quando si attaccò fuoco alla camera , perchè saria stata arsa , che nullo Francese si saria messo a quel pericolo , che si mise Messere Stefano , per campare la Regina. Il detto Messere Stefano , e Messer Pietro si misero ad andare per un trave , e pigliaronla in collo , e camparonla ; d'onde lo Re di Francia ebbe questo in gran servizio ; e poi lo Re lo fece Sergente d'armi suo . Lo Papa se ne andò ad Avignone ; e lì stette la Corte fino ad Urbano Quinto , lo quale venne in Roma negli anni Mille Trecento Sessant' Otto , e stette in Roma anni cinque, e poi si morì . E i Cardinali , fornito l'essequio , si misero in Conclave per far l'altro Papa; & era tra loro gran discordia, e fu cominciata la Scisma. Per questa cagione i Romani girono al Palazzo , e petierono al Collegio lo Papa Romano , o Italiano ; e i Cardinali promisero di farlo, e non lo fecero, perchè non si concordavano . Per questa cagione venne uno de' Cardinali , e fu quello degli Orsini , a notificare a' Signori di Roma, che non volevano fare lo Papa Romano, e per questa cagione i Romani misero a sacco molti de' Cortigiani , e de' Cardinali ancora. Onde si partirono di Roma , e gironsi ad Avignone, giurando di far vendetta contro i Romani , e lì fecero Papa Gregorio Undecimo. E stette la Corte in Avignone fino a che egli venne in Roma nell' Anno 1376.

Nell' Anno 1313. fu attossiccato l'Imperatore a Buonconvento, luogo appresso a Siena, nel Corpo di Christo da due frati Predicatori a petizione de lo Re Roberto. (**) Questo Imperatore , che si chiamava Errico , era un Sant' uomo, & ogni dì si confessava e comunicava; & aveva un Crocefisso , che ogni notte se lo faceva cacciare , e tenevaselo dinanzi , e stava orando un pezzo, e poi se lo faceva riponere, e portavaselo con lui dovunque andava . Fu al Cesano lo Imperatore, nè si poteva partire, e maravigliandosi stette sospeso, e non si accorse dello segnale , che gli era stato detto, che non andasse in Toscana , perchè vi sarebbe morto, e disse: *Se io torno in questo Cesano, faccio una bellissima Chiesa* ; perchè i Colonnesi lo avevano fatto coronare , e così si morì .

Nell' Anno 1361. del Mese di Agosto a dì ventuno di Giovedì ad ora di Nona , i Mastri

(*) Recantatam infamem hanc calumniam a Bonifacii hostibus pervulgatam Lector explosam inveniet in nono hujus Collectionis volumine col. 1008.

(**) Recentiores incognito hoc coævis scriptoribus commento Historiam Henrici VII. fœdaverunt. Vide Raynaldum ad an. 1313. num. 24. & Natalem Alexandrum, qui ad Seculum XIV. integra dissertatione illud evertit.

stri salirono sopra il tetto di San Giovanni, per acconciare certe tavole di piombo; e nell' ora di Vespero, quando i Canonici dicevano *Magnificat*, vide uno di essi abbrugiare una tavola, e subito che la videro, non poterono tanto ajutare, che il fuoco l'apprescìava, e fuggirono via allora allora. Furono arsi tutti i travi di San Giovanni, e cadderono tre colonne, e tutte le altre arse, e guastarono tutto l'Altare Maggiore con quattro bellissime colonne fatte di Diaspro.

Istorie dopo il ritorno della Corte Romana da Avignone.

NEll' Anno 1378. nel Mese di Luglio a dì 16. vennero i Bertoni a Ponte Salaro, dove che fecero grande occiditoria de' Romani in quello luogo. I quali Bertoni vennero a petizione de i Cardinali, che stavano in Anagni, e lo Papa stava a Tivoli, e fu Papa Urbano Sesto. Di poi rivenne lo Papa a Roma, e stetteci fino a Maggio, e lo giorno di Santo Angelo i Romani ebbero vittoria, e tutti i Bertoni furono morti; e ribellossi lo Castello Sant' Angelo. E i Romani risecero le Bastie del Mese di Novembre fino all' ultimo di Aprile, e sì lo ebbero, e tanto lo disfecero, che a tempo dappoi ci givano le capre a pascere. Del Mese di Maggio i Romani andarono a campo a Marino, e la cagione fu, che Messer Giordano era stato in favore de i Bertoni, e steronce a campo dicidotto dì. Di poi fu fatto accordo, e promise Messer Giordano di stare sempre a' comandamenti dello Popolo Romano. Del 1376. del Mese di Novembre a dì 9. lo dì del Salvatore di Mercordì, la notte inanti crebbe tanto lo Fiume che giva quasi per tutta Roma, e fece di moltissimo danno.

Dell' Anno 1382. fu fatto Papa Bonifacio Nono, e durò nel Papato anni quattordici, e due mesi, e fu fatto dopo la morte di Urbano Sesto. In tempo suo ebbe lo Stato di Roma, lo quale glielo diedero Natale, e Petruccio Sacco, perchè erano de i Signori. E questi dissero allo Papa: *Se tu vuoi mantenere lo Stato di Roma, acconcia Castello Sant' Angelo*; e lo Papa lo fece. E poi ch'ebbe finito, lo merito, che diede a Natale & a Petruccio per un tanto donativo, fu, che fece loro tagliare la testa; E disse lo Papa allora: *Costoro m'hanno dato lo Stato, acciochè io acconciassi lo Castello, & ora me lo voleano ritogliere*. Poi lo Papa manteneva lo Stato suo con molta pace e dovizia, e faceva seminare a tutti, etiam i Cardinali, e valeva uno Fiorino lo rubbio del grano, e quando valeva quaranta soldi.

Dell' Anno 1403. del Mese di Gennaro, cioè lo primo dì dell' Anno infra Terza e Nona si scurò lo Sole, e le Stelle si vedevano in Cielo, come se fosse stata mezza notte. Et una brigata, che stava a pranzo in casa di Sacco di Natale, si fecero accendere le candele a tavola, perchè non vedevano lume. E fu una gran pioggia, e poi seguitò, che erano le nebbie continue, e poco fu buon tempo fino a Marzo vegnente. Et a dì 17. del detto mese di Marzo a mezza notte fu lo terremoto, e durò poco.

Dell' Anno 1404. del mese di Settembre die prima morì Papa Bonifacio Nono, e lo Popolo di Roma si levò a rumore per rivolere la libertà, e fu sbarrata tutta Roma, e tutto dì si combatteva alle sbarre de gli Ursini, e la Chiesa da una parte, e i Colonnesi per lo Popolo. E ribellossi lo Campidoglio, e la Torre de' Mercanti. La sera al tardi vennero i Signori Ursini per porta Castello, e girono per soccorrere il Campidoglio con molti Romani partigiani di Santa Chiesa; e quando furono a casa de' Rossi, i Colonnesi con l'altro Popolo andarono avanti, e scaramucciato furono morti parecchi da parte a parte, tra li quali ne fu morto Pansoletto Ursino, e molti feriti, e molti cavalli morti. (*) E furono sconfitti i Colonnesi, che quasi sempre ne avevano la peggio, se bene buona parte del Popolo seguitava i Colonnesi. Dell' Anno predetto del Mese d'Ottobre a dì dodici entrarono i Cardinali in Conclave nel Palazzo di San Pietro, e fu molta discordia tra i Cardinali per fare lo Papa. Ma pure alla fine si accordarono, e fecero Papa Monsignor di Bologna da Sarmona, lo quale si chiamò Papa Innocenzo Settimo, e i Romani ne furono molto contenti, e fecero gran festa. A dì 15. del detto mese venne lo Re Ladislao da Napoli a Roma, & entrò per porta San Giovanni, e lo Popolo di Roma gli andò incontro co i Caporioni, e gli fecero molto onore, e stette la notte in San Giovanni, e la mattina si partì con tutta la sua gente, & andò per Prati, & entrò per porta Castello, e gìo allo Palazzo dello Papa, e lo Papa lo ricevè con molto onore, come a figliuolo, e diedegli Maritima, e Campagna per cinque anni; & ancora stava sbarrata Roma. E lo Re fece tanto con lo Papa, e co i Cardinali, che fece rendere lo Campidoglio a i Romani senza nulla questione, e pose in pace i Romani, & ebbero la libertà, e poi si partì, & entrò per Porta dello Popolo; e quando fu a San Marcello fece Cavaliere Galeotto Normanno, & in quel giorno si partì da Roma, & andossene a Napoli allo suo Reame.

Dell' Anno Domini 1405. del mese di Aprile i Romani andarono a campo alla Molara, e poi seguitò lo Priore di Roma, per farli concordare, e fu fatta la concordia contro la volontà de' Signori di Roma; e fatta che fu, i Romani levaron campo, e tornarono a Roma lo dì di San Marco delle Litanie. E poi fecero pigliare lo Priore di Roma, e fecero tagliargli la testa, perchè fece l'accordo contra loro volontate, e fu Officiale Sacco di Natale, e Paolo Morazzano co i Compagni. Dell' Anno 1405. a dì 2. d'Agosto i Romani andarono la notte per togliere Pontemolle, e miseronvi foco, e combatterono lo dì seguente, e non lo potero avere, e ci furono di molti feriti dall' una parte e dall' altra. A dì 3. del sopradetto mese si fecero i patti tra Papa Innocenzo, e i Romani, che si rifacesse lo Ponte; e lo Papa non glielo volle rifare; e poi si accordarono, che lo mozzasse; e fu mozzo per lo mezzo detto Ponte; e poi lo Papa fece fare in piedi di piazza Castello per fino allo fiume delle sbarre. A dì 5. del detto mese d'Agosto lo Papa mandò a chiamare Signori Romani, che gli andassero a parlare, perchè voleva fare la concordia con essi. Per una parte,

(*) *Edition. Eccard.* E furono sconfitti gli Ursini, e tornatisene a Monte Giordano, e sempre ne aveano la peggio gli Ursini. E la maggior parte de lo Popolo seguitavano i Colonnesi.

parte, e per l'altra ci andarono due de i Signori, e due de i Caporioni, & alcuni degli Imbussolatori, e degli altri Cittadini. E poichè ebbero parlato con lo Papa, lo Papa disse: *Andate da Messer Lodovico da Fermo, e con esso fate i Capitoli*. E giunti che furono a Santo Spirito, come entravano al terz'uscio, erano morti tutti ad uno ad uno; e furono tolti loro i cavalli, e i morti furono spogliati per vituperio de' Romani, e buttati per le finestre di Santo Spirito. E molti ne fuggirono, e furono undici i morti, cioè Censia Stefanello, Joanni di Paluzzo, Stefano dello Bufalo, Joanni di Riccarduccio, Joanni de' Pazzi, Tomasello, e Paolo de' Stati, Pietro Carraro, Jacovello di Cucciolo, *aliàs* detto Canataro, Joanni di Nola, Messer Gualtiero, e lo suo famiglio. E per questa cagione, e in questo dì, lo Papa si partì di Roma, & andò a Viterbo per paura de' Romani, e per l'assassinio commesso contro i Romani, e partissi con Lodovico da Fermo, e con tutta la sua brigata. A dì 5. del detto Mese d'Agosto Joanni Colonna passò di là dal Ponte con molti Romani, e messero lo Palazzo del Papa a sacco mano; & ancora tutte le case de i Cortegiani furono messe a sacco, e i Romani per li morti loro stavano malcontenti. A dì 20. del detto Mese d'Agosto venne la gente del Re di Napoli, e i Romani se la fecero passare per la via di Palaciello per fiume, e passarono, e girono verso Porta Castello, e furono tre mila cavalli, e i Caporali furono lo Conte di Troja, e lo Conte di Casa Gentile di Monterano; e Giovanni Colonna era con essi; e le some del Conte di Troja passarono per Roma, & a San Celso gli furono tolte da' Romani. Et in quello subito lo Castello di Sant' Angelo si ruppe co i Romani, e cominciò a bombardare per Roma. E i Romani vollero fare le sbarre allo Ponte; e la gente, ch'era di là dal Ponte, non le lasciava fare. E com batterono lo Ponte, e fu messo fuoco in parecchie case dello detto Ponte. I Romani fecero patto co i detti Caporali di dar loro la Grassa, & essi lasciaron fare la sbarra nel detto Ponte. La notte vegnente vennero i Romani a murare la detta sbarra; e fatta che fu, non vollero poi dare la Grassa, ma la negarono; sicchè Castello per questa cagione mai non finìo di bombardare contro i Romani. Il dì seguente, che fu alli 21. del detto Mese, si ribellò Campidoglio, e i Signori, che governavano Roma, con molti altri Cittadini si serrarono dentro per timore del Popolo, e nel detto dì se ne fuggì Messer Nicola Colonna, e Batista Savello con molti Romani per paura di non perdere la vita. A dì 23. del detto Mese di Agosto si rendè Campidoglio a salvare le persone, e furono gittati a terra tutti i merli, e la Torre di Mercato. A dì 26. del detto Mese venne Paolo Orsino, e Mostarda, e Cecolino da Viterbo, & in Prati si scontrò con la brigata di Giovanni Colonna, e di Gentile di Monterano, e fecero fatto d'armi l'uno con gli altri, e furono rimessi dentro a Porta Viridaria la brigata di Giovanni Colonna. E furonvi molti prigioni, e molti cavalli perduti, e fuggì Giovanni Colonna, e Gentile di Monterano con tutte le loro genti, perchè n'ebbero la peggio. Et in detto giorno entrò Paolo Orsino con Mostarda, e Cecolino di Brunocco, e presero dalla parte di Ponte San Pietro, e poi si partirono, e stettero in bo-

A naccia giorni quattro. Il dì primo del Mese di Settembre i Romani fecero le sbarre a Castello, e furono fatte appresso la Conca della Piazza, e la notte vegnente, passato il primo sonno, fu una gran tempesta di vento e di acqua, per modo che molte tegole di piombo di Santa Maria Rotonda cascarono, e fecero molto danno per quelle case appresso, & il Campanile di Santo Nicola Fervitore cascò con tutta la Chiesa: per la qual cosa tutta Roma ne stette in gran paura; sì che i Romani stavano con grande affanno, e non potevano uscir fuori, che non fossero derobati, e tolti i loro bestiami. E per questa cagione gli Officiali ne fecero consiglio, se

B dovevano mandare per lo Papa a Viterbo, e fu deliberato, che si mandasse, e che se gli dovesse mandare le chiavi di Roma per ubbidienza, e così fu fatto. E gironvi due Ambasciatori, cioè Messer Giovanni Baroncelli, e Messer' Antonio di Scavola, accompagnati da molti Cittadini.

Nell' Anno 1407. del mese di Marzo a dì 13. ritornò Papa Innocenzo Settimo da Viterbo, & entrò in Roma per Porta Portese, e i Romani gli fecero grand' onore, e gran festa; e ci andarono i Giocatori di tutta Roma con le fiaccole in mano, dicendo: *Viva lo Papa*: & andava per Transtevere, e poi a Palazzo di San Pietro sotto Pallio. Dell' Anno

C suddetto 1407. del mese di Novembre *die septima* morìo Papa Innocenzo Settimo, e fu di Sabbato. Fatto l'esequio, i Cardinali si misero in Conclave nel Palazzo di San Pietro a dì 14. del detto mese di Novembre, e stettero nel Conclave fino al primo di Decembre. Et il detto dì primo di Decembre 1407. fu fatto Papa il Cardinale di Costantinopoli, che si fece chiamare Gregorio Duodecimo, il quale abitava in Campo Marzo. Et incoronato che fu, si partì da Roma, & andò a Bologna per paura de' Romani, e lasciò per Legato Messer Pietro degli Annibali di Trastevere, lo quale manteneva lo Stato di Santa Chiesa, e per Papa Gregorio. I Romani,

D quando fu fatto Papa, gli fecero molto onore, e quando fu incoronato, ci andarono gli Oratori di Roma, & andò sotto Pallio da San Pietro a San Giovanni. E quanto n'ebbero d'allegrezza, tanto rimasero tristi, quando si partio, per paura che non venisse qualche scandalo. Et il detto Messer Pietro Cardinale degli Annibali Legato di Roma in tempo suo faceva gli Ufficiali di Roma, e squagliava di molti Calici e Croci di tutte le Chiese di Roma, per farne danari per pagare la gente d'armi. E rimase Paolo Orsino al soldo di Santa Chiesa insieme col Legato sopradetto.

Dell' Anno 1408. in tempo di Papa Gre-

E gorio venne lo Re Ladislao da Napoli del mese di Aprile a dì 18., e mise campo ad Ostia per mare e per terra, & ebbela per battaglia, e stavaci per Castellano Messer Paolo di Batista di Govio. E corse anco fino a Porta San Paolo, a fecero molti danni di bestiami, e prigioni; e i Mercanti di Roma bisognava, che riscotessero i loro bestiami, e i prigioni pagavano le taglie, e per questo i Romani stavano assai mal contenti. Et a dì 21. del detto mese di Aprile fu fatta la tregua tra detto Re, e i Romani per due giorni, e di poi si accordarono a due dì dopo, & il Re mise il suo Officiale in Roma, e fece Se-

natore

natore Messer Giovanni Torto, *aliàs* Torpo. Nell' Anno del Signore 1408. a dì 25. Aprile entrò lo Re di Napoli in Roma per la Porta San Giovanni, e poi per San Paolo, & andò in Trastevere in Santo Crisogono, e i Romani gli fecero grande onore; e lì stette sempre, e faceva tutti gli Officiali di Roma, e fece acconciare tutte le Porte, e mura di Roma, e facevale ben guardare, e fece molti Provisionieri de' Romani, e dava (*) per Connestavile un Romano, e voleva molto bene a i Romani. Alli 19. del mese di Giugno venne Giovanni Colonna, e Messer Nicola Colonna, e Jacomo Orsino, e Batista Savello, e molti altri Signori con due mila cavalli, e con molti fanti a piedi, e con tutti i banditi di Roma. E pigliarono Porta di San Lorenzo; e la mattina ad ora di Messa Pavolo Orsino cavalcò con la brigata sua per soccorrere la Porta, e si ebbe prigione Giovanni Colonna, e Messer Cola Colonna, e Jacomo Orsino, e Corradino di Gianpaolo, nipote di Paolo Savello, e Messer Galeotto Normanno, e Riccardo Sanguigno, e Giovanni Cecco delli Cecchi, e Tomao Joannetti, e molti altri compagni di Giovanni Colonna. E Messer Nicola Colonna, e Jacomo Orsino, e Corradino di Gianpaolo questi furono tutti presi, perchè Messer Nicola Colonna, che stava suso nella Porta di San Lorenzo, si mozzò la caditora della Porta, e per questa cagione quanti ne entrarono dentro la Porta, tutti furono pigliati; perchè Batista Savello, ch' era rimasto di fuora con tutta la gente grossa, venne per soccorrere quelli di dentro, e trovarono che la caditora della detta Porta era mozzata; per tanto non li poteva soccorrere, e per questo tutti quelli di dentro furono presi a man salva, e con poca fatica. A dì 21. del detto mese di Giugno tagliarono la testa a Messer Galeotto de i Normanni, e fu di Martedì. A dì 27. pur del detto mese di Giugno tagliarono la testa a Riccardo Sanguigno, e fu di Lunedì, e questo fu, perchè tutta questa parte volle stare dinanzi a quella dello Re.

Dell' Anno 1410. d'Ottobre venne a Roma lo Duca d'Angiò, e Paolo Orsino in Portico con ventitre migliaja di persone; e lì stettero dieci giorni, e poi si partirono, perchè non trovarono quello, che si credevano, cioè di cacciare lo Re Ladislao. In quell' istesso Anno a dì 27. di Decembre rivenne Paolo Orsino in Portico, e fece gran battaglia in Settignano tra San Pietro, e Trastevere, e ci morirono di molte persone dello Re, e di quelle di detto Paolo Orsino. A dì 30. del detto mese di Decembre, & Anno, Paolo Orsino fece un trattato co' Romani, & entrò in Roma con tutti gli Orsini, e partigiani di Santa Chiesa, e furonci gli Officiali, e per questa cagione lo Re di Napoli si partì da Roma, & in quell' istesso tempo fu una grande Carestia in Roma, & in molti altri luoghi.

Dell' Anno Domini 1411. po' la morte di Papa Alessandro fu fatto Papa Giovanni Vigesimoterzo, & in questo tempo gli Orsini, e partesani di Santa Chiesa mantenevano lo Stato di Roma per la Santa Chiesa. Et in questo istesso tempo venne Papa Giovanni in Roma, e molti Cardinali si partirono d'Italia, & andarono in Costanza, dove si faceva lo Concilio, e fecero citare Papa Giovanni, che dovesse gire allo Concilio, e lui non ci volle andare. E subito detto Papa Giovanni mise lo terzo allo vino, e crescè tutte le gabelle di Roma, e perciò tutti i Romani ne stavano mal contenti. E fece fare una Processione da San Giovanni a San Pietro il giorno di San Marco, e volle che ne gisse la Testa di San Giovan Batista processionalmente, con intenzione di mandarla in Fiorenza, e ricevere in contracambio parecchie migliaja di Ducati da' Fiorentini. E per questa cagione le Monache di San Silvestro, e tutti i Cittadini di Colonna una col Caporione, e molti altri Cittadini di Roma non la vollero mai lasciare, e riportaronla sana e salva a San Silvestro, e non riuscì il pensiero nè allo Papa, nè a i Fiorentini. E Papa Giovanni venne da Roma con solo otto Cardinali nel sopradetto Anno a 11. di Aprile.

Dell' Anno 1413. del mese di Giugno venne lo Re Ladislao da Napoli a Roma, e ruppe lo muro a Santa Croce, & entrò a San Giovanni Laterano con tutta la sua gente, e in San Giovanni stette parecchi giorni per fino a 13. del detto mese di Giugno. E per questa cagione de lo Re si partì Papa Giovanni da Roma, e gissone a Fiorenza, e fu del mese di Luglio, con molti Romani, e morironci molte persone di sete, e morseci fra gli altri Marcomeo di Cambio, e Messere Giovanni, e molte altre persone, quando fuggivano. E lo Re Ladislao ebbe Castello Sant' Angelo, e dopoi nel detto Anno e mese entrò lo detto Re solennemente in Roma, e gli fu fatto grande onore da i Romani. Et in questo tempo valeva lo rubbio del grano diciotto Fiorini, e molte famiglie si morivano di fame; e lo Re fece venire di Sicilia parecchie migliaja di rubbj di grano, e tutto lo distribuiva per Roma; e pochi denari ne ebbe, perchè lo donava a tutti i Romani a chi poco, a chi molto. Et in questo tempo lo Re si partì per gire a Fiorenza, e per lo viaggio fu attossicato, perchè volle usare con una donna. E i Fiorentini dissero alla donna: *Piglia in questo modo, che noi ti daremo gran ricchezze: metti nella natura questo veleno; esso morirà, e tu camperai*; e per questa cagione si morirono ambedue. E fu finita la profezia sua. Vedendo lo Re, che non poteva campare, si partì, e morì.

Dell' Anno 1414. del mese di Settembre a dì 13. si levò su lo Popolo Romano a rumore, e diceva: *Viva la Libertate*; e misero dentro Orsico della Toila. Due giorni dopo andò lo Popolo di Roma con gli Officiali a casa di Pietro di Matuzzo, e fecerolo Rettore di Roma, e Pietro non voleva essere: e gli Officiali, e lo Poplo sì lo fece pigliare, e dissero: *Noi, e tutto lo Popolo volemo, che tu sii nostro Officiale*. A dì 16. del detto mese di Settembre fu levato rumore in Trastevere, e dicevano: *Viva la Chiesa, e lo Popolo*. E vedendo questo, Pietro di Matuzzo uscì di Campidoglio, & andossene a casa sua, e rinunciò incontinente l'officio, e molto bene fece. Nel mese di Ottobre del detto Anno venne lo Legato a Roma, mandato da Papa Giovanni col Cardinale di Bologna, i quali mantenevano molto la giustizia, & era Governatore un Bolognese. A dì 19. del mese di Decembre del detto Anno fu mozzato lo capo a Paolo de i Palloni per comandamento dello Legato, e que-

(*) *Edition. Eccard.* per Connestavile due quattro *fortasse* due quarti.

e questo fu fatto come a ribello della Santa Madre Chiesa.

Dell' Anno 1416. del mese di Agosto, Braccio e Tartaglia dell' Avello furono alle mani con Paolo Orsino nello tenimento di Foligno, e lo detto Paolo Orsino fu ucciso da Lodovico Colonna, che stava al soldo con Braccio da Montone da Perugia. E dopo del mese di Decembre del detto Anno lo Senatore mandò a chiamare Giovanni Cencio, che gisse a pranzo con esso lui. E quando fu in Campidoglio, lo Senatore gli fece grandi vezzi; & andavano favellando in su & in giù (oh guarda tradimento!) e quando il Senatore vide lo destro, lo pigliò, e subito gli fece tagliar la testa. E questo fu per sospizione, che aveva lo Legato, perchè stava al soldo del Popolo Romano, e fu di Lunedì.

Dell' Anno 1417. venne Braccio da Montone da Perugia, e sì ebbe Roma, e faceva gli Officiali, e combattendo un tempo per avere lo Castello di Sant' Angelo, mai non lo potè avere. Et addrizzavano trabucchi e bombarde, e lo Castello si teneva per la Regina di Napoli, e manteneva tutto quel tempo in pace Roma, e non ci fu fatto mai danno. E fu raccolto il grano in pace, e non fu perduta mai una spica in tempo suo. Del sopradetto Anno a dì 28. di Agosto venne Sforza a Roma, & entrò per la Porta del Popolo per soccorrere lo Castello, mandato dalla Regina di Napoli con molta gente. E cacciarono Braccio, & in questo dì fu morto Giovanni Colonna da un' uomo d'arme di Paolo Orsino, perchè questo voleva uccidere Lodovico Colonna, e non gli venne fatto, perchè Giovanni Colonna si mise in mezzo per difenderlo, e Lodovico scampò, e misesi in una barchetta in fiume a Santo Spirito, & in questo modo la campò. E morì Giovanni Colonna figliuolo di Antonio Colonna, che era una franca lancia, e lo Fallivo ne pagò Ducati trecento, perchè era Caporione di Campo Marzo, & aveva lasciato entrare Sforza senza licenza degli Officiali di Roma. Ma poi Braccio, quando si partì, perchè era venuto Sforza senza licenza degli Officiali di Roma, e vide, che i Romani non facevano alcuna difesa, si partì molto scorucciato; e per questa cagione tenne modo di rompere le marmora del Lago di Pedelupo, e fecelo con intenzione di allagare Roma, come poco dopo fu fatto. Et in questo tempo fu citato Papa Giovanni, che dovesse andare al Concilio di Costanza, & andovvi, e fu privato del Papato, e carcerato in una fortezza della Baviera. E come piacque alla Maestà divina, che tutte queste guerre e tribulazioni avessero fine, provide alla Città di Roma, e volle, che queste cose mancassero: i Cardinali, e moltissimi Signori, che erano nello Concilio providero, e fecero Papa Messer' Oddo Colonna, il quale fu dopo chiamato Martino Quinto. Il quale quando fu fatto, tutto il Mondo si rallegrò, massime la Città di Roma, e ne fecero gran festa, e Messer' Jordano fratello di detto Papa Martino subito ebbe lo Stato di Roma pacifico. E fu fatto nell' Anno Domini 1417. a dì 11. di Novembre il giorno di San Martino. E poi si partì da Costanza, e venne in Fiorenza, e lì stette anni due, e mesi.

Nell' Anno Domini 1420. del mese di Settembre a dì 28. in Sabbato venne Papa Martino in Roma, & entrò per Porta dello Popolo, e stette tutta la notte in Santa Maria dello Popolo, e la Domenica mattina se n'andò allo Palazzo di San Pietro, e giò per Colonna per fino a Santo Marco; e poi giò per via dello Papa, coperto collo Pallio; e per ogni Rione si fecero otto Jocatori Gentiluomini Romani, e gli fu fatto grandissimo onore. E i Conservatori, e Caporioni con molti Cittadini di Roma parecchie sere giravano con le torchie accese in mano, sempre dicendo: *Viva Papa Martino, Viva, Viva*. E giunto che fu Papa Martino, volle amministrar giustizia, perchè Roma stava molto scorretta, e piena di ladri, e subito provide a tutte le cose, massime a quelli che rubavano fuori di Roma, e a tutti quelli che rubavano a' poveri Romipeti, che venivano alla perdonanza a Roma. Et ebbe anco notizia, come a Monte della Guardia, e a Montelupo, & in alcuni altri luoghi si rubava, e per questo sua Santità provide.

Nell' Anno Domini 1422. *die 30. Novembris in festo Sancti Andreæ* fu una piena d'acqua sì grande allo Tevere, che allagò la maggior parte di Roma, e fece grandissimo danno, e tanto che non si potea contare. E di questo ne fu cagione Braccio da Montone, perchè partendosi molto scorucciato da Roma, quando perdè lo Stato di Roma, ruppe di nuovo li marmi dello Lago di Pedelupo, e questo lo fece per dispetto de li Romani; e di questo pure ne fu fatta memoria in una parte nella facciata della Chiesa della Minerva.

Nell' Anno Domini 1423. de lo mese di Maggio l'Oste di Roma per comandamento di Papa Martino andò allo Conte Bertollo, cioè a Fiano, Leprignano, & a Montelupo, & a Monte della Guardia; e stettevi il campo a Montelupo di molti giorni. E poi l'ebbe lo Papa con tutti gli altri Luoghi e Terre, e poi che l'ebbe fece spianare nel detto Anno Montelupo, perchè rubava. E questo fece Papa Martino per dar esempio a tutte l'altre Terre, e Luoghi. Item fece mozzare lo capo a Tartaglia dell'Avello, Capo di Squadra, perchè derobava quando lo bestiame, e quando le persone; & ancora fece morire tutti i ladri, che rubavano da Monterotondo fino a Campagnano, e lo Signore Ulisse di Magnano, e lo Signore di Montelupo, e quanti furono grandi rubatori di strada, sicchè in questo tempo si poteva andare con l'oro in mano da ogni parte.

Del 1424. *die secunda Junii* fu ucciso Braccio da Montone bravo Capitano in quello dell'Aquila, e per questa cagione ne fu fatta gran festa & allegrezza in Roma di fuochi, e di ballare. Et ogni Romano giva con la torcia in mano a cavallo ad accompagnare Messer Jordano Colonna fratello dello Papa, perchè era morto l'inimico di Papa Martino. E morti che furono questi, rimase lo Papa senza altri impacci, e mantenne nel suo tempo pace e dovizia. E venne lo grano a soldi quaranta lo rubbio. In tempo suo fu pentato San Giovanni Laterano, e fece racconciare lo Palazzo de' Santi Apostoli, & in esso stette la maggior parte del tempo suo. Et ebbe la Rocca di Soriano al tempo suo, e nel detto Anno 1424. nel mese di Giugno a dì sedici morì Messer Jordano Colonna fratello di detto Papa, e morì in Marino, e vi stette lo Papa presente. In quell'Anno Frate Bernardino da Siena, che era un buono Frate, fece

fece ardere Tavolieri, Canti, Brevi, Sorti, Cappelli, che furavano le donne, e fu fatto uno talamo di legname in Campidoglio, e tutte queste cose si furono appiccate, & arse, e fu a dì 25. di Giugno. E dopo a dì 28. del detto mese fu arsa Finicella Strega, perchè essa diabolicamente uccideva di molte persone, e ne affatturava di molte, e tutta Roma ci andò a vedere. Lo detto Frate Bernardino fece in Roma di molte paci, e di molti abbracciamenti, benchè fossero state per cause d'omicidj, e fece altre opere buone, sicchè da tutti era tenuto per sant'Uomo, perchè faceva anco miracoli, e sanava di molti infermi pericolosi, e qualcuno stroppiato.

Dell'Anno 1431. *die duodecima Januarii* oscurossi il Sole, e fu lo giorno di Carnovale, cioè lo Lunedì. Del predetto Anno a dì 19. di Febbrajo cadde la goccia a Papa Martino nella lingua, e fu di Lunedì; e lo Martedì seguente morì nell'alba del die, e fu a dì venti del mese di Febbrajo, e tutta Roma fu addolorata di sua morte.

Adì primo poi del mese di Marzo tutti i Cardinali si misero in Conclave nella Minerva, e fu sbarrata tutta la Piazza per fino a la Piazza di Santa Maria Rotonda. Adì 3. del detto mese di Marzo *die Sabbati creatus fuit Eugenius Quartus Pontifex, qui erat Frater Cœlestinus, & Venetus*, il quale incontinente fu menato in San Pietro. *Die undecima Martii* fu coronato lo detto Papa Eugenio secondo lo stile in San Giovanni Laterano, il quale po' alla sua coronazione tornò a Palazzo, e fece Concistoro generale, e furonci di molta gente nella Sala grande, nella quale per la gran pressura si ruppe lo Acrizatore; e credendo la gente, che cadesse la Sala grande, ogni uomo con prestezza si diede a fuggire, e per la detta pressura si soffocò lo Vescovo di Sinigaglia fratello di Pietro Mellino, *& hoc fuit modo prædicto die vigesima sexta mensis Martii*. E subito che fu Papa, ebbe e pigliò tutte le fortezze, e massime Castello Sant' Angelo, quale teneva lo Principe, dal quale lo detto Papa ebbe parecchie migliaja di Ducati, che gli fece dare Antonio Colonna dal detto Principe; & anco Messer Jacomo Caldoro ebbe dallo sopradetto parecchie migliara di Ducati.

Dell'Anno 1432. adì 11. di Aprile fu pigliato Oddo Poccia Vicecamerlengo, e pigliollo Stefano Colonna per comandamento di Papa Eugenio per voler saper le robe e i danari di Santa Chiesa dove stavano. E comandò lo Papa a Stefano Colonna, che lo menasse onestamente dinanzi ad esso; & il detto Stefano fece il contrario e desertollo; e per questo lo Papa l'ebbe a gran sdegno, e minacciò a Stefano Colonna. E per questa cagione Stefano predetto si partì da Roma, & andò a Palestrina, e trattò col Principe di venire a Roma, per togliere lo Stato al Papa. E vennero, e pigliarono Porta Accia lo giorno di Santo Jorio li 23. di Aprile. E stava nella Porta Messere Antonio Batista degli Albertoni, & il secondo dì entrarono in Roma, e combatterono per tutta Piazza Colonna, e San Marco; e presero, e fecero di molti prigioni, e presero di molti cavalli & armi. E quando se ne tornarono, depredarono molti bestiami de' Romani, e fecero molto danno; perchè in Roma vi era di molto bestiame, e lo danno, che fecero, fu inestimabile; e tennero la detta Porta parecchi dì, & ogni giorno lì si combatteva; e mentre che tenevano la Porta lo Popolo di Roma stava sospeso e non faceva niente. E fu sbarrata tutta Roma, e givano i Romani tutti armati, e Cortigiani, e'l Popolo minuto, e misero a sacco la Casa di Stefano Colonna, e d'Orlando, e di Pietro Paolo Sartore, e di molte altre case. E tutta Roma stava in gran timore, & il Papa, e i Cardinali, e tutta la Corte, perchè dubitavano di peggio; & il grano salì a Fiorini cinque, e sei e mezzo, lo rubbio, e non si poteva gire per lo Lazio, che non si fosse derobato. *Eodem Anno die ultima mensis Maji* fu ritolta Porta Accia al Signore Stefano Colonna, & a Messere Antonio Batista. Dell' Anno 1432. adì 3. di Giugno fu gettata a terra la casa di Messere Antonio Batista da Pietro Matteo, perchè tolse la Porta predetta, e questo lo comandò Papa Eugenio. Et in questo Anno, e mese di Giugno adì 20. fu preso l'Arcivescovo di Benevento figlio d'Antonio Colonna, e Frate Masi, e furono messi in Castello, e fu detto, che volevano togliere Castello Sant' Angelo. Adì 14. del detto mese di Luglio fu impiccato Frate Masi, e poi fu squartato, perchè si diceva, che aveva ordinato di togliere Castello Sant' Angelo, e far di molto male. E voleva mettere lo Principe in Roma esso, e molti altri traditori; e per esempio degli altri lo Papa fece fare questo, e la detta giustizia fu fatta nella Piazza di Campo di Fiore. *Eodem Anno* adì 22. di Ottobre fu attossicato Papa Eugenio dallo Soldano suo Scudiero, & il Papa se crese morire. E il detto fecelo ad istanza di Casa Colonna; e per questa cagione il Papa rimase stroppiato da un lato, sicchè non poteva alzare lo braccio dritto. Nell' Anno 1432. adì 4. dello mese di . . . . fu in Roma, e fua tenuta una grandine molto grande, & acqua, e i giacciuoli della grandine erano grossi, come noci. Durò tanto, che allagò tutta Santa Maria Rotonda con tutto lo Porticale, & andò infino alla Matalena, e non fu mai veduta cosa simile, che nissuno si ricorda, e fece di molto danno. Dell' *Anno Domini* 1433. adì sette di Aprile fu pubblicata la pace d'Eugenio con l'Imperadore Sigismondo Rè dei Romani, ad essere uniti in buona pace e tranquillità & unione insieme; e fu il Martedì Santo, & andò lo bando a suono di trombe, e furono fatte gran feste per tutta Roma. Lo Mercordì Santo di detto Anno furono pigliati in San Pietro quattro Schiavi, perchè rubavano intra Città Castellana & Acignano molti Cortigiani, e portavano di quelle robe adosso. E quelli Cortigiani le riconobbero; e però furono presi, & appiccati caldi. Del detto Anno 1433. fu ammazzato lo Signore Stefano Colonna lo giorno de i 17. del detto mese. Et arrivò Nolo Salvator Colonna suo nipote in compagnia di Mataleno figliuolo di Vergurio Pittore; e per questa cagione quelli di Palestrina ammazzarono Salvatore Colonna, e Mataleno e molti altri, e fu ammazzato detto Stefano in Genazzano. *Eodem Anno* adì 21. di Maggio venne in Roma lo Imperadore Sigismondo, e fu il giorno dell' Ascensione, e venne per Porta Castello, e giò a Santo Pietro con gran solennità, & annaronvi tutti gli Officiali di Roma, e furono fatti Jocatori per ciascuno Rione, & andarono ad accompagnar-

pagnarlo, e'l Papa venne per fino alle scale A
di San Pietro d'incontro ad esso, e poi tutti insieme entrarono nella Chiesa. *Eodem anno die ultima Maji* fu incoronato l'Imperadore in Roma in Santo Pietro da Papa Eugenio, e fu il giorno di Pasqua rosata, e giò poi a San Giovanni in Laterano; e Papa Eugenio gli fece compagnia per fino a piazza di Castello; e poi il Papa tornò al Palazzo suo; e furonvi di molte genti; e l'Imperadore sul Ponte di San Pietro fece di molti Cavalieri, tra' quali ci fu Messere Stefano di Paolo de' Stati; & il Cavallo dello Imperatore fu addestrato dallo Soldano, e da Mancino, i quali stanno scolpiti nella Porta di metallo di San Pietro a mano dritta, quando si entra. *Eodem Anno* B
die 17. Junii, die Mercurii, circa ventidue ore lo Sole scurì, e lo Imperatore predetto stava in Roma, cioè a Santo Giovanni, e lo Papa a Santo Pietro. A dì 25. del mese di Agosto venne Niccolò Fortebraccio ostilmente a Roma, e prese Pontemolle, e venne fino a Porta dello Popolo, e fece di molti prigioni, e furono presi Lello di Ciuffola, e molte persone che stavano per le Vigne, e Jacovello di Cecchino, e Messer Mattia di Pietro Palozzo; e corse tutto lo Lazio, e tolse tutto lo bestiame, che vi era, e fecero di molti prigioni, e fecero anco quel dì grandissimo danno alli poveri Romani. E lo stesso dì prese Ponte Salaro, e Ponte Lamentana; e C
fu sbarrata Roma; & il Lunedì vegnente fu ritolto Ponte Molle, e fu gettato tutto il Ponte di legname, e ci furono pigliate di molte persone di Castelnuovo; & il secondo dì fu ripreso Ponte Salaro, e durò questa tenebra nove mesi; perchè Niccolò Fortebraccio tolse l'Abazia di Subjaco, e poi se ne venne a Genazzano, e mentre stava lì, vi andò il Campo di Papa Eugenio, e non gli potè nuocere; & esso Niccolò dopo tolse Tivoli, e ne cacciò il Conte di Tagliacozzo, e fu nell' Anno Domini 1433. a dì 7. di Ottobre, e lì stette per tutto il Mese di Maggio seguente dell' Anno Domini 1434. E vedendo esso Niccolò, che Roma era in libertà, lo ebbe D
molto caro, e raffegnò Tivoli al Popolo Romano a dì 21. Giugno.

A dì 5. Decembre 1434. furono appiccati diecisette uomini nelle forche a Campidoglio, e fu di Sabbato sera, e furono presi in Campo Salino; e furono di quelli di Niccolò della Stella, & il Reggimento lo fece per dare esempio ad ogni persona, che rubava, perchè i Romani erano derobati da ogni parte, e furono Schiavi *pro majori parte*.

Quando fu perduto lo Stato da Papa Eugenio.

DEll' Anno 1435. a dì 29. Maggio fu levato lo Stato di mano a Papa Eugenio, E
e furono fatti i sette Signori per la libertà di Roma; e chiamaronsi Governatori della Repubblica di Roma, e furono questi: Giovan Matteo di Sant'Angelo, Liello di Paolo Stati, Cecco di Strocco, Giovanni Cuccio di Viello di Ripa, Giovanni Somma di Colonna, Messere Antonio Scorsola della Regola, Jorio Tasca di Trejo; e Poncello di Pietro Venerameri si fu fatto Contestabile di Campidoglio. E questi Officiali presero lo Camerlengo Nipote di Papa Eugenio, e messelo prigione in Campidoglio nella camera del Senatore, ben guardato da' Romani; e per questa cagione si partì Papa Eugenio da Roma, e per paura lasciò ogni cosa, e vestissi a modo di Fraticello in Trastevere; e poi si mise in una barchetta esso, e Frate Arsenio. E come fu saputa la sua partenza, gli andarono a piedi, e lo seguitarono con le saette; & egli si salvò, & andò a Fiorenza, e lì stette per fino che tornò a Roma. E subito, che fu partito, Castello Sant'Angelo ruppe con Roma; nè mai finìo di bombardare; e i Signori di Roma facevano le sbarre nel Ponte di San Pietro con un forte muro; e fu fatto Capitano della sbarra Paolo de' Tosti con cinque Ajutanti, e ci teneva la Bombarda, e altra sbarra fecero in Santa Maria Traspontina, & in Piazza Castello; e tutti quei contorni stavano in arme, & il detto Papa si partì a dì 14. del mese di Giugno. *Eodem Anno & mense* quelli di Castello Sant'Angelo tennero modo con tradimento ordinato di darsi al Popolo Romano, e gridavano tutti quelli di Castello *Viva lo Popolo*; e gli Officiali, e tutto lo Popolo se lo crese, e tutta Roma corse a vedere; e Baldassarre di Nino, che stava in Castello, diceva con alcuni altri: *Venite, e pigliate il Castello*. E i Romani vi andarono, & entrati che furono dentro, furono pigliati, e i Cittadini pigliati furono questi, cioè Galeotto Normanno, Valeriano Muto, Joanni Somai di Colonna, Jorio Tasca da Trejo, Mattia Campione di Colonna, Paolo Jacovone da Campitello, & un'altro. E subito presi che furono, il Castello gettò una bombarda, e diede nel muro della sbarra, & ogni persona si partì fuggendo per paura della bombarda, e tutta Roma ne rimase sconfitta. E gli Officiali se ne girono a Campidoglio tristi e dolenti, e molti dicono, che questi Cittadini da uno di essi fossero menati. *Eodem Anno* d'Ottobre nella Vigilia di Santo Simone e Giuda a' 27. di Ottobre fu perduto lo Stato dello Popolo Romano, e la Chiesa lo riebbe, & uscì di Campidoglio lo Camerlengo. Et erano Officiali questi: cioè Paolo Porcaro, Massimo Liello, Cecco, e Bartolomeo Pezzunello; e fu fatta gran festa per Roma, per quelli, che erano dalla parte dello Stato Ecclesiastico, e subito abbandonarono Campidoglio, e fu fornito incontinente di Fanti della Chiesa, e di vettovaglia, e tutti gli Officiali se ne girono a casa tristi e dolenti. In quel giorno furono fatti Officiali per Santa Chiesa, e subito venne a Roma il Patriarca Vitelleschi di Corneto, e mise paura ad ogni persona, e stette quì per Legato, & il Camerlengo se n'andò allo Tio suo Papa Eugenio.

Dell' Anno Domini 1436. del Mese di Marzo a dì 20. Poncello tolse Porta maggiore; e fu Poncello figliuolo di Pietro Venerameri, e da Paolo Frate, e da Antonio di Paolo Jannuccio, e da Giovanni Romano, e la detta Porta la diedero al Conte Antonio Caldora, e subito fu sbarrata Roma: e la tennero giorni tre. Et il Conte Everso, e molti Romani gli diedero battaglia, & arrenderonsi, e furonvi trovati Antonio di Paolo Jannuccio, e Giovanni Marcone; e fu il giorno di Santa Croce in Gerusalemme, che ci andò tutta Roma. Dicesi, che Poncello fece questo, perchè egli si adoperò, che Roma tornasse alla Chiesa, e per la liberazione del Camerlengo lo fece, e furongli promessi cento migliaja di Ducati, e non gli furono poi dati, e per questo egli si disperò, e fece così. *Eodem Anno*, &

& Mense Maji fu messo a sacco Castel Gandolfo dalle Genti del Patriarca, e fu arso, e gettato a terra, & il simile fu fatto nel Borghetto, e fu gettata a terra la casa di Poncello di Pietro Venerameri, e di Cola de lo Tronco, e di Paolo Fricco, e di Antonio di Paolo Jannuccio, perchè tolsero la sopradetta Porta, e furono banditi della testa. Dopo lo Patriarca mosse la guerra in Campagna, e pigliò tutta Campagna, e Cività * Innivina, e Castel Nuovo; & il detto Patriarca pigliò il Conte Antonio Caldora, & appicollo a Scantino in maritima in uno Ulivo, e fu a dì diecinove del Mese di Maggio. A dì 3. del Mese di Giugno si mise il campo a Zagarola, & a Palestrina, e ci andò il detto Patriarca col Popolo di Roma, e stette lì a campo per fino che ebbe Zagarola, e Palestrina, e tolsela del Mese di Agosto, e subjugolla alla Chiesa. E poi tornarono a Roma, e gli fu fatto tanto onore, che ad un Papa non si saria fatto tanto; e gìo sotto pallio dall'Arco di Santo Vito fino a San Lorenzo in Damaso con tutti gli Officiali di Roma, dicendosi sempre, *Viva lo Patriarca, che è lo Padre della Città*, perchè era stata gran carestia, e calò lo grano per amor suo, & il Pallio suo fu sciliato dinanzi a San Lorenzo, come se fosse stato uno Papa, o Imperadore. E dopo il detto Patriarca prese Poncello predetto, e fu del detto Mese di Giugno, e lo fece attenagliare per Roma, e dopo in Campo di Fiore lo fece appiccare, e squartare, e i quarti appiccò per Roma; & il detto Patriarca fece spianare, & abbrugiare Palestrina, perchè Stefano Colonna s'era trovato contro il Papa, e tutti i Palestrini furono pigliati, & in Roma venne la nuova preda.

Dell'Anno 1437. d'Aprile lo detto Patriarca andò a campo nel Reame di Napoli, e trovò, che il Re d'Aragona aveva avuto Napoli con tutte le Castella, onde per questa cagione se ne tornò a Roma. Del Mese di Luglio ritornò in Reame, e prese lo Principe di Taranto con due mila prigioni, e tutte le Terre del Conte di Nola; e le Terre del Principe vennero all'ubbidienza del detto Patriarca, e fecesi di gran fatti.

Dell'Anno 1438. morì Sigismondo Imperador di Roma. Del detto Anno alli 12. di Aprile da Capocciola e Garofolo due Beneficiati di San Giovanni Laterano furono rubate molte pietre preziose, zaffiri, balassi, diamanti, & ametisti, e perle dal capo di San Pietro, e da quel di San Paolo, che stavano nel Tabernacolo di San Giovanni predetto in due volte; e furono ritrovate per questo modo. Silvestro di Pallone comprò una perla di gran valore per trenta Ducati, e fece contesa con l'orefice, e così venne a notizia di molti: e quando fu saputo, chi l'aveva venduta, subito fu suspicato e scoperto. E subito fu preso Messer Niccolò di Valmontone Canonico di San Giovanni Laterano, perchè Grassolo suo Nipote la diede a tenere a lui, & egli giurava, che non era il vero, e che non ne sapeva niente, & esso lo sapeva. E dopo che fu saputa la verità, e trovate le pietre, tutte furono riportate a San Giovanni a dì 20. di Agosto con tutta la processione di Roma, e ci andò lo Senatore di Roma con tutti gli Officiali, e con tutto lo Popolo, e lo Senatore lesse la Scomunica, che fece Papa Urbano Quinto, lo quale pose lì quelle teste, & ornolle con quelle pietre. *Eodem Anno die quarta Septembris* furono degradati questi Malfattori, *idest* Messer Nicola da Valmontone Canonico, Capocciola, e Garofolo Beneficiati, nell'Altar Maggiore dell'Aracielo, e dopo furono rincarcerati nella Piazza di Campo di Fiore su in alto, e lì stettero giorni quattro. *Eodem Mense* furono giustiziati in questo modo, *videlicet*; Capocciola e Garofolo furono strascinati per fino alla Piazza di San Giovanni Laterano, e Messer Nicola gìo a cavallo nel somaro, tutti immitrati. Il detto Messer Nicola fu appeso nell'Olmo della Piazza di San Giovanni, & a Capocciola e Garofolo furono mozze le mani dritte, e poi furono arsi nella detta Piazza, e le dette mani furono chiavilate avanti all'opera di metallo a quel muro, come delle predette cose si vede la memoria penta, come si entra nella Chiesa di San Giovanni a man dritta su ad alto. Del detto Anno 1438. del Mese di Novembre a dì otto furono giustiziati Giacomo Gallese, e Riccio, perchè volevano guastare lo Stato del Patriarca, e lo volevano pigliare; e fu loro mozzata la testa, e poi appesi tutti due per li piedi su le forche di Campidoglio, e le teste furono messe in due lancie, e portate per Roma, & in Campo di Fiore per esempio degli altri. A dì 2. del Mese predetto Rienzo Colonna tolse Zagarola, e la Rocca, e giunse a campo Rinaldo Orsino, e misesi in Gallicano, & il Patriarca se n'era andato a Corneto; e come seppe la novella, subito ritornò a Roma, e sempre piobbe quelli giorni, e per la detta pioggia crebbe fiume, & andò per tutto, e al Campo di Zagarola vi andò molta gente di Roma, & anco il Patriarca a campo il giorno di Carnevale, che fu a dì 17. di Febbrajo; e furono fatte le processioni, e fu mostrato il Volto Santo, e le teste di San Pietro e di San Paolo per questa cagione, e portarono la brecciola con molte bombarde, la qual brecciola fu fatta nella piazza di Colonna; e stettevi il Patriarca a campo tutta la Quaresima, e dopo alli 2. di Aprile fece la concordia con Rienzo Colonna; e fu il Giovedì Santo, e sonò a gajo il Campidoglio con tutte le Chiese di Roma, e poi si partì il Patriarca per Fiorenza a dì 4. del detto Mese di Aprile.

Dell'Anno Domini 1439. del Mese di Maggio in tempo di Messere Angelo Puriario Senatore di Roma fu arsa e buttata per terra Zagarola. *Eodem Anno, & Mense Novembris* fu fatto Papa Felice in Basilea da i Cardinali, che erano allo Concilio, & era Papa Eugenio. E quelli del Concilio fecero molti comandamenti a Papa Eugenio, che si dovesse presentare, & egli mai non ci volle comparire, & era in questo tempo lo Scisma, e dopo seguitarono le cose infrascritte. Lo Patriarca predetto nel sopradetto Anno disfece lo Signore di Foligno, e tagliò la testa ad esso, & al figlio nella Rocca di Soriano. E Papa Eugenio per timore dell'altro Papa fece questo, che segue. Vedendo dunque Papa Eugenio, che era abbandonato da i Cardinali per Papa Felice, che era in Basilea, e Costanza, tenne modo le quattro Tempora di Natale di fare diecisette Cardinali, e fece questi, cioè lo Nipote di Monsignor di Roano, lo Cardinale di Brescia, lo Cardinale di Roano, lo Cardinale degli Alberti, il Cardinale di Capua, & altri, che non sono descritti quì.

Dell'

A Dell' Anno Domini 1439. a dì 19. di Marzo fu preso il Legato Patriarca di Corneto, e detto Cardinale di Fiorenza, del titolo di San Lorenzo in Lucina, e fu preso in porta San Pietro a Castello. Lo prese Messere Antonio Rito Castellano del Castello Sant'Angelo per comandamento di Papa Eugenio, perchè poco l'apprezzava, e procacciava di avere il Castello; & addimandollo più e più volte al detto Messere Antonio, e Messere Antonio ne scrisse al Papa; e per questa cagione fu preso, e dicevasi, che si voleva fare Signore di Roma; e quando fu pigliato, fu ferito, e vi stette prigione venticinque giorni, e poi morì. A dì 2. del Mese di Aprile di B Sabbato il corpo suo fu portato alla Minerva, & il Conte Averso passò di là dal Ponte con tutta la sua brigata, e non potè entrare ad ajutare lo Patriarca, perchè fu gittata la Caditora, e subito il Conte prese le some, e lo carriaggio, e portosele a Ronciglione. *Eodem Anno, & Mense Aprilis* venne a Roma l'altro Legato Patriarca, e Cardinale di San Lorenzo in Damaso, per Legato di Roma; e quando venne gli fu fatto grande onore da i Romani, & andò sotto Pallio da San Pietro per fino a Santo Lorenzo in Damaso.

Dell' Anno Domini 1440. del Mese di Maggio la Festa del Corpo di Cristo i Fraticelli di San Giovanni Laterano volevano portare C il Corpo di Cristo, e i Canonici non volevano, perchè lo volevano portare essi. Per questa cagione fu levato il tumulto, e furono cacciati da San Giovanni a furore di Popolo insino con le pietre; e quelli Fraticelli si difendevano molto bene; e per questa cagione andarono da Papa Eugenio, e parte ne rimase nel Palazzo, & al Papa gli seppe molto rio; e però comandò al Patriarca, & al Castellano, che fossero rimessi nel luogo loro i Fraticelli, e cacciati tutti i Canonici; e i Fraticelli furono rimessi in San Giovanni; e questo fu del Mese di Giugno. E con la processione furono ad accompagnarli i Conservatori e Caporioni, nuovi e vecchi, cioè sei Conservatori, e ventisei Caporioni. Et in quel tempo D erano Conservatori Rienzo Mancino, (*) Banollo di Cecchio, e Cola Margano. I nuovi Officiali giurarono l'officio, ma non furono ammessi al detto officio, fin che non entrarono i detti Fraticelli, e per questa cagione vi furono tutti gli Officiali vecchi e nuovi.

Dell' Anno poi 1442. a dì 15. di Decembre furono giustiziati gl' infrascritti, cioè Gino Albanese capo di squadra, e lo Cancelliero suo cugino. Ad esso fu tagliata la testa, e lo Cancelliero fu appeso, perchè Gino predetto ruppe la tregua contro Roma. Et in questo giorno furono guasti tutti i tetti di Santa Maria Rotonda, perchè guastavano tutta la Piazza, e dopo furono gettati tutti i Portici, che E stavano a lato alle Colonne del detto Porticale; e furono le Portiche queste: la Porta di Tomarezzo, la Portica di Giovanni Toscanella, del Cola, del Mauto, e di Jacovo Pucci.

Dell' Anno 1443. a dì 27. Maggio fu mozzato il capo a Paolo della Molara in Campidoglio, e fecegliel o mozzare il Legato per sospetto, che ne aveva, perchè era un bravo valentuomo; e fugli mozzo con gran fatica, perchè si difendeva dal Senatore; e quello ch'è peggio, fugli mozzo senza confessione e comunione; e due giorni innanzi furono appesi quattro de' suoi saccomani. *Eodem Anno* a dì 28. di Settembre di Sabbato venne a Roma Papa Eugenio, & entrò per Porta del Popolo, & entrò nella Chiesa di detto Popolo, e li stette tutto lo Sabbato. La Domenica poi si partì, & andò a San Pietro con molta gente, e cinque Cardinali, & andò sotto Pallio, e mise lo Terzo allo vino, e radoppiò tutte le gabelle; e lo Popolo ne stava molto mal contento; e quando fu a Colonna, fu strillato: *Viva la Chiesa, e morà lo Terzo*. Allora lo Papa Eugenio fece questa grazia, e fu levato lo Terzo; & andarono tutte le Chiese di Roma con molte Reliquie; e fugli mostrato lo Volto Santo, e stette in San Pietro giorni diecinove, e poi se ne andò a San Giovanni Laterano. E lì fu ordinato lo Concilio, e fu acconcia la Sala del Concilio, e furono messe le Scritte per tutta Italia per chi voleva venire allo Concilio, e dopoi se ne tornò a San Pietro. *Eodem Anno* a dì 7. di Decembre, giorno di Sant' Ambrosio fu l'Ecclissi della Luna.

Dell' Anno 1444. a dì 12. di Settembre fu ucciso Angelotto de i Foschi, Cardinale di San Marco, & uccisello un suo Cameriere, e rubollo, e per questa cagione lo detto Cameriere fu subito preso, e strascinato da Campidoglio per fino alla casa del Cardinale, e poi fu messo in un carro legato, & attanagliato per fino a Campo di Fiore, e poi gli furono mozze le mani, e poi appeso, e squartato, e posto in quattro parti di Roma, una a Pontemolle, una in Campo di Fiore, una a Monte Mario, e l'altra a Porta San Giovanni: e le mani furono chiavellate nel muro a Porta San Pietro.

Dell' Anno 1446. a dì 5. di Giugno il giorno di Pasqua rosata, fu canonizzato San Nicola da Tolentino dell' Ordine di Santo Agostino, e disse la Messa lo Papa, e gìo la Processione da Santo Agostino a San Pietro solennemente con molti Prelati, e Popolo. *Eodem Anno* Papa Eugenio cacciò tutti i Canonici di San Giovanni, e fece la Canonica per li Fraticelli, e fece il Coro rilevato, & acconciò tutta quella loggia, che era da San Giovanni *ad Sancta Sanctorum*.

Dell' Anno 1447. a dì 9. di Gennaro in giorno di Lunedì entrò lo Re di Aragona in Tivoli, & accompagnollo il Camerlengo, e l'Abate di San Paolo Cardinale, il Vescovo di Tivoli, con tutto il Popolo di Tivoli, & il Capo milizia gli assegnò le chiavi per comandamento di Papa Eugenio, e del Patriarca Camerlengo; e lo detto Re non le voleva pigliare, e dopo due giorni le pigliò; e le sue genti fecero in Tivoli molto danno di cose da mangiare. *Eodem Anno* a dì 12. di Febbrajo il Papa processionalmente mandò a San Giovanni Laterano il Regno di San Silvestro, cioè tre corone d'oro, l'una sopra l'altra, le quali donò Costantino a detto Santo, & il detto Regno venne da Avignone dov' era stato portato. *Eodem Anno, die Jovis* a dì 23. di Febbrajo morì Papa Eugenio Quarto a ore otto di notte. E poi fu ordinato il Consiglio per li Romani in *Aracœli* di quello, che si dovesse dimandare al Collegio, nel quale intervenne l'Arcivescovo di Benevento, e molti

(*) *Edition. Eccard.* Peronello di Cecchino.

molti Cittadini; nel qual Consiglio arringò Messere Stefano Porcaro, e disse alcune cose utili per la nostra Repubblica; tra le quali disse, che si dovesse vivere a Capitolo con la Chiesa, e collo sommo Pontefice, attento che una trista e piccola Terra di quelle, che erano soggette alla Chiesa, vivevano a Capitolo con dare un tanto alla Chiesa, e i Romani, e l'Arcivescovo gli proibirono, che non dicesse più. E tutto il Consiglio si alterò, e volevano i Cittadini, che Messere Stefano dicesse. E dopo fu rotto lo detto Consiglio, e dopo Romani *iterum* entrarono nel Refettorio, dove si faceva, e l'Arcivescovo predetto si partì molto scorucciato, e non fu più fatto niente per paura dello Re d'Aragona, che stava in Tivoli. *Eodem Anno*, a dì 4. di Marzo i Cardinali entrarono in Conclave, il quale fu fatto nella Minerva, e furono diciotto Cardinali, cioè lo Cardinale Colonna, il Cardinale detto lo Greco, il Cardinale di Fermo, quello di Capua, il Cardinale di Bologna, il Cardinale Andegavensis, il Cardinale Morinense, quello di Milano, e quello di Taranto, il Cardinale di Portogallo, il Cardinale di San Paolo, il Cardinale di San Marco, quello di Santo Sisto, e quello di Valenza, il Cardinale San Clemente, lo Camerlengo, quello * di San Lorenzo, Fiesco, e Sant'Angelo. A dì 6. di Marzo i sopradetti Cardinali fecero Papa il Cardinale di Bologna, il quale fu chiamato Papa Nicola Quinto, e ne fu fatta gran festa per tutta Roma. *Die* 18. *mensis Martii* la Domenica della Rosa fu coronato Papa Nicola nelle scale di San Pietro, e dopo se ne andò a San Giovanni Laterano, e gli fu fatto molto onore da i Romani all'andare e a lo tornare. *Die* 8. *mensis Junii ejusdem Anni* il giorno del Corpo di Cristo Papa Nicola fece la processione in San Pietro, e portò egli con le sue mani il Corpo di Cristo da San Pietro per fino a Porta di Castello, e ci andarono tutti i Cardinali, Vescovi, & Arcivescovi, e tutte le Chiese di Roma, e tutto il Popolo, perchè da quì addietro mai fu veduta simil cerimonia, che il Papa andasse in processione a i giorni nostri; e per questo in tal dì non fu fatta la cerimonia in San Giovanni Laterano, come si soleva fare. A dì 24. di Giugno in die Sancti Johannis del detto Anno lo Papa andò a San Giovanni Laterano, e lì disse la Messa con tutti i Cardinali; e i Conservatori e Caporioni fecero correre lo Pallio, che ebbero alla coronazione di Papa Nicola, e corsero da San Cosma e Damiano per fino all'Arco di Costantino in Piazza di San Giovanni, & ebbelo Batista Renzo Mancino.

Dell'Anno Domini 1448. nel giorno di San Marco a dì 25. d'Aprile Papa Nicola fece una procession solennissima da San Pietro fino a San Marco, dove vi andò egli a piedi con tutti i Cardinali, e con tutto il Clero, e con molte Reliquie; e fu la più singolar processione, che mai fosse vista in Roma. E dopo il Papa disse la Messa solenne in San Marco, e pransò in casa del Cardinale di Capua, & alle 22. ore se ne andò a Palazzo a cavallo, e fugli fatto grande onore da i Romani, e furono coperte le strade da Porta San Pietro per fino a San Marco. *Eodem Anno die* 23. *Maji* il detto Papa Nicola fece la cerimonia di fare una simil processione a San Giovanni, e portò egli a piedi il Corpo di Cristo con le sue mani da San Giovanni per fino a San Clemente, e dopo diede la volta, e ritornò a San Giovanni, e la sera se ne andò a Palazzo a cavallo per Trastevere. *Eodem Anno* a dì 29. di Agosto, giorno di San Giovanni decollato, scurò il Sole tra Terza e Nona, & in quest'Anno fu grande moria in Roma, e per tutta Italia. E dopo del detto mese di Settembre venne a Roma Frate Roberto gran Predicatore, & uom da bene, e predicò nella Piazza di Campidoglio, e fece fare di molte paci in Roma, e tutti strillavano *misericordia* per la grande moria ch'era in Roma. A dì 23. del mese di Ottobre ad istigazione di Frate Roberto andarono i garzoni ignudi fustandosi da Aracœli per fino a Santa Maria Maggiore gridando sempre *misericordia*, perchè seguitava a morire gran gente. E a dì 4. di Novembre del detto Anno fu in Roma gran terremoto, e tremarono tutte le case mirabilmente, & ogni uomo fuggiva alla Chiesa con gran paura.

Anno Domini 1449. a dì 23. del mese di Aprile il giorno di Santo Jorio venne la novella a Papa Nicola, come Papa Felice Antipapa con tutti i Cardinali avevano rinunciato al Papato, e questa rinunciazione fece fare l'Imperadore, perchè non voleva, che fosse più Scisma: E lo detto Papa Nicola fece Cardinale, e diede il Capello all'Antipapa Felice; e i suoi Cardinali stettero a sua discrezione, & in Roma ne fu fatta gran festa, e per questo in quel dì fu corso un Pallio di Ducati cinquanta. *Die XXVII. ejusdem mensis* il detto Papa Nicola per la cagione predetta, rendendo grazie a Dio, fece & ordinò solenne processione da San Pietro per fino a Porta Castello, e furonci tutti i Cortigiani molto lieti.

Dell'Anno 1450., cioè nell'Anno Santo, Papa Nicola con grande studio e grande diligenza, e coll'ajuto e consiglio di nullo, fece provisione & ammanimento, sì che nel detto Anno di Giubileo mai non mancò cos'alcuna a tante migliaja di persone forestiere, che vennero a Roma. Del mese di Decembre a dì 19. che fu di Sabbato, fu mostrato lo Santo Sudario a i Pellegrini, che erano in Roma, e Papa Nicola fece la benedizione a tutto il Popolo, che stava nella Piazza di San Pietro; e quando il Popolo volle tornare, e fu nel Ponte di Sant'Angelo, vi fu una gran calca e stretta per la moltitudine degli uomini; e perchè lì era una mula, (dicono che fosse di San Marco) che portava due ceste con due femmine, che venivano al perdono, spaventatasi la detta mula, la gente per la calca grande cascava in terra. E fu nel detto Ponte sì gran pressura, che vi morsero ben ducento persone, e tre cavalli affogati, e la detta mula, e molti ne cascarono in fiume. De i morti parte ne gìo a Santo Cello, e parte a Camposanto, dove ne furono portate diciotto carrette piene d'uomini morti, e mai non fu udita, nè veduta simil cosa, & un caso così orribile.

Nell'Anno Domini 1451. Papa Nicola si diede allo acconciare & edificar Roma, e prima restaurò le mura, e torricelli, e le Porte di Roma, e massime quella di Testaccio, e fece acconciare Campidoglio, e fece la Torre in Castel Santangelo, *idest*, che ampliò quella, che fece Bonifacio Ottavo, e lì fece delle stanze di quà e di là; e fece un muro grosso a Torrioni con tre torricelli tondi.

di. E fece il muro intorno al Palazzo con una Rocca tonda appresso Porta Viridaria, e fece lo muro a Ripa, & il Palazzo a Santa Maria Maggiore, e con un muro avanti fiume a Torre di Nona, e fece la Canonica a i Canonici di Santo Pietro, & edificò lo Palazzo delli Conservatori; fece lo muro a Ponte Molle, fece due Cappelle tonde nel Ponte di S. Pietro, e dottolle per l'anima di quelli, che morsero l'anno passato. E fece la Piazza di S. Celso con gittar molte case a terra, e fece di nuovo la Chiesa di S. Teodoro due volte; la prima acconciò la vecchia, la quale acconcia che fu cascò da i fondamenti, & egli la rifece un poco più là, e poco minore che non era. *Item* fece coprire, & acconciare la Chiesa di S. Stefano rotondo, & il luogo de' Frati, e dottolli; e rifece & adornò la Fonte di Trevi, secondo che si dimostrava per le lettere & armi sue in più luoghi.

Dell' Anno Domini 1452. l'Imperatore Federigo venne a Roma a coronarsi, e gli fu fatto grandissimo onore in ogni parte, massime a Fiorenza, a Siena, & a Viterbo, e dovunque stette. Ma perchè Papa Nicola ne stava sospetto, fece venire tutta la gente della Chiesa in Roma, e fanti a piedi e soldati a cavallo, e fece comandare ogni Terra, che mandasse genti a lui, e si fortificò molto bene. E fece tredici Manescalchi, uno per Rione, & a li Cittadini diede le Porte, *idest* due per Porta, e così sicuro entrò l'Imperatore in Roma col Re d'Ungheria, e molti Baroni, e Cavalieri. E la prima posata fece in casa di Tommaso Spinelli fuori di Porta Viridaria alla Croce di Monte Mario, & accompagnaronlo tredici Cardinali, e molti Vescovi e Prelati, & il Senatore con tutti gli Officiali Romani, i quali gli andarono incontro. E quando i detti Cardinali e genti gli andarono incontro, egli si fermò nel suo cavallo, e ricevè le salutazioni da tutti coloro, che lo vennero a visitare; e quando i Cardinali gli parlarono, appena egli inchinò un poco la testa, & a i Vescovi niente. E dopo venne il Senatore Romano con gli altri Officiali e Cittadini Romani. E lo Senatore stava vestito di broccato con quella beretta, e con quelle maniche, & ornamenti di pelle, co' quali va alle feste di Testaccio e Nagone, e quando fu lì poco innanti, salutò l'Imperadore, il quale dimandò al suo Interprete, e disse chi era quello, & egli gli disse: *E' lo Senatore di Roma*: Allora l'Imperadore se gli levò il capello, & abbracciollo, e fecegli molto onore, & ogni uomo si maravigliava che a i Cardinali appena aveva inchinato lo capo, & al Senatore si era cavato lo capello. Dopo alli 9. del detto mese entrò lo detto Imperadore per Porta di Castello, & andò sotto Pallio per fino a Santo Pietro con la Processione de i Preti, e co i Cittadini & Officiali, i quali per comandamento del Papa gli fecero grand' onore; e lo Papa co i Cardinali lo ricevettero nelle scale di San Pietro, e col detto Imperadore dietro a lui ci andava l'Imperadrice sua Sposa, figliuola dello Re di Portogallo, giovane pulita e bella tanto quanto si potesse dire, con molte Donne e Damigelle. E dopo lo Imperadore fu alloggiato in quel Palazzo, che sta sopra le scale di San Pietro. E dopo lo seguente giorno, cioè alli dieci di Marzo l'Imperadore arrò la detta Sposa dopo la Messa, la quale disse Papa Nicola, & ebbe la Messa della pace, & in quella cerimonia vi furono infinitissime persone. A dì 18. di Marzo detto, il detto Imperadore Federigo Terzo fu incoronato da Papa Nicola, e gli fu data la Corona dell' Imperio insieme con la sua Donna Imperadrice, e dopo furono unti di Oglio Santo. Et in quel giorno si partì da San Pietro, & andò a San Giovanni Laterano, e sopra lo Ponte fece di molti Cavalieri; e perchè in quel giorno era la Domenica della Rosa, il Papa gli donò la Rosa benedetta, e dopo se ne partì di Roma. *Eodem Anno* a dì 23. di Aprile ritornò l'Imperadore a Roma, e venne per mare, e venne a S. Paolo, e non si sa perchè tornasse; e dopo si partì da Roma per terra a dì 26. del detto mese, & andossene in Alemagna; e due Cardinali gli fecero compagnia per fino ad Acquapendente, e fu il Cardinale di Bologna fratello del Papa, & il Cardinale di S. Angelo; e Papa Nicola rimase molto lieto e contento, che l'Imperadore si era partito da Roma con buona pace.

Dell' Anno 1453. a dì 5. Gennaro fu scoperto lo trattato di Messere Stefano Porcaro, e fu pigliato lo detto Messere Stefano in casa di Rienzo di Liello di Madonna Guasca e stava serrato in una cassa, & egli si era fuggito da Bologna, dove stava confinato. E dato in guardia al Cardinale, che lì era Legato; & aveva comandamento, che ogni dì si dovesse appresentare a lo Legato predetto. E Batista Sciarra nipote del detto Messere Stefano fece rumore in Roma, e scontraronsi egli, e i suoi compagni con uno Manescalco, lo quale andava con cento Fanti a Palazzo; e ferirono a morte lo detto Manescalco; & alcuni de' suoi Fanti. E scoperto che fu il detto trattato, andò lo Senatore, il quale era Messer Jacomo de i Cavagnoli da Verona insieme col Vicecamerlengo, e con molti Fanti, in casa di Messer Stefano, e trovarono le porte serrate, e di dentro vi era di molta gente, e quelli di fuora davano la battaglia alla porta, e quelli di dentro buttavano dalle finestre certe tavole; e vedendo essi la cosa essere scoperta, uscirono per la porta di dietro alla casa; & al detto Batista Sciarra con quattro compagni gli bastò l'animo di girsene fuori, e combattere con quei Fanti. E così andò, e la Corte gli fu addosso, & eglino si difesero bravamente, e scamparono tutti, eccetto uno, il quale combattendo se gli troncò la stringa de calzoni, e cascando le calze non si potè adoperare, e così fu pigliato. E nella detta casa furono pigliati questi, che non erano ancora fuggiti, cioè Sarro d'Ottaviano Sartore, Chiumento di Messer' Angelo di Mascio, e certi altri schiavi, che aveva menati con esso lui lo detto Messere Stefano, e Francesco Barbiero. E nella detta casa di Messer' Angelo di Mascio similmente vi furono trovate di molte partigiane & armi; e per questo fu anco pigliato detto Messer' Angelo cognato di Messere Stefano, e Roma stava in grande tribulazione. A dì 9. del mese predetto di Gennaro di Martedì fu impiccato Messere Stefano Porcaro in Castello in quel torrione, che va alla mano destra; e lo vidi io vestito di nero in giuppetto e calze nere. Perdette la vita quell' uomo da bene, & amatore dello bene e libertà di Roma, lo quale perchè si vide senza cagione essere stato sbannito da Roma, volle per liberar la patria sua da servitute mettere la vita sua, come fece. Lo corpo suo alcuni dicono che fu sotterrato in Santa Maria

ria Traspontina, alcuni dicono che fu gittato in Fiume. Et in quello stesso dì furono impiccati nelle forche di Campidoglio senza confessione e comunione gl'infrascritti, cioè Messer Angelo di Mascio primo, e dopo lo figliuolo Chiumento, il quale per non vedere il Padre impiccato, pregò che gli fosse messa la beretta tanto innanzi a gli occhi, che non potesse vedere niente, e così fu fatto, e stettero impesi l'uno a canto dell'altro. *Item* con essi fu impiccato lo detto Sarro di Ottaviano, e molti altri, i quali in tutto furono nove, e fu loro letta la sentenza e cagione, perchè erano impiccati, e fu questa: Perchè Messere Stefano Porcaro chiese certi suoi seguaci, & ordinarono di pigliare Papa Nicola, & alcuni de i Cardinali, e mettere a sacco di molte case, e violare di molte Zitelle; e per questo furono giustiziati. In quel tempo furono pigliati ancora Messer Joanni Cesare, e Messer Cornelio Canonico di San Pietro, i quali perchè non furono trovati in colpa, furono rilasciati; e Messer Nicola Gallo pure Canonico di San Pietro se ne fuggì e gissene in Damasco, e disse non voler più tornare a Roma, sino che non sentiva nuova, che fosse morto Papa Nicola. A dì 12. di Gennaro fu impiccato Francesco Gabbadio, & uno Dottore, perchè accompagnarono Messere Stefano Porcaro, e dissesi, che avevano notizia del detto trattato. E dopo andò un bando, che chi sapesse, dove sta Batista Sciarra, Messer Nicola Imola, nipote del detto Messere Stefano, e Jacovo di Liello Ceccho, che li dovessino rivelare, e guadagnavano Ducati mille; e chi li dava morti cinquecento. E lo Papa fece cercare per tutta Italia per questi delinquenti, & *tandem* fece pigliare Batista di Persona *aliàs* detto Peccatore, e Messer Pietro di Monte Rotondo con altri furono pigliati, chi a Padova, chi in Venezia, & al detto Messer Pietro e Batista Sciarra con molti altri fu tagliata la testa a Città di Castello. Lo detto Peccatore fu menato a Roma, & alli 30. del detto mese di Gennaro fu sonata la campana di Campidoglio due volte a giustizia per volere giustiziare lo detto Batista di Persona, e i suoi parenti ebbero ricorso ad un Cardinale detto *Metensis*, lo quale abitava nel Palazzo di Santa Maria Invialata, che volesse supplicare al Papa, che questo pover' uomo non morisse, attento che egli non sapeva niente di quel trattato; per la qual cosa lo Papa concesse la grazia al detto Cardinale, e fu mandato subito un messo al Senatore, che non lo giustiziasse, perchè il Papa gli aveva perdonato per amor dello detto Cardinale, & i suoi parenti furono tutti contenti. A dì ultimo di Gennaro detto, cioè il dì seguente al detto dì, fu impiccato lo sopradetto Batista di Persona Peccatore per comandamento dello Papa, e la sentenza disse, come aveva sentito lo trattato di Messere Stefano Porcaro, quale aveva ordinato di pigliare lo Papa, e di ammazzarnelo con alcuno Cardinale lo dì di Pasqua Pifania, quando lo Papa giva alla Messa a San Pietro, e di mettere a sacco di molte case de' Fiorentini, & alcuna de i Romani, e poi partire ugualmente intra loro questa roba. Et udendo questo, lo detto Cardinale *Metensis*, che lo Papa per suo amore gli aveva perdonato lo dì innanti, e dopo senz' altra cagione lo dì seguente lo aveva impiccato, se ne andò con grande furia a Palazzo, e quello che disse allo Papa furono parole ingiuriose, e tornando egli a casa, incontenente fece mettere in punto tutta la sua famiglia, e cavalcò, & andossene in Francia con Dio, e non volse mai più tornare in Roma. Questo lo fece per lo grande sdegno, che aveva contro lo Papa, massime che conosceva le cose opposte contro lo detto Batista non essere vere, attenta la buona vita, & anco la purità del dett' uomo, del quale egli aveva notizia, attento ancora che non era atto a simil cosa. Et in questo anno per detta cagione non fu fatta la Festa di Testaccio. Dell' Anno predetto 1453. del mese di Luglio a dì 8. venne la novella al Papa, & a Roma, come il gran Turco aveva pigliata Constantinopoli, e questo con grande uccisione e crudeltade de' Cristiani; e il buon Frate Roberto certificò al Popolo questa novella essere vera: per la qual cosa lo Papa, la Corte, e tutto lo Popolo ne stettero mal contenti, attento che gli Ambasciadori dell' Imperadore di Costantinopoli erano stati quì allo Papa per ajuto e sussidio circa a tre mesi, nè mai aveano potuto avere risoluzione, e spedimento.

Nell' Anno Domini 1454. a dì 12. di Ottobre Papa Nicola fece pigliare Angelo Roncone; imperocchè diede lo passo allo Conte Averso, quando gì a campo a Norcia contro la volontà dello Papa, lo quale avea mandato tutta la gente della Chiesa in ajuto de' Norcini, e per pigliare lo Conte Averso. Vedendo questo, lo Conte procacciò di tornare alle case sue; & Angelo Roncone vedendo, che lo Conte stava a mal partito, l'ajutò a dargli lo passo per andare a casa, e lo Papa lo ebbe a gran sdegno; & avendo fallito, lo detto Angelo non si fidava dello Papa, lo quale lo mandò cercando: e volle lo salvo condotto, e venne a Roma; e con tutto lo salvo condotto fu preso in Roma, e messo in Castello, e lo Papa gli fece mozzare lo capo a dì 13. del detto mese di Ottobre, cioè lo dì seguente, che fu pigliato a tre ore di notte; e lo dì seguente che fu morto, lo Papa dimandò allo Castellano, che gli mandasse Angelo Roncone, e lo Capitano se ne maravigliò, e disse, che Angelo era morto, e che lo aveva comandato Sua Santità; e lo Papa se ne maravigliò, & afflissene, e disse, che non se ne ricordava. Per la qual cosa si stimò, che per ebrietà lo avesse detto, perchè gli sapeva molto buono il vino. (*)

Dell' Anno 1455. *die undecima Martii* fu annunciato allo Popolo per bando mandato con la Trombetta, come era fatta la Pace d'Italia, cioè tra lo Re d'Aragona, Fiorentini, Veneziani, col Duca di Milano, e col Conte Francesco, e fu fatta per venticinque anni, e però tutte queste genti d'Italia si radunaro insieme, e girono contro lo Turco, e per Roma ne fu fatta gran festa della pace. *Eodem Anno* 1455. *& mense Martii* la Vigilia della Madonna Annunciata ad ore cinque di notte morì Papa Nicola Quinto, & *fuit die Martis*; e fessi l'esequio. A dì 8. di Aprile lo Martedì di Pasqua *circa horam sextam* fu fatto Papa Callisto, *idest* lo Cardinale di Valenza Catalano, e fu chiamato Callisto Terzo, e fu coronato a dì 20. del detto mese, & in quel dì che fu coronato, un' uomo d'arme da Monte Rotondo, chiamato Santo, & un' altr' uomo d'arme del Con-

(*) Vitam Nicolai V. à Jannotio Manetto coævo conscriptam, paulo superius habes Lector, ex qua conliges mendacem ebrietatis notam, quæ religiosissimo atque omni virtutum & doctrinarum genere exculto Pontifici hic impingitur.

Conte Averso ebbero parole insieme per cagione d'un ragazzo. Per questo vennero alle mani, e ferironsi a morte, e morsero; e per questa cagione quelli dello Conte Averso tolsero due cavalli a quelli di Napolione. E sentendo questo, Napolione con tutta la sua fanteria se ne andò in campo di Fiore all'Osteria, dove stava lo Conte, la qual'Osteria era di Bartolomeo di Nerone, e misela a sacco, con tutte quelle case, dove alloggiavano, & ogni cosa gli tolsero, e gridavano; *Chi vuol bene a Casa Orsina, venga ad ajutare*. Et allora tutti i servidori di Casa Orsina girono a Monte Giordano armati, e furo tre mila persone, e Napolione con tutti quelli volevano gire a Santo Joanni, e i Cardinali tutti stavano per questo turbati molto, e non sapevano che si fare; e finalmente mandarono il Cardinale Orsino, che ritenesse Napolione, che non venisse, e lo Papa mandò Messer Joanni Baroncello, e Messer Liello della Valle a fare, che non venisse, e così eglino si appacificarono, perchè voleva venire a trovare lo Conte a Santo Joanni, e combattere con lui. *Eodem Anno die 29. Junii* fu canonizato da Papa Callisto Santo Vincenzo nella Chiesa della Minerva, & andò la processione di là fino a San Pietro. *Eodem Anno mense Novembris die* 21. fu uccisо uno figliuolo a Jacovo Savello in Palombara da i foruściti di detta Terra, e di Aspra. A dì 23. di detto mese fu ucciso l'altro figlio, e fu di Domenica; e dopo si diedero alla Chiesa; e lo Papa Callisto non li volle pigliare per la Chiesa, e mandò lo Cardinale Colonna, che acconciasse ogni cosa. Et entrato che fu in Palombara, gli Orsini dubitarono, che non se la volesse pigliare per esso; e subito Napolione, e molta gente ci gì a campo, e lì stettero parecchi dì, e dopo vi andò Matteo di Porcaro, e Francesco Savello con molti altri per comandamento dello Cardinale Colonna, e dello Papa; & entrati che furono in Palombara pigliarono di quelli circa trenta, e furono morti di quelli di Palombara, e ne furono squartati, & appesi per memoria, e fu loro fatto quanto male si sapeva.

Dell'Anno 1456. del mese di Luglio apparve in Cielo la Cometa con una gran coda, la quale aveva voltato lo capo verso Oriente; e dopo ad essa fu in Roma gran carestia, e gran peste, e guerra, e uccisione; e per questo in Roma furono ordinate le processioni, che Dio ci rivocasse ogni rea sentenza. Del detto Millesimo a dì 24. di Luglio i Cristiani ebbero vittoria contro del Turco, de i quali ne furono morti più di sessanta mila, e lo Turco scampò con poche persone, e i Cristiani tolsero allo detto Turco circa 260 bombarde, e tutta l'artiglieria e vettovaglia; e di questa nuova lo Cardinale di Santo Angelo ne scrisse al Papa, & al Cardinale di Fermo, e la detta novella venne alli 22. di Agosto. Del detto Anno a dì 24. Decembre su le ore 22., e fu lo giorno dello Sabbato, fu uno terremoto in Roma, e durò poco. *Item* fu molto maggiore in Napoli, & in tutto lo Reame: per la qual cosa lo Re di Aragona co i suoi Baroni se ne vennero in dispàrere col Re loro.

Dell'Anno 1457. la Vigilia di Natale, Papa Callisto fece nove Cardinali, cioè due suoi Nipoti, lo Vicecancelliero con titolo di San Nicola delle Carceri, e lo suo fratello col titolo de' Santi Quattro. *Item* lo Frate di Maestro Simone suo Medico, titolare di Sant'Anastasia, lo figlio del Re di Portogallo, lo Vescovo di Nola, titolare di Santa Croce, lo Vescovo di Siena, titolare di Santo Stazio, lo Vescovo di Pavia, titolare di Santo Chimento, e l'Arcivescovo di Napoli.

Dell'Anno 1458. lo Conte Averso tolse Monticelli, e fu di Febbraro, e guerreggiò con gli Orsini, perchè dicevano, che l'eredità del Conte di Tagliaccozzo toccava alla Nuora moglie di suo figlio; e davano uno grande scandalo a Roma una parte, e l'altra. A dì 13. di Luglio in detto Anno morì lo Cardinale di Napoli, lo quale fu fratello di Madonna Lucrezia moglie del Re di Aragona. *Eodem Anno* Papa Callisto coronò Borgia suo nipote per Prefetto di Roma. *Eodem Anno Domini* 1458. morì lo Re di Aragona, e fu fatto Ferdinando suo figliuolo bastardo. *Eodem Anno, & mense Augusti, die sexta*, morì Papa Callisto Terzo, e lo giorno innanti Borgia suo Nipote, e Prefetto, e Capitano con tutti i Catalani si partirono di Roma, e girono a Civitavecchia. Et in quell'istesso dì morì anco Tommaso Spada in testa Cavaliere, e Senatore di Roma; sicchè Roma stava senza Papa, e senza Senatore. E a dì 14. del detto mese di Agosto morì lo Cardinale di Fermo, e fu sepellito alla Minerva, e non fu fatta veruna festa quest'anno per le cose predette. A dì 19. del detto mese di Agosto ad ora di Terza fu fatto Papa Enea Silvio Piccolomini Cardinal Senese del titolo di Santo Stazio, e si fece chiamare Pio Secondo. A dì 3. del mese di Settembre il detto Papa fu incoronato in San Giovanni. E a dì 22. di Decembre del detto Anno Papa Pio fece Prefetto di Roma lo Principe di Casa Colonna, perchè si ebbe nuova ch'era morto Borgia Nipote di Callisto.

A dì 22. di Gennajo dell'Anno 1459. Papa Pio si partì di Roma per andare a Mantova, e fu di Lunedì; e lo Sabbato innanti in Santa Maria Maggiore fece la benedizione al Popolo con remissione de i peccati *secundùm formam Ecclesiæ*; e rimase in Roma per Legato lo Cardinale Todesco del titolo di San Pietro *ad Vincula*, e per Governatore Messer Galeazzo Vescovo di Mantova, e non fu fatta la festa dello Carnovale. Del detto Anno 1459. del Mese di Marzo Papa Pio fece quattro Cardinali, cioè Maestro Papa Alessandro Generale de' Frati di Santo Agostino, lo suo Nipote Vescovo di Siena, lo Vescovo di Reate, fratello del Cardinal di Fermo, e lo Vescovo di Spoleti Messer Nicola da Pistoja detto lo Cardinal di Ceccano. *Eodem Anno* a dì 16. di Maggio fu pigliato in Roma un Giovane scelerato, lo quale aveva per sopranome *lo Innamorato*, perchè tolse una Zitella, quale se ne doveva gire a marito lo terzo dì, e fu menato in Campidoglio; e per questa cagione Tiburzio di Messere Angelo di Mosetto, e Joanni Filippo figlio di Paluzzo Saccataro, e lo figlio di Renzo Cola Roscio di Trejo, insieme con certi altri soldati, che stavano insieme in Palombara, vennero in Roma, e pigliarono uno Cameriere dello Senatore, e menaronlo allo Trullo di Santa Maria del Popolo, e tenneronlo là dalla sera che fu preso lo Innamorato per fino a mezzo dì, e poi si partirono dal Trullo, e gironsi a Santa Maria Rotonda su di sopra con lo prigione predetto, e lì stettero

tero per fino a venticinque di Maggio; e non vollero mai renderlo, se loro non restituiva lo Innamorato: e così fu fatto, che l'Innamorato gisse di Campidoglio, e fu fatta la remissione a Tiburzio, & a tutti i diffidati, eccetto omicidiarj, ladri, traditori della Chiesa, & Eretici; e dopo lo detto Innamorato si pigliò per moglie quella Zitella, che aveva rapita di Trastevere, ad onore della Santa Chiesa. A dì 5. di Ottobre *eodem Anno* Papa Pio Secondo tornò a Roma, e misesi in Santa Maria del Popolo, e a dì sette se ne andò a San Pietro pontificalmente assiso in lettica. A dì 29. del detto Mese di Ottobre essendo fatto prigione un giovine Romano, chiamato Bonanno Specchio, venne Tiburzio in Roma con certi suoi compagni per campare lo detto Bonanno, e pigliarono un Senese, che stava nella Dogana in Santo Stazio, e menaronlo prigione per fino a' Santi Apostoli, e poi lo lasciarono; e quando lo menavano, gridava al Popolo, & a i giovani Romani, *seguitatemi*; & alcuni di loro risposero, e dissero: *non è più tempo*. E per questo tutti i fanti, che stavano in Roma, andarono lor dietro, e furono presi nelli Caneti di Mola Barbara. Dopo lo dì ultimo di Ottobre la Vigilia d'Ogni Santi di Venerdì furono tutti appiccati in Campidoglio a quegli archi di Palazzo nella Loggia; e fu appeso Tiburzio, Bonanno Specchio, e Renzone di Renzo, e Cola di Jovanni, e Cola Roscio di Trejo.

Nell'Anno Domini 1461. a dì 27. di Marzo furono appesi undici uomini, i quali stavano in Palombara, & ogni dì derobavano, e depredavano i Romani, e facevano di molti prigioni, e menavanli in Palombara. *Eodem Anno* lo dì di San Pietro e di San Paolo, Papa Pio canonizzò Santa Caterina da Siena dell' Ordine di San Domenico, lo corpo della quale sta nella Minerva.

Dell'Anno Domini 1462. a dì 12. di Aprile venne la testa di Santo Andrea in Roma, e venne a Pontemolle, e di quà dallo Ponte stava uno Padiglione, dove lo Papa fece uno gran tavolato, e fece anco un'Altare, e lì celebrò la Messa con diecisette Cardinali, e con tutto il Popolo, e con tutta la Chieresia di Roma; dopo con le sue mani la portò processionalmente a San Pietro. *Eodem Anno* a dì 4. del Mese di Maggio Papa Pio si partì, e gì a i bagni di Viterbo con quattro Cardinali, e lì stette quindici dì, e dipoi tornò in Roma, e incontinente gittò la Trentina per tutte le Terre della Chiesa, per adunar danari, con dire che voleva gire contro lo Turco. A dì 19. di Giugno Papa Pio si partì da Roma per gire contro lo Turco, e giò in Ancona con molta gente, e con molti Cardinali. *Eodem Anno* a dì 14. di Agosto si morì lo detto Papa Pio Secondo in Ancona la sera alle due ore di notte; e fu un gran vento, e gran tempesta più che mai fosse veduta; & in Ancona, & in Osimo, e per tutte quelle Terre di là fece molto danno, e strappò lì la tempesta di molti alberi, sicchè fu detto quì in Roma, che gli aveva spianati, che non ci era rimaso nullo, e delle olive strappolle, e fece un danno inestimabile. A dì 23. del detto Mese venne lo suo corpo in Roma, e fu posto in San Pietro nella Cappella di Sant'Andrea.

Nell'Anno Domini 1464. a dì 24. del detto Mese di Agosto tutti i Cardinali entrarono in Conclave in San Pietro, e dopo alli 30. del detto Mese fu fatto Papa Paolo Secondo Cardinale di San Marco Nipote di Papa Eugenio Veneziano. A dì tre del Mese di Settembre nel detto Anno morì lo Conte Averso, e fu sepellito a Santa Maria Maggiore innanzi alla nostra Donna. Alli sedici del detto Mese di Settembre fu coronato Papa Paolo Secondo, e giò a Santo Giovanni pontificalmente. A dì 5. di Novembre del detto Anno lo giorno di San Leonardo lo Papa andò a Santo Joanni Laterano, e due dì seguenti che fu a dì 7. rimise i Fraticelli in Santo Joanni Laterano, & a i Canonici assegnò la Sala, che va al Salvatore; e dopo ordinò, che nel giuramento, che fanno i Romani, quando giurano l'officio, intra le altre cose, promettessero, e giurassero, che mai non si trovariano per niun modo a cacciare i detti Fraticelli, nè a prestare ausilio o consiglio a chi li cacciasse. A dì undeci del Mese di Novembre lo dì di San Martino, Papa Paolo fece Cavalieri Messere Angelo del Bufalo, che in quel tempo era Conservatore, insieme con Paolo di Trastevere, & Angelo di Zaccaria. A dì dieci di Decembre giorno di Lunedì fu ferito Messere Antonio Caffarello da Jacovo figlio di Joanni Alberino, perchè aveva briga insieme co i Nipoti di Messere Antonio di Renzo, e Felice Caffarello; e Papa Paolo voleva, che si cessasse questa briga, e però mandò per Joanni Alberino, e per detto Antonio, e feceli baciare in bocca, e dopo comandò loro sotto pena di due mila ducati, che non si offendessino, e comandò loro, che mettessino le piegiarie; e di lì a due dì lo detto Jacovo da dereto ferì lo detto Messere Antonio. Per questo lo Papa si ebbe a gran disdegno, e però comandò, che gli fosse tolta tutta la roba, e dopo gli fece gittar tutte le case a terra, e bandilli di Roma tutti due, cioè Joanni e Jacovo.

Dell'Anno 1465. a dì 22. di Marzo morì lo Patriarca, che stava in San Lorenzo in Damaso. A dì 22. di Giugno del detto Anno Papa Paolo mandò lo campo a Monticelli, che lo teneva Dejofebo figlio dello Conte Averso, e mandò lo campo a Ronciglione, & a tutte le Castella sue, & ebbeli tutti in mano in manco di 25. dì, cioè Capranica, Vetralla, Ronciglione, Caprajola, Monterano, Viano, & altri; e fu preso Francesco uno de' figli del detto Conte, & un'altro figlio dello Conte Averso scampò con gran fatica. *Eodem Anno* a dì 14. del Mese di Settembre *in die Sanctæ Crucis* lo Sole fece di molte mutazioni, quando pareva verde, e quando azzurro, & alcuna volta giallo tutto lo dì. A dì 20. del detto Mese di Settembre fu l'Eclissi della Luna, & in quel tempo fu pigliato, tradito, e morto lo Conte Jacovo Piccinino. Il detto Papa Paolo Secondo in principio del suo Ponteficato, volendo far cosa grata a i Romani, se ne venne ad abitare a San Marco, & ampliò la festa del Carnovale, e fece che lo Lunedì dinanzi a Carnovale si corresse uno Pallio per li garzoni, e lo Martedì si corresse uno Pallio per li Giudei, lo Mercordì quello de' Vecchi, lo Giovedì si giva a Nagoni, lo Venerdì si stava in casa, lo Sabbato alla caccia, la Domenica si correvano tre Pallj consueti, lo Lunedì correvano i Buffali, e lo Martedì correvano gli Asini; e così di tutte queste cose egli si pigliava, e dava gran piacere.

Dell'Anno Domini 1467. a dì 8. di Giugno

A gno furono menati da Poli a Roma otto uomini, e sei femine, le quali si diceva, che erano Eretici, e non credevano allo Papa, e furono menati ad *Aracœli*, dove fu fatto uno tavolato verso la piazza di Campidoglio, e lì stettero con la mitra di carta in capo. E lo Vicario del Papa con cinque altri Vescovi fece loro una predica per convertirli; e dopo quelli, che si convertirono furono vestiti di una giornea di Bracaccino con una croce dinanzi nel petto, e l'altra dietro, e dopo furono menati dentro Campidoglio. *Eodem Anno* a dì 18. di Settembre Papa Paolo fece otto Cardinali, cioè lo Vescovo di Vicenza detto lo Cardinale di San Marco, l'Arcivescovo di Napoli, cioè Messere Oliviero Caraffa detto lo Cardinale di Napoli, lo Vescovo dell' Aquila detto lo Cardinale dell' Aquila, lo Cardinale di Monferrato, lo Vescovo di Grescì Francese, lo Generale di San Francesco, Mistro Francesco di Savona, & uno di Scozia, & uno Inglese. *Eodem Anno* a dì 29. di Settembre crebbe tanto lo fiume, che innondò la parte di Pontemolle, e venne per fino alla Porta del Popolo, & ad Arco di Tripoli, e fece di molto danno. *Eodem Anno* a dì 20. di Novembre venne in Roma una grande tempesta nell' aria, & una grandine sì che ammazzò di grandi uccellami, perchè i ghiacciuoli della grandine erano più grossi delle noci.

Dell' Anno Domini 1468. a dì 24. di Decembre di Sabbato venne l'Imperator Federigo terzo a Roma, & entrò per Porta del Popolo, e gì per Santo Marco, e per via dello Papa a San Pietro, e fugli fatto molto onore da i Romani; e gì sotto Pallio, accompagnato da i Cardinali, e Cittadini, e venne per Fiume da Otricoli per fino alla Valea; e *similiter* lo Papa gli fece grande onore. E dopo lo dì di Santo Silvestro lo Papa e lo Imperadore andarono a San Giovanni Laterano. La sera salirono alle teste di San Pietro e Paolo Apostoli per uno tavolato, che fecero lì, & entrarono di dentro a i cancelli di ferro; e lo Imperadore quando fu entrato, subito si gettò in terra, e battessi lo petto, e con gran divozione disse sue orazioni; e lo Papa gli mostrò tutte quelle gioje, e pietre preziose. E Papa Paolo assimilò uno suo smeraldo, che teneva in dito, con uno di San Pietro, che teneva nella sua mitra in fronte, qual' era più bello. La Domenica, *idest*, lo dì seguente lo dì di Capodanno del 1469. lo Papa disse la Messa a San Joanni, e poi se ne tornarono a San Pietro insieme sotto Pallio ambidue. A dì nove del mese di Gennajo del detto Anno l'Imperador Federigo se ne partì per tornare in Lamagna, e gì verso Viterbo. A dì 23. di Gennaro fu la Ecclisse de la Luna, perchè era quintadecima.

Dell' Anno Domini 1470. a dì 24. di Maggio in Roma fu sì smisurata grandine, che guastò vigne, grano, biade, e bestiame, e de i ghiacciuoli furono, che pesavano tre oncie & erano grossi come noci. *Eodem Anno* a dì 26. di Giugno l'Immagine della nostra Vergine Maria, la quale sta penta in una colta di muro appresso Santa Maria delle Grazie di sotto a Campidoglio a piedi lo Monte, commciò a far miracoli, e dopo perseverando ne i detti miracoli a chi divotamente se le raccomandava, le fu cominciata la Chiesa, come si vede, e fu chiamata la Madonna della Consolazione, & essa fu penta da Mastro Antonazzo Pintore, e la detta Chiesa fu consecrata *eodem Anno* a dì tre di Novembre. *Die VIII. mensis Julii* di detto Anno Papa Paolo fece una processione in Santo Joanni Laterano, che mai non fu veduta la simile; e questa la fece, perchè ci era novella, che lo gran Turco stava a campo a Negroponte, e che l'aveva sì mal condotto, che non si poteva ajutare. E questa processione fu fatta intorno San Giovanni, & egli ci andò con tutti i Cardinali, e portaronci delle più venerabili Reliquie di Roma, lo Salvatore di San Joanni, l'Imagine di Santa Maria dello Popolo, la Testa di Santo Joanni Batista, e B molte altre belle Reliquie di Roma. Et in quello dì fu battezzato un Turco, e fu mostrato un calice, che lo Re di Francia aveva donato a Santo Joanni Laterano, lo quale era d'oro, & ornato di molte pietre preziose, e fu stimato tra l'oro e le pietre, che valeva tre mila ducati; e lo Papa per parte dello detto Re lo donò a San Giovanni. *Item* lo Papa donò allo Salvatore in Santo Joanni Laterano ducati 25. e altretanti a i Fraticelli, e ducati 25. a Santa Maria del Popolo, & alla Testa di San Joanni Batista scudi 25. e comandò che ogni Cristiano facesse orazione contro lo Turco, acciocchè Dio desse vittoria a i Cristiani contro di lui.

C Dell' Anno 1471. il primo di Aprile entrò in Roma il Marchese di Ferrara, e venne così sontuosamente, quanto venisse Signore mai; e menò con seco cento trenta otto muli carichi di danari, vestiti, e panni d'arazzi, & altre cose nobili, tra' quali vi furono venti muli, che erano quelli carichi di danari, ch' erano coperti di velluto azzurro nuovo; e gli altri muli portavano le coperte di panno con la sua divisa. E menò con seco di molti bellissimi uomini, e molto bene in punto, e posesi in Santo Pietro, nello Palazzo delle Scale; e ferongli compagnia di molti Cardinali, e gli Officiali di Roma con moltissimi altri Cittadini andaronlo a visitare, e fugli fatto grand' onore. *Eodem Anno* a dì 25. D di Luglio a ore tre di notte di Venerdì venendo lo Sabbato, Papa Paolo Secondo morì di morte repentina, perchè lo dì era stato in Concistoro sano e salvo, e la sera cenò bene, & a quell' ora fu morto; & in quel dì di Sabbato lo Senatore voleva far giustizia di uno Francese, & aveva fatto sonare la campana, e la detta giustizia per la detta cagione non fu fatta. *Die sexta mensis Augusti* finito lo esequio i Cardinali si misero in Conclave a Santo Pietro, e furono diciotto, cioè lo Cardinale di Roano, l'Orsino, quel di Ravenna, lo Vicecancelliero, quel dell' Aquila, quello di Bologna, quello di Rieti, E quel di San Marco, quello di Santa Maria in Portico, quel di Sant' Angelo, quel di Pavia, quel di San Crisogono, il Trojano, il di Mantova, quel di Spoleti, quel di Napoli, quel di San Pietro in Vincula, il Cardinal di Monferrato, e'l Greco. *Die nona mensis Augusti eodem Anno* 1471. fu creato da i predetti Cardinali Papa il Cardinale di San Pietro in Vincula, *alias* Maestro Francesco da Savona, Generale dell' Ordine di San Francesco, e fu chiamato Papa Sisto Quarto. Lo Cardinale Orsino fu fatto Camerlengo, e lo Vicecancelliero ebbe l'Abadia di Subiaco. Lo Cardinale di Mantova ebbe l'Abadia di Santo Gre-

Gregorio, e questo perchè diedero la voce loro al detto Cardinale, che altrimente non veniva Papa; e questo fu per operazione di Frate Pietro. A dì 25. del detto mese, cioè lo dì di Santo Bartolomeo fu incoronato Papa Sisto su nelle scale di Santo Pietro, e subito se ne gì a San Giovanni Laterano a pigliare il possesso; e nella piazza di Santo Joanni fu fatta una rissa, perchè la gente d'armi si misschiò co i Romani, e fuvi fatto a sassi molto bene. *Eodem Anno, & mense Decembris* nelle quattro Tempora di Natale lo Papa fece due de' suoi Cardinali, cioè Messere Juliano Vescovo di Carpentras suo Nipote, e fu chiamato lo Cardinale di San Pietro in Vincula, & uno Fraticello, che egli se lo allevò, quando era Frate di San Francesco, chiamato Fra Pietro, dopo chiamato lo Cardinale di San Sisto.

Dell' Anno 1472. di Gennajo fu veduta la Cometa in Cielo con una coda grande, e fu detto, che significava morte di gran Signori. A dì 25. di Febbrajo morì lo Prefetto, che si chiamava lo Principe della Colonna. *Eodem Anno, mense sequenti* fu fatto Prefetto di Roma lo Nipote di Papa Sisto e fu coronato. Era uomo molto picciolo, e lo intelletto corrispondeva alla persona, chiamato Lonardo di Saona; e per questa cagione lo Re di Napoli gli die' la figlia per moglie. *Eodem Anno* 1472. lo dì del Corpo di Cristo a dì 28. di Maggio Papa Sisto con molta gente si conferì alla volta di Santo Paolo, dove stavano le Galere, che dovevano gire contra lo Turco, e giunto che fu là, benedisse le dette Galere, e diè plenaria remissione delli peccati a chi vi andava, e die' loro cento stendardi della Chiesa, e con l'arma sua, e con le dette Galere andò Monsignor di Napoli contra lo Turco.

Dell' Anno 1473. a dì 23. Gennajo in questo dì tornò lo Cardinale di Napoli, lo quale era andato contra lo Turco con le suddette Galere, e menò seco 25. Turchi, e dodici Camelli, i quali andarono un pezzo per Roma co i Turchi a cavallo. *Eodem Anno* a dì 29. di Aprile Papa Sisto Quarto co i Cardinali, e molti Vescovi, si conferì a Palazzo in Trastevere, & a Ponte Rotto a canto lo Fiume, dove egli aveva destinato racconciar detto Ponte; discese nel fiume, e mise ne i fondamenti del detto Ponte una pietra quadra, ove stava scritto *Xistus Quartus Pontifex Maximus fecit fieri sub Anno Domini* 1473. Dietro a quella pietra mise lo Papa certe medaglie d'oro con la sua Testa, e dopo fece edificare quello Ponte, lo quale da lì in poi non fu chiamato più Ponte Rotto, perchè lì vi era lo Ponte primo, ma era rotto; ma Ponte Sisto, come dicono le lettere lì scritte. *Eodem Anno* a dì 7. di Maggio lo Papa fece otto Cardinali, cioè l'Arcivescovo di Monteregale, l'Arcivescovo di Milano, l'Arcivescovo d'Arli, lo Vescovo di Novara, lo Vescovo di Conca, lo Vescovo di Melfita, lo Vescovo di . . . . & uno Spagnuolo. *Eodem Anno & mense Junii* lo Cardinale di Santo Sisto, detto Frate Pietro, nel detto tempo fece coprire tutta la Piazza de' Santi Apostoli, e fece certi tavolati intorno alla detta Piazza con panni di Arazzo, e tavole a modo di una Loggia, e Corritore; & anco sopra lo Porticale della detta Chiesa fece un'altra bella Loggia tutta ornata, & in

A quei tavolati fu fatta per li Fiorentini la festa di Santo . . . . , e stavanci due fontane, che gittavano acqua, la quale veniva molto da alto, e credo dal tetto di Santi Apostoli; e lo detto Cardinale fece un bello e suntuoso convito a Madonna Lionora figlia del Re Ferrante, la quale se n'andava a marito allo Marchese o Duca di Ferrara, e dopo lo detto convito si fece fare quella festa; e fu una delle belle cose, che mai fosse fatta in Roma, & ancora fuori di Roma; perchè tra lo convito e la festa ci furono spesi parecchi migliaja di Ducati. E fece addrizzare un argenteria con tanti argenti, che mai fu creduto, che la Chiesa di Dio ne avesse tanta, senza di quello, che serviva a tavola; e

B le cose da mangiare indorate, e lo zucchero senza misura, che lì fu adoperato, appena si può credere. E la detta Madonna Lionora stette nella Casa predetta parecchi dì con molte Damigelle e Baronesse. E fu detto, che lo Cardinale predetto a ciascuna di quelle Donne, che avevano le camere da per se, oltre gli altri ornamenti, teneva un pitale indorato. Oh guarda, in quale cosa bisogna, che si adoperi lo tesauro della Chiesa! E dopo lo Martedì fu fatta l'altra divozione del Corpo di Cristo, e nello Mercordì fu fatta l'altra di San Giovanni Batista, e di San Jacovo. E dopo lo Giovedì mattina si

C partì da Roma la detta Madonna Lionora accompagnata con molti Cardinali e Prelati, e persone da bene, & andossene a marito. *Item* nel penultimo dì di Giugno lo dì di Santo Pietro e di Santo Paolo, fece un' altra rappresentazione nobilissima; e fu lo tributo, che veniva a i Romani, quando signoreggiavano lo Mondo, dove stettero settanta muli carichi tutti copertati con la coperta di panno con l'arma sua; e fu corso un Pallio da' Fiorentini da Porta del Popolo, fino a' Santi Apostoli, & ebbe lo cavallo di Francesco Santa Croce; e dinanti a questa fece certe altre rappresentazioni della Natività di Gesù Cristo co i Magi, e della Risurrezione di

D Cristo, quando spogliò l'Inferno, e fece nello stesso tempo godere e trionfare ogni uomo tanto noto, quanto ignoto. *Eodem Anno* venendo per mare lo Vicecancelliero a Roma fu sì grande fortuna, che ruppe Navi, Vascelli, e legni, dove venivano; e molti di quei Prelati & uomini furono annegati, tra' quali fu annegato lo Vescovo Fanese, e lo Vescovo di Sassi, e per grande miracolo campò lo Vicecancelliero.

Dell' Anno 1474. *quinta mensis Januarii* morì lo Cardinale di Santo Sisto, e fu attossicato; e così facemmo fine alle nostre feste; della qual morte ogni uomo se ne pianse, e dolse a tutti. Lo corpo suo fu sepolto in

E Santi Apostoli.

Dell' Anno 1475. a dì sei di Gennajo il Re Ferrante venne a Roma allo perdono, e menò con esso molti Baroni e Signori, anco con molti falconi, sicchè occisero quanti nibbj stavano ne i paesi nostri; e donò alle Chiese di Santo Joanni, Pietro, e Paolo uno Pallio d'oro per ciascuna. *Item* donò agli Officiali Romani, cioè Conservatori, Caporioni, a i Cancellieri, Riformatori dello Studio quattro canne di panno pavonazzo di grana fina per uno. Et andò per tutta Roma per vedere gli edifizj, & a Santa Maria Rotonda, Colonne Antoniana, e Trajana; & ogni uomo gli fece gran-

grande onore. E quando ebbe vedute quelle cose, tornò a Palazzo; e parlando con Papa Sisto disse, che esso non era Signore di questa Terra, e che non la poteva signoreggiare, per amore de i Porticali, per le vie strette, e per li Mignani, che vi erano, e che bisognando di mettere in Roma gente d'arme, le Donne co i mortari da i detti Mignani li fariano fuggire, e che di facile si potevano sbarrare; e consigliogli, che dovesse far gittare i Mignani e i Porticali, & allargare le vie. E lo Papa pigliò lo suo consiglio; e dall' ora in poi quanto sia stato possibile, sono stati gittati i Mignani e i Porticali, & allargate le strade sotto colore di fare gli ammattonati, & illustrare la Terra; e lo detto Re stette giorni tre, e poi partissi. *Eodem Anno die undecima mensis Novembris* morì lo Prefetto Piccinino Nipote di Papa Sisto nel Palazzo di Santo Pietro in Vincula, e fu portato a Santo Pietro, e fugli fatto onore da i Romani, e Cortigiani. E dopo incontinente fu fatto l'altro Prefetto, cioè lo fratello del Cardinale di San Pietro in Vincula. *Eodem Anno & mense* crebbe tanto lo Fiume mirabilmente, che chi voleva gire a San Paolo, e alla Mola, bisognava, che gisse in barca.

Dell' Anno Domini 1476. a dì 30 del mese di Aprile venne in Roma lo Duca di Sassonia, Nipote dell' Imperadore con quattrocento cavalli, e tutti erano vestiti di nero, & eranci cinquanta scudieri tutti vestiti di velluto nero. Del detto Anno a dì otto crebbe tanto lo Fiume, che non si poteva gire a Santo Pietro, e però fu tenuta l'Audienza in Santa Maria sopra Minerva. Del detto Anno 1476 lo dì di San Marco lo Conte Jeronimo figlio, o nipote, o attinente di Papa Sisto, fece fare in Navona una solenne giostra, dove vi furono di molti valentuomini giostratori d'Italia, e fuvvi di molta gente, e Catalani, e Borgognoni, & altre nazioni; e fu stimato, che in quella festa furo più di cento mila persone; e durò lo Venerdì, lo Sabbato, e la Domenica. E furono giostrati tre pregi, de i quali uno ne ebbe Juliano Mataleno, e l'altro Lucio Poncello, e lo terzo l'ebbe un uomo d'arme dello Reame, e furono di gran valore. Del detto Anno 1476. a dì dieci di Giugno lo Papa Sisto si partì da Roma per l'aria, che v'era infetta, & andossene a Campagnano, e lasciò in Roma per Legato lo Cardinale di Molfetta, e fu serrato lo Campidoglio; e la ragione civile e criminale si rendeva a piedi delle scale di Campidoglio. *Eodem Anno* a dì 12. del detto mese in Roma fu una gran tempesta nell' aria a ore 18., e cascarono due folgori, uno in San Pietro, & entrò per la Porta grande, & andò fino alla Tribuna, l'altro nella Chiesa d'Aracœli, e non fece danno. *Eodem Anno* 1476. a dì tredeci del detto mese in Piazza Giudea cascarono due case grandi ad ore cinque di notte, e ci morirono due femine, & un' uomo. A dì 6. di Luglio per la gran Peste fu ordinato, che per Roma si facessero le processioni, e prima fu portata la venerabile Immagine di nostra Signora di Santa Maria Maggiore, e fu messa in un tabernacolo di legname, e fu portata per Roma con grandissima divozione. A dì dicisette di Dicembre lo Papa fece quattro Cardinali, due Franciosi, e lo Vescovo di Tolosa, e Messer Joanni Mellino Vescovo d'Urbino. *Eodem Anno* a dì 26. di Dicembre venne la nuova, come in quel dì fu ammazzato lo Duca di Milano Galeazzo Maria, stando a Messa nella Chiesa lo dì di Santo Stefano, e questo fu fatto da uno de i suoi, allo quale detto Duca aveva fatte molte ingiurie, e diegli di un pugnale in petto, e dopo egli fu tagliato in pezzi dallo Scudiero del detto Duca. A dì 27. del detto mese di Dicembre Papa Sisto ritornò a Roma.

Dell' Anno Domini 1477. a dì 15. di Marzo circa alle otto ore di notte fu in Roma lo terremoto, se ben durò poco. A dì 23. di Giugno lo Duca di Calavria venne a Roma, e venne per mare molto bene in punto, e fugli fatto grande onore da i Cardinali, & alli 26. detto l'istesso Duca si partì da Roma pure per mare. A dì 21. di Agosto morì lo Cardinale Orsino, che si chiamava Messer Latino, e fece lo testamento con autorità di Papa Sisto, il quale a i quattro del detto mese lo era andato a visitare con quattro Cardinali; e fu sepellito in Santo Salvatore dello Lauro, lo quale egli aveva fatto fabricare di sua propria pecunia, e come si dice per legato fatto nel testamento del Signore Ursino. *Eodem Anno & mense* essendosi più volte ordinato lo Consiglio nel Palazzo de' Conservatori, che si dovesse fare lo mercato di Mercordì nella Piazza di Nagoni, *tandem* lo mercato fu cominciato alli tredici di Settembre dello detto Anno, proccurando questo lo Cardinale di Roano, lo quale allora era stato fatto Cardinale Camerlengo per la morte di Latino Ursino, & egli per questo promise di fare molte cose, e dopo non fece niente; & era Caporione allora Bernardo Porcio da Trejo. *Eodem Anno, die* 10. *Decembris*, lo Papa fece Cardinali gl' infrascritti, cioè lo figlio del Re Ferrante, lo nipote del Conte Jeronimo Rafaello, lo Cardinale di San Lorenzo in Damaso, lo Castellano di Castello, lo Cardinale di Santo Vitale da Saona, e questi poco dopo morì. *Eodem Anno* a dì quindici di detto mese fu fatto Cittadino di Roma lo Conte Jeronimo da i Conservatori, e Caporioni e dallo Popolo, e fece la diceria Mastro Jacovo da Broccolo.

Dell' Anno Domini 1478. a dì 27. di Aprile fu scoperto uno tradimento, o trattato in Fiorenza, dove che nella Ecclesia di Santa Liberata fu ucciso Juliano de' Medici, e Lorenzo suo fratello fu ferito, e questo trattato fecero quelli della Casa de' Pazzi da Fiorenza, & ajutolli l'Arcivescovo di Pisa, lo quale si chiamava Bartolomeo Salviati, e Franceschino de' Pazzi co i suoi compagni combatterono nella Chiesa predetta; e finalmente come Dio volle ajutare gl' innocenti, quelli della parte di Lorenzo vinsero, & incontinenti pigliarono lo detto Arcivescovo insieme co i suoi famigli, & impiccaronli. *Item* pigliarono Joanni Batista di Montesecco Contestabile, il quale era mandato lì dallo Papa Sisto in ajuto di Franceschino de' Pazzi, e tagliaronlo in pezzi con molti de' suoi, & anco lo detto Franceschino fu pigliato con molti altri, intra i quali vi era lo Cardinale di Santo Giorgio, il quale si trovò lì, perchè queste cose le aveva ordinate lo Papa Sisto insieme col Conte Jeronimo, Franceschino, & Joanni Batista di Montesecco, e l'Arcivescovo Salviati, per togliere lo Stato a Lorenzo de' Medici, e darlo al Conte Jeronimo; e po-

e poco ci mancò, che non impiccarono lo detto Cardinale Nipote del Conte. Ma i Fiorentini gli ebbero assai rispetto, che era assai garzone, e si scusava, che di queste cose non ne aveva saputo niente; ma pure stavano, se riusciva lo colpo, per pigliare Fiorenza a nome dello detto Conte; e lo detto Cardinale rimase prigione molti dì, e per questo lo Papa si sdegnò assai co i Fiorentini. *Eodem Anno* a dì 4. di Maggio morì Messer Pietro Cesis Senatore di Roma, & in questo tempo io Stefano Infessura stavo per Podestà ad Horta. *Eodem Anno & mense Maji* a dì 12. lo Duca di Calavria passò per Roma per gire in Toscana a far guerra a' Fiorentini, e scoprironsi lo Papa, lo Re Ferrante, e i Senesi da una parte, e i Fiorentini dall'altra. *Eodem Anno* a dì 11. di Luglio si partì lo Papa da Roma, & andò a Bracciano. A dì 29. del detto mese scurò il Sole, e fu l'Ecclissi per un'ora in circa e a dì 16. di Settembre lo Papa tornò a Roma.

Dell'Anno Domini 1479. a dì primo di Novembre lo Cardinale di Roano Camerlengo, cioè Guglielmo di Estouteville, cominciò ad edificare la Chiesa di Sant'Agostino, la quale benchè fosse fatta da principio, nientedimeno sua Signoria la rifece in miglior forma da i fondamenti alle sue spese.

Dell'Anno Domini 1480. a dì 8. di Gennajo Papa Sisto cominciò a mettere ad esecuzione lo consiglio, che gli diede il Re Ferrante, quando stette in Roma del 1475. pure del mese di Gennajo; cioè che cominciò a gittare Mingnanelli, & allargare strade, e cominciò alli Armaroli in Ponte. E del detto Anno a dì 15. Maggio lo Papa fece gl'infrascritti Cardinali, cioè Messer Joanni Batista Savello titolare di Santo Vito in macello, Joanni Colonna di Santa Maria in Acquiro detto il Cardinale Colonna, Messer Cosmo de' Vascanelli, de' Migliorati, detto Cardinale Orsino. A dì 17. del detto mese di Maggio 1480. lo Turco venne a campo a Rodi, e vi mise campo per mare e per terra, e furono circa settecento vele, e pigliarono quasi tutta quell'Isola, e portò con esso di molto metal lo, sicchè in pochi dì fece circa a 600. bombarde grosse come fu detto. A dì 2. del mese di Agosto *eodem Anno* lo detto Turco venne con cento fuste in Puglia, e pigliò Otranto, e disfece cento Castella di lì intorno, e fortificossi lo detto Turco con mura, e con fossati, sì che ogni uomo temeva grandemente, e se non fosse stato, che Dio ci ajutò di poi saremo stati tutti in poco tempo in mano sua. E lo Papa a dì 8. di Settembre del detto Anno dichiarò Capitano della Chiesa lo Conte Jeronimo per far guerra a' Fiorentini; e nello stesso dì, acciocchè Dio l'ajutasse in questo buon proposito, disse la Messa Papale a Santa Maria del Popolo con molti Cardinali e Prelati, e benedisse gli Stendardi con l'Orazione, che dovunque andavano fossero vincitori; e dopo tornossene trionfalmente a Palazzo.

Dell'Anno 1481. a dì 3. di Marzo venne novella in Roma, che lo Re Ferdinando avea pigliato in mare quattro Fuste del Turco, e che ci fu pigliato uno suo Capitano, e dopo fu impiccato da quelli dello Re. E dopo a dì 28. di Maggio del predetto Anno venne la novella in Roma come alli 5. detto mese morì lo gran Turco in Costantinopoli, perchè Iddio onnipotente aveva provveduto di rimedio

A al Popolo Cristiano: che se non fosse stata la detta morte, certo che la Cristianità sarebbe andata tutta in sua mano, tanta era la sua potenza. E per questo Papa Sisto ordinò la processione nel Borgo di San Pietro, dove vi andò anch'egli co i Cardinali, e durò tre dì cioè a dì 4. di Giugno giorno di Domenica, e poi Lunedì e Martedì. E dopo alli 23. di Settembre del detto Anno venne la novella a Roma, come lo Re di Napoli con le sue genti aveva ripigliato Otranto con tutte quelle artiglierie, che vi erano, e pigliovvi di molti Turchi alla battaglia, i quali sono stati continuamente superati tanto per lo Re, quanto per lo Papa nelle guerre, che hanno avute contro

B Cristiani.

Dell'Anno 1482. a dì 4. di Aprile lo Papa fece gittar' in terra le Case di Messer Jorio Santa Croce, e del fratello; e questo fecelo, perchè la notte innanzi lo detto Messer Jorio con molti compagni armati, e bene in punto assaltarono la casa di Messer Liello e di Jacovo dalla Valle, e si posero nel Porticale di Santo Sebastiano, e lì combattendo contro quelli della Valle uccisero Messer Girolamo Colonna figlio naturale *tantum* de lo Prefetto de la Colonna. E la cagione dell'assalimento fu la briga, la quale in quel tempo si cominciò tra Casa Santa Croce, e Casa dalla Valle, perchè sendo prima intra Francesco Santa

C Croce e Francesco dalla Valle certa poca inimicizia, o odio, lo detto Francesco Santa Croce andò in casa di Prospero Santa Croce suo cognato, il quale è marito di Madonna Livia sorella carnale di detto Francesco, e lì trovò, che cenavano, & andò subito dalle scale alla tavola, e con una coltella diè una ferita allo detto Francesco nella testa, mentre teneva voltate le spalle alle dette scale, sì che non se ne avvide e ferillo: della quale ferita incontinente lo detto Francesco fu morto; e questo fu lo principio della briga, nella quale ci sono morte di molte persone da bene, e tra l'altre detto Francesco, e Bartolomeo Santa Croce, lo detto Signor Geroni-

D mo, Messer Paolo dalla Valle, e Sao di Goccio. A dì 14. del detto mese & Anno Papa Sisto Quarto canonizò in San Pietro, Bonaventura Frate di San Francesco, Cardinale e Teologo. E dopo del mese di Maggio essendosi acconci i Colonnesi, cioè i fratelli del Protonotario Colonna col Re Ferdinando con le persone, e con lo stato, di licenza e volontà di Papa Sisto, lo detto Protonotario si fortificò in Marino; e per questo fu dubitato, che non facesse scandalo in Roma ad istanza dello Re, lo quale si era rotto col Papa per l'anno della guerra di Toscana. E però due Cardinali gli andarono a parlare a Grottaferrata, *idest* lo Cardinale di Santo Pietro in

E Vincula, e quello di Milano. E dopo molte cortesie i detti Cardinali volsero, che i detti fratelli si partissero dal Re, & acconciassero con la Chiesa; e lo Protonotario diceva loro, che i fratelli non erano contenti di farlo, e che loro non saria onore, perchè una volta Papa Sisto aveva loro data licenza, che si acconciassero con chi pareva loro, e che sua Santità non aveva voluto dar loro Soldo, e per questo s'erano acconciati col Re, perchè non potevano vivere senza soldo, e questo fu a dì 14. di Maggio predetto. E dopo sentendo lo Popolo, che questo si fortificava, fece lo Consiglio, & *tamdem* di volontà dello Papa mandaro-

darono quattro Cittadini, cioè Messer Cammillo, che allora era Priore de i Caporioni, Beltramo Freapani, Pietro de' Massimi, & Alto dello Varo; e i detti Cittadini gli esposero il simile, e quello risposé loro pure il simile, & anco disse di più, che si ajutassero, e presto, acciocchè quelli dello Re, che stavano in quella terra non facessero loro rincrescimento, e al loro bestiame, perchè non era più in poter suo di proibirlo. E dopo a dì 21. del detto mese di Maggio, e del sopradetto Anno furono depredate di molte persone fino a Porta Latina, e pigliarono molti prigioni, muli e cavalli; e tra gli altri vennero a dare avviso, che fu pigliato N. ma dopo due giorni fu poi rilasciato senza alcun pagamento immaginabile.

De bello commisso inter Xistum Quartum & Robertum de Arimino ex una, & Regem Ferdinandum, Ducemque Calabriæ ex altera parte, & de morte dicti Domini Roberti anno 1482.

QUum tempore Xisti Quarti data esset occasio discordiæ inter prænominatum Dominum Xistum, & Regem Ferdinandum Regni Neapolitani propter bellum, quod fuerat paulo ante inter prænominatos ex una, & Dominos Florentinos ex alia parte, & præfatus Pontifex revocasset auxilium, quod ipse jam præstiterat præfato Regi contra Turcas existentes apud Idruntum, ortumque esset inter eos odium, atque discordia, præfatusque Xistus retrahere ab eo procurasset omnes quoscumque potuit militantes sub stipendio dicti Regis, & potissimum Barones Romanos, videlicet Dominum Virginium Ursinum, Dominum Jacobum de Comitibus, & nonnullos alios Barones, qui sub eo militabant, conatus est etiam retrahere Comitem Urbini totis viribus, sed non potuit, & quærens occasionem discordiæ, filium quemdam Militis Ursini sub protectione dicti Regis à patre relictum, ne ad dictum Regem rediret, in Castrum Sancti Angeli inclusit. Et factis minis contra dictum Regem, tamdem cum Venetis confœderationem fecit, jurans se exponere omnem substantiam pro perditione dicti Regis. Et antequam principium daret negotio, præfatos Barones, maxime Ursinos, conduxit, studuitque idem de Columnensibus facere; sed quum non haberet eos in tanto pretio, statuit eis parvum stipendium, quod recipere eis magis dedecus, quàm honor fuisset. Quod quum præfati Domini id facere recusarent, de ipsius Papæ licentia cum dicto Rege militare cœperunt hinc inde data receptaque fide. Quod postquam expeditum fuit, perturbatus est valde, eo quod numquam credebat eos cum tali conditione potuisse dicto Regi adhærere; quare minis & verbis conatus est ipsos retrahere; quod quum facere nequivisset, accitâ militiâ contra dictos Dominos Columnenses bellum indixit. E contra autem præfati Barones auxilium à dicto Rege, & Duce Calabriæ ejus filio impetraverunt, qui Dux confestim descendit in auxilium eorum, castraque sua posuit prope Abatiam Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Grottæferratæ, ubi per aliquot dies permansit absque tamen damno & incommodo alicujus. Deinde gentes dicti Ducis, bona, animalia, & homines Castri Trebani de Abbatia Sublacensi deprædati sunt; idemque factum fuit de hominibus Castri Cerreti ejusdem Abbatiæ, & Castri Sambuci ibi prope existentis. Similiter ex adverso per gentes Domini Virginii Ursini lares Ciciliani dictorum Columnensium derobati sunt. Post quæ petiit præfatus Xistus sibi dari à Prospero Columna, qui sub eo militabat, Castrum Paliani, & à Cardinale ejus fratre Capranicam, & nonnulla alia Castra, quæ sub eorum dominio erant, dicens, velle se retinere illa, & custodire, donec dicto prœlio finis imponeretur. Quod quum idem Dominus Prosper, & Dominus Cardinalis facere recusarent, iratus fuit Papa contra eos, stipendiumque, & copias commilitonum & compeditum, quos dicto Prospero promiserat, denegavit. Quare dictus Dominus Prosper, cum se ab illo illusum deceptumque videret, remissâ certâ pecuniâ, ut fertur, quæ apud eum erat, dicto Pontifici, se cum dicto Rege, & Duce Calabrensi confœderavit, & hoc fuit die 22. Maji 1482. Quod ita ægre latum fuit a dicto Domino Papa, ut sequenti die, videlicet secunda die mensis Junii dicti Anni 1482. Reverendissimum Dominum Cardinalem de Columna, fratrem dicti Domini Prosperi, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Sabellum, & Dominum Marianum Sabellum ejus fratrem in carcerem, videlicet in Castro Sancti Angeli, absque mora conjecit. Sequenti verò die, quæ est tertia Junii, bona omnia præfati Domini Cardinalis de Sabellis, quæ in ejus domo erant, per commilitones ad Palatium portata fuerunt, præter comestibilia, quæ statim derobata & ablata fuerunt, positæque sunt in domo illa custodiæ pro Papa. Die quinta dicti mensis Dux Calabriæ descendit cum gentibus suis, posuitque ejus tentoria in loco prædicto Grottæferratæ, & Burgeti. Die verò sexta mensis Junii, in qua erat festum Corporis Christi, Comes Hieronymus cum vexillis Ecclesiæ, & cum viginti squadris militum armatorum, & cum infinitis militibus exivit, & una cum eo erat Comes Pitiliani, Virginius Ursinus, Jordanus Ursinus, Johannes Columna de Præneste, Jacobus, & Andreas de Comitibus, & Dominus Comes Mirandulæ cum multis aliis Dominis bene armatis; posuitque se, & castra inter Portam, & Sanctum Johannem, relicto Burgo Sancti Petri. Et statim cum aliqui ex eis exirent Portam, incontinenti vulnerati, & capti extiterunt ab inimicis; & hi fuerunt circa triginta, inter quos affirmarunt fuisse quemdam Corsum Capitaneum Balestrariorum Equitum Comitis Hieronymi, & quemdam Borgettum, & captos fuisse. A supradicta die usque ad duodecimam diem Julii nihil actum est, nisi quod gentes Ducis animos suos converterunt ad prædam, deprædatique sunt frumenta Civium Romanorum, & eorum animalia. Nonnulli ex his capti, & carcerati, & demum rescossi fuerunt, videntibus & patientibus gentibus Ecclesiæ.

Videntes hoc Cives Romani, & quod eorum frumenta prædabantur, inito consilio decreverunt omnes unanimiter ire ad Papam, ut hæc prohiberet: alioquin actum esset de Civitate nostra, & accedentes gratam habuerunt audientiam, & pollicitationes infinitas; promisitque Papa se provisurum opportune de proximo. Ideo ad Portas missum est Proclama per Urbem ad pascendum Populum de verbis, in quo continebatur, quod omnes Cives, & alii Urbem habitantes, qui ex guerra præ-

prædicta damnum aliquod paterentur sive à nostris, sive ab inimicis, facerent se scribi à quodam Notario Mariano Scalibitario vocato, & coram quatuor Civibus deputatis de eo fidem facerent, & facta demum relatione per eos in Camera Apostolica, ipse Papa de introitibus ipsius Cameræ se confestim satisfacturum pollicebatur. Cujus virtute multi Cives de eorum damno fidem fecerunt; nulli tamen ab eo satisfactum apparuit. Videntes igitur Cives, quod nihil esset, cupientes eorum indemnitati providere, de per se multi statuerunt eorum segetes, quæ in campis erant, ad Urbem triturandas portare, factis undique excubiis. Quod quum ita cœpissent facere, Comes Hieronymus cum suis gentibus prohibuit, & hoc ex eo quod dictus Comes optabat, quod milites Ecclesiæ dictum granum deprædatum ad Urbem vendendum portarent, & ex pretio ipsum salarium sive stipendium sibi solverent. Et ita ex voto actum est. Fuit igitur necesse Civibus Romanis pati hanc injuriam, ita ut à suis, à quibus sperare debebant auxilium & favorem, magis quam ab inimicis deprædarentur, ita quod in partibus Latii nihil recollectum fuit, excepto Conventu Sanctæ Mariæ Novæ, quæ habito chirographo Regis nihil amisit. Et dum hæc sic, ut præmittitur, agerentur, missum fuit Proclama per Urbem, ut ne cui liceret vendere granum pro majori quantitate, quàm viginti Carlenorum pro rubio, ubi aliàs præfati milites pro viginti septem vel circa vendebant etiam illis, qui dictum granum seminaverant, & domini erant. Interea verò Comes Hieronymus, Virginius Ursinus, & reliqui Domini, Ecclesiam Lateranensem incolentes, non cessabant quotidie ludere ad triumphos, ad chartas, & ad aleas, & hoc quidem in Sacrestia dictæ venerabilis Ecclesiæ, etiam super capsa plena Reliquiis, & rebus aptis ad divinum cultum ibi existentibus, adeo quod dicto tempore à nemine, vel paucissimis dicta Ecclesia exstitit visitata.

Octava Julii affirmabatur in Urbe, Dominum Nicolaum Vitellium de Castello, quem præfatus Xistus sibi inimicum fecerat, eum de dicta Civitate expellendo, auxilio Florentinorum præfatam Civitatem Castelli occupasse, moxque duas arces unam à capite, aliam à pede destruxisse, & locum illum pro se retinuisse, quamvis pro Ecclesia diceret se retinere. Tertiadecima die Julii die Dominico hora Missarum non fuit passus Deus omnipotens, Beatusque Johannes Baptista, & Evangelista, & Apostoli Protectores Urbis Petrus & Paulus, & alii Sancti, quorum corpora in Ecclesia Sancti Johannis Lateranensis condita sunt, scelera & vitam militarem agitari in dicta Ecclesia; voluitque Deus omnipotens ostendere, se cuncta videre. Nam dictâ horâ signum cœleste ostendit; ortusque fuit ventus repentinus, & aër turbatus est valde, & adeo impetuosa tempestas orta est, ut vix dici posset. Demum quidem ignis exortus est apud tentoria existentia apud Sanctum Johannem, & Portam Asinariam, ussitque tentoria omnia, & loca militum unà cum eorum bonis, & equis, & aliquos ex his ibi infirmos existentes, extenditque se dictus ignis de loco ad locum usque ad illos, qui in Merulana via, & prope Ecclesiam Sancti Matthæi morabantur, tantumque incommodum illis attulit, ut communi omnium existimatione ad sex millia Ducatorum & ultra damnum ascendisse feratur de eo quod æstimari poterat. Eadem hora Terracina Civitas ab hominibus Regis Ferdinandi capta est, excepta Arce. Modus ita traditur; nam quum essent ibi duæ Civium principalium Familiæ, una quæ Fregepanorum, alia quæ Rosæ vocarentur, essentque inter se odiosæ, potissime tamen contemplatione illorum de Rosa, qui cum Ecclesia sentiebant, quatuor Cives de progenie Fregepanorum exulabant, & quum dicta die & hora residuum illius Familiæ unà cum adversariis in Ecclesia Cathedrali Missam audirent, illi de Fregepanibus, qui ibi erant, eo modo, quo statutum erat, ad Portam accesserunt, ibique per aliquod spatium permanserunt, quasi volentes si opus fuisset custodibus resistere. Dato deinde signo, exules unà cum gentibus Regis ad Portam venerunt: quod videns Castellanus fecit signum, ad quod accurrentes adversarii, qui in Ecclesia erant, ad usque eorum lares insecuti & fugati sunt; & eo modo Terra à dicto Rege possessa fuit absque Arce, quam non multo post à Castellano pro pecunia habuit. Nam receptis duobus millibus Ducatis à Rege, Castellanus, qui Abbas, & Forolivienfis erat, Arcem tradidit Regi, & se Neapolim contulit. Audiens hæc Xistus, incontinenti creavit tercentos pedites, & nonnullos milites, quos dedit Andreæ de Comitibus, ut opem ferret Terracinæ Arci; qui quum abirent, essentque in Algido, ab inimicis Ecclesiæ omnes aut capti, aut deturbati fuerunt. Et aliquibus eorum reversis ad Urbem, statim Proclama missum est, ut sub furcarum pœna, qui ab Andrea conducti sunt, Jacobo ejus fratri accederent; & ita actum fuit. Die XVI. dicti mensis Dux Calabriæ de dicto loco, ubi erat, recessit, emisso prius bannimento, quod quilibet de campo suo provideret se de victualiis pro tribus diebus, & contulit se ad locum dictum *la Riccia*, ibique in Ecclesia Sancti Pauli Albanensis permansit, Duce Melfi relicto in Castro Marini unà cum quindecim squadris armigerorum, & multis aliis peditibus.

Die XXI. Julii Virginius Ursinus, & Comes Pitiliani cum tribus eorum aciebus exierunt obviam, opem præstantes eorum famulis portantibus fœnum à loco vicino versùs Pontem marmoreum; & à supradictis aciebus inimicorùm perterriti, & infugati fuerunt, & ex eis, & eorum famulis non minus ducenti capti, & unà cum bestiis & vecturis ad Marinum transducti sunt, adeo ut vix dicti Domini cum paucis ad eorum castra reversi fuerunt. Et hæc omnia Comiti Hieronymo, qui in Palatio Papæ per aliquot ante dies cum magna suorum comitiva sociatus se induxerat, renuntiata fuerunt. Caussa accessus Comitis ad Palatium, dimissis castris, hæc fertur fuisse; nam Cardinales aliqui, qui in Urbe erant, potissime Reverendissimus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, in unum convenerunt, accesseruntque ad Pontificem; & pacem & quietem suppliciter petierunt, nuntiantes hoc totum in arbitrio Suæ Sanctitatis residere; de qua habenda spem aliquam reportaverunt. Audiens hæc Comes, dubitans ne aliquid adversùs inceptam rem moliretur, à latere Pontificis se de cetero non abdicavit, adeo ut spes & fides, quæ de pace erat, confestim evanuerit. Die XXIII. Julii prædicti, optatus & multum desideratus Dominus Robertus de Ari-

Arimino Romam ad Pontificem venit, paucis tamen cum militibus, & cum vexillis Venetorum, & suis, ac Ecclesiæ & Pontificis ordinatis aciebus de Platea Sancti Petri ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris se contulit, ubi unà cum Comite nihil aliud fecit, quàm quod exivit aliquando ad providendum locum. Die XXVII. dicti mensis Julii quum intellexisset jam apud Formas, & aquæductus Urbis permanere circa octo inimicorum acies, omnes prænominatæ gentes Ecclesiæ, scilicet Capitaneus, & Comes Virginius cum toto exercitu exiverunt, iveruntque obviam illis, & inimici de dicto loco numquam se amoverunt. Timuerunt igitur nostri, ne ibi esset, aut lateret Dux Calabriæ cum ejus exercitu, & ea de caussa retrocesserunt, & ad tentoria reversi sunt non parvo cum timore. Non præterita adhuc hora erat, quum tibicen à Duce Calabriæ missus Domino Roberto, & ex parte Domini sui dixit, quod Dominus suus mirabatur valde de eo, & quod numquam credidisset; quod in tam brevi tempore ex milite fortissimo Sacerdos factus esset, & quod effectus esset Canonicus Sanctæ Mariæ Majoris, pro ut alii ejus consocii Sancti Johannis Lateranensis. Eadem die Dominus Cola Cajetanus de Sermoneta deprædatus est omnia animalia Piperni, & Setiæ, quæ præda quum duceretur Sermonetam, incontinenti à gentibus Domini Andreæ de Comitibus, potissime ab illis, qui erant in Carpineto, recepta & ablata fuit, & non sine maxima hominum dicti Colæ captivitate, & occisione, & vulneribus. Multa e contra in dicta die sunt enarrata. Primo quidem exercitum Venetorum, qui apud Ferrariam degebat, destructum fuisse. Dominum Robertum de Sancto Severino Capitaneum tribus vulneribus affectum, & hæc per gentes Comitis Urbini. Item Archiepiscopus (*) de Carnea, qui fuit Legatus Imperatoris, & qui multa mala dixerat de Ecclesia Dei, potissime de mala vita Xisti, & Comitis Hieronymi, & de inhonesta vita omnium Presbyterorum, & hoc publice prædicavit, ideo à Comite Hieronymo carceratus est, & in dicta die à dicto Pontifice fuit privatus Archiepiscopatu, qui tamdem curantibus his male finivit dies suos. Item quum citatus esset ad Concilium per Imperatorem, & ire recusasset, in dicta die creatus fuit Legatus Papæ Episcopus de Suevia, qui dixit ire ex parte dicti Pontificis ad Imperatorem ad eum excusandum. Redeuntes igitur ad rem nostram XXX. dicti mensis Julii circa triginta inter pedites & milites ducebant juxta Castrum Frascati ad similitudinem prædæ certas bestias vaccinas; quod quum vidissent homines dicti Castri, exiverunt armati causâ eas capiendi; & quum venissent ad exitum cujusdam viæ, ubi eam melius sperâbant auferre posse, invenerunt ibi gentes præfati Ducis, quæ incontinenti insurgentes præfatos Frascatanos captos secum duxerunt, & aliquot ex eis interfecerunt, & vulneraverunt, ita quod pauci ex eis fugientes ad dictum Castrum reversi sunt.

Eadem die Romæ publice dictum & affirmatum fuit, ita quod de eo fuit publica fama, quod quum alias Papa Xistus excommunicasset Florentinum Populum, pro eo quod suspenderunt Episcopum de Pisis, alias dictum, Salviatum cum suis complicibus & familiaribus, & quod ceperant & carceraverant Raphaëlem Cardinalem Sancti Georgii Nepotem Comitis Hieronymi ibi existentem, quando fuit occisus in Ecclesia Julianus frater Laurentii de Medicis, & quando fuit detectus tractatus Comitis Hieronymi, & à dicta excommunicatione fuisset appellatum per dictum Populum, qui asseruit se ex justa causâ illud fecisse, & suspendisse illum non tamquam Episcopum, sed tamquam proditorem, qui prodere intendebat dictam Civitatem, & eam libertate privare, & eam submittere Comiti Hieronymo, interfecto Juliano, & Laurentio de Medicis; & cum causa ipsa appellationis commissa extitisset etiam de voluntate Pontificis quibusdam Episcopis ultramontanis, quibus fuit missus totus processus, & potissime quædam attestatio Johannis Baptistæ de Montesecco Contestabilis Ecclesiæ, qui ad dictum locum se contulerat caussa exsequendi &c. qui postea captus antequam suspenderetur, deposuit, & attestatus est se de hac re plures habuisse colloquium cum præfato Pontifice, videlicet de modo expugnandi sive capiendi dictam Civitatem Florentiæ, & eam tradendi dicto Comiti Hieronymo, ac se præfato Pontifici dixisse, absque hominum cæde id non posse fieri, & quod præfatus Pontifex dixerat ei, quod non bene contentabatur, quod fieret cum occisione alicujus; & deinde post pusillum dixit: *faciatis melius quàm possitis*; & cum aliis attestationibus, super qua tamen caussa dicitur ut supra fuisse pronunciatum per dictos Episcopos in favorem dicti Populi Florentini, & contra dictum Pontificem, illosque ab anathemate prædicto postea liberatos fuisse. Die prima mensis Augusti apud Ostiam apparuerunt decem & septem Galeæ & Naves duæ Regis Ferdinandi, ibique dederunt multa signa quasi vocantes milites terrestres ibi prope existentes, qui magno cum timore ad Urbem confugerunt; Galeæ tamen & Naves post duos dies inde recesserunt. Eadem die Civitas Lavinea capta est à Duce Calabriæ, excepta Arce, quam post triduum habuit. Die octava mensis Augusti Capita Regionum, & Officiales Populi Romani vocaverunt ad Consilium omnes Cives ex parte Papæ, videlicet quilibet in principaliori Ecclesia suæ regionis, ubi per dictos Officiales expositum fuit, qualiter Papa intendebat hàbere mille Romanos juvenes armatos, tam equestres, quàm pedestres per octo dumtaxat dies, quos volebat exire in auxilium unà cum gentibus Ecclesiæ contra Marinum; & offerebat non habentibus arma & equos ac expensas; & pollicebatur eis quod quicquid caperetur in bello esset eorum; & si contingeret eos capi ab inimicis, promisit propriâ pecuniâ redimere. De Civibus aliqui promiserunt, item aliqui renuerunt; re scita tamen actum fuit, ut etiam volentes accedere recepti non fuerint; quare creditum fuit id magis explorandi animi causâ quàm ipsos habendi, attentatum fuisse.

Duodecima die dicti mensis Augusti Dominus Prosper de Comitibus, qui hucusque militaverat cum Duce Calabriæ, hac die rebellatus est, deditque suum Castrum Montis Fortini Papæ, & gentibus Ecclesiæ. Dicti mensis Augusti die quintadecima Dominus Robertus de Arimino cum triginta tribus squadris armatorum, & cum illis junctæ sunt quatuor squadræ armatorum Domini Virginii, & quatuor Comitis Petiliani, & quatuor Comitis Mirandulæ, & duæ Domini Pauli Ursini, & duæ

(*) *Editio Eccardi*, de Granea.

duæ Domini Johannis de Columna de Præneste, & octo Domini Jacobi de Comitibus, & iverunt; & octo acies balestrariorum equitum, quorum quinque duxerat secum Comes Robertus, & tres habuit hic Comes Hieronymus, & cum illis plusquam novem millia peditum, & infiniti balestrarii pedestres, ac multi & infiniti sclopetarii, & tres bombardæ grossæ cum infinitis cerebottanis, & cum aliis artiliariis, & instrumentis, de quibus erant onerati innumerabiles carri. Et præfatus Dominus Robertus erexit duo vexilla, in uno quorum erant insignia Venetorum, videlicet figura Sancti Marci; in alio arbor cum literis. Item duo alia vexilla Ecclesiæ., in uno quorum erant claves, in alio arma Pontificis; quos omnes ordinatim ante se voluit videre Xistus cum omnibus suis Cardinalibus Nepotibus, nec non aliis, in fenestra Palatii. Et venerunt ante Palatium, & posuerunt se ante Portam Appiam juxta capita Bovis prope rivum, qui dicitur *la Marmorea*, & dicebatur Campum ire ad debellandum Castrum Marini; & dimiserunt Ecclesiam Lateranensem, & Sanctæ Mariæ Majoris, & alia loca, ubi fecerant sordidissima, & pestifera, adeout propter fœtorem per aliqua tempora non commode visa fuerint. Et quia omnes vineæ circumcirca destructæ arboribus incisis, & desolatis derelictæque exstiterunt, damnum prædictum inæstimabile fuit, ideo cum blasphemiis, maledictionibusque ab Urbe recesserunt. Quare nocte sequenti ecce pluvia intensissima, & ventorum tempestas tanto cum impetu, quod tentoria Comitis Hieronymi, quæ die præcedenti magna cum diligentia affixa erant, avulsa, & asportata per aliquod spatium exstiterunt. Die sequenti, quæ fuit Veneris, XVI. Augusti, in Urbe fuit similis aëris tempestas, & tonitrua, & fulgura de cœlo ceciderunt, & unum ex his cecidit, & percussit Turrim magnam Cardinalis Sancti Marci Veneti, videlicet in angulo dictæ Turris, quæ est versus Viridarium, & respicit versus Orientem, & in ea destruxit unum caminum, & dictum angulum fregit & scidit, pro ut nunc oculata fide videri potest, & ignis dicti fulguris sparsus per dictum locum quosdam famulos dicti Domini Cardinalis tetigit, & aliquem ex eis percussit in brachio dextero, adeo ut putarent omnes se esse mortuos. Non tamen habuerunt aliquod malum, excepto Credentierio, qui adeo attonitus relictus est, ut videretur amens. Eodem momento certa pars Palatii Ursinorum in Monte Jordano, videlicet certa domus antiqua, corruit à fundamentis, adeo ut totum atrium Montis Jordani repletum fuerit lapidibus, & ruina, ex quibus duobus signis tali tempore apparentibus multi mirati sunt.

Die decima nona Castrum Albani Savelli Acrolfi, qui per Ducem Calabriæ, & Columnenses tenebatur, sponte se se Ecclesiæ dedit. Die XXII. Mensis Augusti, videlicet octava post festum Sanctæ Mariæ Majoris, mane summo, nova gaudia orta sunt in Urbe, & quod Dux Calabriæ cum omni suo exercitu perditus, & destructus est, ipseque fugam arripiendo, ac in Terracinam noctu se recipiendo salutem sibi quæsivit. Qua de re Capitolium, omnesque Romæ Ecclesiæ, Castrum Sancti Angeli, ac denique tota Urbs festum & gaudium fecit. Quapropter proclama illico factum est in Urbe, ut quilibet accingeret se ad festum, quod in Assumtione Beatæ Mariæ Virginis in Mense Augusti celebrari consueverat, id in festo Sanctæ Mariæ Septembris fieret, & ita factum est. Modus autem destructionis dicti Ducis ita communiter traditus fuit: videlicet quod cum dictus Dux cum suis gentibus se fortificasset in territorio Velletri in loco, qui dicitur Sancto Petro in Forma, in loco, qui vulgariter vocatur *la Torre di Campo morto*, qui verè ei mortem intulit, qui locus redactus est in modum unius insulæ, & duo tantum loca erant, per quæ aditus ad dictum locum patebat, ab uno quorum, videlicet à loco, unde poterant gentes Ecclesiæ venire, præfatus Dux fortificaverat multis bombardis, cerebottanis, & aliis machinis, per quæ videbatur sibi ab illo loco offendi non posse. Post quæ locuti sunt ad invicem Dominus Robertus, & Dux Calabriæ, posueruntque diem & horam, quando inter se deberent certare, & ita factum fuit. Et prima vice, quando cœperunt prœliari, Dux cum suis Jannizzeris multum animose se gesserunt; & quum postea Dux vidisset Dominum Jacobum de Comitibus cum multis millibus peditum, qui nocte præcedenti secreto modo venerant in campum, de quibus ipse nullam prius habuerat scientiam, viditque ipsum venientem ab alio latere dicti campi, obstupuit, cœpitque in corde suo formidare; statim se reduxit ad locum fortiorem dicti campi, quem inimici ejus, videlicet gentes Ecclesiæ, insecuti sunt usque ad dictum locum prædictis bombardis munitum, & quum gentes Ecclesiæ intrare vellent, statim bombardæ, & cerebottanæ venientes primo percusserunt, ubi fertur quasi infinitos homines de gentibus Ecclesiæ periisse. Post quæ bombardarii iterum dictas bombardas caricare volentes numquam potuerunt ulterius caricare, eo quod ignis non poterat pulverem comburere, propter pluviam magnam, quæ ibi erat continua. Quapropter quum non possent dictum locum ulterius tueri, gentes Ecclesiæ intraverunt dictum locum, ubi per magnum temporis intervallum bellatum fuit, ubi etiam multi mortui sunt hinc inde, & multi equi armigerorum dicti Ducis debudellati, seu eviscerati sunt à peditibus dicti Domini Roberti. Timens tunc dictus Dux, ne id forte accideret ei, dubitans præterea ne includeretur in dicto loco à peditibus dicti Domini Jacobi, & propterea se non posse exire ad velle suum, statim constituit squadras aliquas ex suis combattere, & prœliari cum gentibus Ecclesiæ. Ipse vero cum paucis retrocessit, & ut aliqui ferunt, se in Terracinam, aliqui in terram Neptuni contulit. Bellantes autem tamdem capti sunt, & multi vulnerati, & nonnulli interfecti, ubi fertur fuisse circa viginti quinque magnæ auctoritatis, & alii infiniti. Et bellatum fuit à decima septima usque ad vigesimam tertiam horam. Quo facto incontinenti Dominus Robertus acceptis vexillis, & artellariis Regis, una cum captivis duxit Vellettrum & ipsos jampridem captos retinuit. Fertur etiam, pedites Ecclesiæ fuisse undecim millia vel circa.

Vigesima quarta die dicti Mensis Augusti Castrum Marini misit claves Conservatoribus una cum certis capitulis, rogavitque Populum Romanum, ut vellet claves & capitula portare Pontifici, & homines dicti Castri eidem commendare, & ita factum est, & isto modo venit in fortiam Ecclesiæ. Trigesima die dicti Men-

Mensis prænominati armigeri Ducis Calabriæ, qui capti fuerunt, ducti sunt ligati ad Urbem ad Papam, & fuerunt inter omnes ducenti & decem septem, & eorum principaliores positi fuerunt in Castro Sancti Angeli, aliqui in Capitolio, & alii dispersi per loca diversa, perque Roccas Ecclesiæ, ubi steterunt per aliquot dies. Dominus Robertus autem cum Gentibus Ecclesiæ ivit ad Castrum Cavarum una cum prænominatis Artelariis, & Bombardis, ibique permansit per aliquot dies. Deinde præfatus Dominus Robertus reversus fuit ad Urbem, visitavitque Pontificem, stetitque in domo Reverendissimi Domini Cardinalis Mediolanensis, ubi infirmatus est, ibique octava die Septembris, & sic quintadecima die post victoriam febre, ut aliqui dicunt, mortuus est. Sunt qui dicunt, ipsum fuisse veneno necatum, cui Papa fecit magnum honorem, ejusque corpus sepelivit in Ecclesia Sancti Petri cum memoria marmorea singulari, quæ ibi videtur. Sunt qui dicunt, Senenses auxilio cujusdam magni Capitanei fuisse liberatos ab oppressione Florentinorum. Traditur, quod Senenses ipsi erant maxime obligati, & quod quotidie cogitabant, quod possent ei dare dignum meritis pro tan to munere, quod ab eo acceperant, & tamdem judicabant se impares tanto beneficio; & si fecissent illum Dominum illius Civitatis, adhuc non esset satis. Et stantibus illis in hac altercatione, quodam die in Consilio generali, quod pro ista re quotidie faciebant, quidam Senensis surrexit & dixit, se invenisse præmium dignum tali viro, & quod de facili posset dictus Populus facere, vel concedere, & imposito silentio fuit ei jussum, ut diceret, quidnam esset istud præmium. At ille dixit: *Occidamus eum, & deinde adoremus eum pro Sancto, & nostro Protectore perpetuo habeamus*. Et ita factum fuit. Dixerunt ergo aliqui, non tamen quod ego præcise credam, Pontificem Xistum in hac parte fuisse Senenses imitatum, ac eorum consilium prosecutum propter mortem ita immediate secutam post victoriam, & propter honorem, quem fecit ei in sepultura. Quintadecima die Mensis Septembris homines Montis *delli Compatri* sponte se dederunt Ecclesiæ. Idem fecerunt homines Neptuni, fuitque dictum, die tali Ducem Urbini mortuum fuisse. Inde ad paucos dies facta fuit pax inter Ecclesiam, & præfatum Regem, & Columnenses reducti sunt in gratiam cum certis pactis & capitulis, inter alia quod Terræ hinc inde acceptæ restituerentur, quodque Cardinales carcerati dimitterentur, & Terra Terracinæ cum ejus Arce rediret ad Ecclesiam, & Marinum cum reliquis ad Columnenses. Cardinales tamen, qui carcerati erant, non fuerunt dimissi, & incontinenti die 27. Mensis Septembris Dux Calabriæ venit ad Urbem, dimissis captivis, permansitque in Palatio Papæ per aliquot dies. Deinde ipse una cum Virginio & aliis Ursinis cum bona gratia recessit à Papa XXX. Decembris, & Ferrariam profectus est. Facta confœderatione inter Papam & Regem, contra Venetos pugnatum est: deinde nihil actum fuit usque ad vigesimam septimam diem Mensis Maji 1483. Quum pluries Papa fuisset aliquando requisitus à Collegio, aliquando à toto Populo Romano, & ab aliis, fuitque hoc petitum per gratiam, quod dimitteret dictos Dominos Cardinales de carcere, & quamvis ipse pluries hoc promisisset, asserendo, ipsos in nihilo errasse, & propterea se illud libenter facturum, non tamen ad effectum veniebat. Tamdem dicta die Dominus Marianus Cardinalis de Sabellis, sumta occasione, ex dicto Castro aufugit, seque in Roccam priorem locum suum condidit, quapropter Papa iratus dictos Cardinales in arctiorem locum inclusit. Deinde quintadecima die Novembris die Sabbati excarcerati, & liberati fuerunt prædicti Domini Cardinales de carcere de Columna, & de Sabellis. Et confestim creati fuerunt Cardinales infrascripti, videlicet Archiepiscopus de Comitibus dictus *lo Cardinale de' Conti*, Dominus Baptista Ursinus, dictus Cardinalis Ursinus, Dominus Ascanius Nepos Ducis Mediolanensis dictus *lo Cardinale Ascanio*, quidam Frater existens apud Regem Franciæ, Dominus Jacobus de Parma, dictus *lo Cardinale di Parma*, puer nondum viginti annorum, & quidem formosus. Hic ut fertur, non multum ante fuit Ragaccius Comitis Hieronymi, deinde Camerarius Cardinalis Sancti Vitalis, deinde Cubicularius Castellani Sancti Angeli, quem quum Xistus vidisset, mox ad se advocavit, illumque multis equidem opulentissimis Beneficiis insignitum, tamdem ad Cardinalatus apicem contra aliorum, ut fertur, voluntatem assumsit. Juvenis est quidem bonæ indolis, & morigeratus, & formosus, ut videri potest; literas autem non habet. Qui omnes Cardinales post reversionem incontinenti Comitis Hieronymi creati sunt, qui jam vigesima septima die Mensis prædicti Maji cum suis ab Urbe recesserat, & de dicto Mense Novembris præsentis reversus fuit, & ut communiter fertur, aliqui ex dictis Cardinalibus non sine maxima effusione seu enumeratione pecuniarum creati sunt; & verisimile etiam est.

Anno MCCCCLXXXIV.

Ricordo faccio io Stefano Infessura, come questo dì penultimo del Mese di Maggio dell' anno 1484. il Protonotario Colonna fu pigliato in casa dello Cardinale Colonna, e fu menato a Palazzo prigione, e menollo lo Conte Jeronimo, Virginio Orsino, Paolo figlio del Cardinale Orsino, Jeronimo figlio del Cardinale di Roano, e Leone di Montesecco con tutte le genti loro, & della Ecclesia. E fu derobata, & infocata la Casa del detto Protonotario, e furonci molti e molti uomini uccisi dell' una e dell' altra parte; e lo fatto, e la cagione fu nel modo infrascritto. Conciosia cosa che lo detto Protonotario per comandamento dello Papa, dello Re Ferrante, & anco per sue promessioni fosse obbligate, & anco per sue promessioni fosse obbligato a rendere lo Contado d'Alvi allo detto Virginio Ursino, con aver prima quattordici mila Ducati da lui, cioè lo prezzo, che egli lo comprò dallo detto Re Ferrante: intra lo detto Papa, e lui, furono fatti certi capitoli e convenzioni, tra i quali vi era questo, che innanzi alla detta restituzione di detti Contadi, e pagamento delle dette pecunie, *in primis* si dovessero mettere insieme in pace certi Signori di Casa Gaetana, cioè lo Signore Cristoforo & Antonio figlio di Leonardo Cajetano, e lo Signore Cola da una parte, e dall' altra lo Signor Paolo Cajetano, *de*, *& super* la restituzione di un Castello, cioè dalla parte loro, posto in Campagna, lo quale si chiama la Torre di Trevigliano. Il quale lo detto Gioanni Paolo con l'ajuto di Alto Conte e del-

della Ecclesia proditoriamente, secondo che si dice, lo avevano tolto a i detti Signori. Et essendo intra lo Papa e lo detto Protonotario fermati i detti Capitoli e patti, mentre che si cercava l'espedizione delle dette cose, lo Camerlengo, cioè lo Cardinale di San Giorgio Nipote del Conte Jeronimo, secondo che pubblicamente fu detto, disse al Protonotario, che stasse sopra di se, perchè ci era chi gli faceva insidie, & portavagli odio ad esso. Et allora lo detto Protonotario si rinchiuse nella detta casa, palesando questa cosa con alcuni. E così spandendosi intra più persone, cominciaro i giovani dissoluti, & affezionati alla sua Casa a seguitarlo, e dormire, e rimanere dì e notte armati nella detta casa per sua guardia. E similmente lo detto Signor Virginio e Paolo Orsino comirciarono a fare armar genti in Monte Jordano; & in questa avvenne, che lo Signore Antonello Savello, il quale era Signore di una parte di Albano, dal quale ne fu cacciato per lo detto Paolo Orsino, e i compagni di Messer Jorio Santa Croce, come dicesi, di licenza e comandamento del detto Papa, lo detto Signor' Antonello assaltò certi alloggiamenti del detto Paolo, i quali stavano appresso a Lamentana, & alla Via di Tivoli; e da i detti alloggiamenti tolsero circa quaranta cavalli o bestie del detto Paolo; e dopo per alcuni dì lo detto Antonello insieme col Signore Lucio Conte di Monte Fortino, il quale a queste cose si dice essere stato lo principale, e col Signore Prospero Colonna fratello del detto Cardinale andarono, corsero, e pigliarono Torrecchia di Madonna Jacova de' Conti. Lo detto Lucio Conte si dice avere scritto allo Papa per sua scusa lettere di questo tenore, cioè: Che quello, che egli aveva fatto di Torrecchia, l'aveva fatto per ricuperar la sua roba, attento che egli più volte abbia scritto, e pregato la Santa Sede Appostolica, che gli voglia tener ragione dell' ingiuria, che a lui era fatta, & anco gli fosse renduta la patria sua di Monte fortino, che proditoriamente diceva essergli tolta dallo Signor Prospero suo fratello; & che mai lo detto Papa e la Ecclesia non gli avevano fatto riavere cosa alcuna, ma sempre con buone parole e promissioni si vedeva essere procrastinato e dileggiato. Per la qual cosa a lui era stato necessario far quello, che aveva fatto contra la detta Madonna Jacova, la quale in questo riputava sua inimica. E pertanto offeriva a Sua Santità la restituzione del detto Castello, e la ubbidienza, purchè a lui fosse renduto il detto Montefortino. E stando così le dette cose, il detto Paolo Orsino, il quale si diceva essere acconcio con la Signoria de' Veneziani allora nemica della Ecclesia, non avendo cavalli, faceva, come si dice, delle ruberie di cavalli, e d'uomini, intra i quali due uomini Vassalli del detto Protonotario Colonna, uno chiamato Pancrazio d'Artigliano, & un'altro. Essendo mandati dal detto Protonotario ad Artigliano in mezzo la via di Pratolungo, quando si va a Tivoli, dagli uomini d'arme del detto Paolo furono pigliati e menati, sì che non si sa ancora dove siano. E dopo questo lo detto Protonotario, secondo che egli disse, si accorse, che più volte di notte erano mandati messi e spie a veder che faceva, e dove stava, e con chi stava, inducendo nella sua mente sospizione. *Insuper* aggiugnendo, che lo detto Paolo rimosse certo bestiame, il quale egli aveva da questa parte nostra, e miselo in luogo a lui più sicuro. Lo detto Protonotario suspicò tanto più, in modo che egli si rinforzò lì nella detta casa, dubitando di non essere assaltato da i detti suoi nemici, con bombardelle, cerebottane, scopetti, e ballestre, & con molta gente, la quale tutta seguitava la sua volontà. Et essendo notificati al detto Papa Sisto Quarto i detti apparecchi, incontinente mandò per lo detto Paolo Orsino. Notasi, e vedesi per esperienza, che egli lo volle levare dalla divozione de i detti Veneziani, e ridusselo al suo soldo, & incontinente lo detto Pontefice comandò al detto Virginio, & al detto Paolo, che insieme con le genti, che aveva egli, si dovessero armare, & andare a pigliare lo detto Protonotario in casa. Et essendosi tutte le sopradette genti radunate insieme con la gente del detto Conte Jeronimo su in Monte Jordano, & in Campo di Fiore, lo Papa per sua scusa mandò nel detto dì per li Conservatori, & Officiali di Roma, i quali volle per giustificarsi di quello, che egli intendeva di fare, che intendessero lo fatto come passava, dicendo sempre: che se lo Protonotario giva a i piedi di Sua Santità, che egli intendeva di perdonargli, e di non fare più scandalo.

Però mandò per lui Messer Catalano, e lo Vescovo di Massa de' Conti, a i quali promise detto Protonotario di voler gire liberamente; di che gli Officiali alla mezza notte andarono dallo detto Protonotario, al quale esposero l'ambasciaria, prima dicendo, che la Santità di nostro Signore si maravigliava di questi armati, che egli faceva. Secondo, che la Sua Santità voleva dargli quelle sicurtà, che egli voleva; & lo detto Protonotario rassegnasse i due Contadi, & andasse alla Sua Santità allora. E i detti Conservatori furono Evangelista Rienzo, Martino Juliano Cesarino, e Sao di Gozzio di Campo di Fiore, lo Priore Fra Valeriano Freapane con molti altri Cittadini. E lo Protonotario, etiam *me præsente* rispose a i detti Officiali in questo modo, cioè che pregava i detti Officiali, che lo raccomandassero allo detto Papa, e che gli dicessero, che la Santità Sua non si maravigliasse di quella guardia, che egli faceva, non per fare contro Santa Chiesa, ma per sua difesa, e della sua Casa, & era mosso da queste cagioni. Prima che trattandosi lo detto pagamento e la restituzione del detto Contado, & essendo egli per più celere spedizione delle dette cose stato e rimasto due dì e due notti nella casa del detto Camerlengo, & avendo pregato più volte sua Signoria, che gli facesse aver parole con la Sua Santità, e mai non le aveva potuto parlare: lo detto Camerlengo quasi *per viam excusationis*, e per non essere tenuto traditore, disse allo detto Protonotario, che si dovesse guardare, perchè era qualcuno de i suoi nimici, che gli portava fete addosso. *Item* disse essere mosso dalle insidie, le quali egli si era accorto essergli state fatte di notte. *Item* de i detti suoi Vassalli pigliati; & ancora diceva, essergli fatta ambasciata per parte di quei Signori, che lo aspettassero. E per questo pregava i detti Officiali volessino scusarlo con la prefata Santità di nostro Signore, che di questi armati non pigliasse ammirazione. *Item* al fatto de i Contadi disse, lui essere pronto ad assegnarli secondo i capitoli, essendo sodisfatto a lui prima quello, che in essi capi-

A capitoli si conteneva; avvegnache dopo che fossero stati fatti li detti capitoli, & accettati per lui, e lo Signore Fabrizio, e rimasi d'accordo, la Sua Santità ne aveva levate, e mutate certe cose; e che di questo la Sua Santità ne aveva avuto certezza dallo Signor Fabrizio, il quale aveva risposto a certi Messi mandatigli per la prefata Sua Santità, che era contento d'assegnare, e fare tanto quanto per lo detto Protonotario era ordinato, e che veduta la lettera sua egli era apparecchiato ad assegnare. *Item* al fatto dell'andare a Sua Santità, disse, che lo Papa era suo Signore, e che con la Sua Santità non voleva nè sicurtà nè cautele, e che egli vi voleva andare, purchè piacesse alla Sua Santità senz'alcuna cautela; e che se egli era in alcun fallimento, era contento, che la Sua Santità gli desse la penitenza; bene pregava la Sua Santità, che non lo mettesse in mano a i Signori Ursini, i quali se gli erano scoperti per suoi nimici. E questa risposta fece a i detti Officiali, & al Popolo. Et innanti che egli avesse detto queste cose, venne uno de' suoi con impeto, e disse: *Signore, vedete, che faremo: perchè qui è venuto uno, e dice, che lo Signore Virginio e Paolo Ursino si sono messi in punto, e sono in via già appresso a Santo Agostino per venirci a trovare*. Allora i detti Conservatori & Officiali andarono con l'ambasciata al Papa, e dopo a poco ritornarono, e dissero allo Protonotario, che dovesse andar con loro a Palazzo; & allora lo Protonotario cavalcò per andare. E in questo si fece innanzi lo Signor Filippo Savelli, e disse a i detti Officiali, che egli voleva sapere, con che sicurezzá lo detto Protonotario andava a Palazzo. Al quale i detti Conservatori dissero, che egli andava sopra di loro sano e salvo. *Item* dello tornare eglino non lo assicuravano. A i quali lo detto Signor Filippo disse, che guardassero bene in che modo lo menassero, perchè se lo detto Protonotario aveva lesione alcuna, o non tornava, che egli si rimedierebbe contro le persone loro. E cavalcato che fu lo detto Protonotario per andare al Papa co i detti Officiali, se gli fecero incontro molti di quegli armati, che gli teneva, e sì gli dissero iratamente, che egli non andasse: perchè se egli andava, lo fatto suo si acconciava, & essi rimanevano in briga; e che erano certi, che se giva, non tornava vivo; e molti dicevano, che il volevano tagliare in pezzi innanti essi, che i suoi nemici. E così con grand'impeto pigliarono lo detto Protonotario per forza lui, e il suo cavallo, e rimiserlo dentro, e diedero licenza a gli Officiali, che per quella volta se ne andassero con Dio. E così tornarono i detti Officiali *iterum* allo Papa, e dopo poco ritornò uno de i Conservatori, cioè Evangelista col detto Valeriano Priore, i quali esortarono lo detto Protonotario che andasse allo Papa, e lo Papa voleva, che facesse la pace, e a lui voleva perdonare ogni cosa, e voleva achetare questa faccenda, che non si facesse scandalo. E lo Protonotario *iterum* cavalcò per andare, & accostossi alle sbarre, che erano su la piazza; e così uno, che stava lì, lo ritardò, che non andasse; & egli cacciò lo stocco, che teneva a lato, e diegli una percussione senza sangue, perchè non lo voleva lasciar' andare. E dopo pigliando egli l'occasione, diede de' sproni allo suo cavallo, e passò la sbarra solo, e gì verso Palazzo; e lo detto Conservatore e Priore lo seguitarono; & uscito che fu nella strada diritta, che va allo Capo Croce di Trejo d'innanti alla casa, che fu di Messere Angelo di Mascio, se gli fecero incontro certi de' suoi armati, i quali come lo videro, & *potissime* un'Uomo grande di statura, il pigliò per la briglia, e fecelo stare, e dissegli: *Signore, tu cerchi d'andare in Palazzo, e disfare te; e noi non volemo, che tu ci vadi; nanti te volemo tagliare a pezzi noi quì*. E così venne l'altra turba, la quale incontinente lo pigliò, e con grave furore lo rimenarono a casa; e i detti Officiali esclusi se n'andarono a Palazzo; E giunto che fu lo detto Protonotario alla casa, radunati che ebbe alcuni di quegli armati lì presenti, quasi con le lagrime agli occhi lor disse queste parole; secondo che alcuni hanno riferito: *Io vi avviso, che voi siete la cagione della disfazione mia e vostra, poichè non avete voluto patire, che mi gia a Palazzo*. E molti gli rispondevano: *Se tu ci andavi, non ritornavi mai più*. Et era questo circa a ventun'ora. Et essendo riferita l'ambasciata al Papa, e vedendo, che lo detto Protonotario non era andato, allora comandò a i detti suoi Esecutori, che dovessero andare a pigliarlo in quel modo, che potevano; non si curando di mettere in isbaraglio, o in pericolo di morte o di occisione lo Popolo. Et anco più disse loro, secondo che lo Signor Virginio ha riferito a molte persone, che la Sua Santità gli commise, che indifferentemente tanto ad Ursini, quanto a' Colonnesi dovessero mettere a sacco i Monti Trejo, e Colonna. E con le dette genti erano certi giovani Romani molto arditi, i quali mandò Stefano di Francesco de Crescentiis in ajuto degli Ursini. Et incontinente si misero i Signori, i quali tenevano la detta gente, in punto, e con lo stendardo della Chiesa se ne andarono alla via di Trejo, e per quella strada diritta se ne andarono alla Piazza del detto Protonotario, e pigliarono Montecavallo, e circondaronlo attorno, e misero un bando a quegli uomini a pena di ribellione, & *de crimine læsæ majestatis* per parte dello Papa, che ognuno si dovesse partire di lì, & di non dare nè ausilio nè favore nè ajuto allo detto Protonotario. Per lo qual bando moltissimi Cittadini vedendo che in questo teneva mano la Chiesa con gli Ursini, si partirono incontinente. E dopo a questo subito certi uomini d'arme, e Paolo Ursino saltarono dentro alle sbarre, de' quali uomini due vi furono incontinente morti da una bombardella, e lo cavallo del detto Paolo fu ferito, e di là a poco spazio camminò, e fu morto. *Item* molti schiopetti, ballestre, cerebottane, e passavolanti furono gittati, per li quali furono feriti molti uomini, e morti da sedici. Et in Montecavallo nella prima frontata dell'una e dell'altra parte morsero sette persone, e questi della Chiesa combattevano, e quelli si difendevano, cioè i Colonnesi pulitamente. Ma dopo i Colonnesi su le ventitre ore, essendo già stanchi, e non potendo resistere a tanta moltitudine di gente la quale da ogni parte avevano d'intorno, & anco perchè la polvere di quelle bombarde non gli serviva bene, cominciarono ad abbandonare la Porta grande. Nella quale venendo la gente d'armi si partì in due parti, & entrarono per forza in quello chiostro, e sparsersi per esso, sicchè loro non poteva più nuocere nè bombarda nè altro. E così la moltitudi-

tudine entrò dentro, e cacciarono fuoco su la stalla appresso San Nicola de' Porci, e lì ruppero un muro, & entrarono nel giardino, & un'altra parte vi pigliarono la ...., e così entrarono in casa, e rubarono, e tolsero ciò, che vi era, e trovarono lo Protonotario inchiuso in una stanza, assiso sopra una cassa, e ferito in una mano, al quale dissero, che andasse prigione. Et egli rispose: *Ammazzatemi prima*. Allora disse Virginio Ursino: *Renditi a me, e non aver paura*. Allora disse lo Protonotario: *Son contento*; e così lo menarono.

Insuper trovarono il Signor Filippo Savello, e pigliaronlo, e feceronlo spogliare di quella corazzina, che portava, e se gli posero intorno gli Ursini, e dissergli, dopo che l'ebbero spogliato: *Dì: Viva Casa Ursina*. Et egli disse: *Non lo voglio dire*. E così a mano salva gli diedero una gran ferita nella fronte, e tagliarongli le mani, e lo percossero nel viso e nel capo di più ferite, e lo lasciarono morto, & lì eziandio fu morto il figlio di Assunzio Scapuccio, e Riccio di Santo Gemini, e molti altri. E le robe dello Cardinale Colonna tutte andarono in preda, cioè oro, argento, e le sue cappe, e panni di arrazzo, e casse, e masserizie fino allo suo Cappello. Et il Protonotario sotto la fede del detto Signor Virginio fu menato allo Papa in giupetto, avvegna che dopo gli fosse prestata una cappa nera. E quando si menava, lo Conte Jeronimo gli disse: *Ah ah traditore, che come giungi, t'impicco per la gola*. E lo Signore Virginio gli rispose: *Signore, impiccherai inanti me, che colui*. E più volte cacciò lo Conte Jeronimo lo stocco, e menollo per volerlo uccidere. E lo detto Signor Virginio sempre si contrapose, e non volle mai, che gli facesse male. E così la Domenica sera fu menato dinanti allo Papa, dinanti allo quale stette per fino a due ore di notte. E dopo che fu saputo, che il detto Protonotario fu pigliato, incontinente Porta maggiore, la quale aveva fatta pigliare, e tenere il detto Protonotario, a sua petizione, sperando, che di lì per li suoi parenti gli venisse soccorso, fu lasciata. Et anche in quel dì, & in quell'ora, che furono fatte queste cose, la Gente della Chiesa, e di Casa Ursina misero a saccomanno la casa di Paolo Mancino per fino a casa dello Cardinale; e lo Vicecamerlengo Lione di Montesecco, & Antonio de' Conti misero a sacco su per Montecavallo quante case vi stavano, e la Chiesa di Santo Salvatore delli Cornelli, e di Santo Silvestro, e furono rubate Reliquie, paramenti d'Altari, Messali, & ogni cosa. Et ancora intra l'altre la casa di Pomponio Leto, al quale furono tolti quanti Libri aveva con tutta l'altra roba e vestiti, e lui in giuppetto co i borzacchini, e con la canna in mano se n'andò a lamentare co i Superiori. Il Lunedì furono buttate in terra le case di Messer Liello, e di Jacopo dalla Valle tutte, eccetto quelle di Messer Filippo, le quali il giorno seguente furono gittate. Venne in Roma nuova, che Marino si era reso alla Chiesa, fuor che la Rocca. Ma poi il Martedì il Campo andò a quella volta con le genti della Chiesa, e degli Ursini, e furono comandate molte persone a portar pane, e vino a Capo di bove, ove il campo si posò. *Item* nel detto giorno fu tagliata la testa al Signor Jacovo Conte di Montefortino, il quale si era trovato nella

A detta battaglia con lo Protonotario, e fu pigliato jeri, che fu Lunedì a San Paolo, il quale Signor Jacovo se ne andava via vestito da villano. *Item* furono messe a sacco molte case de' Cittadini, i quali per altro si trovavano aver favorita Casa Colonna, oltre a quelle, che sono scritte di sopra. E nel primo di Giugno, che fu il Lunedì, fu messa a sacco la casa di Messer Paolo figlio di Pietro Paolo Matteo, e di Messer Lodovico suo Zio; e questo fu, perchè avendo briga, lo suo nemico stava in casa di Messer Jorio Santa Croce, il quale con la sua brigata sotto nome della Chiesa e dello Papa diceva di aver commissione, che le case d'alcuni Cittadini si dovessero sgombrare ...... *Item* nel detto Mar-

B tedì fu gittata la taglia a Batista Matteo, al quale si dice, che Paolo Orsino aveva detto a bocca, che pagasse dieci mila Ducati, imperocchè il suo figlio si era trovato in ajuto di Casa Colonna; e così si dice aver fatto a Gian Pietro Beolo, & a Stefano Margano. Et è da notare, che in questo lo Papa è gabbato, perocchè questa punizione, che fa lo Signore Paolo, non la fa per punire delitto fatto contro la Chiesa, ma per vendicarsi dell'ingiuria, e contra di quelli, che hanno fatto del bene a Casa dalla Valle sua inimica. *Item* fu condennato detto Stefano Margano, che sotto pena di ribellione dovesse pagare dieci mila

C Ducati, imperocchè suo figlio Paolo si era trovato armato in casa dello detto Protonotario, & anco molti Officj, e Beneficj di que' Cittadini, che lì si trovarono, furono tolti. In primis a Messer Pompeo Braccio la Scrittoria, a Messer Paolo dalla Valle l'altra Scrittoria, a Messer Bartolo da Cicigliano Canonico di San Pietro i suoi Beneficj, a Messer Paolino Valentino Canonico di San Giovanni i suoi Beneficj, a Messer Gismondo Bonsignore Canonico di Santa Maria in Trastevere i suoi Beneficj; ma poi per intercessione del Re di Napoli gli ha riavuti. A Batista Avione lo suo Magistrato. *Item* al Rosso Bonsignore Mensuratore del Sale lo detto officio, il quale

D fu dato a Lucca Capoccio; & a molti altri, de' quali non è memoria. *Item* Mercordì fu pigliato lo figlio di Angelo di Paluzzo; e Pietro Matteo fu mandato cercando dall'Auditore del Vice Camerlengo, e lì fu ritenuto, e a sei dì dopo fu rilasciato. *Insuper* il Giovedì mattina fu data la battaglia alla Terra di Marino, e fu fatto lo guasto, e lì morsero persone quattro incontinenti, e certi altri furono feriti, secondo che dissero certi fanti della Chiesa. E similmente il Venerdì morsero molti di quelli, che furono feriti. Nel detto giorno lo Vicecamerlengo, che è Messer Domenico degli Albergati da Bologna, procedè molto severamente contro certi uo-

E mini abitanti in Montecavallo, a i quali fece mettere a sacco le Case. *Et insuper* patì anco naufragio quella del Vescovo di Vintimiglia, che gli stava vicina in quella zuffa. Et essendo per quella severità maladetto dalle Donne, e da tutti di quel luogo, Dio esaudì le loro preci in tal modo, che lo Venerdì egli andò sotto terra, & alcuni dicono, che la sua morte fu di scaranzia, ma ciò che si fosse, fu giudizio di Dio, il quale venne sopra di lui incontinente.

Nel detto Venerdì, quattro di Giugno fu fatto lo Consistoro, nel quale li Signori Cardinali raccomandarono allo Papa la Casa del Car-

Cardinale Colonna, la quale tuttavia s'abbruciava, e rubavanli finestre, ferrate, travi, marmi, & altre cose; & anche lo Cardinale di Siena raccomandò la Casa dalla Valle, che piacesse a Sua Santità di non farla fornire di gittare in terra, perchè bastava quello, ch' era fatto per intimorire lo Popolo. La Sua Santità liberamente promise di volerlo fare; e così fu concluso in Consistoro, che la detta Casa Colonna non si dovesse distruggere, e non gittare più, & il simile quella dalla Valle. Ora così comandò allo Datario, che mandasse la Bolla, che sotto pena di scomunica nullo togliesse, rubasse, o gittasse in terra le dette Case. E di lì a tre ore fatto che fu lo pranzo, lo detto Papa mandò per Gianfrancesco Barisello, e gli comandò, che andasse ad infocare e a gittare a terra le dette Case, & *potissime* quelle del Cardinale Colonna, e che desse licenza ad ogni uomo, che si potesse pigliare quello, che si voleva. E così andarono *iterum* le genti mandate dal Pontefice a fornire d'infocare e distruggere la detta Casa del Cardinale Colonna, & a fornire di gittare fino a i fondamenti la Casa dalla Valle. Per la qual cosa il detto Cardinale di Siena avendo veduto l'effetto contrario alla promessione & alla deliberazione fatta in Consistoro, senza aspettare più niente, si mise in punto, & andossene fuori di Roma a Viterbo, e così le dette Case furono disfatte, e gittate a terra. *Insuper* lo Sabbato, *die quinta dicti mensis*, fu detto nel Capocroce di Santo Marcello da persone degne di fede, come Paolo Orsino, e Jeronimo Tuttavila col detto Lione avevano combattuto a Marino, e che lo detto Paolo avea pigliato Antonello, se non che la fortuna lo campò, che nel pigliarlo, cascò il cavallo al detto Paolo, e pur nientedimeno era ferito. Et in quella scaramuccia vi morirono parecchi uomini dall' una parte, e dall'altra. *Item* fu detto per una persona degna di fede, che il Papa di sua bocca aveva rivelato e detto, come alle mani di Sua Santità erano venute certe lettere scritte *manu propria* del Cardinale Colonna, addrizzate al detto Protonotario, delle quali il detto Protonotario non aveva avuto notizia, perchè lo Messo fu pigliato per la strada, innanti che queste cose fossero. E le dette lettere erano di questo tenore e sostanza, cioè, che il Cardinale scriveva, che Sua Santità aveva inteso, ch' egli viveva disonestamente, e che di questo se ne maravigliava, e pregavalo, che non facesse qualche pazzia, che, se pure la faceva, non isperasse nella sua Signoria, che lo ajutasse in niente, perchè intenzione di sua Signoria era d'essere sempre buon figliuolo, & obbediente al Papa e alla Santa Chiesa. E quantunque abbia la Santità Sua veduta e trovata l'innocenza, bontà, e fedeltà del detto Cardinale, non è però restato, che non gli abbia abbruciata e rovinata la Casa. *Insuper* la gente della Chiesa hanno tolte di molte bestie de' Romani, & è stato il Signor Paolo, il quale se le ha mandate a Lamentana. E lo Sabbato tolse certe cavalle e bovi ad Antonio Lenio; e dopo il detto Antonio, nanti che il detto Paolo parlasse, per mandarle a Lamentana, il detto Antonio fece gente, ritolsele, e ferirono, e ributtarono certi Corsi, che le menavano, i quali Corsi teneva a salario il detto Signor Paolo Orsino, per tramandare lo bestiame, il quale lui pigliava tanto dagli amici, quanto da i nimici. E la Domenica, che fu il dì sette di Giugno il detto Signor Paolo Orsino e compagni mandarono i loro carriaggi a Castel Gandolfo, i quali furono presi e saccheggiati per quelli di Marino. Dopo Giovedì mattina venne la novella, come il Signore Antonello co' compagni avevano assaltato il campo della Chiesa in Grottaferrata, e ne avevano ammazzati, e sbudellati, e tolti molti cavalli, e ciò che stava in quegli alloggiamenti di fuori. E volendo poi entrare nella Chiesa di Grottaferrata, ammazzarono Lione di Montesecco, e Giorgio Albanese Contestabile, il quale altre volte stava alla guardia di Castello, e ferirono un Romano, chiamato Paolo di Mastro Lorenzo Ronciglione, e uccisero due ragazzi di Paolo Orsino, e molti altri uomini. E Paolo Orsino e Jeronimo Tuttavilla fuggirono, e riposeronsi nel Campanile di Grottaferrata; e quegli altri pochi, che lì rimasero, che non erano fuggiti ne i monti, si rinchiusero nella detta Chiesa di Grottaferrata, la quale lo detto Antonello non potè mai pigliare nè con fuoco, nè con armi. E lì stettero le dette genti rinchiuse per fino che fu sera, che venne lo soccorso da Roma, e mai non s'attentarono di volere uscire fuori. E dicesi, che col detto Antonello erano molti fanti Aquilani, e che misero fuoco in tutti gli alloggiamenti e luoghi, che poterono di questi della Chiesa. *Item* tra i nostri Cittadini fu un Batista Cola Roscio, & Agabito suo figlio, e Giovan Batista, e Paolo di Giovanni suo nipote, non bastando loro quello, che avevano fatto, e che avevano tolto di Casa del Cardinale Colonna, quando fu messa a sacco e a fuoco, anche nel detto dì erano andati colli mietitori salariati a mietere lo grano di Marino. Et incontinente la notte predetta furono pigliati da quelli di Marino, e menati prigioni. E dopo a tre dì il detto Batista solo ritornò tutto rotto, & azzacconato con la taglia di ducento Ducati, per la quale lì lasciò detto Agabito per pegno. *Item* i detti Signori di Marino avevano pigliato un tal Messer Ginolfo, il quale stava in casa di Siena, uomo di grande riputazione, e lo tennero un dì & una notte, e dopo lo rimandarono sano e salvo senza lesione alcuna di roba o di persona, & imposerongli ambasciate, che dovesse fare a nostro Signore, e a i Signori Cardinali, cioè ch' eglino si erano infortiliti lì, non per difendersi dalla gente della Chiesa e del Papa, ma dagli Orsini loro nimici; e che pregavano la Santità di nostro Signore, che non li volesse favorire, e che lasciasse fare a loro. Et essendo così, eglino erano e volevano essere obedienti e buoni figliuoli della Santa Chiesa. Et altrimente volendo il Papa mischiarsi, & alli detti Orsini dare ajuto contro di loro, se si difendevano, gli avesse per iscusati. *Et similiter* i detti uomini di Marino e Signori pigliarono certi Velletrani, che venivano a Roma, e passavano, i quali similmente lasciarono senza far loro alcuna ingiuria. *E contra* la gente della Chiesa, cioè di Paolo Orsino, dovunque si trovavano, facevano grandissimi danni, derobavano le aje di sacchi di grano, d'orzo, e d'altre masserizie, e battevano lo grano, e mandavanlo a vendere, e cacciavano li mietitori pe' Romani mandati a i loro lavori, e li rubavano, e rimandavanli, per potere fare meglio il fatto loro. Onde vedendo questo i Cittadini, radunato il Con-

Configlio il Venerdì nel Palazzo de' Conservatori, fu letta una lettera mandata dal Cardinale Colonna a i detti Conservatori, dove che lo detto Cardinale s'offeriva di rendere certe buffale di Cecco de' Picchi, le quali passando di lì erano state ritenute da quelli d'Ardea per ristoro di certi uomini di quel luogo, li quali erano stati derobati, e pigliati per questi di Paolo Orsino; e pregava i detti Conservatori, che volessero raccomandare la sua Signoria alla Santità di nostro Signore & allo Conte; offerendosi sempre parato a i suoi comandamenti. E così furono restituite le buffale, e rilasciati i prigioni, ma non gli fu renduta la roba. *Et similiter* nel detto Consiglio fu proposto, che si dovesse provvedere a quegli smisurati danni, prede, e rapine, che si facevano per queste genti di Paolo Orsino, e della Chiesa. *Et tandem* fu concluso, che la mattina vegnente, ch'era il Sabbato, si dovesse collegialmente andare per gli Officiali e pel Popolo al Papa, al quale si dovesse supplicare, che desse pace a i detti Signori Colonnesi, e a noi, attento che eglino fino a mò non hanno peccato in niente, e che per questa guerra si veniva a perdere la Città; per la qual cosa era disfatta questa Terra, attento alla carestia degli anni passati. E caso che il Papa non volesse ascoltare, ovvero fare alcuna delle cose predette, che se ne andassero al Collegio di tutti i Signori Cardinali; e così fu conchiuso. Lo Sabbato mattina si adunarono tutti i Cittadini per andare, come era conchiuso, & aspettandosi due de' detti Conservatori, cioè Evangelista e Juliano, dopo molte parole fu mandato per loro, e non furono trovati. Fu menato su lo Priore de' Caporioni, il quale è Valerio Fregapane, per andare a Palazzo. E lo detto Priore disse, com' egli e i sopradetti Conservatori erano stati jeri allo Conte, e rivelatogli tutto quello, che s'era conchiuso in Consiglio. E lo Conte non voleva, che s'andasse allo Papa a petere nè pace nè tregua. Et allora si mossero i Cittadini, & andarono a parlare al Conte. *Et tandem* ottennero, che quattro di loro co' detti Officiali andassero la sera al Papa a parlare; al quale esposero le sopradette ambascerie, & ebbero per risposta dalla Santità Sua, che non voleva nè pace nè tregua, e ch'egli pretendeva di pigliare queste Terre di Casa Colonna, e ch' egli aveva mandato per molta gente, e facevala mettere in punto, e che di prossimo le avrebbe pigliate. E in questo mezzo voleva fare provisione, che i detti danni non si facessero. E dopo fu fatta questa eccellente, e stimata, ovvero escogitata provisione, cioè, che tutti i Romani, i quali stavano a i ripari nel campo della Chiesa, o di Paolo Orsino, dovessero ritornare a Roma, perchè si diceva, ch'eglino battevano lo grano, e mandavanlo a Roma a i loro parenti.

Item, che nessuno potesse mettere alcuna quantità di grano in Roma senza bolletino. *Item*, che a que' saccomanni, che portassero grano in Roma, fosse subito tolto, per metterli in un luogo ad istanza del Conte. Le quali provisioni, quanto sieno ispedienti a i bisogni sopradetti, ogni persona lo può considerare. E finalmente essendo rubata la casa d'un Cittadino, il quale fu Paolo Cola Janni, lamentandosi con certi altri Cittadini in Piazza di Torre de' Conti, occorse, che passarono que' quattro saccomanni co i muli, e col

A grano del detto Paolo. E incontinente il detto Paolo corse loro addosso, e ritolse li muli, e'l grano, e pigliò tre di que' saccomanni, e fecegli andare in Campidoglio. E dopo lo Senatore mandò pel quarto fuggito, il quale era arrivato in casa del Cardinale de' Conti; e il Cardinale nol volle mandare, condire, che se n'era andato con Dio. E dopo il Conte mandò al Senatore per que' tre, che egli teneva prigione, che li mandasse, perchè egli voleva addimandare & esaminarli. E il Senatore non glieli volle mandare, anzi gli mandò a dire, che egli era messo lì per fare la giustizia, e così voleva fare, sicchè avesse pazienza, avvegna che di lì a pochi giorni

B pure ci mandasse. *Item* lo Cardinale di San Pietro *ad Vincula* in Palazzo ebbe molte parole col Conte Jeronimo. L'origine e le parole sono queste: Che lo Conte in presenza del Papa disse al Cardinale, che egli faceva male a tenere li ribelli e nimici della Chiesa in casa. E questo gli disse, imperciocchè il detto Cardinale teneva Paolo Margano, Messer Bernardino dalla Valle, Messer Paolo dalla Valle, Messere Apollonio Valentino, Messer Prospero Boccaccio, e molti altri, i quali si trovarono in casa del Cardinale Colonna, quando fu tolta e battagliata la detta casa, in favore del Protonotario Colonna. Al quale il detto Cardinale rispose e disse, che quelli,

C che teneva, non erano ribelli alla Chiesa, ma erano fedelissimi; Ma era egli, che si credeva cacciar loro di Roma, e mettere a fuoco la Chiesa di Dio, e rovinarla tutta quanta; e che egli era cagione pe' mali portamenti, che il Papa, ch' era lì presente, con tutti i Cardinali andassero in rovina. E dopo il Conte gli disse, ch' egli lo voleva cacciare da quella Terra, e che lo voleva infocare in quella casa, e metterla a saccomanno, siccome aveva fatto a quella del Cardinale Colonna. E conciosia cosa che lo Papa si mettesse tuttavia in punto di genti & altre artiglierie, per pigliare Marino, e distruggere Casa Colonna, sentendo questo i Signori Colonnesi, mandarono

D Messi & Ambasciadori al Papa, e a i Signori Cardinali, i quali pregavano umilmente, che non li volesse distruggere in tutto; e che eglino erano ben contenti, che se lo Protonotario aveva peccato, Sua Santità lo punisse, attento che l'aveva in prigione, & erano contenti di dare nelle mani del Collegio de' Cardinali Marino, Rocca di Papa, & Ardea, che ne facesse il Collegio ciò, che gli piacesse, e paresse essere più di ragione; & eglino s'offerivano di venire all' ubbidienza. *Et tandem* il Papa disse, che di questo se ne voleva consigliare col Conte. E dopo egli e il Conte risposero, che la loro intenzione era di non aver niente di buona voglia, e che il Conte

E voleva avere tutte le predette & altre Terre pe' Colonnesi per colpi di bombarde e di saette & altri ordigni militari, e per forza e per dispetto loro. E dopo il detto Signore Antonello e compagni vedendosi disperati della concordia a dì 18. del mese di Giugno detto, uscì fuori co i suoi fanti e cavalli leggieri, e radunò certi giovani Romani, i quali erano circa venti, con molti altri mietitori, i quali erano avanti a muovere e a predare lo grano di Marino, e così legati li menò a Marino. *Et eodem mense* Andrea di Norcia Conestabile del Conte e della Chiesa, insieme con certi suoi cavalli andò lo detto giorno a dar battaglia

glia a Marino, dove che coloro uscirono e ruppero quelli della Chiesa, e ferirono a morte lo detto Andrea, e fu gran fatto d'armi con mortalità d'ambe le parti. E molti altri della Chiesa furono morti e feriti. Et anco nel detto dì fu gran rissa e tumulto in San Pietro, imperocchè lo Papa voleva mettere nel numero degli Auditori della Rota uno storpiato, gobbo, e mostro degli uomini, il quale aveva nome Messer Gianantonio da Parma, giovane certo ignorante e cattivissimo e pessimo uomo, secondo per isperienza s'è veduto ne' suoi uffizj; del quale ne può rendere, come ne rende testimonio, il Cardinale di * Macone, e il Vescovo di Ferrara, & altre persone, che l'hanno provato in Roma. I detti Auditori nol vollero ricevere, attento ch' egli non aveva fatta esperienza nè disputazione prima secondo la loro usanza. Et avendo lo Papa comandato, che lo dovessero ricevere così *ex abrupto*, & eglino non volevano guastare i loro approvatissimi costumi, il Papa mandò pe' Fanti della Guardia del Palazzo del Conte, e d'altri luoghi, e que' Fanti mandò a minacciare i detti Auditori, & a pigliarli. I quali poichè videro quello sforzo, dissero di volere andare a parlare al Conte. E così segretamente si partirono dal luogo, & ogni uomo se ne andò a casa non per la via dritta, ma per Transtevere, per non essere presi e posti in Castello. Et il detto Messer Gianantonio per quelli non fu ricevuto. Et è da sapere, che il detto Messer Gianantonio per entrare nel detto luogo, al modo suo usitato aveva donato al Conte ducento cinquanta Ducati, e mille ne aveva promesso al Papa. I quali ducento cinquanta Ducati, poichè non potè conseguire l'officio, li ridomandò al Conte, che glieli rendesse, ma non gli volle rendere, e disse, che glieli aveva donati *simpliciter*.

Et similiter fu tumulto intra gli Scrittori Apostolici, e gli Stradiotti, e lo Conte; imperocchè il detto Conte comandò a i detti Scrittori, che incontinente dovessero avere sborsati mille Ducati, i quali diceva volere per la guerra. E i detti Scrittori dissero, non avere danari allora apparecchiati, e che la sua Signoria desse loro termine otto dì a trovarli. Et incontinente il detto Conte disse loro con grande impeto: *Voi dite, che non gli avete, e volete termine a trovarli; e io sò, che gli avete: pagate dugento di più, sicchè siano mille e dugento. E se farete altra replicazione, cresceremo più questa somma*. E così fu necessario a i detti Scrittori pagare i detti mille Ducati, *& similiter* fecero gli Stradiotti. Et anco il Papa gittò la Decima a i Preti & alle Chiese di Roma e fuori di Roma, la quale quantunque si chiamasse Decima, non però aveva effetto di Decima, perchè il Conte gittava la tassa a i Preti & alle Chiese secondo il suo volere, non avendo rispetto ad altro, se non a quello, che *etiam* con difficoltà si poteva estorquere; e quello lo voleva sotto nome di Decima. E lo Collettore d'essa in Roma fu ordinato il Vescovo di Cervia, il quale è Messere Achille Marescotti di Bologna. Ancora non è da tacere, che il detto Conte è di tanta ardente volontà di vedere il sangue di que' pochi Colonnesi, e di muovere battaglia a Marino, che nel dì della Domenica teneva i lavoratori e mastri a fare le casse alle bombarde grosse per mandarle; e continuamente si studia in far venire e mettere in pronto gente d'armi e soldati; ma non però che la sua Signoria Illustrissima si parta niente dalla casa, nella quale sta con grandissima guardia di dì e di notte. E il più che vada, va a Palazzo dal Papa, accompagnato molto bene, e con gran timore della persona. Dopo lo Santissimo in Christo Padre e Signor nostro col suo complice Signor Conte Jeronimo, per la loro innata e solita clemenza, misericordia, e giustizia, la quale hanno sempre mostrata, e mostrano tuttavia verso i figliuoli e i fedeli della Santa Chiesa, ancora in questo hanno mostrata la loro virtù & animo, che il detto Protonotario Colonna, lo quale tenevano carcerato in Castello, hanno di tanti e sì varj & urgentissimi martirj e torture martirizzato e torto, che i Medici etiamdio chiamati per essi, hanno giudicato, esso non potere campare da morte infra poco spazio. E secondo che ha riferito un Medico Ebreo, il quale è stato a curarlo, egli prima ha tronchi i nervi delle braccia con due profondissimi pertuggi sotto alle tetticelle; le ginocchia e le gambe enfiate e pertugiate, per essere stato impeso al martoro co' ferri, & altri pesi alligati a i piedi. *Item* per le stanghette, e per li dadi, dati alle gaccolle; & anco le mani tormentate. Sicchè per nullo modo dicono, poter campare; quantunque, se pure campasse, abbiano apparecchiato lo ceppo nuovo, e la manaja per tagliarli il capo, & abbiano ordinato lo processo col Senatore, e co' Giudici, per giustificare i loro fatti. Et essendo in quelli dì fatta pe' Colonnesi assai preda, e presi nel Lazio alcuni Cittadini Romani, i detti Signori la mattina venendo, restituirono la detta preda, e lasciarono i detti prigioni, massime quelli, ch' erano della preda loro. *Insuper* lo detto Conte fece pigliare lo già detto Messer Ginolfo, e fecelo mettere in Castello prigione. Et alcuni dicevano, che quando fu fatta quella traccia & uccisione in Grottaferrata, egli stava lì. E stando con Paolo Orsino, si dice, ch' egli proditoriamente fece entrare l'inimico per rompere la gente della Chiesa, e fare qualche suo fatto. Et alcuni dicono (e questo è più vero) che stando prigione il detto Messer Ginolfo in Marino, i detti Signori lo pregavano, volesse essere l'Ambasciadore, e di raccomandarli alla Santità di nostro Signore, con offerirgli le Terre, cioè Marino, Rocca di Papa, & Ardea, *idest* al Collegio, secondo che è detto di sopra; e che piacesse alla Sua Santità di non dar loro oppressione, dapoichè non avevano peccato. La quale ambasciata egli fece al Papa. E sollecitando questa pace, questo accordo col Papa dispiacque al detto Conte; conciosia cosa che non abbia mai voluto vedere uomo, che gli abbia ragionato d'accordo. E però lo fece mettere in prigione, quantunque di lì a pochi dì lo cacciasse fuora. *Item* fece mettere in prigione in Castello Messer Pietro da Vicenza Principale, e Francesco del Buffalo Fidejussore; imperocchè avendo il detto Papa ricercato lo detto Messer Pietro, che gli volesse rendere Monticelli, sopra del quale egli aveva ricevuto in prestito dal detto Messer Pietro tre mila Ducati, e il detto Messer Pietro dimandava i suoi danari, *finaliter* si contentò il detto Messer Pietro, che si pigliasse la Rocca, e mandando il Papa lo suo fratello Messer Dionigi, ripugnò, e cacciò le dette

dette genti coll' armi. E però lo fece pigliare e imprigionare, per volere il detto Castello senza pagamento alcuno.

E in questo predetto dì 23. di Giugno, le bombarde, cerebottane, & altre artiglierie, atte alla battaglia, le quali il detto Sommo Pontefice colle sue arme aveva fatto fabricare, si sono messe in punto per gire verso Marino. E dove per altro tempo i Santi Apostoli intendevano a conquistare i Popoli alla Fede e divozione Cristiana co' miracoli, colle orazioni, e col segno della Santa Croce, adesso s'acquistano co i colpi delle bombarde, e delle cerebottane, e d'altri strumenti atti alla battaglia. Vero è che innanti, che le dette artiglierie si fiano avacciate e messe in viaggio, lo prefato santissimo Signor nostro Sisto, volendo usare atto cerimoniale sopra d'esse, si fece portare la Vigilia di San Giovanni in Terra dove elleno stavano amanite, e vedute che le ebbe molto bene con le Arme sue, che nelle dette bombarde aveva fatto coniare, quando volle partire, dopo molte parole alzò gli occhi a Dio, e levò le mani al Cielo, e benedisse le dette bombarde, e fece ad esse lo Segno della Santa Croce sopra, e fece una orazione a Dio, pregandolo e scongiurandolo, che in qualunque luogo fossero portate, incontinente dovessero fugare e fare convertire in fuga e sconfiggere i nimici suoi e della Chiesa. Ma esso Dio Onnipotente, perchè la sua prece fu ingiusta, lo esaudì per lo contrario. E dopo si partì con maggiore letizia, e così per tutto quel giorno e l'altro stette, che mai avesse al tempo di sua vita. E dopo questo fece mandare un bando per lo Campo, che qualunque persona o Barone pigliasse Castelli o altre robe de' nimici della Chiesa, incontinente fossero loro. E dicesi che donò remissione de' peccati a chi moriva in que' luoghi. E per questo lo Governatore di Campagna Messer Niccolò da Castello, coll' ajuto d'Andrea Conte, pigliò due Castelli, uno chiamato Vico, e l'altro Colonnapardo. *Insuper* il Conte di Fondi mosse guerra a Castro. E in quel tempo il Signor Fabrizio, che stava in Marino, mandò un messo con una lettera di molte parole a i Conservatori di Roma, la quale lettera venne in mano del Commissario del Campo, che stava a Grottaferrata, & apersela, e lessela, e fece la risposta, che gli piacque, al detto Signor Fabrizio, a nome delli detti Signori Conservatori, senza loro saputa. E i detti Conservatori seppero questo, e non ne fecero parola alcuna. *Insuper* Luca Antonio di Santo Gemini, cognato di detto Signor Fabrizio mandò una lettera allo Signor Prospero Conte, soldato del detto Conte Jeronimo, nella quale lo pregava, che destramente s'adoperasse col Conte, ch'egli avesse salvo condotto di venire a Roma, perchè voleva parlare col Conte, e dirgli cose, le quali cadevano in utilità della Chiesa. E non essendosi trovato il detto Signor Prospero, il Conte, avendo notizia delle dette lettere, le aperse e rescrisse in dietro, che andasse al Commissario del Campo, e venisse con lui, e quelle lettere gli fossero salvo condotto. E così venne, e parlò al Conte e col Papa. E dopo lo seguente giorno i Signori con tutte le robe loro e persone, artiglierie e bombarde, e altre cose si partirono da Marino, & andarono a Rocca di Papa. E fu le 22. ore di piana concordia, e senza battaglia

A assegnarono Marino al Papa colla Rocca e colla Terra. Vero è, che que' Villani mandarono al Papa una supplicazione con certi capitoli, li quali il Papa non volle segnare, ma volle che stessero alla sua discrezione. *Item* in quel tempo, che Marino s'assegnò alla Chiesa, che fu a' 25. di Giugno, e che si trovavano di concordia di queste cose, fu messo un bando di quà e di là, che non fosse nessuno, che offendesse nè in roba nè in persona dall'una parte e dall'altra, a pena della forca. Vedendo Paolo Orsino, che non poteva offenderli, con tre squadre di cavalli se n'andò di notte in Campagna, e tra Gennazzano e Palliano fece una gran preda d'uomini

B e d'animali a quegli, i quali si credevano stare sicuri pel detto bando, e trattato di concordia. La qual preda condussero e custodirono certi Capi di squadra, e uomini d'arme tra Valmontone, e Montefortino, e per que' luoghi per certo spazio di tempo. Onde sentendo questo il Signor Prospero Colonna, e Antonello Savelli, si misero in certi passi, dove la detta preda doveva far capo, e finalmente eglino con poca gente diedero addosso a i detti uomini d'armi e Capi di squadra, e finalmente ritolsero tutta la preda e i prigioni, eccetto sei buoi, i quali, quando si combatteva, furono menati in quà. *Et insuper* questo Signor Prospero & Antonello colla

C loro gente ruppero, e svaligiarono le genti della Chiesa, e più presto eglino guadagnarono della roba di costoro della Chiesa, che questi di quelli. E in quella battaglia furono morti quindici uomini, e circa cencinquanta feriti gravemente di questi della Chiesa, e di que' di là molto pochi. *Item* nelli 27. di Giugno fu tolto per Paolo Orsino Monte delli Compatri in questo modo infrascritto. Conciosiacosa che il santissimo Signor Nostro Sisto non per alcun' atto di giustizia, ma per carità e clemenza di sua Beatitudine, avesse conceduto salvo condotto al Signore e a gli uomini del detto Castello, di non offendere, nè fare offendere, e fosse sicuro dalle genti della

D Chiesa; e questo fu conceduto, imperciocchè il Signore di quel luogo e il figliuolo, che fu del Signor Pietrantonio fratello del Cardinale, e di Prospero Colonna pupillo & infante nell'età infantile costituito, il quale non poteva in niun modo delinquere, perchè quell' età non conosce delitto; standosi fidati gli uomini del detto luogo del Breve, e del salvo condotto del detto Pontefice, Paolo Orsino mandò circa centocinquanta fanti ad una Chiesa di San Silvestro posta di lì appresso, dove gli uomini della Terra, e quelli, che l'avevano in guardia, si maravigliarono. E mandarono al Signor Paolo, al Commissario del Campo, e a gli altri, a mostrar loro lo

E salvo condotto e 'l Breve del Papa. *Insuper* mandarono al Conte a notificargli, ch'eglino stavano in grande paura. A i quali fu risposto, che tenessero mente, e che bisognando, dessero la battaglia alla detta gente, con dire, che quella stava lì per altre faccende. E facendosi così, i detti Soldati andavano alla detta Terra per pane e vettovaglie, e non si guardando da loro, venne lì Paolo Orsino, e comandò alla detta gente, che entrasse, & incontinente gridò: *Sacco, sacco*. E così entrarono i detti fanti, e il detto Paolo, e trovarono i detti uomini improvisi, & incauti, e misero a sacco una parte di detto Castello. Do-

A Dopo dubitando d'altro, volle che attendessero a pigliare la Terra; e così fu fatto. E lì vi sono morte e ferite alcune persone. E in questo modo lo salvo condotto e commissione Papale ha sortito il suo effetto. *Insuper* ho inteso da uno fido dignissimo uomo, che lo Conte Jeronimo in presenza di molti Cardinali, & in cospetto dello Papa, ha detto molte disorbitanze, e minacciose parole allo Vicecancelliero, *& potissime* gli ha detto: *Io t'infocarò in casa tua*. E d'allora in quà lo detto Vicecancelliero nella detta sua casa si è ben guardato, e remurato certe porte, e fornitosi d'arme in casa sua. Ancora nello detto dì una parte della gente della Chiesa, cioè certi Capisquadra con molti uomini d'arme, e fanti a piedi, tra' quali era lo figlio di Messer Niccolò B Vitelleschi da Castello con le sue genti, andaro in Campagna ad uno Castello, chiamato Ripa, e lì repentinamente, e senza fare avvisato gli uomini dello detto Castello, fecero pruova di entrar dentro, e di toglierlo, e trovarono i detti uomini in arme; & essendosi lì combattuto per alcuno spazio di tempo, le genti della Chiesa furono sbaragliate e rotte con qualche loro mortalità, e di loro uccisi circa a dieci tra fanti e uomini d'arme, e feriti circa cento cinquanta; e fuggendo il resto per quel tempo, quantunque di poi si rifecero, e piglarono Ripa lo dì seguente contro la volontà di quelli della Terra.

Nel dì delli 29. lo Santissimo Padre e Signor nostro Sisto sentendosi servito allo modo suo da C gli Officiali Romani, cioè Conservatori, e Caporioni, sperando anco in avvenire di essere meglio servito, conciosiache mai detti Officiali non abbiano fatto un'atto, che sia stato salutifero al Popolo nostro, & essendo possenti eglino di riparare agli scandali sopradetti, e mai non abbiano voluto, *immo* qualcheduno di loro, se bene diligentemente si considera quello, che si è detto di sopra, è stato grande origine e cagione delle cose predette; & essendo tutti tre li detti Conservatori Orsini e della parte contraria a i detti Colonnesi, lo detto Sommo Pontefice per dargli merito, a loro petizione, e supplicazione li confermò nell'officio per tre altri mesi prossimi a venire; e lo prefato Santissimo nostro Si- D gnore disse, quando li palesò confermati, che sua intenzione era, che quelli, che erano di quella volontà, fossero suoi Officiali, e quelli che erano della volontà contraria, cioè fautori di Casa Colonna, a suo tempo non avessero mai nè officio, nè beneficio. E così comandò, che fosse fatto; e dove che mai in Roma non fu conosciuta parte alcuna nè Guelfa, nè Gibellina, nè Orsina, nè Colonnese, benchè per li tempi passati fossero state gran differenze e sedizioni nel Popolo: al presente lo prefato Signor nostro Papa Sisto IV. non solamente non le ha evitate, ma ha anco suscitate & eccitate di nuovo le suddette fazioni e parti, e cacciata in alto Casa Orsina; e E sforzasi quanto sia possibile di cacciare a terra Casa Colonna, con dire, che era poco benemerita di Santa Chiesa. *Insuper* nel dì ultimo del mese predetto di Giugno, in tempo che si celebrava la festività della felicissima Decollazione di San Paolo Apostolo, il quale fu decapitato dallo crudelissimo Nerone, in quel dì circa a mezz'ora dopo il nascimento del Sole, e tre dì dopo la tornata in Roma del Signor Virginio Orsino, la predetta Santità di nostro Signore fece tagliare la testa al Protonotario Colonna in Castello, e lì fu lo Senatore, e lo Giudice del maleficio. Et essendo menato la mattina lo Protonotario fuora della prigione nello Grillo di sopra dello Castello, detto Protonotario si voltò a quei Fanti, che erano lì, e disse loro, come egli era stato fortemente tormentato, dolendosi estremamente della sua cattiva sorte, per li quali tormenti egli aveva detto molte cose, le quali non erano vere. E dopo quando fu nello inclaustro di sotto, dove gli fu mozzo il capo, lo Senatore, e lo Giudice si assisero *pro tribunali*, e chiamati tutti i Fanti del Castello, gli fecero leggere la sentenza dell' inquisizione; la quale avevano formata contro di lui, quantunque nullo stilo di giudicio criminale si fosse osservato, atteso che le confessioni predette fossero estorte per tormenti, secondo che si dice di sotto, e a lui non fosse mai dato termine a fare le sue difese. E dopo letta la detta sentenza, lo detto Protonotario si voltò a que' Fanti e persone, ch'erano lì, e disse: *Io non voglio, che alcuno sia incolpato per me. Io dico in coscienza dell' anima mia, e se non è vero, che il Diavolo se la possa portare mò che stò per uscire di questa vita, s'io dico bugia; e così tu Notajo e voi tutti siate testimonj, & anco lascio su la coscienza delle anime vostre, che lo andiate dicendo per Roma, come queste cose, che stanno scritte in questa sentenza, non sono vere; e quello, che io ho detto, l'ho detto per li grandi tormenti, che mi hanno dati, secondo che voi potete vedere. Et anco che me l'hanno fatto dire eglino, e massime quello, che ho detto de' Cardinali e de' Cittadini.* E dopo questo un Contestabile gli disse: *Signore, abbisogna che ti leghiamo le mani di dietro.* Et egli disse: *A che fare? Io son ben contento di morire, poichè così piace alla Santità di nostro Signore. Prego Dio, e la gloriosa Vergine Maria, che abbiano per raccomandata l'anima mia.* E così con le sue mani si colcò sopra un tripetto, dove stava lo ceppo, e la manaja, & addimandògli uno di coloro, che era lo manigoldo, che gli perdonasse, & egli gli perdonò, e disse poi: *Raccomandatemi alla Santità di nostro Signore, e pregatelo da mia parte, che gli sia raccomandato.* E coloro dissero: *In che?* Et egli rispose: *L'anima mia.* E così disse: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*; e chiamando tre volte il nome di Gesù Cristo, l'ultima volta col Gesù in bocca gli saltò il capo dalle spalle. Di poi lo misero in una cassa da morto di legno, e portaronlo in Santa Maria Traspontina. E non lo vollero mettere in Santo Celso, per vedere coloro, che lo andavano a pigliare; & non vi andando nessuno, mandarono a dire alla Madre, che mandasse per lui; e mandovvi con le torcie, e con le Fraterie, e con molti Preti fu portato il suo corpo in Santi Apostoli, e sepellito nella loro capella appresso l'Altare. Et innanti che fosse sepellito, fu veduto in quella cassa, e levato, e riposto, e furongli veduti i tormenti, quali egli aveva ricevuti ne i piedi, i quali stavano gonfiati, e ligati con le pezze, & anco le dita delle mani gli erano state torte, sicchè apparivano dentro e fuori senza alcun'ostacolo. E su la cima del capo in luogo, dove si fa la Clerica, stava un buco, che non si poteva ben vedere, ma secondo che si poteva comprendere, pareva separata la coccia dalla cotica, come scavata da un coltello di ferro. E stava in uno tapeto di terzanello, e lo suo primo era di setanello nero fino. *Item* gli misero un pajo di calze tristi, rotte da mezzo le gambe in giù, e miserongli una beretta rossa a tagliero in capo, la quale era un poco lunghetta, e credo che lo facessero per vilipendio. Et io Stefano Infessura scrittore di questa Istoria co' miei occhi

occhi io vidi, e con le mie mani lo sepellii (*) insieme con Prospero da Ciciliano già suo Vassallo. Gli altri Cittadini Colonnesi nessuno se ne volle impacciare, credo per paura.

Et in quella mattina, che fu fatto lo sopradetto atto, certi della famiglia del Cardinale de' Conti, avendo saputo simile novella, o per loro medesimi mostrarsi più grati al loro Signore, o per comandamento di esso (fin' ora non si sa) andarono con le accette, ronche, & altri ferri, e mozzarono quanti alberi e viti, che stavano nella vigna & orto del detto Protonotario, tra i quali vi erano molti fichi di San Giovanni, e molte viti di moscatello, con molti alberi, i quali tutti in quel tempo furono troncati e mozzi da piedi. E questo fu fatto per dimostrare la tristizia o letizia, che aveva Casa de i Conti della morte dello Protonotario. Non bastava quello, che Andrea Conti aveva fatto, e faceva contro de' loro Castelli in Campagna. Anco il detto Cardinale quì in Roma in sì vile e vituperoso atto volle mostrare la sua intenzione, che non che a coloro, che gli sono nipoti carnali e figliuoli della sorella, ma a i nimici proprj non dovrebbe essere fatto. *Die secunda mensis Julii* lo Conte Jeronimo e lo detto Virginio con tutto l'esercito della Chiesa con molti balestrieri, e fanti, & altre persone, si partì da Roma per mettere campo alle Terre di Casa Colonna; e la prima posata fecero a Pantano di Griffo. E dopo si partirono dodici carri grossi, cioè sei di bombarde, e sei altri di armature di essi, e un' altro carro con tre cerebottane rimase in piazza di Santa Maria; e certe altre bombarde grosse rimasero in Castello per andare, le quali andarono di lì a pochi dì in sei carri grossi. *Item* bombarde, & armature, le quali lo Conte Jeronimo fece mettere in pronto, e tolse i travi di Santi Apostoli, i quali lo Cardinale di San Pietro in Vincula gli avea fatti venire per acconciare lo suo Palazzo, e la Chiesa: e per suo dispetto lo Conte Jeronimo li fece togliere, e levare in prima da i luoghi suoi, e non se ne poteva ajutare. Lo detto lavoro durò più dì, tra i quali non si perdonò al giorno della Domenica, *quæ fuit quarta dicti mensis Julii*, nella quale lavorarono, come non fosse festa. *Item* in que' tempi le genti d'arme della Chiesa, che stavano disperse chi quà, chi là, davano battaglia alle Terre; e certi di loro andarono per vedere Rocca di Papa, ma quelli di dentro se ne avvidero, & uscirono fuori, & ammazzarono due di quelli della Chiesa, e molti altri ferirono, e di loro non ne fu trovato nulla. *Item* i figliuoli di Jacomo Conti, per gola di pigliare qualche Castello, andarono con molta gente, & assaltarono in campagna un Castello detto la Sgorgola di un Signore di Casa Gaetana, il quale è cognato del Cardinale Colonna; e dandovi la battaglia vi morirono di molte persone, tra le quali fu ferito a morte lo figlio bastardo; e dicesi, che fu ferito Francesco dalla Valle; e lo detto figlio bastardo fu da Jacomo Conti mandato alla guerra di Toscana incontro a questi Signori; e lo detto campo fu messo in

A Cacci dopo a molti dì. Et in questi dì furono molte volte alle mani, e secondo quello, che ho detto, quei della parte contraria della Chiesa ne pigliarono la meglio. *Insuper* quelli della parte di là, *idest* i Colonnesi assaltarono certi carri d'artiglieria, e tolsero di molta polvere, e certi buffali, che tiravano i detti carri, e tra le altre cose furono tolti circa quaranta muli carichi di munizione. Et anco è da sapere, che in questi dì fu scoperto un trattato in Palliano, e scoprillo Antonello Savello in questo modo, cioè: Che avendo egli sentito alcuna fama di ciò, se ne andò alla Rocca di Palliano, e lì mandò per certi uomini della Terra, de i quali egli
B aveva sospetto, e con dolci parole disse loro, che egli aveva sentito, che essi avevano una certa intelligenza col Conte. Che però egli non li biasimava, e dolevasi, che non la aveva potuto avere egli, il quale liberamente si era voluto mettere in mano della Chiesa, e dello Papa, & egli non gli voleva perdonare. *Item* disse, che pregava essi Vassalli, che gli facessero questo gran servizio, cioè che ne' capitoli loro, i quali avevano ordinato col Conte, ci volessero inserire anco lui. E coloro negarono lo fatto. Lo detto Antonello li pregò che non lo volessero tenere nascosto a lui, perchè esso sapeva ciò, che era stato ordinato, e che volevano mandare qual-
C cheduno al Conte, e capitolare questa materia. Et allora i villani gli scopersero la loro volontà, e che mandavano al Conte a fare tanto, quanto era ordinato. E così andarono al Conte, e lo Conte rimandò uno Contestabile suo con molti Fanti a pigliare la Rocca di Palliano, nella quale stavano i detti traditori. E dopo questo lo Signore Antonello si scoperse nemico, e diedero addosso a i detti Fanti, e coloro si dettero alla difesa. E finalmente la maggior parte de i detti Fanti furono tagliati a pezzi, lo Contestabile preso, e i Traditori impiccati. E quando giunsero le dette bombarde, lo Signor Virginio Orsino, e lo Conte ebbero ben proveduto il luogo, dove si avevano a piantare, e
D conobbero, che non si potevano piantare, e nè anco Cacci si poteva avere senza morte di moltissime persone, e mandarono a dire al Papa lo fatto, come stava, e che cosa pareva alla Sua Santità, che si facesse. E lo nostro Sommo Pontefice mandò a dire, che eziandio che eglino sapessino, che allo piantare di dette bombarde vi morissero mille uomini, & allo pigliare di Cacci due mila, che sono tre mila, che le avessero piantate, purchè si pigliasse Cacci quanto prima si potesse. E questo disse Pietro di Orso a Giacomo di Guido avere sentito in Palazzo da un' uomo fide dignissimo. Piantate che furono le
E bombarde con grandissimo affanno, & con occisione di molte persone, li sedici del mese di Luglio che fu di Giovedì trassero le dette bombarde, e dierono nella Torre della Rocca di Cacci, e ferono quanto male poterono. E dopo questo volendo muovere la battaglia lo Venerdì seguente, lo Papa mandò a dire, che non voleva che in quello dì si facesse battaglia, ma più presto *in die sequenti*, cioè *in die Sabbati*, dicendo *in die Virginis Mariæ*, quasi

(*) Hinc discas Lector, quæ fides tradenda sit huic Scriptori, Columnensibus addictissimo. Eos enim innocentissimos passim venditat. Sixtum verò tota hac historia quaquaversum mordet, lacerat, ac prope maledictis incessit. Veriora leges apud Anonymum in Vita Sixti superius excusa, & Raynaldum, qui Infessuram, maledicendi libidine percitum, coævorum testimoniis refellit.

quasi avendo speranza, che in quel dì facendosi battaglia, la Vergine Maria gli avesse a fare grazia, che pigliassero in quel dì quella Rocca, o Terra. Ma successe, che eziandio in quel dì non gli fu data battaglia, quantunque in quel dì vi andasse gran moltitudine di scale, di pali, e di zapponi. *Insuper* certi Religiosi Frati, che stavano in Cacci nella Chiesa di Santo Stefano, sentendo, che lo Conte voleva bombardare la detta Chiesa, andarono in campo a pregare lo detto Conte per l'amore, che portava a Dio, & a Santo Stefano, che facesse grazia, che non bombardassero la detta Chiesa. E il Conte rispose loro, che andassero a trovare altra stanza, perchè sua intenzione era di distruggere tutta Cacci, e che essendo distrutta sarebbe necessario di abbandonare la detta Chiesa. E così loro diè licenza. E dipoi incontinenti ritornati i Frati, lo Conte addirizzò le bombarde, e bombardò la detta Chiesa, e Santo Stefano benedetto, il quale prima fu, quando visse, lapidato, mò dalla gente della Chiesa è stato bombardato e percosso, e quantunque dopo incontinente non ne mostrasse vendetta nè segno alcuno, pure alla fine lo mostrò.

In die vigesima dicti mensis Julii fuora di Cacci per una porta, la quale le bombarde avevano gettato a terra, uscirono certi porci, e tirarono verso lo campo per gire a quei luoghi, dove altre volte solevano pascere, e con essi due villani per ricuperarli, che non fossero tolti. E quelli dello campo incontinente li pigliarono, e fecero carne; e dipoi approssimandosi alla Porta, e maravigliandosi, che non usciva alcuno in ajuto de i due villani, anco si approssimarono più alla detta porta, dalla quale levarono certe botti, le quali avevano lì attraversate i Signori di Cacci per fortezza della Terra e lavoro; e levate che l'ebbero senza alcun contrasto, vedendo che niuno usciva a difendere la Terra, credendosi che Cacci fosse abbandonata, con una grande furia entrarono dentro alla detta Porta. Et entrati che furono in Cacci tanti quanti parvero a quei Signori, che stavano lì per guardia della Terra; incontinente trassero una bombarda per quella via, dove la fanteria si affollava per entrare in Cacci, credendosi a quell'ora pigliarla; la quale bombarda uccise dodici uomini in quel tratto; e dopo a quella seguitarono le altre tanto spesse, che non fu nullo, che s'accostasse più a quella porta; e quelli, che erano entrati dentro, credendosi essere seguitati, gridarono incontinente: *Sacco, Sacco*. A i quali si scopersero i fanti, e gli altri uomini della Terra, e *similiter* in contrario gridarono *carne, carne*, e dierono loro addosso, e fracassaronli e rupperonli in tal modo, che tra morti, e feriti ne pericolarono più di cento cinquanta. Et io ho visti alcuni di quelli, che sono venuti a Roma nell'Ospedale a medicarsi, intra i quali si dice essere stato ferito Paolo Orsino, & anco un Caposquadra da Perugia, cioè lo figliuolo di Cesare della Penna, un Contestabile Corso, e molti altri. *Item* nel detto dì fu ammazzato il Signor Prospero da Montefortino; e la cagione della sua morte fu, che essendo andato ad abbeverare certi cavalli con le scorte, furono le dette scorte assalite dal Signor Prospero Colonna, lo quale si mostrò lì con poche persone. E lo detto Prospero di Montefortino corse per dare soccorso alle dette scorte, e vedendolo lo Signor Prospero Colonna con poche persone, gli diè addosso. E lo Signor Prospero si ritirò per fino a dove aveva messo lo guaito, e dopo che l'ebbe lì condotto, si fermò per resistere allo detto di Montefortino. Et in quel tempo si scopersero i predetti, che stavano nel guaito, & un ballestriero a cavallo, che stava lì appresso, gli diè con un passatore nella coscia, in modo che per quel colpo incontinente cascò morto, sì per lo colpo, sì per la paura, perchè si vedeva essere prigione dello Signor Prospero Colonna. E così lo detto Signore Prospero pigliò la preda de i detti cavalli, & altri uomini, che andavano con lui, e menarongli. *Insuper* a 23. di Luglio in Campo furono mandati per Papa Sisto venti carra di palle da bombarde di Travertina attondate, le quali furono quattrocento in numero, e due carra di torcie per abbruciare, per uso del campo, per dare battaglia di notte, o per sepellire i morti, che lì accadevano; e le dette palle furono fabricate a Marmorata, dove che fu finito di distruggere un Ponte di Travertino rotto, il quale si chiamava il Ponte di Orazio Cocles. Et anco in detto dì accascò in Roma, che un Pittore giovane, che aveva lo padre, & abitava in Monte Giordano, dipinse in carta da Coro grande la Terra di Cacci, come, & in che modo stava fatta; e dipinse i padiglioni, e le tende, e lo campo della Chiesa in che modo e luogo stava posato. *Insuper* vi dipinse le bombarde in che modo avevano bombardato, e tutto lo dì bombardavano, & anco lo Signore Antonello co i suoi compagni in che modo davano battaglia, e facevano preda. E tra le altre cose vi dipinse, mentre il Conte Jeronimo attendeva a queste battaglie, una femmina, che stava presente in quel campo, e si faceva lavorare da un Frate di San Francesco. La quale pittura venendo a notizia del Papa per voler vedere le cose come passavano, & in che partito stava Cacci e lo campo, mandò per questa carta, e videla, e piacquegli lo disegno. Ma poi che vide, che nello combattere, quelli della Chiesa erano sempre perditori, e che lo Signore Antonello e gli altri si mostravano così gagliardi, e quelli della Chiesa sempre perdere, si turbò in se medesimo. Alcuni dicono, che si turbò, quando vide quello atto vituperoso di quella femmina e di quel Frate, che la lavorava, stimando forse quello essere fatto per la moglie del Conte, in continenti comandò, che quello Pittore fosse pigliato, & imprigionato, e datigli dieci tratti di corda; e dopo la mattina seguente fosse impiccato, e la casa sua fosse messa a sacco. E così fu fatto, eccetto che non fu impiccato, perchè fu scusato per pazzo.

E quando dopo questo nelli 24. del detto mese vedendo lo Campo della Chiesa, che per fino allora non aveva fatto niente, e continuamente andava in peggio, si diliberò di partire da quello loco, & andare altrove, e così andarono all'altra parte di Cacci, cioè da quella porta, che va verso Valmontone. *Novissime* trovarono nelli 27. del detto mese, Cacci rotta e fracassata dalle bombarde, passavolanti, & altri strumenti, delle quali bombarde si conta essere stati cinquecento settanta colpi. E si rendè con patti alla Chiesa, i quali patti veramente mò non si possono sapere,

pere, perchè chi dice in un modo, e chi in un'altro. Credo che dopo si saprà la verità. Lo modo si dice essere stato, che andarono gli Ambasciadori della Lega in campo a trattare l'accordo; e dopo venendo l'Ambasciadore dello Rè, *tamdem* si dice, che lo detto Ambasciadore col Signor Virginio entrarono in Cacci; e dopo lo Signor Fabrizio, e lo Signore Antonello andarono al Conte allo suo padiglione, e che lo Conte loro parlava. E dopo andarono, & consegnarono Cacci alla Chiesa, salve le robe e le persone. E dicesi, che lo Signore Antonello co i suoi fratelli si acconciasse col Duca di Milano; e che in continente se ne andò in Palestrina, e dopo si partì di lì, e non si sa, dove sia arrivato, e che hanno avute molte buone promesse dalla Chiesa. Lo dì penultimo del mese di Luglio lo Campo della Chiesa andò a Capranica per finire l'impresa incominciata; e dicesi, che la Santità di nostro Signore ha detto e comandato, che quanto più preste si può si piglino quelle Terre di Casa Colonna; & anco ha detto, che se mancano danari, si piglino ad interesse cento per cento. Questo ha detto egli per dimostrare la sete grande, la quale ha verso il sangue di Casa Colonna, e di que' poveri Signori, a i quali se Dio non soccorre, si possono giudicare tutti morti, attenta la grande potenza, e lo grande sforzo, che loro è contra, e che eglino non abbino ajuto di persona alcuna; e tutto quello, che avevano, è loro mancato, non per loro difetto, ma per isforzo di danari, perchè secondo che di sopra si può vedere, eglino perderono Marino non per battaglia, ma perchè le genti della Chiesa corruppero lo Signor Luca Antonio da Santo Gemini, lo quale era cognato dello detto, & era uomo espertissimo nel fatto d'arme, & egli mantenne grande spazio la battaglia in Marino, e fecelo voltare contro i detti Signori, a i quali poi persuase, che volessero rendere Marino al Papa, con dire, che se lo consegnavano, incontinente la loro tribulazione era finita, e lo Protonotario camperia. Et inanimò lo Popolo di Marino, che dovessero petere a i Signori accordo, con dir loro, che eglino non volevano essere distrutti. E finalmente i detti Signori per non mettere a pericolo e repentaglio i loro Vassalli, furono contenti, che si rendessero alla Chiesa. *Et similiter* le dette Genti, cioè lo Conte, lo detto Virginio, e gli altri non potendo per forza superare lo detto Castello de Cacci, durando ogni dì spesa grande, eziandio con poco onore della Chiesa, secondo che di sopra si può vedere, pensarono con ogni industria di contaminare, e corrompere lo Signore Antonello Savello, e i Fratelli, i quali erano principali della parte delli detti Signori. E per esso era intervenuto tutto questo scandalo. *Et tamdem* loro promisero quattro mila Ducati l'anno, e molto grande condotta e provisione con la Lega. Et egli si distrasse, e separossi da i detti Signori. E perchè ogni uomo ama più lo ben proprio che lo comune, quantunque sapesse ben'egli, che esso era stato capo & origine del detto male, e che quello, che avevano i detti Signori, lo avevano per sua cagione, e per dare ajuto a lui: pur niente di meno volle provvedere alla sua salute con lasciare & abbandonare i detti Signori in mezzo a i loro nemici; e fece non solo patti,

A e pigliò danari da i detti Signori Ecclesiastici, ma eziandio persuase allo Signor Fabrizio, & a i detti uomini di Cacci, che non volessero più resistere, e che volessero assegnare Cacci alla Chiesa, con metter loro paura, che se a battaglia si pigliava, vi moriva moltissima gente. Et in questo modo non per arme, nè per ferro, nè anco per viltà d'animo de i detti Signori, ma per corruzione di pecunia, la quale ogni uomo perturba, & ogni buon disegno guasta, lo Conte, e Virginio Orsino pigliarono Cacci, e levarono lo detto Antonello dalla costa de' detti Signori; e questo si dice essere stato tramato quì *etiam* per lo Cardinale Savello,

B lo quale subito che Cacci fu renduto, e l'accordo fatto, si partì da Roma, & andò alle sue Terre. E nell'ultimo dì del mese di Luglio, che fu di Sabbato, la gente della Chiesa pigliò Capranica, e lo modo fu questo, secondo che si dice. Durando la battaglia al detto Castello, vi furono di molti feriti di questi della Chiesa. E dopo andando tutta la turba, vedendo quelli non potere resistere, fecero patti, e renderono la Terra di patto, salve le robe e le persone. Alcuni dicono (e questo è vero) che dopo la prima battaglia Paolo Orsino parlò con Romanello di Corsetto, che teneva quel Luogo, per ispazio di un'ora; e dopo lo detto Corsetto entrò den-

C tro, & gridò *patti*, *patti*. E persuase a i Massari, che si rendessero a' patti, salve le robe e le persone. E dopo andarono alla Torre de i Pistacci, la quale dopo certo dì l'ebbero similmente a' patti.

Anche si dice, che a 23. del detto mese in Lombardia, cioè nel Campo, andò un bando, per lo quale si assicurò una parte e l'altra per quindici dì, e furono levate le offese. E fu detto, che la pace di Lombardia era conclusa; e del modo, e capitoli non si è saputo, se non che in sostanza certe Terre si restituiscano di quà e di là, & a que' di Venezia si dà un Luogo, che si chiama il Polesine di Rovigo in ricompensazione delle

D Terre, che loro ha tolto il Duca di Milano. Lo qual Polesine fu del Duca di Ferrara, & allo detto Duca si rende Comacchio, con questo che in Ferrara debba stare per Veneziani lo Vicedomino a tenere ragione a i Veneziani, e che per questi capitoli s'intendano confermati i primi, e non rivocati. E fra gli altri capitoli vi è che quello, che hanno pigliato i Veneziani nella Puglia, debba essere loro, e non sieno tenuti a restituire. I quali capitoli si conta lo Papa averli ricevuti, e contra lo Re non li volere accettare. E se sarà questo, si troverà *iterum* lo Papa essere in Lega co i Veneziani contro al detto Re, e i patti, e Lega, che erano intra lo Papa, essere di nuovo esclusi e di nuovo rot-

E ti. Dopo a certi dì di Agosto lo Signor Prospero prima di sua mano ferì, e dopo fece impiccare, e squartare, alcuni dicono Francesco dalla Valle, Corsetto, alias detto Romanello, Contestabile con quattro suoi compagni, a i quali aveva raccomandato Capranica; & eglino con lasciarsi lusingare da Paolo Orsino la aveano consegnata alla gente della Chiesa: e dicesi che il detto Corsetto aveva promesso al detto Signor Paolo di favorirlo e d'ajutare la gente della Chiesa contro quella de' Signori Colonnesi. *Item* si dice la Torre de i Pisciani essersi renduta a' patti, e que-

e questo è stato, perchè non si poteva più tenere, e che aveva sostenute quaranta botte di bombarde. *Item* a dì cinque di Agosto lo Campo della Chiesa andò a Palliano, e dicesi che quì in Roma lo Signor Prospero Colonna ha pigliati tutti i figli di que' Cittadini, che pareva a lui fossero sospetti, & halli mandati a Gennazzano. E dopo ha detto a i detti Cittadini, che facciano bene il debito loro in guardare la Terra, e difenderla; altrimente se alcun di loro fallisse, & usasse tradimento, che incontinente impiccheria i loro figli a Gennazzano. E quando lo Campo si posò, lo Signore Prospero lo assaltò con molti Fanti, e fecero battaglia, e di quelli della Chiesa vi furono molti feriti, e di quelli de' Colonnesi nella prima affrontata ne furono molti feriti e pigliati, tra i quali fu pigliato Roscio figliuolo di Vangelista Bonsignore, e lo Campo si pose di là verso Frascati.

Die sexta mensis Augusti quum quidam filius Nicolai Vitellii de Castello caput cohortis appropinquasset se cum gentibus suis, posuissetque tentoria prope dictum Castrum Palliani, præ ceteris exiverunt Columnenses cum exercitu, & cum illis bellum fecerunt, in quo tamdem de gentibus Ecclesiæ circa octuaginta fuerunt reperti vulnerati & mortui, & de Columnensibus longe majores, qui tristes reversi fuerunt ad dictum Castrum. Item quum caussâ præstandi auxilium dictis Columnensibus decrevissent circa quingenti pedites Aquilani per Christophorum Cajetanum Dominum Castri Felletrini, pro quo Protonotarius repugnabat restituere Comitatum, quia intendebat, quod primo satisfieret ei de Castro Turris ablato per Petrum Paulum ejus Consobrinum, ut supra expressum fuit in principio, qui nunc ad castra Ecclesiæ & ipse & frater Antonius sunt in obsidione dictorum Dominorum: invasi & capti fuerunt prope dictum Castrum Felletrini ex illis circa quinquaginta, residuum verò ad dictum Pallianum profectum est. Die nono dicti mensis Augusti Dominus Jacobus de Comitibus intravit Romam vocatus à Pontifice, ut in obsidione Dominorum Columnensium veniret, dimisso Duce Calabriæ in Lombardia. Istis temporibus Rex Ferdinandus prohibuit Aquilanis, ne ullo modo præstarent auxilium Columnensibus, petiitque ab eis mutuo Ducatorum quatuor millia, quæ denegata fuerunt. Quumque de hoc factum esset pluries consilium, & numquam obtentum esset, denique fuit responsum, ut si permitteret eis præstare auxilium Columnensibus, se velle dictam summam mutuare, quod Rex concessit, dummodo honeste præstaretur. Et quum dictus Rex habuisset intentum suum, illico longe magis quam prius mandavit eis, ut nullo modo præstarent auxilium. Quo non obstante Aquilani proditi & decepti auxilium præstiterunt, fueruntque multi & infiniti juvenes etiam sine stipendio auxilio Columnensium. Interea præfati Domini Columnenses obsessi in Palliano, omni die exeuntes castra Ecclesiæ invaserunt, semperque commilitones & pedites Ecclesiæ fugaverunt, vulneraverunt, & interfecerunt; ita ut circum circa dictum campum judicio omnium, qui eum viderunt, plures visi fuerunt homines vulnerati, quam alii incolæ habitantes sani. Quum verò gentes Ecclesiæ ita opprimerentur, Comes Hieronymus scripsit Pontifici literas hujus substantiæ. *Beatissime*

A *Pater. Ut Sanctitas vestra intelligat de die in diem ea, quæ in campo vestræ Sanctitatis geruntur, pro ut hactenus actum fuit, posuimus omnia bellica instrumenta, bombardas, cerebottanas, & alia cuncta, præter quam bombardas grossas, quas sine magna difficultate ducere non possumus, & cum dictis artellariis non speramus capere dictum Castrum, propter loci eminentiam. Item quia Adversarii potentissimi sunt, & multum feroces, seu audaces se ostendunt. Credimus tamen, quod plus operabitur Domini Jacobi de Comitibus adventus, quàm cetera, quæ acta sunt hactenus, ita quod curet Sanctitas vestra, ut quantum fieri potest, veniat.* Quas postquam literas perlegit, suspiravit, &
B contristatus est valde; sperabat forte habere victoriam de Columnensibus, & illos de propriis ædibus expellere, quemadmodum Papa Paulus expulit Deiphobum Comitis Aversi filium, credens & istos Columnenses tamquam juvenes & pusillanimes, & statim quum viderent ipsum exercitum, aufugere; & non cogitavit magnanimitatem eorum, & quod in his creverunt animo, sapientia, & fortuna. Quod cum vidisset, scivissetque votum suum frustratum, ut fertur, præ dolore infirmatus est decima die Augusti, videlicet in die Sancti Laurentii, & visus fuit complicatis manibus suspirans & tristis.

Deinde undecima die accesserunt ad eum
C Ambasciatores Potentiarum, putantes forte afferre ei aliquod gaudium, & exposuerunt ei, qualiter conclusa erat Pax per totam Italiam, & quod omnes Potentiæ de Liga & confœderatione reductæ erant ad concordiam. De quo ipse multum obstupuit, & miratus est, quare Pax esset conclusa sine eo, attento, ut ipse dicebat, ipsum debuisse principaliter intervenire. Et quum hoc sæpius interrogasset, ut ab illis audivit, quod dicta Pax erat conclusa, adeo quod non poterat amplius retractari, doluit valde, & caussa doloris communi hominum existimatione hæc fuit, quia semper in omnibus ejus operibus animum suum ostendit ad hunc finem & proposi-
D tum, ut aliquem Statum, Potentiam, sive Dominium acquireret Comiti Hieronymo, ut videri potest per exempla; primo propter bellum, quod ingessit Tudertinis, Spoletinis, Civitati Castelli, & Florentinis. Deinde propter confœderationes, quas fecit primo cum Rege Ferdinando; secundo contra eum cum Venetis: tertio contra Venetos cum dicto Rege. Et in aliis similiter. Putabat modo, in hac pacis conclusione se posse aliquid dicto Comiti acquirere. Et ista de caussa intravit in talem confœderationem, & pecuniam Ecclesiæ expendit. Sed postquam vidit se illusum, & cecidisse ab hac spe, & pecuniam Ecclesiæ expositam perdidisse, nihilquè ex eo
E bello & proposito acquisivisse, doluit valde, ita quod tam ex primo dolore quam ex novissimo infirmatus fit febre, jacueritque in lecto, & obmutuerit, visusque exanimis fuerit per aliquod spatium. Deinde reversus in se, inflato gutture duodecima die dicti mensis Augusti, videlicet Jovis, & quinta hora noctis, mortuus est. In quo felicissimo die Deus ipse omnipotens ostendit potentiam suam super terram, liberavitque Populum suum Christianum de manu talis viri, cui nullus regendi Populi Christiani amor, nulla caritatis & dilectionis affectio, sed solum voluptas inhonesta, avaritia, pompa, seu

vana

vana gloria semper & continuo præcipue viguit, & in consideratione fuit . . . .
Hic pecuniarum quærendarum causâ, quas in bellis, & pompis consumebat, multa & inexcogitata in Curia Romana Officia adinvenit, & vendidit his, qui scytharum vocabulo denominabantur Stradioti *Jannizzeri*, & *Mamaluchi*. Hi Officiales habebant varia officia in Curia, & sine dubio ut ex illis pecunias, quas pro consequendo exposuerunt, rehabere possent, citra modum lucra extorquebant. Hic officia multa in Urbe non citra avaritiæ caussam perpetua, & vænalia fecit. Vendidit officium Procuratoris Cameræ, Officium Notariatus Apostolici, Officium Protonotariatus, Studii, Officium commensurandi salis, & Camerariatus Urbis. Quæ omnia, & alia, quæ hìc non ponuntur, ad vitam pecunia sumta concessit. Hic gabellam novam imposuit Civitati, & Fornariis, sive Pistoribus, nam pro quolibet sacco grani, quod ad macinandum mittebant, ultra consuetam solutionem unum Grossum Papalem solvebant. Hic Datium sub nomine Decimæ immoderatum tam a Clericis quam ab Officialibus exigebat, & quidem sine aliqua misericordia; figebat enim præceptum in ostio Ecclesiæ, ut infra certum brevissimum spatium sub pœna excommunicationis, & privationis, & ultra illam alias centum, & alias quinquaginta Ducatorum solverent. Quod si ita, ut ponebatur, de repente non esset solutum, Ecclesia ipsa erat interdicta, & Canonici privabantur. Hic Romæ dum vixit, panis penuriam semper induxit pecuniarum quærendarum causâ; nam emebat granum de messibus per omnes Ecclesiæ regiones uno Ducato, vel forte minori pretio quolibet rubio. Deinde penuria facta, vel bello, quod ipse sæpe in tempore recollectionis indicebat, vel propter tractam, seu licentiam, quam ipse dabat de grano ex Urbe & suburbiis distrahendi Januensibus, semper, sive ut plurimum, quatuor, vel quinque Ducatis revendebat. Aliquando ex Regno Regis Ferdinandi granum fœtidum, & putridum parvo pretio comparabat illudque in loco quodam, qui *Abundantia* vocabatur, paulatim tamen intra pauperes personas non minori quam tribus Ducatis pro rubio distrahebat. Et quia sæpe contingebat, quod tanta grani multitudo ibi consumi non poterat, inter Fornarios distribuebat, mandabatque illis, ut sub certa pœna non possent aliud quàm dictum suum granum consumere seu operari, pro pretio tamen quadraginta Carlinorum pro quolibet rubio, quod nisi solverent, statim carcerabantur. Panis verò, qui ex dicto grano fiebat, erat ater & abominabilis, fœtidus, & ex necessitate comedebatur, ex quo sæpe numero in Civitate morbus viguit.

Hic pœnas omnes cujuscumque generis ad pecuniam reduxit, ita quod si ignem quis meritus fuisset, soluta aliqua pecunia liberaretur; & tamdem omne genus avaritiæ & extorsionis in eo erat; & tamdem tantum in eo vigebat avaritiæ vitium, ut non perderet, si aliquando Camera esset debitrix alicujus, & ipse debitum promiserit, denegare, & in sua fide deficere, & aliquando, quod clarissimum erat, denegare, ut multis exemplis edoceri posset. Potissime Lectoribus, qui in Studio Romano publice legebant, quibus per eum una cum Camerario & Reformatoribus, salaria statuta erant, ipse promiserat se velle omnino solvere; at postquam ab eis servitium recepit, in fine anni non puduit eos decipere, & insolutos dimittere, & pecunias debitas ad illud exercitium ac per eum sæpissime promissas, illis denegare, & in alios convertere usus. Huic, quum Vicarius Dei esset, conveniens erat observare omnia, quæ promittebat, & tamen ea solum observabat, quæ ad ipsius votum, & utilitatem pertinebant. Reliqua vero pro non promissis æstimabantur. Hinc sæpe numero contingebat, quod unum & idem Officium & aliquando Beneficium uno & eodem tempore pluribus promittebat, & non semel accidit, & sunt, qui de hoc testimonium perhibere possunt. Et quum Johannes de Marcellinis Reformator quondam Studii peteret à sua Sanctitate, ut pecunia debita solveretur Doctoribus, ipse respondit inter alia: *Nescis tu, nos promisisse hanc pecuniam Doctoribus animo eam non solvendi?* Quod quum à dicto Cive Reformatore denegaretur; *non fuisti*, inquit, *Tu, sed Bernardinus de Ricciis*. At quid oportet de instabilitate ejus loqui? Factæ ejus confœderationes, quas aliquando cum Rege, aliquando cum Venetis, & aliquando cum aliis fecit, satis ostendunt. Et inter alia ejus vitia crudelissimus erat, nam in ultimis ejus vitæ mensibus bis accidit ei, ut duo ex illis peditibus, qui ad custodiam sui Palatii deputati erant, ira vel odio moti, constituerint simul mortaliter dimicare, quod vulgariter dicitur *a Steccato chiuso*. Latine vocatur *certamen Duelli*. Erant igitur gladiatores deliberati certare simul extra Urbem: quod quum Papa scivisset, mandavit illos certare in Platea Sancti Petri apud ejus Palatium, & prope scalas; & ipse voluit videre certamen, mandavitque non inchoari prœlium, antequam ipse esset in fenestra. Et postquam venit, viditque ipsos paratos, extendit suum brachium deditque eis benedictionem & fecit crucem, deinde dedit eis licentiam ut certarent; qui quum per aliquod temporis spatium se percussissent ad invicem, unus eorum mortuus cecidit, alter vulneratus evasit, & alia vice ambo in terram vulnerati pro mortuis ceciderunt. Et gaudebat, & curabat videre hæc crudelia, & animis humanis aliena. Sed quid oportet de ejus crudelitate amplius loqui? Scimus quot homines in bellis & guerris, quas in vita sua egit, mortui sint à vulneribus, & quot virgines & mulieres tam in Ferraria ob famis necessitatem, quàm in bello contra Florentinos meretricatæ sint. Novissime autem constituerat in Urbe modum quærendi pecuniam cum subditorum dispendio. Nam vendiderat Januensibus quadraginta millia rubiorum grani. In quibus secundùm quod calculatum est per Notarios, supra quod emerat sexaginta millia Ducatorum superlucrabatur. Et fecit, ut granum ejus à Pistoribus emeretur pro triginta Carlenis rubii, eo quod ipsi non possent emere granum alibi quam ex ejus abundantia pro dicto pretio, ex quo tantumdem recipiebat. Quas omnes pecunias in guerris, & in occisionibus Christianorum convertere intendebat. Sed Deus ipse omnipotens, à quo omnia bona procedunt, viam ulterius delinquendi præclusit, malamque ejus mentem amputavit, & malum ejus consilium evacuavit. Ita Deus Omnipotens concedat, ut ipse sit finis omnium malorum, nec post mortem ejus tali occasione pejus videamus. Amen.

Mane sequenti corpus ejus portatum fuit in Ecclesia Sancti Petri, viginti dumtaxat cereis tor-

torceis, in aurea planeta quadam antiqua, & quodam modo lacerata, paucis comitatum hominibus. Erat quidem niger, deformis, & guttur ejus inflatum . . . . nec visus fuit homo, qui de eo benedixerit, nisi quidam Frater Sancti Francisci, qui solus illa die corpus suum non sine magno fœtore ob servabat. Eadem die & mane multi juvenes accesserunt armati ad domum Comitis Hieronymi, putantes illum ibi posse inveniri. Et quum non invenissent, essetque domus illa pro majori parte disgombrata & evacuata, clamantes fortiter *Colonna*, *Colonna*, dictam domum ceperunt, illamque de residuo, quod ibi erat, derobaverunt, atque destruxerunt, vastantes mazzis ferreis portas, & fenestras marmoreas, & omnia quæ inde potuerunt, extraxerunt. Viridarium & arbores penitus destruxerunt, pro ut de præsenti videri potest, quod nullum ei ostium sive fenestra relicta est. Eadem die Juventus cum simili clamore trans Tiberim se contulit, ibique juxta ripam fluminis duo magazena mercibus plena, quæ erant quorumdam Januensium, similiter ad saccum miserunt; & post illa duo navilia vini cujusdam Januensis cum omni instrumento dictarum navium asportaverunt. Et in Urbe, ubicumque reperta fuit aliqua domus, vel bona dictorum Januensium, similiter acceperunt. Et aliqui dictorum juvenum ad Castrum Jubilei iverunt, ubi centum vaccas, & totidem capras, & multos porcos, asinos, anseres, & gallinas, quæ erant Comitissæ, abstulerunt, inter quæ maxima copia carnium salitarum, casei rotundi Parmensis, & alterius casei, supellectilia, & magna copia vini Græci inter eos divisa exstiterunt. Post quæ magna copia eorum aperuerunt Ecclesiam Sancti Theodori, & horrea Sanctæ Mariæ Novæ, indeque extraxerunt maximam frumenti quantitatem, quod anno prædicto vendere non potuerat. Sperabat tamen Papa vendere illud in anno futuro. Et illa die multi disgumbratores, & eorum bona de uno loco ad alium portantes, vi disturbati fuerunt, quorum longum, quodammodo fastidiosum, immo impossibile esset nomina hic describere sive annotare. Furnarius vero quidam in Civitate apud Sanctum Andream delle Fratte per Baptistam & Colam Rubei, & alios derobatus, & ad mortem vulneratus exstitit. Die decimaquarta Conservatores, & Officiales ceperunt curam Civitatis, miseruntque proclama sub pœna furcarum, quod nullus offenderet aliquem Curialem, vel alios derobaret, posueruntque Custodes portis, & pontibus, & fecerunt unum Marescalcum pro guardia in qualibet Regione. Transtiberini vero & Bernardinus de Valle cum ejus cohorte, quæ ibi erat, clauserunt portas dictæ regionis, & in Ponte novo posuerunt trabes, & illum cum custodibus reparaverunt, ita quod nullus poterat ibi intrare absque eorum voluntate & licentia. Deinde quoddam Magazzenum, quod ibi erat cujusdam Johannis Baptistæ Pallavicini, cognati Comitis Hieronymi, qui diu immunis, & sine solutione gabellarum fuerat, ad saccum miserunt. Ibi erat cera, quam destinaverat pro exsequiis Xisti: ibi copia maxima aluminis, & argenti vivi, & multa bona. Et idem fecerunt de quodam hospitio cujusdam Januensis, ubi nihil penitus dimiserunt, & istud idem de quibusdam aliis existentibus in Ripa fluminis. Eadem die duæ Galeæ Papæ Xisti sub custodia Melchioris Tochi Januensis, quas Papa Xistus tenuit in fauce, & prope Ostiam, ut dicebatur, caussâ custodiendi eam, & mare nostrum, sed in veritate non erat alius qui offenderet, nisi ipse, & paucis ante diebus quosdam piscatores Romanos prope mare piscantes non solum derobaverunt, verum etiam interfecerunt: quum appropinquarent se Ostiæ, Castellanus clamavit, *salvi*, *salvi*, *liberi*, *liberi*. Hi, qui catenis ligati erant, intelligentes vocem, incontinenti insultaverunt Dominum, illumque percusserunt, & vulneraverunt tribus vulneribus, unum in facie, aliud in pectore, & alterum in tibiis; & nisi incontinenti se in mare projecisset, fuisset certe interfectus; licet, ut dixerunt hi, qui ligati erant, sine dubio ex dictis vulneribus moreretur. Et confestim dictæ Galeæ evacuatæ, & derobatæ fuerunt, ut dicitur, de voluntate Cardinalis Sancti Petri ad Vincula. Et vidimus dicta bona portare in curru ad domum dicti Cardinalis; & assertum fuit per dictos homines, qui evaserunt, dictum Melchiorem vendidisse quibusdam Neapolitanis dictas Galeas Ecclesiæ cum dictis hominibus violenter retentis pro quinque millibus Ducatorum, nondum tamen recepisse pretium, neque arrham.

Eodem die Campus Ecclesiæ, Comes Hieronymus, Virginius Ursinus, & reliqui reversi sunt, quos Collegium mandavit ponere se in Quinto extra Portam Milliario, dimissis apud hostes omnibus artellariis & instrumentis. Et dictus Comes Hieronymus, & quidam alii asseruerunt se dimisisse sexaginta currus magnos oneratos dictis bombardis magnis & parvis, & aliis instrumentis bellicis, & plusquam mille & quatuor centum buffalos, & bona multa eorum, quæ violenter abstulerunt prædicti Domini Columnenses in eorum recessu. Dixeruntque, in ultimo bello fuisse multos compedites & commilitones dictæ Ecclesiæ acriter vulneratos, & mortuos, inter quos Dominus Georgius Sanctacrucius fuit vulneratus in facie. Eadem die Castrum Cavarum reversum est ad dictos Columnenses, interfecto Contestabili, & duodecim peditibus, & reliquis percussis, & e muris ejectis. Et illa eadem hora Castrum Capranicæ, similiter cæsis custodibus, ad præfatos Dominos Columnenses reversum est. Similiter eadem die Castrum Marini petiit auxilium à Camerario, & Comite, quod cum denegaretur, prænominatos Dominos iterum vocavit, & reversi sunt. Eadem die Comitissa uxor Comitis Hieronymi Castrum Sancti Angeli intravit; & Cardinalis Sancti Petri ad Vincula multos pedites, ac milites stipendio acquisivit, & domum suam mirabiliter fortificavit & fulcivit. Et Cardinalis Sabellus una cum Mariano ejus germano ducentis equitibus armatis & infinitis peditibus ad custodiam eorum domus, & Virginius Ursinus, cum sua comitiva, & Hieronymus Comes retrocesserunt, & iverunt ad Insulam. Et die sequenti Cardinalis Columnensis reversus fuit Romam, & infinitissimi Cives comitati sunt eum, & multitudo Populi infinita, & cum magno clamore & triumpho intravit domum suam parvam in regione Trivii. Et incontinenti reversus est Prosper & Fabricius cum magna multitudine militum, peditum, ballistariorum, & sclopeteriorum in maximo numero; steteruntque in domibus eorum. Sequenti die, quæ fuit Martis decima septima Augusti, cœptæ fuerunt exsequiæ, in qui-

quibus non interfuerunt multi Cardinales propter timorem Castri Sancti Angeli. Et factum fuit consilium in Capitolio, & Cives Romani decreverunt supplicare Cardinalibus, quod arma dimitterent, quia omnes in eorum domibus erant armati, & multum fulciti plusquam si fuissent unum Castrum, & quod essent concordes in creando Pontifice, & cito; & quod facerent Conclave in loco tuto. Et omnia illa, & majora, quæ ab eis petita sunt, verbis & promissionibus obtinuerunt. Die Mercurii cœptum fuit prœlium in platea Judæorum, quia quum quidam pedites Sabellenses emerent ibi lactucas, quidam pedites, seu sequaces Georgii de Santacroce contumeliam, seu injuriam verbis tantum fecerunt; & quum voluissent se defendere, adeo corruerunt in eos, ut sine mora converterent se in fugam versus domum de Sabellis, clamantes auxilium. Videntes autem hoc consocii, prænominatos fugatos usque ad dictam domum, plateam retrocesserunt; ibique hinc inde gentes congregatæ sunt, factumque fuit ibi prœlium, & tamdem Sabellenses conversi sunt in fugam; & alii fugerunt usque ad domum dicti Georgii. Et quum dictam domum debellarent, quam omnino debellassent, & præfatum Georgium & Prosperum, & reliquos ibi cepissent, supervenit ibi Dominus Marianus Sabellus & Antonellus Sabellus, & magno impetu & labore vix curaverunt, ut gentes suæ ad domum reverterentur; fueruntque ibi quinque mortui ballistis, & sagittis, duo ex una, & tres ex alia parte, & vulnerati multi. Quod quum per reliquam Urbem esset auditum, statim ubique sbarræ & obstacula per universam Urbem ac passim injecta sunt, & omnes exitus viarum clausi mirabiliter cum custodibus, ita quod nulli equites per Urbem, nisi per paucos viculos ire non possent.

Vigesima secunda die dicti mensis quingenti pedites Amerini, & ballistarii infiniti ad Urbem in auxilium Columnensium, & Sabellorum venerunt. Eadem die multæ Civitates, & Potentiæ se obtulerunt dictis Dominis Columnensibus, & inter alias Florentia obtulit quatuor squadras, sive cohortes militum cum peditibus multis, & tantundem obtulerunt Senenses contra Comitem Hieronymum. Eadem die, ut dicitur, Comes Hieronymus restituit Castellum, & fortilitias omnes Ecclesiæ, quas tenebat, non priusquam solutis ei per Cardinales quatuor millibus Ducatorum pro ejus stipendio. Et restitutio, ut dicitur, facta fuit hoc modo, scilicet quod Episcopus Tudertinus, qui est ibi Castellanus, juret in manu Collegii tenere dictum Castrum ad eorum instantiam, & illud futuro Pontifici restituere; & omnes custodes mutare promisit, & mittere ad voluntatem Collegii, & ita juravit. Sed quid actum sit, infra dicetur: Et similiter facta fuit concordia inter Cardinales hoc modo, videlicet quod restituto Castro Collegio, Virginius cum cohortibus, & aliis Dominis Ursinis stent in Viterbio, & per unum mensem non possint accedere Urbi. Domini Columnenses cum sua cohorte similiter exeant, stentque in loco remoto ab Urbe tantundem per dictum tempus. Jacobus de Comitibus dimittat curam Palatii, & recedat; sitque firma confœderatio duorum mensium incipiendorum à die coronationis futuri Pontificis, & in dicta die cum Cardinales tractarent ista in Palatio, Cardinalis Sancti Marci, respiciens certam tabulam, in qua scribebat Paulus Secundus, & successive Sixtus, quæ erat in Camera Pontificali, incontinenti agnovit eam, dixitque eam fuisse quondam Pauli patrui sui, cepitque gladium, seu cultellum, cum quo quamdam fixuram parvam aperuit, qua aperta reperti fuerunt ibi multi lapilli, septem zaphyri, & alii, qui omnes communi æstimatione ascendunt ad summam duodecim millium Ducatorum; dixitque, quondam Paulum prædecessorem Xisti dictos lapillos ibi abscondisse, & Xistum dictam tabulam retinuisse toto tempore, quo sedit in Pontificatu, & illos nescivisse, habuitque in pignore ex illis Cardinalis Sancti Angeli aliquos pro septingentis Ducatis. Die vigesimaquarta dicti mensis Augusti congregati Cardinales omnes in Tribuna Sancti Petri, promiserunt Populo Romano unanimiter & concorditer se observaturos quasdam gratias contentas in una cedula in auxilium & commodum Romani Populi, & inter alia promiserunt omnia officia & beneficia Romana concedere non aliis quam Romanis, prout sunt Bullæ Nicolai, Callixti, & Sixti. Item observare ad unguem Bullas Studii, removere Officiales ad vitam, & facere ut omnes Terræ subjectæ Populo præstent ei obedientiam in Carnis-privio. Eadem die inter vigesimam tertiam, & quartam horam tumultus magnus factus est in platea Sanctæ Mariæ Rotundæ, fueruntque gentes Stephani Francisci de Crescentiis, quæ invaserunt quosdam Hispanos pedites Columnensium, in quo multæ gentes supervenerunt hinc inde, & isti Columnenses ceperunt Portam dicti Stephani, combussissentque domum illam, nisi fuissent Franciscus & Petrus de Valle, qui dictum scandalum extinxerunt, curaveruntque ut dictæ gentes Columnensium retrocederent, & fugaverunt quosdam pedites custodes, quos dictus Stephanus auctoritate propria posuerat in Templo Sanctæ Mariæ Rotundæ: quod scandalum propter dictos Franciscum & Petrum ad ineuntem noctem, quæ supervenit, extinctum est, fueruntque ibi multi percussi & vulnerati. Eadem die contra dispositionem bannimentorum gentes Ursinæ & Georgii de Sancta Cruce, quamdam domum Nicolai de Sanguineis, quam per plures sententias consecutus erat, ad instantiam cujusdam filii Johannis Baptistæ Langolini ceperunt violenter, pensionarios quosdam Curiales, & Copistas derobaverunt, abstuleruntque ab eis omnia & singula bona, inter quæ, ut dicebatur, erant trecenti Ducati depositati. Eadem die Domini Cardinales, videlicet Columnensis, Sabellus, Ursinus, & de Comitibus in Ecclesia Sancti Petri securati sunt cum fidejussoribus ad hoc, ut reddito Castro libere & secure ire possint ad Palatium, ut supra conclusum, & capitulatum est. Die sequenti, videlicet ultima exsequiarum Xisti, Cardinales iverunt ad Sanctum Petrum, ut promissum erat, præter quam Sabellus & Columnensis, & caussa fuit, quia in nocte præterita contra capitula & promissiones prædictas, in dicto Castro Sancti Angeli intraverunt centum & quinquaginta pedites bene armati: propter quod Cardinales prædicti multum admirati, & indignati fuerunt; sed dicti Cardinales tamen curaverunt, quod Comitissa cum tota familia, & cum dictis peditibus Castrum Collegio restituit, & ipsa abiit die vigesima quinta, videlicet die Sancti Bartholomæi. Die sequenti, quæ est

XXVI.

A XXVI. Augusti venerunt Nuntii nunciantes, qualiter Deiphobus filius Comitis Aversi reversus est ad Terras suas, & quod incontinenti cepit Roncilionem, & Castrum Jovis sine proelio. Eadem die Cardinales omnes, nemine discrepante, intraverunt in Conclave in Capella majori Palatii Sancti Petri, & fuerunt numero vigintiquinque, & tres alii Cardinales fuerunt absentes.

Die vigesimanona Mensis Augusti hora decimaquarta, videlicet die Dominico, & festo Decollationis Sancti Johannis Baptistæ, Cibo Cardinalis Melphitensis creatus fuit Papa, vocatusque est Innocentius Octavus, cui Deus gratiam concedat bene & recte regendi & gubernandi Populum Christianum. Pater hujus vocatus fuit Aron Cibo, & fuit Senator Urbis tempore Callixti, & arma ejus sunt in Capitolio. Et modus creationis fuit iste, videlicet quia quum die Sabbati in hora vespertina starent Cardinales in scrutinio caussâ creandi Pontificem in Conclavi, qui erant numero vigintiquinque, Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, ut fertur, dixit Cardinali Sancti Marci, qui illo tempore habebat undecim voces, si volebat promittere domum suam Cardinali Aragonensi filio Regis Ferdinandi, & ipse promittebat esse se daturum ei tres alias voces, ita quod essent quatuordecim. At ille respondit, se minime hoc facturum; nam si hoc fecisset, non esset canonice, ut decet, electus. Item quia domus sua est fortior Castro Sancti Angeli; & si hoc fecisset, fuisset forte caussa disturbationis Urbis, & totius Fidei Christianæ, quia posset de facili ibi Rex venire, & facere se dominum Urbis, & disturbare statum Ecclesiæ. Deinde præfatus Cardinalis accessit ad Vicecancellarium, dixitque ei si volebat simul facere unum Pontificem ad votum eorum. At ille dummodo disturbaretur electio Cardinalis Sancti Marci, quem solum odio habebat, consensit. Deinde superveniente nocte Cardinales omnes iverunt dormitum, quibus dormientibus præfatus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula una cum dicto Vicecancellario tractavit cum omnibus Cardinalibus, quod darent votum eorum Domino Cardinali Melphitensi, promittens se multa daturum illis. Et hoc modo tractavit cum omnibus Cardinalibus, præterquam cum sex de senioribus, & principalioribus, videlicet cum Cardinale Sancti Marci, de Comitibus, Gironæ, Lisbonæ, Senarum, Neapolis, & aliqui dicunt de Sancta Maria in porticu. Qui Cardinales tum dormiere in eorum cubiculo. Ceteri dederunt vocem, & elegerunt dictum Pontificem. Mane autem facto vocaverunt illos dormientes, dixeruntque illis: *Venite: Papam faciamus*: & dixerunt *quem*? Responderunt: *Melphitensem*. Dixeruntque illi: *Quomodo*? Responderunt: *Hac nocte dum dormistis congregavimus omnes voces præter quam vestram dormientium*. At illi videntes, quod erant decem & octo, vel decem & novem, qui consenserant, & ipsi tamquam pauciores non poterant actum disturbare, consenserunt. Deinde die sequenti dictum fuit, quod pro habendis vocibus multa bona Ecclesiæ promiserit, atque dederit, quorum aliquæ hic scribuntur. Primo Cardinalis Sabellus habuit Castrum, quod dicitur Monticelli in partibus Insulæ, item legationem Bononiensem. Cardinalis Columnensis Castrum Ceperani, & legationem Patrimonii, & pro restauratione domus combustæ, & damnorum vigintiquinque millia Ducatorum. Et, ut dicitur, fuerunt ei promissa beneficia quamprimum vacatura pro septem millibus Ducatorum. Cardinalis Ursinus legationem Marchiæ habuit, quæ fuit ademta Cancellario; item & Castrum Cerveteræ. Matisconensis habuit Castrum Capranicæ, & Episcopatum Avenionensem. Filio Regis Ferdinandi fertur fuisse concessum Pontecorvo. Item data fuit ei domus vel Palatium, quod fuerat dicti Papæ, dum erat Cardinalis, videlicet Sancti Laurentii in Lucina. Cardinali Parmensi Palatium Sancti Johannis della Magliana una cum omni ejus ædificio. Mediolanensi Cardinali Archipresbyteratus Sancti
B Johannis Lateranensis, & legatio Avenionensis. Cardinali Sancti Petri ad Vincula, & Præfecto Urbis ejus fratri, Fanum cum quinque aliis Terris circumstantibus; promisitque facere dictum Præfectum ejus fratrem generalem Capitaneum Ecclesiæ. Sed hæc nunc dicta fuerunt; quæ quum non fuerint reperta omnino vera, credendum est, ea dicta fuisse propter invidiam & æmulationem potius quàm pro veritate dicenda. Et secundum aliquos, quorum opinio magis applauditur, rite, recte, & absque ulla calumnia creatus fuit; & bonus in se fuit, & semper justitiam in proposito habuit, & nisi fuisset impeditus à dictis ejus æmulis & inimicis, certe ostendisset qualitatem animi sui erga Ecclesiam. Sed prædi-
C cti ejus æmuli & inimici, qui volebant in eorum iniquo proposito perseverare, semper detraxerunt Sanctitati Suæ & literis & voce. Dixerunt potissime, ultra promissa, vel data, ut supra, quod etiam multa alia bona Ecclesiæ divisa fuerunt inter prænominatos Cardinales, de quibus hìc non habetur memoria; & abstulerunt unam tenutam Sancti Spiritus, & dederunt eam. Et ut fertur, omnia hæc fuerunt distributa, antequam crearetur, & dum illi dormiebant, pro habendis vocibus dictorum Cardinalium. Quare negari non potest, quin considerata qualitate, & vita Viri, qui juvenis, & Januensis est, & ex pluribus mulieribus septem filios inter mares & fœminas habet, de quibus una est nupta cuidam
D Gerardo mercatori Januensi; ac considerata qualitate electionis, quæ multo deterior fuit electione Xisti, quomodo longe pejora & deteriora non sequantur? Et timeri potest, attento potissime, quod in ejus domo, sive Palatio, immo ut fertur, in eadem camera, & lecto, ac continue ad secum manducandum retinet dictum Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, qui usque nunc omnia, quæ gesta sunt, & geruntur, administravit, & gerit ad suum velle, immo aliqua, quæ per eum inadvertenter, & inscio dicto Cardinali fiunt, incontinenti revocantur, inter quæ est quod Paulus Ursinus deputatus fuerit per eum cum militibus suis ad guardiam, sive custodiam Palatii cum sti-
E pendio consueto, in quo solum per unum diem permansit, deinde licentiatus iratus ab Urbe recessit. Deus concedat sibi gratiam rectius vivendi, & administrandi, quod difficile videtur, & omnes quodammodo uno ore tam Romani Cives, quam alienigenæ, & Curiales, de ejus futura vita, & gubernatione imperii, & Civitatis permaxime suspicantur, & faciunt super eo judicia. (*) Et multa alia dicta fuerunt de eo, quæ quam

(*) Eâdem licentiâ qua invectus est in Sixtum IV. etiam contra Innocentium VIII. debaccatur hic Auctor, eundem passim non Pastorem sed Lupum appellans, & injustitiæ, desidiæ, atque avaritiæ perpetuo damnans. Adeat Lector Diarium Romanum ab Anonymo Synchrono conscriptum, & superiùs excusum; Is enim sincerum Historicum agit, non Divinatorem, aut trucem Pedagogum, quemadmodum Infessura.

quam sint vera, futurus judicabit eventus.

Quarto die post ejus creationem visum fuit, quod prænominata distributio, & divisio Castrorum & Terrarum Ecclesiæ, Beneficiorum, Episcopatuum, & Legationum non sufficiebat. Cardinales animo insatiabili & quadam voracitate inter se omnia officia secularia tam Urbis, quam extra Urbem diviserunt, ita quod quilibet Cardinalis habuit distribuere unum Officium in Urbe, aut quatuor extra Urbem. Et vigintiquatuor Officia principalia Urbis vigintiquatuor Cardinalibus attributa sunt, excepto Protonotariatu Capitolii, cujus exercitium commissum fuit Nicolao Jacobello, qui prius erat Pensionarius; pensio autem ejus ablata fuit ab Hospitali Sancti Spiritus, cui Xistus concesserat pro fabrica, & concessa fuit pro responsione sexdecim Ducatorum pro quolibet mense pro medietate Cardinali Aragonensi, & Cardinali de Comitibus, videlicet octo Ducatis pro quolibet singulis mensibus. Et quædam Officia olim annualia per Xistum vendita ad vitam, & pecuniâ solutâ à certis Civibus Romanis abdicata fuerunt, & pecuniâ non restitutâ aliis concessa, inter quæ est Notariatus Appellationum, & Exsequutoriatus Ripæ, & aliorum similium. Sed Notariatum Appellationum incontinenti restituit illi, qui emerat, & omnia præmissa fecit ipse una cum Cardinalibus contra promissionem pacti, & conventiones, quas fecerat ipse una cum aliis Cardinalibus Officialibus Romanis, & toti Populo in Basilica Sancti Petri penultima die exsequiarum Xisti, dum omnes unanimiter & concorditer promiserunt inter alia, omnia Officia & Beneficia Romana concedere Romanis Civibus; & ita sub fide eorum spoponderunt; contrarium cujus, ut vidistis supra, immediate gestum est. Et sic in ejus principio sequitur vestigia Xisti, etsi grave est unicuique fidem fallere, sed magis Principi. Sed non est mirum, si Populum Romanum decepit, quia Deum omnipotentem, cui in promotione castitatem vovit, & promisit, & tamen post septem filios habuit, turpiter fefellit, atque decepit. (*) Et egomet vidi in Palatio Conservatorum certa Capitula, & promissiones, factas per præfatum Innocentium, in manibus Conservatorum, inter quæ erat verbum hujus tenoris, vel substantiæ. *Promitto & juro ego Innocentius Papa Octavus in præsentia omnium Dominorum Cardinalium, me daturum, & concessurum Civibus Romanis omnia Officia, & Beneficia Urbis, Prioratus, Abbatias, & alia, & non consentire, neque auctoritatem præstare alicui alteri personæ, ut præmissa Officia, vel Beneficia alteri contribuantur, nisi solum & dumtaxat ipsis Civibus Romanis idoneis.* Et quod plus est, de præmissis promisit facere unam Bullam plumbatam, & subscriptam ab omnibus Cardinalibus. Dum tamen ista Bulla, ut præmittitur, fieret, vacaverunt duo Canonicatus Lateranenses, alter per mortem, & alter per resignationem, quos ipsemet contribuit duobus Forensibus, de districtu tamen Urbis, quibus quum Conservatores, & Officiales repugnarent, voluit eos recipi tamquam Cives, & ita mandavit. Et tamen Bullam bis incisam dedit Conservatoribus cum hac diminutione, videlicet quod reservabat sibi potestatem concedendi Abbatias Urbis ad suum placitum. Item deleri fecit *filiis Romanorum*, per quæ verba intelligebat conferre talia Beneficia etiam non Civibus, dummodo acceptarentur pro Civibus: & sic facta est fraus legi. Item & in ea Bulla voluit haberi pro Civibus ipsum, & futuros Pontifices, & omnes Cardinales, ita quod dicti Cardinales eligerentur ad talia Officia: & isto modo exsecutus est promissionem dictæ gratiæ. Similiter in Depositarium pecuniarum gabellæ Studii voluit ut eligeretur Gerardus ejus gener Januensis. Et quum per præfatos Officiales similiter insisteretur super observatione prædictæ Bullæ, voluit, atque mandavit, ut congregato Consilio Civium Romanorum eum in Civem admitterent, fieretque Privilegium Civitatis, moxque tamquam Civis in Depositarium eligeretur. Et ita factum fuit. Et ubi promiserat, eo facto se daturum pecuniam pro anno præterito, postquam fuit factus Civis & Depositarius Januensis, dixit se pecuniam non habere, & sic denegavit. Justitia in ejus principio maxime viguit in castigando tam fures, quam homicidas & malefactores; in recognoscendo autem bonos, & eisdem merita contribuendo, & faciendo ipsos Officiales per bussolam, & sortem, nequaquam, sed ad voluntatem, & ad placitum Officia contribuebantur, quibus ipsi Cardinales volebant. Contra illos, qui tempore vacationis Apostolicæ Sedis per obitum Xisti vinum & merces deprædati sunt, jus reddidit, compulitque eos pro viribus ad restituendum potissime certis mercatoribus Januensibus. Pœnam autem ipsis prædonibus remisit. Stradiotas & eorum officium, multis clamoribus motus remisit, & annullavit, & gratam audientiam multis dedit. Commissiones contra Statum Urbis vel raro, vel numquam signavit. Gratias malorum non fecit. Præfectum Urbis, idest Nepotem Xisti, & fratrem Cardinalis Sancti Petri ad Vincula in Capitaneum generalem in die Sancti Stephani elegit.

In Epiphania sequenti, videlicet Anno 1485. primo Anno Leopoldum canonizavit, ex quo fertur ab Imperatore recepisse summam quindecim millium Ducatorum. Carceravit Generalem Sancti Augustini ob id solum, quod fertur dixisse, Papam Innocentium creatum fuisse in tenebris. *In tenebris vivit, & in tenebris morietur.*

Die vigesimasecunda mensis Novembris 1484. die Lunæ de nocte fuerunt derobati de Ecclesia Sancti Johannis Lateranensis duo calices aurei, quos donavit eidem Ecclesiæ Rex Ferdinandus, & erant quinquaginta librarum auri. Item & Regnum, quod donavit Constantinus Silvestro similiter de auro.

Deinde mense Martii sequentis Anni 1485. quum infirmaretur graviter Innocentius, adeo quod de ejus morte dubitaretur, Virginius Ursinus & Paulus, & alii sui complices ceperunt Pontem Milvium, Pontem Salarium, & Numentanum, illosque per plures dies eorum nomine tenuerunt, & custodierunt. Et tentaverunt insuper subtili ingenio capere Portas, videlicet Flaminiam, Pincianam, Salariam, & Viminalem. Sed quum desperati essent de morte Innocentii, ultro illas dimiserunt, & retrocesserunt. Eadem die Fratres, & Conventus Sanctæ Mariæ Novæ fodi faciebant in quodam eorum Casali posito extra Portam Appiam in Via Appia, distanti ab Urbe per quinque vel sex milliaria; & quum prope viam, vel in ipsa via à fundamentis quoddam sepulcrum destruxissent, in ultimo loco fundamenti quamdam cassam marmoream coopertam marmoreo lapide implumbatam invenerunt, quam quum aperuissent, unum corpus cujusdam mulieris integrum invenerunt, invo-

(*) Liventi ac maledico animo hæc fuisse in Pontificem Innocentium contorta ab Infessura evincit Raynaldus ad an. 1484. num. 41. & 42. non violati juramenti reum, sed constantem labefactatæ Apostolicæ auctoritatis Defensorem Innocentium ostendens.

involutum quadam odorifera mixtura, cum quadam cufia seu infula aurea in capite, & cum capillis aureis circum circa frontem, & cum carne & rubore in maxillis, ac si etiamnum viveret. Habebat oculos parum apertos, & os similiter; & lingua capiebatur & extrahebatur ex ore, & redibat incontinenti ad locum suum. Deinde ungulæ manuum & pedum firmissimæ ac albæ, & brachia levabantur, & redibant ad locum suum, ac si nunc mortua fuisset. Stetitque per multos dies in Palatio Conservatorum, ubi propter aërem colorem tantum faciei mutavit, factaque fuit nigra; sed non propterea pinguedo, vel caro destructa erat. Quumque Conservatores in eodem pilo ad locum juxta Cisternam in reclaustro ejusdem Palatii posuissent, à dicto Innocentio jussi, in locum incognitum de nocte extra Portam Pincianam in quodam vico vicino ejus, ubi fovea defossa fuerat, reportaverunt, ibique eam sepelierunt. Et creditur fuisse corpus Juliæ Ciceronis filiæ. Et illis primis diebus, quibus inventa, & ad dictum Palatium inducta fuit, tantus erat hominum concursus eam videre cupientium, ut passim in platea Capitolii vendentes olera, & alia ad instar fori reperirentur. Et mixturam odoriferam, cum qua involuta fuit, ferebatur confectam esse ex myrrha & olibano. Alii ferunt Aloë Tribentina, quæ acutissimum, & quodammodo stupefactivum habebat odorem. Et multi existimaverunt cum ea repertam fuisse maximam auri quantitatem, vel argenti, & lapidum pretiosorum: quod existimatum fuit ex eo quod fodientes, & qui super eos erant, numquam fuerunt ulterius reperti. Et ætatis suæ erat, ut videri poterat, duodecim, vel tredecim annorum. Et erat adeo pulchra & formosa, quod vix scribi, seu dici posset; & si diceretur aut scriberetur, à legentibus, qui eam non viderunt, minime crederetur. Et multi de longinquis partibus venerunt causâ videndi eam, & depingendi ejus pulchritudinem, & non potuerunt eam videre, quia fuerat ita ut supra scriptum est, secreto in loco projecta; & ita male contenti recesserunt, & pilus marmoreus ubi fuerat reperta, remissus est in Reclaustro Dominorum Conservatorum. Eodem Anno in Vigilia Sancti Johannis Dominus Prosper Columna cum suis complicibus summo mane intravit Castrum Frascati, ibique cepit Tuttavillam filium Cardinalis Rothomagensis, Dominum dicti Castri, cum omnibus ejus bonis, quæ fuerunt multa millia Ducatorum, & maxima argenti quantitas. Ibique recogniti fuerunt anuli, qui quondam erant Protonotarii Columnensis, & supellectilia serica, & quidam lapis alabastri magni valoris ipsius domus, quæ omnia una cum bonis dicti Tuttavillæ asportaverunt, duxeruntque eum captum ad Civitatem Lavineæ pro habendo dicto loco; & cum non potuissent habere, captum & carceratum duxerunt ad Roccam Papæ; ibique eum Dominus Prosper retinuit, & in die sequenti cepit Castrum Nemoris cum uxore & filio dicti Hieronymi Tuttavillæ. Ibique fuerunt multi percussi, & vulnerati hinc inde, & potissime pro parte dicti Domini Prosperi, inter quos Dominus Fabricius de Columna cum quadam sagitta in coxa. Et in die Sancti Johannis Papa congregavit Consistorium, & nescitur quid statutum. Deinde ceperunt Castrum Genazzanum, & quum aliquot dies steti ssent apud Civitatem causâ habendi eam, gentes Ursinorum invaserunt eos mane quodam, & cum improvisos & incautos invenissent, agmina omnia, omnemque Campum Dominorum Columnensium destruxerunt, eorumque arma & bellica instrumenta exportaverunt, & quamdam bombardam æneam, quam ad dictum locum duxerunt pro habendo dictum locum Columnenses, in Civitatem reduxerunt, & ibi steterunt per multos dies. Demum Castrum Sermonetæ, & omnia quasi ejus animalia deprædati sunt; & fertur fuisse multa millia capitum buffalorum, boum, & alia animalia; & dictam prædam traduxerunt in dictam Civitatem, quam cum non possent ibi retinere, gentes prædictæ, videlicet ballestrarii, & equites versus Urbem Romam magnam partem dictæ prædæ traduxerunt. Quod quum venisset ad notitiam quorumdam Columnensium, confestim ducentes dictam prædam insectati sunt usque intra Portam Latinam, & aliquos eorum prope Viculum Maximum ceperunt, dictamque prædam, & animalia retroduxerunt. Demum post aliquot dies præfati Domini Columnenses cum gentibus prædictis circa quadraginta ballestrarios Ursinos in nemoribus reperierunt; factaque sunt in paucis diebus inter eos varia & diversa bella apud Castrum Marini, Nemoris, & Genazzani. Quæ quum sic agerentur, Paulus Ursinus una cum Julio Ursino auxiliantes Virginio, invasere Castrum Ciciliani, qui quum eos vigilantes, & provisos invenissent, plusquam quadraginta pro parte Dominorum Ursinorum inter penitus mortuos, aut lethaliter vulneratos dimiserunt. Ex hominibus autem dicti Castri Ciciliani unus tantum, videlicet Paulus Silverius, interfectus est. Et post aliquot dies in Valle Ampulionis fecerunt se magis fortes; & iterum penetraverunt in Latium, & dederunt auxilium Civitatensibus, semper, & continuo Cives Romanos & alios ubivis repertos deprædando. Cohortes autem Præfecti Urbis in Monasterio Sanctæ Agnetis extra Portam Numentanam pro Ecclesia morantes, similiter hordeum & frumenta ex areis Romanorum vi rapiebant. Latrones etiam intra mœnia Urbis, & in vineis propinquis derobabant, nulla habita partium distinctione. Fuerunt insuper creati per Conservatores duo Commissarii, qui una cum ballistrariis septuaginta equitibus à summo Pontifice salariatis, campos & areas custodirent, ne damna hujusmodi fierent, quibus non obstantibus longe ampliora & majora facta sunt, potissime per commilitones dicti Præfecti.

Et quum die decima quarta Julii Camillus Macharanus unus ex dictis Commissariis ad quasdam areas in Latio prope viam, qua itur ad Albanum, moraretur, supervenerunt gentes dictorum Ursinorum, immiscueruntque bellum similiter, quod quum dictæ gentes Ursinorum essent infinitæ, Commissarii vero paucæ, Commissarium & ejus gentes incontinenti absorbuerunt, & aliquos ex dictis interfecerunt, nonnullos alios lethaliter vulneraverunt, & derobaverunt. Nec profuit eis clamare *Chiesa*, *Chiesa*, & in quibuscumque locis prœlium fecerunt, & potissime dum ceperunt Castrum Frascati cum Tuttavilla, semper pro parte Columnensium fuit clamatum *Colonna*, *Colonna*, & *Chiesa*, *Chiesa* simul. Pro parte vero Ursinorum tantum *Ursus* exstitit in vociferatione. Et sicut videri potest, fortuna volvit

volvit rotam suam; nam nunc est annus, quod Ecclesia cum Urso conjuncta contra Columnenses instabat. Nunc vero eidem cum Columna contra Ursum bellatur. Deinde in dicto die fertur fuisse conclusum in Consistorio, Papam statuisse, se velle in manibus suis supradicta Castra Civitæ, Nemoris, Genazzani, & Frascati, & securitatem hinc inde de parendo suæ sententiæ; & obtulit se velle intra dictos Barones discordantes facere justitiam, & unicuique restituere quod suum erit. Et si quis eorum fuerit voluntati Suæ Sanctitatis renuens, obtulit se velle contrariæ parti favere. Inobedientem autem ut inimicum tractare, & contra ipsum insurgere. Post quæ incontinenti Domini Columnenses in manibus dicti Pontificis restituerunt supradicta Castra Nemoris, Genazzani, & Frascati Castrum, quod habuerant per præsens, & sic in dictis locis erecta fuerunt Vexilla Ecclesiæ. Pro parte vero Ursinorum fuit mandatum Papæ spretum & neglectum. Die XX. Julii Dominus Prosper de Columna una cum Fabricio & Nicolao Domino Sermonetæ deprædati sunt infrascripta Castra Ursinorum, videlicet Insulam, Campagnanum, Galeram, Braccianum, Cerveterem, & nonnulla alia eorum Castra, ibique deprædati sunt circa ducentos vassallos, seu habitatores dictorum locorum, & ducentas equas marcatas signo Domini Virginii Ursini, tria millia & ultra capita bestiarum vaccinarum inter boves domitos, & vaccas, prædamque ipsam traduxerunt prope Ostiam, usque sunt infrascripta pietate. Nam quum venissent ad locum, ubi erant quinquaginta capita vaccarum Bartholomæi de Sancta Cruce, & quum potissimum Dominus Georgius & Prosper erant æque inimici dictorum Columnensium, & dictus Dominus Georgius semper cum suis complicibus acerbe se gessisset in favorem Ursinorum, & Cognatus esset Domini Pauli Ursini contra dictos Columnenses: nunc dictus Dominus Prosper, & Nicolaus Cajetanus Dominus Sermonetæ moti precibus cujusdam custodis dictarum vaccarum, qui genuflexus cum lacrymis ante oculos oravit pro filiis pupillis Bartholomæi interfecti: ipsi tamquam pii, & misericordes Domini, animalia omnia dicti Bartholomæi, quodammodo eorum inimici, & una cum illis vaccas Stephani Francisci Factoris Ursinorum illæsas & intactas dimiserunt, eisdemque damnum aliquod inferre noluerunt, asserentes semper nolle pupillis illis filiis dicti Bartholomæi interfecti tamquam innocentibus in aliquo præjudicare. Die sequenti Papa Innocentius fecit ad se venire præfatos Dominos Columnenses, eosque per aliquot dies in Palatio sustinuit, voluitque eos ad domum redire, misitque per Urbem proclama, quod sub certa pœna habentes aliquod de dicta præda incontinenti restituerent, & scientes alios habere revelarent. Et post paucos dies, receptis fidejussoribus de non offendendo, & parendo judicio à dictis Columnensibus, & à Domino Hieronymo T ttavilla sub pœna ducentum millium Ducatorum, eos, & dictum Hieronymum dimisit; caussaque ipsa inter dictum Dominum Hieronymum, & Dominos Columnenses commissa fuit quatuor Auditoribus Rotæ, qui haberent eam infra octo dies de jure terminare; hoc videlicet: numquid licuerit, seu licitum fuerit dictis Dominis Columnensibus deprædari dicta Castra, & bona dicto Domino Hieronymo. A Et hæc fecit Innocentius, habita prius in sua potestate & protectione dictorum Castrorum possessione, scilicet Frascati, Nemoris, Genazzani, & Civitæ. In illis diebus Dux Calabriæ Regis Ferdinandi filius cum gentibus suis fecit ad se venire Comitem Montorii in partibus Aquilanæ Civitatis, ipsumque, & uxorem, & filium Neapolim ad Regem captos misit, & ut fertur, proditorie eum cepit. Ibique judicio omnium per dictum Regem decapitatus fuit; propter quod omnis Populus Civitatis Aquilanæ turbatus insurrexit contra Regem, vocavitque Ecclesiam in Dominam, misitque ad Pontificem nuntium, ut dominium caperet; rogavitque etiam, B ut si ad dictum locum mitti contingeret gentes aliquas, non nisi Columnenses mitteret. Et ita factum fuit. Deinde Rex Ferdinandus ordinavit Parlamentum Dominorum & Militum in Civitate sua Neapolitana. Ibique convocavit omnes Dominos Regni sui, mandavitque illis, ut venirent ad dictum locum, à quibus nullam obedientiam habuit, ex eo quia, ut dicebatur, intendebat eos omnes, cum haberet in suo dominio, decapitare. Ex quo omnes Barones Regni insurrexerunt contra eum, vocaveruntque Ecclesiam, & imploraverunt auxilium Venetorum, & obtulerunt dictas Terras Ecclesiæ, & Romano Pontifici, uti erant prius, cum solutione C Census consueti; minantes, quod si Papa eos non adjuvaret, seu promissa non attenderet, se se aliis daturos. Et fuerunt omnes Principes & Domini, exceptis tribus, videlicet Comes Fundorum, Dux Melphi, qui fuit Nepos Pii, & Princeps Tarenti, qui observaverunt fidelitatem Regi. Deinde Papa facto super hoc Consistorio, pluries misit pro Prospero Columnensi, & Fabricio, ferturque illos conduxisse. Et similiter ad se vocavit Johannem Sabellum, qui jam erat Ecclesiæ inimicus, ex eo quia in morte Xisti receperat Castrum Arignani, illudque contra voluntatem Ecclesiæ & Pontificis tenebat. Factique est inter eos concordia, & datæ sunt eis pe- D cuniæ militares, ut contra Regem pro Ecclesia insurgerent. Virginius Ursinus similiter ab Ecclesia requisitus, dixit se habere fœdus cum Rege, & propterea se nolle venire contra. Misit tamen gentes suas in favorem Ecclesiæ contra Regem. Robertus de Sancto Severino fertur Cæienæ congregaile gentes suas iturus contra Regem.

Die decimaseptima Octobris Civitas Aquilæ cum omni suo Comitatu erexit vexilla Ecclesiæ, & ita fertur fecisse multas Terras & Castra Regni prædicti; & Dux Oliveti fertur venisse ad obedientiam Papæ, & dixisse se nolle habere, & recognoscere alium in Dominum nisi Papam. Et in dicta Civitate Aqui- E lana fertur fuisse interfectum à juvenibus Aquilanis Dominum Antonium de Cicinellis Militem Neapolitanum una cum quatuor famulis suis, & alios Regales in totum numero triginta in platea. Die decimanona ejusdem Mensis mortuus fuit Dominus Cardinalis Aragonius, filius Regis Ferdinandi in ejus Palatio, videlicet apud Sanctum Laurentium in Lucina, & ejus corpus depositum fuit in Ecclesia Sanctæ Sabinæ. Et caussa mortis hæc est. Nam quum idem Cardinalis accessisset ad Civitatem Salernitanam, ibique esset, petiit à Castellano dicti loci, ut permitteret sibi videre Castrum seu Fortalitium dicti loci. Fuit re-

responsum, quod haberet licentiam prius à Domino; & quum hoc denuntiatum esset Principi illius loci, venit ad eum, & octo viri, qui cum Cardinali erant, inter turrim occisi sunt. Deinde dictus Princeps eidem Cardinali attemperatum venenum dedit, dixitque ei: *Sicuti alii tui socii defecerunt, ita & tu in paucos dies. Et hoc, quia pater tuus Ferdinandus voluit nos omnes conculcare.* Quo audito, Romam venit, ibique per unum mensem tantum permansit, & decessit ut supra. In ultimis diebus dicti Mensis aliqui complices Virginii Ursini noctis tempore ad Portam Appiam ex latere exteriori se contulerunt, ibique vocato portinario per quemdam tabernarium vocatum Molpina, qui extra dictam portam tabernam faciebat, intraverunt, & dictum portinarium, & portam ceperunt, ipsumque portinarium ligatum tenuerunt usque ad diem. Quo medio quandam bombardam magnam existentem in Castro Civitatis per Urbem traxerunt, eamque ad castra dicti Virginii per loca transtiberina adduxerunt, & deinde dictum portinarium & portam dimiserunt. Quod ut audierunt Superiores, ad capturam & castigationem præfati Molpinæ processerunt, inductæque sunt suspiciones in animis eorum. Post quæ in principio Mensis Novembris publicatum fuit, præfatum Virginium Ursinum constitutum fuisse generalem Capitaneum Ligæ Regis Ferdinandi, Ducis Mediolanensis, Florentinorum, & Senensium contra Ecclesiam & Venetos. Quum vero Papa vocasset ad sua servitia dictum Virginium, asseruit nolle venire, & pecuniam, quam acceperat ab Ecclesia tamquam ipsius stipendiarius se retinere velle pro servitiis præteritis, & non pro futuris. Quare Papa misit ad eum Episcopum Interamnensem Ursum de Ursinis pro revocando ipsum, qui nihil ad propositum Pontificis egit. Immo incontinenti misit literas excusatorias ad Conservatores, & Romanum Populum, quibus recitabat omnia feliciter gesta & facta Ursinorum in auxilium Ecclesiæ; quare si non ipse judicio suo bene tractabatur Populo Romano, se Ecclesiæ subditos hostili modo tractaturum. Et eo tempore Dominus Robertus Sancti Severini Capitaneus magnus sine exercitu Urbem magna cum Prælatorum comitiva intravit, cum præfata Ecclesia bellum tractaturus. Et cum diversimode tractatum fuisset de concordia Papæ, & Virginii, tamdem captus fuit quidam Tabellarius in Velletro, qui portabat capitula sigillata & subscripta Virginii, quibus continebatur, se cum omni ejus statu contra Ecclesiam pro dicto Rege pugnaturum: post quæ omnes tractatus concordiæ finem acceperunt. Eodem tempore, videlicet in die Sancti Andreæ, Paulus Ursinus cum gentibus suis intravit partes Insulæ, ibique omnia animalia Civium Romanorum cetera, grossa & minuta recollegit, Pontemque Nomentanum cepit, & in Latium cum gentibus intravit, & in eo boves omnes præfatorum Civium, & animalia cetera grossa & minuta recollegit, quorum pars ad Civitatem Lavineæ traducta fuit, pars vero per Præfectum Urbis, comitantibus & auxiliantibus Civibus Romanis, ad Urbem reversa fuit; captique fuerunt tresdecim ex illis. Et incontinenti frumenta cariora facta fuerunt, & ligna in tantam pervenerunt penuriam, ut vix panis in furnis coqui potuisset, & salma magna lignorum quinque Carlinis vendita fuit, mediocris tribus, & ad minus duobus propter quod magna pars arborum vinearum incisæ fuerunt, & extra portam Numentanam & Salariam nemo exibat, ex aliis vero pauci. Capitolium clausum fuit, mandatumque est, ut illis temporibus nullum jus redderetur in Urbe. Undique tribulationes, & angustiæ vigebant; quilibet arma utriusque generis ferebat. Justitia omnino quiescebat, adeo quod multa cadavera occisorum mane nuda, & in Ecclesiis sepulta reperta fuerunt, & potissime in porta Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via lata in quinque diebus tria corpora nuda, & occisa, & in sepulcris missa, reperta sunt, & in aliis locis versus Pontem Cavallinum, & Regionem Montium, & per multa loca Urbis diffusim interfecti, & derobati reperti sunt. Et Palatium Papæ in fortitudinem reductum est cum fossatis, & muris, & excubiæ fiebant. Et dum præfatus Pons caperetur, cum eo filius Angeli Pallutii de Albertonibus una cum quibusdam Capellanis existentibus in domo Gabrielis de Cæsarinis capti fuerunt, & inibi Protonotarius Angeli, qui versus Tibur pro vino accesserat, similiter deprædati fuerunt. Nocte sequenti Palatium Ursinorum in Monte Jordano captum, combustum, derobatumque pro aliqua parte fuit, quod, ut fertur, Pontifici displicuit. Ambasciatores Firmani, qui ad Papam proficiscebantur, intra Arignanum, & Castrum novum, ab illis de Capranica Episcopi Firmani interfecti & ob vindictam in frusta incisi sunt. Et istis temporibus fuit missum proclama per Urbem ex parte Sanctissimi Domini nostri, quod omnes malefactores, homicidæ, & diffidati pro quibuscumque criminibus libere reverterentur ad Urbem; & ita factum fuit. Propter quod tanta fuit copia dictorum diffidatorum, & facinorosorum pariter per Urbem ambulantium armatorum, ut incredibile quodammodo esset.

Die decima mensis Decembris cohortes Ursinorum, & homines Castri Scrofani armati accesserunt ad Burghettum, distans ab Urbe per decem milliaria versus Castrum novum, quod est Sancti Petri, ibique tota die bellaverunt; & tamdem igne imposito illud combusserunt. Custodes illius loci se defendentes tres milites seu Armigeros Ursinorum lapidibus projectis interfecerunt; & milites alios pedites, & rusticos usque ad mortem vulneraverunt. Quapropter multi Ambasciatores, qui de diversis partibus ultra & citra montes ad Urbem veniebant, præ timore retrocesserunt, & omni fere nocte inimici currebant usque ad Portas Urbis. Et quintadecima die dicti mensis multi armati tentaverunt capere Portam Populi; sed vigiles, qui ibi erant, eam defenderunt. De nostris custodibus unus tantum in facie ibi vulneratus fuit. Et illa, & aliis noctibus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, & aliquando Sabellus, & Columna personaliter armati cum satellitibus Portas omnes Urbis, & muros, & custodes ibi existentes visitaverunt simul, & monuerunt. Et illa eadem die certi juvenes Romani armati accesserunt ad domum Domini Anielli Ambasciatoris Ferdinandi Regis, qui habitabat in domo Comitis Tagliacotii, ibique illum ceperunt, & honesto modo eum ad Palatium Conservatorum duxerunt, & bona ejus omnia, quæ in domo erant, & equos & mulos ad saccum miserunt, & in ea domo ignem posue-

fuerunt, & aliquam portiunculam tecti detexerunt, petieruntque ab eo, ut curaret cum Rege, & hostibus, ut Andreas Pallucius, qui in festo Sancti Andreæ una cum Ponte Numentano captus erat & Paulus Matulenus, qui similiter captus erat ab hostibus, reverterentur. Et die sequenti Conservatores, & duo Cubicularii Papæ una cum Officialibus, & aliquibus Civibus ad Palatium Apostolicum eum duxerunt. Et noctibus sequentibus multa furta, & rapinæ, & violentiæ factæ fuerunt, domus violenter apertæ, & homines ibi ligati, & violati fuerunt; inter quos fuit Dominus Johannes Setinus Rector Sancti Nicolai in Forbitoribus, quem ligaverunt latrones, & ligatum tenuerunt tota nocte, illique rapuerunt centum & decem ducatos, & omnia fere bona etiam. Et in aliis locis Urbis similiter factum fuit. Stantibus his, Fabricius de Columna & Prosper de mandato Papæ cum gentibus eorum ad Castrum-novum obviam gentibus Domini Roberti accesserunt, & ut fertur quamdam machinam bellicam, quæ vulgari modo dicitur *lo Bastione*, quam Virginius Ursinus fecerat intra Castrum novum, & Arignanum, in loco qui dicitur *Monte della Guardia*, prope Ecclesiam Sancti Leonardi in via, continuo expugnaverunt. Ita quod gentes præfati Domini Roberti libere ad Urbem in Vigilia Nativitatis Domini intraverunt, quorum cohortes Sanctissimus Dominus noster intra Ecclesias Urbis collocavit, videlicet in Ecclesia Sanctorum Quatuor, Sancti Thomæ in Monte Cœlio, in Sancto Gregorio, in Sancto Johanne, in Sancto Matthæo, in Sancto Clemente & Sancto Martino & in multis locis Urbis. Interea Dominus Prosper de Columna cum militibus suis accessit ad Castrum Civitatis Lavineæ, ibique omnia fere animalia grossa & minuta, quæ milites Ursini, & alii de dicto loco abstulerant à Civibus Romanis, contrario impetu deprædatus est. Quod quum Cives audivissent, incontinenti accesserunt ad Papam, petieruntque illa sibi restitui tamquam indebite ablata. Sed Dominus Prosper hoc facere absque aliquali solutione recusavit, attentis laboribus, & periculis, quæ in recuperatione ipse, & sui milites, & Vassalli passi fuerant. Insuper illis temporibus repertæ fuerunt per Urbem nonnullæ cedulæ continentes in se aliqua dicta; sed hi, qui eas invenerunt, non libenter patefecerunt. Audivi tamen à quodam fide digno viro, qui dixit se secreto modo audivisse ab uno ex Cardinalibus, qualiter Virginius Ursinus in una ex dictis cedulis intitulatus hortabatur Populum Romanum, ut insurgeret contra Pontificem cum armis, ipsumque, & ejus Cardinales expelleret ab Urbe, asserens illum non fuisse verum Pontificem, & canonice creatum, uti neque aliquos ex Cardinalibus similiter non esse veros Cardinales; & offerebat se velle præstare auxilium dicto Populo in faciendo alium verum Pontificem, & alios novos & veriores Cardinales. Insuper fertur, in dictis cedulis multas contumelias tulisse de Cardinali Sancti Petri ad Vincula, ipsumque tamquam indignum Prælatum de vitio sodomitico pollutum, privandum & destruendum esse. Et aliqui Cives Romani, qui cum salvo conducto ad dictum Virginium accesserunt pro redimendis bestiis eorum deprædatis, jurejurando asseruerunt, se audivisse à dicto Virginio, se velle, cum primum Deus eidem præstiterit

A victoriam, caput dicti Cardinalis Sancti Petri ad Vincula infixum in quadam lancea per Urbem in ejus majus dedecus portare. Insuper affirmarunt, quosdam rusticos subjectos Ecclesiæ de terris circumcirca Urbem similiter redemisse ibi prædam eorum; ac tunc dictum Virginium dixisse commilitonibus suis ibi extantibus: *Dimittite eos pauperes circumstantes nec nolite eos ulterius deprædari; sed attendite solum circa prædas & destructiones Civium Romanorum tantum, & contra illos totis viribus insudate*. Post quæ ore tenus commisit, quibusdam ibi stantibus ex caussa prædicta, ut quum primum ad Urbem se conferrent, Cives Romanos & Officiales convenirent, illisque ex ejus parte dicerent, se audivisse eo-
B rum animalia intra mœnia retineri, & quod illa bene custodirent, quoniam ipse intendebat non solum de dictis locis violenter eripere, verum etiam ipsos, & eorum bona in eorum cameris concremare paucos infra dies. Et similiter fertur, misisse nuncium quemdam ad Pontificem, qui ore tenus nunciaret, se esse tantæ potentiæ, & industriæ, ut eumdem Pontificem ac Sanctissimum Dominum nostrum, & Dei Vicarium in fluvium projiceret: propter quod corda hominum, qui hoc audiverunt, perturbata sunt, incensaque fuerunt in eum propter hæc, & multa alia, & injuriosa, & quodammodo, ut verius dicam, be-
C stialia, quæ ex ore illius prosilierunt.

Vigesimo octavo Decembris exivit Dominus Robertus cum sua comitiva, & multis militibus, & peditibus ballestrariis, & aliis Portam Numentanam; & cum dictis bombardis grossis, quæ erant in Castello, & duabus cerebottanis, & multis sclopetteriis accessit ad Pontem, ibique cœpit pugnare cum custodibus dicti Pontis Numentani, quos infra quatuor vel quinque horas & antequam plantaret bombardas grossas, dictum Pontem cepit. Et illi, qui ibi erant, dederunt se & dictum Pontem eo modo, quo inter milites dicitur ad discretionem, quæ discretio fuit talis, quod omnes, qui ad dictum Pontem erant, fuerunt
D interfecti hoc modo, videlicet: quia quando gentes Papæ apertâ portâ intraverunt, tunc illi exspectaverunt responsum à filio dicti Domini Roberti, quid de eis futurum esset. At ille jussit eos occidi, seu frustatim incidi. Quo audito duo ex illis, excussis armis, se in Tiberim projecerunt, & confestim suffocati sunt. Unus ex eis vulneratus, qui se in Tiberim projecerat, extractus à commilitonibus captivus factus est; unus è Janizzeris qui se se circumvolvebat, dum cædebatur salvus fuit. Nescitur tamen postea quid de eo, & de alio actum fuerit. Et hoc puto factum fuisse, ex eo quia in dicto prælio Fracassa filius dicti Domini Roberti, cum sclopetto vulgariter
E nuncupato, in ore vulneratus fuit; vel forte quia quum præcedentibus diebus dictus Dominus Robertus ivisset ad dictum Pontem caussâ prævidendi, unde potuisset eum facilius debellare, præfati Custodes projecerunt quamdam Spingardellam contra eum, quæ parum distitit ab eo, causa ipsum interficiendi. Et tunc dictus Dominus Robertus ægre tulit, & digitum suum momordit, contra ipsos minando. Et multi alii ex parte Ecclesiæ in dicto prœlio etiam lethaliter vulnerati fuerunt; & dicti custodes Pontis fuerunt decem & septem numero, & pro majori parte Calabrenses, quia ita loquebantur, & se stare aje-

ajebant ad stipendia Ducis Calabriæ. Affirmabnt etiam, quando fuerunt requisiti, an vellent dictum Pontem dimittere, se fuisse ibi positos per Ducem Calabriæ, & ipsum tenere ad ejus instantiam, & sine ejus mandato nolle ipsum dimittere. Interea prædæ Ursinorum non deficiebant. Transcurrebant enim in partibus Transtiberinis à Galera usque ad Urbem; & similiter milites Ecclesiæ, qui in Urbe erant, oves, & boves Civium Romanorum ad libitum interficiebant, & ubi aliqua domus fœni reperiebatur, absque alia licentia, ac si propria eorum esset, exonerabatur; & sic Cives Romani, & habitantes in Urbe tam ab inimicis, quam à defensoribus nostris omni die plectebantur.

Quarta, quinta, & sexta die Januarii 1486. Campus Ecclesiæ cum militibus, & artellariis accessit ad Castrum Numentanæ, ibique stetit per aliquot dies non minus quinque, vel sex, & dictum Castrum habuit laceratum, ruptum, & quasi destructum à bombardis. Ibique fertur mortuum fuisse filium septem annorum Pauli Ursini, & intro gentes præfatæ maximam frumenti quantitatem ceperunt, & vendiderunt omnibus portantibus vinum & panem in Campum pro bono auro. Postera die Campus Ecclesiæ, & Dominus Robertus versus Montem Rotundum se contulit, ubi habito colloquio cum Cardinali Ursino, qui ore tenus cum dicto Domino nullo alio medio per quatuor fere horas locutus est, confestim ad Urbem venerunt, & cum Pontifice locuti sunt; & die sequenti recesserunt, & per Palatium dictum fuit, Dominum Cardinalem Archiepiscopum Florentinum, & Episcopum Theanensem se se, & omnes eorum Terras dedisse Ecclesiæ, & tradidisse possessum Montis Rotundi, Sancti Angeli, & Sancti Johannis Caporiæ, & aliarum Terrarum, & Castrorum Abbatiæ Farfensis præfatæ Ecclesiæ, exceptis quibusdam Dominis Montis Rotundi, qui ex quo acceperunt pecuniam à Virginio, cum personis eorum, & cum statu cum dicto Virginio restiterunt. Fertur in his diebus, quum Viterbiensibus factæ essent nonnullæ prædæ per prædictos Ursinos, & pluries esset per eos supplicatum Pontifici, ut super his provideretur, cui tamdem nulla provisio facta erat, accidit quod certi mercatores Florentini ducebant per dictam Civitatem certum pannum & mercantias ad Urbem: præfati Viterbienses non valentes se aliter à dicta præda rehabere, dictum pannum & merces acceperunt; illudque & illas inter se diviserunt, resarcientes, & satisfacientes omnibus iis, qui ex dicta præda damnum passi erant: quod quum Papa audivisset, ægre tulit, mandavitque illis, ut dicta bona restituerent, quod huc usque minime factum fuit. Ceterum Ambasciatores ultramontani, ut fertur, Ducis Burgundiæ, & Maximiliani filii Imperatoris, cum ad Urbem venirent, ut possent secure accedere, cum gentibus Domini Roberti, idest ejus filii, in Viterbio pacti sunt, qui tamdem solverunt unum ducatum pro quolibet equite, ut ducerentur securi ad Urbem cum istis custodibus, & solutâ pecuniâ quum essent in sylvis Baccani, ad illis eisdem militibus, ut fertur, usque ad camisiam spoliati & derobati fuerunt, ita quod ad Urbem nudi & pedestres venerunt: quod quantum sit laudabile, omnes considerare possunt. Die vigesima prima Januarii 1486. in die Sabbati de mane quum aliqui armati exivissent Portam Viridariam causâ faciendi carnes, obviam iverunt hostibus, qui quum potentiores essent, commilitones nostros usque in Civitatem fugaverunt; & quum Custodes guardiæ Palatii, & alii circum stantes milites hoc audivissent, incontinenti maxima cum festinatione cum illis armis, quæ ita de repente arripere potuerunt, illis armigeris fugatis opem præstiterunt obviam illis euntes, deserto Palatio, & loco guardiæ ipsius. Quod quum fuisset visum ab hominibus Burgi, incontinenti cogitaverunt alterum de duobus evenisse, aut Pontificem morte repentina obiisse, aut Virginium cum gentibus suis Urbem intrasse, ex quo videbant custodes Palatii relinquere custodiam, & aufugere. Et incontinenti in Urbe hæc fama orta fuit, & crevit adeo, ut ab omnibus pro certo crederetur, adeo ut essent aliqui, qui omnino etiam cum juramento affirmabant, Pontificem vidisse mortuum cum pugione quodam, & Virginium fuisse Romam ingressum. Propter quod tota Urbs tremuit, & magno cum timore per aliquod spatium stetit, & Apothecarii omnes apothecas clauserunt; & hi qui in foro erant Capitolii, tanto timore fuerunt affecti, ut vix medietatem rerum, quas vendendi causâ exposuerant, recollegerint. Palatium ipsum Capitolii, ubi ego eram, incontinenti clausum, & diligenter custoditum exstitit, & Cardinalis, quondam dictus Abalis, qui una cum Cardinali Sancti Petri ad Vincula spatiandi gratiâ proficiscebatur, cum paucissimis sociis per plateam Capitolii versus Palatium Sancti Marci quantum poterat cum equo currebat fugiendo. Ac multi & infiniti Curiales eorum bona quo modo poterunt salvabant; & quilibet Cardinalium magno cum timore, videlicet quilibet in domo sua inclusus, se fortificavit. Et duravit dicta fama per duas horas cum dimidia; & cum multi diversi generis accessissent ad Palatium, viderunt Pontificem Innocentium in finestris, qui talem famam extinguendi causâ Dominationem suam ostendit. Incontinenti dicta fama se extendit ad suburbia, & potissime ad Castrum Lamentanæ, cujus domus jussu Pontificis fuerunt diruptæ; & quum rustici & habitatores dicti loci mortem dicti Pontificis audivissent, putantes verum esse, incontinenti clamaverunt *Orso*, *Orso*, non obstante quod prius confœderati essent cum Ecclesia, & quod Papa pepercisset eis, dummodo essent fideles Ecclesiæ: quod ipsi liberaliter promiserunt. Videntes postea Innocentius & alii dictorum rusticorum inconstantiam, & quod de ejus morte gavisi essent, & quod rupta fide iterum contra Ecclesiam ad Ursinos revertebantur, incontinenti mandavit, dictum Castrum funditus, & à radice displanari: & ita infra paucos dies factum fuit. Et illis diebus supervenerunt novæ, qualiter Dominus Fabricius Columnensis ceperat totum Comitatum Albanensem cum omnibus Terris & Castris, excepta Arce, quæ dicitur *la Corvara*. Interim gentes Ecclesiæ abduxerunt animalia omnia Ursinorum, quæ versus Galeram, & partes maritimas erant. Similiter & Ursini animalia omnia Romanorum, quæ in partibus Latii erant, deprædati sunt.

Die decimanona Februarii Civitas Lavineæ multis perfossa bombardis, & cum occisione multorum, vulneratione infinitorum, à gentibus

tibus Ecclesiæ capta est, & duo, qui ibi principales erant, ad Urbem capti, & in Castro Sancti Angeli mancipati fuerunt. Post quæ quia omni die gentes Ursinorum existentes in Castro Flaviani, & in Castro Sancti Gregorii, à rapinis & prædis non desistebant, die decimatertia Martii Campus Ecclesiæ accessit ad dictum Castrum Flaviani, & bombardæ grossæ Ecclesiæ per Tiberim illuc accesserunt. In hoc proposito omnes fuerunt; sed omnia supradicta supellectilia, & artellariæ, & bombardæ accesserunt ad Castrum Gallesii, & ibi steterunt; Dominus autem Robertus contulit se in Latium Patrimonii, & ejus gentes steterunt in Civitate Tuscanellæ, ibique multa mala, & insupportabilia gesserunt: deinde se contulerunt ultra Aquampendentem versus Silvas; ibique castrametatus fuit, ibi locum fortissimum cingens limitibus, & fossatis. Gentes vero inimicorum erant ibi prope, videlicet apud Pitilianum, & Montem Pulcianum, & semel de mense Maji prope noctem prœlium fecerunt, inter quos multi hinc inde & capti & mortui exstiterunt, & post illud per multa tempora quieverunt. A prædis autem Populo Romano faciendis numquam destiterunt. Quo mense gentes confœderatorum inter se, videlicet gens Florentinorum cum gentibus Ducis Mediolani prœlium inierunt, in quo plus quam centum commilitones hinc inde mortui fuerunt; & animo hinc inde turbati, & nondum sedati, in eodem permanserunt loco; propter quod timetur inter eos fore scandalum, vel saltem inter eos se divisuros. Caussa discordiæ fuit, nam quum milites existentes in Pitiliano puellam quamdam vi arripuissent, & hoc Populi illi insupportabile judicassent, quum & aliàs se Domino Nicolao excusassent, arma ceperunt contra dictos armigeros, imploraveruntque auxilium à gentibus dicti Comitis Pitiliani, & sic Florentinorum. Eodem mense Januenses prope Petram-Sanctam passum & locum fortissimum Florentinis occupaverunt. Et illis temporibus fertur Ambasciatores Franciæ per Florentinam Civitatem prætereuntes multas contumelias dixisse Laurentio de Medicis, & inter alia, se non bene & recte facere bellum contra Ecclesiam, ad instantiam cujusdam bastardi Regis Ferdinandi, illique minatos esse graviter. Item cum præfati Legati transirent de Viterbio versus Urbem, Virginius Ursinus misit eis obviam quosdam de suis, illosque deprecatus fuit, ut haberent eum recommendatum apud Pontificem, & quando reverterentur apud Regem Franciæ, recitando omnia incommoda gesta per dictum Pontificem contra eum, & ejus domum, offerendo insuper eis salvum conductum, cum præterirent per ejus territorium. Qui Domini Legati omnia patienter audiverunt, & intellexerunt usque ad præfatam oblationem, quam statim quum audiverunt, recusarunt, dixeruntque se non indigere ejus salvo conducto, parvi faciendo & vilipendendo eum, ac tyrannum, & Ragazzionum vilissimum appellando. Et quum ad Urbem appropinquarent una cum quibusdam gentibus Ecclesiæ, rustici quidam ex Ursinorum oppidis obviam ipsis iverunt, causâ derobandi ipsos Legatos, pro ut hactenus fecerant. Sed dicti Legati, & ipsorum comitiva dantes se in defensam, circa octuaginta ex dictis rusti-

A cis ligatos, & captos ad Urbem duxerunt, multosque deinde vulneratos & semimortuos dimiserunt. Die penultima Maji supradicti Legati Romam intraverunt, ferturque, Pontificem eos libenter suscepisse, & dixisse, seu protestatum fuisse, se aut Ecclesiam omnem deperditurum & destructurum, aut Virginium Ursinum penitus desolaturum. Eadem die dictum & affirmatum exstitit in Urbe, quemdam Dominum Julium Ursinum unum ex Dominis Montis Rotundi, qui sub Ecclesia, & Domino Roberto militabat, per dictum Dominum Robertum captum & carceratum fuisse, deprehensumque in prodimento; ex hoc videlicet, quod ipse per literas & nuncios locutus fuisset, stetissetque cum Duce Calabriæ

B tempore, quo excubiæ nocturnæ fiebant per eum, quia mos erat alternatim, & vicissim ut quilibet Dominus faceret excubias, illo statuto die vel nocte se permissurum gentibus Ducis Calabriæ una cum eo, ut introirent locum, ubi sunt gentes Ecclesiæ, & Comes Robertus, ibique stragem, quam volebant, facere. Deinde intendebat dictus Dux Calabriæ ad Urbem Romam cum gentibus prædictis venire, ibique totam Urbem deprædari. Et hoc denunciatum fuit Domino Roberto Capitaneo Ecclesiæ per quemdam commilitonem stipendiarium dicti Domini Roberti, quod non fuit creditum incontinenti

C ab eo; sed tempore adveniente dictarum excubiarum stetit super se, & custoditis locis & passibus per suos milites invenit dato signo per dictum Dominum Ursinum, gentes Ducis Calabriæ cepisse intrare loca Ecclesiæ custodita per dictum Dominum Julium Ursinum. Ad quod dictus Dominus Capitaneus insurgens, videns rem, pro ut ei revelata fuit, veram esse, armata manu cepit dictos hostes, qui jam intrare cœperant, & dictum Dominum Julium una cum quibusdam ex suis primatibus, & militibus, quos intellexerat de dicto prodimento participasse, pari custodia illos carceratos detinuit, ac detinet, hoc supradicto Pontifici, totique Ecclesiæ nunciando.

D Primâ hebdomadâ mensis Junii die Veneris factum fuit Consistorium in Palatio Sancti Petri, ubi fuerunt omnes Cardinales, & ibi palam omnibus Cardinalis Vicecancellarius, & Sabellus, & nonnulli alii petierunt à summo Pontifice pacem, & quod deberet facere pacem cum Rege Neapolis, & cum inimicis suis, & offerebant Regem Ferdinandum concedere velle Ecclesiæ Civitatem Aquilæ, & totum Aprutium, cum omnibus Baronibus & Dominis, qui vocaverant Ecclesiam. Et insuper se daturum tributum Ecclesiæ consuetum, & illud quod dare tenebatur in tempore præterito, cum aliquali temporis dilatione

E se daturum; & multi Cardinales etiam hoc confirmabant. Tunc erexit se in pedes Abalis Cardinalis Francigena, & dixit contrarium: videlicet hanc pacem non posse fieri cum honore Ecclesiæ, ex quo tota Francia seu Gallia fuerat submota cum Duce Renato, ut veniret; & magnæ super hoc expensæ, & præparamenta facta erant; & quod non videbatur conveniens, quod Ecclesia tam ipsum Ducem, & Regem Franciæ cum reliqua Gallia, quàm etiam Barones & Dominos, qui se se Ecclesiæ sponte dederunt, illuderet, & potissime Januenses, qui apparatum magnum fecerunt pro tali re consequenda. Asserebat

etiam

etiam, Ecclesiam magnam in hoc fecisse impensam: quod si talem pacem fecisset, certe nihil acquisivisset, sed potius bona & pecunias suas perderet. Contra quem insurrexerunt præfatus Dominus Vicecancellarius, & Cardinalis Senensis, & cum eo multa verba inhonesta & vituperosa habuerunt, & inter cetera dictus Dominus Vicecancellarius dixit, non esse standum verbis illius Abalii, tamquam ebrii, & quod ebrius esset, una cum aliis ampullosis verbis. Contra quem similiter dictus Abalius retulit verba vituperosa, videlicet illum esse maranum, & filium meretricis, & vitam suam inhonestam: propter quod maximus tumultus factus fuit in dicto Consistorio, ita quod unusquisque credebat eos venturos ad manus, dictumque Consistorium fuit expeditum quasi in meridie. Die Lunæ proxime tunc futura Dominus Cardinalis Sancti Angeli in Consistorio fuit pronunciatus Legatus de Latere in Campo una cum Gentibus Ecclesiæ, quem cum ceteri Cardinales comitati essent usque ad ostium domus suæ, ut moris est, quando licentiam petierunt, dictus Abalis traxit ad se, dixitque eidem Cardinali, quod præpararet in tentorio suo multa barilia vini, & multos bottiglios vino plenos, ut possent ibi adstantes bene bibere: quod creditur dixisse, ex eo quod Dominus Vicecancellarius in Consistorio præterito dixerat ei Bottiglionem plenum vino, & ebrium. Sed pauci ibi adstantes, licet hoc audientes, intellexerunt. Eodem mense Junii quum Dominus noster Papa non haberet pecuniam pro militibus, subtili quodam & mirabili ingenio excogitavit, & de novo creavit quinquaginta duos Officiales plumbatores Bullarum Apostolicarum, qui dicti vulgariter sunt *li* (*) *Ceratori*, habueruntque medietatem introitus dicti officii junctam cum alia medietate ipsius Papæ; & quodlibet officium vendidit quingentis Ducatis auri in auro, ita quod fuerunt recollecti viginti sex mille Ducati, quorum vigintiquinque millia convertit in cohortes & gentes armorum, mille autem promisit distribuere inter Doctores Studii, quibus ipse pro eisdem militibus abstulit pecuniam destinatam, idest gabellam Studii. Eodem mente Dux Calabriæ discedens obsedit Civitatem Cornetanam, quam, incontinenti quod se ad dictum locum applicavit, deprædatus est, cepitque multos homines & multa animalia Cornetanorum, sed in prœlio ibi facto multos mortuos reliquit. In Urbe interea non restabant iniqui iniqua operari, sed magis increscebant, & in Campo Martio in brevi spatio noctis tempore armati diversa vice duas mulieres juvenes & nuptas ex latere maritorum vi & armata manu rapuerunt, easque duxerunt prope flumen, & mane ante diem ad domum prædictam reduxerunt. Utrum fuerint redditæ virgines, standum est judicio Ovidii, qui dixit:

A juvene cupido credatur reddita Virgo.

Et erant illæ mulieres non quidem parvæ qualitatis, & potissime unius earum clamores ad Papam accesserunt, qui tantum de eo curavit, ac si somnium fuisset. Ah Christe, quid verius dicemus te nobis Pastorem ovium tuarum dedisse, aut oves lupo commisisse? Sed forte excusandus est Papa noster, vel quia hoc nescivit, vel si scivit, consideratis temporibus, pro meliori tacere, ac fingere se nescivisse constituit. Interea Dux Calabriæ applicuit se cuidam Castello, dicto Cervetteœ, quod expugnare tentavit, & similiter Civitatem Tuscanellæ, quam totis viribus aggressus est, cum omnibus gentibus suis expugnare conatus. Putabat forte illam sibi sponte daturam, eo quod paulo ante à dicto Domino Roberto, & ejus gentibus, ut dictum est, male fuerat tractata; sed hi, qui eam custodiebant, adeo se defendendo gesserunt, ut post finitum prœlium circa muros illius loci plusquam centum & triginta cadavera reperta fuerint, & hæc quidem inimicorum erant. Post quæ incontinenti Dux Calabriæ cum gentibus suis se contulit ad Castrum Anguillariæ, quod credidit bello suo oppugnare; sed quia erat bene custoditum, nihil ei obfuit. Fertur tamen plusquam quadraginta de suis ibi mortuos reliquisse. Demum se aliquantulum retrotraxit. Fertur etiam & habitum hoc fuit à nonnullis, qui à dicto Campo aufugerunt, Ducem prædictum cum gentibus suis fame perire, ipsosque carere pane, vino, & ceteris, ac illos pluribus diebus vixisse ex solis fabis, & tritico decoctis in aqua, & non posse diu illos durare. Demum fertur ad Papam, transmissas literas Regis Franciæ, quibus continebatur, præfatum Regem in auxilium Ecclesiæ præparasse Ducem Renatum pugnaturum cum dicto Rege Ferdinando, ac dedisse ei ad hoc opus quadraginta mille scuta Francica. Item centum lanceas more antiquo, quarum unaquæque dicitur habere quinque milites, & ultra quatuor millia peditum inter . . . . . tenses & alios, & illos obtulit se suis expensis daturum usque ad finitam guerram. Hoc videlicet intellecto, quod Dominus Papa nullo modo pacem cum dicto Rege faceret; alioquin protestabatur de expensa jam facta, & de facienda contra ipsum Pontificem, & totam Ecclesiam. Quæ literæ ab aliquibus simulatæ creditæ sunt, & fictæ hìc Romæ à Cardinale Abalis, qui solum voluntatem Cardinalis Sancti Petri ad Vincula sustentare conatur: sed futurus hoc judicabit eventus. Interea Tiburtinus Populus emissis nuntiis portavit quædam capitula facta inter se, & uxorem Virginii Isabellam, quibus tregua per tres menses includebatur, quibus etiam Populus Romanus continebatur. Sed hæc per Protonotarium Columnensem de Præneste Gubernatorem Tiburis disturbata sunt. Cujus voluntati fertur accessisse Dominus Prosper de Columna. Reverendissimi insuper Cardinales Vicecancellarius, & Ascanius accesserunt cœnatum ad quoddam Castellum Ursinorum, vocatum *l'Isola*, ferturque ibi pacem tractasse cum Ursinis.

Die decima nona dicti mensis Junii Dominus Robertus noctis tempore, & secreto modo, se ad Urbem contulit, ferturque visum fuisse in Palatio cum ipso Papa loquentem, ibique moram traxit per aliquot dies. Dux Calabriæ descendit in partibus Transtiberinis, & quando stabat in uno loco, & quando in alio. Visus fuit prope mare, & Civitatem Portuensem, & aliquando ad locum, qui dicitur *la Magliana*, & ad *Porcareccia*, transcurritque usque ad primam Portam, & ad Bur-

(*) *Editio Eccardi*; Licenziatori.

Burghettum; & multi existimabant ipsum velle tentare aditum, & convertere se in Latium, & non posse, eo quod flumen Tiberis custodiebatur à quodam de Tolentino, qui sub Ecclesia cum septem squadris militabat; custodiebatur etiam à nonnullis fustis, seu navibus bene instructis, quas Papa instruxit ad custodiendum Tiberim. Caussa fugæ, & recessus desiderati allegatur hic in Urbe, primo quia gentes Ducis prædicti stant cum maxima penuria rerum comestibilium; panis ater & parvus pro magno pretio, vinum non habetur nisi per paucos, & id sex aut septem bolognenis pro quolibet metreto. Item alia caussa allegatur, ex eo quia Civitas Ducalis obsidentibus Aquilanis, & Antonello Sabello, ut fertur, terminum cepit, ut nisi infra aliquot dies detur ei auxilium, se daturam Ecclesiæ; velletque, si posset, prædictus Dux Calabriæ cum gentibus suis illi succurrere; sed obstat, quod transire non potest; & multi ex peditibus ejus transfugæ ad Urbem venerunt semimortui. Interea dum pacta & capitula vigerent, quæ gesta erant inter Sanctissimum Dominum nostrum, & dictam Isabellam uxorem Virginii Ursini de non offendendo per quindecim dies, & dum inter eam, & Populum Romanum simul, & Tiburtinum induciæ trium mensium tractabantur, Dominus Prosper de Columna cum gentibus suis contulit se ad Castra Sancti Gregorii & Sancti Angeli, & illa duo Castra deprædatus est, cepitque multas turmas rusticorum secure metentium, & ibi laborantium. Post quæ bellum intulit muris dicti Castri Sancti Angeli, ibique tres feminas, & duos homines interfecit, & etiam nonnulli de suis fuerunt vulnerati. Captivos autem duxit ad Castrum Ciciliani. Quod quum alii rustici dictorum Castrorum audivissent, acceptis armis contra Tiburtinos similiter in campis securos metentes, & laborantes irruerunt, dicentes se fuisse proditos per eos, & sub eorum, & summi Pontificis salvo conductu fuisse deprædatos, in qua rixa hinc inde infiniti capti, & vulnerati fuerunt. Domina Isabella prædicta tres Tiburtinos Legatos pro dicta securitate componenda penes eam existentes sustinuit, & eos non redire permisit; nec profuit eis ostendere salvum conductum, subscriptum manu Cardinalis Columnensis. Et illis diebus tres nautæ, qui cum tribus naviculis vinum ad Urbem portaverant, & vendiderant, capti, & in Castro Sancti Angeli mancipati fuerunt; fuitque oppositum, eos velle in recessu dictas tres naves Duci Calabriæ accommodare, ut per eos constructo ponte per Tiberim in Latium descenderet. Et hujus etiam timore in faucibus Tiberinis constitutum fuit unum, quod vulgariter dicitur *Bastione*, ne in Tiberim intrarent naves, vel galeæ Regis Ferdinandi, dictumque Ducem in Latium retroducerent; fueruntque multi homines, & bombardæ ad custodiam appositæ, & catena turris Ostiæ tirata, & tensa fuit ad eumdem finem, ita quod neque intrare in Tiberim, neque exire cuiquam licebat. Interea Reverendissimus Dominus Cardinalis Ascanius multis vicibus Calabriæ Duci comestibilia donabat, & ut fertur, etiam de licentia Papæ, & dona erant hujusmodi, videlicet unam rhedam seu currum panis, unam salmam bonam vini, & aliam carnium salitarum & aliam pomorum seu melangolorum; & gentes hinc inde quiescebant, adeo ut non alias viderentur inimici: ex quo per nonnullos existimatum fuit, infra aliquot dies ad pacem venturos, & inter se tunc pacem tractantes. Eodem mense Junii in die Sancti Johannis Baptistæ inter vigesimam & vigesimam secundam horam orta fuit discordia inter domesticos Cardinalis Vicecancellari, & Armigeros existentes ad custodiam Palatii Papæ, quæ ex parva re initium sumsit, factum est prœlium ante Palatium ipsius Vicecancellarii, in quo tamen tres de ejus domo interfecti fuerunt, dictumque prœlium extinctum fuit incontinenti. Die vigesima octava ejusdem mensis in campo Ducis Calabriæ, in partibus Transtiberinis existente prope Porcaricciam, ignis exortus est, qui subita vi ventorum ductus, tentoria custodum Ducis prædicti, & aliorum multorum militum in cinerem convertit. Itaque fertur inter equos & bona quatuor millia Ducatorum combusta fuisse; cujus origo fuit quidam Hispanus, qui carnes assabat prope sepem quamdam, propter quod non multo post Dux cum gentibus prædictis inde recessit. Eodem die prodimentum in Ostia per ejus Castellanum machinatum detectum est, qui intendebat, ut tunc dictum fuit, locum Ostiæ cum omni supellectile Duci Calabriæ dare, vel tradere. Et hic quidam Januensis fuit nomine . . . . . . Die penultima dicti mensis, videlicet in die Sancti Petri & Pauli, Romam ligatus venit, & in Castrum Sancti Angeli missus est. Eadem die affirmatum est, in Aquilana Civitate multos fuisse interfectos, & quidem de Ecclesiasticis: quod vario modo recitatum fuit. Nam quidam dixerunt, quum Aquilani una cum aliis obsedissent quoddam Castrum Civitatis Ducalis, exeuntes postea obsessos, multos ex Ecclesiasticis oppressisse. Demum alii dixerunt, Comitem Montorii, qui sub Rege Ferdinando militabat, prius ab eo captum & carceratum, cujus caussâ Aquilani se Ecclesiæ reddidere, in Aquilam intrasse, statimque cum suis ad libertatem proclamasse. Contradicente verò Archidiacono, qui ibi pro Ecclesia erat, nonnullos ex Ecclesiasticis oppressere; & tamdem rejectis Regalibus, Ecclesia cum Archidiacono obtinuit, ad quam incontinenti Papa Legatum misit Episcopum quemdam. Et res ita successit; nam quum Aquilani essent castrametati apud Civitatem Ducalem, dicto Archidiacono bombarda mortuo, hortatu Comitis Montorii ad Civitatem reversi sunt, ubi cadaver magnis clamoribus honoratum fuit, & ex tanto tumultu in Populo accesserunt ad domum Comitis, qui prius fuerat captus à Rege, & demum dimissis multis pollicitationibus, ac novissime Populi persuasu contra Regem arma ceperat, non tamen se multum inimicum ostendens, & ibi petierunt dari sibi quatuor Consiliarios dicti Comitis; & quum reversi essent, tamdem domo vi accepta, duobus ex illis interfectis, & per fenestras extractis & projectis, una cum duobus aliis, & Notario quodam abierunt. Comes autem accepta omni substantia, quam ibi habebat, & cum omni familia ex Aquila recessit, ac ad Castrum generi sui fortissimum, qui cum Rege militabat, accessit, non sine magno timore & suspicione Aquilanorum. Interea multum de pace speratum fuit, potissime quum aliqua ex his viderentur. Offensæ hinc inde nullæ inter milites fiebant. Missus à Rege Hispaniæ hac lege, ut Urbem non intraret, nisi pace firmata; Palatium Apostolicum intravit Comes

mes

nes Petilianus secreto modo, & credo Papa inscio, & in Turri Cardinalis Sancti Angeli, quam in monte Pincio construxit, moram traxit per aliquot dies. Cui Cardinalis Ascanius, & Cardinalis Sancti Angeli secreto modo duobus dumtaxat famulis comitati per spatium magnum fortè horarum quinque quasi omni die locuti sunt, ex quo omnes firmiter intelligere possunt, Papam nostrum ab omnibus deceptum fuisse. (*)

Deinde die secunda Julii Dux Calabriæ cum omni suo exercitu à patribus Transtiberinis in Insulam tranato Tiberi se convertit, confectis quibusdam naviculis apud Castrum Flaviani, moxque Castrum Montis Rotundi, quod Cardinalis Ursinus pro Ecclesia tenere fatebatur, cepit. Cardinalem ipsum carceratum retinuisse fertur hoc modo. Nam incontinenti Comes Pitiliani, Orgatinus Ursinus, & alii de Ursinorum genere, qui contra Ecclesiam militabant, iverunt ad dictum Castrum, quibus sine contradictione concessum est. Quod audiens postea Cardinalis, una cum Populo Dominos ipsos cum gentibus, quæ cum eo erant ejecerunt. Demum Domini prædicti expulsi magna, ut fertur, vi Castrum & Cardinalem ceperunt. Sed in hoc omnium judicio fallacia, machinatio, prodimentum, seu dolus fuit: quod ostenditur ex eo solo, quod paulo ante Cardinalis ipse Nicolaum Tolentinum cum gentibus ejus & squadris non minus quatuordecim pro tuitione illius loci non admiserit, immo expulerit. O facinus indignum! o Papa deceptus! o Papa defraudatus, & irrisus! quid magis bello insistis! Quum neque fides, neque pecunia tibi magna superfit. Pecuniæ quidem nullæ sunt. Fideles tui minus. Quid Civium tuorum subditorum ultimum exterminium tanto rubore expectas? Da pacem, da pacem subditis tuis, postquam de inimicis tuis aliter vindictam sumere non vales, & noli deteriora exspectare. Tertiadecima die Julii Abbas Sancti Pauli captus est, & in Castro Sancti Angeli carceratus, & tortus permanet, eo quod in fraudem Papæ & Ecclesiæ, Terras, & Castra præfato Monasterio subjecta, Duci Calabriæ, Ursinis, & aliis inimicis tradidit, fingens se ab eis superatum, & expulsum fuisse. Quum verò ita se inimici in dictis Castris recepissent, statim incursiones & prædas in Romanos usque ad Pontes fecere, ibique multa genera animalium, bubalorum, boum, equarum, & aliorum generum Civium Romanorum in ditionem eorum perduxerunt. Die decima septima ejusdem mensis Petrus Palatii de Sabatariis Civis Romanus quum staret in area sua in partibus Insulæ ad triturandum, supervenit frater carnalis Ursini ex latere materno, una cum vigintiquinque equitibus causa deprædandi dictam aream. Qui Petrus cum sociis dedit se ad defensam, & tamdem cepit dictum fratrem Pauli Ursini una cum quatuor aliis, quos omnes ligatis manibus post terga ad Capitolium duxit parva manu. Die decima nona ejusdem mensis dictum est in Urbe, acriter pugnatum esse apud Sanctum Severinum; ita quod Terra ipsa ab hostibus capta est, idest ab hominibus Regis, & in dicto bello multos mortuos fuisse, & potissime Dominum Augustinum Campi Fregosi, & ex adverso Ducem Capuæ filium Ducis Calabriæ lethaliter vulneratum esse, &

A quod Gentes Ecclesiæ habuerunt deteriorem partem. Die vigesima sexta Julii Dominus Prosper Columna cum suis cohortibus accessit ad Castellum, quod dicitur Sancti Angeli supra Tibur versus Cecilianum, ibique movit bellum, ubi cum gentibus suis jam ingressus erat. Postea vero detexerunt se nonnulli, qui ibi latebant, & præsciverant dictam obsidionem, & de Vicovaro venerant, certificantibus eos quibusdam Tiburtinis, qui sub dicto Prospero militabant, & de quibus dictus Prosper maxime confidebat. Qui, tamdem Dominum Prosperum cum aliis, qui jam dictum Castrum intraverant, expulerunt, ubi cædes maxima facta fuit; & aliqui hinc inde vulnerati, & mortui; inter quos fuit Oddo Varii

B de Genazzano, & ut fertur dictus Dominus Prosper deteriorem partem habuit. Eodem die Dux Calabriæ per quemdam suum tibicinem notificavit Conservatoribus Urbis, qualiter proclamari per se emissum in Campo, ut omnes salvi conducti, qui per se, Virginiumque, & quoscumque alios facti erant Romanis, ex tunc in posterum intelligerentur revocati, quamvis illis non obstantibus aliquibus diebus superioribus dicti Cives à militibus dicti Ducis deprædati fuissent. Item & quod omnes de Campo, qui habebant captivos, quibus imposita erat pecunia solvenda, incontinenti deberent illos cogere ad solvendum; & qui non essent solvendo, ducerentur ad eum, & ipse emebat eos quatuor Ducatis pro quolibet, causa mittendi eos in Galeris. Item & quod ab inde in

C posterum præfati Cives non sperarent ab eo pacem, ex eo quod, ut dicebat, se pluries illam obtulisse, etiam cum vilipendio, & gravi detrimento ipsius, & totius Ligæ, & confœderationis, & non potuisse eam consequi ex defectu Pontificis, & se fuisse pluries illusos, & irrisos ab eo, & quod de cetero caverent & providerent factis eorum, & quod intendebat facere asperiorem & duriorem guerram, quam hactenus fecisset. Quæ omnia intellecta fuerunt à Dominis Conservatoribus, non aliter de rebus Civitatis providentibus.

Die vigesimaoctava ejusdem mensis Dominus Fabricius & Antonellus Sabelli bellantes circa Comitatum Taliacotii, in prœlio ceperunt Do-

D minum Paulum Vitellium filium Domini Jacobi una cum octoginta equitibus, & hoc apud Burgum Cæsarium in dicto Comitatu, ubi acriter pugnatum est per aliquod tempus; & ex gentibus dicti Domini Fabricii, & inimicorum multi interfecti fuerunt, & potissime ex gentibus dicti Domini Fabricii tres nobiles viri, duo Contestabiles, & alius vir fortissimus, ibi cecidit, & parum defuit, quod filius Virginii non esset captus in dicto Campo. Additus est cohortibus Ecclesiæ quidam Dominus Protonotarius Torello cum centum militibus armatis, & aptissimis ad militiam una cum viginti quinque ballistrariis equitibus, speraturque in dies multas cohortes ex Ro-

E mandiola venturas in auxilium Ecclesiæ; quapropter dictum est, Papam nolle pacem cum dictis inimicis componere, stante potissimum spe adventus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula cum multis Galeris armatis, & infinitis pecuniis. Demum Cardinalis Sancti Angeli quarta die Augusti cum paucis ex suis circa mediam noctem per flumen Tiberis in navicula quadam ad Campum Du-

(*) Ex his, quæ fatetur ipse Infessura, arguet Lector, num illi credendum sit, cùm sparsim in Historia Innocentii ipsum auctorem faciat omnium delictorum, & rapinarum, quæ in Urbe fiebant. Plus æquo indulsisse hunc Pontificem propinquis suis, testantur illius ævi Scriptores, sed quamplura injustè avaréque patrata fuisse à Ministris, domesticisque Pontificia auctoritate abutentibus, dubitandum non est, cùm Nauclerus (Generat. 50. ad annum 1484.) disertè de Innocentio affirmet, *fuit constantissimus justitiæ cultor, & pacis amantissimus*, ejusque virtutes eximias laudare prosequatur. Vide Coquæum plura alia testimonia afferentem tom. 2. Anti-Mornæi pag. 303.

Ducis Calabriæ ad Montem Rotundum usque navigavit, ibique dicitur locutum fuisse cum gentibus & Dominis dictæ Ligæ; deinde nocte sequenti similiter secreto modo ad Urbem reversus est, & allocutus Pontificem. Rursus nocte sexta per dictam naviculam ad dictum locum accessit. Quid tamen ibi actum fuerit nescitur; sperabatur tamen eum de pace tractaturum, ex quo semper ipse de pace tractavit; sed hanc spem abstulit dies septima dicti mensis, in qua Papa exbursavit multa millia Ducatorum militibus suis pro futuris temporibus: quod signum est futuri belli magis quàm pacis. Interim tamen milites tam amici quam inimici, à prædis & à rapinis rerum Civium Romanorum non desistebant. Æstimatio autem rei frumentariæ in dies excrescebat, nec dictis temporibus prœlium aliquod inter amicos & inimicos umquam auditum fuit; sed res sic quietæ stabant. Die undecima Augusti Cardinalis Sancti Angeli una cum Cardinali Ascanio, & una cum Domino Jacobo de Trivultio, qui primus est, qui vicem gerat pro gentibus Mediolani Ducis, & qui per aliquot dies stetit in domo Cardinalis Sancti Angeli suis expensis in Turre, & Monte Pincio, summo mane accesserunt ad Palatium Papæ, cum quo septem horis continuis, ut fertur, tractarunt, & limitaverunt capitula futuræ pacis. Demum cum jam esset hora vigesima, in eodem Palatio cum Pontifice comederunt, & redeuntes tamdem ad idem negotium usque ad tertiam horam noctis permanserunt. Mane deinde sequenti duodecima dicti mensis Augusti dictum est in Urbe Papam fuisse compositum, ac pacem conclusam infrascriptis capitulis. Quod Rex Ferdinandus respondeat Censum debitum Ecclesiæ pro consueto. Secundo quod Barones, qui se Ecclesiæ dederunt, respondeant Censum Ecclesiæ, & quod id quod solvunt, computetur de eo, quod solvere tenebatur Rex, quando Regnum possidebat, & quod deinceps ipsi Barones recognoscant Papam, & Ecclesiam in Superiorem immediate. Tertio quod Episcopatus, & beneficia Regni Neapolis distribuantur per Papam. Quarto quod Civitas Aquilæ stet in libertate sua; si vult esse Papæ, sit; alioquin si vult esse Regis, sit. Quinto quod Dux Renatus, & Francigenæ volentes venire contra Regem, non possint impediri à subditis Ecclesiæ. Immo Papa, & ejus Terræ possint dare ei passum & victualia. Sexto quod Virginius Ursinus veniat ad misericordiam Papæ cum pedibus nudis, & corrigia in gula, & capite nudo & genuflexus petat veniam amore Dei à Pontifice. Septimo quod Cardinalis, & ceteri Ursini stent & subjaceant arbitrio Pontificis, utrum, & quantam pœnam mereantur; & quod Terræ hinc inde captæ, & earum restitutio reposita sit in pectore Regis Hispaniarum. Sed de his conditionibus pacis nihil aliud visum fuit, nisi quod Ursini steterunt in domibus eorum, & Dominus Robertus cessit, & pax non sequitur. Quæ quum sic agerentur in Palatio, dicta undecima die tumultus factus est in Urbe, & clamatum, & dictum, Monasterium Sancti Pauli datum esse in prædam; ad quod tantus concursus Populi fuit, ut similis videretur ludo Testacii. Et tamdem nihil fuit, eo quod Conservatores incontinenti, Vicecamerarius, & Episcopus Cosentiæ unacum militibus & peditibus Ecclesiæ ad sedandam discordiam confestim accesserunt, dictamque rixam extinxerunt; cujus origo hæc fuit. Nam quidam Hispani, Ecclesiæ stipendiarii pedites, furto acceperunt quosdam equos dicti Conventus existentes juxta muros dicti Conventus, contra quos incontinenti exierunt Monachi cum aliquibus custodibus, quos penes se retinuerunt, illis acriter verberatis; qui se defendentes, Monachos prædictos & custodes usque in Monasterium fugaverunt: qua de causa orta fuit fama inter circumstantes, quod Monasterium illud deprædabatur per satellites seu stipendiarios Ecclesiæ, ex quo dicti Hispani cum Ecclesia erant. Quæ fama incontinenti extensa fuit per totam Urbem, ex quo omnes fere undique cum saxis, & armis ad adjuvandum accesserunt; sed res, ut dixi, incontinenti extincta fuit. Die quartadecima ejusdem mensis Cardinales omnes accesserunt ad Palatium orto jam sole causa faciendi commemorationem & anniversaria Xisti, & audiendi Missam una cum Pontifice; & quum intrassent ad Papam causa perscrutandi, & sciendi conditiones Pacis, diu ibi permanentes nihil egerunt, quia, ut fertur, nullum verbum habuerunt a Pontifice, nisi quod Pax composita erat: propter quod multi Cardinales irati & inflati ex dicto loco exiverunt, adeo quod illa die cæremoniæ paratæ pro Xisto celebratæ minime fuerunt.

Eadem die tumultus factus est in Urbe apud Ecclesiam Sancti Benedicti prope Plateam Judæorum, in quo interfectus fuit ab Eustachio dalla Valle Sabashotio de Capo di ferro, ut dicitur, qui erat cognatus Domini Georgii de Santa Cruce, & ut aliqui ferunt, quoniam filius ejus Virginius auxilium & præsentiam præstitit his, qui interfecerunt Dominum Paulum de Valle dicti Statii fratrem. Et ne deficerent in Urbe angustiæ, & tribulationes, die quinta decima sequenti in die Sanctæ Mariæ de sero filius Riccardi Sanguigni interfectus fuit in domo cujusdam meretriculæ dictæ la Grechetta, retro Ecclesiam Sancti Augustini una cum tribus aliis Francigenis; & causa occisionis hoc modo processit. Nam cum dictus Bernardus accessisset una cum quibusdam armatis consociis ad domum dictæ meretriculæ, ingressus ostium invenit ibi duos Francigenas, qui statim eo ingresso ostia seu portas incontinenti clauserunt. Et cum dictus juvenis interrogasset caussam, quare ita clauserunt, vel forte, ut aliqui credunt, verba aliqua cum illis haberet, absque tamen pluriloquio, unus ex his quodam ferro hastato pectus illius juvenis perfodit, fecitque eum incontinenti mortuum in terram cadere. Socii vero illius occisi, qui associaverant eum, audientes tumultum, ostium prædictum violenter aperuerunt quia foris expectabant, & cum vidissent prænominatum juvenem mortuum jacere, confestim irruentes contra dictos interfectores, duos ex illis perfossis pectoribus incontinenti mortuos reddiderunt. Alium vero fugientem ac dictam meretriculam non aliter insectati sunt, nisi quod igne imposito totam illam domum una cum illo fugiente combusserunt. Meretrix autem ab eo evasit, quia venientibus flammis, & solario combusto, & ad terram cadente, in quadam fenestra partim intus, & partim foris sedendo, salutem sibi quæsivit. Quod quum audivissent familiares Cardinalis Abalii, suos socios inclusos interfici, & comburi, acceptis armis in eorum auxilium processerunt. Invaseruntque prænominatos juvenes, & socios, cum quibus aliquantulum bellatum fuit. Sed post

in fugam conversi fuerunt dicti Francigenæ, adeò quod ex eis plusquam quadraginta vulnerati extiterunt; & sic ultra præfatos vulneratos quatuor ibi mortui fuerunt, Bernardus Sanguineus, duo ex dictis Francigenis interfectores, qui ferro perierunt, & alius, qui combustus est. Nunc videamus pejora. Sunt qui dicunt casum ita intervenisse. Quum quidam juvenis consocius dicti Bernardi accessisset ad domum dictæ meretriculæ causa dormiendi cum ea, ajunt, dictam mulierem dixisse ei: *Vade, quia non potes dormire mecum hac nocte, eo quod talis est mecum*, loquendo de illo Francigena. Et quum ille non esset quietus, velletque omnino dicto Francigena exclusa permanere, fuit tamdem inde expulsus. Qui postea accessit ad dictum Bernardum, quem duxit armatum caussa rapiendi illam meretriculam, & ducendi eam ad domum suam. Et quum dictus Bernardus prius ascendisset, dixissetque meretrici: *veni nobiscum*: illa renuente præfatus Francigena accepta partisana ferrea eum perfodit, & statim cecidit. Ille verò principalis socius traxit ejus corpus per scalas usque ad viam, in qua incontinenti mortuus fuit, & cum aliis sociis bellantibus cum his, qui eum interfecerant, ille principalis cucurrit ad domum Stephani Francisci de Crescentiis, & nunciavit ei mortem Bernardi, ex qua domo exierunt plusquam quadraginta juvenes armati, & euntes ad locum invenerunt Barisellum, qui ceperat duos ex illis Francigenis, qui stabant in dicta domo, & extrahentes illos de manibus Curiæ, quæ ultro quasi obtulit, incontinenti eos interfecerunt; & deinde accedendo ad domum dictam, ignem imposuerunt, & redeuntes ad domum cum cadavere Bernardi, obviam iverunt dictæ meretriculæ, quæ associabatur à quodam alio, qui in dicta domo fuerat, quem incontinenti interfecerunt, & meretriculam ad domum præfati Stephani, & deinde ad Capitolium duxerunt. Et ne undique deficerent angustiæ, dictum, & affirmatum fuit in Urbe, Regem Ferdinandum cepisse, ac captos retinere hos quatuor, videlicet Dominum Anellum ejus in Urbe Ambasciatorem, Dominum Franciscum de Averso ejus Secretarium, Franciscum Copoli, & Dominum Petrum Paulum Catalanum, qui principales fuerant apud eum. Et caussa ejus rei fuit, quod dicitur ipsos fuisse caussam tantæ discordiæ & rebellionis cum Baronibus ejus Regni; nec præmissis fuisse contentum Regem, sed imo eorum omnia bona, quæ ad multa millia Ducatorum ascendunt, abstulisse, & aliquos eorum postea decapitasse. Et quamvis de Pace prædicta habita esset fides per os Pontificis, qui dixit pluries Conservatoribus, & aliis, pacem prædictam fuisse compositam, & licentiatus esset Dominus Robertus Sancti Severini cum gentibus suis, non propterea destiterunt Ursinæ gentes deprædari, & occidere gentes Columnensium, nec Dominus Prosper Columna incitatus vicissitudinem reddere præfatis Ursinis. Adeo quod vigesima quarta Augusti in Vigilia Sancti Bartholomæi quum Papa misisset quemdam Dominum Paulum Commissarium suum ad Civitatem Tiburtinam cum brevi & præcepto, ut offensæ levarentur, & de cetero nec ipsi Tiburtini Ursinos offenderent, nec è contra offenderentur: nuntians eis pacem præfatus Dominus Paulus Commissarius Papæ, à gentibus Ursinis interfectus, ac spoliatus & nudus relictus est; & modus fuit iste. Nam quum dictus Dominus Commissarius accessisset ad dictam Civitatem, mane summo jussit non aperiri portas, ne quis exiret; & coadunato consilio ostendit breve Papæ, quo pax continebatur, mandavitque eis, ne de cetero Ursinos prædictos offenderent. Et quum ibi permaneret Franciscus de Valle, is quodam modo Tibur exivit cum quibusdam equitibus, cui insidiæ per præfatos Ursinos ex Oppido Castelli factæ erant, & quum prœlium per aliquod tempus gessissent, in Tibure acclamatum fuit ad arma, & nunciato qualiter gentes Ursinorum cum dicto Francisco certabant, accurrerunt Tiburtini, & una cum illis Commissarius, qui quum venisset ad prœlium, statim cucurrit ad hostes, ostendens breve, & dicens pluries: *pacem habetis, pacem nuntio vobis*. Et illi non attendentes ad breve, sive ad pacem aliter, præfatum Commissarium obviam euntem interfecerunt, & ita ut supra dirobaverunt in loco extra Tibur versùs Cicilianum, qui dicitur *gli Archi*, ubi erant aquæductus. Propter ejus mortem incontinenti Tiburtini una cum dicto Francisco dalla Valle irruentes in eos, fugaverunt usque ad dictum Castrum, & aliquos ex his interfecerunt, & infinitos quodammodo vulneratos reliquerunt.

Deinde mense Septembris tumultus magnus factus est in Civitate Aquilana, ubi tamdem Archidiaconus, qui pro Papa, & libertate Aquilana stabat, interfectus fuit, intravitque Comes Montorii cum gentibus suis & Regis; & Ecclesiastici aut cæsi, aut expulsi fuerunt. Et quamvis multi multa dixerint de Papa Innocentio, qui dictam pacem fecerat in aliquod dedecus Ecclesiæ, attamen revera in aliquo accusari, aut reprehendi non potest, immo laudandus est ab omnibus, eo quod ad instar Domini nostri Jesu Christi, qui voluit in persona sua acerrimas pati injurias pro salute Populi sui, fecit. Nam posito quod dicta pax fuerit cum detrimento Ecclesiæ & suo vilipendio, tamen ipse potius Ecclesiam Dei, cujus ipse caput est, voluit injuriam pati, quàm videre mortem & exterminium Populi sui, & bonum, quod ex ea pace est secutum, ostendit; nam incontinenti in Urbe abundantia omnium rerum rediit, & justitia, quæ diu exulaverat, rediit. Ipse verò Innocentius circa Civitatem Romanam, & ejus salutem incumbens, incontinenti Bullas Pii, Pauli, & Xisti de brigis, & inimicitiis, & de homicidiis, & malefactoribus loquentes excitavit, & misit bis & ter proclama per Urbem, ut homicidæ, & facinorosi homines ab Urbe discederent, imposuitque pœnam pecuniariam gravissimam ultra illam anathematis Baronibus, qui in eorum locis, & Castris proximis per quinquaginta milliaria Romæ, vel Terris Ecclesiæ, retinerent. Ipse autem Pontifex interea pacem inter Cives componere conatus est; nam factis Paceriis, omne genus pœnarum indixit inimicatis, qui in præfatos compromissum de pace facienda non facerent; aptavitque etiam ipsemet multa negotia, & inter alia brigam Stephani Margani, Prosperi, & Georgii de Santa Cruce, Magistri Philippi Francisci, qui sunt de primatibus Urbis, ad pacem certo modo reduxit: propter quod fuit Sanctitas sua maximopere laudata, potissime cum justitia ipsa per suam

suam Sanctitatem promissa in principio assumtionis ad Pontificatum, & per dictas guerras disturbata, in Urbe & extra observata fuit. Post quæ quum adhuc contentio aliqua inter Ursinos & Columnenses restaret de & super restitutione Comitatuum, & quorumdam Castrorum, dictique Ursini, & Dux Calabriæ ivissent ad capiendum Comitatum, nemine cogente inter eos pax & concordia inita est: quod ex præfato Pontifice venisse omnes existimaverunt. Et istis temporibus facta fuit confœderatio inter Ecclesiam & Venetos cum quibusdam capitulis, ut tenerentur Veneti præbere auxilium Ecclesiæ, quando opus esset. Interea quidam Buccolinus privatus Civis de Osimo in Picœno contra Ecclesiam insurrexit, subtraxitque dictam Civitatem Osimi Ecclesiæ, & ipsam fossatis fortificavit & muris, & quosdam Cives decapitavit, & quosdam jussit exulare; fuitque dictum in Urbe, intelligentiam habuisse cum Turca, qui promisit ei per totum mensem Maji 1487. mittere in auxilium ejus multa millia Turcarum, quos numquam misit. Sed tantum est, quod Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, & Protonotarius Angeli cum multis millibus militum Ecclesiæ in obsidione dicti loci diu steterunt.

Post quæ de eodem Anno 1487. mense Junii die 20. vel circa nova facta est in Urbe, qualiter Florentini, & eorum Dux ceperunt violenter à Januensibus Civitatem Sarzanæ. Eodem tempore fertur, Ducem Austriæ cum multis Theotonicis venisse, & insurrexisse contra Venetos in partibus Trenti, & Veronæ, & cucurrisse usque ad Veronam, & magno cum impetu nonnulla loca Venetorum fortissima cum magna strage cepisse ac tenere, bellumque maximum inter eos esse. Eodem tempore quum jam temporibus retro elapsis inimicitia esset maxima inter Romanum Pontificem & Ursinos, ut supra legi potest, de eo quod dicti Ursini, potissime Virginius, Paulus, & reliqui contra Innocentium egerunt, modò autem inter eos concordia maxima facta est, & ipsius causa allegatur fuisse quidam Franciscchettus, vir quidem statura pusillus, filius dicti Innocentii, qui cepit in uxorem filiam Laurentii de Medicis, & neptem dicti Domini Virginii. Propter quod tanta fuit inter eos concordia, ut permiserit idem Innocentius auferri à dicto Franciscchetto, & dicto Virginio Ursino dari duo Castra, videlicet Cerveteris, & Monterani, quæ incontinenti venerunt in ejus dominium de dicto mense Junii. Et quod pejus est permissu dicti Pontificis itum est in obsidium contra Dominum Anguillariæ, eo quod dum esset bellum & discordia inter Ecclesiam & Ursinos, Dominus dicti Castri multa fecit pro Ecclesia contra Brachianos, & Ursinos. Volens igitur dictus Virginius de præmissis ulcisci, sata & frumenta dicti Castri Anguillariæ deprædavit; sed fertur postea se commendasse Pontifici: propter quod prædicta obsessio remota est; non tamen ablata restituta fuerunt, passusque fuit Dominus Papa per aliqua tempora dictum Dominum deprædari. Eodem tempore Romam Dux Ferrariæ profectus est, & ut fertur, ex voto, & Indulgentiæ caussa, stetitque cum comitiva sua in Palatio Sancti Petri; & quum lustraret ea quæ in Civitate sunt, & inter alia cuperet videre Castrum Sancti Angeli, Innocentius mandavit præfati Castri Castellano, ut præpararet se, quoniam ipsi intendebant videre dictum Castrum. Cui dictus Castellanus fertur dixisse, se non habere in mandatis posse Sanctitati suæ illud ostendere, sed si vellet illud videre, veniret ipse, & præfatus Dux solum cum quatuor Capellanis, & non cum pluribus, asserendo ita habuisse in mandatis à Cardinale Sancti Petri ad Vincula, cui & etiam Collegio dictum Castrum retinebat; & sic noluit permittere illum intrare. Et post paucos dies Papa misit pro dicto Castellano. At ille dixit, consuetudinem Castellanorum esse non recedere ab Arce data in custodia. Tamdem quum propter hoc essent inter eos altercationes, de dicto mense Junii die verò vigesima sexta Papa cum quatuor vel circa sociis accessit ad dictum Castrum, fuitque ei apertum; & quum intrasset, vidissetque ibi custodes, & pedites armatos existentes, ipsemet cepit per brachium Castellanum, dixitque ei: *Veni mecum*; aliisque omnibus videntibus traxit de dicto Castro, & secum captum duxit ad Palatium, & ipsum coëgit dare signa, & reconsignare dictum Castrum, quod dicta die accepit, posuitque ibi Castellanum Archiepiscopum Beneventanum filium fratris, qui nomine suo illud tenuit. Nocte sequenti Princeps Salerni, qui erat in Urbe, de nocte aufugit. Filium suum & uxorem dicitur fuisse captam à Rege Ferdinando. Sunt qui dicunt, dictum Papam misisse pro dicto Castellano, eo quod volebat ei dare stipendium, & quum venisset, retinuit eum; & similiter statim post cepit Arcem Civitatis Vetulæ, & Terracinæ. Ubi erant consanguinei dicti Cardinalis, quibus expulsis Papa misit alios Castellanos. Post quæ penultima die dicti mensis in festo Sanctorum Petri & Pauli pluit in Civitate Tagliacotii & Celani, & in certis Oppidis sanguis rubeus, vel aqua in modum sanguinis. Hoc habitum fuit ex relatu plurium fide dignorum hominum, & etiam multi de illis locis scripserunt ad amicos hic in Urbe, & aliqui lapides sanguinolenti portati sunt de illis locis ad Urbem, ostensique sunt multis, adeo quod hoc ab omnibus, nemine contradicente, affirmatum fuerit. Sic & aliàs tempore Papæ Johannis Undecimi fons sanguinis apparuit apud Civitatem Januæ, & fuerunt multæ calamitates in Italia, ut legitur in Platina tempore dicti Johannis Papæ Undecimi. Eodem festo Junii Sanctorum Petri & Pauli tumultus factus est in Urbe, eo quod Senator Hieronymus Salernus Veronensis Commissarius Papæ in quodam carcere misisset quemdam mercatorem, retinuissetque ejus equum in stabulo, Cardinalis Sancti Georgii Camerarius misit pro equo prædicto, quem quum noluisset ei dare, quia volebat dimittere ipsum una cum equo, data, pro ut obtulerat, satisfactione, hoc tanta cum indignatione tulit prædictus Cardinalis, quod die sequenti quum accederet dictus Cardinalis ad Palatium, & Senator prædictus esset in media via ante domum Cardinalis Portuensis, ejus familia invasit dictum Senatorem, duosque equos prostratis sessoribus vi acceperit. Quumque Senator hoc Papæ narrasset, Camerarius finxit se ignorare. Papa promisit providere, sed nulla provisio facta est, ac si prædicta nescisset.

Quinta die mensis Julii affirmatum fuit in Urbe, Regem Ferdinandum contra conditiones

nes & promissa facta cum Pontifice nostro cepisse & carcerasse Comitem Pitiliani, & Ducem Melphi Barones suos, quos in conditionibus pacis promiserat non offendere, nec aliter molestare, & censum quem in festo Sancti Petri solvere promiserat non solvit: propter quod Papa misit ad eum Episcopum Cæsenatensem pro his duobus. Et dicto mense Florentini auxilio Regis Ferdinandi, ut fertur, ceperunt Civitatem Sarzanæ. Eodem mense Julii circa principium ultramontani Theotonici, & ut fertur, cum licentia Imperatoris conjecerunt bellum cum Venetis circa Civitatem Feltrensem, miscueruntque manus cum gentibus Venetorum, & illos, & eorum acies penitus destruxerunt, & vi ceperunt dictam Civitatem Feltrensem; & in dicto prœlio multos gladio interfecerunt, & captivarunt; & inter alios fertur plusquam octoginta viros auctoritatis de primoribus acierum dictorum Venetorum cepisse, de quibus, ut fertur, unum decoriaverunt vivum, coriumque suum super spatulam posuerunt, & dimiserunt eum, qui parum post mortuus fuit; alium quendam, qui contra datam fidem contra eos bellabat, laqueo suspenderunt, & filium Domini Roberti Capitanei Venetorum ceperunt, dictum *Antonio Maria*, abscisâ dexterâ, cum qua juraverat se non esse in contrarium eis, laqueo suspenderunt, omnesque eorum cohortes perierunt. Eodem mense Senenses exules intraverunt in Civitatem Senensem, ubi nisi unus decapitatus fuit. Post similiter dicto mense Dominus noster Innocentius traxit unam Bullam contra quosdam Judæos Hispanos, vel Hæreticos vulgariter dictos *Marani* Lingua Hispana, ubi electi fuerunt duo Cardinales Vicecancellarius, & Abalis, ad inquirendum contra eos, & dictum fuit, Regem Hispaniæ insequutum fuisse eos, & plusquam duo millia combussisse in Valentia, & Hispania; ideoque illinc ad Urbem venisse, & in Ecclesia Dei cepisse multa officia, pro ut vidi, aliquos Protonotarios, Scriptores, Janizzeros, & similia officia habentes, contra quos Papa non multum ferventer, uti res ipsa postulabat, processit. Eodem tempore Bucculinus Civis Auximanus rebellis Ecclesiæ, cum quo tantum pugnatum fuit, ut fertur, concordavit cum Ecclesia, ut ajunt. Hoc modo videlicet, quod Papa solveret ei septem millia Ducatorum, & quod emeret res suas immobiles existentes in dicto loco, & ipse inde recederet. Eodem mense Francischettus filius Papæ Innocentii, & Hieronymus Tuttavilla filius Domini Cardinalis de Roano, armati cum multis sociis noctis tempore accesserunt caussâ rapiendi quamdam juvenem uxorem Gulielmi in Campo Floræ, & filiam quondam Domini Jacobi Cuch uxorem, ut fertur, honestissimam, quod cum facto ibi aliquali tumultu res esset detecta cum ignominia inde recesserunt. Die IX. mensis Augusti Virginius Ursinus, Paulus, & alii de dicta familia intraverunt Urbem. Accepti sunt à Pontifice cum magna gratia & benevolentia, & habiti sunt in veneratione ab eo, quod omnibus visum fuit durum, attentâ inimicitiâ, quæ erat inter Pontificem & eos, ut supra videri potest. Die verò tertiadecima dicti mensis in sero captus & carceratus fuit in Castro Sancti Angeli Cancellarius Præfecti fratris Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, & confestim accesserunt ad ejus domum, quæ erat in Ecclesia Sancti Jacobi sub Monte Janiculo, & acceperunt omnes chartas & scripturas existentes in ejus domo, & portaverunt ad Palatium. Credo, quod suspicatur aliquid machinationis per Præfectum & Cardinalem præfatos fuisse factum contra Pontificem, vel quod Ursini inimici, & male sentientes de dicto Cardinali, & Præfecto ejus fratre, ex quo habent Pontificem pro se ipsis, velle aliquod mali inferre eorum inimicis, & ideo hanc caussam quæsivisse. Præter quam prædictus Cardinalis, qui in Ostia erat, confestim hoc audito, ad Urbem reversus est, & mane sequenti voluit equitare ad Palatium. Et quum exspectarent eum Episcopi, campanellâ pulsatâ, euntibus & redeuntibus nuntiis, tamdem ad dictum Palatium non accessit, timore forte ductus.

Deinde decimaoctava die ejusdem mensis Augusti nova dicti sunt in Urbe. Primo, quod quidam nuntius, qui steterat cum Comite Hieronymo, & fuerat amicus reconciliatus, interfecto Castellano, vi cepit Arcem, & Civitatem Forolivii. Sed hæc dicitur fecisse ad instantiam Comitissæ, quia voluit eam recipere in dicto Castro. Eadem die assertum fuit, Theotonicos iterum invasisse Venetos, & quasi quindecim millia ex eis interfecisse apud Trentum, inter quos Dominus Robertus Sancti Severini eorum Capitaneus occisus fuit una cum multis viris magni pretii. Item quod Maximilianus Franciæ Regis gentes superavit mirum in modum. Eadem die decimaoctava octo Marani capti & carcerati fuerunt. Vigesimaquinta die supradicti mensis Augusti Virginius recessit ab Urbe, & reversus fuit Episcopus Cæsenatensis, quem Papa miserat ad Regem Ferdinandum, & ajunt respondisse Pontifici ex parte Regis hoc modo, videlicet: Primo, quod numquam potuit alloqui Regem in domo sua; & quum captasset dictus Episcopus occasionem loquendi quadam die, qua paraverat ire venatum, posuit se juxta certum ostium, unde dictus Rex exiturus erat: quod quum sciret Rex jussit eum venire, & quum venisset dictus Ambasciator, dixit se brevibus verbis tria dicturum ex parte Pontificis. Et quum data esset ei facultas dicendi, ait primo, qualiter sanctissimus Dominus noster petebat ab eo censum promissum, & conventum in capitulis pacis; & quod mirabatur, quod de eo non satisfecisset in tempore debito. Cui respondit, debitum esse, & se debere respondere censum Ecclesiæ. Quod verbum quum pluries repetivisset, ait, se non habere pecuniam, immo se expendisse pro Ecclesia tot pecunias, quod non esset inconveniens, si Papa per quatuor annos futuros dictum censum remitteret. Et ita jussit referri Pontifici. Demum exposuit dictus Episcopus, qualiter Papa cum tota Curia mirabatur, quod ipse, qui est Dominus temporalis, haberet conferre Beneficia in Regno suo; & quod illa, quæ Papa contulisset, non acceptasset; & quod de cetero abstineret. Ad quod respondit, homines sui Regni esse sibi bene notos, & Pontifici & Curiæ incognitos, & propterea se velle dare Beneficia illis, quos cognoscebat esse dignos: & quod neque Papa neque Curia poterat ipsos melius quàm ille cognoscere; & ideo intendebat illos eligere, & quod contentabatur, quod Papa postea illos taliter electos confirmaret. Deinde dixit:

Veni

Veni ad aliud. Et Episcopus dixit, quod Papa mirabatur, quod contra capitula, & pro- A
missa cepisset Barones Regni, qui sub fide ipsius Pontificis remanserunt, & quod deberet ipsos relaxare. At ille incontinenti ait: Quando Cardinales Columna, & de Sabellis fecerunt, aut facere tentaverunt prodimentum Xisto prædecessore suo, Xistus fecit ipsos capi & carcerari, & castigavit eos. Et quando sibi placuit, eos postea dimisit: seque velle ita facere, & castigare dictos Barones, qui fecerant ei prodimentum; deinde quando sibi placuerit, eos dimittere. Et incontinenti processit ante Episcopum prædictum, & non exspectato alio mandavit sonari cornu, fugitque ante oculos dicti Episcopi, & ad dictam B
venationem se contulit ibi eo dimisso, putans Deum non posse sibi plus nocere. Die quindecima mensis Octobris 1487. fuit interfectus Laurentius de Castello à Paulo Vitellio, & Consortibus apud primam Portam. Ab isto tempore usque ad annum Domini 1488. nihil fuit actum dignum memoratu.

In Calendis autem Januarii dicti Millesimi Innocentius Papa VIII. egens pecuniâ creavit viginti sex Secretarios, qui haberent de omnibus & singulis officiis quarumcumque rerum & Terrarum Brevia scribere, extraxitque ab eis Ducatos sexaginta mille. Qui Secretarii quum primum in officium intrassent, curave- C
runt de omnibus & singulis officiis, etiam de his, de quibus numquam consueverant, Brevia fieri, solvi taxam, & extrahi dicta Brevia, taxaveruntque dicta officia, & certam quantitatem pecuniarum secundùm qualitatem dicti officii, videlicet duo millia & quingenta Ducatorum omnibus emere volentibus, impositæque fuerunt taxæ omnibus officiis quarumcumque Civitatum, & Terrarum subjectarum Ecclesiæ, & potissime officiis Urbis Romæ, etiam illis, quæ (*) ex tractâ, vel bussulâ crearentur: quod Cives ipsi hinc usque minime passi sunt usquequaque. Eodem Anno Domini 1488. mense Aprilis die septima in die Lunæ Paschatis Comes Hieronymus interfectus fuit à tribus suis stipendiariis in Foroli- D
vio, cunctusque Populus incontinenti vocavit Ecclesiam in Dominam; & à Duce Mediolani scriptum fuit Pontifici, ut se in dicta caussa non immisceret. Illi tres, qui Comitem inter fecerunt, fuerunt *Cecco dell' Orso* caput cohortis, *Ludovico Panzero* Comestabilis, & *Jacobus de Ronco*, stipendiarii omnes militantes sub ejus stipendio. Et potissima caussa fuit, eo quia male à dicto Comite tractabantur potissime quum stipendia pro præteritis servitiis eisdem non solverentur, & quum Comes repeteret ab eis certum debitum occasione & causa gabellarum, ipsique allegarent compensationem cum dicto stipendio, quam Comes ipse penitus denegavit, voluitque ab eis in- E
continenti solvi, & de eorum credito exspectari; ideo fertur, dictos tres conjurasse in eum; & quum fuisset dicta dies, tempore quo omnes de familia erant in prandio, recta via ad locum, ubi erat, videlicet in quadam camera sui Palatii, iverunt & ibi fingentes se velle cum eo loqui, interfecerunt eum & ipsum spoliatum per fenestras projecerunt in plateam, illumque per capillos quasi per totam Terram traxerunt vituperosissime magis quàm umquam auditum fuerit. Et sic Deus omnipotens vindictam ostendit de his, qui ab eo etiam innocentes male tractati fuerunt. Et incontinenti Populus totus occurrit, cepitque uxorem suam prægnantem, & filios; Arcem autem capere non potuit, quumque blandis verbis quærerent Arcem, uxor similiter pollicebatur, dixitque eis, ut dimitterent eam loqui cum Castellano, & quod interim tenerent filios in obsides, & promittebat incontinenti se daturam Arcem. Fuit credita res, & cum ivisset in Arcem, continuo se rebellavit, dixitque eis se non curare de filiis, quoniam unum habebat Imolæ, alium in corpore, qui essent ultores sceleris tanti. Post quæ una Porta certis munita turribus incontinenti Populo se dedit, qui misit ad Urbem nuntium ad Pontificem, & gratiose receptus est; promisitque eis auxilium, & in Ecclesiæ favorem Gubernator Cæsenæ intromisit se cum stipendiariis & hominibus Ecclesiæ, & cum bombardis & artellariis quæ erant in Cæsena. Deinde supervenientibus militibus Ducis Mediolani incontinenti intraverunt Forolivium, & ceperunt Gubernatorem, & alios suos consocios & ex illis sex decapitaverunt, & frustatim squartaverunt, inter quos fuit visus Petrus dictus Checco, homo quidem decrepitus; & quærentes habere socios existentes in Arce Cæsenæ, interim dictum Gubernatorem & alios retinuerunt. Innocentius vero, ut dicitur, contra datam fidem eos de cetero non adjuvit, immo, ita ut supra, lacerari permisit, ut fertur. Ita dimisit oves suas à lupis comedi, quemadmodum fecit de Aquilanis & Civitate Aquilæ à Rege Ferdinando. Sed fertur non ex alio pati voluisse hoc, quàm propter pacem, quam summopere dilexit. Interea quum discordia aliqua esset in agro Reatino inter dictam Civitatem, & quoddam Oppidum, vel inter duo Oppida ibi existentia, quorum unum ad Regem Ferdinandum pertinebat, aliud verò ad Ecclesiam, essetque in dicto agro Reatino & in Terra Ecclesiæ quædam turris, sive fortilitia in quodam passu, unde potuissent venire dictæ gentes Regis in solum Ecclesiæ: gentes Ducis Calabriæ, nescitur quo jure, aut quo colore, immo nulla caussa subsistente, præfatam turrim ceperunt, eamque funditus & à fundamentis prostraverunt, invito, ut credendum est, Pontifice, de quo post etiam verbum factum non fuit.

Post quæ circa primam mensis Maji 1488. venerunt nova de partibus Ultramontanis, qualiter Imperator Federicus Tertius cum multis militibus armatis obsedit Brugiam, ubi Maximilianus ejus filius detinebatur, & tamdem filium prædictum redemit cum pactis, videlicet, ut salva essent bona eorum, ac de personis nihil dictum est. Quo evaso post Imperator, ut dictum fuit, intendit decapitare circa majorem partem eorum, qui contra Maximilianum filium conjuraverant, aut qui illum ceperant. Anno Domini prædicto 1488. die verò secunda Junii in Urbe Roma hæc nova affirmata sunt. Primo quod gentes Ducis Calabriæ, videlicet nonnullæ squadræ armigerorum posuerunt se in agro Pontis Corvi supra Campaniam, nescitur tamen quo sint ituræ. Ad quem locum subito Papa misit sex Contestabiles de suis ad succurrendum Civitati illi cum provisione viginti Florenorum in Urbe currentium pro quolibet, & non plus; aliqui

(*) *Editio Eccardi*: quæ extracta fuerunt vel.

aliqui dicunt Ducatorum. Eodem die interfectus fuit Dominus Faventiæ in cubiculo suo, & continuo in Faventia reperti sunt stipendiarii Ducis Mediolani una cum Johanne Bentivolo de Bononia, & cum auxilio Raphaëlis Cardinalis Sancti Laurentii in Damaso Camerarii, & Nepotis quondam Comitis Hieronymi, & Comitissa uxor dicti quondam Comitis Hieronymi cum suis stipendiariis, deprædatæ sunt Civitates Ecclesiæ ibi circumstantes usque ad Portam Cæsenæ; sed non multum hoc affirmatum fuit. Eadem die Civitas Perusii novitatem fecit, eo quod Gubernator vendere volebat quasdam banditas Perusinorum, vulgariter dictas *le Chiane*, & à Perusinis prohibebatur, & cum commisisset banditori eidemque tubicini, ut illas publice in platea banniret, prohibitum à quibusdam fuit, ne illud faceret; & ad minas non advertens, à quodam Juvene Perusino securi quadam in capite percussus incontinenti occiditur ipse, & equus suus in terram stratus. Fertur Perusinos hoc ex eo fecisse, quod Papa stipendiariis Perusinis, quos ibi habebat, stipendia multa pollicebatur, introitusque dictæ Civitatis ad Urbem portabat, quod ipsi æquo animo pati nullo modo intendebant. Utinam non sit alia caussa, quàm hæc avaritiæ Gubernatoris. Quare Dominum Mariottum, germanum sanctissimi fertur continuo ad arcem Spoletanam convolasse pejora timentem. Die decimatertia mensis Junii circa horam vigesimam secundam nova venerunt ad Urbem, scilicet Johannem Bentivolum Capitaneum Ducis Mediolani, qui erat in Faventia cum uxore & filiis dicti quondam Domini de Faventia interfecti, ab hominibus & villanis dicti loci interfectum esse, quibus Villanis dictum fuit, Commissarium Florentinorum præstitisse opem & consilium, & eorum voluntate hæc facta fuisse: propter quod magnus tumultus exspectatur in Romandiola. Utinam hæc scabies non extendatur ad Urbem; sed quod de Johanne Bentivolo fuit dictum, falsum fuit; sed veritas est, quod fuit ibi à prænominatis captus, & ductus in Florentiam, & post per Laurentium de Medicis relaxatus in pristinam libertatem. A prædicta die usque ad octavam Julii nihil factum fuit dignum memoratu. Postea vero à dicta die usque ad decimam quintam evenit in Urbe, quod quadam nocte, sero videlicet, quidam Transtiberinus cum quibusdam armatis ivit in Campum Floræ causâ insultandi quemdam apothecarium, quo tempore & ibi provisionati Barisellí & Vicecamerarii interfuere in auxilium insultandi; & quum Transtiberini fugati essent in plateam, acclamaverunt auxilium Cardinalis Johannis, cujus familia statim exiens cum Curia pugnavit, & tamdem hinc inde fuerunt multi vulnerati, & nisi fuissent, qui se interposuerunt, forte fuissent plures. Item & familiares & domestici Cardinalis Mediolanensis existentes apud duas Turres ceperunt rixam cum quibusdam Juvenibus Romanis similiter de nocte, in qua tamdem de rixantibus de domo Cardinalis fuerunt aliqui vulnerati: quapropter omnes de dicta familia exiverunt cum armis, ballistis, & lapidibus, & omnes quoscumque occurrentes, etiam mulieres, ad vindictam vulnerabant, & potissime quemdam Juvenem, qui dum iret dormitum exiens in camisia sine armis sagitta quadam persossus in pectore cum vulnere recessit, adeo quod plusquam viginti fortiter sunt vulnerati. Item & postera die Capitaneus Curiæ Sabellæ quum executionem personalem faceret de quodam debitore prope domum Cardinalis Abali Francigenæ, ad tumultum fertur Cardinalem de sua fenestra prohibuisse, ne fieret potissime prope domum ejus: quo non obstante facta fuit, ductusque fuit debitor ad carceres dictæ Curiæ. Quod dictus Cardinalis ita ægre tulit, quod jussit armari omnem familiam, ac ire ad dictam Curiam, ibique omnia devastare, pro ut actum est; nam carcerati omnes fugerunt, & deinde omnes captivos, & eos, qui pro crimine capitali erant, dimiserunt. Domus Judicis, sive Camera vi capta, & libri omnes lacerati, & capsæ, & mataracciæ per fenestras extractæ sunt, ita ut nihil penitus in Curia prædicta relictum videretur. Quod Cardinalis de Sabellis ægre ferens una cum Columnensi magnas copias armatorum congregavere. Factum est idem in dicta nocte. Mane autem Papa misit pro eisdem, ubi in Palatio multa inter se verba ignominiosa habuerunt, adeo quod Domus dicti Cardinalis Abalii stat fulcita & munita infinitissimis armatis, & armis. Nescitur quid erit. Fertur, Vicecancellarium auxilium dedisse dicto Cardinali Abalio.

A die prædicta usque adhuc nihil actum fuit, nisi quod multæ Civitates, & loca subjecta Ecclesiæ denegaverunt obedientiam Papæ, imo fecerunt aliqua contra ejus voluntatem. Et primo Johannes Bentivolus in Bononia pro parte sibi contraria multos interfecit, & carceravit, & fertur decem & octo viros de contraria parte suspendisse. Similiter fecerunt Perusini, qui nonnullos expulerunt, videlicet illos de domo Brachii, omnes de contraria parte, & aliquos interfecerunt; & quum Papa illuc misisset Legatum de Latere Dominum Cardinalem Senensem, non prius admissus fuit, quàm promisisset se non remissurum Perusinos contrariæ factionis; & Papæ & Ecclesiæ paucam, vel nullam præstiterunt obedientiam. Similiter factum fuit in Civitatibus Tuderti, & Marchiæ Anconitanæ, in quibus noluerunt admittere Officiales Papæ, & noluerunt obedire ejus Secretariis in faciendo brevia, & taxas juxta determinationem factam, de qua supra. Et bellum fuit inter Fulginates, & illos de Castro Aspelli; & cum Fulginates peterent auxilium ab Ecclesia & Papa, fuit eis denegatum, eo quod diceretur, dictos Fulginates fuisse causam dictæ discordiæ, quum id penitus negaretur. Similiter in Civitate Hortana factus est tumultus. Ibi Ursini, & alii Guelfi contra pacta, fœdera, & pacem, quam habebant cum Gibellinis, insurrexerunt in eos, & circiter quinquaginta interfecti sunt, & omnes alii fugati, & extra dictam Civitatem expulsi. Et Papa in nihilo providit, eo quia ut fertur prius illi de parte Gibellina miserunt in dictam Civitatem Dominum Lodovicum de Sabellis una cum centum armatis causâ deprædandi Guelfos existentes in dicta Civitate. Et quum interfecto custode Portæ, qui Guelfus erat, clamarent *Colonna*, *Colonna*, Guelphi insurrexerunt contra eos, & petierunt auxilium à Domino Vexanelli, & dictos milites una cum aliis Gibellinis ita ut supra tractaverunt. Quod tamen quum audivisset Papa, fertur dixisse: *doleo, quod plus non fecerint*. Et postea fecit formari processum contra dictos Gibellinos, qui ibi in-

intraverunt in dicto loco in Capitolio, & ibi de crimine læsæ majestatis diffidati exstiterunt, & fuerunt plusquam quadraginta. Similiter interea furta, latrocinia, & rapinæ, homicidia, & sforzamenta tam in Urbe quàm extra fiebant, & de his non curabatur. Et quum Papa dedisset per breve licentiam, ac præceptum fecisset cuidam Matthæo Cocciæ de capiendo latrones & grassatores, qui ultra rapinas homines in via Latina interficiebant, juxta Albanum cepit quemdam Hispanum famulum Jacobi de Comitibus, quem reperit grassari, & occidere, & eum duxit Romam, ubi cognito delicto suspensus primo, deinde divisus in quatuor partes justitiatus fuit. Irâ tamen motus Cæsar filius spurius dicti Jacobi de Comitibus, de mense Martii 1489. in die qua itur ad Sanctam Crucem in Hierusalem, in via ejusdem Ecclesiæ armatis certis complicibus eumdem Matthæum acribus vulneribus interfecit, & ab Urbe non discessit. Papa sentiens, Officialem suum esse interfectum, ad nihilum se movit. Item quum esset quædam lis inter Cardinalem Ursinum, & Dominum Virginium, dictus Cardinalis fecit eum citari per Cursorem, quod quum audivisset Virginius, fecit eum Cursorem ita verberari, quod post triduum mortuus est. Quod quum dictum esset Papæ, pariter ad nihilum se movit.

De eodem Anno Domini prædicto 1489. de mense Martii Sanctissimus Dominus noster Papa Innocentius VIII. licet contra pacta & capitula, quæ facta fuerant in Conclavi cum Cardinalibus, quando fuit creatus Papa, quæ erant, quod non possent Cardinales fieri ultra numerum viginti duorum, Papa aliquibus ex eis invitis, ut fertur, creavit sex Cardinales, primo Laurentium Archiepiscopum Beneventanum Nepotem suum ex fratre, eumdemque Castellanum Sancti Angeli. Hic semper fuit reputatus spurius, & omnia Beneficia, quæ habebat, etiam quæ ipsemet Papa contulerat ei, semper consecutus fuit cum dispensatione, qua semper spurium dictus Papa appellavit eum; Et quum mota esset quæstio per Cardinales, quod non posset esse Cardinalis, eo quia spurius esset, repertus est certus processus conceptus in Hispania, industria, ut dicitur, Vicecancellarii, ubi apparebat patrem dicti Laurentii, Fratrem dicti Papæ, concepisse illum ex quadam Hispana, quam dixerunt illum postea duxisse in uxorem; & hoc fuit eo tempore, quo non erat solutus, quia in Janua vivebat alia uxor mortuo jam patre. Propter quæ quum dictus Laurentius accessisset ad dictam Civitatem Januæ pro consequendo bona & hereditatem parentum, non fuit admissus, immo tamquam spurius repulsus in domo dicti sui patris, & patrui. Ille autem ab his, quibus commissum fuerat dictum negotium approbatus fuit tamquam legitimus. Alter fuit Ardicinus della Porta Episcopus Alerienfis, vir doctissimus, qui propter ejus virtutem & benemeritum ad Cardinalatum pervenit. Alter fuit filius Laurentii de Medicis Cognatus Domini Francischetti filii ipsius Papæ Innocentii. Hic erat puer, ut dicitur, tredecim annorum. Dicitur tamen fuisse creatum sub conditione, quod non veniret in Urbem infra certa tempora. Venit tamen, & admissus fuit. Alii fuerunt duo Francigenæ, unus qui erat magnus Magister in Civitate Rhodi, & alius Francigena propositus à Rege Franciæ. Isti duo creati fuerunt ex eo, ut fertur, quia donaverunt Pontifici fratrem magni Imperatoris Turcarum. Nam fertur, quod in morte magni Turcæ, tempore quo obsidebat Hydruntum, duo ipsius filii pro Regno consequendo discordaverunt. Minor filius, qui in militia erat, expulit alterum cum dictis militibus. Hic frater est, qui erat ab omnibus Turcis, ut fertur, magis dilectus, & eum in Imperatorem vocaverunt. Sed interfectis omnibus, qui ei favebant, de partibus illis exulare coactus fuit una cum paucis nobilibus, qui eum sequebantur. Et quum non potuisset stare in Civitatibus Turcarum subjectis fratri, impetravit salvum conductum à magno Magistro Rhodi, & eo impetrato àd dictum locum se contulit, & ita retentus fuit. Alii dicunt, quod hic est filius major natu, & quod ad eum spectat Regnum patris, & quod dum staret in obsidione cum militibus, pater ejus mortuus est, & alter frater incontinenti cepit omnia fortalitia, & thesaurum patris. Iste vero habebat milites, & quum appropinquasset Constantinopolim, fecit bellum cum fratre, & tamdem fuit coactus aufugere, quia pecuniæ pro militibus defecerunt; & quum à dicto ejus fratre insectaretur, timore ne caperetur, voluit se potius injicere in fortiam Christianorum, quàm venire in manum fratris sui; & sic intravit unum Oppidum prope Rhodum, & isto modo venit in fortiam dicti magni Magistri Rhodi. Et hoc verum est. Quod sentiens frater, qui jam totum dominium Turcarum ceperat, timens quod contra eum bellum moveret, eo quod dubitaret propter benevolentiam Turcarum se ab eo succumbere, pactus est cum Christianis existentibus in illo loco, & cum dicto Magno Magistro, ut teneret dictum magnum Turcam sub bona ejus custodia, nec eum dimitteret. Quapropter eidem pro præmio, sive tributo, quotannis solvebat quadraginta millia Ducatorum; & de hoc bancum & securitatem fecit. Qui quum tenuisset ibi eum per aliqua tempora, putans se facturum rem gratam Franciæ Regi, quia & ille Francigena erat, illum donavit cum dicta provisione quadraginta millium Ducatorum dicto Regi Franciæ; qui Rex tamquam bonus Christianus, ut fertur, illum recepit. Non tamen umquam videre voluit, & ipsum postea donavit præfato Domino nostro Papæ cum dicta promissione & provisione quadraginta millium Ducatorum, & ex ea caussa Papa ex pacto creavit dictos duos Cardinales Francigenas 1489. die Lunæ IX. mensis Martii. Eodem Anno & mense, die verò tertiadecima, dictus magnus Turca intravit Romam, & venit à Porta Civitatis Veteris per mare, deinde per flumen Tiberis, & à ripa Romæ usque in Palatium Apostolicum apud Sanctum Petrum ductus est. Papa donavit ei septingentos Ducatos, & certas vestes imbrocati, & sericas: quæ quum ei præsentata essent, non æstimavit. Et donavit ei etiam unum equum, & jussit fieri ei honorem, & comitatus fuit à multis Curialibus. Non tamen aliquis Episcopus vel Prælatus interfuit. Dominus tamen Francischettus filius Papæ, & Ambasciator Venetorum in medio eum tenuerunt. Et quum equitasset dictum equum, & parum secessisset à ripa fluminis, venit ei obviam Ambasciator magni Soldani Babylonici, qui propter istam caussam huc vene-

venerat, ut fertur; & quum vidiſſet eum, ſtatim projecit ſe de equo ſuo, & procidit in terram, & oſculatus eſt terram ter ambulando verſus eum, & quum appropinquaſſet ei, oſculatus eſt pedem equi ſui, & ipſum ſalutavit magna cum reverentia, & deinde aſſociavit eum uſque in Palatium.

Die ſequenti Papa fecit Conſiſtorium, & factâ cœremoniâ, & publicatis dictis Cardinalibus, juſſit accedere ad ſe dictum Imperatorem Turcarum, qui quum veniſſet, viſa tanta hominum multitudine expavit, & cum eo erat ejus Interpres, & monitus per dictum ſuum Interpretem, & Magiſtrum Cœremoniarum, quod deberet ſe inclinare ter, & genuflectere, antequam ſe Pontifici appropinquaret, & deinde procedendo deberet ejus pedem oſculari, nihil de his fecit, immo tam ſuperbe inceſſit, quod nullum æſtimavit. Et ne dum quod genua flexerit, ſed caput ejus numquam inclinavit neque annuit. Et quum ſtetiſſet coram Pontifice, aliqua ad invicem dixerunt, mediante dicto Interprete. Non tamen fuerunt audita à circumſtantibus. Et tamdem Papa volens eum licentiare, læta fronte & alacri viſu cupiens oſculari in facie dictum Turcum, qui, adhærendo parum faciem ſuam, ſpatulam dexteram tantum oſculatus eſt. Sunt qui dicunt, ſed non ſcio, quod ipſe voluit oſculari Papam in facie, & Papa retroceſſit; & tum ipſe tantum ſpatulam oſculatus eſt. Deinde ſe ad loca deſtinata contulit. Similiter quaſi fecit Ambaſciator Magni Soldani; nam quum eſſet monitus, ut ter ſe inclinaret, & pedem oſcularetur, numquam ſe inclinavit, niſi quum eſſet in ejus conſpectu; & quum Papa porrexiſſet ei pedem, ut oſcularetur, ipſe non pedem, ſed genu tantum ſupra pedes cum ore aliquantulum tetigit. Iſtis temporibus nihil boni Romæ actum eſt. In Civitate enim multa & infinita furta, homicidia, & ſacrilegia fiebant, inter quæ de Sacriſtia Sanctæ Mariæ trans Tiberim ſubtracti ſunt calices, patenæ, & thuribula argentea, & Crux argentea, in qua erat de Ligno Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod fuit poſtea repertum denudatum argento in quadam vinea. Item de Sacriſtia Sancti Sylveſtri, & Sanctæ Mariæ in Via, de multiſque & infinitis Eccleſiis, & in Sacriſtia Sanctæ Mariæ in Via lata quadam nocte immediate poſt Paſcha 1489. fractâ quâdam feneſtrâ ferreâ latrones tentaverunt intrare quintâ horâ noctis. Capellanus autem quodammodo miraculoſe à ſpiritu ductus à dicta Sacriſtia dictos fures fugavit. Facta fuerunt præterea multa homicidia, inter quæ Ludovicus Matthæi, & ejus filius contra fidem & ſecuritatem, quam habebant, interfecerunt in tonſtrina, dum tondebatur, Andream Mattuccii Aromatarium, qui omnes numquam ab Urbe receſſerunt; & ſunt qui dicunt Papam extorſiſſe ab eis pœnam ſtipulatam ſecuritatis factæ, & ideo dimiſiſſe eos in Civitate permanere. Fertur, & pro veritate affirmatur, & effectus docet (ego tamen Bullam non vidi) quod Sanctiſſimus Dominus noſter conceſſit Stephano, & Paulo Margano per Bullam Apoſtolicam remiſſionem delictorum, & homicidiorum factorum per eos, & cum decem hominibus de ſequacibus, & complicibus eorum, ex quocumque crimine damnati eſſent, etiam de homicidio, ac etiamſi cum heredibus occiſorum pacem non habuerint; fecitque omnibus eis plenum ſalvum conductum, ut tam in ejus domo, quam in Urbe, & ubicumque reperti eſſent, Curia ſua adverſus eos non valeret aliquid dicere, fecitque de ejus domo aliud aſylum. Idem fertur conceſſum Mariano Stephani Franciſci de Creſcentiis de homicidiis commiſſis per eum, & ejus complices pro ſecuritate ejus, & domus ſuæ. Hoc idem conceſſit filiis Franciſci Buffali, qui novercam prægnantem cum fratre eorum nondum nato pugione quondam interemerunt, quibus etiam pro eorum ſecuritate, quia adhuc pacem cum heredibus & attinentibus occiſi non habebant, conceſſit octo capitali pæna etiam pro homicidiis damnatos, ut tuti & ſecuri ad Curiam accederent, ſoli vel comitati ad eorum velle, inter quos duo ſunt, qui ex propoſito paulo ante unum pro quolibet interfecerunt; & cum ſuperſtitibus occiſorum nulla facta eſt concordia, imo briga, & diſcordia. Et quotidie qui homicidium paſſi ſunt, etiam minas patiuntur. Idem dicitur de multis aliis. De his tamen, de quibus videtur experientia, ſcribo. Et tamdem tota Civitas plena eſt facinoroſis hominibus, qui facto homicidio ad domos quorumdam Cardinalium confugiunt, & inde non recedunt; & homicidia, quæ fiunt, pro nihilo æſtimantur. In Capitolio nulla, vel ſaltem rara exſecutio corporalis haberi poteſt, niſi quod per Curiam Domini Vicecancellarii aliqui nocte ſuſpenduntur, & mane ſuſpenſi reperiuntur apud Turrim Nonæ ſine nomine, & ſine cauſa. Et hoc ordine vivitur hodie in Urbe 1489. ſedente Innocentio VIII. Fertur præterea, quemdam Jacobum Laurentii Stati Tabernarium in Sancta Maria Rotunda interfeciſſe duas ſuas filias, diverſis tamen temporibus, & quemdam hominem ejus quondam famulum, qui aſſerebatur jacuiſſe cum ultima earum, ipſumque, & fratrem ejus fuiſſe ex dicta cauſſa captos & carceratos in Caſtro Sancti Angeli. Ad quem locum quodam mane iviſſe exſecutorem juſtitiæ cum inſtrumentis aptis ad eum truncandum ex dicta cauſſa, & poſtea incontinenti eos excarceratos fuiſſe. Hoc ego vidi, ſed cauſſam excarcerationis audivi, quæ eſt, quod pro prædictis delictis octingentos exburſavit Ducatos, de quibus non fuit emtus *ager figuli*, qui vocatur *Aceldama*. Et quum ſemel interrogaretur Vicecamerarius, quare de delinquentibus non fieret juſtitia, ſed pecunia exigeretur, reſpondit me præſente: videlicet: *Deus non vult mortem peccatoris, ſed magis ut ſolvat, & vivat*. Et ita dixit in Bononia obſervari.

Ab illo die uſque ad menſem Junii 1489. nihil actum eſt memoria dignum, niſi quod in Urbe continuo vulnera, occiſiones, rapinæ, & alia ſimilia impune fiebant. Die ultima dicti menſis, videlicet feſto Sanctorum Petri & Pauli, Papa celebravit ſolemniter Miſſam, ut conſuetum eſt. Deinde publicavit univerſalem Capitaneum Eccleſiæ Dominum Nicolaum Comitem Pitiliani de Gente Urſina, cui cum magno triumpho dedit ſceptrum & vexillum Eccleſiæ. In quo actu intervenerunt omnes Cardinales, & Prælati, & multi Domini & Barones undique vocati. Fertur tamen in eadem cœremonia fuiſſe excommunicatum Regem Ferdinandum ob cenſum non ſolutum, cum termino tamen trium menſium ad ſolvendum & ſe reconciliandum. Fertur etiam in Urbe, dictum Regem eadem die conſtituiſſe Capitaneum ſuum univerſalem Do-

Dominum Virginium Ursinum in Neapoli: non tamen adhuc ad aliquem actum deventum fuit. Circa principium mensis Julii obiit Comes Anguillariæ, & Papa misit ibi multos suos caussâ capiendi illum locum pro Franciscetto ejus filio. Illi villani incluserunt in Arce filium Deiphobi, quem dicebant velle in Dominum, & fuerunt adjuti auxilio Domini Johannis Jordani, Virginii filii. Intravit tamdem ibi Archiepiscopus Cusentinus Papæ Nepos vocatus tamdem cum duobus famulis, & ibi fuit retentus cum Johanne Jordano prædicto usquequo haberetur voluntas Domini Virginii, cujus voluntati remiserunt se villani illi. Interim gentes armatæ Ecclesiæ licentiatæ abierunt, ut dicitur, potius cum ignominia quàm cum honore; & tamen post octo dies Franciscettus prædictus habuit illum locum pacifice, & nemine contradicente. Et istis temporibus Imperator Federicus III. descendit in partibus Italiæ, & posuit se in Verona cum paucis equitibus forte non minus trecentis, ut fertur. Non tamen dicitur ex presso modo caussa sui accessus & recessus. Ridiculum quoddam evenit temporibus istis, videlicet quarta mensis Septembris 1489. in die Veneris, quum alias quidam famulus Domini Falconi, & quidam filius cujusdam Menici Benveduti furati essent de nocte pannos & vestimenta & mercantias cujusdam apothecarii in quadam apotheca, in qua præerat quidam Hieronymus Tucci *dello Rosso* de Regione Trivii socius præfatorum furum; quumque venisset ad notitiam dicti Hieronymi de furto facto per dictum famulum, tamdem ut res suas consequeretur, invitavit dictum famulum ad prandium, & quum in eo essent, blando sermone eum interrogavit, ut diceret, utrum dicta bona habuisset. Et quum sponte in mensa confiteretur se illa habuisse, fuit monitus, ut restitueret: aliàs male esset de eo. Qui quum videret animum ipsorum contra se iratum, accepta occasione à quadam fenestra in quemdam hortum animo se ab eis liberandi conjecit se. Visa postea dicta confessione, & fuga, dictus Hieronymus, ne ille evaderet, ad hoc ut bona sua non perderentur, ipsum furem persecutus est, & eo capto una cum quibusdam sociis, ac etiam colaphis cæso, in domo Domini Fabricii Columnensis ligatum conjecit, & noluit eum, cum potuisset ad carcerem Capitolii, vel alium, ponere, ea forte ratione motus, quod hodie ex quocumque crimine carcerati sive de furto, sive de homicidio, pro quo veniret reus puniendus pœna capitali, solutâ pecuniâ conventâ inter eum, & Curiam, liberantur, & nullus eorum, qui se redimendi facultatem habet, ad mortem damnatur; & si facultatem non habet, furto Dominis minime restituto suspenditur. Quare quum ibi poneretur, motus forte pollicitationibus Domini Falconi Dominus Fabricius eum relaxavit; promisit tamen Dominicus Benveduto pater unius ex istis furibus de toto satisfacere; quumque bona sua æstimata essent quadraginta & septem Ducatorum, & pluris; dictus Dominicus à dicto Hieronymo esset requisitus de satisfactione eorum, timens forte ne quid mali sibi obveniret, tantum quadraginta Ducatos solvit in præsentia quorumdam Fratrum Sancti Dominici in Minerva, qui pro dicto Hieronymo absolverunt dictum Dominicum, & per apocham eorum manus fidem fecerunt sub isto tenore, videlicet: *Sumus testes, qualiter Dominicus solvit Hieronymo Ducatos quadraginta septem pro rebus habitis per filium dicti Dominici de Apotheca dicti Hieronymi*; Et quum dictus Dominicus ægre tulisset dictam solutionem, habito colloquio cum Dominico Falcono de dicta re, tamdem ipsi una cum Vicecamerario, & Protonotario Vignolæ, tractatum habuerunt de capiendo dicto Hieronymo; & ut creditur de eo cum Pontifice locuti sunt, & tamdem habito tractatu secreto in Camera Vicecamerarii (die tertia dicti mensis fuit hoc) die quarta in aurora cum fustibus & lanternis, & cum fossoribus domorum, dictum Hieronymum una cum fratre in ejus domo vi ceperunt, eumque ad Turrim Nonæ duxerunt, dicente semper Vicecamerario his, qui tunc apud eum clamabant, & potissime matre ejus: *nolite timere istud, quod fit pro bono pacis, & ut ipse pacem habeat cum omnibus*. Quumque ipsum pacifice duxisset ad dictam Turrim, statim accepto laqueo in merlis ibi existentibus ipsum suspendit sæpe clamantem, & dicentem: *Quid ego mali feci?* Et absque aliqua alia Confessione vel Sacramento suspensus est, & quod deterius est, ejus fratre similiter capto præsente & vidente. Qui quum videret se paratum mori, multa verba pia in fratrem conversus protulit, potissime dicens: *frater mi, dicito genitrici nostræ, quod habeat patientiam, & quod ego sum innocens istius mortis*. Interim osculatus est & amplexus fratrem suum eo modo quo potuit, & cum his verbis decessit. Et præmissis nondum satiatus Falco, qui præsens fuit, & oculata fide prospicere voluit, dum suspenderetur, & Vicecamerarius magis in eum ob vindictam sævientes, corpus illud per duos dies ibi suspensum tenuerunt, denegantes illud matri & consanguineis ejus; & quod detestabilius est, secunda die post mortem per famulum dicti Domini Falconi caussa ipsius mortis in quadam chartula est apud pedes ejus apposita, falsa tamen & mendax; nam gesta per dictum famulum ei applicata sunt; sed non potuit ita bene aptari, quin mendacium cognosceretur. Frater autem ejus in fundo Turris Nonæ conjectus est, & quum Papa de veritate informaretur, fingens se de præmissis dolere, ait se fuisse male informatum; non tamen propterea fratrem ejus excarceravit. Nec de præmisso Mariano demonstrationem aliquam fecit. Et sic Dominus Fabius Civis Romanus de Sinibaldis Protonotarius Apostolicus, & Papæ Thesaurarius, pro injuria illata suo famulo de dicto Hieronymo vindictam sumsit.

Eadem die quarta mensis prædicti Septembris bombardæ existentes in Castello per flumen nostrum ad Castrum Jovis supra Castra accesserunt contra Dominum possessorem antiquum dicti Castri, contra quod Campus Ecclesiæ militat. Sed sunt qui pro certo affirmant, Ambasciatorem Regis Ferdinandi publice coram Pontifice & Cardinalibus protestatum fuisse, ut à dicto bello desisteret, alioquin dictus Rex intendebat pro viribus, etiam exposito ejus Statu, illud defendere. Et quia die Lunæ proximo Dominus noster Innocentius in Consistorio excommunicavit omnes & singulos Ecclesiæ Censuarios, qui non solverant debitum censum, quod creditur totum factum fuisse pro Rege Ferdinando, qui non solvit, licet specialiter non fuerit nominatus: ibi præfatus Ambasciator dicti Regis

coram

coram omnibus quoad interesse dicti Regis appellavit ad futurum Concilium, & petiit sibi dari Judices, quibus ipse ostendere intendebat, dictum Censum non debere solvi per dictum Regem. Insuper Campus Ecclesiæ, qui est apud Castrum Jovis, prima vice qua se cum inimicis certaturum repræsentavit, quasi succubuit. Nam inter vulneratos lethaliter, & jam mortuos plusquam sexaginta ceciderunt. Sunt præterea ex nostris multi capti, quod Castrum non multum post se Ecclesiæ reddidit cum certis pactis, quæ nesciuntur, datumque fuit Francischetto. Et eodem mense in Consistorio publico Dominus noster, ut fertur, declaravit Siciliæ Regnum citra & ultra Pharum jam ad Ecclesiam pertinere, ipsumque esse devolutum ad eam propter canonem non solutum, publicavitque Bullam, in qua dictum Regem Ferdinandum privatum dicto Regno faciebat. In qua etiam protestabatur, quod si quando contingeret, ipsum nominari Regem Neapolitanum, non propterea, ex tali denominatione intendebat ipsum confirmare in dicto Regno. Eodem mense in ejus principio capti & carcerati exstiterunt Dominus Dominicus de Viterbo Scriptor Apostolicus, & Dominus Franciscus Maldente, & multi alii, eo quod fecerant quasdam Bullas falsas. Et comperto maleficio, susurratum fuit de ipsos comburendo, quamvis bona eorum illico confiscata fuissent, & quidem non parvi valoris; nam ad duodecim millia Ducatorum ascendisse fertur. Eorum supplicium tardatum fuit, eo quod eorum consanguinei ad duodecim alia millia Ducatorum pro eorum solutione solvere condescenderant, procurante hoc Francischetto filio Papæ, qui dictam pecuniam affectabat, & Vicecamerario, à qua pecunia se multum alienum ostendit. Credo tamen, quod nunc ita non sint Romani, quos non aliter examinato negotio incontinenti post capturam suspendit, & quidem sine alia caussa, ut supra vidistis. De his tamen nescio quid faciet. Post hæc fertur Magistrum Gentilem de Viterbio Physicum patrem dicti Domini Dominici misisse cedulam Pontifici pro liberatione filii, in qua obtulisse fertur quinque millia Ducatorum, & quod Pontifex in eadem cedula rescripsit, si vellet solvere sex millia, & ipse posset liberare eum cum suo honore. Deinde die decima nona Octobris ambos degradari fecit in platea Sancti Petri, & illico ipsos primo suspendit, deinde comburi fecit in platea de Campo Floræ. Dubitatum fuit, quare Papa non perceperit pecuniam, & ipsis non pepercerit; sed voluerit magis comburere, & fuit hoc declaratum per ipsum Pontificem, quod voluisset eos libenter liberare, sed non poterat cum suo honore, eo quia fecerant certam Bullam Papæ exorbitantissimam, & contra regulas sui Camerarii, in Francia ad hoc ne crederetur voluntate ipsius Pontificis factam esse, & ostenderet se de prædictis nescire. Quo tempore dictum & affirmatum fuit ab omnibus, & ita est fama in Urbe, Dominum Francischettum filium Papæ lusisse cum Reverendissimo Domino Cardinale Sancti Georgii Camerario, qui est Raphaël Nepos quondam Domini Comitis Hieronymi, & in ejus camera perdidisse decem & quatuor millia Ducatorum in duabus vicibus; ac Reverendissimum Dominum Cardinalem Abaliensem Francigenam similiter perdidisse summam octo millium Ducatorum, omnesque dictas pecunias vicisse præfatum Dominum Cardinalem Raphaëlem, qui in hoc fuit fortunatissimus. Demum dicitur, præfatum Dominum Francischettum ivisse ad Pontificem, dixisseque se esse delusum ac deceptum in dicto ludo; & Sanctissimus Dominus noster misit pro dicto Cardinali, ut iret ad eum, & portaret secum dictam pecuniam. Et Dominus Cardinalis respondit, se expendisse eam in lignis, & cœmentis, ac mercedibus fabrorum, eo quod destruxerat suum Palatium in platea Sancti Laurentii in Damaso, & illud à fundamentis, & potissime quamdam Turrim ibi in angulo se velle construere, & Palatium ædificare (quod ita fecit postea) & propterea eam non habere. Et quum Papa super eo illum molestaret, vigesima septima Octobris quasi in meridie recessit ab Urbe, asserens se velle ire in Flaminiam, eo quod diceretur in Forolivio aliqua scandala venisse. Oh scelus infandum! Papa erga omnes avarissimus est, & præcipue erga pauperes Lectores Studii, quibus rem inauditam indixit, scilicet ipsi, qui creditores sunt pecuniarum eis debitarum, pro his solverent usuras mercatoribus, & quod detestabilius est, ipsis usuris solutis adhuc pecunias non habent.

.... *Simplex ne fuerit sestertia centum Prodere, & oranti tunicam non reddere servo?*

Eadem die vigesima septima Octobris 1489. Virginius Ursinus cepit sceptrum, ut Capitaneus Regis Ferdinandi, & die sequenti fecit monstram omnium suorum commilitonum. Dictumque fuit fuisse quatuordecim squadras ita pulchras, & divites, & ornatas, sicut umquam alibi visæ fuerunt cum vestibus auratis, argentatis, & cum pellibus; posuitque edictum, ut quicumque iret ad videndum, gratis in hospitio reciperetur. Iveruntque multi, & quodammodo infiniti, qui nonnisi gallinas, & alia similia comederunt. Die octava mensis Novembris Dominus Paulus de Nardinis filius spurius quondam Christophori de Forolivio nepotis Cardinalis Mediolanensis, acceptis quatuor sociis se contulit in arcem Soriani, ibiq; proditorio modo interfecit Capellanum, & quatuor socios, qui ibi pro Vicecancellario erant, & arcem occupavit, quam parum retinuit; quia ingressi, & inclusi in quadam camera absque Comestabilibus parum postea se reddiderunt. Et postea à villanis succurrentibus dictæ arci à vertice ipsius usque in terram ejecti fuerunt ipse Comes, & quatuor ejus socii: & continuo duo Castra ibi propinqua, videlicet Carbonianum, & Guilianellum, quæ erant ipsius, in fortiam Ecclesiæ devenerunt, hac lege cum Ecclesia habita, quod nullo modo in dominio alicujus privati, sed solum ipsius Ecclesiæ perpetuo esse liceret. Aliud castrum ejusdem, quod erat in Romandiola, Francisco de Oria donatum est. Et sic finivit progenies de Nardinis, & in ea locum habuit dictum illud: *De male acquisitis non gaudebit tertius heres*: quoniam omnia quæ tyrannice à dicto Cardinale usurpata fuere, uno ictu perierunt. (*) Die quintadecima Novembris die Dominico Papa recessit ab Urbe, & ivit spatiatum ad Civitatem Ostiensem per flumen, & ibi stetit per nonnullos dies, dimisso magno Turco in sede sua in Palatio. Et sic verificatum fuit, quod scriptum est; quod inimicus Fidei Christianæ Machometi primus sedet in Cathedra Petri excluso Pontifice.

Anno 1490. sanctissimus Dominus noster construxit & ædificavit in platea Sancti Petri fontem nobilissimum de lapidibus marmoreis figuratis, cum duobus vasis rotundis uno super alio, pro ut videri

(*) Perdurat adhuc Romæ in Collegio Nardino memoria hujus dignissimi Cardinalis, cujus famã immeritò proscindit Infessura. Vide coævorum testimonia de illius integritate apud Oldoinum in vitis Summorum Pontificum ad annum 1471.

videri potest, & judicio omnium non reperitur similis in Italia. Die septima Maji damnatus fuit ultimo supplicio quidam Christophorus Castaneæ, videlicet dictus Marinus, de Marchia Anconitana, scilicet de Castro Leonis, de districtu Fani. Hic Baro erat, & Dominus illius loci, quem violenter ab eo abstulit Johannes Baptista de Angelis Protonotarius Apostolicus, & Commissarius jam sunt duo anni. Illudque Castrum postea dedit Præfecto Urbis ibi prope moranti apud Senogalliam, & eadem de caussa, ut fertur, dictus Marinus desperatione ductus accessit ad magnum Turcam in Constantinopoli, cum quo circa quater locutus est, & ab eo bene visus, & bene tractatus. Nam in plures vices multa millia Ducatorum illius monetæ donavit. Donavit etiam duas vestes imbrocati auri, & unum adamantem valoris mille Ducatorum illius monetæ. Insuper promisit illi donare Civitatem Negropontis, ac facere ipsum Capitaneum ducentarum triremium armatarum, & multa etiam infinita alia, si ad effectum traherent quod facere convenerant. Videlicet quod dictus Marinus conferret se ad Urbem, & certum venenum, quod portavit de Constantinopoli in quadam parva ampulla, projiceret in fontem aquæ, qui existit parum extra Portam viridariam juxta Palatium Papæ, ex quo fonte aquam sumebant principaliores de Palatio, potissime Sanctissimus, & Turca alius filius magni Turcæ supradictus, & frater supradicti Imperatoris Constantinopolitani, qui adhuc in dicto Palatio cum ejus familia permanet, & multi alii de dicto loco. Et erat dictus fons clausus muris & fenestrâ ligneâ, ne ibi aliquid mali fieret. Venenum autem habebat vim necandi in capite quinque dierum, & non ante; & cum dicta aqua intendebat necare Papam, & Turcam, & omnes qui ex ea bibebant, prout ipse confessus fuit. Dixitque etiam adhuc vivens, præfatum Turcam multos homines, & cum magnis promissionibus, Constantinopoli evasisse, adeo ut vix posset evadere Pontifex, & alii. Dixitque etiam, in dicta conjuratione fuisse quosdam alios, quos sententia condemnationis pro meliori non nominavit. Inter quos fertur quemdam Fratrem Ordinis Sancti Dominici intervenisse, & ejus dolo Regem Hungariæ in hebdomada Sancta in die Mercurii proxima præterita veneno morte repentina necatum interiisse. Fuit igitur ductus per Urbem in curru rectus & nudus, & cuidam stipiti alligatus, ac passim ferris, seu tenagliis, & forcipibus infocatis afflictus. Deinde ad Capitolium reversus, quum se se Domino nostro Jesu Christo, quem in pictura ante oculos ejus habebat, commendasset, à Ministro justitiæ repente cum malleo ligneo magno percussus fuit in capite. Postmodum cum pugione ferreo in pectore, & in corde pluribus vulneribus perfossus obiit, ejusque corpus in quatuor partes divisum; una, videlicet brachium cum capite & medio pectore, suspensa fuit apud Portam Castelli; alia apud Portam Sancti Pauli; alia apud Portam Sancti Johannis; & reliqua apud Portam Populi. Et in quinque, vel sex proximis diebus sequentibus fuit in Urbe, & extra aër turbidus, nubilosus, & ventosus, cum continuis pluviis præter consuetum modum. Ita quod multi mirati sunt dubitatumque fuit, ne Christus ob hoc iratus esset, quum contra exemplum per eum traditum fuerit actum; nam ipse quum malediceretur, non maledicebat; quumque unâ mandibulâ cæderetur, aliam humiliter exhibebat. Fuitque paulo post affirmatum in Curia, Regem Ferdinandum misisse literas in modum Capitulorum Domino Maximiliano Regi Romanorum, ipsumque instruxisse de vita, & moribus Romani Pontificis, & totius Curiæ Romanæ, & de vita filiorum, & filiarum ejusdem, ac de collatione Beneficiorum, quæ nonnisi pecunia fiebat, ac de luxuria, & avaritia ipsius, & tamdem de omni quod dicere posset de eo, & de dicta Curia, conjurans eum similiter & requirens, ut juxta posse & secundùm præceptum Dei eis injunctum, Ecclesiam Dei collabentem provideret. Propter quod Papa cum Cardinalibus per aliquod tempus turbati exstiterunt. Non tamen à cœptis destiterunt. Nam quotidie in solatiis & triumphis solito more permanserunt, (*) in eorum avaritia & injustitia perseverando. Et licèt circa hoc multa possent tradi exempla, hìc tantum brevitatis causa duo enarrabimus.

Primo quum quidam Ludovicus Matthæus Civis Romanus dives haberet pacem & securitatem cum fidejussoribus, & sub pœna mille Ducatorum de non offendendo quemdam Andream Mattuccii, dictusque Andreas permaneret in quadam tonstrina, tonderetur que à tonsore dictæ Apothecæ, cumque esset paratus cum pannis, & reliquis pro ut de more fit, Sabbas filius dicti Ludovici proditorie contra fœdera prædicta armatus, una cum quodam socio prædictum Andream secure adstantem seu sedentem, paratum cum dictis pannis tantis vulneribus affecit, ut incontinenti mortuus fit. Et cum hoc de mandato patris fecisse dicatur, pater incontinenti exbursavit Cameræ Ducatos quingentos, medietatem dictæ pœnæ, alios quingentos Ducatos deposuit pro hæredibus partis offensæ juxta seriem pactorum securitatis & instrumenti. Sanctissimus Dominus noster, avaritia magis quàm justitia motus, dictos quingentos Ducatos cepit, & non aliter habita pace ab heredibus defuncti, (**) ut requiritur secundum formam Statutorum, dictum Sabbam homicidam filium dicti Ludovici remisit, & quod durius est, signavit supplicationem, quod liceret se defendere adversùs dictum delictum, ad finem ut mater & heres dicti Andreæ partis offensæ partem dictæ pecuniæ non haberent, quæ sibi tangebat. Fuitque etiam dictis temporibus factum pactum inter Dominum Vicecamerarium, & Dominum Franciscehettum filium Papæ, ut quæcumque pœna veniret confiscanda Cameræ pro delictis, quæ excederet summam centum quinquaginta Ducatorum, tota illa esset dicti Francischetti; à dictis centum quinquaginta Ducatis infra ad Cameram Urbis pertineret: & ita observatum est. Aliud exemplum ponitur, ex eo quod apud Ripam Romæ, unde vina, & mercantiæ veniunt, erant multi Cives Romani, & etiam forenses, qui caussâ quærendi victum, operabantur ut proxenetæ circa venditiones dictarum rerum & mercantiarum. Caussâ igitur

(*) Exaggerare hic Stephanum Infessuram, pluraque Innocentio afficta esse contra veritatem, tuetur Raynaldus ad an. 1490. num. 22. ubi etiam adnotat, Ferdinandum, ad conflandum Schisma in Ecclesia, Religionis speciem obtendisse, querelas in Pontificem & Cardinales exponendo.

(**) Etiam Columna 1225. ait Infessura expeditam fuisse Bullam Apostolicam pro remissione delictorum, & homicidiorum, etiamsi cum hæredibus occisorum pacem non habuerint delinquentes, quod falsum esse constat ex Diario superiùs edito, in quo Columna 1097 sic legitur: *Andò il Bando, che tutti i diffidati potessero ritornare, e servire alla Chiesa, con questo, che quelli, che erano diffidati per omicidio, avessero la pace della Parte.*

tur habendi pecuniam, eamque subtili ingenio à pauperibus fidelibus Christianis extorquendi contra libertatem Romanam, & causâ nova imponendi vectigalia, præfatus Sanctissimus Dominus noster de consilio quorumdam adstantium vendidit dictum Officium seu exercitium proxeneticum triginta personis dumtaxat, ducentis Ducatis in auro pro quolibet, ut ipsi dumtaxat dictum officium exercerent, & non alii, sub certa pœna; ita quod ex dictis triginta personis sexaginta centenaria Ducatorum recepit in mense Augusti 1490. & de hoc Bullam plumbatam fecit. Quo tempore quum ipse Papa misisset tres Comestabiles ad Civitatem Beneventi causâ custodiendi dictam Civitatem, capti fuerunt à Duce Calabriæ, quum diceret se melius posse dictam Civitatem pro Ecclesia custodire, quàm ipse Papa. Ipsos autem captos in Galea missos duxit usque ad Terracinam, ibique eos dimissos monuit, ne umquam ad instantiam Ecclesiæ ad custodiam dictæ Terræ prodirent; aliàs minabatur eis mortem, & ita eos dimisit. Fuitque postea dictum, præfatum Regem pro se custodire dictam Civitatem Beneventi. Quo etiam tempore in Urbe Roma propter defectum justitiæ non bene vivitur; & hujus potissima causa fuit, quod Camera Apostolica vendidit quibusdam Civibus Romanis introitum & exitum Cameræ pro novem annis, cum hoc quod dicti Camerarii de eorum gestis non possent syndicari, nec teneantur reddere computum introitus & exitus toto dicto tempore. Propter quod data est occasio maligoandi, & furandi, seu rapiendi, ita quod dicti Camerarii componunt se cum delinquentibus de eorum delictis, & aliquo dato vel promisso ipsis Camerariis, incontinenti mali actores assecurantur, & antequam maleficia fiant, componunt se cum dictis Camerariis, quantum possit solvi pro delicto, quo facto, & soluto incontinenti à Curia assecurati sunt, & Papa omnia hæc sentit, & patitur. Feceruntque dicti Camerarii cum brachio Gubernatoris rem inauditam. Nam omnes vineæ eorum, qui Romæ habitant, qui propter pœnam spreti mandati Cameræ sunt debitores, vel qui propter aliquod delictum debent aliquid in Camera solvere, vendemiatæ sunt à familia Gubernatoris hostili quodam modo, & veluti vineæ hostium, incidendo, devastando, & asportando . . . .

Die vigesima septima Septembris hora decima nona factus est tumultus maximus in Urbe, & omnes Apothecarii clauserunt eorum apothecas, & qui erant in vineis & in campis fugiendo reversi sunt, & omnes tam Cives quam advenæ arma ceperunt eo quod pro certo affirmabatur ubique, Papam Innocentium esse mortuum. Et hæc fama orta est, eo quod Dominus Francischettus filius ejus videns eum laborare in extremis, secreto modo tentavit habere thesaurum Ecclesiæ; & quum non potuisset obstantibus illis, qui Papam gubernant, tentavit eripere magnum Turcam, qui in Palatio Papæ est, illumque consignare intendebat Virginio Ursino, & Virginius Regi Ferdinando, ut publice dictum est. Ad quem effectum hoc facerent, pro nunc nescitur, sed ut puto, ut pecuniam lucrarentur. Sequenti die Cardinales, qui in Urbe erant, iverunt mane summo ad Palatium, ubi Papa erat, & graviter ægrotabat, & volentes consulere Ecclesiæ, & bonis ipsius, fecerunt inventarium de bonis Papæ, quamvis bona pars eorum assumta, atque ad Florentiam transmissa fuerat per dictum Dominum Francischettum; & quod inventum fuit, datum fuit in custodiam Cardinali Sabello, qui per aliquod spatium in Palatio permansit, & non multum post recessit rebus dimissis. Fertur inter alia fuisse repertum in una capsa octies centena millia Ducatorum; & in alia capsa in Castello tria centena millia Ducatorum & quum meliuscule se haberet Papa, dixit illis, qui eum custodiebant, se habere spem posse videre mortem dictorum Cardinalium, & quod credebat illos affectare mortem ipsius. Vigesimâ sextâ Octobris noctis tempore cecidit fulmen in Campanile Sancti Petri, indeque amovit quamdam columnam, deinde descendit in Cameram Archiepiscopi Arelatensis Nepotis Papæ, & combussit circumquaq; ornamenta lecti, & ipsum non tetigit; descendit postea ad quamdam fenestram, & parum damni fecit. Die vigesimâ Novembris recessit Papa ab Urbe, ivitque ad Civitatem Ostiensem, ubi fuit benignè susceptus à Cardinale Sancti Petri ad Vincula, & deinde à Vicecancellario in Civitate Portuensi, ubi per decem dies triumphavit, deinde ad Urbem reversus est. Die trigesimâ dicti mensis Novembris Ambasciator magni Turcæ ingressus est Urbem, cui obviam ivit Papæ familia, & omnium Cardinalium, & infiniti homines; & venit cum centum & viginti millibus Ducatorum auri, & cum multis & nobilibus gemmis & margaritis, & opulentissimis donis, portavitque ea pro tributo (ut fertur) trium annorum ad computum quadraginta millia Ducatorum pro quolibet anno, quos ipse promisit Papæ, solùm ut retineret alium Turcam fratrem dicti magni Turcæ, qui & in Palatio. Utinam hæc non pariant aliquid mali Ecclesiæ Dei. Et data fuit ei audientia à toto Collegio Cardinalium, & in secretis, ita quod nescitur punctualiter, quid exposuerit. Fertur tamen inter homines, inter alia obtulisse Papæ, & Ecclesiæ Dei, quod, si retineret dictum Turcam, pro censu se daturum quadraginta millia Ducatorum pro quolibet anno, quousque ipsum retinuerit. Item obtulit pacem & perpetuam securitatem inter Christianos & Turcas, & quod Christiani de cetero possent ire & redire in Terras ejus libere, & absque aliquo timore. Ex adverso fertur, Ambasciatorem Soldani Babyloniæ obtulisse Pontifici pro salute & restitutione dicti Turcæ primo numerum quadraginta millia Ducacatorum. Item Terram vel Civitatem Hierusalem, quam pollicebatur perpetuò sub dominio Christianorum. Item securitatem & libertatem omnium Christianorum volentium ire ad dictam Terram, ut absque aliquo Datio & solutione ire & redire possent. Item quod omnes terræ, quæ acquirerentur per eum, & dictum Turcam, qui est hic, de terris Imperii alterius Turcæ & fratris sui, quæ fuerunt olim Christianorum, etiam si esset Constantinopolis, dictæ Ecclesiæ & Christianis restituturum.

Et multoties super hoc habitus fuit tractatus in Palatio cum Cardinalibus. Tamdem die vigesima octava seu nona Decembris dictus Ambasciator Turcæ impetravit à Papa audientiam à magno Turca, eo quod diceret se nolle solvere tributum prædictum, nisi eum oculata fide videret. Et ita dixit se habuisse in

in mandatis, ne forte diceretur vivus & mortuus esset. Et quum hoc nuntiatum esset dicto magno Turcæ, non prius voluit dictum Ambasciatorem recipere, & ei audientiam dare, quam ipse sedens ac ornatus triumphaliter in solio Regali more Imperatorum eum admisit. Itaque supradicta die ornatæ fuerunt aulæ, & portæ superiores Palatii Papæ tapetis & aulæis, & ut melius dicam drappis aureis undique etiam per terram, ita quod numquam visa fuerunt Romæ similia ornamenta. Et dictus Turca sedit in quodam solio, quod deditâ operâ fieri fecerat more Turcarum, & quidem dictis ornamentis opulentissimis ornato, & ipse sibi resedit more Regali, & in majestate sua, circum circa adstantibus aliis Turcis, & duobus tantum Christianis, videlicet Cardinalibus Sanctæ Anastasiæ nepote Sanctissimi Domini nostri, & Archiepiscopo Arelatensi alio nepote. Et adveniente dicto Ambasciatore servatus est iste ordo; nam antequam dictus Ambasciator intraret ostium aulæ, ubi dictus Turca pro tribunali sedebat, quidam Turca de adhærentibus & circumstantibus dicti Turcæ accessit ad eum, & cum uno panno lineo in ostio dictæ aulæ à capite usque ad pedes cum dicto panno extersit, perinde ac si farina, vel pulvere fuisset repletus; quem pannum postea dicto Ambasciatori osculandum tradidit. Et deinde dictus Ambasciator intravit, & tribus vicibus in conspectu dicti Turcæ projectus, & prostratus in terram, diversis tamen locis, terram ipsam osculatus est; ultima tamdem vice ante dictum Turcam genuflexus & inclinatus exstitit, & tacuit. Fecitque ei dicere Turca, ne quid nisi ad interrogata responderet. Dixitque Turca in lingua sua, num literas haberet. Qui Ambasciator incontinenti de quodam loculo suo quamdam epistolam clausam & sigillatam traxit, & ostendit. Et incontinenti antequam eam traderet, totam ab omnibus ejus lateribus lingua sua lambivit. Deinde aspicientibus duobus ex dictis Turcis clausuram & sigillum, ipsemet Ambasciator eam aperuit, & disigillavit, & eam apertam iterum intus & extra, & à tergo sua lingua lambivit. Quo facto prædicti duo Turcæ dictam epistolam ceperunt, eamque ad aurem dicti magni Turcæ legerunt: Quid continuerit in se dicta epistola, nescitur. Et incontinenti lectis literis dictus Ambasciator posuit manum ad munera, quæ frater ejus ei mittebat, videlicet ad quasdam petias drappi imbrocati, & ad quædam ornamenta. Turca ipse manu annuendo, ut retrocederet, ea videre noluit. Ipsa tamen dona per suos accepit, & dimisit. Deinde repulsis omnibus, qui ibi erant, multa invicem locuti sunt, quæ à nostris minime audita, aut intellecta fuerunt. Et est notandum, quod die illa, qua hoc actum fuit, in Urbe numquam fuit visus aër ita turbidus, ita impetuosus, sicut fuit ille; nam aliquando pluebat, aliquando ningebat, & aliquando grandinabat, ventis semper afflantibus cum magno frigore & oscuritate. Et paucis post diebus, ut dicitur, dictus Turca fecit magnum convivium, & invitavit dictum Ambasciatorem cum sua comitiva. Ante penultimam diem dicti mensis capti fuerunt duo filii Francisci Buffali, videlicet Hieronymus, & Petrus, unus quidem larvatus, & alius non; & ducti fuerunt in Castrum Sancti Angeli. Sequenti nocte mandato Papæ, quodam Brevi ostenso, septima hora noctis decapitati, & exhibiti sunt in Ecclesia Sancti Celsi. Quid fecerint, nescitur. De quo omnes mirati sunt, attenta benevolentia & amore, qui ostendebatur inter Papam & Vicecamerarium, & totam Curiam, & dictum Franciscum. Apparuit temporibus istis Cometa in cœlo, qui stabat super Ecclesia Sancti Petri: paucis tamen diebus duravit. Homo quidam natione incognitus indutus veste vili more mendicantium per Urbem in plateis ascendebat loca eminentia, & vocabat ad se homines, & dicturum se aliquid super Evangelio pollicebatur. Et quum accurrisset ibi copia hominum, reducebat ad concordiam Testamentum Vetus & Novum; & dicebat multa bona & subtilia verba, per quæ demonstrabat se literatissimum & eloquentissimum; & habebat omnia convenientia vero Oratori. Et inter alia narravit omnes Prophetas ab initio sæculi usque ad tempora Christi. Et dixit, quod dum præfati Prophetæ prophetabant Populis, gentes ne dum quod crederent his, immo illos pro stultis reputabant. *Sic dixit, vos facitis de me: sed contentor ut me stultum reputetis. Usquequo videatis ea, quæ nuncio vobis, evenire. Dico vobis, o Romani! In hoc præsenti anno 1491. flebitis multum, & tribulatio erit super vos propter occisiones, & sanguinem, quia multi ex vestris hoc anno occidentur; & aliqua caussa erit propter tribulationem, quam exspectatis. Cives potentes celabunt frumentum pauperibus, & famelici insurgent, & irruent in eos, & erit tribulatio multa. Anno verò prædicto, & postea sequenti tribulatio incœpta extendetur per Italiam, & eo anno Florentia, & Mediolanum, & reliquæ Civitates libertate privabuntur, atque sub dominio alterius vivent. Veneti verò omni eo, quod in terra possident, spoliabuntur. Tertio anno 1493. Clericus absque temporali dominatione reperietur, eritque tunc Angelicus Pastor, qui solum vitam animarum, & spiritualia curabit. Hæc dico vobis. Credite mihi. Quum venerit tempus, sciatis quæ futura sunt. Tunc non vocabitis ulterius me stultum.* Et eo dicto recessit, portabatque in manibus suis quandam Crucem ligneam parvam. Et quamvis aliis temporibus hæc improbata consuetudo inolevit, isto tamen anno magis quam ceteris excrevit, ut unusquisque Cardinalis in Carnisprivio sumtuosissime in carris triumphalibus, & etiam equitibus, & cum tubis & sonis, larvatos, & mascheras per Urbem miserunt, potissime ad domum aliorum Cardinalium cum pueris cantantibus, & dicentibus verba lasciva, & eis delectabilia, cum buffonibus, & histrionibus, & cum mulis indutis non panno lineo vel laneo, sed serico & imbrocato auri & argenti, in quibus maxima Ducatorum copia consumta fuit. Ex quo intrepide dicere, & judicare possumus, misericordiam Dei nostri in luxuriam, & opus diabolicum conversam esse; & nullus est, qui ex hoc non miretur.

Die prima Junii 1491. Reverendissimus Dominus Ardicinus della Porta Cardinalis Aleriensis quarta vel quinta hora noctis vocavit ad se omnes suos domesticos, & tamdem exhortatus est quibusdam verbis bonis, tradiditque fratri suo unam chartulam, quam scripserat manu propria, quam dicebat esse suum testamentum; exhortatusque est eum, ut rogaret Dominum nostrum Papam, ut acquiesceret his, quæ ibi scripta erant, quia dicebat se bona omnia inter eos distribuisse,

ac

ac dicto fratri ejus reliquisse residuum. Et quum lacrymantibus omnibus interrogaretur, quo vellet ire; nihil de hoc aperuit, nisi quod accepit quinque ex ejus famulis, inter quos erat Dominus Nicolaus ejus Secretarius, & equitavit cum eis quinque, & recessit ab Urbe, non ut Cardinalis, sed ut simplex Clericus. Et nulla caussa recessus haberi potuit, nisi quod volebat intendere animæ suæ, & quod sibi persuasit, quod retinendo dictam vitam non posset salvus fieri. Scitum est tamen, eum ivisse in Montem Oliveti in territorio Senensi, ac manere in quodam ejus Monasterio Fratrum Sancti Benedicti; & Papam scripsisse ei de reditu, ac ipsum obedire noluisse. Demum mandasse ei, ut Cardinalatus habitum non dimittat sub pœna excommunicationis. Decimaoctava die ejusdem mensis reversus est, stetitque in ejus domo, quod levitati magis quàm bonitati & sapientiæ adscriptum est. Post quæ visæ sunt stellæ in cœlo in meridie prope Lunam, quæ parum ibat ante Solem, eo quod erant viginti quinque aut viginti sex dies Lunæ: propter quod omnes mirati sunt. Die sexto Junii occisio magna facta fuit in Perusia, forte major quàm fuerit à quadringentis annis citra. Nam quum pars eorum, quæ exulabat cum complicibus, & vocabatur *degli Oddi*, plures promissiones habuisset ab Ecclesia, summoque Pontifice super reconciliatione & reversione ad dictam Terram, & numquam esset aliquid observatum, supradicta die dicti exules cum auxilio Comitis Urbini, &, ut fertur, Pontificis (secreto tamen modo) quarta hora noctis Perusiam intraverunt, sperantes etiam habere auxilium à quibusdam Civibus, cum eis intelligentiam habentibus. Qui tamdem ceperunt omnia loca fortiora dictæ Civitatis, & postea audita re, insurrexerunt qui intus erant, & vi & armis eos ejecerunt. De his, qui exulabant mortui sunt Dominus Fabricius Protonotarius, Dominus Rodulphus Prælatus, qui erant Duces hujus factionis, & ex aliis plusquam quinquaginta fuerunt interfecti, & capti. Et incontinenti suspensi ultra centum de numero vulneratorum, de quibus certitudo non habetur. Et quia ad invicem alligati erant parentelis, filius unius eorum, qui exulabat, nomine . . . . . . & stabat in domo de Ballionibus, in illo conflictu captus, & ductus ad Palatium Priorum, aliquibus vulneribus perfossus, tamdem in platea majori decapitatus est. Abbatiam quamdam, & beneficia omnia, quæ habebant dicti Protonotarius, & Rodulphus interfecti, incontinenti Papa contulit filiis alterius factionis, nescio si motu proprio, vel ad partis petitionem, absque tamen aliquo intervallo. Et Papa non aliter providit, nisi quod incontinenti misit Capitaneum Ecclesiæ Comitem Pitiliani ad obviandum majoribus, quæ fieri possent. Die nono Junii tempestas in aëre talis fuit, ut grandines etiam grossissimæ destruxerint magnas partes vinearum Urbis, & in hyeme dicti anni tanta fuerunt frigora, ut arbores pæne omnes melangolorum & cedrorum deficcatæ sint. Mense Augusti homines Castri Aufidie in Marchia tumultum inter se fecerunt, & Commissarius officialis Papæ interfectus est. Cucurruntque postea ad Arcem causâ capiendi eam, & non potuerunt. Asculani tamen vicini ibi accesserunt ad illum locum caussâ capiendi eum, præbueruntque auxilium illis se rebellantibus. Papa misit ad eos Legatum Marchiæ, qui est Cardinalis Abalis, quem recipere noluerunt; & sic rebelles facti sunt Ecclesiæ, & Papæ obedire recusant, quare Papa misit ad eos Campum Ecclesiæ. Se tamdem in deditionem Ecclesiæ dederunt, quos Papa postea multavit, & fertur pœnam posuisse in reparationem tecti Sancti Johannis Lateranensis Ecclesiæ, videlicet in columnis, & arcu ante Apostolos, & in tecto. Die vigesima tertia Augusti cœptum fuit opus Sanctæ Mariæ in Via lata, videlicet destruere dictam Ecclesiam, & aliam novam ædificare cum demolitione Arcus triumphalis, supra quem in aliqua parte erat ædificata. In cujus Ecclesiæ fabricationem fertur Papam obtulisse ducatos quadringentos, Vicecancellarius trecentos, Camerarius ducentos, residuum Magistri Architectores, cum hoc quod marmora, & lapides Tiburtini, qui reperirentur, sint ipsorum. Die sequenti vigesima quarta remotum fuit Altare majus, quod erat in dicta Ecclesia, ubi erat una capsa porphyrea longa, in qua repertæ fuerunt multæ Reliquiæ Sanctorum, potissime in uno sacculo panni linei albi de Reliquiis multorum Martyrum, Sanctorum Hippolyti & Darii corpus, & sociorum, ubi est scriptum in pergamena de dictis Reliquiis cum memoratione, quod ibi conditæ fuerunt per Leonem IX., qui fuit tempore Henrici III. 1049. cum multis Episcopis & Cardinalibus. Item in alio sacculo similiter lineo de Reliquiis aliorum Martyrum cum intitulatione & inventario in charta membrana. Item in alio sacculo aliæ Reliquiæ multorum Sanctorum, & Martyrum sine nomine. Item in una capsa lignea de vestimentis Sancti Johannis Baptistæ. Unum os Sancti Philippi. Item in quodam bussoletto parvo de vestimento Christi inconsutili. Item in quadam capsula lignea parvula multæ Reliquiæ in panniculis involutæ de Ligno Crucis, de Spongia Christi, de vestimento Beatæ Mariæ Virginis, & multis aliis Reliquiis aliorum Sanctorum. Item Reliquiæ Sancti Stephani Martyris, & aliorum Sanctorum, de terra Sepulcri Christi, vel Beatæ Mariæ Virginis. Demum in una capsula longitudinis duorum palmorum cum dimidio, & latitudinis unius palmi cum dimidio fuerunt ossa inventa involuta in uno panno cum literis scriptis in una lamina plumbi, dicentibus: *Istud est Corpus Sancti Agapiti*. Quæ omnia fuerunt reposita in dicta concha porphyrea, ubi prius erant, & dicta concha fuit posita in Ecclesia Sancti Cyriaci, ubi destinatum fuit fieri Altare majus, & ibi retinere cum custodibus. Eodem tempore Baptista Capoccius interfecit Antoniam ejus matrem in lecto repertam cum Bernardo Magistri Antonii Notario concumbentem, & ambo cum securi in capite interfecti fuerunt, & nudi in eodem loco repetti exstiterunt.

Die prima mensis Februarii 1492 venerunt nova de partibus Africanis, dictumque fuit, qualiter Rex Hispaniæ habuit victoriam de Granata, ipsamque cepit, & dominatus est, eamque fuisse captam pactis pluribus, & fœderibus. Jam diu ante oppresserat eam. Quibus autem pactionibus non bene scitur apud nos. Eodem die miraculam in Urbe fuit. Nam quum Cardinalis Sanctæ Crucis, qui est Mendoza, ut dicitur, suâ impensâ faceret incrustari, & dealbari Ecclesiam prædictam, quan-

quando operarii tetigerunt summitatem arcus, existentis in Ecclesiæ medio juxta tectum, ubi adhuc sunt duæ parvæ columnæ, senserunt ibi certum vacuum; cumque aperuissent, invenerunt unam parvam fenestram, in qua erat una capsula plumbea duorum palmorum bene clausa, & super ea erat lapis quidam quadrangularis marmoreus, ubi erant sculptæ istæ literæ, videlicet: *Hic est titulus veræ Crucis*. In qua capsula reperta fuit quædam parva tabula longitudinis unius palmi, quæ ab uno latere erat comesta, & vetustate corrosa. Ibique erant cavatæ, & deinde postea colore rubro scriptæ infrascriptæ literæ, sive verba. JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; sed illud *Judæorum* non erat perfectum, quia illud *RUM* non erat nisi usque ad *R* inclusive, illud *UM* ceciderat, ut dixi, quia erat ab ea parte corrosa, & vetustate defecerat. Et primus versus erat scriptus literis Latinis, secundus versus literis Græcis, & tertius versus literis Hebraicis. Ad quem locum quasi tota Urbs accessit, & Papa Innocentius etiam post triduum vidit eam, jussitque eam permanere in dicta capsula cum quadam lamina vitrea super altare in festivitatibus dictæ Ecclesiæ. Et est omnium æstimatione illa tabula, quam Pilatus posuit in Cruce super caput Domini nostri Jesu Christi, posita ibi per sanctam Helenam matrem Constantini, tempore quo fuit dicta Ecclesia ædificata. Oh facinus indignum! Dicto Anno & mense Aprilis in hebdomada Sancta, quando gentes ibant ad Sanctum Petrum die Jovis de mane, quum quidam ex satellitibus Gubernatoris habitans in domo dicti Gubernatoris mane summo iret ad latrinas mingendi causâ, quumque mingeret, invenit in dicto loco videlicet in ore dictæ latrinæ nescio quid, quo mediante stercora non poterant penetrare intus. Et quum ipse magis advertisset, cepissetque manu causam impedimenti quærere, cepit, & extraxit unum frustum carnis; & putans illud esse porcinæ, ait inter se; *lavabo illud, & comedam*. Quumque iterum posuisset manus, invenit plura frusta carnium cum ossibus, cumque diligentius inspexisset, cognovit quod erat caro hominis; & continuo acclamavit, & vocavit socios. Quumque venissent, & extraxissent aliqua frusta, quæ ibi projecta erant, & ob magnitudinem non poterant foramen illud quod erat arctum penetrare, invenerunt fuisse ibi hominem interfectum, ac frustatim incisum, & dicto loco projectum. Posuerunt dicta frusta in vase ligneo, deinde laverunt, & invenerunt fuisse hominis juvenis propter genitalia & membrum virile, quæ ibi erant cum paucis pilis, & quidem juvenilibus, & deinde fracta est latrina pro inveniendo capite & ceteris membris. Non fuit de eo locutum ulterius, nisi quod fuit dictum, quod erant membra diversarum personarum. Quumque hoc publicè diceretur ad detegendum, vel ad accusandum, die Dominico Paschæ, & secunda dicti mensis missum est proclama per Urbem, quod si aliquis sciret, qui fecisset illud, & revelaret, lucrabatur centum Ducatos, quos asserebat præco fuisse depositatos apud Camerarium Cameræ Urbis; & si fuisset unus de complicibus, parceretur ei; sed hoc non oportebat fieri, nam in domo dicti Gubernatoris erat, qui hoc fecit. Nam factum fuit nocte illa, & januis clausis, in qua non erant nisi Domestici, & dismembratus fuit ante os dictæ latrinæ, quia erat in eo sanguis, supra quem erat ibi pulvis ejectus, ne videretur per transeuntes. Post vero fuit repertum, quod esset quidam Alexander Florentinus, qui visus fuit ludere ad ducatos in domo dicti Gubernatoris, & fertur fuisse Massclettum unum ex Officialibus dicti Gubernatoris, cum quo solitus erat ludere dictus Alexander. Nulla tamen demonstratio ex eo fuit facta, est post triduum Masselettus recessit ab Urbe. Eodem mense in Apulia apud Brundusium miraculose repertus fuit quidam Liber sub terra clausus cum tabulis plumbeis, in una quarum erat formata Crux Domini, cum literis, videlicet C. R. A. T., & in alia erant literæ, videlicet *Cataldus Rau Archiepiscopus Tarentinus & non aperiatur nisi per Regem cum fideli suo*. Qui Liber fuit portatus ad Regem Ferdinandum, qui noluit illum aperire, priusquam constaret per veras probationes, quod talis Liber esset antiquus, & quod miraculose repertus fuisset. Nam Cataldus, qui inter Sanctos est reputatus, fuit tempore quo fuit etiam Joachinus Abbas, qui scripsit de Pontificibus futuris usque ad nostra tempora. Nam dictus Joachinus fuit de Anno Domini 1175. Modus autem, quo fuit repertus, est talis, videlicet, quod in quadam Ecclesia dicti loci erat quidam Presbyter bonæ vitæ, cui in somnis venit dictus Sanctus Cataldus, bis nuncians ei, ut ipse Presbyter una cum Episcopo illum locum foderent in dicta Ecclesia, ubi erat quædam Imago Virginis Mariæ cum Christo infante in brachio, qui Christus respiciebat, & digito ostendebat locum faciendæ fossionis; dixitque ei in somnis, ut Librum, quem inveniret, portaret ad Regem aperiendum. Quumque dictus Presbyter esset negligens in hoc, fertur præfatum Sanctum Cataldum visibiliter ei apparuisse, mandasseque ei ut supra. Et tunc dictus Presbyter accessit ad Episcopum, cui omnia prædicta enunciavit, deditque ei aliqua intersigna, quæ habuit à dicto Sancto Cataldo; & postea accedentes, & fodientes invenerunt Librum prædictum. Incontinenti magna cum cæremonia portaverunt ad dictum Regem, qui Rex tamquam incredulus præmissorum, ipsum Episcopum & Presbyterum carceravit, quos postea veritate cognita, quod in hoc non fuisset fraus, dimisit. Nescitur tamen, quid in dicto Libro contineatur.

Die 27. Maji 1492. intravit Urbem Princeps Capuæ filius Ducis Calabriæ filii Regis Ferdinandi cum nongentis equitibus, & cum ducentis & sexaginta mulis oneratis capsis, & rebus, & fuit factus ei magnus honor, quia duo Cardinales iverunt obviam ei usque ad Portam Lateranensem, & in Palatio fuit receptus à Pontifice & ceteris Cardinalibus. Et dum stetit hic, fuit invitatus à Cardinali Ascanio ad cœnam, quæ duravit à vigesima quarta usque ad quintam noctis horam. In qua fuerunt tot, & tantæ magnificentiæ, & res sumtuosæ, quod recitare esset impossibile, & si recitarentur, esset incredibile, & nostra recitatio ab omnibus ridicula haberetur. Satis est, quod si veniret Rex Franciæ, aut alius similis, non potuisset plus fieri. De causâ sui adventus nihil dicitur clare; & quando sui famuli Neapolitani recesserunt ab Urbe, asportaverunt linteamina, & aulæa, quibus usi fuerunt in Palatio, & furati sunt quicquid potuerunt. Et Papa dabat pro victu carnes; & ipsi

& ipsi quod supererat vendebant in Burgo; & similiter fecerunt Domino Fabricio in Castro Marini. Die ultima Maji in die Ascensionis intravit Urbem Ambasciator magni Turcæ, qui donavit Lanceam vel ferrum Lanceæ Longini, cum quo fodit latus Domini nostri Jesu Christi in Cruce. Quod fuit receptum à Pontifice, & toto Clero processionaliter ab Ecclesia Sanctæ Mariæ de Populo usque ad Sanctum Petrum, & erat inclusum in quodam tabernaculo pulcherrimo crystalli cum pede, & aliis ornamentis puri auri, & fuit res magnæ æstimationis; & cuspis ejus est apud Regem Franciæ, pro ut ipsemet Turca nuntiavit Papæ per prædictum suum Ambasciatorem. Deinde mense Julii hebdomadâ secundâ Collegium Dominorum Cardinalium incluserunt magnum Turcam in Arce Sancti Angeli, illumque diligenter custodiri fecerunt, & hoc timore mortis Pontificis. Die Lunæ decimasexta dicti mensis præfatum ferrum, quo fuit Dominus noster Jesus Christus perfossus, præfati Cardinales, & Collegium de camera Pontificis in Ecclesia Sancti Petri in loco, ubi inclusum erat Sudarium, una cum dicto Sudario collocaverunt; & factum fuit inventarium bonorum Ecclesiæ. Eadem die Vicecamerarius Bartholomæus Morenus Mutinensis non confidens de domo sua timore tumultus Romanorum, qui fieri solet in morte Pontificis, cum omni ejus familia, & bonis ad habitandum cum Lodovico Matthæo, qui tunc temporis erat Conservator, se contulit, putans ibi securum se posse permanere. Qui post aliquot dies in Palatio Papæ se inclusit, habitavitque, ne videretur, in oleario in loco, qui dicitur *Belvedere*. Interea in Urbe numquam cessarunt tribulationes, & mortes; nam primo tres pueri decem annorum è venis, quorum Judæus quidam Medicus, qui Papam sanum reddere promiserat, sanguinem extraxit, incontinenti mortui sunt. Dixerat namque illis Judæus se velle sanare Pontificem, dummodo habere posset certam quantitatem sanguinis humani, & quidem juvenis, quem propterea extrahi jussit à tribus pueris, quibus post phlebotomiam unum Ducatum pro quolibet donavit, & paulo post mortui sunt. Judæus quidem fugit, & Papa sanatus non est. Item multæ in Urbe fiebant occisiones & rapinæ de die & de nocte, & vix præteribat dies, quin aliquis occideretur. Malesta hospes quidam sic dictus, mortuus, & derobatus una cum ejus nepote fuit. Et tamdem dicto tempore neque Senator, neque Vicecamerarius, neque aliquis Officialis Urbem custodiebat: propter quod tantorum malorum & facinorosorum hominum confestim repleta est, ut vix dici possit, quum absque alicujus superioris timore permanerent. Die vigesima secunda Julii Prosper Columna, & Johannes Jordanus filius Virginii Ursini, qui apud Cardinalem Sancti Petri ad Vincula diversabantur, cum multis aliis Baronibus, & Civibus Romanis accesserunt ad Palatium Conservatorum, & ibi eos adlocuti sunt, cum quibus non erant capita Regionum; dixeruntque, & notificaverunt dictis Officialibus, & Civibus, se Barones esse concordes, & diligere quam plurimum Populum Romanum; ac propterea se, eorumque Castra, & bona omnia offerebant pro salute Populi; rogabantque eum, ut si contingeret casus mortis Papæ, & ipsi jungerent se auxilio eorum, quo pro arbitrio uterentur. Et è converso Conservatores, & Cives obtulerunt eis quicquid posset offerri. Qualis autem sit hæc salutatio, hucusque nescitur. Vigesimâ quintâ Julii in die Sancti Jacobi sexta vel septima hora noctis mortuus est Innocentius Papa VIII. cujus anima requiescat in pace. Et quum fuisset discordia inter Camerarium, & Officiales Urbis de creando unum Marescalcum pro qualibet Regione, & Custodes Portarum & Pontium, quia quilibet ipsorum volebat eligere; tamdem Camerarius nolens delere consuetudinem Romanorum antiquam, nec privilegiis Civium derogare: voluit, ut per singula capita Regionum portaretur fides Civium Romanorum antiquorum, attestantium hoc ad Officiales pertinere, & ita factum est. Quumque dictus Camerarius haberet notitiam de prædictis, & quod ad se non spectabat eligere, insurrexerunt quatuor Cives de nostris, videlicet Laurentius de Marcellinis, qui ad præsens est Prior Capitum Regionum, Franciscus Tedus, Jacobus Alberinus, & Jacobus Gallus, putantes rem gratam facere Camerario, impetuose magis, quam juridice, electionem ipsam ad Camerarium ipsum dederunt, dictosque Officiales elegerunt contra jus, & antiquam consuetudinem, & quod deterius est, contra voluntatem reliquorum Capitum Regionum. Et hi fuerunt electi, qui magis fuerunt grati Camerario, etiam non idonei. Et non est mirum, si Romani non habent jurisdictionem, quia ipsimet sunt causa, dum pro eorum privata utilitate contra Civitatem & bonum commune faciunt. Incontinenti quo fuit mortuus Papa, mirum fuit in Urbe; nam ubi prius durante ipsius infirmitate infinita facinora in Urbe fiebant, & extra homines quidem cædebantur & occidebantur & derobabantur, incontinenti fuit sedata res, & post ejus mortem tanta quies fuit in Urbe, ut omnes mirati sint; sed parum duravit.

Die sequenti vigesima sexta Cardinales, antequam ducerent corpus ejus ex Palatio, steterunt simul colloquentes de admissione novi Cardinalis, videlicet filii Domini Roberti de Sancto Severino, qui per aliquot dies ante steterat cum Fracasso ejus fratre apud Sanctam Anastasiam extra Portam Sancti Pauli cum multis & infinitis militibus, ballistrariis, & peditibus, & instabat pro Cardinalatu sibi promisso ab Innocentio, & toto Collegio. Quem incontinenti Collegium admisit, fecitque eum Cardinalem, dando ei capellum rubeum, & locum in Consistorio, instante dicto Fracasso fratre cum Bulla prædicta in manu. Ipse autem est homo aptus magis ad arma quàm ad sacra, statura magnus; & non fuit Episcopus, neque Protonotarius, sed tantùm Subdiaconus, & vocatus fuit Cardinalis Sancti Severini. Et incontinenti post portaverunt corpus Innocentii in Ecclesiam Sancti Petri. Die vigesima octava quinta hora noctis Vignola, qui fuit Vicecamerarius, aufugit à loco ubi erat, & contulit se ad Castrum Vetrallæ, & hoc quia intellexit, Romanum Populum velle petere à Collegio, ut de gestis in ejus officio stet ad syndicatum. Prima die mensis Augusti Populus Romanus in Sacristia Sancti Petri porrexit Capitula Collegio, quæ petiit observari, & fuerunt lecta, & data sunt bona verba per Vicecancellarium nomine omnium Cardinalium. Eodem die intravit Urbem quidam Frater Albus ex iis, qui apud Ecclesiam

A fiam Sanctæ Mariæ novæ, quem dixerunt fuisse factum Cardinalem instantibus Venetis per Innocentium; nondum tamen adeptus erat Capellum rubeum. Et fuit receptus statim à Cardinalibus in Cardinalem, & dictum fuit, quod ipsum fecerat venire Cardinalis Sancti Petri ad Vincula una cum Cardinali Sancti Angeli, pro eo quia per Ascanium curatum fuit venire Cardinalem Sancti Severini. Et vocatus fuit Patriarcha Venetus, & erat homo parvæ staturæ, & ætatis nonagintaquinque annorum, & erat adeo senex, quod vix loqui posset, aut ambulare; & adeo caput movebat, quod semper annuere videbatur. Die sexto mensis Augusti Cardinales omnes intraverunt in Con-
B clave, quod erat apud Palatium Sancti Petri in Capella, & fuerunt isti: Videlicet Vicecancellarius, Neapolitanus, Sancti Petri ad Vincula, Senensis, Portugallensis, Sabellus, de Comitibus, de Columna, Ursinus, Ascanius, Sanctæ Mariæ in Porticu, Sancti Angeli, Sancti Clementis, Recanatensis, Alerienfis, Sanctæ Anastasiæ, Beneventanus, Florentinus, Sancti Severini, Patriarcha Venetus, Parmensis, Januensis, & Sancti Georgii. Die tamen præcedenti quinta Augusti perfectæ fuerunt exsequiæ Innocentii, & sic finita fuit ejus memoria & ejus vita multis fuit approbata, eo quod fuit humanus, & amator pacis, & construxit Romæ multa ædificia. Nam in
C Oleario secus Palatium Papæ fecit unum Palatium, quod vocatum est ejus jussione *Belvedere*, in cujus constructione sexaginta millia Ducatorum expendisse constat, ut videri potest. Fecit & Palatium inter reclaustrum Sancti Petri, & reclaustrum Palatii ipsius, ubi sunt Auditores, quod insignia ipsius passim apposita ostendunt. Reparavitque Ecclesiam Sancti Johannis Lateranensis; videlicet antetribunam refecit totum tectum, & ibi præparavit duas grossas columnas cum lapidibus marmoreis pro faciendo ibi arcum, quod morte præventus non fecit. Præbuit etiam auxilium in constructione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via lata, ut supra dixi. Et plerumque
D ibat spatiatum *alla Magliana*, & multum dilexit filios, & filias, adeo quod dubitaretur, ne ejus thesaurum pro filiis & filiabus dederit. Eadem die Augusti apparuit signum in cœlo ante horam Tertiarum; nam visi fuerunt in cœlo ad Orientem tres Soles ampli & clarissimi, & bene fulgentes, & visi fuerunt à multis & diversis, qui iverant ad videndum. Et Cardinales intrantes in Conclavi steterunt in scalis Sancti Petri. Et hoc affirmavit Antonius Episcopus Agriensis, & Marianus Buccacius, & multi alii, qui hoc viderunt, & asseruerunt se vidisse hoc, & Dominos Cardinales, qui ascendebant dictam Ecclesiam. Quod signum in cœlo maximum est, & uti-
E nam non sit prognosticum alicujus magni futuri mali. Item nocte sequenti postquam Cardinales intraverunt Conclave, domestici Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Camerarii, & Scutiferi affirmaverunt se vidisse aliud signum in una Camera dicti Cardinalis, quæ est in platea in Turri, quæ respicit versus Sanctum Marcellum: nempe quod fuerunt visæ sexdecim torciæ accensæ, ubi nullus erat, qui potuisset illas accendere, & post pusillum reductæ fuerunt ad duodecim; & tamdem paulatim diminutus est numerus, & reductæ sunt usque ad unam, quæ diu ibi stetit accensa, & nescitur quis ibi intraverit, quis accenderit, aut quis abstulerit, ita quod omnes mirati sunt de tali signo.

Anno Domini 1492. dicto mense Augusti die undecima in die Sabbati summo mane Rodericus Borgia, nepos Callisti, Vicecancellarius, creatus est Papa, vocatusque est Alexander Sextus. Et incontinenti assumto Papatu dispersit & dedit pauperibus bona sua; nam Cardinali Ursino dedit Palatium suum, & dedit Castrum Monticelli, & Soriani. Item Ascanium Cardinalem Vicecancellarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pronunciavit, & fecit. Cardinali Columnensi Abbatiam Sancti Benedicti Sublacensis cum omnibus Castris ad jus patronatum concessit ipsi, domuique suæ perpetuo. Cardinali Sancti Angeli Episcopatum Portuensem cum Turri, & cum omni supellectile ibi existente concessit; & ibi inter alia erat una Cella vinaria plena vino optimo, & in quantitate magna. Item Cardinalem Parmensem de Civitate Nepesina possessorem & patronum fecit. Cardinali Januensi Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Via Lata dedit. Item Sabello Civitatem Castellanam, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris. Reliquis aliis multa millia Ducatorum concessisse fertur, potissime cuidam Fratri albo Veneto nuper assumto in Cardinalem, cui millia quinque Ducatorum auri donavit, pro habenda ipsius voce. Quod quum primum scitum fuit à Venetis, denegati fuerunt omnes fructus beneficiorum; & mandatum fuit ne quis ulterius eum amplius associaret. Exceptis quinque dumtaxat Cardinalibus, qui nihil voluerunt, & hi sunt Cardinalis Neapolitanus, Senensis, Portugallensis, Sancti Petri ad Vincula, Sanctæ Mariæ in Porticu; hi soli nihil habere voluerunt, dixeruntque, Pontificatus voces dandas esse gratis, & non muneribus. Fertur etiam, antequam intrarent Conclave, præfatum Vicecancellarium pro habendo voto Ascanii prædicti, & sequacium misisse quatuor mulos oneratos argento ad domum dicti Ascanii, sub hoc nomine, ut ibi in ejus domo custodirentur, dum esset in Conclavi, & quod securius ibi poterant permanere, quàm in ejus domo: quod argentum fertur fuisse datum dicto Ascanio pro habendo ejus voto. Civibusque Romanis multa promisit. Et notitiam habuit, qualiter à die extremæ infirmitatis Innocentii usque ad ejus coronationem plusquam ducenti & viginti homines diversis locis & temporibus interfecti fuerant. Habuit etiam notitiam de interfectoribus, & causis. Et de prodimentis, & omnibus his, quæ in Urbe gesta fuerant, plenam notitiam habuit. Eodem mense Augusti obiit Dominus Flavius Roacota Miles Sancti Johannis, relictis multis millibus Florenorum auri. Die sequenti obiit Dominus Fabius de Sinibaldis dolore magis quàm alia infirmitate, eo quod sperabat Cardinalatum diu per eum optatum, si casus in aliquem contigisset ex suis amicis. Sed quum vidisset Vicecancellarium fuisse Papam, tanto fuit dolore affectus, quod vitam cum morte commutavit parva quadam febricula, cum qua omnis spes sui Cardinalatus recessit. Vigesimâ sextâ dicti mensis Augusti coronatus fuit Papa Alexander in Sancto Petro. Deinde prout de more accessit ad Ecclesiam Sancti Johannis Lateranensis, cui per Urbem factus fuit maximus honor, multi arcus triumphales, & magis quàm umquam alii Pontifici factum fuerit, potissime per Romanum Populum. Et in primo Consistorio, quod ipse

ipse fecit, creavit Cardinalem Archiepiscopum Montis Regalis, nepotem suum ex sorore. Die tertia mensis Septembris 1492. Salvator filius quondam Tucii *dello Rosso* in medio Campi Floræ insultavit Dominicum Benavedutum ejus inimicum, cum quo tamen sub fidejussione vivebat quingentorum Ducatorum, ipsumque duabus percussionibus lethalibus percussit, & vulneravit, ex quibus mortuus fuit. Et quarta die Papa misit Vicecamerarium cum Conservatoribus, & toto Populo ad destruendam ejus domum, eamque destruxit, & eadem quarta die Septembris Hieronymus frater dicti Salvatoris ad instantiam dicti Dominici fuit suspensus ut supra. Et sic eadem die de eo assumta fuit vindicta: quod non est credendum sine Dei dispositione processisse. Papa abstulit pœnam à fidejussoribus. Eodem mense Pontifex Alexander ordinavit Visitatores carcerum, & fecit quatuor Commissarios, qui audirent querelas in Urbe, & ordinavit Sindicatum Vignolæ, & suorum Officialium; & statuit etiam audientiam in die Martis omnibus Civibus tam maribus, quàm feminis, & audivit ipsemet querelas, & justitiam mirabili modo facere cœpit. Eodem anno & mense Decembris parum ante Domini Nativitatem Don Federicus filius Regis Ferdinandi, tamquam patris Ambasciator, venit ad Urbem ad præstandam obedientiam, & venit multum sumtuose, & bene ornatus, & cum magno honore fuit receptus à Cardinali Sancti Petri ad Vincula, qui adeo honorifice, & sumtuose eum recepit, & per aliquot dies retinuit, quod vix dici posset. Fertur, dictum Federicum inter alia dixisse dicto Papæ in Consistorio, quod abstineret se à dispensatione matrimonii, quam petierat Rex Hungariæ, qui volebat renuntiare Eleonoram ejus uxorem ac filiam dicti Regis, eo quod ex ea non suscipiebat prolem, & volebat capere filiam Ducis Mediolanensis ac sororem Ascanii Cardinalis Mediolanensis, & quod pro dicta dispensatione consequenda multa millia Ducatorum offerebantur. Et quum Papa intenderet facere talem dispensationem, fuerunt multæ inter eos altercationes, adeo quod, ut fertur, iratus recessit, & per mare ad Ostiam ivit. Et Cardinalis Sancti Petri ad Vincula cum eo ivit, qui, ut dicitur, ex eo quod favit dicto Regi, factus fuit inimicus Papæ, adeo quod noluit amplius ad Urbem redire; sed remansit in Arce dictæ Civitatis Ostiæ bene armatus & munitus, ac si campum contra se exspectaret, & abstinuit venire Romam. Et quumsemel Papa Alexander destinasset ire & prandere in Palatio Sancti Johannis *della Magliana*, jam per Innocentium constructo & ornato, quumque appropinquasset ad locum, illi, qui ibi erant caussa parandi prandium, quum vidissent eum appropinquantem, propter lætitiam traxerunt unam bombardam grossam; qua audita subito Papa perterritus, etiam jejunus retrocessit, reversusque est in Palatium Sancti Petri, eo quod, ut ipsemet dixit, timuit, ne illa bombarda fuisset signum datum Cardinali Sancti Petri ad Vincula, ut ipsum caperet in dicto loco. Et noluit ibi intrare, sed incontinenti recessit cum toto ejus comitatu, qui non sine magno eorum incommodo reversi sunt ad Urbem, eo quia adhuc jejuni erant.

Die vigesima quinta mensis Aprilis 1493. Papa Alexander venit ad Ecclesiam Sancti

A Marci causa celebrandi ibi Missam & Litanias, & venit cum multis equitibus militum armatorum cum loricis & thoracibus, lanceis, & clypeis; & post Missam publicavit ibi Ligam & confœderationem cum Venetis, & Duce Mediolanensi, & Communi Senensi, Mantuanis, & Ferrariensibus; & statuit tunc Papa ob gaudium sonari in sero campanas Capitolii, & aliarum Ecclesiarum; Ad quem finem hoc fecerit, nescitur nunc. Dubitatur tamen de futuro bello, primo per istud signum; secundo ex eo quia optavit, & quodammodo de novo fecit muros Urbis à Palatio Sancti Petri usque ad Castrum Sancti Angeli, fortificando eos cum turribus, pro ut nunc vide-

B tur. Die decima mensis Junii cum magno comitatu Episcoporum venit Romam Dominus Alexander filius Domini de Pisauro, & eadem die in uxorem cepit per verba de futuro filiam spuriam Papæ Alexandri, quam prius dictus Papa, dum erat Cardinalis, nupserat cuidam Hispano, postea autem factus Papa volens conditionem dictæ suæ filiæ meliorare, rupto fœdere, datisque dicto Hispano tribus millibus Ducatorum, ut uxorem prædictam renuntiaret, iterum dicto Domino nupsit, adhuc suo primo marito vivente, & propter dictam pecuniam tacente & renuntiante. Die undecima dicti mensis Ambasciator magni Turcæ venit Romam, & ut fertur, secum portavit nona-

C ginta millia Ducatorum, idest quadraginta millia, quos portabat parum ante mortem Innocentii. Et postquam audivit Innocentium mortuum esse, retrocessit; & alia quadraginta millia pro anno præsenti, & decem millia, quos asseritur præparasse magno Turcæ existenti in Palatio, pro eo quod frater ejus volebat ipsum substentari expensis suis. Et fuit receptus cum magno triumpho, & omnes mirati sunt de punctualitate magni Turcæ in mittendo tributum Papæ, & Ecclesiæ. Die duodecimo ejusdem mensis, videlicet die Mercurii, ex parte Papæ convitatæ fuerunt centum quinquaginta nobilissimæ Romanæ mulieres, & omnes Officiales Urbis, & Senator,

D & mariti dictarum mulierum, & Ambasciatores omnes ad nuptias in Palatio Papæ apud Sanctum Petrum. Et dum præfati viri exspectarent in quadam aula, ut vocarentur ad videndum fieri subarrhationem, intraverunt primo mulieres prædictæ, & post ipsas quando voluerunt intrare prædicti viri Cives, Officiales, & Ambasciatores, & alii invitati, fuit clausum ostium, & non potuerunt intrare. Et deinde post unam horam vel circa Dominus Coronatus Planta, & Dominus Camillus Notarius rogati de sponsalibus, aperuerunt ostium; & quando Cives, & reliqui intrarunt, inve-

E nerunt actum subarrhationis jam perfectum. Ibi erat præsentia Domini nostri Papæ, & undecim Cardinalium, & multorum Dominorum Episcoporum, & temporalium; & coram dictis Dominis & mulieribus fuit desponsata præfata filia Papæ Alexandri cum dote & pactis dotalibus, & post desponsationem Papa centum & quinquaginta cuppas argenteas cum confectionibus ad faciendum collationem præsentavit ibi in signum magnæ lætitiæ, quæ in sinum multarum mulierum potissime pulcrarum projectæ fuerunt: & hoc ad honorem & laudem omnipotentis Dei, & Ecclesiæ Romanæ. Alexander consuetudinem jam cœptam per Innocentium de maritanda prole fœminea prosecutus est, & ampliavit........

Et

Et ut perfectius tradatur materia hæc, sero in cœna remanserunt aliqui Cardinales, discubueruntque in eadem mensa primo Papa, deinde præfati Cardinales, & sponsus prædictus una cum aliquibus aliis Dominis, & inter eos etiam mulieres, primo scilicet filia Papæ, deinde Julia Bella ...., tertio neptis Innocentii, filia Theodorini, Comitis Pitiliani uxor, & filia Gabrielis de Cæsarinis, & quædam aliæ, quæ, ut dixi, una mensa ad cœnam cum Papa & Cardinalibus discubuerunt hoc ordine, videlicet, quilibet ex dictis Dominis prope se retinebat unam ex dictis juvenibus. Et in cœna permanserunt usque ad septimam horam noctis, recitatæque sunt ibi Comœdiæ & Tragœdiæ, sive Scenæ, & quædam lascivæ, ipsis postmodum videntibus & ridentibus. Et in fine Papa ipse, ut fertur, personaliter associatus est filiam suam cum Sponso usque in Palatium Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu, quod est ab alio latere scalarum Sancti Petri, ubi dictus Sponsus junxit se cum uxore sua. Et multa alia dicta sunt, quæ hìc non scribo. Quæ aut non sunt vera, aut si sunt, sunt incredibilia. Post triduum intravit Ambasciator Regis Hispaniæ cum magna comitiva Episcoporum, & Curialium, & factus fuit ei magnus honor; & inter alia quando intravit per Portam Viridariam comitatus fuit à filio Papæ à dextris, & à genero suo, videlicet Domino Pisauri Sponso prædicto à finistris, & hoc à loco unde exivit versus Montem Marium usque in Palatium Campi Floræ, ubi se posuit. In Consistorio publico ultra obedientiam, quam fertur dictum Ambasciatorem præstitisse nomine Regis Hispaniæ, exposuit etiam ex parte ipsius Regis, quod præfatus Rex habebat multum odium propter bella, quæ fiebant in Italia in Christianos, eo quod diceretur se continuo exponere Statum suum & vitam suam pro salute Christianæ Fidei, & pro ipsius augmento, continuo certando cum Infidelibus; & Papa, qui est caput Fidei Christianæ, intenderet ad ipsius Fidei dissipationem. Exposuit etiam, quod dictus Rex intendebat habere notitiam de eo, per quem remaneret, quominus pax fieret inter Christianos; quoniam dicebat, dictum Regem habiturum cum eis inimicitiam, si potissime sine causa illud fieret. Aliud, quod proposuit, est, quod præfatus Rex expulerat Maranos de imperio suo tamquam inimicos Fidei Christianæ, ipse miraretur quod Papa, qui esset caput dictæ Fidei, illos recepisset in Urbe, & propterea hortatus est eum, ut de Terris Ecclesiæ subjectis illos expelleret. Tertium, quod ex quo intendebat sua Majestas prosequi victoriam contra Infideles, & acquirere, si Deus concederet ei gratiam, Hierusalem terram sanctam, rogabat Pontificem, ut vellet ei præstare auxilium, & favorem præsertim in hoc: videlicet, ut operaretur, ut habentes beneficia excedentia centum Ducatos de fructibus annuatim, deberent reverti ad Hispaniam: alioquin intendebat ipse recipere dictos fructus, & ipsos convertere in opus prædictum contra Infideles. Aliud, quod exposuit, est, quod jam fama est ubique, quod heic Romæ, seu in Ecclesia Romana facta sunt beneficia, & officia, ac dignitates venales, & venalia, & quod quasi bona profana subhastentur, & quod non possit quis ad aliquod beneficium sive magnum, sive minimum, item ad Episcopatum vel etiam Cardinalatum pervenire, nisi soluta pecunia; & quod uti olim virtute Sancti Spiritus creabantur, hodie loco illius sola pecuniarum consideratio habetur indifferenter, & non quæsito bonus, an malus, idoneus, vel non, promoveatur, sed solum qui majorem pecuniam aut munera exponere potest. Propter quod exhortatus est summum Pontificem, ut non plusquam unum beneficium Curatum pro quolibet concederet, & non plura. Et alia quædam multa fertur dixisse, quæ ad statum & honorem Ecclesiæ pertinerent, quæ hìc non exprimo. Quæ omnia qualiter fuerint expedita, videamus. Et primo de Pace parva vel nulla spes est, ut signa demonstrant; nam paucos dies post Dominus Alexander de Pisauro gener Sanctissimi Domini nostri Papæ cum sex squadris militum armatorum demonstrationem fecit, & non multo post Fracassa de Sancto Severino cum gentibus suis, necnon & Nicolaus Comes Pitiliani, Macrinus Sabellus, Nicolaus de Sermoneta, & Julius Ursinus cum gentibus armatorum eorum se junxerunt, itaquod in totum usque nunc sunt circa quadraginta squadræ, & ultra illas alius numerus Janizzerorum, Ballistrariorum, Equorum levium, vulgariter nuncupatorum *Cavalli leggieri*, & circumcirca Urbem damna faciunt infinita. Fertur etiam apud Ostiam cum Cardinale Sancti Petri ad Vincula esse Dominum Fridericum filium Regis Ferdinandi cum undecim galeis, & Dominum Virginium Ursinum, Dominum Prosperum, & Fabricium de Columna cum aliquibus armatis. Quid inter se tractent, quotidie simul ratiocinantes, nescitur. Propter quod non sine ratione de futuro bello timetur.

De prima parte Marani in maxima quantitate steterunt extra Portam Appiam apud Caput Bovis, ibi tentoria tendentes. Intraveruntque in Urbem secreto modo, eo quod ad custodiam Portarum deputati sunt Hispani armigeri; & ut dicitur etiam de illis, adeo ut incontinenti pestis invaserit Urbem, mortuique sint quamplurimi ex peste, & ex contagione dictorum Maranorum, de quibus tota Urbs impleta est, & ut videri potest non sine notitia & permissu Papæ. Die penultima mensis Junii Virginius Ursinus, qui erat apud Ostiam cum Cardinale, & reliquis Dominis, recessit, & ivit Braccianum, secumque duxit ligatum quemdam Antonium Cotium Januensem. Hic Dominus Antonius erat homo magnæ auctoritatis apud Dominum Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, adeo quod dederat ei ad fortificandum quamdam Abbatiam de suis, & semper in mensa tenebat primum locum prope Cardinalem, & multum confidebat de eo. Nunc autem dicitur, quod die Dominico sequenti de mane fecit eum suspendi, & post in partes divisit; & aliqui dicunt, quod adhuc vivit, & hoc ex eo quod ipse secreto modo capiebat literas dicti Domini Cardinalis, & ipsas, & quidquid ibi agebatur, Papæ Alexandro sexto revelabat. Die tertia mensis Julii 1493. circa decimam nonam horam tenebræ factæ sunt super terram, & insurrexit ventus vehementissimus & turbo in aëre, & pluvia magna fuit in Urbe, & extra Urbem in Pratis Neronianis, in Ponte Milvio, & versus Pontem Salarium fuerunt grandines densissimæ, sicut nuces magnæ. Et destruxit omnes, quos invenit foris; & Campum

ssim Fracassi cum gentibus suis, qui erat in loco, qui dicitur *prima posta*, cum tendis, & padilionibus in totum fracassavit, lanceas, & cappas omnes devastavit ; bardas , sellas, & supellectilia omnia dictorum Militum destruxit, & vis aquarum transportavit , ita quod reperti fuerunt ibi multi equi mortui , & deperditi, & armigeri magni , & parvi omnes una voce clamabant misericordiam , fugientes versus montes, ne submergerentur. Et duravit per duas horas continuas , & post fuit visum, quod per quinque palmos & ultra in Valle illa , ubi fuerunt castrametati , fuit alta grando & aqua , quod non fuit sine maximo incommodo dicti Fracassi , & gentis suæ ; & damnum dicitur inter equos mortuos , & bona deperdita & devastata fuisse plusquam mille , & quatuor centum Ducatorum. In Urbe verò in domo Ursini mariti Juliæ Bellæ dictæ de Farnesio apud Montem Jordanum ventus removit unum caminum, qui erat in ejus domo, & ultra illud in dicta domo cecidit fulgur & aliqua devastavit ; & hoc fuit die Mercurii . Die Dominico sequenti dictus Fracassus cum gentibus suis intravit Romam, & præsentavit se Papæ in Platea Sancti Petri. Die vigesima tertia dicti mensis quidam Sbirrus Barisellì , qui luserat , & perdiderat certam pecuniam , & hic erat Januensis, contulit se ad Ecclesiam Sancti Blasii de Malo in Regione Sancti Eustachii , & in facie dictæ Ecclesiæ vidit unum Crucifixum in muro depictum . Ipse malo animo cum quadam partesciana, quam in manibus habebat, percussit dictum Crucifixum in capite, & in pectore, & fuit visus à quadam meretrice . Et quum ipse miraculose iret circum circa dictum locum , & non posset inde exire , supervenit dictus Barisellus , & ipsa mulier ipsum reum accusavit, qui illico captus fuit, & ambæ manus ibi amputatæ, tum clavis in dicto muro affixæ , & postea in Nagone furcis suspensus fuit per dictum Barisellum . Die vigesima quarta prædicti mensis Julii, Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, qui fuerat apud Ostiam , & Dominus Virginius Ursinus sedaverunt discordiam , quam habebant cum Pontifice, & reversi sunt ad Urbem cum magno triumpho , & accesserunt ad Papam, & ibi cum eo cœnati sunt ; & sic pax facta fuit, & guardiæ, quæ erant in portis, remotæ fuerunt . Sed hæc pax simulata fuit, & ideo parum duravit . Vigesima quinta die mensis Augusti in meridie tempestas in aëre magna fuit , & sagitta cecidit in Capitolio, videlicet in Campanile, & percussit in tibia quemdam , qui pulsabat Campanam grossam ad gaudium propter annuam coronationem Alexandri Papæ VI. & abstulit ab eo mediam caligam cum sotolari, & eum non interfecit . Iterum intravit per Capitolium , & multa loca tetigit . Et eodem die fulgur percussit Campanile Lateranense , & postea descendit in dictam Ecclesiam , & similiter loca læsit. Die vigesima octava mortuus est Imperator Federicus, & cum eo perierunt Prophetiæ ; & ajunt Maximilianum fuisse creatum Imperatorem . Die vigesima Septembris Papa Alexander creavit duodecim Cardinales & in eorum creatione consenserunt tantum septem Cardinales, reliqui dissenserunt. Inter primos fuit creatus filius ipsius natus ex se & quadam muliere , quam ipse nupserat cuidam Dominico Arignano , & semper fuit habitus tentus & reputatus ejus filius , & ipse fecerat eum Episcopum in Hispania de Pampelona . Item filium Domini Gabrielis de Cæsarinis fratrem generi sui . Item Alexandrum de Domo Farnesia consanguineum Juliæ Bellæ . . . . , & uxoris Domini Ursini. Et quosdam alios, de quibus, ut fertur , plusquam centum millia Ducatorum extraxit. Et multum fuit murmuratum, ita quod publice dictus fuit versus ille :

Quasque male amisit, nunc male quærit opes .

Et istis temporibus fuit inundatio Tiberis, & multæ pluviæ, ita quod in multis locis fecit maximum damnum in campis, in vineis , & vineæ omnes quæ sunt in pratis fuerunt inundatæ, & in Burgo Sutrino fuit talis alluvio , quod à fundamentis asportaverit circa triginta domos ibi existentes, intra quas erant tres Ecclesiæ, ita quod non fuit cognitum ubi ædificatæ erant; & decem & octo homines inter mares, & fœminas magni, & parvi affocati, & asportati fuerunt à dicta alluvione . Et in aliquibus locis juxta Tiberim vineæ integræ, & canneta ablata sunt & duravit multis diebus . In partibus Lombardiæ etiam aliquæ Villæ & Castra suffocata fuerunt, & ibi multa millia hominum perierunt. Et heic Romæ ceciderunt multa fulgura , inter quæ cecidit unum in Palatio Sancti Petri in Camera Papæ Alexandri, & ubi ipse erat , & valde timuit, & perterritus fuit, ita quod vix potuit loqui; & duo ex suis Cardinalibus ceciderunt in terram quasi mortui , sed post nihil mali habuerunt. Die vigesima prima Octobris mortuus fuit Cardinalis de Comitibus peste. Die vigesima sexta Papa Alexander recessit ab Urbe cum octo Cardinalibus; & dixit se velle ire Viterbium, & postea reversus est.

Die vigesima mensis Januarii 1494. mortuus fuit Rex Ferdinandus , & creatus est Dux Calabriæ Rex Neapolitanus . Die quarta mensis Februarii venerunt Ambasciatores Turcarum & dictum est , magnum Turcam in Constantinopoli mortuum esse.

Faccio ricordo io Stefano Infessura, con ciò sia cosa, che essendo discordia intra Papa Alessandro, e lo Re di Napoli sopra li censi, & altre loro differenze, lo Papa , e lo Collegio incitò lo Imperatore Massimiliano, & anco lo Re di Francia, che dovessino venire a pigliare l'impresa contro lo ditto Re di Napoli, con promettergli ajuto e favore , quanto bisognava. Et anco con dire, che di ragione lo detto Reame spettava allo Duca di Lorena, e non al Re Ferdinando. E sopra di questo lo ditto Imperatore, & Re di Francia più volte si condussero insieme a parlare ; e *tandem* conclusero a venire. E dopo morto che fu Re Ferdinando , lo figliuolo suo Duca di Calabria pigliò lo Stato , e la Signorìa dello Reame, & addimandò al Papa d'essere coronato. Et lo Papa con lui fece patti e parentele, *idest* , che un figliuolo suo bastardo lo diede per marito alla figlia del detto Duca di Calabria; e lo Papa gli promise di coronarlo nel ditto Reame; & assettate che furono intra loro le cose, lo Papa mandò a dire al Re di Francia, che non venisse , perchè in Roma era grande peste, e dubitava dello stato suo. *Item* che in Roma era grande fame , e dubitava di maggiore carestia; & anco dubitava , che se lui veniva, il Re di Napoli non mettesse lo Turco in Italia , sì che avesse da destruggere ogni cosa . Et per lo Re gli fu risposto, che non si curava di peste , perchè quan-

quando lui fusse morto, averebbe posto fine alle sue fatiche; e della fame disse, che lui veniva sì fornito di grascia, che più presto aveva da fare abondanza, che carestia. Et anche del Turco disse, che da che nacque aveva avuto desiderio d'affrontarsi con gli infedeli per salute della Fede Cristiana; sicchè mò non lo voleva refuggire, e perdere l'occasione. Sopra di che lo Papa fece Concistorio, e dichiarò, lo ditto Reame spettare al Re di Napoli, *idest* Duca di Calabria. E così deputò lo Cardinale di Monte-Regale, lo quale è nepote dello dicto Papa Alessandro, che andasse a coronare lo ditto Re in Napoli. E così si partù *vigesima secunda Aprilis* 1494.

A

E subito veduto questo l'Ambasciadore dello Re di Francia si protestò in Concistoro contro del Papa, & appellossi della ditta dichiarazione allo futuro Concilio, lo quale dissero, dovere essere, o doversi fare presto.

Et in quel medesimo giorno andò lo figliuolo dello Papa con lo Signore Virgilio ad arrare la Sposa in Napoli con molto trionfo, e con molta festa e giubilo.

Et in eadem die saputo che ebbe lo Cardinale di S. Pietro in Vincola, lo quale stava in Ostia, & era in disgrazia dello Papa, subito segretamente si mise in uno Bregantino sconosciutamente, e lasciò la Fortezza d'Ostia molto ben' armata, & fornita per 3. anni, & andossene con Dio; perchè dubitava di questa concordia, che era fatta senza di lui tra lo Re, e lo Papa.

Et incontinente la mattina sequente lo Papa mandò fanti per togliere Ostia, & non la potè avere; onde alli 26. del ditto mese

B

apparecchiò le bombarde, & le picoline con l'altre artiglierie per andare a campo ad Ostia.

F I N I S.

INDEX GENERALIS
RERUM ET NOMINUM,
QUÆ CONTINENTUR
In hac Secunda Parte Tomi Tertii
RERUM ITALICARUM.

A

B

Ber-

C

Ciria-

D

E

F

G

H

I

Jo-

K

L

Leo-

M

Pe-

Aistul-

T

FINIS.